UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcvmenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VII M I Th. 1310a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ŒCVMENICA CATHEDRÆ APOSTOLICAE AVTHORITAS.

EX OCCASIONE

QUATUOR CLERI GALLICANI PROPOSITIONUM ANNO M. DC. XXCII. IN PARISIENSI ECCLESIASTICO CONVENTU EDITARUM, ASSERTA ET VINDICATA

AB AUTHORE

INEXTINCTÆ SACRI CONCILIJ TRIDENTINI VERITATIS.

In quo tractatu vindicantur insuper tum eà, quæ Emanuël à Schelestrate adversùs Maymbourgum reposuit de sensu & auctoritate Decretorum Constantiensis Concilij Sessione IV. & V. circa S. Potestatem Ecclesiasticam: Tum quæ Author Regalis Sacerdotij, ac Leodiensis SS. Theologiæ Doctor M. C. in lucem ediderunt circa Cleri Gallicani præinsinuatas propositiones, unà cum resolutionibus de Jurisdictionis Episcopalis origine, ac erga jus Divinum immediatione, nec non de axiomatibus variorum Scriptorum Gallicanorum Immunitati Ecclesiasticæ adversantibus: Discutiuntur prætereà, quæ Ludovicus Ellies Du Pin Theologus Parisiensis de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ disserens, molitur contra dictos Schelestratum, atque Authorem Leodiensem de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: Expenditur denique Causa Regaliæ speciatim contra Alexandrum Natalem.

Cum facultate Superiorum.

ANNO M. DC. LXXXIX.

Collegii Soctis JESV patiborna 1697.

dono p. Kloppenb.



PROLOQUIUM.

VBique fere divulgatæ habentur Cleri Gallicani quatuor propositiones circa Oecumenicam Romani Pontificis authoritatem sub tenore sequenti declaratæ. *Ecclesiæ Gallicanæ decreta & Libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur, nec desunt, qui earum obtentu, primatum B. Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, ijsque debitam ab omnibus obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua Fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quò eam potestatem, quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam & gravem Regibus & populis ostendant, ijsque fraudibus simplices animas ab Ecclesia, Christique adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, nos Archiepiscopi & Episcopi Parisijs mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum cæteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda, & declaranda esse duximus.*

I. Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicarijs, ipsiusque Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem Civilium ac temporalium à Deo traditam esse potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo: *& iterum*: Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei; Deo, *ac proinde stare Apostolicum illud*: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. *Regentes ergo & Principes nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subijci, neque authoritate Clavium Ecclesiæ* directè, *vel* indirectè *deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ, quam Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrumque traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.*

II. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sancte Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione custodita, decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sess. 4. & 5. continentur: nec probari, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minùs approbata, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorquent.

III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad Apostolicæ Sedis amplitudinem, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata, propriam stabilitatem obtineant.

PROLOQUIUM.

IV. In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

V. Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu, in eadem sententia.

Editis hisce Propositionibus, Emanuel à Schelestrate, sacræ Theologiæ Doctor, ac Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, contexuit dissertationem; quâ ex professo impugnat *secundam* ex illis circa Constantiensis Concilij auctoritatem propositionem, in quâ Concilij super Papam authoritas adstruitur.

Quæ causa extitit Maymbourgo, scribendi tractatum historicum de Romanâ Ecclesiâ, ejusque prærogativis ac Episcopis, in quo stabilire nititur quatuor præinsinuatas Parisijs editas propositiones, impugnando *specificè* eam quoque dissertationem, quam prætactus Schelestratus ediderat.

Qui proinde Author denuò fuit compulsus reponere tractatum de sensu & auctoritate Decretorũ Constantiensis Concilij *Sessione quartâ & quintâ* circa potestatem Ecclesiasticã editorum, in quo adeò tractatu firmatur contra Maymbourgum, quòd *primum* Sessionis *quartæ* Decretum corruptum ad manus nostras pervenerit, nihilque, si juxta Acta manuscripta corrigatur, ad quæstionem de superioritate Concilij faciat; Decreta verò duo priora Sessionis *quintæ* sinè deliberatione tantæ rei debitâ, contradicentibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus edita sint ab unâ duntaxat ex tribus Obedientijs, quæ Generale Concilium non constituerat: quòd demùm post trium Obedientiarum Unionem neque à Concilio in auctoritatem admissa, neque à Martino V. unquam comprobata fuerint. Intereà in lucem prodijt Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum, cum explicatione prætactarum Cleri Gallicani quatuor propositionum authore Eugenio Lombardo SS. Theologiæ, & I. V. Doctore. Eodem tempore typis commissus est Leodij Tractatus *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, continens amplam discussionem declarationis ex illis propositionibus consistentis, factæ ab Archiepiscopis & Episcopis mandato Regio Parisijs Anno M. DC. LXXXII. congregatis. Cujus Author inscribitur M. C. SS. Theologiæ Doctor. In hoc tractatu præter discussionem naturæ, originis ac progressûs libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, unà cum quatuor Cleri Gallicani propositionum examine, expenduntur insuper Jurisdictionis Ecclesiasticæ origo, Edmundi Richerij libellus *de Ecclesiastica & politica potestate*, axiomata Petri Puteani, aliorumque Scriptorum sententiæ de Libertatibus seu Regni seu Ecclesiæ Gallicanæ, unà cum appellationibus ab abusu. Successerunt hinc Dissertationes Theologicæ de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ editæ à Ludovico Ellies Du Pin, SS. Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctore, in suis ad Lectorem monitis graviter conquerente tum universaliter adversùs authoritatis Pontificiæ defensores, quasi sub obtentu hujus defensionis Ecclesiarum libertates proculcarentur, jura Regnorum attenuarentur, Conciliorum sanctiones ludibrio haberentur, sacraque Episcoporum authoritas,

& solida

& solida Politiæ Ecclesiasticæ fundamenta convellerentur: Tum specialiter contra tractatum, qui præfert titulum *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, ac si in hoc opere non modò Ecclesiarum Gallicanarum Libertates risu & sannis exciperentur, sed & Cleri Gallicani Antistitibus non uno modo illuderetur: Tum insuper adversus Scheleſtrati dissertationem de Concilio Constantiensi, ejusdemque nuperrimam confirmationem.

Quia porrò prætacto Parisiensi Conventui causam dedit Regalia, contra quam prodijt inprimis Tractatus Appamiensis, dum contra Natalis Alexander de isthoc jure re singularē composuit dissertationē, quæ habetur inter ejus selecta historiæ Ecclesiasticæ capita.

Idcirco hujus rei explicationem è contrario concinnavit Author Leodiensis M. C. SS. Theologiæ Doctor: Ejusdemque argumenti opus contexuit Author Galliæ Vindicatæ, in cujus *dissertatione* 1. §. 7. pariter respondetur ad ea, quæ à Patre Alexandro Natali in favorem Regaliæ producta sunt.

Sub hac igitur rerum facie, quid superesse potest in partis adversæ argumentis, quod sufficienter non extet refutatum? An non igitur videbor rem actam agere, si eidem causæ manum apponam? Sollicitabar equidem, ut factâ super hisce utrinque discussis argumentis reflexione, mei quoque Judicij proferrem sententiam. At nunquid fas esset mihi conari, aliquid claritatis affundere tantæ luci, quam tot insignes viri suis tam præclaris operibus in orbem Christianum intulerunt? Instantia fiebat ex hoc, quòd si non singulæ, saltem pleræque hujus concertationis materiæ affines essent ijs, quæ in sacrosancti Concilij Tridentini Congregationibus agitabantur. Quid ni ergo ad inextinctæ Concilij Tridentini Veritatis Vindicem à me contextū, quodammodò perficiendum & complendum, causæ hujus discussionem in me reciperem? Fateor equidem, quòd de Summi Pontificis, imò etiam Concilij Oecumenici super Reges quoad Jura præsertim temporalia superioritate videatur saltem *Tacitè* aliquid difficultatis esse motum in Sacrosancta Tridentinâ Synodo, dum juxta hujus acta Regij Oratores tantoperè se opponebant Reformationi eorundem sæcularium Principum. Fateor insuper, Concilij super Papâ superioritatē ex Concilij Constantiensis Decretis haud obscurè intrà Congregationes dictæ Tridentinæ Synodi fuisse allegatam, minimè tamen decisam, sed in suspenso relictam. A quo utroque puncto pendent etiam duo reliqui per Clerum Gallicanum declarati articuli unà cum hoc etiam puncto, intrà ejusdem Concilij Sessiones multimodè proposito, an Jurisdictio Episcopalis sit *immediatè* Juris Divini? Unde prorsus fateri compellor, universas præsentis causæ materias habere respectum ad ea, quæ intrà Concilium Tridentinum sunt agitata, dum de ipsismet etiam ab Ecclesiasticæ potestatis abusu appellationibus noscitur in eadem Sacrosancta Synodo peroràsse Faber Orator Gallicus. Et quia Jurapatronatûs sæcularium *ibidem* sunt ad arctiores redacta limites, facile conijcere hinc licet, in quo censu fuerit jus Collationū in Beneficijs Ecclesiasticis à Principibus sæcularibus vendicatum: sicque adeò jus Regaliæ ultra Concilij Lugdunensis sphæram protensum, foret habendum.

PROLOQUIUM

Hæc igitur universa firmant equidem illam instantiam, quâ urgebar, ut harum Materiarum discussionem eo saltem respectu in me susciperem, quò Inextinctæ Concilij Tridentini Veritatis Vindicem magis perficerem, & quodammodò consummarem. Accedebat ulterior adhuc instantia, quatenus Ludovici Ellies Du Pin, Parisiensis Theologi dissertationem antehàc, quantum constat, non refutatam conarer refutare. Verùm quâ methodo istud peragerem? An nova vel ex sacris Litteris, vel Canonicis constitutionibus, vel Conciliorum Decretis, vel Historijs Ecclesiasticis argumenta proferre liceret, ubi hæc universa toties reproducta, non nisi quoad modum explicandi aliquam ex diversitate Authorum obtineant varietatem? An ergo, quæ tam frequentes ac insignes viri protulerunt in medium, Summariâ quâdam serie reducerem in compendium? At quia documenta, maximè historica, suum vigorem facilè amitterent, si non sub verbis suis formalibus referrentur, ideo ad argumenti hinc petiti robur conservandum, oportet sub Lectoris oculos ex integro ponere, quod alij Authores inde desumunt probationis præsidium. Hinc verò altera mox emergit inconvenientia, dum enim tot Authorum in eadem causa reproducuntur judicia, ijsdem plerumque rationibus & authoritatibus nixa, multas opus est facere repetitiones permaximè odiosas. Quod singulariter etiam eveniet, dum ultra modernorum Scriptorum dissertationes, adferentur ex tractatu tractatuum consulta antiquorum Jurisperitorum. Verùm ista quoque inconvenientia devoranda est, ne si plurium opera in unum contraherentur Summarium, vis & energia, quam quisque sub suo speciali modo præfert, obfuscaretur ac perderetur. Quare hoc præsens opus meum, non tam meum dicere arrogo, quàm texturam quandam ex præallegatis Authoribus concinnatam, eâ tamen sub Methodo, ut quantum ingenij vires mihi subministrabant, cuncta ab alijs producta argumenta curarem accuratiùs expendere, eorundemque vim & efficaciam magis ac magis exacuere. In quo unicè intendo ita prosequi veritatis semitam, ut alijs super ipsismet Theologicis in rem præsentem ratiocinationibus meis occasionem præberem ad ulteriores faciendas reflexiones, quibus mediantibus altiùs penetraretur fundus veritatis,

cujus unicè desidero triumphum.

Vale & fave.

IN-

INDEX
ARTICULORUM DISQUISITIONUM CAPITUM, ET §§. HUJUS OPERIS.

ARTICULUS I.

DE Romani Pontificis erga Reges ac Principes sæculares authoritate. fol. 1.

DISQUISITIO I.

Utrùm, & in quantum ex sacris Litteris demonstrari possit Romani Pontificis erga Reges authoritas Apostolica? ibid.

§. I.

§. II.

Referuntur ac expenduntur Adversariorum argumenta, unà cum responsionibus, & conclusione super ijsdem reflexivâ. fol. 3.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta ex Antiqui Fœderis tabulis deducta referuntur ac expenduntur cum conclusione super ijs reflexivâ. fol. 11.

§. IV.

Nostratis sententiæ argumenta ex novi Testamenti sacris textibus desumpta referuntur, ac expenduntur, unà cum conclusione super ijsdem reflexivâ. fol. 16.

§. V.

Corollarium finale præsentis primæ *disquisitionis.* fol. 24.

DISQUISITIO II.

In quantum secundùm sacrorum Canonum sanctiones supremi Reges Christiani subjiciantur sanctæ Ecclesiæ clavibus, Summique Pontificis Oecumenicæ potestati? f. 25.

§. I.

§. II.

Referuntur adversariorum argumenta. fol. 26.

§. III.

Referuntur argumenta nostratis sententiæ, petita ex sacris Canonibus, speciatim Cap. Novit. 13. De judicijs, & Cap. Licèt. 6. De votis. fol. 37.

§. IV.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta desumpta ex Cap. Venerabilem. 34. De elect. & ex Clementina unica. De jurejurando. fol. 44.

§. V.

Referuntur Nostratis sententiæ argumenta ex Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Ex Cap. Grandi. De supplendâ negligentiâ Prælator. in 6. & Extravagante unica. Si Fratrum. Ne Sede vacante. fol. 66.

§. VI.

Corollarium finale secundæ *disquisitionis.* fol. 71.

DISQUISITIO III.

An, & in quantum Pontificia super Reges in causis etiam temporalibus potestas demonstrari possit ex Concilijs præsertim Oecumenicis? fol. 72.

§. I.

§. II.

Adversariorum argumenta referuntur, ac expenduntur cum responsionibus, & conclusione super ijsdem reflexivâ. fol. 74.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur cum conclusione super ijs reflexivâ. fol. 80.

§. IV.

Corollarium. fol. 84.

DISQUISITIO IV.

An & in quantum Pontificiæ potestatis super Reges protensio probari possit ex historijs, & exemplis Summorum Pontificum? fol. 85.

§. I.

§. II.

Referuntur Adversariorum argumenta. fol. 88.

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta. fol. 94.

Corollarium finale præsentis disquisitionis. fol. 98.

DISQUISITIO V.

An, & in quantum Pontificia super Reges authoritas

thoritas probari valeat ex unanimi Ecclesiæ, ac Theologiæ sacrosanctæ Doctorum consensu. fol. 99.

§. I.

§. II.

Referuntur Adversariorum sententiæ, unà cum responsionibus, & aliquali super eas Reflexione. fol. 102.

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta cum conclusione super ijs reflexivâ. fol. 109.

§. IV.

Corollarium. fol. 115.

DISQUISITIO VI.

An, & in quantum ex ratione demonstrari possit Summi Pontificis supra Reges etiam in temporalibus authoritas? fol. 116.

§. I.

§. II.

Referuntur partis adversæ argumenta cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ. fol. 117.

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta. fol. 125.
Corollarium. fol. 130.

§. IV.

Articuli præsentis Corollarium finale. fol. 131.

SUMMARIUM
I. ARTICULI.

Declaratio Gallicana circa Oecumenicam Romani Pontificis Authoritatem. fol. 134.

Caput I.

In quo asseritur Regia potestas esse Iuris Divini, fitque retorsio argumentorum ex sacris Litteris à parte adversa productorum. fol. 137.

§. I.

§. II.

CAPUT II.

In quo *secundæ* assertionis fit demonstratio. fol. 140.

§. I.

§. II.

In quo prætactæ assertionis secundæ *fit confirmatio* ex Deut. 17. capite. v. 8. fol. 142.

§. III.

In quo præfatæ assertionis secundæ *probatio fit ex Christi Domini verbis* Ioannis ultimo *prolatis ad Petrum*: Pasce oves meas: Pasce agnos meos. fol. 144.

§. IV.

In quo Ecclesiasticæ supra Reges authoritatis fit probatio ex 2. Paralip. 26. capite. fol. 146.

§. V.

In quo Pontificiæ super Reges potestatis fit demonstratio ex Matthæi 18. capite v. 15. fol. 148.

§. VI.

Prætacta Summi Pontificis supra Reges authoritas firmatur ex 2. Paralip. 23. & 4. Reg. 11. item Ecclesiastici 48. capite. fol. 151.

§. VII.

In quo Regum præeminentiæ etiam in temporalibus erga Sedem Apostolicam in casibus publicæ Ecclesiæ necessitatis, subordinatio demonstratur ex I. Corinth. 6. capite. fol. 153.

CAPUT III.

An ex hoc, quòd potestas Ecclesiæ tota spiritualis sit, nullatenus extendi valeat erga temporalia? fol. 156.

§. I.

An ex eo, quòd Christus ceu Ecclesiæ Caput, nullam in temporalia exercuerit potestatem, demonstrari valeat, potestatem Ecclesiæ nullatenus extendi ad temporalia? fol. 157.

§. II.

In quo demonstratur, ex eo, quòd potestas à Christo Ecclesiæ collata tota sit spiritualis, haud evinci, Pontificum authoritatem non protendi supra Reges etiam quod temporalia? fol. 161.

§. III.

In quo enervatur tertia Ellieſij *ratio, conantis ostendere, quòd Christus, & Apostoli omnem potestatem, & jurisdictionem temporalem ab Ecclesia amandent.* fol. 162.

§. IV.

In quo examinantur Romanorum Episcoporum, sanctorúmque Patrum testimonia, quibus Adversario videtur effici, quòd Ecclesia in spiritualia tantùm habeat potestatem, non secùs, ac Reges in sola temporalia, ita ut neutra potestas à se invicem dependeat. fol. 165.

§. V.

In quo examinatur, quomodò verum sit, Ecclesiam in temporalia nullam habere authoritatem, eò quòd per vim, gladiumque materialem, *homines cogere minimè possit.* fol. 166.

§. VI.

Continens Summarium Ecclesiæ Doctorum ac Patrum, Theologorúmque, vel etiam remissivè, *saltem Summorum Pontificum, Papæ super Reges authoritatem adstruentium.* fol. 169.

Caput IV.

In quo examinatur, quomodò Civilis potestas de se, & ex naturâ suâ sit independens à spirituali. fol. 171.

§. I.

Quomodò verificetur, potestatem Regiam esse immediatè *à Deo, & ab illius solius potestate pendére.* ibid.

§. II.

An Reges à nemine, præterquàm Deo, temporali pœnâ plecti, nec adeò deponi possint? fol. 174.

§. III.

Quid momenti ad Pontificiam supra Reges authoritatem elidendam sit ex hoc argumento, quòd nempe Ecclesia non possit vi & armis resistere Regibus, etiam potestate suâ abutentibus, sed teneatur

neatur eos patienter ferre. fol. 176.

§. IV.

An Pontificiæ authoritatis supra Reges, aliquando Ecclesiæ necessitate exigente, etiam deponendos, sententia meritò arguatur Novitatis. fol. 179.

Caput V.

In quo eliduntur exceptiones Ellieſij, quas opponit authoritatibus & rationibus Theologicis pro Pontificiâ supra Reges authoritate afferri solitis. fol. 181.

§. I.

Quantum momenti sit in Veteris Testamenti sacris Litteris, ad probandam Summi in Novo Testamento Sacerdotij supra Reges authoritatem. ib.

§. II.

Quantum momenti sit in rationibus Bellarmini, inductis ad probandam Pontificiæ potestatis supra Reges præeminentiam? fol. 183.

Caput VI.

Quantum momenti sit in argumentis, ad Pontificiam supra Reges potestatem probandam desumptis ab exemplis, seu factis Summorum Pontificum, seu Oecumenicorum Conciliorum? fol. 188.

§. I.

In quo expenduntur argumenta, petita ex Theodosij Imperatoris excommunicatione, Gregorij Magni uno, alteróve privilegio inferiùs referendo; nec non Gregorij II. excommunicatione adversùs Leonem Isaurum, ac depositione Childerici Galliarum Regis. ibid.

§. II.

Quantum momenti sit in argumentis desumi solitis ex Imperij Occidentalis à Græcis ad Francos, indéque ad Germanos translatione, nec non septem Electorum institutione factâ per authoritatem Pontificiam? fol. 192.

§. III.

Quantum momenti sit in argumentis, ad Papæ supra Reges potestatem probandam, peti solitis ex Gregorij VII. in Concilio Romano adversùs Henricum IV. Alexandri III. in Concilio Lateranensi adversùs Fridericum I. nec non Innocentij IV. in Concilio Lugdunensi adversùs Fridericum II. editis sententijs? fol. 199.

§. IV.

Quantum ad præsens institutum momenti sit ex Concilij Lateranensis, Constantiensis, & tandem Tridentini sanctionibus mox adducendis? fol. 205.

ARTICULUS II.

DE *Superioritate Papæ supra Concilium, vel econtra.* fol. 208.

DISQUISITIO I.

Utrùm ex natura Concilij Oecumenici, ac viciſſim ex eſſentiâ Oecumenici Papatûs ſuperioritas ſeu Papæ, ſeu Concilij demonſtrari poſſit? Ibidem.

§. I.

§. II.

Referuntur Doctorum sententiæ, & argumenta circa statum præsentis disquisitionis, unà cum aliquali super ijs reflexione. fol. 209.

Corollarium. fol. 216.

DISQUISITIO II.

In quo centro verſetur præſentis articuli difficultas? fol. 217.

§. I.

§. II.

Referuntur sententiæ, & argumenta Adversariorum cum congruis Doctorum nobiscum sententium ad ea responsionibus, & aliquali super istis reflexione. fol. 218.

Corollarium. fol. 233.

DISQUISITIO III.

An ſuperioritas Papæ ſupra Concilium acephalum demonſtrari poſſit ex ſacris Litteris? Ibid.

§. I.

§. II.

Referuntur Theologorum super hoc sententiæ. fol. 234.

§. III.

Adversariorum argumenta ex sacrosanctæ Scripturæ verbis petita referuntur cum responsionibus, & aliquali super ijs reflexione. fol. 235.

§. IV.

Nostratis sententiæ argumenta, ex Antiqui Testamenti sacris Litteris petita, cum aliquali super ijs reflexione referuntur. fol. 239.

§. V.

Nostratis sententiæ argumenta expenduntur. fol. 245.

Corollarium. fol. 251.

DISQUISITIO IV.

An Papæ ſupra Concilium acephalice ſpectatum ſuperioritas ex ipſiſmet Oecumenicis Synodis Generalibus, hiſtorijſque Eccleſiaſticis demonſtrari valeat? Ibid.

§. I.

§. II.

Referuntur ac expenduntur partis adverſæ argumenta per Toſtatum, Abulenſem Epiſcopum 2. par. Defenſorij cap. 75. & 76. deducta ex illa authoritate: Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Eccleſiæ. fol. 253.

§. III.

Noſtratis de Papæ ſupra Concilium ſuperioritate ſententiæ argumenta referuntur ac expenduntur. fol. 258.

§. IV.

Corollarium. fol. 264.

DISQUISITIO V.

Utrùm ex appellatione à Concilio ad Papam, vel econtra à Papa ad universalem Synodum validè demonstretur Summi Pontificis supra Concilium superioritas? fol. 265.

§. I.

§. II.

Referuntur, ac expenduntur argumenta Adversariorum. fol. 266.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur. fol. 269.

Corollarium, fol. 274.

DISQUISITIO VI.

An Concilij super Papam superioritas evinci possit ex Concilij Constantiensis decreto *Sessione quartâ* edito? Ibidem.

§. I.

§. II.

Referuntur argumenta circa quartæ *Sessionis Constantiensis Concilij* primum *decretum.* fol. 276.

§. III.

In quo examinatur Synodi Constantiensis Sessione quartâ *editum* primum *decretum, quòd scilicet de Concilij super Papam superioritate non aliter statuat, nisi sub restrictione ad statum Papæ dubij & incerti, ac tempus schismatis.* fol. 285.

§. IV.

Corollarium. fol. 288.

DISQUISITIO VII.

Quantum pro Concilij supra Papam superioritate probanda, valeat, decretum Concilij Constantiensis Sessione V. editum? fol. 291.

§. I.

§. II.

Referuntur argumenta Maymbourgi cum eorundem responsionibus circa Decreta V. Sessionis. fol. 295.

§. III.

An Patres Constantienses in Sessione V. Ecclesiam Universalem sufficienter, aut perfectè repræsentaverint? fol. 300.

§. IV.

Corollarium. fol. 306.

DISQUISITIO VIII.

Utrùm Sessionis IV. & V. Constantiensis Synodi decreta fuerint recepta ab Ecclesia, & confirmata à Martino V. Summo Pontifice? fol. 309.

§. I.

§. II.

Referuntur ac examinantur argumenta circa susceptionem prætactorum Sessionis V. *decretorum.* fol. 310.

§. III.

Referuntur ac expenduntur argumenta circa V. Constantiensis Sessionis *decretorum confirmationem à Martino V. vel concessam, vel denegatam.* fol. 318.

§. IV.

Corollarium præsentis VIII. disquisitionis. *In quo ostenditur, Martinum V. confirmando decreta Constantiensia, & declarando, quòd à Romano Pontifice appellare non liceat,* positivè *propugnâsse superioritatem Pontificiam.* fol. 322.

§. V.

Corollarium finale totius præsentis Articuli. fol. 326.

SUMMARIUM II. ARTICULI.

De superioritate Papæ supra Concilium, vel econtra. fol. 327.

Caput I.

Præsentis quæsiti centrum eruitur ex naturâ Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatûs essentiâ. fol. 328.

§. I.

Ratio quidditativa *Concilij Oecumenici optimè reducitur ad hoc punctum, quòd sit* repræsentans universam Ecclesiam. Ibid.

§. II.

Concilium Oecumenicum rectè definitur Conventus Episcoporum ex toto Christiano orbe convocandorum, in pauciſſimo licèt numero comparentium, Apostolicâ, Christi Nomen *præferente, auctoritate informatus.* fol. 329.

§. III.

Ingressuris centrum præsentis difficultatis, viam nobis aperit Evangelicus Matth. 18. cap. *exaratus sacer textus, sub hisce Christi Domini verbis.* Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum, vel duos. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum. fol. 331.

§. IV.

Quantumcunque aliqua specialis prærogativa esset in Concilio Oecumenico, non nisi per charitatem Christi Vicarium, atque adeò per Pontificiam auctoritatem subsistere potente, non esset propterea Synodus etiam quà Oecumenica, dicenda habere præeminentiam alicujus propriè dictæ supra Papam superioritatis. fol. 335.

§. V.

§. V.

Eo ipso, quòd in judicio Ecclesiæ, secundùm crédibilitatis auctoritativam in fidei principia reducibilem evidentiam, *habeatur quis pro vero, certo, ac legitimo Papa, nequit ex tunc Ecclesia seu Concilium Generale super ipso ullum* stricté *ac* propriè *sumptæ superioritatis jus exercere.* fol. 340.

CAPVT II.

An superioritas Papæ supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Litteris, Concilijs Oecumenicis, Historijs Ecclesiasticis, & usu ac praxi Ecclesiæ. fol. 342.

§. I.

Pro hujus disquisitionis solidiori resolutione, expedit, varios distinguere Concilij acephali status. Ibid.

§. II.

Expenduntur partis adversæ argumenta ex sacræ Scripturæ verbis petita. fol. 343.

§. III.

Papæ supra Concilium præcisivè *acephalum superioritas ostenditur* ex Deuter. 17. cap. fol. 345.

§. IV.

An ex Regulâ fraternæ correctionis per Christum Matth. 18. *institutâ evinci valeat Concilij Generalis supra Papam superioritas?* fol. 348.

§. V.

Papæ supra Concilium acephalum superioritas demonstratur ex Oecumenicâ & indefinitâ Matth. 16. *Petro repromissâ ligandi & solvendi auctoritate.* fol. 352.

§. VI.

In quo sit continuatio argumenti proximè deducti ex Ioannis 21. cap. v. 15. 16. & 17. fol. 354.

§. VII.

Superioritatis Papæ supra Concilium probatio ex Christi verbis, quibus Matth. 16. *Petrus dicebatur Petra, super quam esset ædificanda Ecclesia.* fol. 356.

§. VIII.

In quo expenditur jus appellandi vel à Papa ad Concilium; vel ab hoc ad Summum Pontificem. fol. 358.

CAPVT III.

Quantum momenti circa auctoritatem Concilij evinci valeat ex Decretis Synodi Constantiensis *Sess. IV. & V.* fol. 360.

§. I.

Ex quibus Verbi Divini *fundamentis subsistat certitudo Papatûs ad excludendam omnimodam* Juris & Facti *de Papâ dubietatem?* fol. 362.

§. II.

Quantum momenti sit in Decreto I. Sess. IV. *Concilij Constantiensis ad probandam Concilij super Papa superioritatem?* fol. 364.

§. III.

Quantum valeat Decretum Sessionis V. *Concilij Constantiensis ad probandam Concily super Papa superioritatem?* fol. 365.

§. IV.

Quænam opponi possint exceptiones adversùs IV & V. Sessionem *Concilij Constantiensis, casu, quo sub earundem Decretis prætensa fuisset Concilij super vero & indubitato Papâ superioritas & auctoritas, maximè coercitiva?* fol. 368.

§. V.

In quo sensu juxta Gallicani Cleri Declarationem præsenti articulo secundo *positam, accipienda sint Decreta* Sess. IV. & V. *Concilij Constantiensis?* fol. 370.

CAPUT IV.

In quo sit suprema potestas Ecclesiastica. fol. 373.

§. I.

An potestatis Ecclesiasticæ immediatum *subjectum sit universa Ecclesia?* fol. 374.

§. II.

Utrùm major Concilij Generalis, quàm Romani Pontificis sit Authoritas? fol. 381.

§. III.

An Concilij supra Papam superioritas evincatur ex hoc, quòd Pontifex Romanus teneatur legibus Concily, nec possit ab ijs sapienter dispensare in eo casu, quo dispensaret Concilium? fol. 391.

§. IV.

An Concilij supra Papam superioritas ex hoc evinci valeat, quòd Pontifex Romanus possit à Synodo judicari & deponi. fol. 393.

CAPUT V.

Refelluntur Exceptiones Ellieſianæ oppositæ nonnullis argumentis, quibus probatur Papæ super Ecclesiam, seu Concilium *acephalum* superioritas. fol. 396.

§. I.

Eliduntur exceptiones Ellieſij oppositæ S. Scripturæ textibus ex Lucæ 12. & Ioan. ultimo desumptis. Ibid.

§. II.

Eliduntur Ellieſianæ exceptiones oppositæ ulterioribus quibusdam argumentis, super Concilio acephalice *sumpto superioritatem ostendentibus.* fol. 398.

CAPUT. VI.

Expenduntur exceptiones ab Ellieſio productæ ex Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi Synodis, ad probandam Concilij ſuper Papa ſuperioritatem. fol. 405.

§. I.

Examinantur argumenta Ellieſij deſumpta ex hiſtoria dictarum Synodorum. fol. 406.

§. II.

Expenduntur Ellieſianæ exceptiones, quas opponit argumentis formatis à nupero quodam Scriptore ad elevanda Concilij Conſtantienſis decreta circa prætenſam Concilij ſuper Papa auctoritatem. fol. 409.

ARTICULUS III.

De Pontificiæ poteſtatis plenitudine, ac univerſalitate erga ſacros Canones, ac leges ſeu Univerſalis, ſeu cujuſvis Particularis Eccleſiæ. fol. 429.

DISQUISITIO I.

An, & quid poteſtatis ſaltem *indirectè* conveniat Papæ circa jus Divinum, non equidem *formaliter* in ſe ſpectatum, ſed ratione ſubſtrati ab hominis arbitrio promanantis, *materialiter* ſumptum? fol. 430.

§. I.

§. II.

Adverſariorum argumenta referuntur ac expenduntur cum ſuis reſponſionibus, & concluſione ſuper ijs reflexiva. fol. 431.

§. III.

Corollarium finale. fol. 433.

ILLATIO I.

Refutatoria prætacti fundamenti. Ibi.

ILLATIO II.

De poteſtatis Pontificiæ amplitudine. fol. 434.

ILLATIO III.

De praxi antiquæ Eccleſiæ circa uſum ſeu moderamen Pontificiæ poteſtatis. fol. 435.

DISQUISITIO II.

Quanta ſit Papæ authoritas erga ſacros Canones, & Decreta Conciliorum Oecumenicorum? fol. 436.

§. I.

§. II.

In quantum Papa obſtringatur ad ſacrorum Canonum, primævæ præſertim Eccleſiæ, & ab Oecumenicis quatuor primis Concilijs ſancitorum obſervantiam? Ibid.

§. III.

An Summi Pontifices in omni lege Canonicâ, à Conciliis etiam Oecumenicis editâ, poſſint ex juſta cauſa diſpenſare? fol. 440.

§. IV.

Corollarium. fol. 444.

DISQUISITIO III.

An non Papæ duntaxat, ſed etiam Epiſcoporum juriſdictio ſit *immediatè* à Chriſto? fol. 445.

§. I.

§. II.

Adverſariorum argumenta referuntur, ac expenduntur, unà cum concluſione ſuper iſdem reflexivâ. fol. 447.

§. III.

Vtrùm ex eo, quòd Epiſcopi non ſint immediatè *à Chriſto miſſi: rectè concludatur, eorum juriſdictionem non eſſe* immediatè *à Chriſto.* fol. 453.

§. IV.

Corollarium. fol. 459.

DISQUISITIO IV.

Quouſque, ſalvis Concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. Galliarum Regem initis, extendi poſſit Papæ juriſdictio in ordine ad *forum contentioſum* Eccleſiaſticum. fol. 460.

§. I.

§. II.

An prima præinſinuati Gallici Regni cauſarum cognitio ad ſanctam Sedem, an ad Concilium Provinciale ſpectet? Ibid.

§. III.

An Majorum cauſarum cognitio Judicibus Delegatis in Regno Galliæ committere teneatur Summus Pontifex, vel utrùm eas poſſit Romæ judicare? fol. 462.

§. IV.

Vtrùm Papa in ferendo circa illas cauſas judicio, teneatur ordinem judiciarium *ex integro obſervare?* fol. 464.

§. V.

Corollarium. fol. 471.

DISQUISITIO V.

De Iure Appellationum ad Romanum Pontificem. fol. 473.

§. I.

Quid Iuris circa Appellationes ad Romanum Pontificem

ficem statui possit ex quinto Concilij Nicæni Canone? Ibid.

§. II.

Canonis Nicæni expositio præinsinuata firmatur ex variarum Synodorum decretis. fol. 475.

§. III.

Quid à Concilio Sardicensi de appellationibus ad Apostolicam Romani Pontificis Cathedram interponendis, fuerit sancitum? fol. 477.

§. IV.

Quænam circa appellationis ad Romanum Pontificem Episcoporum recursus, post Sardicensem Synodum sancita fuerit disciplina? fol. 481.

§. V.

Ex sacris Litteris ostenditur Romani Pontificis in quibuscunque causis Ecclesiasticis seu quoad primam etiam instantiam, cum Episcopis & Metropolitis, sive Patriarchis, Conciliisq; tum Provinciæ, tum Diœceseos cumulativa; seu in via appellationum præcipuè, supereminens judiciaria auctoritas. fol. 485.

DISQUISITIO VI.

Quænam in via Facti circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solidæ probationis argumenta. Ibid.

§. I.

Examinantur Episcoporum Judicia ad Sedem Apostolicam devoluta, Synodum Nicænam antecedentia. Ibid.

§. II.

In quo sit discussio causarum quarto Ecclesiæ sæculo judicatarum. fol. 488.

§. III.

Expenduntur exempla Appellationum, quæ circa causas Africanorum Episcoporum proferri solent. fol. 493.

§. IV.

Nonnulla tum Gallicanorum, tum aliorum Occidentis, imò Orientis Episcoporum exempla examinantur. fol. 496.

DISQUISITIO VII.

Quid authoritatis habeat Romanus Pontifex circa Beneficia & Bona Ecclesiastica? fol. 502.

§. I.

§. II.

Quanta ex præjactis fundamentis sit Summo Pontifici potestas in exigendis à Clero Gallicano pro Ecclesiæ universalis necessitatibus, præcipuè adversùs infideles, subsidijs? fol. 503.

§. III.

Quodnam Summo Pontifici jus sit erga beneficia Ecclesiastica intrà Galliam consistentia? fol. 505.

§. IV.

Corollarium. fol. 507.

DISQUISITIO VIII.

Quid possit Summus Pontifex circa Ecclesiam, Gallicanam, ejusque specialia jura & libertates? fol. 508.

§. I.

§. II.

De authoritate Pontificia ad novas condendas leges pro universo Christiano orbe, ejusque Regnis, ac Provincijs. fol. 510.

§. III.

Quænam promulgatio legis Ecclesiasticæ sit necessaria ad ejus obligationem, in Regno præsertim Gallicano inducendam? fol. 512.

§. IV.

An legum Ecclesiasticarum obligatio pendeat ab acceptatione Regnorum seu Provinciarum? fol. 517.

§. V.

Corollarium. fol. 524.

ILLATIO I.

In quantum sit laudandus antiquorum Canonum usus. Ex Authore cit. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 2. cap. 1. Ibid.

ILLATIO II.

Ita tenenda est antiquorum Canonum disciplina, ut tamen sit aliquando necessarium per novas leges antiquis derogare. Ex præcitato Authore ubi supra cap. 2. fol. 525.

DISQUISITIO IX.

Quanta sit Romani Pontificis authoritas circa Patriarchalia, & Archiepiscopalia, & consequenter Episcopalia jura? fol. 526.

§. I.

§. II.

Ecclesiarum Patriarchalium dignitas & authoritas ostenditur orta fuisse à B. Petro, ejusve Successoribus cum debita ac perpetua ab his dependentia. fol. 528.

§. III.

Primatum & Metropolitanorum dignitas, in Galliæ præsertim, ostenditur orta fuisse à Romano Pontifice cum perpetuâ & debitâ ab hisce dependentiâ. fol. 532.

§. IV.

Corollarium.

De imaginario molimine præficiendi Ecclesiæ Gallicanæ Patriarcham. fol. 537.

ILLATIO I.

Quibus ex talis Patriarchæ creatione aliquod inferri possit præjudicium? Ibidem.

ILLATIO II.

A quo creandus esset ejusmodi Patriarcha? fol. 538.

ILLATIO III.

An possent Episcopi, Curiæ Regiæ id fortè optantis favorem aucupantes, vel indignationem metuentes, sibimet Caput unum imponere, ac suam in id potestatem conferre? Ibidem.

DISQUISITIO X.

De Ecclesiasticarum Dignitatum gradibus ac præeminentijs. fol. 541.

§. I.

De Hierarchico Ecclesiæ statu. Ibid.

§. II

De præinsinuatis Episcoporum gradibus. Ibid.

§. III.

De iuribus & prærogativis Metropolitanorum, atque Patriarcharum seu Exarchorum. fol. 542.

§. IV.

An Metropolitica, aut Patriarchica dignitas fuerit à Christo, vel Apostolis instituta? fol. 544.

§. V.

Argumenta Petri de Marca circa Metropoliticæ & Patriarchicæ dignitatis ab Apostolis factam institutionem confutantur ab Elliesio. Ibid.

§. VI.

Quantumvis provinciarum ac Diœceseon Ecclesiasticarum dispositio facta esset ad formam politici regiminis: iurium tamen ac prærogativarum seu Patriarchalium institutio in altioris rationis principium foret reducenda. fol. 545.

§. VII.

An Metropolitica & Patriarchica dignitates cum earundem iuribus in Christum, vel in Apostolicam saltem à Christo immediatè *promanantem auctoritatem, ceu suum principium reducendæ sint?* fol. 547.

DISQUISITIO XI.

Quanta sit Romano Pontifici authoritas erga jura Regia, causas Ecclesiasticas præsertim concernentia? fol. 549.

§. I.

§. II.

Summarium ex Petri Puteani axiomatibus circa Regni Francici libertates collectum, unà cum refutatione eorundem, conclusioneque super ijsdem reflexivâ. fol. 551.

§. III.

Corollarium finale præsentis disquisitionis. fol. 577.

ILLATIO I. Ibid.

ILLATIO II. fol. 578.

DISQUISITIO XII.

In quo censu habenda sit Gallicana libertas prætensa adversùs jura Ecclesiastica? fol. 579.

§. I.

§. II.

Summarium ex Petri de Marca axiomatibus circa Regis Franciæ erga causas Ecclesiasticas prætensa jura collectum, unà cum eorundem refutatione, conclusioneque super ijs reflexivâ. Ibid.

§. III.

Corollarium. fol. 602.

DISQUISITIO XIII.

De antiquâ excommunicationis infligendæ ratione, ubi agitur contra Elliesium Parisiensium Theologum. fol. 603.

§. I.

De modo & causis excommunicationis. Ibid.

§. II.

Quomodò Ecclesiæ sese mutuò excommunicárint, & quomodò Romani Pontificis communio semper fuerit necessaria. fol. 605.

§. III.

Quibus de causis fieri possit excommunicatio? fol. 607.

§. IV.

In quos ferri possit, ac debeat excommunicationis censura. fol. 608.

Corollarium.

An etiam in ipsos mortuos ferri possit excommunicatio? fol. 611.

§. V.

De effectibus excommunicationis. fol. 612.

Corollarium I.

Si quis excommunicatus intrudat se Ecclesiasticis conventibus, aut depositus Episcopus vi retineat Ecclesiam, quidnam supersit remedij? fol. 614.

Corollarium II.

Vtrùm excommunicatio, v. g. Episcopi, semper inferat depositionem, & an excommunicatio habere possit aliquem internum *effectum?* Ibid.

DIS-

DISQUISITIO XIV.

Quid sentiendum sit de Appellationibus intrà Galliam ad judices sæculares interponi solitis ab abusu Ecclesiasticæ jurisdictionis? Ibid.

§. I.

§. II.

In quo consistat appellatio ab abusu, & quæ sit ejus origo? fol. 616.

§. III.

Referuntur rationes Gallicanorum Authorum, quibus appellationes ab abusu conantur defendere, unà cum responsionibus earundem refutatorijs & conclusione super ijsdem teslexivâ. fol. 617.

§. IV.

Corollarium. fol. 625.

DISQUISITIO XV.

Ex quibus ulterioribus fundamentis tales ab abusu appellationes, aliæve Gallicanæ libertates, sed frustra, justificentur a Gallicanis Doctoribus? fol. 626.

§. I.

An ex pragmatica sancti Ludovici sanctione prætensis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus favor aliquis accrescat? Ibid.

§. II.

Referuntur argumenta ex Carolo Fevret de appellationibus ab abusu *deducta, unà cum responsionibus, atque conclusione super iis reflexivâ.* fol. 628.

§. III.

Corollarium. fol. 635.

DISQUISITIO XVI.

Quid de Regaliâ, ejusque extensione videatur sentiendum? fol. 637.

§. I.

In quo statu fuerit Regalia, & quibus nixa sit fundamentis sub prima *&* secunda *Regum Francicorum Dynastia.* Ibid.

§. II.

In quo statu fuerit Regalia sub tertia *Dynastia seu stirpe Regum Franciæ ante Generale Concilium II. Lugdunense?* fol. 646.

§. III.

In quem statum sit reposita Regalia per Concilium Generale Lugdunense II. fol. 660.

§. IV.

Corollarium finale præsentis disquisitionis. fol. 687.

§. V.

Tertij *præsentis articuli Corollarium finale.* fol. 691.

ARTICULUS IV.

De Infallibilitate Romani Pontificis in decidendis fidei, seu etiam morum quæstionibus. fol. 694.

DISQUISITIO I.

De Primatu Romani Pontificis. fol. 695.

§. I.

Vtrùm, & quomodò Primatus S. Petri possit ex Scripturis Divinis demonstrari? fol. 696.

§. II.

Petri Primatus ex veterum testimonijs asseritur, cæterorúmque Apostolorum dignitati præfertur. fol. 703.

§. III.

Corollarium.

An Petri Primatus importârit Monarchiam? fol. 707.

§. IV.

De Romanæ Ecclesiæ Primatu. fol. 708.

Corollarium. fol. 710.

DISQUISITIO II.

An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesiæ consensum infallibilitas in fidei dogmatibus decidendis? fol. 711.

§. I.

§. II.

Referuntur ac expenduntur fundamenta Adversariorum cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ. fol. 714.

Corollarium. fol. 721.

DISQUISITIO III.

Utrùm ex sacris Litteris demonstrari queat, Papæ ex Cathedra loquentis judicium esse, irreformabile? Ibid.

§. I.

§. II.

Index Articulorum, Disquisitionum & §. §.

§. II.

Referuntur ac expenduntur Adversariorum argumenta cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ. fol. 723.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur cum conclusione super ijsdem reflexivâ. fol. 726.

§. IV.

Corollarium finale præsentis disquisitionis. fol. 731.

DIQUISITIO IV.

Utrùm Papæ ex Cathedra decernentis infallibilitas demonstrari queat ex sacris Canonibus & Concilijs Oecumenicis? fol. 732.

§. I.

§. II.

Adversariorum argumenta à Launoio præcipuè reproducta, & ab Authore tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 15. & 16. discussa referuntur cum suis responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ. fol. 734.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur cum conclusione super ijs reflexivâ. fol. 749.

§. IV.

Corollarium. fol. 754.

DISQUISITIO V.

An ex unanimi Patrum consensu & praxi Ecclesiæ, rationeque Theologica demonstrari possit Papæ in rebus fidei omnimoda & irreformabilis infallibilitas? Ibid.

§. I.

Referuntur Patrum hâc de re sententiæ. Ibid.

§. II.

Refertur sententia Vniversitatis Parisiensis, ejusque Doctorum, imò & Senatûs Parisiensis. fol. 756.

§. III.

Referuntur ac refelluntur Adversariorum argumenta cum responsionibus & conclusione super ijsdem reflexiva, fol. 759.

§. IV.

Nostratis sententiæ ex Vniversalis Ecclesiæ praxi desumpta argumenta referuntur, ac expenduntur, unà cum conclusione super ijsdem reflexiva. fol. 766.

DISQUISITIO VI.

Expenduntur, quæ Ludovicus Ellies du Pin *in sua circa antiquam Ecclesiæ disciplinam Dissertatione quinta* adfert adversùs Romani Pontificis in rebus Fidei infallibilitatem. fol. 773.

§. I.

Expenduntur Elliesij argumenta contra infallibilitatem Romani Pontificis desumpta ex sacris Litteris, veterisque Ecclesiæ disciplinâ fol. 774.

§. II.

Elliesianæ probationes à Romanorum Pontificum à fide deviantium, & inter se pugnantium exemplis desumptæ refelluntur. fol. 778.

§. III.

Refelluntur Elliesianæ de Papæ errabilitate probationes desumptæ ex Romanorum Pontificum confessione, ex Conciliorum Decretis, ex Academiarum & Theologorum doctrinis. fol. 780.

§. IV.

Vindicantur nostratis sententiæ argumenta ex sacris Litteris desumpta. fol. 782.

§. V.

Vindicantur nostratis sententiæ argumenta ab authoritate Patrum. fol. 784.

§. VI.

Vindicantur argumenta deprompta ex authoritate Summorum Pontificum. fol. 787.

Corollarium finale. fol. 789.

AR-

ARTICULUS I.

De Romani Pontificis erga Reges ac Principes sæculares Authoritate.

§. I.

1. CAusæ hujus statum prælimi-
nariter exponit Author *Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 1.* asseverando, quòd prima Parisiensis propositio omnem in Reges potestatem adimat Vicario Christi, jubeatque unâ clave contentum, quâ cælum aperit, alteram terræ destinatam Regibus relinquere, cùm tamen cælestium tanta sit cum terrestribus conjunctio, ut Principes eodem sceptro, quo Regna moderantur, Religionem simul, fidemque aut concutiant, aut custodiant. Quemadmodùm igitur ægro corpore, anima quoque laborat, nec operationibus naturæ congruis defungi potest: sic ægrâ, corruptâque Republicâ, non potest Religio florere, quod nimiùm demonstrant exempla eorum Principatuum, in quibus ex Principum erroribus, inertiâ, mutationeque Religionis, eadem mala in populos derivata sunt, & tandem cum animarum tantâ, æternaque clade, fides Catholica penitùs deleta. Non potuit ergo Summo Ecclesiæ Pastori una potestas sinè alterâ concedi, spiritualis videlicet sinè temporali, cùm unam sinè altera tueri non possit.

2. Subdit idem Author, hanc tamen Summi Pontificis in Reges potestatem non esse *directam*, & *ordinariam*, idque probat ipsorum Pontificum confessione: Nicolai scilicet *I. in Epist. 8. ad Michaelem Imperatorem.* Stephani Papæ VI. *in Epist. ad Basilium Imperatorem.* Gregorij II. *ad Leonem Isauricum Imperatorem.* Item Alexandri III. *relati in Cap. 7. De appellat.* Et *Cap. 7. Qui filij sint legitimi.*

3. Summi Pontificis *indirectam* erga Reges authoritatem *sacri adversùs hæreticos vindicati Concilij Tridentini Inextincta Veritas to 3. in præfatione* sic explicat, ut illius Author probabiliter habeat sibi persuasum, à Clero Gallicano haudquaquam fuisse intentum, quòd eam erga Reges Apostolicam authoritatem penitùs denegaret Romano Pontifici, sed quòd illa dicti Cleri declaratio ad eum esset reducenda statum, quem sacra Scriptura simul & ratio ibidem expolita suggerit. De quo *inferiùs in finali hujus Articuli Corollario* differendi major occurret opportunitas. Interea, quam in præsenti Articulo discutiendam suscipimus propositionem, sub hisce formalibus verbis expressam accipe.

4. *Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicarijs, ipsiusque Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, aut temporalium à Deo tradita est potestas, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo. Et iterum. Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo; ac proinde stat illud Apostolicum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjiciuntur, neque authoritate clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi possunt. Eaque sententia publicæ tranquillitati necessaria, nec minùs Ecclesiæ quàm Imperio utilis, & Verbo Dei, Patrumque traditioni, & Sanctorum exemplis consona omninò retinenda est.*

Circa quam proinde propositionem sequentes hîc occurrunt disquisitiones, accuratiori methodo Theologicâ discutiendæ. Prima; *Vtrùm, & in quantum ex sacris Litteris demonstrari possit Romani Pontificis in Reges authoritas Apostolica?* Secunda; *In quantum hæc potestas ostendatur ex sacris Canonibus?* Tertia; *In quantum ex sacris Concilijs?* Quarta; *In quantum ex historijs Ecclesiasticis, actisque Summorum Pontificum?* Quinta; *Qualiter ex Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ probetur?* Sexta; *Quid ratio valeat pro evincendo isthoc intento?*

DISQUISITIO I.

Vtrùm, & in quantum ex sacris Litteris demonstrari possit Romani Pontificis erga Reges authoritas Apostolica?

§. I.

AD veritatis centrum majori cum energiâ eruendum, secundùm methodum Scholasticò Theologicam, plurimum juvat, aliorum Doctorum sententias in prima cujusque disquisitionis fronte proponere, ac super argumentis tum adversariorum, tum nobiscum sentientium Theologorum talem facere reflexionem, ut ex intimo rei propositæ fundamento veritas tandem possit erui, ac magis stabiliri. In quem finem hîc ponimus ob oculos, quæ Author *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 3.* expendit sub ista quæstione: *An scilicet Verbo Dei consona sit sententia; Reges in temporalibus ab omni Ecclesiastica potestate omninò subducens?* Cujus quæsiti resolutionem sequen- 1.

quentem adfert *præcitatus* Author. Meum non est (inquiens) certos limites præfigere alterutri potestati: hoc tantùm probare contendo, non posse Principes, etiam in temporalibus, prout ordinem habent ad spiritualia, omninò Ecclesiasticæ potestati subduci. Sed qui veras olim libertates Ecclesiæ Gallicanæ coram Philippo VI. Rege Francorum Anno 1329. tantâ cum laude propugnat Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis *tractatu de origine jurisdictionum quæst. 3.* respondet; *Ad tertiam rationem*, inquit, *de Christo, qui abjecit à se, ut dicunt, omnem jurisdictionem temporalem, dicendum est. quòd, qui dicit, Christum non habuisse omnem potestatem secularem, seu temporalem & spiritualem, contraducit ejus verbo Matth. ult. cap.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et *Apocal. 1.* dicitur Princeps Regum terræ. *Et infra; Verumtamen quia principaliter venerat nos redimere, & salvare, quasi omnes actus ejus versabantur circa eruditionem nostram, & pauci, aut nulli circa exercitium cujuscunque jurisdictionis; non quòd utramque potestatem non haberet. sed ut salus nostræ totaliter se suspenderet, sicut dicit Ioan. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Expleto autem sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & ejus resurrectionem, Christus commisit Petro regimen tantum, quantum necessarium erat, & expediebat, cum regimine Ecclesiæ. Et quia utraque potestas temporalis, & spiritualis est ad hoc necessaria*, ideo utramque potestatem commisit Petro.

2. Qui ergo dixit *Ioann. 18.* quod primo loco in declaratione refertur; *Regnum meum non est de hoc mundo*, dixit Matth. *28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes.* Itaque cùm verum vero contrarium non sit, multò minùs prima & suprema veritas, sibi ipsi; duo hæc oracula ita concilianda sunt, prout utriusque circumstantiæ postulant. Christus, cùm hæc verba proferret, *Regnum meum non est de hoc mundo.* ad mentem Pilati respondebat interrogantis, an esset Rex Judæorum, ejusmodi scilicet, quales extiterunt Saul, David & alij, qui per se ipsos populum regebant in rebus politicis, bella gerebant, & cætera omnia implebant Principis sæcularis munia. In eo igitur sensu negavit Christus, Regnum suum esse de hoc mundo. At verò cùm Apostolis officium imponeret docendi, & baptizandi, ne dubitarent, collatam cum officio plenam authoritatem, quæcunque ad spirituale regimen necessaria essent, præstandi, non solùm in cælo, sed & in terra dictâ sibi omnè sinè exceptione potestatem asseruit. Ex primis enim verbis, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, quasi concludendo infert: *Euntes ergo &c.* quia potestas Ecclesiastica *directè* ac præcipuè circa spiritualia versatur, circa temporalia autem nonnisi, quatenus spiritualia respiciunt.

3. Itaque Apostoli, eorumque successores ex Dei ordinatione Regalia officia non exercent, atque adeò rectissimè cum Christo dicunt; *Regnum meum non est de hoc mundo.* Hinc tamen nullâ legitimâ consequentiâ infertur, non posse Christi Vicarios, & Apostolorum successores, Reges & Principes, præsertim cùm jam per characterem baptismalem Ecclesiæ filij facti sunt, eique subditi, si fidei ac Religioni perniciem afferunt, monere, compescere, ac medijs congruentibus, & efficacibus impedire, ne potestate temporali abutantur contra Supremi Regis cultum, & obsequium. Nec in hoc Reges, sed Apostolos & Pastores agunt. Unde qui hanc Ecclesiæ potestatem impugnant, æquivocatione colorem suæ sententiæ obducunt, quasi potestas Ecclesiæ ad arcendos ab evertendâ Religione Principes sibi per baptismum subjectos, etiam per absolutionem subditorum à juramento fidelitatis, deficientibus alijs remedijs, idem esset, quod posse Regna sibi adscribere, atque instar Principum ipsorum regnare.

Addunt secundò Illustrissimi Antistites, dictum esse à Domino, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. 7 21.* sed illius oraculi primam partem secunda exponit. Quis enim negat, reddenda esse, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, dummodò reddantur, *quæ sunt Dei, Deo*, quorum alterum alteri contrarium non est, licèt hominum vitio intervertantur. Verùm si Cæsar non solùm, quæ Dei sunt, Deo non reddat, sed subditos etiam suos à fide solemniter Deo promissâ revocet, ac per vim retrahat, nónne poterit, qui Dei vice fungitur, nisi aliunde mala graviora timeantur, fidelibus declarare, *obediendum Deo magis, quàm hominibus*, juxta oraculum Principis Apostolorum. *Act. 5.* 4.

At, inquies, hinc tantùm sequi, non esse parendum Principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea in alijs ab ejus obedientia recedendum, cùm utrique satisfieri possit; si, ut Christianos decet, bonorum, aut etiam vitæ jacturam patiantur, ne vel Deum offendant, vel à Principe deficiant. Laudabile quidem id foret. Sed quotusquisque nunc est, qui tanto Christi amore incensus, tanto rerum temporalium, ac vitæ contemptu præditus sit, ut paupertatis, exilij, ac mortis metu à Dei servitio non deterreatur, cùm tot videamus minora mala reformidantes, aut caduca bona sperantes ad Principum, quàm ad Dei mandata promptiores. Nónne igitur, ut innumerorum hominum ruinæ occurreretur, liceret Ecclesiæ, Christiano Principi, pluries monito, contumaci, & incorrecto potestatem nocendi adimere, ac populos ab ejus tyrannide subducere, si hoc sinè majorum malorum periculo fieri posset? 5.

Profertur *caput 13. Epistolæ B. Pauli ad Romanos, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.* Sed se ipsemet Apostolus explicat, addens; *nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac? & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum, &c.* Quid ergo si Principes sint timori boni operis, non mali? Si timenda sit potestas bonum facienti? Si diaboli minister sit in malum? 6.

§. II.

Referuntur ac expenduntur Adversariorum argumenta, unà cum responsionibus, & conclusione superijsdem reflexivâ.

ARGVMENTVM I. Adversariorum.

7. EX parte Cleri Gallicani licet 1. argumentari. Regia potestas *immediatè* subsistit ex Dei ordinatione, juxta illud *Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt; Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ad quam Dei ordinationem utique respiciebat Christus *Matth. 22.* præcipiens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Eâdem ex ratione Petrus 1. *suæ Epistolæ cap. 2.* jussit: *Obedite Regibus etiam dyscolis.* Nequit ergo Pontifex Imperium Regibus abrogare, maximè cùm etiam dyscoli Principes tolerandi sint in tantum, ut oporteat, ipsis obedire.

Responsio.

8. AUthor *Regalis Sacerdotij præf. §. 18. n. 2.* respondet. Ut hæc universa verissima esse *ordinariè*, ac pro casu, de quo loquuntur illi sacri textus, ut nemo videlicet subditorum, obtentu Reipublicæ malè administratæ, possit in suos Principes insurgere, absurdissimum enim videri, & plenum latrocinijs, singulis privatorum aut ignorantiâ, aut odio, aut cupiditate correptis, arbitrium & Jus in suum Principem committere, hoc enim remedium esse extremis periculis reservatum, nec aliâ, quàm Pontificis Maximi manu applicandum, de quo proinde textus citatos nihil loqui, & ideo nihil probare, cùm non possint magis probare, quàm loquantur.

Objectio.

9. INstabit pars adversa, ut exprimatur casus ille extraordinarius, quo per sacras Scripturas liceat Summo Pontifici insurgere suâ authoritate in sæculares Principes.

Responsio.

10. HOc sequentibus paragraphis ex Antiqui ac Novi Fœderis tabulis ostendetur, in præsenti autem sufficiat demonstrare, sacros textus ex adversa parte allegatos præsentis quæstionis instituto haud officere, sed econtra intentioni nostræ non parum deservire. Ex ijs equidem Divinis oraculis firmum stat principium, quòd Regia potestas subsistat ex Deo, sitque constituta ex Dei ordinatione, atque adeò authoritas illa sit *Iuris Divini*. At hinc minimè infertur, Regiam potestatem temporalis regiminis sphærâ circumscriptam, licèt ipso Jure Divino sit constituta, non tam *ex se formaliter*, quàm *quoad sui morale exercitium* atq; *subjectum* in nullo etiam extraordinario casu subjacere Apostolicæ Summi Pontificis authoritati.

11. Quinimò ex ipsomet illo *ad Romanos decimi tertij capitis* textu sacro dilucidè probatur, cùm ea, *quæ sunt à Deo, ordinata sint*, oportere, in potestatibus Divinitus constitutis servari quendam ordinem ab ipso etiam Deo institutum. Neque verò iste ordo teneretur, nisi inter ipsas Divinitus constitutas potestates servaretur subordinatio, si quæ per Deum esset sancita. Et ideo, si potestatis Regiæ quoad aliquem casum, esset quæpiam erga Apostolicam Summi Pontificis authoritatem, à Christo sancita subordinatio, huic non tantùm refragaretur, sed suffragaretur ille Apostolicus textus. Unde argumentationis ex hoc petitæ vis prorsus evaneſcet, imò pro Apostolicâ supra Reges potestate emphasico quodam modo stabit, ubi ea potestatis temporalis erga spiritualem Apostolicam authoritatem subordinatio ex sacris Litteris *inferiùs* adducendis demonstrabitur.

12. Cujusmodi proinde subordinationem videtur Christus in prælegatâ *ex Matth. 22. capite* desumptâ sententiâ, insinuâsse dicendo; *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei, Deo.* Per hoc enim Jurium Cæsari inexistentium subordinatio quædam ad ea, quæ Dei sunt, non obscurè innuitur; firmo sanè argumento, talem subordinationem ex Christi jussu tenendam esse, ubi vicaria Christi authoritas ab ipsomet, etiam quà Deo constituta, eam exigit in vi indefinitæ *potestatis solvendi & ligandi, quidquid est super terram*, & in vi *Pastoralis muneris super omnes Christi oves protensi*, dum certè Reges Christiani nolent dici, se esse alterius, quàm Christi oves, neque præsument, negare potestatis suæ Regiæ exercitium esse *super terram*, indefinitæ adeò illi super terram *ligandi & solvendi Christi Vicariæ potestati* subjectum; veluti majori efficaciâ hæc urgebimus *inferiùs*.

13. Quare ex præadducto 1. *Petri 2.* capite, oportet quidem, Regibus *etiam dyscolis obedire*, hoc tamen nemo dixerit, locum habere, nisi quamdiu Regiâ pollent authoritate, neque verò ibi decernitur, nullum dari posse casum, in quo per jus seu *naturale*, seu *Divinum positivum* Reges exui possint suâ dignitate, eritque adeò casus iste posteà examinandus, dum interea jam palam est redditum; argumentum ex præadductis sacris textibus formatum, ad præsentis disquisitionis statum nihil habere efficaciæ.

ARGVMENTVM II. Adversariorum.

14. EX parte Cleri Gallicani licet 2. argumentari *ex Novella 6. init. de Novella 73. §. 1.* Imperatoria potestas est *immediatè* à Deo collata. Ergo à Pontifice aut restringi, aut adimi non valet.

Responsio.

15. AUthor *præcitati Regalis Sacerdotij dicto §. 18. n. 14.* optimè respondet. Quidquid sit de hoc, *an Regia, & Imperatoria potestas sit instituta seu Divinâ, seu humanâ authoritate*, illud certum videri, quòd à Deo non *immediatè* conferatur.

tur. Cùm enim sit merè temporalis, nec ad actum dirigatur, cujus Respublica non sit capax, imò hæc potestas penes Communitatem aliquando fuerit, atque ab hac translata in Principem. Ideo quando Imperatores dicunt, se à Deo accepisse Imperium, oportet, hoc in eo sensu accipere, quòd ex speciali Dei providentiâ & gratiâ sint potiti Imperio, non verò, quòd eorum potestas nequeat ab alio, quàm à Deo *immediatè* conferri, qualis est Pontificia authoritas, quæ sicut penes nullam Communitatem esse potest, ita à Deo *immediatè* confertur, præcedente electione humanâ, non tanquam hujus potestatis causâ, sed tanquam conditione, sine qua Deus illam non conferret.

Objectio.

16. INstabit pars adversa, rectè equidem discerni inter Regiam seu Imperatoriam potestatem in se *formaliter* spectatam, & inter eandem *subjectivè* consideratam, id est, quà applicabilem certæ individuæ personæ. Sed desiderari, ut clariùs exponatur fundamentum illud, in vi cujus sub consideratione priori Regia potestas dicitur quidem esse *Iuris Divini naturalis*, sicuti econtra Pontificia Christi Vicaria, authoritas est *Iuris Divini supernaturalis* per Christum fundati & sanciti. Attamen sub posteriori consideratione inter Regiam ac Pontificiam potestatem intervenire eam differentiam, ut hujus, non illius collatio sit Juris Divini.

Responsio.

17. HUjus igitur differentiæ ratio in hunc modum exhibetur. Nempe quia Christus Oecumenicam erga universas oves suas, Pastoralis officij authoritatem contulit Petro, cùm ordine ad Ecclesiæ ab inferi portis nunquam superandæ statum perpetuum, sequitur, hâc Christi ordinatione potestatis Pontificiæ ad certam individuam personam applicabilitatem ipso *jure Divino* determinatam esse *ex successione Petri*. In cujus proinde successionis designatione intervenit quidem humana electio, sed hâc præsuppositâ, per ipsissimum illud jus Divinum, authoritatis Pontificiæ pro perpetuo Ecclesiæ statu determinativum, confertur legitimo Petri successori ipsissima ea Christi Vicaria authoritas, quam Christus Oecumenico Pastorali muneri ad finem mundi usque annexam sancivit.

18. Secùs res se habet in Imperatoriâ & Regiâ potestate *subjectivè* spectatâ, & quà ad certam individuam personam applicabili. Quemadodùm enim ea potestas sub primævo suo statu per ipsummet *jus naturale* fuerat in populo, poteratque adeò hæc suprema regiminis temporalis authoritas reservari Communitati, juxta modum ab eadem designandum. Sic ubi translata est in unum regiminis politici Caput, sub electionis cujuspiam normâ, seu hæreditariæ successionis, Jure determinandum, redditur jam consequens, ejusdem potestatis Regiæ, seu Imperatoriæ collationem non esse Juris *Divini*, sed *humani* duntaxat. Sicuti ergo ista Regiæ authoritatis collatio est Juris *humani*, sic meritò dicenda est, subesse *Iuri Divino* tum *naturali*, tum *supernaturali*, debereque adeò sui moderationem accipere non ex naturalis duntaxat, sed fidei quoque supernaturalis luminis directione. Si verò Summus Pontifex nihil potestatis habeat super Jure *Divino*, seu *naturali*, seu *supernaturali*, ejusdem tamen quà Oecumenici Pastoris authoritas protenditur super ovium sibi commissarum actionibus externis præcipuè, quà dirigendis in viam salutis æternæ, sicque adeò quà moderandis secundùm exigentiam luminis fidei. Et quia ipsum etiam naturale super nos signatum lumen, est elevatum & condecoratum supernaturali fidei lumine, ita ut illud perpetuam cum isto debeat in sui exercitio habere conformitatem, redditur hinc ulteriùs consequens, debere potestatem quoque Regiam luminis naturalis sphærâ circumscriptam, tum quoad *subjectivam sui applicabilitatem*, tum quoad *sui debitum exercitium* subordinari supernaturali fidei lumini, cujus directio concredita est Oecumenico Ecclesiæ Pastori.

Ex quâ adeò Regiæ potestatis, luminisque, cui innititur, naturalis ad fidei lumen subordinatione, cujus directio Pastoralis Ecclesiæ muneri incumbit, meritò jam disquiritur; *An pro casu aliquo extraordinario Ecclesiæ sanctæ publicum bonum, secundùm ipsammet fidei Divinæ exigentiam, obstringere valeat Apostolicam Oecumenici Pastoris authoritatem ad providendum, ne Rex Ecclesiæ Dei subjectus, Regiâ suâ authoritate præsumat perturbare, & invertere sanctæ Ecclesiæ unitatem & tranquillitatem?* Hoc ubi fecerit Summus Pontifex, nihil faciet adversùs Regiam potestatem *in se formaliter* spectatam, quatenus est Juris *Divini*, sed quà *subjectivè* consideratam, ut sic Juri *humano* subjectam, tum quoad applicationem sui ad certum subjectum, tum quoad sui exercitium, quà in viam salutis æternæ seu ipsius Regis, seu Fidelium præcipuè universorum dirigibile, tum quoad amotionem scandalorum, & publicorum Ecclesiæ sanctæ imminentium præjudiciorum: prout hæc suaviori quâpiam methodo Author *Inextinctæ Concilij Tridentini Veritatis in finali præsentis articuli corollario* referendus explicat, demonstrabiturque efficaciter ex sacris Litteris *in subsequentibus*, dum interea manifestum jam redditur, ex tali supra Reges authoritatis Pontificiæ præeminentiâ, necquidquam à Summis Pontificibus arrogari potestatis super Jure *Divino formaliter in se* spectato, sed super ejusdem vel subjecto, vel exercitio, Ecclesiæ clavibus indubiè subjacente in Rege, qui audire vult Ovis Christi, agnoscitque indefinitam Christi Vicariam erga id, *quod est super terram, ligandi ac solvendi potestatem*. Sicque adeò observato tali discrimine, ex integro evanescit partis adversæ *superiùs* deductum argumentũ.

19.

ARGUMENTUM III.
Adversariorum.

20. EX parte Cleri Gallicani licet 3. argumentari. Duæ sunt in terris de mundo ritè gubernando potestates Divinitus constitutæ. Una est *spiritualis & Ecclesiastica*, concessa Petro

tro, ejusque successoribus Christi Vicarijs, ipsiusque Ecclesiæ; protendens se ad regimen rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium. Altera est *temporalis & politica*, Regibus, & Imperatoribus competens super Civilium & temporalium causarum regimine & moderatione. Quæ utraque potestas, sicuti utrinque est Iuris Divini, sic quælibet earum habet suos à Deo circumscriptos limites, neque fas est, unam commisceri alteri, sed oportet, utramque suâ sphærâ esse contentam, eò vel maximè, quòd potestatum ejusmodi confusio fieri nequeat absque discordijs, Principumque indignatione, Reique publicæ gravissimo detrimento hinc secuturo.

Responsio.

22. AUctor *Regalis Sacerdotij* convenienter respondet *cit. §. 18. n. 3.* multa esse, quæ instar hellebori, ratò usurpata sint medicinæ, lethalia futura, si crebrò usurparentur: talem esse potestatem, quæ Summis Pontificibus in Reges & Principes conceditur, hæc namque si ordinaria esset, nocituram potiùs, quàm Ecclesiæ profuturam: & ideo locum non habere, nisi premente necessitate cum Religionis bono: tunc enim temporalem potestatem *ex naturâ suâ* submitti Ecclesiasticæ, cùm temporalia sint propter spiritualia. Et hoc ad pacem Reipublicæ, non ad dissidium pertinere, turbatâ siquidem Religione, etiam Regna turbari, & ideo quidquid tuendæ Religioni, tuendis etiam Imperijs servire: expedireque, immensæ Regum potentiæ terminum aliquem figi, ut non excurrat, arasque fidei transcendat, quod fieret, si extra omnem metum, & ludicem essent, cupiditate regnandi Religionem vincente.

Objectio.

23. INstabit pars adversa, ut sibi probetur effatum illud, quo dictum erat, *premente necessitate, cum Religionis bono, Summis Pontificibus competere potestatem authoritativam super Regibus & Principibus.* Si enim temporalis potestas in aliquo casu *ex naturâ suâ* subijciatur authoritati Ecclesiasticæ, quomodò huic subjectioni locus non fuisset in statu puræ etiam naturæ, in quo tamen nulla strictè Ecclesiastica, Regiæ saltē authoritati supereminens extitisset potestas, utpote *ex naturâ suâ* super fidei lumine fundata? Num ex *naturâ rei*, vel potiùs *ex elevatione gratiæ* provenit, quòd temporalia sint propter spiritualia, non naturali duntaxat lumini, cujus sphæram ambit suprema Regia potestas, sed supernaturali etiam fidei lumini, Ecclesiasticæ potestatis fundamento proportionata? Quòd si utraque, seu naturalis, seu supernaturalis luminis, eique proportionata gubernativa potestas non commiscetur, quomodò pax Reipublicæ in causis temporalibus turbaretur; dum, ubi eam contingeret, turbari in causis Religionis, Regibus etiam dyscolis, sicque à verâ Religione deficientibus, intrà suæ Regiæ potestatis sphæram esset adhuc obtemperandum? An non ergo, si utrique illi potestati relinquerentur impermixti sui limites, politica præcipuè pax & tranquillitas maneret integra & illæsa, quamdiu huic se non immisceret potestas Ecclesiastica? Numquid igitur rationes istæ suadere videntur, duas *illas potestates suâ utrinque sphærâ circumscriptas, ita debere esse impermixtas, ut neutri congruat, se ingerere in causis ad alteram pertinentibus?*

Responsio.

UT argumentum ex parte adversâ *superiùs* adductum solidè refutetur, singulariter inspiciendum est, cujus censuræ digna sit sententia illa, quæ politicam & Ecclesiasticam authoritatem contendit, se habere ad invicem, ceu duas disparatas potestates, ostendendumque proinde erit, hasce non tam *ex naturâ rei*, quàm ex *supernaturalis elevationis* jure Divino, ita inter se comparari, ut politica potestas non equidem in se *formaliter* spectata, sed *quoad usum, seu applicabilitatem*, seu *exercitium quà in finem supernaturalem* elevabile, debeat subordinari potestati Ecclesiasticæ. Quod equidem in conclusionibus *inferiùs* sanciendis, per sacræ Scripturæ fundamenta speramus efficaciter evincendum: interea quantum argumento in contrarium adducto solidè dissolvendo, est necessarium, id sequenti ratione præstabimus. 24.

Conferendo igitur lumen naturæ cum supernaturali fidei lumine, certum est, lumen intelligentiæ creatæ naturaliter inditum cum suis *moralibus* principijs, cuivis rationis capaci perspicuis, ita esse immutabile, ut per altius fidei lumen in se ipso *formaliter* spectato, nequeat ulli subjacere mutationi. Quo tamen minimè obstante, fidei luminis superior est authoritas, non protendens se supra illud, quod est *formale* in lumine naturali, sed quod in hoc est merè *materiale*. Etenim verissimum est, verum naturali lumini commensuratum, non posse veritati, per fidei lumen revelatæ ullatenus esse contrarium, ubi tamen contingeret, quempiam fidei articulum videri dissentaneum alicui principio, secundùm naturæ lumen conspicuo, neutiquam ex hoc esset fidei veritas determinanda, & explicanda, sed ad hujus mensuram prorsus infallibilem, esset definienda, principij lumine naturæ noti intelligentia. 25.

Pari proinde ratione Regia ipso *naturæ lumine* constituta potestas, se habet erga Ecclesiasticam, *lumini fidei* superstructam authoritatem. Quæ utraque proinde potestas indubitanter est *Iuris Divini*, nec potest suprema Ecclesiæ authoritas illam *formaliter* spectatam immutare, restringere, vel etiam ex parte duntaxat destruere. Ubi tamen contingeret, potestatis Regiæ exercitium exorbitare extra luminis naturalis sphæram, progrediendo, ad decernendum aliquid æquitati naturali dissentaneum, an nefas erit, quòd Ecclesiastica suprema potestas se reflectendo super ejusmodi iniquitate, lumini etiam naturali repugnante, eam authoritativè reprobet? Ex quo namque humana natura jam non subsistit *in puris naturalibus*, sed etiam *quoad lineam moralitatis* 26.

est elevata ad *statum supernaturalem*, impossibile est, ullam jam dari iniquitatem, naturali lumini adversantem, quin etiam pugnet cum honestate supernaturalis ordinis. An ergo Summus Pontifex super hanc se reflectendo, Vicariæ Christi authoritatis ad universas ejusdem Domini nostri oves se extendentis, indefinitæque erga omne *morale consistens super terram*, ligandi & solvendi potestatis gladium stringere cohiberetur, adversùs illam Iuri *naturali*, & consequenter *Divino*, supernaturalis quoque *moralitatis* Iuri repugnantem nequitiam?

27. Leges Imperatoriæ olim firmabant validam, etiam malâ fide peractam præscriptionem. Quod ubi Pontifices agnoscebant, non cum naturali duntaxat *honestate*, sed cum *supernaturalis quoq; moralitatis rectitudine* pugnare, ex authoritate Christi Vicariâ improbabant tanquam iniquum. Nec, quia nulla est excogitabilis iniquitas, Iuri *naturali* repugnans, quin *supernaturalis* quoque *honestatis rectitudini* adversetur, poterat malæ fidei præscriptio damnari, quâ æquitati *supernaturalis* moralitatis contraria, quin abolenda decerneretur sub *moralitate*, quâ præciso etiam lumine *naturali adversante*, cùm cæteroqui hâc subsistente, semper adhuc locus esset difformitati adversùs supernaturalis luminis moralitatem, utpote infallibiliter connexam cum illâ, posquàm homo cum totâ moralitatis sibi congenitæ, luminisque naturaliter inditi sphærâ suâ, est elevatus ad statum supernaturalem.

28. Concurrunt quandoque circa eandem materiam politica, & Ecclesiastica potestas, veluti contingit in juramento, quâ contractuum Civilium confirmatorio. In hoc enim considerare licet non Religionis duntaxat supernaturale vinculum, sed lumini quoque naturali commensuratam, & contrahenti quæsitam specialem firmitatem ex Jurejurando, *secundùm lineam moralitatis, purè etiam naturalis*, obortam. Quandoquidem igitur Jura Civilia olim decreverint, Jusjurandum ex metu initum esse invalidum, sacri autem Canones è contrario vinculum Religionis inde obortum validum, sed authoritate Ecclesiæ rescindendum sanxerint; *An dicere fas est, non attentâ ejusmodi Canonicâ sanctione, posse intrà lineam moralitatis naturalis, defendi illius Iurisjurandi invaliditatem, utpote stabilitam ab Imperatoriâ supremâ politicâ authoritate?* Hoc si quispiam tueri vellet, profectò fateri deberet, dari honestatem quampiam naturalis ordinis, quæ supernaturalis moralitatis honestati esset contraria, quod tam impossibile est, quàm indubitanter verum est, verum naturalis ordinis, pugnare haud posse cum vero supernaturalis ordinis: neque tamen veritas supernaturalis ex naturalis ordinis veritate, sed hæc vicissim ex illâ est dijudicanda.

29. Contingere rursus potest, quòd Imperator in Jura S. Ecclesiæ involans, vel adversùs supremam Ecclesiasticam authoritatem insurgens, Ecclesiasticæ potestatis gladio coerceatur à Summo Pontifice: indeque Imperator hostili etiam exercitu contra eam agat. Quis jam Catholicorum bellum ejusmodi authoritate Imperatoriâ indictum Summo Pontifici, justum probare posset? Quis econtrà Catholicorum, usum armaturæ Ecclesiasticæ, per censuras à Summo Pontifice armaturæ Imperatoriæ oppositum, in eo casu ausit dicere iniquum? Quo tamen haud attento, si Imperator pergeret in suâ pertinaci adversùs authoritatem Pontificiam impugnatione, an nefas foret, hanc adversùs Imperatorem insurgere? Profectò quisquis Jura Coronæ suæ Regiæ invaderet, adversùs hunc Rex Christianissimus justum decerneret bellum, juridicam quoque ferendo sententiam adversùs Coronæ suæ hostem, æquè Regiâ licèt, supremaque adeò potestate præfulgentem. Quo igitur jure authoritatem in supremum etiam, authoritate sibi coæqualem Regem, sibi assumeret Rex Christianissimus? Non alio sanè titulo, nisi ex illo per naturale lumen constituto principio, quòd quisque supremus Rex habeat authoritatem, procedendi & *Iudicialiter* & *militaliter* adversùs manifestum perturbatorem Coronæ suæ Regiæ.

Quòd si ergo ista potestas Regia prævalere possit erga alterum, supremum licèt, sibique coæqualem Regem: quomodò vir verè Catholicus negare jam auderet, supremæ quoque Ecclesiasticæ authoritati inesse potestatem tum *viâ Iudiciariâ*, tum *executoriâ* per spiritualia censurarum arma procedendi adversùs quemcumque Regem, Majestatis Pontificiæ perturbatorem. At verò, ubi Rex in bello ejusmodi victor existeret, meritò adversùs illum, Regiorum ipsius Jurium perturbatorem Regem, à se devictum, prætendere posset facultatem *Iudicialiter* etiam procedendi, sicque eum destituendi Jure sui Regni, ipsumque adeò deponendi non in viâ *Facti* duntaxat, sed etiam in viâ *Iuris*. Quidni ergo par, aut major asserenda sit potestas in Summo Pontifice, ad deponendum Regem Majestatis Pontificiæ turbatorem ac invasorem? 30.

Replicabit fortassis nonnemo, quidni ergo Rex illâ suâ supremâ authoritate æquè uti posset etiam adversùs Summum Pontificem, Jurium suorum Regiorum perturbatorem, si ipsum Jus naturæ, cuique supremo Regi talem concederet, *Iudicialiter* & *militaliter* procedendi authoritatem contra quemcumque Coronæ suæ Regiæ invasorem iniquum? 31.

Verùm ad hoc responsio in promptu est, 32.
quòd, sicuti lumen naturale cum totâ moralitatis sibi proportionatæ sphærâ, est elevatum ad statum supernaturalem, sic Regia suprema Majestas, quoad omnimodam *moralitatis* lumini naturali commensuratæ sphæram, sit in vi supernaturalis totam *moralitatis naturalis lineam* complectentis elevationis, jam subordinata supremæ Ecclesiasticæ potestati. Quemadmodùm igitur cum hac ad statum supernalem universæ moralitatis naturalis elevatione, haud subsistit, quòd lumen naturale possit sibi arrogare officium quasi Judicis, super fidei lumine supernaturali, sic neque Politica Regia Majestas, naturalis luminis sphærâ circumscripta, superexendere se unquam potest super Ecclesiasticam potestatem, præcipuè supre-

premam, altiori fidei lumini superstructam: nec adeò Rex, seu Imperator sibi arrogare unquam potest vel judicium, vel bellum adversùs Summum Pontificem, ex Vicariâ Christi authoritate, supremaque adeò Ecclesiasticâ potestate procedentem, ad Regis Pontificiæ Majestatis infensi hostis depositionem. Cujusmodi proinde Theologicorum argumentorum solidum ex sacris Litteris fundamentum *inferiùs* deducetur.

ARGUMENTUM IV.
Adversariorum.

33. EX parte Cleri Gallicani licet 4. argumentari. Papa est Vicarius Christi, non quâ Dei, sed quâ hominis & Capitis Ecclesiæ. At Christus ut homo nullam habuit in Regna & Principatus, ac temporalia Jurisdictionem: ipsomet *Ioannis 18.* contestante: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et *Lucæ 12. O homo, quis me constituit Iudicem, aut divisorem inter vos?* Quis ergo majorem Papæ, quàm Christo super causis civilibus ac temporalibus tribuat Jurisdictionem?

Responsio.

34. AUthor *prætacti Regalis Sacerdotij cit. §. 18. n. 5.* respondet, constantem Divi Thomæ, Principis Theologorum esse sententiam, quòd Christo Domino quâ homini utraque dignitas, Regia videlicet & Sacerdotalis fuerit communicata, uti expressè habetur in ejusdem S. Doctoris *lib 1. de Regim. Princ. cap. 12. ac seq. & 3. par. q. 59. art. 4. Manifestum est,* inquiuntis, *Christo quà homini esse potestatem judiciariam ex Regiâ consequentem, quoad omnes res humanas: cuicumq; enim committitur principale, committitur & accessorium, omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repellantur judicio Christi, ut patet Matth. 25.* Adstipulatur sacra quoque Scriptura, Christo *Matth. ult.* asseverante: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Unde & Paulum ad *Hebræos* ait, Christum esse institutum hæredem Universorum. Et Apocalyp. 1. *Christus dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Hoc igitur Jus Regium, Christi Humanitati in vi Hypostaticæ cum Divinitate unionis communicatum, Christus equidem, qui venerat in formâ servi ad pœnitentiæ & humilitatis exemplum nobis præstandum, noluit ordinariè exercere, quanquam sui in temporalia Dominij Jurisdictionis supremæ actus aliquos exhibuerit, mulierem adulterij convictam, contra legis præscriptum *Ioan. 6.* absolvendo: siculneam, quæ in alterius bonis & patrimonio erat, *Matth. 21.* arefaciendo, dæmonesque in gregem porcorum, qui ad alios pertinebant, *Matth. 21.* immittendo, & præcipites in aquam agendo. Cujusmodi adeò erga aliorum dominia supereminens in Christo potestas, licèt non fuerit communicata Ecclesiæ, attamen huic negari non debet aliqualis saltem communicatio illius Christi Humanitati collatæ potestatis, in quantum temporalium rerum dispositio Ecclesiæ gubernandæ, consummandæque redemptioni, erat necessaria, Divo Thomâ *ubi supra* asseverante, cuicumque committitur principale, committi etiam accessorium.

Objectio.

35. INstabit pars adversa, ut ostendatur, quòd Christi Humanitas de regno sibi ex vi unionis Hypostaticæ super rebus quoque temporalibus competente, aliquam fecerit participationem suo in terris Vicario Petro, ejusque successori.

Responsio.

36. EX ipsamet Christi verborum proprietate evincitur, Dominum nostrum asseverando: *Regnum meum non est de hoc mundo;* eo ipso asseruisse sibi regnum aliquod, hoc autem noscitur esse duplex, alterum *spirituale* est Ecclesia, cui Petrum jam tunc destinaverat præficiendum, qua sui Vicarium, cum indefinita ligandi & solvendi super terram authoritate, cumque perpetuitate successionis ad finem usque mundi duraturæ. Alterum verò Christi regnum erat *temporale*, quod juxta *præcitatam* S. Thomæ *lib. 1. de regimine Princip. cap. 12.* sententiam, protendebatur supra totum mundum, saltem quoad jus & potestatem, ita ut posset Reges quoslibet è Regno deponere, aliosque creare, licèt hâc potestate non sit usus. Utrorumvis ergo duorum illorum Regnorum, si attendatur origo, ex ipsâ Christi sententiâ dicendum est, neutrum esse de hoc mundo, quia ambo radicantur in Unione Hypostaticâ, quæ minimè est de hoc mundo. Etsi verò fateamur, posterioris illius regni, Christo quâ homini erga totum etiam mundum competentis communicationem, non esse factam Ecclesiæ: eo ipso tamen, quòd Ecclesiæ sit à Christo potestas super quodcumque *morale in terris* ad regnum cælorum ordinabile, oportet, hoc spirituale regnum *indirectè* saltem protendi super temporalia, quà in regnum cælorum ordinabilia; uti ex sacrarum Litterarum fundamentis *infrà* adducendis, efficaciùs demonstrabitur.

CONCLUSIO.

37. NOn absque maximo Regiæ, charactere Christiano insignitæ potestatis dedecore, detruditur Princeps Christianus ad Regis, quasi Ethnici statum, si negetur esse subordinata Christi Vicariæ, Romani Pontificis authoritati Oecumenicæ.

Explicatur. Quisquis enim negaret, Regiam in Principe Christiano potestatem, ex vi characteris in Baptismate Divinitus infusi, non elevari ad statum quempiam sublimiorem, ac fuisset *in puræ naturæ statu*, profectò Regem Christianum eo collocaret loco, ac si authoritatis suæ Majestas non altiùs esset attollenda, quàm politicæ potestatis, secundùm

lumen naturæ circumscriptæ, sphæra permittat. Ejusmodi verò luminis naturalis limitibus circumscripta, politicæ potestatis suprema etiam Majestas, secundùm integram sphæram suam est in Rege Ethnico. Ergo quisquis negat, Regem Christianum, ex vi characteris in sacro baptismate Divinitus inditi, non tantùm quoad suam personam, sed quoad Regiam quoque potestatem in sublimiori jam statu, etiam quà Regem esse constitutum, is profectò Regem ejusmodi cum suæ potestatis suprema Majestate detrudit ad subsellia Regum Ethnicorum.

38. Quo præsupposito, disquirere placeat ex illo, qui Christianissimi Regis Majestatem conaretur ita deprimere; *quo iure hic Christianissimus Rex processerit adversùs Regni sui hæreticos?* Neque enim credere fas est, processum fuisse adversùs illos, quà Regni sui politici solummodò, sed etiam quà Ecclesiæ Sanctæ perduelles, atque ad hujus debitam obedientiam compellendos? Tantum profectò potestatis ipsi haud fuisset ex Regiæ potestatis sphærâ, quà præcisis luminis naturalis limitibus circumscriptâ, sed quà sublimatâ ex characteris Christiani elevatione, per quam ipsius Regia quoque potestas recipit talem respectu Ecclesiæ, ejusque Oecumenici Pastoris subordinationem, in vi cujus esset constitutus Christi Vicariæ authoritatis instrumentum, ad publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, in suo præcipuè Regno, æternæque salutis in suis charactere Christiano æquè insignitis subditis commodum, pro viribus promovendum. Quæ proinde ad Oecumenicam Ecclesiæ Sanctæ authoritatem, Regiæ in Christiano Principe potestatis subordinatio, ampliat authoritatis Politicæ sphæram, luminis naturalis limitibus cæteroqui circumscriptam elevando, & condecorando eandem excellentiâ singulari, se protendente ad ea etiam, quæ fidei luminis sphærâ continentur. In quâ proinde Regiæ intrà lineam naturalem supremâ, ad Oecumenicam Ecclesiasticam, in lineâ supernaturalis luminis summam potestatem, subordinatione ex sacris Litteris comprobandâ, toti quanti nos impendemus, ex ipsissimis etiam illis sacræ Scripturæ textibus, qui ex parte Cleri Gallicani opponebantur, initium facturi.

PROBATIO I.

IN quâ fit retorsio *primi* adversariorum argumenti ex *Rom. 13. Matth. 22. & 1. Petri 2.* oppositi, & *suprà n. 7.* adducti.

39. Etenim Apostolus *cit. 13. ad Rom. capite* jubendo, *ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, sub hisce verbis talem facit potestatum a Deo ordinatarum in sublimitatis inæquali gradu comparationem, ut prorsus necessum sit, unam alteri subordinari, ut sic ordinatè procedant potestates, à Deo constitutæ, quatenus scilicet sublimiori semper, oporteat, subjectam esse potestatem, quæ non tantæ est eminentiæ. At verò quemadmodùm fidei lumen, cui superstructa est authoritas Ecclesiastica, est sublimius naturali lumine, ad cujus sphæram mensuranda est Politica Regia potestas, sic oportet, illam esse hâc sublimiorem. Quia ergo ex prædducto Apostolico textu, oportet, *ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, consequens omninò est, Regiam potestatem debere subditam esse Oecumenicæ Ecclesiasticæ authoritati.

Atque hanc subordinationem haud obscurè insinuavit Christus *Matth. 22.* præcipiens: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.* Sicut enim hoc Jus Cæsareæ Majestatis, ex vi cujus, ipsi reddendus erat census, totam energiam suam obtinebat ex Jure Divino, in vi cujus Deo reddere oportet, quæ Dei sunt; sic illa Divini Juris cum Jure Cæsari competente, Christi verbis facta combinatio, Cæsarei licèt supremi Juris indubitatam præferet subordinationem erga Jus Divinum. At licèt hìc sermo fuerit de Iure inexistente Cæsari, Ecclesiæ Christi minimè subjecto, ea tamen verba Christus Dominus protulit, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, in quo adeò oportet, ut, quod debetur Regibus ac Imperatoribus, ipsis reddatur in vi altioris Juris, nempe Divini, cui Cæsareæ ac Regiæ Majestatis Ius est subordinatum. Quemadmodùm autem Christus ea verba pronuntiando, indubiè cogitabat de Oecumenicâ in Petro, ejusque Successoribus fundandâ Ecclesiæ authoritate, hâc enim de causâ Christus Cæsareo jure minimè obstrictus *Matth. 17.* jubebat, *pro se ac Petro eundem tributi loco dare flaterem:* ita Cæsareæ Majestatis Ius combinando cum Iure Divinæ Majestatis, ceu fundamento, cui illud subordinatum & subjectum existeret, idem Christus uno mentis obtutu, etiam quà homo universa complectens, reflexionem utique faciebat ad suam in terris Vicariam potestatem Apostolicam, à se in Ecclesiâ instituendam, quam quisquis (nemine, ne Rege quidem excepto) esset auditurus, Deum audiret, atque adeò sub illis verbis: *Reddite Deo, quæ Dei sunt*, Dominus noster Regiam quoque potestatem, in Principibus Christianis destinavit subordinatam Divino, Vicariæ Christi authoritati annexo Iuri. In vi cujusmodi adeò, Regiæ Majestatis, ad sublimiorem Vicariæ Christi potestatis Iure *Divino* sancitam authoritatem, subordinationis, *inferiùs* ostendetur, quantum hæc prævalere possit adversùs Christianos Reges dyscolos exauthorandos, ut ex tunc in ipso etiam *Dei*, & conscientiæ *foro* non ampliùs reputandi sint inter veros Reges, quibus Petrus *1. suæ Epistolæ cap. 2.* jussit obtemperandum.

PROBATIO II.

IN quâ fit retorsio *secundi* argumenti petiti ex eo, quòd Regia potestas sit Juris *Divini*.

Etenim hâc Regiæ potestatis, quòd in se 40.
formaliter sit *iuris Divini*, prærogativâ sponte admissâ, solennis mox emergit quæstio; *An in ijs, quæ Iuris Divini sunt, non possit esse substratum quoddam materiale, ex humano seu Iure, seu morali hominis operatione dependens*, quo sublato, per *consequentiam* ac *indirectè*, non equidem for-

formaliter, sed ex parte sui *materialis* corruat Juris *Divini* obligatio, non quatenus *activè quasi spectata*, Divina est, sed *quatenus passivè considerata*, est quid humanum, vel *subjectivè* receptum in homine, vel *effectivè* promanans ex humani arbitrij voluntate? Nunquid si Rex quispiam Christianus sit obnoxius peccato mortali, ius Divinum sancit æternæ gehennæ ab eo contractum reatum? Num verò Regem Christianum tam infelicem dixeris, ut hoc Divinum Ius respectu ipsius ne quidem *indirectè materialiter* solvi possit authoritatè Clavium Ecclesiæ concessarum? Hæc verò solutio non aliter fiet, nisi quatenus per Ecclesiæ sanctæ Claves applicatur satisfactio Christi pro illo reatu, ceu *materiali*, cui superstruitur illud Divinæ Justitiæ Ius vindicativum. Quo proinde *materiali* sublato, non tam *in se ipso formaliter* tollitur Ius Divinum, quam in *suo duntaxat effectu*, justæ cæteroqui vindictæ, in inferno exercendæ.

41. Solennis etiam est inter Theologos disquisitio; *An, & quomodò votum sive solenne, sive simplex, ipsumq; adeò Ius Divinum eidem superstratum dispensari possit à Summo Pontifice?* In quo puncto libenter damus, Summi Pontificis authoritatem non posse prævalere Iuri Divino, atque illud in *se formaliter* spectatum immutare ac tollere. Sicuti autem voti tam solennis, quàm simplicis obligatio, sic & Ius Divinum hanc obligationem voluntariè susceptam acceptans, superstruitur *morali* voventis actui *virtualiter moraliter* perseveranti, quamdiu voto non est satisfactum. Hic ergo *moralis* in vovente actus, ejusque adeò *virtualis* ex liberâ illius voluntate promanans perseverantia, numquid subest Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestati?

42. Quòd hujus indefinita ligandi ac solvendi authoritas extendatur *indefinitè* super omne id, quod *morale* est *super terram*, constat ex apertis Christi Domini ad Petrum *Matth. 16.* prolatis verbis. Quodcumque autem ex hominis liberâ voluntate contractum vinculum, consistens in *morali* actûs voluntarij *perseverantiâ*, non est Divinum quid, sed est quidpiam consistens *super terram*. Quòd si ergo authoritas Pontificia ad omne id, quod *morale* est *super terram*, se protendens, solvat illud libere contractum vinculum, cum suâ *morali* per voventis actum voluntariè contractâ *perseverantiâ virtuali*, neutiquam dicendus est Pontifex immutare, seu tollere Ius Divinum *formaliter in se* spectatum, seu quà Deo inexistens, sed sublato vinculo *morali* hominis, quod est *super terram*, ceu Juris illius *Divini* quasi substrato *materiali*, per indirectum cessat Iuris Divini efficacia ad extra constringens, ac exigens voti taliter soluti obligationem.

43. Quo sic constituto, tametsi Regia potestas *in se formaliter* sit Iuris Divini, num dicere fas est, ipsius ad certum subjectum applicationem, vel etiam exercitium liberum, non esse aliquid *Morale* consistens *super terram?* Quo rursus posito, num asseverare licebit, quòd indefinita, omne *morale*, quod est *super terram* ambiens solvendi potestas Oecumenica, Regiæ potestatis ad certum subjectum applicationem, ejusque exercitium *morale* nullo prorsus modo habeat sibi subordinatum, seu subjectum?

44. De hac ergo potestatis Pontificiæ Oecumenicâ ad Ecclesiam spectante authoritate, videbimus deinceps, in quantum etiam *specificè* se extendat, pro hac autem vice sufficiat, juramenti à subditis erga Principem præstiti æquiparationem facere cum voto. Sicut enim hujus, sic quoque illius vinculi radix *moralis* est actus humanus, ejusque *moralis* perseverantia, *passivam* in vovente, seu jurante importans Religionis obligationem, verè est *quid morale subsistens super terram*, sicque indefinita cujuscunque *super terram vinculi* in actu hominis *morali*, Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestati subjecto, radicati, solvendi potestas, pari ratione prævalere poterit, ad Juramenti Principi præstiti *passivam* ex Religione obligationem, eatenus solvendam, ut talis solutio etiam *in foro Cæli*, atque adeò *in conscientiâ* rata sit habenda, nec adeò ex tunc subditi à juramento Regi præstito per Ecclesiæ authoritatem liberati, coarctentur ad fidelitatis honoragium, ex Religionis necessitate amplius observandum; uti *sacri quoque Canones supra n. 28.* rememorati tradunt.

PROBATIO III.

IN quâ fit retorsio *tertij* Adversariorum argumenti petiti ex hoc, quòd duæ in terris gubernativæ potestates, Regia scilicet & Pontificia, non debeant inter se commiscere, sed utramque oporteat, suâ sphærâ contentam esse, ne pax & tranquillitas publica turbetur.

45. Verùm hâc etiam positâ, minimè tamen admissâ, sed *in antecedentibus* prævalidè confutatâ propositione, contingeret tamen, duas illas, absque ullâ inter se subordinatione, meré disparatas potestates, aliquando inter se committi: quemadmodùm duorum Regum supremæ potestates ad se invicem haudquaquam subordinatæ, sed meré disparatæ, graviter quandoque inter se committuntur, dum una in alterius jura involat. Quid ergo asserendum videbitur, si v. g. Rex quispiam æquè supremus, Gallicæ Coronæ Iura Regia invaserit, an non Rex Christianissimus justo adversùs ipsum indicto bello, victor evadens, non suæ duntaxat Majestatis jura sibi vendicabit, sed Regni sui aggressorem suis quoque Regijs erga urbes æquo prælio occupatas, juribus spoliandum decernet? Sed quo jure? Non utique *directæ* in eum supremum Regem jurisdictionis authoritate, sed ex Iure vindicandi injuriam sibi, Coronæque suæ Regiæ illatam.

An non igitur pari, imò majori jure, si Rex terrenus invadat Iura Majestatis Pontificiæ, Ecclesiæque Sanctæ Bonum publicum perturbet, & legitimè admonitus, contumaci nequitiâ suâ pessumdare contendat, Ius erit Summo Pontifici, supremam authoritatem suam eoúsque protendere adversùs illum Ecclesiæ sanctæ publicum hostem, quoúsque Rex Gal-

liæ prætendit, supremæ Majestatis suæ potestatem prævalere, ad Coronæ suæ jurium aggressorem æquè licèt supremum Principem, suis juribus exuendum?

46. Ad hujus confirmationem, sequens accipe argumentum Theologicum ex uno per naturæ lumen conspicuo, & altero per fidei lumen certificato principio, sub legitimâ consequentiâ deducendum. Nempe luminis naturalis certum ac indubitatum est *morale* principium, quòd supremæ Majestati jus sit, se ipsam & jura sua propria eoúsque vindicare, ut sub prævio injustæ aggressionis judicio etiam publico, possit injustum suæ Majestatis aggressorem, Regem licèt æquè supremum, armis suis subigere, eumque sic devictum, ex parte saltem, vel si causæ æquitas, seu necessitas exigat, etiam ex toto deturbare Regno suo, exuereque Regiâ suâ supremâ authoritate. At fidei lumine certum est hoc alterum principium, quòd Vicaria in Ecclesiâ Christi potestas saltem unà cum Concilio Oecumenico sit suprema quædam authoritas à Christo Domino instituta, obtinens Summæ intrà Ecclesiam Majestatis Iura, nulli alteri in terris subjecta, & subordinata, sed soli Christi Judiciariæ potestati subdita. Hisce igitur duobus prorsus certis, altero *naturalis luminis*, altero *fidei* principijs præsuppositis, quæ inde per legitimam consequentiam Theologicam inferenda erit conclusio, nisi quòd Oecumenica supremæ Ecclesiæ potestas æquè, ac Regia supremi Principis authoritas possit quemcunque supremum etiam Regem, sanctæ Ecclesiæ, ejusque supremæ Majestatis furium aggressorem, tum judiciariâ potestate, tum spiritualis armaturæ potentiâ suâ, persequi usque ad ipsius exauthorationem.

PROBATIO IV.

IN quâ fit retorsio *quarti* Adversariorum argumenti desumpti ex Christi Domini verbis *Joan. 18.* pronuntiantis: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

47. Coarctemus rei præsentis argumentum ad illud præcisè Christi Regnum, quod est Ecclesia. Hoc mysticum Christi regnum non est *de hoc mundo* tam *originativè*, quoad sui institutionem, quàm *formaliter*, quoad intrinsecam sui cum fidei lumine, & supernaturalis Religionis infusâ virtute commensurationem, quàm etiam quoad *specificationem* petitam ex *formali* suo objecto, quod Clerus Gallicanus *in primo articulo suo* circumscribit sphærâ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium. Num verò Catholico Theologo digna vox esset, asseverare, quòd ulla ex humano arbitrio dependens sit *moralitas*, cui non superstruatur ordo ad salutem æternam, in tantum, ut quævis deordinatio à luminis naturalis *moralitate*, ex statu supernaturalis elevationis, inseparabiliter importet deficientiam à *supernaturali quoque moralitate*, ejusque *specificativo fine ultimo æternæ salutis?* Num Ecclesiæ porrò regimen dicere fas est, consistere in præcisâ, privatorum, & cujusvis Christiani propriorum actuum ad salutem æternam ordinatione, non verò obtinere normam publici quoque Regiminis, fidelium sub uno Capite & Pastore Oecumenico in unitatem fidei coadunatorum, sicque unam Christianam Rempublicam constituentium, moderantis, atque universale sacræ Religionis Bonum sub publico etiam Dei cultu, authoritativè ordinantis ad æternæ salutis Finem Ultimum? Numquid ab hoc publico sanctæ Ecclesiæ Regimine, sub fidei unitate omnimodam honestatem supernaturalem, cum æternæ salutis Fine ultimo, publicoque Religionis cultu mysterioso proportionabilem, convenienter ordinante ac dirigente, excludere fas est, qualecunque Principis sæcularis Regnum Politicum? Num hujus ad æternam salutem ordinis tum privati, tum publici, capacia negaveris Regiæ potestatis in Christiano Principe residentis, exercitia, & actus *morales* etiam publicos? Quandoquidem ergo Regni Christi, nempe Ecclesiæ sphæra, sit, quorumcunque Christianorum, *moralium*q; in his actuum, in salutem æternam, publicumque Dei cultum, communeque Sanctæ Ecclesiæ Bonum ordinabilitas, sub hâc autem sphærâ contineantur etiam Regna, Regiæque potestates, nec non quicunque Christianorum, ipsorum adeò Regum actus *morales*, in salutem æternam, publicæque Religionis Bonum commune ordinabiles, consequens est, secundùm hanc ordinabilitatem, Regno, Christi, nempe Sanctæ Ecclesiæ, ejusque Oecumenicæ potestati subesse quoque Regna, Regumque actus *morales*, circa rerum temporalium dispositionē versantes, *secundùm dictam ordinabilitatem* spectatos, atque ad hanc ceu *specificativum* Ecclesiasticæ potestatis *objectum formale*, se habentes, tanquam *objectum materiale*. Quandocunque igitur Rex, quantumvis in lineâ politici regiminis supremus, molitur aliquid adversùs publicum illud Sanctæ Ecclesiæ Bonum, ac regimen, suæ Regiæ potestatis actibus non tantùm descisendo ab illâ sphærâ supernaturalitatis, in Sanctæ Religionis etiam publicæ, atque salutis æternæ finem ordinabilis, sed istud Ecclesiæ sanctæ publicum Bonum evertere conando, atque per schisma, seu perversa, adversùs Oecumenicum S. Ecclesiæ Pastorem, ejusque regimen conamina, turbando pacem & tranquillitatem unitatis fidei, ac Religionis etiam publicæ, ex tunc speciali etiam publici Ecclesiæ sanctæ Boni protervè violati titulo, incipit esse subjectus Ecclesiasticæ potestatis judicio, ejusque authoritati judiciariæ.

48. Neque hoc mirum cuiquam videri debet expendenti, quòd, licèt hæresis crimen *de naturâ suâ* non subsit potestatis Politicæ tribunali, utpote cujus sphæra *per se* ac *directè loquendo*, luminis naturalis limitibus circumscripta, superextendi haud valeat super fidei dogmata, atque adeò errores eisdem adversantes dijudicandos. Nihilominùs, quia *moraliter* est impossibile, scissâ religione in aliquo Regno, servari posse illæsam tranquillitatem, & publicam politici quoque regiminis pacem, ideo propter hæreticos, huic publicæ pacis Civilis, Bonique Politici tranquillitati ine-

vi-

vitabiliter adversantis nequitiam, Rex suæ Regiæ Majestatis potentiâ seu *judiciariâ*, seu *militari* adversùs hæreticos, imò ipsas etiam hæreses in suo Regno enascentes, vel *ibidem* jam adolescentes, meritò insurgit, non quidem *per se* ac *directè*, sed quatenus hæreses Politici regiminis Bono, & pacis publicæ tranquillitati nocent, ut sic enim tanquam objectum *materiale* subduntur Politici regiminis ordinabilitati, ceu *formali* Regiæ potestatis *specificativo objecto*, sub se adeò complectenti etiam hæreses, non *formaliter*, sed *materialiter* spectatas, quà ne ipse cum publico regiminis politici Bono pugnantes, ut sic enim respectu potestatis Regiæ, subeunt ratione *objecti materialis*.

Cujus ulterior confirmatio desumitur ex
49. eo, quòd Juramenti vinculum sit de se spirituale, *formaliter* ac *directè* spectans ad solum Ecclesiæ Sanctæ tribunal. Nihilominùs Regiâ potestas legitimam habens authoritatem super contractu Civili, qui ejus subijcitur foro, potest hunc irritando, *per consequentiam* facere, ut, si jurejurando firmatus fuerit, hujus quoque vinculum tunc *per indirectum* tollatur. Quam *indirectam* Juramenti solutionem Rex supremâ suâ authoritate potest insuper præstare, ex causâ legitimâ nomine alterius sibi subjecti contrahentis, remittendo obligationem contractûs Civilis: vel etiam sanciendo, ut contractus, super quo adhiberi solet Iuramentum, ex causâ publici Boni Civilis, sit illicitus ac iniquus: hoc enim utroque modo *per indirectum* solvitur jurisjurandi vinculum, spirituale licèt, ac solius Ecclesiæ, non Regiæ potestati *per se formaliter* ac *directè* subjectum.

Quòd si ergo Regia potestas, sphærâ naturalis duntaxat regiminis circumscripta, super spiritualia, tanquam *objectum materiale* extendi valet, quatenus annexam habent aliquam, Politico regimini proportionatam ordinabilitatem, vel quatenus cum hujus publicâ tranquillitate oppositionem præseferunt, quidni à fortiori dixeris, Ecclesiæ sanctæ Claves posse supra jura & Regna temporalia, tanquam *objectum materiale* superextendi, quatenus vel publicæ Religionis, ac Fidei unitatis, atque cum æternæ salutis fine congruitatis ordinabilitatem, vel ab harum aliquâ *deficientiam*, imò *positivam* etiam *repugnantiam* præferunt?

§. III.

Nostratis sententiæ Argumenta ex Antiqui Fœderis tabulis deducta referuntur ac expenduntur cum conclusione super ijs reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

Ex 2. Paralip. 26. capite *petitum*.

50. AUthor *Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 2. n. 1.* argumentatur 1. Oziam Regem, quamdiu Pontificis Azariæ mandato & consilijs paruit, gloriâ & victorijs floruisse: ubi verò Sacerdotis officium usurpavit, lepra percussum, Templo & Regno a Pontifice pelli, & Imperium filio tradi. Verba Scripturæ hæc sunt: *Sed cùm roboratus esset Ozias, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusq; Templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq; post eum ingressus est Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusq; Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in Domo Domini super altare thymiamatis. Cùmq; respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus & festinatò expulerunt eum: sed & ipse perterritus acceleravit, egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separatâ, plenus leprâ, ob quam ejectus fuerat de Domo Domini. Porrò Ioatham filius ejus rexit Domum Regis, & judicabat populum suum.* Ex quo sacro textu talis efformatur argumentatio. Nempe Rex Ozias non tantùm, ut templo exiret, rogatus, sed etiam compulsus, & à reliquo populo. Summo Pontificis arbitrio separatus, & hoc ipso regno exutus est: sic enim habetur *Levitici 13. v. 4. Quicunque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis &c. solus habitabit extra castra.* Sicut ergo ad Sacerdotem pertinebat de leprâ Principis cognoscere, &, si reperisset infectum, à commercio populi excludere, sicque inhabilem Regno pronunciare: sic multò magis in Novâ Lege ad Summum Sacerdotem pertinet, de lepra spirituali judicium ferre, &, si periculum ex illa fidelibus immineat, Regnum Principi adimere, ne exemplo, imperio, & potentiâ Ecclesiam corrumpat. Quæ causa fuit Adriano, Leoni, & Stephano Romanis Pontificibus, ut Imperatoribus Græcis non tantùm in hæresin lapsis, eamque decretis & supplicijs Oriente toto propagantibus, sed etiam Occidentem invasuris, Imperium abrogarent. Et quamvis illud præceptum de leprâ corporali a Sacerdote cognoscendâ, judiciale fuerit, potuit tamen etiam in Lege Evangelicâ locum habere. Imò quoad lepram spiritualem, est præceptum *morale* fundatum in *Iure Divino* naturali.

Objectio.

EXcipi potest ex adversâ parte, quomodò 51.
subsistat proximè adductum principium, quo asserebatur, *illud de leprâ corporali à Sacerdote cognoscendâ Veteris Legis præceptum judiciale, potuisse etiam in lege Evangelica locum habere?*

Responsio.

REponi equidem potest, per principium 52.
proximè assertum minime intendi, ac si illud præceptum *formaliter* sub Divina, nempe Veteri Legi annexâ, at per Christum evacuatâ *formalitate suâ*, etiamnum locum haberet in Lege

Lege Evangelicâ, sed ipsomet *Regalis Sacerdotij* Authore insinuante, hoc tenere duntaxat in vi Canonis I. *de homicidijs* : ubi sancitur : *Homicidij per industriam, vel insidias perpetrati authorem esse ab altari, ad quod confugit, avellendum, & Curiæ sæculari tradendum, ut moriatur.*

Verùm neque ex isto Canone probatur Judiciale illud de leprâ corporali per sacerdotē cognoscendâ præceptum, adhuc vigere in Nova Lege. Veteris equidem Testamenti leges, ceu Evangelicæ veritatis figuræ, *quoad rem figuratam & præsignificatam* ita fuerunt consummatæ à Christo, ut veritas sic præfigurata re ipsâ jam subsistat sub statu Evangelij. Unde sicuti lepra corporalis per Sacerdotem cognoscenda, erat figura Divinitus instituta, ad præsignificandum Sacerdotij Christi super leprâ spirituali judicium, sic indubitatum hinc desumitur argumentum, de istâ Sacerdotij Christi propriâ judiciariâ super fidelium peccatis, ceu lepris spiritualibus cognoscendis authoritate. An verò ex eâ figurâ efficaciter probari queat, quòd Sacerdotij Christi præsignificata potestas judiciaria procedere valeat ad ipsos etiam Reges exauthorandos, non immeritò dubitare licet, accuratiùs expendenti eam figuram.

53. Ex præadducto namque sacro textu non evincitur, quòd Ozias per authoritatem Summi Pontificis Azariæ sit exutus Regiâ dignitate, sed verba illa sacra Oziam leprâ licèt percussum, & separatum, expressè appellant adhuc Regem ad mortis usque suæ diem, sicque adeò unà cum Scripturarijs, Salianus usque ad Annum mundi *3277.* sicuti etiam Isaias Propheta *cap. 6.* pro eo anno, quo mortuus est Ozias, ipsum adhuc Regem nominat. Unde Joatham filius ipsius, nonnisi administratoriâ potestate regebat populum, usque dum Ozias mortuus fuerat. Ex illo igitur Azariæ Summi Pontificis adversùs Oziam Regem exemplo haudquaquàm evincitur, potestatem exauthorandi Reges, fuisse annexam summo Veteris Legis Sacerdotio, sed potestatem duntaxat cognoscendi super leprâ corporali, sicque infectum separandi ab hominum consortio. Nec juvat, si dicatur, illam super leprâ corporali cognoscendâ, leprosoque separando, præfigurativam Antiquæ Legis Sacerdotio competentem, potestatem, manere jam in Novâ Lege, quatenus in ordine ad lepram spiritualem, *morale* continet præceptum, in Jure *Divino naturali* fundatum, vi cujus scilicet, Summo Pontifici incumbat, Ecclesiæ sibi commissæ prospicere adversùs Reges, Fidei, ac Religionis Orthodoxæ inimicos, ne exemplo, imperio, & potentiâ eandem Ecclesiam corrumpant. Hoc enim *morale* Juris Divini naturalis præceptum, num dicere fàs est, præcontentum fuisse in præducta Veteris Legis judiciali lege? Vel potiùs ex alio fonte ac fundamento desumendum est? Hujus quæsiti decisio ex præductis sacræ Scripturæ verbis haud elucet, meritoque adeò istud difficultatis præcipuæ punctum, reservatur accuratè ponderandum, in conclusione *inferiùs* sanciendâ.

ARGUMENTUM II.

Ex 2. Paralip. 23. & 4. Regum II. capite *petitum.*

54. AUthor præinsinuati *Regalis Sacerdotij*, ubi *supra* argumentatur. Jojada Pontifex *loco allegato* Athaliam, quæ Regno injustè occupato, Idolorum cultum invexerat, puniri jubet, & legitimum Regem solio restitui. Verba Scripturæ sunt ista : *Produxitq; Iojada filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium, fecerunt q; eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu, dixerunt, vivat Rex.* Et post pauca : *Præcepit autem Iojada centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis. Educite Athaliam extra septa Templi, & quicunq; eam secutus fuerit, feriatur gladio. Pepigit ergo Iojada fœdus inter Dominum & Regem, & inter populum, ut esset populus Domini, & inter Regem & populum.*

Ex quâ proinde historiâ evincitur, Pontificem maximum, cùm alios animus deficeret, Reginam tyrannidis damnare, milites conscribere, legitimum Regem solio imponere, fœdus non tantùm inter Deum & Regem, sed etiam inter Regem & populum pangere, & conditiones dicere, remque civilem juxta & militarem curare. Sed quo jure? nisi Jure naturæ & necessitatis, ne scilicet impio Principe in thronum sublato, Religio Sacerdotibus commissa profligetur.

55. Si dicatur. *Notoriam hanc fuisse Athaliæ tyrannidem nullo jure Regnum invadentis, & ideo non à Sacerdote tantùm, sed quolibet subditorum potuisse Regno, quod injuriâ tenebat, repelli.* Adversùs hanc adversariorum exceptionem pergit *præcitatus* Author, hunc in modum argumentari. Quemadmodùm, inquiens, Athaliam Summus Pontifex Regno ejecit, quia nullo jure regnabat : eodem modo, si Regnum aliquis sic administret, ut Religioni & fidei noceat, deponi imperio potest, quia jus regnandi aut amittit, aut illo est indignus : potest enim aliquis vel ab ipsis initijs regno indignus esse, quia nullum jus regnandi habuit, ut Tyranni : potest iterum indignus esse, quia licèt Regnum legitimè ingressus, postea tamen jus regnandi amisit, aut meretur, ut amittat. Utroque casu nullo jure regnatur, *primò*, quia non habuit : *secundò*, quia amisit, seu delicto perdidit ; uti patet exemplo Oziæ. Sunt autem paria, non habuisse, & perdidisse. Hoc tamen judicium, cùm sit de re gravissimâ, & Capita Reipublicæ tangat, quibus omni jure venerationem debemus, soli PONTIFICI MAXIMO reservatur, cui soli dictum est : *Pasce oves meas.* Ut *infra ex Cap. Ne aliqui. De Privilegijs. in 6.* dicetur : alioquin Respublicæ latrocinijs plenæ & parricidijs essent, quoliber, qui Principi vim intulisset, causam & salutem publicam prætendente. Simile exemplum de Phinees summi Sacerdotis filio *Num. 25.* habetur, cujus factum ex eo capite Divus Thomas excusat *2. 2. q. 160. art. 6. ad 2. Quia licèt non esset summus Sacerdos, erat tamen Summi Sacerdotis filius, & ad eum hoc videbatur pertinere, sicut & ad alios Iudices, quibus hoc erat præceptum.* Ob-

Objectio.

56. EXcipi potest in contrarium, ex quo fundamento illi, qui nullum jus regnandi habens, *in via Iuris* est Tyrannus, æquiparetur is, qui regnum legitimè ingressus, abutens suo jure regio, *in via Facti* est Tyrannus. De prioris equidem generis Tyranno, tenent Theologi communiter, cum Divo Thoma 2. *Sentent. dist. ult. q. 2. art. 2. ad 5.* posse à quovis de regno interfici, non tamen *Iure vindictæ*, sed *Iure defensionis*, eò quòd talis Tyrannus non sit Princeps, sed iniquus invasor & oppressor Reipublicæ, ac singulorum etiam civium: injustus autem invasor Reipublicæ, dum non superest aliud remedium, potest *Iure defensionis* per quemlibet civem è medio tolli: sic enim Aod sustulit è medio Eglon Regem Moabitarum, Tyrannicũ Israelitarũ oppressorem *Iud. 3.* & Judith pari *defensionis Iure* interfecit Holofernem, injustum populi Dei impugnatorem. Hoc naturali *defensionis Iure* attento, nullum est dubium, à Jojadâ Summo Sacerdote 4. *Reg.* 11. & 2. *Paralip.* 23 justè reprobatam esse Athaliam, regnum Judaicum tyrannicè, absque ullo titulo sibi arrogantem, ipsaque adeò justitia exigebat, ut Rex legitimus solio imponeretur. Verùm in hoc Jojadæ Summi Sacerdotis facto necdum ostensum est, *an juris duntaxat* naturalis *æquitate nitatur, vel speciali etiam Summi Sacerdotij Iure aliquo.*

Responsio.

57. HUjus quæsiti elucidationem faciemus in sequenti conclusione nostrâ. Interea observanda hîc venit de posterioris generis Tyranno Theologorum sententia recepta. Nempe quamdiu manet Princeps, non posse à privatis occidi, juxta Concilij Constantiensis *Sess.* 15. decretum de errore damnantis hunc articulum: *Quilibet Tyrannus potest, & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunq; vasallum suum, vel subditum.* Etenim princeps, quamvis Tyrannicè imperet, manet re ipsâ superior. Scriptura verò Christianos primitivæ Ecclesiæ jubebat in rebus licitis parêre Principibus, qui Ethnici erant, maximéque tyranni, ac perse-
58. cutores Ecclesiæ. Hæc equidem sententia & ratio procedit de Tyranno, quamdiu Princeps manet. At ex quibus seu naturæ, seu sacræ Scripturæ principijs demonstrare licet, Regem legitimè ingressum Jure Majestatis Regiæ privari ipso facto, si ejus regimen fuerit tyrannicum? Ubi tyrannis eoúsque excreverit, ut non videatur ampliùs tolerabilis, nec aliud supersit remedium, docent quidem aliqui Theologi à Republica, seu Comitijs Regni esse à Regiâ dignitate deponendum talem Tyrannum, declarandumque hostem, priusquàm in ipsius personam quidquam liceat attentare. Hæc autem Comitiorum potestas nititur tum defensionis *naturalis* Jure: tum primævâ origine *Regiæ authoritatis*, penes populum Jure *naturali* primitus subsistentis, nec nisi sub istâ connaturaliter inditâ æqui regiminis conditione & pactione, in unum Caput Politicum, ejusque seu hæredes, seu successores translati.

Quòd si proinde tyrannica ejusmodi gu- 59.
bernatio intrà puros naturæ lumini commensuratos limites subsistere posset, super eâ dijudicandâ fortassis extendere haudquaquam se posset Oecumenici Pastoris authoritas, eo ipso tamen, quòd *moralitatis* naturali quoque lumini proportionatæ transgressio, propter ejusdem ad supernaturalẽ statum elevationẽ, nullatenus subsistere jam possit, quin *moralitatis* quoque *supernaturalis* violatio, Pontificiæ Christi Vicariæ potestati indubiè subjecta, simul interveniat, *an non ex hoc saltem titulo super illam extendere se meritò potest ac debet supremi Pontificis authoritas, maximè si emergat publicum etiam Ecclesiæ damnum?* velut *infra* ex instituto probabitur ex sacris Litteris.

ARGUMENTUM III.

Ex Ecclesiastici 48. Capite.

60. AUthor prælegatus argumentatur 3. Eliæ Prophetæ hoc elogium ponit Spiritus sanctus *Ecclesiastici 48. Quis potest similiter gloriari tibi? Qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo, qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te.* Ex quo sacro textu hunc in modum ratiocinatur præfatus Author. Reges, quos unxit Elias, fuêre Azael Rex Syriæ, & Jehu Rex Israel 4. *Reg.* 19.

61. Si dicatur Elias id fecisse Dei jussu, non suâ sponte: id quidem verum est, sed idem Dei mandatum Summi Pontifices acceperunt, cùm illis commissæ sunt oves Christi, quarum custodia necessariò requirit potestatem lupos arcendi, eosque, qui Ecclesiam evadunt, exarmandi, ne, si velint, possint nocere. Hoc enim naturale *jus defensionis*, cùm singulis natura permittat, quantò magis Summo Pontifici in eos, qui Ecclesiam, oves que Christi, ac sibi commissas animas aggrediuntur. Hoc adeò casu poterit Summus Pontifex Eliæ exemplo, *dejicere Reges ad perniciem, & Reges ungere ad pœnitentiam.* Nam teste Divo Ambrosio *lib. 1. de Offic. c. 36.* & S. Thomâ 2. 2. *q. 60. art. 6. ad 2. Qui non repellit injuriam à socio, cùm potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.*

Objectio.

62. EXcipi potest ex parte adversa, illam argumentationem unicè resolvi in defensionis Jus naturale. At desiderari, ut ostendatur, *quomodò tale jus naturale in supernaturali Oecumenici Pastoralis muneris potestate sit eatenus divinizatum, ut ex ipsismet fidei principijs per argumentum verè ac strictè theologicum firmari valeat?*

Responsio.

63. HOc petitum sequenti ratione præstamus. In Elia etenim non præcisum jus Naturale *defensionis* prævalere potuisset, nisi Dei mandatum extraordinarium ad dejciendos Reges, ipsorumque potestatem confringendam intervenisset, quo Divino mandato unicè nitebatur ille Eliæ spiritus. Sicuti ergo in hoc Propheta erat spiritus quidem non Oecumenicus,

sed potiùs privatus, illius duntaxat personæ annexus, sic operæpretium est, indagare, an ex sacris Litteris probari valeat, *quòd pro perpetuo Ecclesiæ statu sit Pastorali Christi Vicario muneri annexus spiritus altioris ex Divino mandato, quasi Divinizatæ authoritatis, ad confringendam iniquorum Regum potentiam, ipsosq; adeò Reges Ecclesiæ sanctæ perturbatores, ac contra Christi Vicarium perduelles dejiciendos?* Quod in sequentibus præstare totis viribus conabimur.

CONCLUSIO.

64. REgiæ potestatis erga Oecumenicam sanctæ Ecclesiæ authoritatem, subordinatio ostenditur ex Veteris Testamenti *superiùs* allegatis sacris textibus.

Explicatur. Sacerdotio Antiqui Testamenti fuisse judiciariam quoque potestatem, ambigui Legum judicialium populo Dei præscriptarum sensûs, eatenus declaratoriam, ut super ipsis quoque Civilibus causis tanquam *objecto materiali* se extenderet, evincitur *ex Deuteronomij 17. vers. 8.* ubi Deus ita sanxerat: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intrà portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieśq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæréśq; ab eo, qui judicabunt tibi judicij veritatem, & facies, quodcumq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, vel sinistram, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ex quo sacro textu in tantum patet judiciariæ sæcularis potestatis ad Sacerdotij Veteris authoritatem subordinatio, ut judicem sæcularem oportuerit, *judicij veritatem requirere* à sacerdotio, facereque, quodcumque ex hujus judicio fuerat sancitum, ac strictè sequi Sacerdotum sententiam.

65. Dici equidem fortassis posset, in Veteri Testamento leges judiciales fuisse Divinas, quarum adeò interpretatio meritò petenda erat à sacerdotali authoritate, in Novo autem Testamento Leges fori Civilis in causis seu civilibus, seu criminalibus moderatrices, haudquaquam esse juris *Divini*, sed juris *humani*, ab ipsis Regibus & Imperatoribus latas, ut secundùm eorum normam perageretur judicium. Nihil ergo cum istis habere, quod agat suprema sacerdotij Christiani authoritas, sed totum ejusmodi judicium cum legum ejusdem moderatricum interpretatione, remittendum esse ad Reges & Imperatores, seu judices ab ijsdem constitutos.

66. Verùm licet hæc discrepantia inter Novi & Antiqui Fœderis statûs Leges judiciarias revera, uti dicitur, ita se habeat, ex præadducto nihilominùs sacro textu constat, quòd sacerdotale judicium ita *directè* ferebatur super legis judiciariæ Divinitus constitutæ interpretatione, ut tamen *indirectè* per modum *objecti materialis* attingeret ipsas quoque Civiles causas, præviæ de legitimo legis sensu Sacerdotis sententiæ conformiter dijudicandas; eodem sacro textu dilucidè sanciente: *Si difficile & ambiguum* apud sæcularis fori judices *perspectũ fuerit judicium inter sanguinem & sanguinẽ, causam & causam*, verè civilem, *super quâ intrà* laicæ potestatis *portas*, seu tribunalia *existat judicium* variatio, eatenus *debuisse judicij veritatem indagari ex judicio Sacerdotij*, ut in ejusmodi specificâ causâ oportuerit, judices laicos, sequi sententiam Sacerdotum. In aperto igitur est, Sacerdotij authoritati talem in Antiquo etiam Fœdere, debitam fuisse civilis potestatis subordinationem, ut illa *indirectè* se extenderet ad causas quoque Civiles, ceu *objectum materiale* judicij sacerdotalis, super judiciariæ legis sensu *per se formaliter*, super ejusmodi verò causis Civilibus *indirectè* & *materialiter* se protendentibus.

67. Et verò licèt Leges, secundùm quas fit judicij civilis moderatio, non jam sint *specificè* Divinæ, sed ab ipsismet Regibus seu Imperatoribus, pro suo seu Regno, seu Imperio latæ: attamen cujuscunque legis ratio transcendentalis exigit ad essentialem sui valorem, ut non sit difformis, sed *positivè* conformis Juri *Divino*, vel *naturali*, vel *positivo*. Hæc autem cum jure *Divino* etiam naturali conformitas, ex statu supernaturalis hominum elevationis jam subsistere nequit, si qualemcunque habeat cum lege Divinâ sacris Litteris nobis patefactâ dissonantiam. Sub quâ adeò cujuscunq; cum honestate, sacris Litteris sancitâ difformitatis *formalitate*, ad Ecclesiasticæ potestatis sphæram spectante, lex à Rege, vel Imperatore lata, per modum *objecti materialis*, *indirectè* saltem subijcitur sanctæ Ecclesiæ authoritati ac judicio.

68. Quemadmodùm igitur Deuteronomij *21. c. 5.* Deus imperavit, *ut ad verbum Sacerdotũ omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, finiatur.* Sic in Novâ Lege judicium Regalis Sacerdotij, super legibus Regijs, & Imperatorijs, & consequenter super civilibus ex harum normâ decidendis causis quibuscunque superextenditur, non quidem *directè*, ac *per se*, sed *indirectè* & *materialiter*, quatenus Summi Oecumenici Pastoris officium requirit, providere, ne quid à Jure *Divino*, seu *naturali*, seu *positivo* distortum irrepat, siquidem deviatio à naturali æquitate subsistere nequeat, quin habeat repugnantiam cum fine salutis æternæ, honestateque etiam supernaturali, ipsiusque etiam Religionis sanctæ decore. Sub quâ adeò repugnantiæ *formalitate*, si quando in legibus Civilibus interveniat, istæ ceu *objectum materiale* necessariò subesse debent judicio Pontificiæ authoritatis.

Quibus proinde suppositis, ad argumenta circa Pontificiæ super Regiâ potestate *materialiter* saltem spectatâ, causisque Civilibus authoritatis extensionem, ex Veteris Testamenti sacris textibus petita, accuratiùs ponderanda procedemus, visuri, *quantè polleant vi & energiâ ad demonstrandam politicæ potestatis respectu Ecclesiasticæ authoritatis subordinationem?*

* *

PRO-

PROBATIO I.

Desumpta *ex 2. Paralip. 26. capite.*

69. ETenim quia Veteris Testamenti Sacerdotio potestas erat, per Verbi Divini interpretationem formandi ac ferendi sententiam super *veritate judicij*, causam etiam Civilem concernentis; uti liquet *ex præallegatis Deuteronomij sacris textibus*: à fortiori dicendum est, id Sacerdotium habuisse talem authoritatem super causis spiritualibus, qualis erat Oziæ arrogata præsumptio: *Vt templum ingressus, adoleret incensum super altare Thymiamatis.* Super hâc igitur Divini ordinis transgressione non ex privato duntaxat, sed sacerdotalis authoritatis publico judicio, Azarias Sacerdos Summus, unà cum reliquis octoginta Sacerdotibus ferebat sententiam, *positivè* resistendo, sicque *authoritativè* dicendo: *Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.* Quòd si ergo in Novâ Lege contingeret, Regem quempiam Christianum involare in Jura Sacerdotij supremi, Ecclesiæque sanctæ pacem, ejusque supremam authoritatem iniquis machinationibus perturbare ac pessumdare, imò sibimet arrogare & usurpare; an minus dixeris esse in Novæ Legis, ac in Antiqui Fœderis Summo Sacerdote authoritatis, ad pronuntiandum judicialiter super tali Regis quantumvis supremi arrogantiâ? Equidem lubens dabo, Azariam Summum Sacerdotem non exauthorâsse Regem Oziam in tantum, ut ipsi adimeretur Regiæ potestatis jus, exutus tamen fuit ejus exercitio.

70. Nec porrò dicere fas est, regiminis publici administrationem Regi Oziæ ademptam fuisse, non tam ex sententia Summi Sacerdotis, quàm per *consequentiam duntaxat, quòd à Domino percussus leprâ, exinde à consortio hominum separatus degeret.* Nam sacer textus expressis verbis ait, Oziam cum Sacerdotibus, ubi vidisset, lepram ex Oziæ Regis fronte apparere, festinatò eum expulisse; non aliâ utique, quàm authoritatis publicæ potestate. Ex qua etiam authoritate *juxta Levitici decimum tertium caput*, penes Sacerdotem stabat arbitrium separandi leprosum. Quod adeò arbitrium Azariæ erga Regem Oziam, non operabatur duntaxat localem ab hominum consortio separationem, sed formalissimam à Regio regimine avulsionem, ita ut jure Regio penes ipsum *habitualiter* adhuc subsistente, ejus tamen exercitium ipsi abrogaretur in tantum, quòd Ioatham filius ipsius judicaret ex tunc populum: utique non patris nomine, cùm de hoc nihil dicat S. Scriptura, sed absolutè absque ullius erga Oziam in administrando regno dependentiæ mentione asseveret, *Ioatham ex tunc rexisse domum Regis, & populum terræ.*

71. Sicuti ergo quisque privatus leprosus arbitrio Sacerdotis erat à consortio hominum separandus, veluti civiliter mortuus, adeoque jure civilis societatis spoliatus, sic Oziæ Regis per Sacerdotis arbitrium ab humano consortio separatio, facta erat etiam quoad politicæ cum subditis communionis avulsionem, Regiæque adeò potestatis, vel per se, vel per alium, ceu Vicarium suum exercendæ privationē, cùm cæteroqui non tam Ioatham, quàm Ozias pater dicendus esset illo adhuc tempore regnâsse, quemadmodùm haud simpliciter, & *absque addito Vicariam* duntaxat potestatem denotante, dicendus esset regnare, subiens vices Regis, qui actualis adhuc regiminis per alium scilicet exercendi clavem, seu Ius Regiæ administrationis, non *radicaliter* duntaxat, sed quoad actualis per alium *suo nomine* peragendæ administrationis adhuc obtineret. Quia igitur Summi in Antiquo Fœdere Sacerdotis judiciaria potestas se protendebat super Regis, Oziæ, Sacerdotale munus sibi arrogantis scelere, ejusque leprâ à Deo percussi, quoad civilem quoque & politicam gubernationem separatione, atque adeò Regiæ administrationis exercitio adimendo, quid ni dixeris, Oecumenicam Summi in Novo Fœdere Pontificis authoritatem protendi super Regum temporalium, in Iura sanctæ Ecclesiæ involantiū præsumptuosam arrogationem, eorumque hinc à fidelium publicâ communione separationem, imò & Regiæ administrationis, quinimò Iuris quoque Regij, si publicæ necessitatis ratio expostulare videbitur, privationem, prout hæc *in subsequentibus* per Novi Testamenti paginas luculenter ostendentur.

PROBATIO II.

Desumpta *ex 2. Paralip. 23. & 4. Regum 11. capite.*

72. LIbenter damus, Athaliam, de qua in *hisce sacræ Scripturæ locis* est sermo, fuisse de genere illorum, qui non tantùm *in via Facti*, sed etiam *in via Iuris* sunt Tyranni, quorum ea est conditio, ut à quovis Regni concive non quidem *Iure vindictæ*, sed *Iure defensionis* occidi possint, uti ex S. Thoma, & communi Theologorum sententiâ est traditum *supra num. 56.* Num verò dicere fas est, Iojadam Pontificem ex hoc privato duntaxat Iure *defensionis naturalis*, egisse adversùs Athaliam Regni Iudaici tyrannicam dominatricem? In hoc Summo Pontifice ex constitutione Divinâ *6. cap. Deuteronomij* erat authoritas *judicij veritatem* definiendi, ex sacrosanctis statûs illius Mosaici legibus. Hæc verò authoritas Pontifici Summo Divinitus attributa, extendebat se ad omne negotium, omnemque causam, civilis quoque statûs propriam, uti apertè liquet *ex 17. & 21. Deuteronomij cap.* Hoc igitur authoritatis Divinitus constitutæ Iure, quis negare ausit, usum fuisse Iojadam Summum Sacerdotem, adversùs Athaliæ tyrannidem, eoúsque procedendo, ut & ipsam Regni possessione spoliandam decerneret, & ad eam ab usurpatâ regiminis possessione detrudendam, milites conscriberet, legitimumque Regem solio imponeret, fœdere inter Deum ac Regem, nec non inter Regem, & populum sancito, non ex privato sensu suo, sed ex publicâ authoritate Sacerdotij, jus Divinitus sancitum habentis super *ejusmodi judicij veritate & justitiâ.*

73. In præallegato equidem *Deuteronomij 17. c.* habetur, ut, postquàm Sacerdos docuisset *veritatem Iudicij*, judex proferret huic conformiter sententiam executioni demandandam, sub ipsâ etiam mortis pœnâ inobedienti Divinitus destinatâ. At in casu illo Athaliæ Regnum injustè occupantis, dum nullus erat constitutus judex Laicus, Rege legitimo exturbato, & pro tunc in jus suum restituendo, ipsemet Pontifex proferens *veritatem judicij* (quod tamen per judicem laicum huic judicio suo ex Divinæ Legis dispositione subordinatum, executioni demandari pro tunc haud potuerat) quâ, nisi suâ Summi Sacerdotij per Deum constitutâ authoritate progrederetur ad finem, tali negotio imponendum, Deo, *Deuteronomij 21. v. 5.* statuente, ut *omne negotium ad verbum Sacerdotum finiatur.*

Juxta hoc igitur Iojadæ Summi Sacerdotis exemplum, quis Summo Novi Testamenti Sacerdotio negare ausit potestatem adversùs tyrannos absque legitimo juris titulo Regni cujuspiam invasores, procedendi ex publicâ, etiam judiciariâ authoritate?

74. Illorum equidem Tyrannorum, qui legitimum Regni jus obtinent, sed *in via Facti* tyrannicam obeunt gubernationem, nullâ erga subditos justitiæ ac æquitatis attentâ ratione, alia sors & ratio est, ita ut secundùm Concilij Constantiensis Decretum, nefas sit, à privatis quibuscunque ipsos interfici. Attamen eorum tyrannica judicia, æquitatis & justitiæ ordinem pervertentia, imò funditus evertentia, ex eo, quòd supernatutali honestati, indeque saluti æternæ *positivè* oppositam continent dissonantiam, ipsimet etiam Pontificiæ super omnes Christi oves, atque adeò super quoscunque Christianos Reges, nec non super omnem, quæ super terram est, *moralitatem* protensæ authoritati sunt subjecta, eoúsque, ut potestatem istam Ecclesiasticam *non audiens*, *instar Ethnici sit habendus.* Attendant igitur Reges Christiani hoc Divinum Ecclesiæ sanctæ Iudicium, ne eoúsque iniqui regiminis nequitijs se faciant reos, ut in *statum Ethnicum*, nempe omnimodæ Divinorum charismatum, & Ecclesiæ sanctæ beneficiorum communicationis expertem, suâ censuris Ecclesiasticis dignâ iniquitate, se se conijciant.

PROBATIO III.

Petita *ex Ecclesiastici 48. capite.*

75. IBi namque agitur de Eliæ spiritu, eoúsque Divinitus sublevato, ut mandato Dei *& Reges inungeret ad pœnitentiam, & Reges dejiceret, & confringeret ipsorum potentiam.* Hoc equidem Dei mandatum Eliæ, quâ Prophetæ factum, non erat cum successionis jure propagandum in posteros, hinc tamen elucet, quoúsque spiritus Dei in Antiquo etiam Testamento fuerit operatus. An ergo nefas erit, asseverare talem Dei spiritum, gratiæ non gratum facientis, sed gratis datæ, habere etiamnum locum in statu Legis Evangelicæ? Hanc profectò Christus, ut Regni sui mystici, Ecclesiæque suæ sanctæ statum sublimiùs adornaret, voluit condecoratam clavibus Regni Cælorum, Petro, ejusque successori perpetuò destinatis, cum potestate ligandi & solvendi, quidquid esset *super terram*, in cælis etiam rato habito, atque adeò intrà conscientiæ forum comprobato, quidquid ex hac authoritate in terris vel ligaretur, vel solveretur. In hac igitur solvendi & ligandi Oecumenicâ authoritate subsistere etiamnum illum Eliæ spiritum non *privati*, sed *publici* jam *Regiminis*, pro Religionis sanctæ seu propagatione, seu conservatione perquàm necessarium, mox elucidabitur ex Novi Fœderis sacris textibus, deinceps accuratiùs expendendis.

§. IV.

Nostratis sententiæ Argumenta, ex Novi Testamenti sacris textibus desumpta referuntur, ac expenduntur, unà cum conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

Desumptum *ex Matth. 16. v. 18.*

76. AUthor præfati *Regalis Sacerdotij cit. §. 2. n. 5.* argumentatur I. ex verbis Christi Domini, ad Petrum *loco* proximè *citato* prolatis, *Et ego* inquiuntis, *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ex his namque Christi Domini verbis sequens construitur ratiocinatio. Omnium Patrum tum Latinorum, tum Græcorum sententia est, hisce verbis Petro promissum esse supremum, & Monarchicum Ecclesiæ regimen in his, quæ pertinent ad bonos mores, sanamque doctrinam. Ergo etiam omnia media necessaria promissa sunt, sinè quibus illa conservari non possunt, & consequenter in bona, & Regna temporalia, quæ omniû consensu sunt propter bona spiritualia, tanquam media propter finem: concesso enim fine, conceduntur omnia media illi necessaria, alioquin concessio finis foret inutilis. Quæ consequentia ex Matthæi verbis adducta, non est imaginaria, sed ex naturâ rei desumpta, & à legislatoribus, ipsisque Principibus approbata; sic enim loquuntur *in Leg. 2. ff. De jurisdictione.* Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse intelliguntur, sinè quibus jurisdictio explicari non potest. Quod optimè animadvertit Gregorius VII. *lib. 8. Epist. 21. Habet enim*, inquiens, *potestatem Ecclesia Romana singulari privilegio concessam, aperire & claudere januas regni cælestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi, claudendiq; Cæli data potestas est, de terra judicare non liceat;* Et S. Leo IX. *in Epist. adversùs præsumptiones Michaelis Constantinopolitani cap. 13. His*, inquit, *& alijs quàm plurimis testimonijs jam vobis satisfactum esse debuit de terreno & cælestis imperio, imò de Regali Sacerdotio sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, præcipuè super ejus speciali dispositione in cælis. si quo modo Christiani esse, velle dici, optatis, &, si ipsam Evangelij veritatem apertè, quod absit, non impugnatis.* Ob-

Objectio.

77. EXcipi potest ex parte adversa. Indubitatum equidem esse fidei principium, quòd Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, ejusque adeò successoribus, illis Christi Domini verbis fuerit promissum supremum Ecclesiæ regimen. At dum additur, hoc regimen se tenere in ijs, quæ ad bonos mores, sanamque doctrinam pertinent, mox reproducitur difficultas jam sæpe attacta, & partim discussa, *cùm duplex sit moralitatis, adeóq; sanæ doctrinæ linea, naturalis una, & altera supernaturalis, in quantum super illâ naturalis etiam moralitatis lineâ extendatur Ecclesiæ, ex fidei lumine potestatis suæ sphæram circumscribentis regimen?*

Responsio.

78. SI hoc quæsitum definiendum videatur ex eo argumento, quòd *Bona, & Regna temporalia sint propter bona spiritualia, tanquam media propter finem, concesso autem fine, sint concessa etiam media ad finem necessaria.* Exinde mox enascitur ista difficultas; *an Regna, & bona temporalia non tantùm ex personali cujusq; Christiani characteri, ingenito debito, sint propter spiritualia, seu supernaturalia*, ita ut quisquis Christianus Rex est, in suæ Regiæ potestatis administratione teneatur habere salutis æternæ per eam consequendæ, Christique gloriæ promovendæ solicitudinem, sed *utrùm insuper Regna, & Bona temporalia sint in Christiano propter supernaturalis æternæ felicitatis bona, secundùm publicæ etiam judiciariæ potestatis respectum, ita ut hujus propterea authoritati ac jurisdictioni sint aliqualiter subjecta & subordinata?*

79. Hoc equidem optimo jure hîc supponitur, sed nondum extat probatum, vel ex claro fidei principio, vel ex naturalis luminis indubitato fundamento, ut sic ex utroque hujusmodi principio, inter se combinato, in vi demonstrationis strictè Theologicæ, inferretur conclusio de aliquali imperij Ecclesiastici super Regnis temporalibus judiciariâ potestate. Istud igitur conabimur præstare *inferiùs*, interea observare compellimur, quòd vix efficax ad hoc intentum, fiat instantia *ex Lege 2. ff. De jurisdictione.* Quilibet enim Rex supremus negabit, se hâc lege obstrictum, nisi quatenus foret *primi juris naturalis*, quod ostensu difficile est. Neque si concessâ jurisdictione, censeantur propterea concessa ea omnia, quæ ad jurisdictionis exercitium sunt necessaria, exinde demonstratur, sed supponitur, jurisdictionis supra Regna temporalia, quoad causas civiles & statûs Politici proprios spectatæ, potestatem esse necessariam ad exercitium Oecumenici Pastoralis officij in Romano Pontifice residentis.

80. Et licèt Gregorius VII. *ex potestate clavium ad cælum usque claudendum & aperiendum protensarum*, inferat, oportere, ut Romanæ Ecclesiæ liceat de terrâ judicare, hinc tamen necdum evadit liquidum, an hoc de terrâ qua supernaturalis statûs limitibus circumscriptâ, judicium extendi valeat ad causas Civiles, secundùm naturam suam hisce limitibus haud comprehensas?

Neque Leo IX. *præcitatus* ait, Regale Sanctæ Apostolicæ Sedis Romanæ Sacerdotium aliter supereminere terreno Imperio, nisi quatenus illud sit fundatum super speciali in cælis dispositione: ex quo haudquaquam elucescit, comprobari Sacerdotis illius Apostolici super terrenis Regnis, quoad causas de natura sua civiles jurisdictionem. Præadducta igitur Christi verba ad hanc Cathedræ Apostolicæ potestatem Theologicè demonstrandam, altiori adhuc indigent indagine. 81.

ARGUMENTUM II.

Petitum *ex Joannis ultimo capite.*

ARgumentatur 2. præallegatus *Regalis Sacerdotij* Author *n. 6.* Christum *ibi* dixisse Simoni Petro: *Pasce oves meas*; item *pasce agnos meos.* Ex quo talis formatur ratiocinatio. Non est dubium, omnes Christi fideles, omnesque magnates ad Christi oves pertinere, & hoc ipso eorum custodiam Petro, Petrique successoribus commissam esse, saltem quoad regimen spirituale, & illa, quæ ad salutem æternam spectant, sed fieri potest, imò sæpe factum est, ut eorum saluti expediat, aut etiam necessarium sit, eos in ordinem redigere, aut potestatem, quâ sibi & alijs noceant, constringere. Cùm ergo ad ovium custodiam, curamque, hæc potestas fuerit necessaria, Summo Pastori omninò concessa est, aut si concessa non est, ergo in necessarijs defuit Deus, imperato quidem fine, sed negatis medijs. 82.

Objectio.

EXcipi potest ex parte adversa. Ex dilucidis ratiocinationis illius verbis constare equidem, argumentum eò collimare, quòd universarum Christi ovium, inter quas sint etiam Magnates, Petro, ejusque successoribus commissa cura Pastoralis, complectatur regimen saltem spirituale, unà cum suis, quæ ad salutem æternam spectant, cohærentijs. At mox hinc emergere duas difficultates: quarum una à viris Catholicis mota intra sacrum Concilium Tridentinum, sed non decisa quæstio in hoc se tenebat; *An hæc cura complectatur non singulas duntaxat Christi oves seorsim spectatas, sed quâ constituentes unam Christi Ecclesiam?* Cui conformiter prætendi posset, Reges quoad suam particularem solummodò personam, non quoad Regiæ gubernationis *ex Divino Iure* prætensam authoritatem, subesse Pastorali Summi Pontificis muneri. 83.

Altera difficultas est; *An cura illa Pastoralis ad universa, quæ ovium Christi, ipsorúmque adeò Regum saluti æternæ sunt consentanea, sese extendens, complectatur virgam coercitivam, & non merè directivam Pastoris nomini* (uti videtur) *proportionatam potestatem, quemadmodùm Pseudoreformati prætendunt?* 84.

Responsio.

NEutra equidem harum quæstionum *in argumento superiùs deducto*, adhuc apparet discussa, neque tamen evincitur inde Deus in 85.

necessarijs defuisse, imperato quidem fine, sed negatis mediis: quippe cùm illa necessitatis ratio, per quam adstrui debet Ecclesiasticæ authoritatis super regimine Politico extensio, maneat adhuc suspensa, donec demonstretur, quoúsque voluerit Deus protensam virtutis suæ virgam, Ecclesiæ sanctæ concessam. De quo proinde difficultatis duplicato puncto erit opportunitas differendi in sequentibus.

ARGUMENTUM III.

Ex Matthæi 18. v. 15. petitum.

86. AUthor prætactus *cit. §. 2. n. 7.* argumentatur 3. ex prælegato sacro textu hisce Christi verbis constituto: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corrige eum, inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Ex quo sacro textu sequens efformatur ratiocinatio.

87. Exinde namque patet, penes Apostolos, eorumque successores esse potestatem judiciariam circa omnia delicta, & injurias in proximum commissas, sicque adeò in defectu Magistratûs sæcularis, justitiam non administrantis, posse recurri ad Ecclesiæ Tribunal ceu ultimum asylum, & aram innocentiæ; exemplo Theodosij propterea castigati, ac inde permoti ad sanciendam legem *20. Cod. De pœnis.* Sic adeò Principis hujus delictum ab Episcopo judicatum, ac punitum fuit, illo nequaquà excipiente, aut justè in populum perduellem fuisse sævitum, aut ad Episcopos non pertinere judicium super pœnâ, quam Princeps in subditos suos statuerit.

88. Circa illum porrò *ex Matth. 18. capite* allegatum textum, singulariter annotare licet, illic sermonem esse non de fraternâ tantùm, seu occultâ correctione, sed etiam de publicâ & coercitivâ, veluti Interpretes communiter docent cum SS. Patribus, adstipulante Divo Thomâ *in 4. sentent. dist. 18. q. 2. a. 1.* Idque manifestè patet ex eo, quòd testes sint adhibendi: &, qui Ecclesiam non audierit, sit instar Ethnici & publicani habendus, hoc est, ab Ecclesiâ separandus, adeò ut nec cibum cum illo sumere liceat Christianis *1. Corinth. 5.* nec eum salutare *2. Ioan. v. 10.* amittatque jurisdictionem & authoritatem judicialem *Cap. ad probandum. De sent. & re judicata.* Et *Cap. Sanctorum. 15. q. 6.* Ex quo, aliisque Capitulis eâdem *causâ 15. q. 6. & Cap. Gravem. De pœnis.* patet, id extendi etiam ad Principes, modò sint non tolerati excommunicati; nam toleratis non adimi jurisdictionem, quales hodie sunt Principes hæretici, & olim Cæsares Romani, sed hisce omninò obediendum esse, constat *ex Cap. Iulianus. 2. q. 3. & Cap. Sacerdos. causa 3. q. 7. in fine.*

*

Objectio.

89. EXcipi potest ex parte adversâ, quòd qualiscumque ex prælegato *Matth. cap. 18.* sacro textu probetur coercitiva erga universos Christi fideles se protendens authoritas, hæc videatur mensuranda juxta mensuram ab ipsomet Christo constitutam, ut, *qui Ecclesiam non audierit, instar Ethnici & publicani habendus sit*, dum scilicet contumax Ecclesiæ rebellis eunctis instar Ethnici spoliandus est supernaturalibus Dei beneficijs, ex sacrâ cum fidelibus communione participandis. At intrà hanc sphæram nequaquam videtur contineri Regia potestas, utpote naturalis luminis sphærâ circumscripta, juxta prædeductos sacros textus, Ethnicis perinde ac Christianis conveniens.

Responsio.

90. ALtiori adhuc indagine dignum superest istud quæsitum, quomodò ex illâ coercitivâ Ecclesiæ potestate deponi possint Reges, atque sic per authoritatem Ecclesiasticam ulteriùs procedi valeat, quàm ad Ecclesiæ rebellem detrudendum ad statum quasi Ethnici, cui statui, luminis naturalis sphæram haud excedenti, ex ipsa rei natura competit, in eoque per sacræ Scripturæ authoritatem comprobatur, subsistere integra Regia potestas?

91. Author præfatus equidem illius ex *Matth. 18. cap.* desumpti sacri textûs explicationem facere contendit ex sacris Canonib^s, *ubi suprà* adductis, *per quos à Iuramento fidelitatis liberantur subditi erga Principem, seu Regem Ecclesiæ rebellem.* Attamen in præsentis disquisitionis puncto non tam convenit ex sacris Canonibus exponere Ecclesiasticæ coercitivæ potestatis sphæram, quàm investigare certum ex fidei principijs fundamentum, quo nitantur ejusmodi Ecclesiasticæ sanctiones. In quo proinde centro eruendo, hoc opus, hic labor esto.

ARGUMENTUM IV.

Ex 1. Corinth. 6. cap. desumptum.

92. AUthor præductus dicto *§. 2. n. 4.* argumentatur 4. Efficax in hanc rem est locus Divi Pauli, *loco citato* sic loquentis: *Audet aliquis vestrûm habens negotium adversùs alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Ex quo proinde sacro textu apparet, S. Apostolum agnoscere in Sacerdotibus, & Apostolorum successoribus potestatẽ de rebus sæcularibus judicandi, eamque probare à majori ad minus per illa verba. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Quasi diceret: Qui idoneus est ad majora, multò magis est idoneus ad minora; ut ibi loquitur Divus Thomas: idque ob periculum, ne ex crebro cum infidelibus commercio, eorumque gratiam captandi causâ, fideles subvertantur. Sed Apostolis circa majora occupatis, hanc potestatem

tem judiciariam vult ab alijs rerum forensium peritis exerceri, quos B. Apostolus *contemptibiles in Ecclesia* vocat, hoc est, respectu eorum, qui propugnandæ Religioni, lucrandisque animabus student.

93. Hunc locum sic intellexit B. Clemens SS. Petri & Pauli auditor *in Constitut. Apostol. lib. 2. cap. 51. Quòd oporteat, in secunda Sabbathorum cognoscere causas. Adsint autem judicio Diaconi & Presbyteri, integrè judicaturi, velut Dei homines cum justitia. Cum utraq; persona venerit, prout lex jubet, ambo, qui litigant, stare jubentur in medio tribunali, ijsq; auditis, sanctè judicium pronuntiate, studentes ante sententiam Episcopi, eos conciliare, ne exeat supra terram judicium in peccatorem; prout in tribunali consortem, participemq; causæ habet Christum Dei.*

S. Anacletus *Epistolâ ad omnes Episcopos & Christi fideles: Si fuerit sæculare negotium, apud ejusdem ordinis viros terminetur, judicio tamen Episcoporum, cùm Apostolus privatorum Christianorum causas magis Ecclesijs deferri, & ibidem sacerdotali judicio terminari voluerit: omnis enim oppressus, liberè Sacerdotum appellet judicium, & à nullo prohibeatur, sed fulciatur, & liberetur.*

94. Eadem Gregorij VII. est sententia *lib. 8. Epist. 21. Habet*, inquiuntis, *Ecclesia Romana potestatem singulari privilegio concessam, aperire, & claudere januas Regni cælestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendiq; cæli data est potestas, de terra judicare non liceat? Absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus, quia Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?*

Idem docuit B. Gregorius Magnus *2. par. Pastoralis cap. 7.* ubi ex allegato Apostoli textu agnoscit quidem *potestatem in sæcularia Pastoribus datam, sed eâ uti non vult, ut tantò spiritualibus negotijs attentiùs operam navent.*

Meritò proinde Tyrinus in hunc locum Apostoli: *Nota*, inquit, *hæc judicia causarum sæcularium inter Christianos committi consuevisse Episcopis, vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, ut constat ex Clemente Romano, ex lege Theodosij, & Caroli Magni, & ex antiquo Ecclesiæ usu: judices enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus, SS. Ambrosius, Augustinus, Sinesius, alijq; Episcopi. Sed crescente nimis numero Christianorum simul & litium, onus hoc rejectum est in humeros judicum sæcularium jam Christianorum, ne, ut ab initio sanctus Petrus apud eundem Clementem rectè monuit, Episcopus præfocatus sæcularibus negotijs, non possit vacare Verbo Dei.*

Objectio.

95. EXcipi potest ex parte adversa, desiderari, ut exponatur fundamentum illud, ex quo Episcopis fuerit olim concessa ea potestas dijudicandi causas sæculares? Si enim radix potestatis ejusmodi esset ex vi jurisdictionis spiritualis in charactere Episcopali radicatæ, profectò Episcopi Gallicani hanc negando, adversùs te ipsos pugnarent. Sed hâc radice investigatâ, restabit discutiendum, *an ejusmodi judiciaria potestas propterea dicenda sit protendi super ipsam etiam Regiam potestatem, vel ejus saltem exercitium?* De hoc enim, quod est præsentis quæstionis punctum, nihil habetur saltem expressè constitutum in illo textu Apostolico. An ergo ex hujus fonte erui possit argumentum, eorum aliquid concludens, hoc opus, hic labor erit.

Responsio.

COrnelius à Lapide *in citat. sacrum textum n. 89.* hujus judiciariæ in Episcopis & Presbyteris potestatis fundamentũ ponit tum ex hoc, si judicium ejusmodi ad ipsos deferatur à partibus litigantibus, quasi arbitrium eorum postulantibus: tum ex eo, si huic judicio præferantur ab Ecclesia, vel à Republica: quemadmodùm lex quoque *in cap. Quicunq;*, & *cap. Volumus. 11. q. 1.* relata, adstipulatur. Ibi namque Theodosius Imperator, confirmante idipsum Carolo Magno, legitur sanxisse, ut *quisq; sive reus, sive actor possit, relicto Tribunali sæculari, etiam post litem contestatam, adire Iudicem Ecclesiasticum.* Supra qua proinde lege Imperatoriâ dignum est, fieri reflexionem, an hæc potestas ab ipsis Imperatoribus fuerit liberaliter concessa Ecclesiastico Judici, vel potiùs in potestate Ecclesiasticâ, quam Imperatores illi ex Christianæ Religionis decentiâ reverebantur, sit radicata? 96.

Benedictus Justinianus *in cit. 1. ad Corinth. cap. 6.* ait, fuisse, qui existimarent, illum Apostoli textum taliter accipiendum esse, quòd civitas Corinthiorum in Gentilium & Christianorum partes divisa, duplicem habuerit Magistratum sæcularem, unum pro Christianis, alterum pro Gentilibus constitutum. Verùm de hoc meritò ambigitur, minusque cohærere videtur cum præadductis Apostoli verbis. Quare idem Justinianus censet probabilius; *illam constitutionem Apostolicam non tam intelligi de legitimis judicijs, quæ à Magistratibus, publicisq; judicibus exercerentur quàm de sponte susceptis, seu potiùs publicâ Ecclesiæ authoritate constitutis, & ad lites dirimendas, & controversias componendas adhibitis, ne cogerentur fideles Gentilium tribunalia non sinè scandalo adire, quod in rebus quidem civilibus, jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, ita ferè usurpari consuevisse, ut, quoniam Episcopus Ecclesiasticorum criminum Iudex erat, & quæ Ecclesiasticâ censurâ corrigenda essent, suo judicio, sententiâq; statuebat, idem etiam civiles controversias sedaret, prout perspicuè cognoscitur ex Clemente, aliisq; seu Pontificibus, seu antiquæ Ecclesiæ sanctis Episcopis ibidem fusiùs relatis.* 97.

Sed in hac ipsa etiam Iustiniani ratiocinatione difficultas persentitur, quo jure Episcop⁹ ex eo, quòd jus haberet, ea, quæ Ecclesiasticâ censurâ essent corrigenda, suo judicio & sententiâ statuere; *potestatem suam protenderet super quibuscunque civilibus causis sedandis?*

Author *Inextinctæ sacri Tridentini Concilij Veritatis to. 4. tract. 10 sect. 2. §. VII.* Ecclesiasticorum Tribunalium sphæram circumscribit hisce verbis: *Quæ causæ* Divino jure *propriè pertineant ad jurisdictionem Sacerdotalem, seu ad forum Ecclesiasticum, ex dictis intelligere, non est difficile: omnes nempe, quæ concernunt societatem Christianæ Ecclesiæ, veluti quæcunq; ordines, gradus, & officia ministrorum ejusdem respicientia, nec non stipendia Divino Iure deputata ministris Ecclesiæ,* 98.

hoc

hoc est decimæ, item causæ v. g. Matrimoniales, ex Sacramento aliquo Ecclesiastico dependentes, item Processus instituendi viâ & modo correptionis Evangelicæ, insuper ea, quæ ad correctionem civilium Magistratuum pertinent, nullum alium super se Magistratum Politicum recognoscentium, in suo officio negligentium, seu delinquentium, vel adversùm se mutuò, vel etiam erga subditos. Præter has verò causas, si quæ aliæ ad Ecclesiasticum, & Episcoporum Iudicium sunt alicubi translatæ, vel longâ consuetudine hoc obtentum est, vel donatione Regum, aut Principum, sive ultroneâ populorum submissione jurisdictionem etiam sæcularem obtinent Episcopi.

Illa igitur Ecclesiasticæ potestatis sphæra, si attendatur taliter circumscripta, semper adhuc remanet difficultas, quomodò Ecclesiæ authoritas tribunal aliquod potuerit unquam erigere, super causis merè Civilibus, & à fortiori, *quomodò Regia potestas quoad causas sui fori proprias possit unquam prætendi subjecta suprem æ Pontificis Maximi authoritati?*

99. Ad *præallegati* igitur sacri textûs Apostolici energiam magis elucidandam, sequens argumentum Theologicum hîc breviter, *in subsequentibus* autem fusiùs deducendm, in medium proferimus. Etenim in illis etiam causis, in quibus intervenit aliqua ratio, statum supernaturalem concernens, si concurrat simul ratio quæpiam, respiciens luminis naturalis sphærâ, non imeritò prætendit Politicus Magistratus, sibi præveniendo saltem, esse jus, causam ejusmodi cognoscendi, dijudicandi, ac defendendi. Quidni ergo indubitatum teneat vicissim hoc Juris principium, quotiescunque in causâ luminis naturalis sphæræ commensuratâ, sicque adeò ad Tribunal sæculare spectante, concurrit *moralitas* ad supernaturalis statûs sphæram indubitanter pertinens, posse *consequenter* trahi ad tribunal, Ecclesiæ clavium, ex indefinitâ ligandi & solvendi *quodcumque super terram*, potestate consistentium, cum ordine ad salutem æternam unicum supernaturalis statûs finem, adeoque mensuram sphæræ causarum, ad Ecclesiasticum Tribunal spectantium? At indubitata fidei veritas est, nullum esse actum à luminis etiam naturalis *moralitate* deficientem, quin eo ipso consistat simul sub sphærâ deordinationis à fine salutis æternæ, atque adeò *sub hac formalitate* spectet ad judicium Ecclesiasticum.

100. Etsi verò in omnibus circa causas etiam civiles controversijs, ex alterutrâ litigantium parte interveniat aliquid à jure æquitatis saltem naturalis exorbitans, quæ exorbitantia inevitabiliter infert deviationem à fine supernaturali, ut sic subjectam potestati, statui supernaturali proportionatæ, indefinitaque supra omne id, quod *est super terram morale* ligandi & solvendi authoritate munitæ. Nihilominùs quia ista cum æquitatis naturalis transgressione inevitabiliter conexa *moralitatis* supernaturalis deordinatio, necdum est determinatè manifesta, quoúsque causæ civilis controversiæ fit decisio, & ex parte condemnatâ, contumax contradictio; ideo forum Ecclesiasticum causis civilibus litigiosis non tam facilè se immisceat, quoúsque accedente pertinaciâ, apertè agitur de reatu, salutis æternæ dispendium subinferente: quamquàm aliàs ex præadducto fundamento, Ecclesiastica authoritas se omninò posset ingerere, accedentibus præsertim causis specialibus, Christianorum salutis respectum habentibus, uti evenerat in Corinthijs, ex quorum occasione Paulus propterea Apostolicâ suâ, licèt non ordinariâ, sed extraordinariâ, & per Christum quasi delegatâ potestate condiderat statutum *superiùs* adductum.

Atque hæc profectò causa est, cur Theodosius Imperator, & ipsi conformiter Carolus Magnus sanxerit legem, *in vi cujus Christianus quisque sive reus, sive actor possit, relicto Tribunali sæculari, etiam post litem contestatam, adire judicium Ecclesiasticum.* Sed hæc fusiùs discutientur *infra*, ubi patebit quoque, quâ ratione Ecclesiastica potestas in vi præadducti fundamenti, extendi valeat ad causas civiles, Regio Tribunali alioquin subjectas, ac super ipsomet quoque Regiæ potestatis exercitio publico.

CONCLUSIO.

101. REgiæ potestatis erga Oecumenicam Summi Pontificis authoritatem subordinatio, demonstratur ex Novi Fœderis tabulis, textibusque sacris *superiùs* adductis.

Explicatur. Etenim Oecumenica Summi Pontificis authoritas Petro fuit promissa hisce Christi Domini verbis *Matthæi 16. cap. v. 18. & 19.* exaratis: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Quæ adeò clavium potestas promissa Petro, non erat alligata ad ipsius personam, sed ex vi verborum Christi habet ordinem ad perpetuum Ecclesiæ, à portis inferi nunquam superandæ statum. In vi ergo hujus *ad perpetuum Ecclesiæ statum* connexionis, potestas illa determinabatur, propaganda per successionem, atque adeò in vi ejusmodi Divinitus determinatæ successionis, quisquis legitimè designatur Petri successor, immediatè ex ipsa Christi constitutione, adeoque ex jure *Divino* accipit indefinitam authoritatem ligandi & solvendi, *quidquid morale est super terram*, quatenus tamen habet respectum ad Regnum Cælorum, in ordine ad quod à Christo definitæ sunt claves, cum potestate illâ indefinitâ *solvendi & ligandi super terram*. Quandoquidem ergo Christus nihil de eo genere, quod *super terram morale est*, aliquo ad Regnum Cælorum respectu vestitum, excipiat ab illâ indefinitâ ligandi & solvendi potestate, venit hîc *specificè* jam indagandum, *an de tali regnum cæleste respicientium rerum genere sint etiam Reges, eorumq; potestas regia*, si non in se ipsa *formaliter* spectata, saltem quâ applicata subjecto insignito charactere Christiano, una cum eorundem universis actibus *moralibus*, ipsoque adeò Regiæ potestatis exercitio, ut evincatur

inde,

inde, subesse Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis, Oecumenicæ potestati? Quod sequentibus adeò probationibus per sacræ Scripturæ textus firmare *in præsenti* est animus.

PROBATIO I.

Ex allegatis Christi Domini verbis *Matthæi 16.* præscriptis desumpta.

102. ETenim, quis ulli Christiano Regi eam inurere contendet ignominiam, ac si ex charactere Christi, quo in Baptismate est insignitus, non æquè ac cæteri homines Christiani, haberet signum Divinitus impressum coordinativum animæ ad regnum cælorum, subjectæ adeò clavibus Regni cælorum? Harum verò Petro, ejúsq; successori perpetuo, illis verbis promissarum clavium sphæra, *ibidem* describitur ex indefinitâ ligandi & solvendi potestate supra omne *morale* protensâ, quod ita est *super terram*, ut tamen respectum habeat ad Regnum cælorum. At verò universi hominis, Christiano præsertim charactere insigniti, actus eatenus habent respectum ad Regnum Cælorum, ut, si *moraliter* boni sint intrà lineam supernaturalem, eo ipso habeant, in peccatore quidem congruæ, ad gratiam dispositionis, seu impetrationis valorem, in homine autem justo obtineant condignitatis valorem respectu vitæ æternæ meritorium. Si verò actus *moraliter* boni fuerint intrà lineam honestatis purè naturalis, non quidem *positivam* habent respectu gratiæ, ac gloriæ æternæ proportionem, sed *negativam* duntaxat, quatenus ubi non urget aliquod supernaturalis actûs pro hîc & nunc eliciendi præceptum, pro tunc faciunt, ne homo ponat obicem gratiæ, néve peccati cum vitâ æternâ pugnantis reatum aliquem eo instanti contrahat. Quòd si verò actus quicunque *morales* soli etiam naturæ luminis dictamini repugnare videantur, eo ipso tamen, quòd homo sit elevatus ad statum supernaturalem, &, si Christianus sit, talis suæ elevationis signum præferat ipso, per baptismum sibi indito charactere, nequit fieri, quin talis actûs *moralitas* à naturali honestate deflectens, non contrahat reatum peccati, fini etiam supernaturali, cælestis Beatitudinis repugnantem, sitque adeò subjecta clavibus Ecclesiæ.

103. Sub cujusmodi adeò *ad regnum cælorum* respectu indubitatum esse debet, omnis Christiani hominis *moralitatem* seu naturalem, seu supernaturalem, seu bonam, seu malam subijci clavibus Regni cælorum, indefinitæque adeò Petro, ejusque successori promissæ ligandi & solvendi, quidquid est super terram, authoritati. Cui proinde authoritati indubitanter subjacet non conscientiæ duntaxat reatus, qua per Sacramentalem absolutionem solvendus: sed quodcunque *morale* hominis Christiani vinculum est fori quoque externi judicium, sub eo tamen ad Regnum Cælorum ordine respiciens; siquidem Christus *indefinitè*, absque ullâ ad certum duntaxat debiti *moralis* genus restrictione, sed cum protensione ad omne id, quod *morale* est super terram, pollicitus sit, illam ligandi & solvendi potestatem. At in hoc genere actuum *moralium*, vel bonitatis in regnum cælorum ordinabilis, vel malitiei à vitæ cælestis fine declinantis *moralitatem* obtinentium, est quodcumque Regiæ potestatis exercitium, ejusque universi, utpote ad *moralitatis lineam* verè spectantes actus, à politicâ cæteroqui, homini tamen ad statum supernaturalem elevato inexistente potestate, *super terram* editi, cum inevitabili ordine vel deviationis, vel tendentiæ ad regnum cælorum. Nefas igitur igitur foret negare potestatis Regiæ homini ad statum supernaturalem elevato inexistentis (præsertim si hujus supernaturalis statûs sibi à Christo in Baptismate inditum signum in animæ suæ fronte gerat) qualiacunque exercitia, subesse Oecumenicæ Summi Pontificis Petro successoris authoritati, sive hujusmodi Regiæ potestatis actus proprij se habeant per modum legis, sive per modum sententiæ judiciariæ, respiciantq; non privatum duntaxat subditorum, sed etiam publicum *politici regiminis* Bonum, cùm ut sic etiam obtineant talem *super terrâ moralitatem*, quæ ipsum Regnum Cælorum respicere debeat.

104. Neque verò claves regni cælorum Petro, ejusque Successori commissæ, cum indefinitâ suâ ad omne *morale, quod est super terram*, ligandi & solvendi authoritate ita coarctantur, ut instar Oeconomicæ potestatis privatū duntaxat salutis æternæ commodum, in sibi subjectis ovibus, solùm sigillatim ac divisim spectatis, attendere debeat, sed eo ipso, quòd secundùm Christi Domini sacrorum verborum contextū habeant respectum ad Ecclesiam, quæ est Regnum quoddam ex cunctis Christi fidelibus coadunatum, oportet, illam indefinitam ligandi & solvendi potestatem protendi etiam super publico Ecclesiæ, fideliumque in unum Christi corpus mysticum coadunatorum Bono, quà in regnum cælorum tum æternæ fidelium salutis, tum Divini honoris etiam publici finem respiciens ordinabili. Ex hâc ipsâ verò in publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum ordinabilitate, oportet, ut Oecumenica Summi Pontificis authoritas ferre possit etiam leges Ecclesiæ publico Bono convenientes, exercereque in foro externo judiciariam potestatem, pro exigentiâ non privati duntaxat fidelium erga salutem æternam cōmodi, sed communis Ecclesiæ sanctæ utilitatis, atque publici sanctæ Religioni propagandæ & conservandæ proficui regiminis. At hæc ipsa publica Ecclesiæ authoritas æquè sub indefinitâ, super omni eo, quod est *morale super terram*, protensâ potestate comprehensa, nullâ iterum habet exceptionē, sed universalem ex Christi verbis protensionem erga *omnimodam moralitatem*, quorumcunque, etiam Regum, Christi charactere insignitorum, atque adeò erga eorundem universas actiones *morales*, sicque proinde protendi debet etiam ad leges, sententias judiciarias, aliosque actus politicos *moralitatis* ad Regnum Cælorum ordinabilis, *formalitate*, inevitabiliter vestitos. Imò ipsa etiam Regiæ potestatis erga certum subjectum applicabilitas, atque ejus authoritatis in tali subjecto continuatio, non sunt quid merè *physicum*, sed *morale*, quempiam habens ordinem ad *Regnum Cælorum*, atque

adeò spectat ad hujus clavem, indefinitamque solvendi & ligandi potestatem, complectentem id omne, quod est *morale super terram*: quod nempe est respiciens salutem æternam, sacræque Religionis seu privatam, seu publicam utilitatem. Quid ergo in Rege Christiano est quocunque modo excogitabile, quod non sit subjectum Ecclesiæ sanctæ Clavibus, Oecumenicæque Summi Pontificis authoritati, nisi fortè excipere velis Regiam potestatem quà *formaliter* spectatam, & quà Jure *Divino* constitutam, prout in se, *secundùm suam præcisam essentiam* consideratur, non verò quà *subjectivè* recepta est in homine Christiano, atque ab hujus *morali* exercitio, quoad actus sibi proprios dependens, quanquàm hoc ipsum etiam Jus Divinæ Regiæ potestatis *formaliter* constitutivum, non quidem ut sic, sed *materialiter* spectatum, prout scilicet pravitatis hæreticæ eam abrogare aliquando contendentis est objectum *materiale*, ut sic *materialiter* subesse debeat etiam Oecumenicæ Ecclesiæ potestati, utpote ex Divino verbo eam, suarum Clavium authoritate, defendere ac tueri obstrictæ.

PROBATIO II.

Petita *ex Joannis ultimo capite.*

105. His namque verbis, quam Christus Dominus *cit. Matth. 16. cap.* potestatem clavium promiserat Petro, cum perpetuo intrà Ecclesiam ad finem mundi usque duraturam, successionis ordine, eam post gloriosam suam Resurrectionem actualiter contulit eidem Apostolorum Principi, per verba *dicto ult. Joannis cap.* exarata. *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Hæc namque pascendi potestas ita habebat respectum ad singulos Christi fideles, verbo Dei, & correctione salutiferâ pascendos, ut simul habeat ordinem ad publicum Ecclesiæ regimen, Ecclesiamque sanctam, mysticum Christi corpus ac Regnum, publicâ adeò authoritate pascendum, sicque gubernandum in ordine ad communem sacræ Religionis utilitatem. Cui proinde publici quoque regiminis, seu Christiani regni ordini subduntur, quotquot sunt Christi oves seu agni. Quis ergo Reges Christianos ab hoc Christi ovium ordine, ac regimine etiam publico excluso velit, dum tamen Christus nullam suarum ovium, charactere nempe suo in Baptismate insignitarum, ab illo pastorali munere, publici Ecclesiæ sanctæ regiminis normam præferente, exclusam voluerit?

Quòd si ergo Rex non pro suâ duntaxat personâ extra sacrosancti ejusmodi regiminis, ceu universalis ovium pascui, limites aberret, sed alios insuper Christi fideles ab hoc Christi ovium grege abducat, imò ipsam etiam Ecclesiam, quoad publicum sacræ Religioni propagandæ, & conservandæ conforme, Divinitus constitutum regimen, infestet, ejus Jura invertat, ac pervertat, unitatem fidei conturbare nitatur, seu ejus perturbatores tueatur & defendat, sanctamque Religionis publicæ pacem evertere moliatur, quomodò talis Rex Christianus, quoad omne id, *quod in se super terram morale est*, respiciens Regnum Cælorum, ejusque Claves; non subjacebit haud privatæ duntaxat correctioni, sed publicæ etiam correptioni Oecumenicæ supremi Pastoris authoritatis?

PROBATIO III.

Desumpta *ex Matthæi 18. cap. v. 15.*

106. Ibi namque quisquis peccaverit, si correptus à fratre Christiani nominis consorte, altero etiam, vel tertio ad iteratam ejusdem correctionem assumpto, se non emendaverit, à Christo Domino decernitur denuntiandus Ecclesiæ, eoúsque processum suum protensuræ, ut, ubi Ecclesiam non audierit, sit *habendus instar Ethnici & publicani.* Quæ proinde Ecclesiæ à Christo præcepta procedendi norma, non potest non esse judiciaria, cùm nefas esset, absque substantiali processûs judiciarij solemnitate, quempiam spoliare Christianæ communionis Jure, eumque ejicere extra Ecclesiæ communionem, ita ut ex tunc habendus sit *instar Ethnici & publicani.* At verò ista correctoria, & coercitiva, publicæ Christianæ communionis privationem inducens censura, Ecclesiasticæ authoritatis judicio inferenda, à Christo Domino protenditur erga omnes, qui sub Christiani nominis consortio dici possunt ac debent, esse fratres; *ex aperto sacro Textu.* Hâc autem Christiani nominis propriâ prærogativâ exutos se, utique nolent Reges Christiani. Quos proinde oportet, omninò fateri, se subjectos illi correctoriæ, & coercitivæ virgæ judiciariæ Ecclesiasticæ authoritatis. Etsi verò ex illis Christi Domini verbis *dicti 18. capitis Matthæi v. 17.* exaratis, evinci videatur, istam judiciariæ Ecclesiasticæ potestatis virgam correctoriam & coercitivam, in hoc terminari & consummari, ut, postquàm Ecclesia processerit ad eum, qui contumax est, à sui communione avellendum, ex tunc ulteriùs procedere haudquaquam valeat; Christo dicente: *Si taliter correctus Ecclesiam non audierit, habendum esse instar Ethnici*, communionis nempe Christianæ jure destituti, nullâ ulterioris ex tunc processûs faciendi, sub illis Christi verbis mentione ibi habitâ.

107. Nihilominùs combinando ea Domini verba cum sacro contextu, nempe ejusdem capitis versu *decimo octavo*, ex hoc statim evincitur potestas illa ad communionis Christianæ privationem indicendam à Christo constituta, esse connexa cum istis verbis: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata in Cælo, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis.* At verò hæc Apostolis etiam *figillatim* ac *distributivè* spectatis, per modum tamen legationis duntaxat concessa potestas (penes Petrum solummodò existente ordinariâ Oecumenicâ, in successores transferibili *Matth. 16.* promissâ, & Joannis *ultimo* collatâ authoritate) ea, inquam, Apostolica potestas *indefinitè* complectitur authoritatem

sol-

solvendi & ligandi *quodcùmque super terram est morale*. Sub cujusmodi adeò *moralitatis* lineâ comprehenduntur quæcunque seu Regna, seu bona temporalia, quæ *moralibus* hominum actibus & ordinationibus sunt subjecta. Quemadmodùm ergò ista ligandi & solvendi potestas Apostolica protenditur super omni, *quod super terram est morale*, hominum arbitrio libero, ejusque ordinationi *morali* subjacens, sic coercitiva illa, seu correctoria, per Christum *cit. vers. 17.* asserta & concessa virga, cum illâ Apostolicâ æquè per Christum, *proximè subsequente decimo octavo versu* traditâ potestate, æqualem sortitur mensuram, in vi cujus protendatur super omne id, quod *supra terram est morale*, quale est quodcunque Regiæ potestatis exercitium, atque illius ad certum subjectum applicabilitas, cum ejusdem in hoc individuo subjecto conservatione, & continuatione.

108. Scio equidem, nonnullos prætendere, illam ligandi & solvendi *à citato versu 18.* definitam potestatem Apostolicam, fuisse Apostolis *collectivè sumptis*, adeoque in Concilio Oecumenico aggregandis, cum ordine ad Ecclesiæ quoque perpetuitatem, à Christo Domino communicatam: mox enim *versu 20. & 21.* subscribitur Concilij Oecumenici norma, sub quâ Christus pollicitus est: *Ubi duo, vel tres in nomine suo fuerint congregati, se fore in medio eorum.*

Nihilominùs quomodocunque intelligatur illa Apostolorum ad ligandum & solvendum potestas, sive dicatur fuisse respectu singulorum Apostolorum *delegata*, cum ipsorum adeò personis exspiratura, & in solo Petro secundùm successionis *Matthæi 16.* definitæ ordinem perpetua & ordinaria, in successores adeò transferibilis mansura; sive asseratur, Apostolis *collectim* spectatis, quâ in Concilium aggregandis, tanquam ordinaria ad perpetuum Ecclesiæ statum propaganda, fuisse per Christum *ibidem* repromissa, hoc semper remanet liquidum, & ex verbis Christi manifestum, ne quidem Concilium Oecumenicum ex proprij sui characteris essentiâ posse ullatenus subsistere, nisi *sub nomine Christi*, Vicariâque *adeò ipsius authoritate*. Atqui ex hac Vicariâ Christi authoritate Oecumenicâ, (ubi in reliquis Apostolis delegata Christi erga universum Christianum orbem potestas Apostolica, cum ipsorum personis jam est extincta) in nullo alio, quàm Petri successore, Romano Pontifice jam existente, subsistit essentialis character Concilij Oecumenici, debetque adeò hujus *super omni morali, quod est super terram*, protensa *ligandi & solvendi potestas* indefinita, necessariò jam resolvi in Oecumenicam Romani Pontificis authoritatem supremam, Christi nominis prærogativâ eatenus præfulgentem, quatenus ejusdem Domini nostri, in Cælis ad Patris dexteram sedentis, est Vicaria. Sed de hoc puncto singulariter agendum erit *in sequenti articulo secundo.*

PROBATIO IV.

Desumpta *ex 1. Corinth. 6. capite.*

HIc equidem Apostolus voluit, ut, qui sæ- 109.
cularia judicia habuerint, id est, controversias super rebus temporalibus *judicialiter* decidendas, judices, qui (respectivè, nempe in comparatione ad altiores Dei causas) contemptibiles sunt in Ecclesiâ, constituant ad judicandum. Quod explicans Justinianus *ibi ad versum quartum* ait, Apostolum minimè loqui de legitimis judicijs, quæ à Magistratibus, publicisque Judicibus authoritate publicâ exercentur, sed de ijs, qui communi sensu designati essent Civilium controversiarum disceptatores. Quæ tamen expositio non videtur adæquata, attento integro Apostoli sacro textu, sic argumentantis *versu 3. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Unde *præcitatus* Justinianus rectè subdit *ibidem*, ex eo loco apparere, quòd Apostolus, Jus & authoritatem in res humanas & politicas usurpârit, utpote qui præcipiat, ut fideles fratrum lites decidant, quod deinceps omnes fere Episcopi suo Iure frequentârint.

Super quo proinde Iure fundatur hæc Apostolicæ seu Episcopalis erga res humanas & politicas authoritatis radicatæ extensio, prout *supra n. 108.* deductum videre licet. Unde prævalidum desumitur argumentum pro Apostolicæ in Petri successore residentis, super causis etiam temporalibus, ac civilibus Iurisdictionis protensione. Si namque inquiras, 110.
unde Paulus talem potestatem sibi adsciverit, in promptu est responsio, quòd cæteris, præter Petrum Apostolis, fuerit etiam à Christo *immediatè* commissa Apostolica authoritas, seu generalis erga Universalem Ecclesiam Iurisdictio, *extraordinaria* tamen, & *quasi delegata*, potestatique Petri quodammodò subordinata, uti Divus Antoninus *tract. de Schismat. q. 45.* & Theologi *communiter* tradunt. Etenim quam Christus Dominus *Matthæi 18.* universis Apostolis (uti *supra n. 108.* dictum est) promisit indefinitam ligandi & solvendi potestatem, ijsdem hanc actualiter commisit *Ioannis 20.* dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Sub hisce quippe verbis secundùm Patres significatur legatio Apostolis commissa, de quâ Paulus scribebat. *Pro Christo*, inquiens, *legatione fungimur.* Quam porrò legationem fuisse respectu totius mundi, constat ex *Matth. ult. Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ.*

In vi cujus adeò legationis, Paulo, erga totum orbem in unitate Ecclesiæ coadunatum, erat Iurisdictio Apostolica, verè etiam Legislativa, quam ad *Thessalonicenses 4.* à se exercitam diserte profitetur. In vi cujus insuper potestatis Apostolicæ, Paulus *præcitatus* ajebat: *Nescitis, quia & Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Quantò igitur magis talis super Civilibus Christianorum causis judiciaria potestas convenit Petro, ejusque successorum ordinariæ, super ipsos etiam Apostolos, utpote Christi oves & Agnos, *secundùm moralitatem ex arbitrio suo libero dependen-*

tem protensæ authoritati Apostolicæ, eo ipso, quòd nulla *sub statu omnimodæ moralitatis* ad supernaturalem quampiam participationem elevatæ, sit intelligibilis humana libera actio, quæ non involvat aliquam respectu salutis æternæ, ac publicæ etiam Religionis, sanctæque Ecclesiæ Boni communis vel ordinabilitatem, vel ab hac deficientiam *moralem*, quam in hominibus Christi charactere insignitis subdi Ecclesiæ clavibus, indefinitæque ad solvendum & ligandum potestati Apostolicæ, multimodè patet *ex antecedentibus*.

§. V.

Corollarium finale præsentis *Prtmæ* Disquisitionis.

111. INfertur I. *Qualiter verificetur illa propositio, quâ dicitur, Christi Vicarius Romanus Pontifex debere contentus esse clave Regni cælestis.* Etenim cujuscunque potentiæ seu potestatis duplex noscitur esse objectum; *formale* scilicet ac *specificativum*, & *materiale* seu *terminativum*. Oecumenicæ igitur Pontificiæ, ac Ecclesiasticæ potestatis objectum *formale* ac *specificativum* importat quidem ordinem ad Regnum Cælorum, sicque adeò spiritualia, *per se* habentia talem respectu Regni cælestis ordinabilitatem, *per se primò* subduntur Ecclesiæ clavibus, seu Ecclesiasticæ potestatis regimini & authoritati; quidquid tamen participat de tali ordinabilitate, est hoc ipso de ejus Apostolicæ potestatis objecto *materiali*, atque adeò non *per se primò*; sed vel *per accidens*, *vel secundariò* sub ejus formalitatis participatione, subijcitur sanctæ Ecclesiæ clavibus, earumque Oecumenicæ potestati. At verò quidquid *moralitatis* est in hominibus Christianis, eorumque actibus & negotijs, seu causis quibuscunque, etiam civilibus, est vel ordinabile in Regnum Cælorum, vel ab hac ordinabilitate est deficiens. Sub tali ergo *moralitatis*, ipsiusmet etiam Regiæ potestatis exercitio convenientis, seu debitæ ad certum subjectum applicationi, ejusque regimini, de se licèt politico, inexistentis, ad Regnum Cæleste, tum triumphantis Ecclesiæ, salutem nimirum æternam pro cunctis Christianis à Deo destinatam, tum militantis Ecclesiæ bonum publicum ordinabilitate, quævis causæ civiles & temporales, etiam publicæ ac Regales, subeunt rationem *objecti materialis* respectu Apostolicæ Oecumenicæ potestatis.

112. Infertur 2. Sub illâ *formalis* & *materialis* objecti, potestatis Ecclesiasticæ seu *specificativi*, seu *terminativi* distinctione, ac descriptione facilè intelligi, *quomodò Oecumenica Petri, ejusq; successorum authoritas, duplici potiatur gladio*; altero *super res spirituales*: & quidem *primò & per se*; altero *super temporalia*, sed *quasi per accidens*, seu *indirectè*, *ac consequenter* sive *secundariò* se protendente. Etenim Author *Regalis Sacerdotis præs. lib. 1. §. 2. n. 8.* rectè ait, super Christi, ad discipulorum verbum: *Ecce duo gladij hic*; responso, *Lucæ 22.* prolato, *satis est*, varias equidem SS. Patrum tum mysticas, tum litterales adhiberi expositiones; inter quas tamen sit præcipua: *Voluisse Christum duplici gladio duplicem potestatem exprimere Petro commissam: Spiritualem videlicet & temporalem: istam verò jussisse in vaginam recondi, hoc est, non manu, sed nutu & præcepto Apostolicæ Oecumenicæ authoritatis, nec vindictæ, sed necessitatis causâ exercendam.* prout S. Bernardus *lib. 4. de consid. ad Eugenium.* S. Anselmus *in Matthæum cap. 27.* Bonifacius VIII. *in Extravagante. Vnam sanctam. De Majorit. & obedientiâ.* Abbas *in Cap. Novit. De judicijs.* docent. Quibus adstipulando, Cornelius à Lapide *in cap. 26. Matthæi n. 5.* inquit: *Allegoricè verba illa interpretantes, passim per duos gladios* accipere *duplicem Ecclesiæ potestatem, spiritualem, videlicet & temporalem.*

Quod ulteriùs firmatur sequenti argumentatione Theologicâ, ex duobus nempe omninò certis, altero *fidei*, altero *lumine naturæ* noto, principijs deductâ. Etenim lumine naturæ notum est, cujusvis potentiæ, seu potestatis sphæram extendi super omne id, quod ita comparatur ad ipsius *formale specificativum*, ut propterea respectu illius, superinduat rationem *objecti materialis*. At ex fidei veritate compertum est, Oecumenicæ Petro commissæ clavium potestatis *proprium & formale specificativum* esse ordinabilitatem ad Regnum Cælorum, *juxta apertum Christi Domini verbum*. Quidquid ergo superinduit istam respectu Regni Cælorum ordinabilitatem, ita superveſtitur *formali specificativo* Oecumenicæ Petro commissæ clavium potestatis, ut *consequenter* ad istam se habeat *per modum objecti materialis & terminativi*. At quidquid in homine Christiano est *morale*, secundùm fidei principia, vel *positivè*, vel *privativè* participat de formalitate ordinabilitatis ad *Regnum Cælorum*. Ergo quidquid in homine Christiano est *morale*, per modum participationis, vel per modum privativæ oppositionis, ita superinduit *formalitatem* Oecumenicæ Petro commissæ Clavium potestatis *specificativam*, ut consequenter sit de ejus objecto *materiali* ac *terminativo*. At verò ipsius etiam Regiæ potestatis ad certum subjectum æquitati consona applicabilitas, una cum universo regimine ac exercitio libero ejusdem Regiæ authoritatis, secundùm fidei principia superinduit de *moralitate*, vel ordinabilitatis ad Regnum Cælorum, atque salutem æternam, nec non publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sacræque Religionis universale utilitatem, vel ab istâ deficiendo, importat deordinationem saluti æternæ, atque Religionis Bono *moraliter* oppositam & repugnantem. Ergo principia lumine naturæ conspicua combinando cum fidei principijs, *per consequentiam verè Theologicam* rectè infertur, Regiam quoque potestatem, cum sui ad certum subjectum applicabilitate, nec non publico etiam exercitio; superinduendo *moralitatem* in Regnum Cælorum ordinabilem, vel ab hoc ordine deficientem, ita superveſtiri Oecumenicæ Petro commissæ Clavium potestatis *formali specificativo*, ut *consequenter* sit de istius objecto *materiali*: sicque adeò unam (de se licèt simplicem) Oecumenicam Summi Pontificis authoritatem *virtualiter* continere du- 113.

plicem

plicem gladium : *primariò* equidem spiritualis, *secundariò* autem temporalis super ipsos etiam Reges protensæ potestatis. At concluſio partim ex *fidei*, partim ex *luminis naturalis* certis & indubitatis principijs, *per conſequentiam Theologicam* ritè illata, ita reducitur in fidei principium, ut *virtualiter* saltem sit de fide. Viderint ergo, qui Reges Summi Pontificis Oecumenicæ authoritati subjectos negare contendunt, quomodò securè ambulent in fide Orthodoxâ?

DISQUISITIO II.

In quantum ſecundùm Sacrorum Canonum ſanctiones ſupremi Reges Chriſtiani ſubjiciantur ſanctæ Eccleſiæ clavibus, Summique Pontificis Oecumenicæ poteſtati?

§. I.

1. SAcri Canones reduci poſſunt in Verbum Dei, ſeu Chriſti, tum qua fontem & fundamentum ſanctionis ex Oecumenicâ per Chriſtum conſtitutâ authoritate promanantis, atque ſic ex Verbo Dei ceu principio fidei demonſtratur à priori ſacrorum Canonum, Chriſtianos in *conſcientiæ* etiam foro conſtringens authoritas: tum reduci poſſunt in Verbum Dei, quatenus, dum inter Doctores ſuper alicujus ſacri textûs legitimo ſenſu eſt diſquiſitio, ex ſacroſanctis Canonibus, quaſi à poſteriori demonſtrari poteſt intelligentia Verbi Divini, ex quo ceu fonte ſanctiones Eccleſiaſticæ profluere, atque cum ipſo conformari debent. In præſenti proinde diſquiſitione ex ſacris Canonibus argumentando, utramque viam tenebimus, tum à priori ſanctionum ejuſmodi firmitatem demonſtrando per reductionem ad fundamentum Verbi Divini, tum à poſteriori ex ſacroſanctis Eccleſiaſticis conſtitutionibus oſtendendo Pontificiæ, ex qua promanant, authoritatis ſphæram, Chriſti Domini Verbo inconcuſsè ſtabilitam.

2. Huic igitur poſteriori à nobis præintentæ viæ præit Author *tractatûs de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 11.* varia poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuper Reges ac Imperatores exempla allegando. Imperatoriam namque dignitatem, ait, Carolo magno à Leone III. Papa collatam Hiſtorici tum Græci, tum Latini, ac præcipuè Gallici perhibent. *Ipſe autem* (Carolus inquit Eginhardus *in Annalibus*, ſcilicet ad annum 801. *cùm die ſacratiſſimâ Natalis Domini ad Miſſarum ſolemnia Baſilicam B. Petri Apoſtoli ſuiſſet ingreſſus, & coram altari, ubi ad orationem ſe inclinaverat, aſſiſteret Leo Papa, Coronam capiti ejus impoſuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria; poſt quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt, ac deinde, omiſſo Patritij nomine, Imperator & Auguſtus appellatus.* Ne quis autem putet, Carolum quidem Imperatoriam dignitatem armis obtinuiſſe, à Leone autem ei Coronam tantùm ex cæremonia, ut etiamnum in Gallia fit ab Archiepiſcopo Rhemenſi, fuiſſe impoſitam; ſcribit idem Eginhardus in vita illius Imperatoris, eum ab illo honore ambiendo ità fuiſſe alienum, ut ſi ſibi deferendum præſenſiſſet, abfuturus ab Eccleſia fuiſſet. *Quo tempore*, inquit, *& Imperatoris, & Auguſti nomen accepit : quod primò in tantum averſatus eſt, ut affirmaret, ſe eo die, quamvis præcipua feſtivitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi conſilium Pontificis præſcire potuiſſet.*

3. Summo Pontifici acceptam retulerunt Imperatoriam dignitatem ſucceſſores Caroli Magni. Egregium eſt hujus profeſſionis teſtimonium apud Andream du Cheſne *tom. 3.* ſcilicet epiſtola Apoſtolica Ludovici II Imperatoris Occidentis, Lotharij filij, Ludovici Pij, Nepotis ad Baſilium Orientalem Imperatorem miſſa anno 871. in qua ſic eum alloquitur; *Cùm & ipſi patrui noſtri glorioſi Reges abſq; invidia Imperatorem nos vocitent, & Imperatorem eſſe procul dubio fatentur, non profectò ad ætatem, quâ nobis majores ſunt, attendentes, ſed ad unctionem, & ſacrationem, quâ* PER SUMMI PONTIFICIS MANUS IMPOSITIONEM *Divinitus ſumus ad hoc culmen provecti, & ad Romani Principatûs Imperium, quo ſuperno nutu potimur aſpicientes .... Matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam atque ſublimandam ſuſcepimus, ex qua & regnandi authoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit.* NAM FRANCORUM PRINCIPES PRIMO REGES, DEINDE VERO IMPERATORES DICTI SUNT, IJ DUNTAXAT, QUI A ROMANO PONTIFICE AD HOC OLEO SANCTO PERFUSI SUNT .... *porrò ſi calumniaris Romanum Pontificem, quòd geſſerit, calumniari poteris & Samuel, quod ſpreto Saule, quem ipſe unxerat, David in Regem ungere non renuerit.*

4. Ad ſanctam Sedem recurrerunt alij ad eandem impetrandam dignitatem, quæ ipſis ex ſola ſanguinis cum præcedentibus Imperatoribus propinquitate non debebatur, ut exemplum Caroli Calvi demonſtrat apud Sirmondum inter Concilia Galliæ, & apud alios.

5. Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis, natalibus, doctrinâ, ac pietate celeberrimus, & à Reginone, Baronio, & Molano Martyribus annumeratus, eò quòd mors illi ob propugnata Eccleſiæ jura illata fuerit (ut rurſus videas, doctrinam iſtam exemplis Sanctorum eſſe conſonam) cùm audiſſet, Carolum Regem Francorum, vulgò Simplicem nuncupatum, cui aliàs ſtrictè adhærebat, velle cum Northmannis inire ſocietatem, graviſſimam ad eum epiſtolam ſcripſit, in qua hæc habet inter alia; *Deprecor vos itaque per Deum, ut tale deſeratis conſilium; ne velitis vos in æternum præcipitare interitum; & mihi, cæteriſq;, qui ſecundùm Deum vobis fideles ſunt, æterni doloris aſſerre diſpendium. Melius enim fuerat, vos non naſci, quàm diaboli patrocinio velle regnare, & illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia ſi hæc omnia feceritis, & talibus conſilijs acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, ſed & quoſ-*

cumque potuero, A VESTRA FIDELITATE REVOCABO, *& cum omnibus Coepiscopis meis, vos, & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis servo, hæc gemebundus scribo.*

6. Ivo Carnotensis Episcopus, doctrinâ & pietate illustris *Epist. 46.* quæ est ad Urbanum II. supponit authoritatem Philippo I. Francorum Regi per excommunicationem ademptam; quandoquidem scribit Summo illi Pontifici; *Hâc ratione ex parte usuri* (Philippi Nuncij) *Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum*, NISI CORONAM RESTITUATIS, NISI REGEM AB ANATHEMATE ABSOLVATIS.

7. Unde inerat, nisi à pietate, atque à Religione, antiquis Gallis illa erga Ecclesiæ in Reges authoritatem reverentia, quam illorum perhibent historiæ? Nam v. g. Regibus excommunicatis officia etiam vitæ aliquatenus necessaria, nedum alia Principibus exhiberi solita, negabant. An pios magis, magisque religiosos efficiet illius Regni fideles declaratio Cœtûs Parisiensis, dum eis suadebit, Ecclesiam, neque directè, neque indirectè quidquam in Principes posse, quantùm ad temporalia, quæ sola ferè (proh dolor) ab hominibus hodie attenduntur.

8. Si Gallicanis externa addenda sunt exempla (quidni autem addantur) cùm propositio Cleri Gallicani ad Principes omnes generatim pertineat, nec sit ad Galliæ Reges restricta (qui fortè aliquo jure speciali, vel privilegio tueri sese posse obtenderent) alia non pauca suppetunt. Nam præter Romanos Imperatores, de quibus jam diximus, mortuo Zenone Imperatore, Ariadne ejus conjux, spreto Longino Zenonis fratre, Anastasium ad Imperium evehendum curavit, sed obstitit Euphemius Episcopus Constantinopolitanus, donec Anastasius fidem Orthodoxam scripto professus est; *Cùm Ariadne haberet in animo Anastasium habitu induere purpureo, Euphemius Episcopus usque eò consentire noluit, quoad Anastasius chirographum jurejurando confirmatum ei dedisset, quod planè declararet, cum, si sceptra susciperet, Imperij fidem sinceram servaturum, nihilq; rerum novarum introducturum in sacrosanctam Dei Ecclesiam: quod chirographum Macedonio Sacri Thesauri Custodi tradidit. Factum autem est illud ab Euphemio, quòd Anastasius putabatur à nonnullis errore Manichæorum infectus esse.* Evagrius *histor. lib. 3. cap. 32.* Idem Theodorus Lector *collect. ex histor. Eccles. lib. 2.*

9. Cumque iterum Anastasius in hæresim lapsus esset, & Catholicos persequeretur, ei sese Symmachus Papa opposuit, ut in Epistola ejus apologetica videre est, in qua docet Summus ille Pontifex, quis sit verborum sensus, quæ Prælati Parisienses ex Divo Paulo attulerunt; *Fortassis dicturus es, scriptum esse: omni potestati nos subditos esse debere; Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Cæterùm si omnis potestas à Deo est, magis ergo, quæ rebus est præstituta Divinis. Defer Deo in Nobis, & Nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.*

10. Eleonora primùm Galliæ, deinde Angliæ Regina *Epist. 2. ad Cœlestinum III. Papam* pro liberatione filij Richardi Regis Angliæ à Leopoldo Duce Austriæ capti, & Henrico Imperatori consignati, & traditi, quæ Epistola est 145. Petri Blesensis, sic scribit; *Nónne Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne Regnum, omnisq; potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus, non Rex, non Imperator, aut Dux à jugo vestræ jurisdictionis eximitur; Vbi est ergo zelus Phinees? Vbi est authoritas Petri? Vbi est, qui dicat, zelus domûs tuæ comedit me? Appareat, quòd non in vanum dati sunt vobis, & Coepiscopis vestris gladij ancipites in manibus vestris. Dicite iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Non degeneret in hærede Petri dignitatis Apostolicæ reverenda successio, Vestrum agnoscite principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, & honorate ministerium vestrum. Gloria vestra derivetur ad posteros, & cognoscat generatio altera, quàm inaniter Tyrannus ille præsumpserit, & quàm potenter præsumptionem ejus Romana Sedes punierit.*

11. Leoni quoque Isauro in hæresin Iconoclastarum lapso, & Catholicos in Oriente persequenti, Gregorius II. pluries frustra monito, à Romanis, & ab Italia tributum solvi prohibuit ex Theophane in Chronologia. *Hoc anno*, inquit, *scilicet Gregorij II. primo irreligiosus Leo de proscribendis, & deponendis Sanctis, & venerandis imaginibus primum tractatum habere cœpit: comperto cujus proposito, Gregorius Papa Romanus, scripta priùs ad ipsum Leonem decretali epistolâ, quâ de fide quicquam statuere, & antiquæ Ecclesiæ sancita à sanctis Patribus firmata innovare, aut convellere non decere Imperatorem commonet. Italiæ tandem ac Romæ tributa ad ipsum deferenda prohibuit.* Idem testatur Zonoras *in tom. 3. Annal.* his verbis: *Quâ de causâ Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ societate Præsidis novæ Romæ, nec non eorum, qui illum sequerentur, illos unà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id usque tempus inde pendebantur, inhibuit, ito cum Francis fœdere.* Et adhuc; *sub Leone Isauro temporis illius Papa Gregorius ob perversam opinionem defecit ab illo Imperatore impio, eiq; tributum pendere recusavit, neque sibi quicquam esse rei voluit cum impijs Ecclesiæ Constantinopolitanæ Gubernatoribus, omissisq; bellis, pacem cum Francis fecit.*

12. Ex quibus Summorum Pontificum exemplis toti Christiano orbi notis ac receptis, quis ambigat, de Pontificiâ super Reges & Imperatores potestate fidelium unanimi consensu comprobatâ? Sed ejusdem quâ cum Verbo Dei consentaneæ, ex sacris Canonibus probationes accuratiori Scholasticâ methodo expendere in præsenti est animus.

§. II.

Referuntur Adversariorum argumenta.

Hæc in quantum licuit corradere, maximâ, quâ possumus, energiâ exponere intendimus, ut veritas hinc magis elucescat.

ARGV-

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

13. EX parte adversa ad præsens institutum accommodè argumentari licet 1. Summorum Pontificum super Reges authoritas singulariter nititur Extravagante *Vnam sanctam* inter communes Bonifacij VIII. traditâ *De majorit. & obedientia*: quæ ita se habet, ubi, cùm dictum fuisset, *Beato Petro utrumque gladium esse commissum, temporalem videlicet, ac spiritualem: temporalemq; authoritatem spirituali subjectam esse, eámque Divino ore à Christo Domino, per illa verba Petro, ejúsque successoribus commissam: Quodcunque ligaveris* &c. Exinde subjungitur in hæc verba: *Quicunque huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit: porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, & definimus.* At verò hæc Bonifaciana constitutio per aliam Extravagantem, quæ incipit: *Meruit* relatam inter communes *De privilegijs*, est revocata, saltem quoad Reges Galliæ. Ergo ruit præcipuum Canonicæ de Pontificiâ super Reges potestate constitutionis fundamentum.

Responsio.

14. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 18. n. 4.* respondet. Extravagantem *Meruit* Regibus nihil adimere, nihilque concedere; sed eos in eo statu relinquere, in quo erant ante constitutionem Bonifacij VIII. *superiùs* adductam, cùm enim ex rationibus aliàs adductis constet, potestatem Regiam & temporalem Ecclesiasticæ semper subjectam fuisse, neque hoc subsistat ex Bonifacij VIII. præadductâ constitutione, sed Jure *Divino* & *naturali*, consequens esse, quòd Clemens V. neque voluerit, neque potuerit illi derogare, quando de Bonifacio tantùm VIII. novisque obligationibus loquitur, non de *Divina* & *naturali*.

Objectio.

15. EX parte adversâ instari potest. Totum eâ responsione enervari argumentum, ex Bonifacij VIII. præadductâ constitutione urgeri solitum, quòd nempe ista Bonifaciana constitutio in vi Ecclesiasticæ sanctionis *Divino* & *naturali* juri superaddat novum pondus specialis fundamenti ad firmandam Pontificiam super Reges potestatem; dum tamen *præcitatus Regalis Sacerdotij* Author ex vi Extravagantis *Meruit* à Clemente V. editæ, illum Bonifacij VIII. Canonem moderantis asseverare videtur, supereße jam unicam Juris Divini & naturalis authoritatem, per quam Regia potestas dici debeat subjacere authoritati Ecclesiasticæ.

Responsio.

16. COmparationem inter illam Bonifacij VIII. & Clementis V. constitutiones faciendo, apertum prodit, quòd Jus illud Divinum, per quod Regia potestas à Bonifacio VIII. dicebatur subjacere authoritati Ecclesiasticæ, reducatur in sacræ Scripturæ textus *ibidem* allegatos. Quibus à Clemente V. necquidquam derogatum esse, optimè respondit præadductus Author *Regalis Sacerdotij*: sicque adeò Canon ille Bonifacianus suam intentionem fundando super Divini Verbi oraculis, ex suâ Pontificiâ supra petram fundatâ authoritate concludendo, specialis authoritatis pondus adjecit illi sententiæ, quæ Reges Papæ authoritati Oecumenicæ subjectos asseverat.

ARGUMENTUM IV.
Adversariorum.

17. EX parte adversa licet 2. argumentari. Ex hac in Principes, eorumque ditiones exercitâ potestate multa incommoda & mala evenisse. Censuræ enim, & anathemata in Henricum VIII. Angliæ Regem vibrata quid evicêre, quàm ut jugum excuteret Ecclesiâ vastaret, proscriptâ toto regno Religione? Iisdem armis Elisabetha in Catholicos grassata nec priùs desijt, quàm regio Stuartæ sanguine secures imbueret, specioso titulo crudelitate velata, quòd diceret, Catholicos seditionem in Reginam, & regnum moliri. Et denique nunquam sæpius cædes, intestina bella, procerum discordiæ, parricidia in Gallijs sunt observata, quàm Henrico IV. Navarræ Rege à Summis Pontificibus diris procusso, regnoque alienis exposito. Potestas igitur illa, quæ Summo Pontifici supra Reges asseritur, minimè spectat Ecclesiæ Bonum; sed perniciem magis & excidium, cùm tamen Ecclesiæ sanctæ claves non sint constitutæ Divinitus nisi ad ædificationem, non verò in destructionem, atque adeò Canonicis sanctionibus talem Papæ authoritatem attribuentibus sub tanto Boni publici Ecclesiæ ac Religionis discrimine, haud videatur esse locus.

Responsio.

18. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. §. 18. n. 7.* respondet, exercitium potestatis, quam Pontifices Romani in Reges & Regna acceperunt, ad remedia extrema pertinere, alijs consumptis, ultimisque morbis adhibenda esse. Sicuti ergo justum bellum nemo non admittit, quantumvis innumera sint mala, quæ ex bellis proveniunt, sed majora provenirent sublato bello, dataque injurijs licentiâ: sic in casu, de quo agitur, esse dicendum, ea ipsa, quæ in contrarium afferuntur, satis ostendunt. Illæ namque calamitates, quæ Henrico Navarræ Rege diris percusso, Galliam affligebant, Regem tandem ad Catholicam Religionem impulerunt, nunquam aliàs regno potiturum: sicque à discordijs & bellis cessatum est. Elisabetha Angliæ Regina, quantum abfuit, ut regno exciderit, armatâ in illam potentissimâ classe? Quòd verò sapienter agitata, potentior fortuna discusserit, non hic error potestatis Pontificiæ, sed eventûs fuit; ex quo nemo prudens sapientiam & consilium metitur. Henricum VIII. Angliæ Regem quod attinet, sunt, qui velint præcipitatum remedium esse, plagâ necdum ferrum patiente;

tiente; sunt, qui excusent. Sed demus, in hoc peccatum esse, quid tandem sequitur? Si potestatem hanc Pontifici abroges, quia aliqui aut incircumspectè, aut ex impetu potiùs, quàm ratione & consilio sunt usi, oportebit, eodem modo omnes humanas artes, hominumque conditiones, ipsam quoque Regiam potestatem è medio tolli, utpote in quibus longè pluries peccatum est, quàm in illâ, quam defendimus, authoritate. Percurre historias, atque videbis, Summos Pontifices hâc in Reges potestate feliciter usos esse, magnoque Ecclesiæ Bono, quòd verò malè cessit aliquando, hic est communis rerum morbus & conditio. Illud verissimum est, hujusmodi pœnas, interdicta, excommunicationes, depositiones &c. cum summa circumspectione, rarissimo casu, nec citra necessitatem explicandas esse, quod à Patribus quoque Tridentinis prudenter omninò observatum, præmonitumque est *Sess. 25. de Reform. cap. 3.*

19. Confirmatur hæc responsio sciscitando ex Gallicanæ Ecclesiæ Clero. Quandoquidem ex hæreticis sæcularis potestatis impetu ad professionem fidei Orthodoxæ adactis plerumque sint magna pericula simulationis, indeque quàm plurimorum in Sacramentis ficto animo suscipiendis sacrilegiorum, quo Jure Christianissimus Galliarum Rex compulerit Regni sui heterodoxos, sponte suâ nequàm propensos, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem profitendam cum frequentatione Paschalis saltem communionis exercendam, cùm tamen S. Augustinus *lib. 1. contra partem Donati* expresè doceat: *Sibi non placere, ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari*: utique ob certum sacrilegiorum ab invitis, ac fictè conversis supra modum adaugendorum?

20. Non dubito, Clerum Gallicanum responsurum, à Rege suo id factum esse, quòd instigabatur ex ipsomet Christi charactere, quo in sacro Baptismate fuit insignitus, in vi cujus Regiæ ipsius potestati incumbit, ad fidei integritatem, & conservationem in suo præcipuè regno, præ cunctis negotijs curandam: quod Christiani Regis officium observando, in gratia Dei confidens, meritò sperare potuerit, Deum corda subditorum, hæreticæ pravitatis abjurationem facere compulsorum, intrinsecæ salutiferæ motionis vi, permoturum ad veram fidei intus à Deo suscipiendæ conversionem, Sacramentorumque religiosam susceptionem, Divo Augustino *lib. 2. Retract. cap. 5.* propterea scribente: *In primo libro contra partem Donati dixi, non placere, ullius potestatis sæcularis impetu schismaticos ad Communionem violenter arctari. Et verè tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.*

Quid ni ergo pari, vel majori ex ratione dicere fas sit, Pontificiæ authoritati adversùs Ecclesiæ sanctæ, publicæque Religionis ac fidei perturbatores Reges, & Imperatores adhibitis sanctæ per Christum sancitæ correctionis remedijs, incumbere, cogitare *vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in melius conferre posset diligentia disciplinæ*, etiam severioris ad depositionem usque processuræ? In quo adeò statu haud imputabitur Oecumenico Pastori, si ejusdem virga correctoria consultò & circumspectè adhibita, distortum aliquem effectum experiri debuerit, sed sufficiet, posuisse exemplum, ne contumaciæ pravitas trahatur in consequentiam, multò plures à vera Religione, sanctaque Ecclesia perquàm alienos deinceps effectus progenitura, sed de hoc dicemus *infra in conclus. 1. argumento 2.*

ARGUMENTUM III.
Adversariorum.

EX parte adversa licet 3. argumentari. 21.
Cùm olim Philippus IV. adversùs Bonifacium VIII. contenderet, Regnum Franciæ à Summo Pontifice non pendêre, hunc Regem professum fuisse, se quidem regni, non tamen Ecclesiæ profiteri libertatem. Econtra Bonifacium Pontificem contendisse, se libertatem Ecclesiæ adversùs Regaliam, ejusque jura circa alia puncta propugnare. Petrum de Marca *lib. 2. de concord. cap. 1. n. 1.* duo Ecclesiæ Gallicanæ posuisse fundamenta, unum, idque *primum* constituisse *in suprema Romanæ Ecclesiæ authoritate*: *alterum* ac *secundum in suprema Regis Christianissimi per Gallias authoritate*, quod tamen minoris momenti duxerit, quàm *primum*. Petrum Pithœum in Senatu Parisiensi Advocatum *in tract. de libertate Ecclesiæ Gallicanæ* singularia illarum Regni & Ecclesiæ capita ad duo axiomata retulisse, quorum *alterum* est de suprema Regis intrà Galliam authoritate: *alterum* & equidem *primarium* est axioma: Summos Pontifices nihil præcipere vel ordinare posse, sive in communi, sive particulari circa temporalia, quantum ad loca supremo Regis Christianissimi dominio supposita, ac si præcipiant, vel ordinent, Regis subditos ad obediendum in his nequaquàm teneri.

Responsio.

AUthor *tractatûs de libert. Ecclesiæ Gallicanæ* 22.
lib. 4. cap. 1. respondet, difficile inprimis intellectu esse, quâ ratione Gallicani Antistites libertates illius regni defendendas suscipientes, auspicati sint à propositione, quæ Iuri Ecclesiæ potiùs adversetur, asseverando: *Reges & Principes in temporalibus nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subjici.* Immutatam hinc vide postremis istis temporibus vel naturam, vel ideam libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Clerus namque Gallicanus utique libertates suas defenderat (impugnâsse enim certè nemo dixerit) cùm anno 1329. coram Philippo IV. Rege convenit, ut querelis ministrorum Regiorum responderet. Tunc enim Episcopi contendebant, Ecclesiasticam jurisdictionem sese ad temporalia extendere saltem ratione peccati, quod pluribus probavit Electus Senonensis in *prima responsione*: Præterea, inquiens, *num. 34. nullus dubitat, quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat.*

Cùm

Cùm ergo talia non perpetrentur sinè peccato alterius partis, patet, quòd Ecclesia cognoscere potest, & hoc satis deducitur ex *Cap. Novit. Extrav. De judicijs.*

Nullus re verâ de hoc dubitabat, quandoquidem Petrus de Cuguerijs acrior Jurisdictionis Regiæ Patronus fatebatur, Decretalem *Novit* habere locum in Rege Franciæ, utpote superiorem non agnoscente, tantúmque id negabat de Judicibus Regijs, quippe qui à Rege corrigi possent. Idem dicebat (in replica pro Rege) *quòd ratione peccati non poterat ad eos* (Judices Regios) *pertinere Decretalis* Novit: *quia loquebatur de facto Regis Franciæ, qui superiorem non habebat, sed in alijs secùs dicebat.* Si Acta illius altercationis, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, conferantur cum ijs, quæ nuper gesta sunt à Clero Gallicano, maximum sanè discrimen observabitur, nec video, quomodò hodiernas libertates Ecclesiæ Gallicanæ antiquitas non destruat.

23. Sed aliáne hodie est Ecclesia Gallicana ab ea, quæ anno 1614. tam generosè restitit tertio Regni Ordini, illam *primam*, aut certè simillimam propositionē statuere conanti? Nec enim egregia illa oratio à doctissimo Cardinale Perronio tunc habita ipsius erat propria. Illam quippe se totius Cleri, imò & Nobilium Regni nomine pronunciare affirmabat: *Non enim*, inquiebat, *ego hâc in causâ oro, sed totus Ordo Ecclesiasticus, & totus Ordo Nobilium ipsi conjunctus* &c. Cæterùm iste Cardinalis nomine totius Cleri, ac Nobilitatis asserebat doctrinam suam, modernorum Antistitum propositioni sanè contrariam, omnibus Ecclesiæ Catholicæ Patribus, imò & toti Ecclesiæ Gallicanæ communem esse à tempore, quo institutæ sunt ubi scholæ Theologicæ usque ad
24. Calvini adventum. Eandem fuisse mentem Ecclesiæ Gallicanæ postremis etiam temporibus ad ultimum usque Cœtum Parisiensem, proditur manifestum indicium ex hoc, quòd illa Perronij oratio, tanquam proprium Ecclesiæ Gallicanæ momentum, inserta sit inter Acta Cleri Gallicani Anno 1673. edita jussu Comitiorum Generalium Cleri. Distinctas esse potestates Regum, & Pontificum nemo Catholicus negat, sed major esset necessitas, Regiam ad suos limites revocandi, quàm Pontificiam intrà suos concludendi. Confessi sunt in suo processu verbali Episcopi Parisijs anno 1681. congregati, extinctam postmodùm esse in Gallia jurisdictionē Ecclesiasticam. Novis in dies vulneribus affligitur sæcularium librís, & Regiorum Judicum placitis, & tamen libertates Ecclesiæ non opponuntur à Prælatis, quin & illæ servitutes inter libertates numerantur à multis. Cùm autem Romanus Pontifex oppressis Ecclesijs manum porrigit, etiam ab Episcopis, objectis libertatibus, arcetur.

25. Firmatur hæc responsio ex duplici animadversione. Una est, ex communi Cleri Gallicani consensu sub annum 1329. efficacissimis rationibus & fundamentis solidissimis contendentis, Ecclesiasticam jurisdictionem sese ad temporalia extendere, prout videre licet *ex tomo quarto* Bibliothecæ SS. Patrum Parisijs editæ anno 1610. *pag.* 1055. sub titulo libelli à Bertrando Cardinale Eduensi edito adversùs Magistrum Petrum de Cuguerijs. De cujus altercationis pro Ecclesiastica authoritate monumentis, & argumentis exactiùs disseremus inferiùs.

26. Altera animadversio est circa id, quod *præcitatus* Author in medium affert, qualiter Gallicana Ecclesia anno 1614. tam generosè restiterit tertio Regni Ordini, propositionem illam à moderno Clero Gallicano assertam, aut certè simillimam statuere conanti.

27. Altercationis hujus Acta accipe ex Gabriele Bartholomæo Gramondo sacri Regij Consistorij Senatore, & Parlamenti Tolosani Præside. Anno nempe 1614. à Christianissimo Rege indictus fuerat Parisijs Conventus trium Ordinum, quorum primum Clerus, secundum Nobilitas, tertium Magistratus subalterni ac Oratores populi obtinebant. Sub horum Comitiorum progressu Clerus anno 1615. in caput Magistratuum petijt, abrogari novam legem, per quam officia ipsorum in hæredes transibant sub cautione tributi in singulos annos præstari soliti. Id ubi tertij Ordinis Oratoribus agnitum fuit, rati, ut res erat, peti Ordinem, statim proponunt thesin, toties Clero obstrepente, agitatam: *Nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unique* immediatè *Deo debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdictis.* Propositá item à Clero Concilij Tridentini promulgatio: molliendæque invidiæ, adjecta articulo clausula, in hæc verba. *Sinè præjudicio Coronæ Regiæ, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, privilegiorum & exemptionum, si quæ Capitulis, aut Monasterijs concessa, quibus conservandis studebit impensiùs Clerus, habitis in id rei ad Summum Pontificem precibus: quæ privilegia interim salva erunt, non obstante promulgatione Concilij.* Cleri & Nobilitatis contra tertium Ordinem vota & calculi, nedum pro Concilij promulgatione, jurisque extinctione annui, sed & rejiciendæ thesi, quæ Summo Pontifici jus negat in regna.

28. De Summi Pontificis in Reges potestate, pluribus tum actum in utramque partem: non antè doctiùs, non agitata quæstio elegantiùs; missi persæpe Oratores Cleri, ad tertium Ordinem, à tertio Ordine ad Clerum. Questus hic, bis, térque Aquensi primùm Archiepiscopo, exin Fenolieto Episcopo Mompessulano disertè perorantibus, quòd Ordo tertius expers Theologiæ falcem improbè mittebat in messem alienam: *Non posse redigi à populo in acta sua thesim pro articulo fidei valituram: sutorum extra crepidam judicia esse: nisi post consultum Cleri oraculum narrari à populo de fide fabulas; Cleri unius, quod ne ipse tertius Ordo negaverit, esse de fide responsa.* Intercessit tertius Ordo vehementi & doctâ oratione, quam habuit Marmiessæus Capitolinus Tolosæ, vir eloquens, & in omnes scientias expeditus. *Non eam tertio Ordini mentem esse, ut fidei præcepta distribuat. Cleri, prædicationem Evangelij, quo fides continetur: tertij Ordinis partes esse, nullâ causæ cognitione ut credat. Arcam Dei nusquam nisi puris manibus permissam: dejectos examines, qui olim tangere ausi, prophanâ è gente, quanquam*

in casum iret. Ast plura fidei inesse quasi parerga, in dignitatem ipsius extrinsecam adinventa: his ornari Ecclesiam, sponsam Christi, ut in decus & propagationem ejus institutis, quorum sit capax Ordo quilibet, si agnoscit matrem. Habituros se, quæ de fide sunt, salva & intacta, dumq; radix servabitur matrix, unde arbori incrementum est, per quam stat, frondescit & viret, radicum filamenta sparsa temerè, quæ terram persæpe inanibus surculis circumquaque fugunt, quasi purgamento arboris excisuros. Posse intactâ fide, disciplinam, jurisdictionem, fructuum Ecclesiæ dispensationem, & pleraq; his similia attingi, ut quandoque diversis ab antiquo usibus in prava degenerâsse constat: unde paganis in Ecclesiam Dei contemptus est, hæreticis odium, Catholicis Orthodoxis dolor, ne dicam, scandalum; præscindi posse hæc filamenta, salvâ fide, quæ radix est. Fidem, primum esse lapidem, in quo firmatur Ecclesia per totum propagata orbem: id agnoscere tertium Ordinem, præceptaq; ipsius profiteri, & adorare, ut Dei sunt. Cæterùm si quæ ita hærebunt firmitus fides, ut aveli nequeant eâ incorruptâ, daturos operam se, idq; sedulò, ne quid ipsi in deterius fiat. Solitos olim nascente Ecclesiâ Christianos, quando templis domos ita contiguas, ut vix separari possent, destruebant, ne simul & ipsa templorum superficies corrumperetur, salvam habere circum insulam. Ita Ganymedem amasium Iovis raptum in æthera alitis ope, cujus complicati in obtusum ungues pelle molliter circumfusâ, demulcebant magis, quàm lacerebant artus. Sic se fidei connexa, castè contrectaturos & innocenter. Plura his addidit Orator facundus, quibus succensuit Clerus per Episcopum Mompessulanum: Communicanda sibi quæcunque fidem quâlibet ratione contingerent, idipsummet opus Ecclesiasticum esse, nôsse, utrum propositæ quæstiones de fide forent. Itum tandem in unam sententiam communibus tertij Ordinis votis, missiq́ue ad Clerum articuli tres, quorum hæc summa.

I. *Sacrilegum esse, Reges, unctos Dei, quolibet prætextu in necem dare.*

II. *Debitam immediatè uni Deo Regum in subditos potestatem.*

III. *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subjacere imperia Regum, subditosq; nunquam sacramento fidei exsolvi posse.*

29. Hisce legibus intempestivè vulgatis firmabat Regiam authoritatem tertius Ordo, Regno Gallico pro fundamentalibus haberi petens: hoc interest inter leges, quòd ex varijs causis infecti aliquæ possunt, aut tolli penitus, fundamentales manent nulli obnoxiæ mutationi. Consensit primæ Clerus: eamq́ue Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, pluribus probavit Cardinalis Rupifulcaudius vir sanctus, maximè ex recenti censurâ, quâ condemnatus Becanus, tyrannicidas impunè in Regum capita provocans. Laudatum exin Concilium Constantiense Oecumenicum, habitum anno M. CCCC. XIV. productaq́ue Sessio XV. confirmandis Regibus: in hæc verba.

30. *Præcipuâ solicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæresium in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est, nuper accepit, quòd nonnullæ assertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiúsq; Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est. Quilibet tyrannus potest, & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes: non obstante quocunque præstito juramento, seu confœderatione factâ cum eo: non expectatâ sententiâ, vel mandato judicij cujuscumque. Adversùs hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabitâ deliberatione maturâ, declarat, decernit, & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamq; tanquam hæreticam & fraudulosam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tanquam tales, juxta Canonicas sanctiones puniendi.*

Ita Concilium Constantiense, vindicandis 31.
à conjuratione Regibus etiam tyrannis: ut de fide sit, dubio procul, articulus: *Sacrilegum esse, Reges unctos Dei, quolibet prætextu in necem dare.* In id trium Ordinum calculi. Interfuêre *secundo* & *tertio* Clerus & Nobilitas, quatenus de fide vulgabantur. Politicam esse *secundam* thesim, quæ ita concipitur: *Debitam immediatè uni Deo Regum in subditos potestatem.* Veram, si de Gallis Regibus: dubiam & plerumque falsam, si de Principum promiscuè omnium in subditos potestate intelligas; nullo casu de fide. De Regum & Principum potestate mediatâ (quod vocant) aut immediatâ, pleraque tum in publicum data ab incerto Authore, per quæ Regibus & Principibus Christianis, si Gallum demis & Venetos, assignabatur suus cuique author; adeò ut nemini illorum immediatam à Deo potestatem concederet. Horum quia curiosa indagatio est, ut in transitu memorabo, non ex me, neque enim id mihi arrogo, ut de Regnis, aut Regibus judicem, sed ex Authore anonymo, qui sic scripsit.

Pauci Principes uni immediatè Deo coronam 32.
debent. Imperator electioni, & dictis Imperialibus subjacet. Angliæ Regnum Parlamento obnoxium magis, quàm Regi, Sedis Apostolicæ beneficium est. Scotia Angliæ feudum est. Dania Imperij: Norvegiam & Daniam plerique Romanæ Sedis feuda esse contendunt. Syriæ & Solymæ Regna Summo Pontifici fidem debent; Regna item Neapolis & Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Corsicæ, Canariæ, Nugariæ & Gorgonides. Poloniæ Reges Imperatori coronam primitus debent, Summo Pontifici nomen ex Ducali Regium. Hungariæ Regnum, feudum est Apostolicæ Sedis. Prostant in Curia Romana, acta probantia, ex quibus patet, feuda item Apostolicæ Sedis esse, Regna Granatæ, Lusitaniæ, Castellæ, Irlandiæ Balearium, Norvegiæ, Sueciæ, Daniæ, hæc de Regibus. Reliqui Principes, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, seu liberæ Respublicæ sunt, dempto Summo Pontifice, & Republicâ Venetâ, authorem omnes agnoscunt. Magnus Equitum Melitensium Magister, Hispano Regi beneficium debet; & præstat pro homagio Milyum, nempe pro insula: principatûs nomine,

quo

quo Christianis Equitibus cum jure supremi dominij præpositus est, Summo Pontifici fidem præstat. Helveticorum Respublicæ sancti Imperij feuda sunt: Flandriæ Comitatum Regibus Galliæ feudi jure subjectum, nemo negaverit. Belgici Ordines facto suo Gens libera, sub Hispana dominatione fuêre. Dux Lotharingiæ sancti Imperij Princeps est. Archidux Austriæ, primùm Comes, exin beneficio Imperatoris Dux fuit. Germaniæ Principes quotquot sunt, Archiduces, Duces, Palatini, Marchiones, Comites, Landgravij, Burgravij, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, pars magna pro munere Imperatori ministrant, quia à sancto Imperio feuda sua possident. Vrbes Anseaticæ, & quæ totâ passim Germaniâ libertate gaudent, feuda item Imperij sunt, empta ab Imperatoribus libertate, aut gratis acceptâ. Sabaudiæ Dux, Imperij Vicarius est. Pedemontium eidem Imperio subjacet. Mediolani, Tusciæ, Mantuæ, Mediæ & Rhegij Duces, urbes item in liberas Respublicas in Italia evectæ, Cæsaribus debent, quòd sui juris sunt. Parmæ & Vrbini Duces Sedi Apostolicæ fidem debent. Romam tenet Summus Pontifex, neminiq; obsequium præstat, nempe ex prærogativâ characteris, patrem subesse filijs præter naturam esset. Certè nemo ambigat, Romam primitus à Cæsaribus derivatam, conservatámq, sæpius Apostolicæ Sedi à Regibus Gallis: unus inter Reges Christianissimus, jure suo regnat, unus immediatè Deo debet, quòd Rex est. Quo fit, ut vera in omnem casum sit ea thesis. Regum Galliæ immediatam à Deo potestatem esse, usque adeò, ut neminem in terra authorem agnoscat. Hæc Author Anonymus.

Redeo ad Oratores nostros, qui hisce Controversijs divexabantur, nullo in populum ex vanitate quæstionum obventu: in quo peccatum maximè à delegatis, neque enim indicta Comitia eâ mente, ut trium Galliæ Ordinum Conventus transiret in scholæ munia.

33. Ordo Ecclesiasticus perorante doctissimè Perronio Cardinale, juxta Constantiensis statuta Concilij, thesim in tyrannicidas esse de fide, respondet, quod pridie Cardinalis Rupifulcaudius doctè convicerat: alteram, quâ ita cavetur: *Debitam immediatè uni Deo Regum in subditos potestatem*, de fide negavit; quanquam humanitus & historicè defendi possit. Adjecit, *Nihil moveri se Innocentij III. rescripto asserentis, Regem Galliæ nulli in temporalibus potestati subjectum esse, unde malè concluditur de fide assertio: historicam esse, aßt non de fide. Eo modo habenda de fide quæcunque Decretalibus continentur, quod absurdum.* Difficultatem præcipuè movit Articulus III. cujus hæc verba: *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subjacere Regna, subditósque nunquam sacramento fidei exsolvi posse.* Vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum sceptra potestatem, certis casibus; *Nempe si in hæresim, aut idolorum cultum prolapsi, subditorum animis nova insinuant dogmata: seu quod pejus, si reluctantes adigunt, ut fidem abdicent. Præposterè proponi velut de fide Orthodoxâ contrariam opinionem, quæ ad summum vix problematica dici possit: probabat, potestati Romanæ Sedis in Reges hæreticâ labe infectos subscripsisse, quotquot Calvinum ante Theologica tractavêre. Contrariam opinionem novam esse, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam. Sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis: si pejeraverint in hæresim ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjurij pœna. In eam sententiam exactis sæculis itum: ire & hodie passim toto orbe Catholico, si Gallum demis. Ipsos Doctores Galliæ, eius opinionis authores, nunquã de ea scripsisse, in hanc sententiam, ut de fide sit: veram & politicam asseruisse: esse nunquam de fide. Exemplis plena esse historiarum volumina, quibus confirmatur Summæ Sedis in Reges potestas à fide degenerès. Ita Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum Anastasio Imperatori negâsse obsequium & fidem, donec Concilio Chalcedonensi subscripsisset. Ita eidem Imperatori, in Euthychis hæresim relapso, restitisse acriter Symmachum Summum Pontificem. Ita Clotarium Regem Gallorum, ob scelus immane in Ecclesia Dei, nece Ivetoti patratum, post mundatum sanguine innocentis altare, luisse pœnas arbitrio Pontificis Summi condignas culpæ. Ita Iustinianum secundum: ita Philippicum Imperatores à Sergio & Constantino Summis Pontificibus multatos. Ita Leonem Isauricum imperio dejectum, Gregorij II. decreto, quia Iconoclastarum hæresi infectus, dogma propagabat exemplo & vi. Ita Carolum Magnum evectum ad Imperium Occidentis ope Romanæ Sedis. Ita Childericum regno dejectum. Ita substitutum homini per otium enervi, fastigióque Regiæ dignitatis impari Pipinum, assensu Sedis Apostolicæ, quam à Gallis consultam tradunt historiarum monimenta. Ita Fulconem Archiepiscopum Rhemensem intentasse Carolo Simplici minas, velut clienti suo. Ita Philippum primum Gallorum Regem, semotum ab Ecclesia Dei, adulterij manifestum palàm commissi, post repudiatam sine causa uxorem, evectámque in solium pellicem, quâ utebatur velut suâ, marito superstite. Ita Gregorium septimum sacris interdixisse Henrico IV. Imperatori, subditósque solvisse obsequij nexu. Ita excommunicatos Philippum Augustum Gallorum, Ioannem Anglorum Reges. Ita Othonem Imperatorem: ita Raymundum Comitem Tolosatum, quorum hic per socordiam in Albigensium hæresim lapsus, succubuit Pontificiæ potestati, in augmentum Gallici Regni, cui Comitatus Tolosanus adjunctus est, dono Provincialium. Ita fidei sacramento solutos olim ab Innocentio IV. Friderici Imperatoris subditos, debitum Lugdunensi tunc Concilio sulmen. Ita dejectum Petrum Arragoniæ Regem, Martino IV. Summo Pontifice procurante, ob infamiam horrendæ Ianienæ, cui à Vesperis Sicilianis nomen. Ita ab Vrbano V. contra Petrum crudelem (id illi nominis à sævitia datum) Castellæ Regem, indictam promulgatámque excommunicationem, quia hæreticus, Ecclesiæq; Orthodoxæ hostis erat.*

His probabat exemplis Perronius, Summo 34.
Pontifici jus esse in Regna & Reges, certis casibus. Postmodùm Theologorum authoritate nitebatur: laudabat ut suæ opinionis fautores, D. Thomam, Okam, Ioannem Parisiensem, Iacobum Almandum, Gersonem, & passim reliquos, qui de utraque jurisdictione scripsêre. Laudabat & Iurisconsultos, Ioannem Silvam Præsidem Lutetianum, Ioannem Fabrum, Stephanum Aufrerium Tolosani Parlamenti Præsidem, Preslium libellorum supplicum in Regia Magistrum, Gregorium Tolosanum: urgebat ex eo, quòd Galli essent scriptores, eoq; nomine Gallis minimè suspecti: illis, quotquot sunt, unam esse pro Summo Pontifice in id sententiam,

tiam, ut lapsis in hæresim Regibus, maximè si fidem Orthodoxam insectantur, communione interdicere possit & Regno. Absurdam esse thesim, quæ contrarium velut de fide promulgat: cui veterum subscripsit nemo, recentiorum pauci; tanquam dogma politicum defendi posse, ad summum: eo errore primam fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in hæresim, ex injusto repudio justè condemnatum, rebellâsse contra judicem suum; per lubrica quassatam fidem, procacique licentiâ tyrannicè usurpata jura sedis Apostolicæ, à Rege, nullo dein fulminum Ecclesiæ metu grassante. Facilem esse in schisma lapsum; ast resurgere opus arduum, Deique unius beneficium; non aliud præcinere thesim, quàm apertam rebellionem in solium Petri. Neque novâ opus condemnatione. Apostolico rescripto jam diu condemnatum dogma, hæreticumq; pronuntiatum, nempe ut de fide Orthodoxâ proponitur. Pati Clerum Gallicum, problematicè disputari thesim, quò fiat satis authoritati Ecclesiasticæ & sæculari: non eam Regi Christianissimo mentem esse, ut Sedi Apostolicæ obluctari velit, neque sub tanto Rege timenda interdicta, qui nedum Ecclesiæ filius, sed protector & liberator est; id Clerum agnoscere, & orare continuò Deum, ut Regem Regno Gallico, primogenitum conservet Ecclesiæ Matri

Ita Cardinalis Perronius doctè & eleganter.

35. Ex quibus manifestum jam redditur, propositionem illam *primam* moderni Cleri Gallicani sub ijsdem profectò, quibus jam dictus Clerus articulum suum firmare nititur, sacræ Scripturæ perperam allegatis textibus, à tertio populari in generalibus Comitijs, Ordine assertam, constanter rejectam, ac refutatam fuisse tam à Cleri, quàm Nobilitatis Ordinibus, ut mirum profectò sit, Galliæ Episcopos in postremo suo Parisiensi Conventu, ab antiquo Gallicano Clero desciviſse in perniciem apertam statûs Ecclesiastici, dum, si quæ deinceps Ecclesijs intentarentur præjudicia, nulla jam authoritas Regem cohibere posset, adeoque Apostolicæ, ac Oecumenicæ Summorum Pontificum supra Reges potestatis relaxato fœno, impunè, ac liberè possent Ministri Regij involare in jura Ecclesiastica: Clero proinde Gallicano, nisi illam suam propositionem moderetur, fortè ad sensum *in primi hujus articuli Corollario finali* expositum, serò nimis persensuro vulnus sibimet, suisque Ecclesijs infligetur, & magis magisque in dies dilatandum.

ARGUMENTUM IV.
Adversariorum.

36. EX parte adversa fortassis excipietur, illam Cleri Gallicani propositionem *primam*, saltem ab authoritate eorum, qui illam tenent, mereri probabilitatem.

Responsio.

37. AUthor *Regalis Sacerdotij circa finem n. 11.* respondet. Mensuram & regulam honesti ac veri esse legem, non nomina Doctorum, quorum opiniones, si ab hac regula deflectant, tam nequeunt esse veræ ac honestæ, quàm paries, aliúdve corpus nequit esse rectum, si à linea & amussi excedat. Authoritas namque docentium, ex eo capite pretium aliquod & pondus habet, quia non præsumuntur aliud, quàm leges dicere. Si ergo hæc præsumptio cesset, & evidenter appareat, Doctores cum legibus pugnare, præsumptio veritati cedit, & authoritas illâ præsumptione nixa penitus evanescit. Quemadmodùm ergo non numerus, aut inscriptio, sed pondus & metallum nummis pretium addunt: ita sententijs non numerus, aut nomen Doctorum, sed rationes & Canones, & cum Patrum doctrinis harmonia probabilitatem, & authoritatem adferunt.

Confirmatur ex censura, quam S. Gregorius *lib. 4. Regist. epistolâ 2.* ex sacræ Scripturæ fundamento tulit: *Considerent*, inquiens, *cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuit, & omnes Francigenas à juramenti vinculo absolvit? sed fortè volunt, quòd, quando Ecclesiam suam B. Petro commisit Christus, Reges excepit. Cur non attendunt, vel potiùs erubescendo confitentur, quia Deus, ubi B. Petro potestatem ligandi dedit, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit, & qui hoc imprudenter negat, se à Christo sequestrat.* Expendant igitur *primæ* illius propositionis, Reges à Summi Pontificis Oecumenicâ authoritate excipientis assertores, an probabilitate ullâ niti possit assertio cum Christi verbis, secundùm Divum Gregorium apertè pugnans, ita ut à Christo se sequestret, quisquis Petro, ejusque Successori concessam potestatem denegat, quæ nullum, ne Regem quidem, excipit. 38.

CONCLUSIO.

OEcumenica in Summo Pontifice supra Reges sacris Canonibus asserta & sancita authoritas, ita reducenda est in *Divini* Juris per Christum sanciti oracula, ut speciale tamen robur accipiat ex Canonicis sanctionibus. 39.

Explicatur. Ea enim fidei Theologicæ natura est, ut *motivè*, ac *specificativè* reducatur quidem in solum Dei Verbum seu scriptum, seu traditum, attamen quia hujus Divina revelatio latet sub ænigmaticâ obscuritate, oportet, ut Verbi Divini veritas sub prudentiali quodam supernaturali lumine, priùs applicetur voluntati, intellectum Fide Divinâ informatum in Primæ Veritatis obsequium captivanti, ut sic prudenter valeat per Fidem Theologicam assentiri. Inter hæc prudentialis luminis, præviam fidei assensui facem subministrantia argumenta, præcipuum locum obtinêt non Conciliorum duntaxat Oecumenicorum definitiones, sed Summorum quoque Pontificum sanctiones, utpote quorum authoritas firmata sit supra petram, cui portæ inferi prævalere haudquaquam possint. Quare ex Pontificijs sanctionibus, Oecumenici intrà Ecclesiam Christi, Pastoralis muneris authoritati innitentibus, firmum deducere licet argumentũ Theologicum, in vi cujus, prudentialis ad fidem directiva ratio pateat, quòd, dum Pontificiam supra Reges Christiano charactere insignitos potestatem ex Divinis oraculis traducunt,

runt, eidem fide etiam Theologicâ credendæ argumentum, in via prudentialis ad fidei assensum directricis evidentiæ prorsus securum, ac in linea supernaturalis *moralitatis* certam subministrent manuductionem.

PROBATIO I.

40. EX *Extravagante Unam sanctam. De majorit. & obedientia* desumpta, unà cum retorsione argumenti in contrarium adducti ex *Clementina Meruit. De privilegijs.*

Adversæ igitur partis *primum* argumentũ eò collimat, ut, quòd Pontificiæ supra Reges potestatis firmamentum evinci videtur, ex prælegatâ *Extravagante Unam sanctam*; hoc totum enervari asseratur ex prætactâ Clementinâ *Meruit*. Ad quod argumentum elidendum, duo hîc veniunt accuratiùs expendenda, *primum* concernit illam Extravagantem *Vnam sanctam*. *Alterum* respicit hujus ex Clementina *Meruit*. enervationem.

Incipiendo igitur ab ea Extravagante, accipe sequentem hujus à Bonifacio VIII. editæ constitutionis tenorem: *Vnam sanctam*, inquit Pontifex, *Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, urgente fide credere cogimur, & tenere. Igitur Ecclesiæ unius unum Corpus & unum Caput, non duo Capita quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique Successor, dicente Domino ipsi Petro*: Pasce oves meas; *non singulariter has, vel illas, sed generaliter, per quod commisisse sibi intelligitur universas &c. In hâc, ejúsq; potestate duos esse gladios spiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis*: Ecce duo gladij hîc, *in Ecclesia scilicet, cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in Petri potestate temporalem gladium esse, negat; malè verbum attendit Domini proferentis*: Converte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus. Ille sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem, gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem subijci potestati; cùm dicat Apostolus*: Non est potestas nisi à Deo, quæ autemà Deo sunt, ordinata sunt; *non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundùm B. Dionysium lex Divinitatis est, infima per media in suprema reduci &c. Ergo, si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali: sed si deviat spiritualis, minor à suo Superiore: si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judicari &c. Porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus, omninò esse de necessitate salutis.*

41. Ex qua proinde Bonifacianâ constitutione hunc in modum argumentari licet. Quando Christus Petro, ipsiusque Successori dixit: *Pasce oves meas*; intelliguntur eidem commissæ universæ Christi oves, estque adeò de necessitate salutis credere, quòd Romano Pontifici, ceu Petri Successori subsit omnis humana creatura in Ecclesiæ unitatem aggregata sub uno Capite Christo, ejusque Vicario. Sub eâ autem pastoralis muneris potestate continentur duo gladij, spiritualis videlicet & temporalis authoritas, Christo Domino, ubi Apostoli dixerant: *Ecce duo glady hîc*, id est in Ecclesiâ, respondente, *satis esse*. Inter quos duos gladios temporalis potestas fuit à Christo designata *Allegoricè*, quando dixit ad Petrum: *Converte gladium tuum in vaginam*. Ex hoc autem evincitur, non spiritualẽ duntaxat, sed etiam temporalẽ gladio illo Petri, designatam potestatem, subesse authoritati Ecclesiæ, sub eâ quidem differentiâ, ut ille potestatis spiritualis gladius manu Sacerdotis, hic verò temporalis potestatis gladius manu Regum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis, sit exerendus. Hinc autem rursus evincitur, gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem quoad sui exercitium subijci spirituali potestati, Apostolo id ipsum quoque confirmante, dum dicit: *Non esse potestatem nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata esse*. In vi cujus proinde ordinationis oportet, gladium esse sub gladio in tantum, ut potestas temporalis inferior, per spiritualem, ceu superiorem potestatem, reducatur in suprema: quatenus scilicet potestas terrena, si deviet, judicanda est à potestatẽ spirituali, si verò deviet spiritualis potestas, minor à suo Superiore, si autem deviet suprema Pontificia authoritas, à solo Deo, non ab homine judicari potest.

Quandoquidem igitur inter universas Christi oves Romano Pontifici, seu Petri Successori commissas, reputentur etiam Reges, Christi charactere insigniti, sub potestate autem Pastorali per Christum suo Vicario Petri Successori concessâ, contineantur duo gladij, authoritatis spiritualis & temporalis, eâ tamen cum subordinatione, ut hæc tanquam inferior per illam ceu superiorem reducenda sit in suprema; temporalisque adeò potestatis gladius materialis per Reges quidem, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis Summi Pontificis, sit exerendus, manifestè & clarè evincitur ex sacræ Scripturæ textibus à Bonifacio VIII. taliter applicatis, Reges cum suæ temporalis potestatis gladio, quoad hujus exercitium subesse Romani Pontificis spirituali authoritati.

Objectio.

42. EXcipitur ex parte adversa. Illam Bonifacij VIII. Extravagantem pro Galliæ saltem Regibus, Regno, ac Regnicolis esse correctam per Clementinam *Meruit. De privilegijs.* cujus tenor ita se habet: *Meruit charissimi filij nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affectionis ad nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper Regnicolarum pietas ac devotionis sinceritas, ut tam Regem, quàm Regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quòd Nos Regi & Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit*: Unam sanctam. *nullum volumus & intendimus præjudicium generari, quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm anteà existebant, sed intelligantur in*

eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.

Responsio.

43. VErùm hanc Clementis V. constitutionem cum Bonifacij VIII. præductâ Extravagante conferendo, in hunc modum argumentari licet. Regem Franciæ cum universis Regnicolis suis computari *inter oves Christi*, nullatenus dici potest, esse præjudicium à Bonifacio illatum. In illa ipsa verò potestate Pastorali super universas Christi oves protensâ, ex Christi instituto continentur duo gladij, potestatis scilicet spiritualis & temporalis, ita ut hæc sit quidem in manu Regum, ad nutum tamen & patientiam Sacerdotis exerenda. Nequit verò, quod ex Christi instituto exstat sancitum, non esse antiquius illâ Bonifacianâ definitione. Nihil ergo istorum potest à Clemente V. in Extravagante *Meruit* esse correctum, quippe cùm ista præcisè statuat, quòd per Bonifacij VIII. Extravagantē *Vnam sanctam.* nullum Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ, debeat generari præjudicium, *ita ut isti amplius exinde sint subjecti Romanæ Ecclesiæ, quàm antea existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.* At verò ista definitio ex ipso Jure *Divino* exigit subordinationem gladij temporalis erga gladium potestatis spiritualis, ita ut si illa deviet à rectâ ratione, sit judicanda à potestate spirituali. Hoc autem judicium spirituale, Oecumenici Ecclesiæ Pastoris potestati concessum, est in vi clavium Ecclesiæ, Petro, ejusque Successori commissarum in tantum, ut, quodcunque ligaverit, seu solverit super terram, sit vel ligatum, vel solutum in cælo. Eo ipso autem, quòd Regiæ potestatis exercitium ita sit super terram, ut in Christiano Rege dicat ordinem ad Regnum cælorum, oporter, ut sub respectu suæ ad æternam salutem, seu sacræ Religionis utilitatem publicam ordinabilitatis, sit inter illa quæcunque, quæ super terram continentur sub Oecumenicâ Ecclesiæ clavium potestate seu solvendi, seu ligandi. Quoad hanc igitur potestatis Regiæ erga authoritatem Oecumenicam Summi Pontificis, subordinationem, Bonifaciana illa Extravagans constitutio nullum præjudicium generavit Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ, sed hos relinquens in statu, in quo vi Juris *Divini* ante eam definitionem erant, non potest quoad debitam illam respectu Romanæ Ecclesiæ subordinationem ac subjectionem, per Clementinam *Meruit. De privilegijs* esse correcta.

PROBATIO II.

In qua fit confutatio *secundi* Adversariorum argumenti.

44. SI namque sub formâ per Christum *Matth. 18.* sancita, servato seu *Divini*, seu *naturalis*, seu super hisce fundati *Canonici* Juris debito ordine, Summus Pontifex procedat adversùs Reges, Juris *Divini* temeratores, eoúsque progressos, ut Ecclesiam audire contumaciter detrectent, indeque ex Christi jussu, Communionis Ecclesiasticæ Jure destituantur, sed necdum correcti, quinimò in reprobum sensum dati, sacræ Religionis ac Ecclesiæ interitum, quantum in se est, perversâ suâ contumaciâ molientur, sintque adeò in eo statu positi, ut meritò persentiant virgam illam à Christo Apostolis *cit. 18. Matth. capite* promissam, & sacro de Evangelicæ correctionis normâ per Christum præscriptâ, textui *immediatè* subjectam sub his verbis: *Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*: Si, inquam, in vi hujus virgæ Apostolicæ, Summus Pontifex Ecclesiæ rebellem ac hostem publicum & liget censuris, & solvat seu juramentorum & homagiorum à subditis præstitorum vinculà, meritò computanda sub illo (*quodcunque est super terram* ad æternam salutem, Ecclesiæ publicam utilitatem, sacræque Religionis non privatum duntaxat, sed publicum bonum etiam in Regibus ordinabile, sicque adeò subjectum regni cælorum clavibus) quinimò si sub dicto ordine servato, Romanus Pontifex jus Regiæ potestatis homini erga Ecclesiam rebelli inexistens, ab ipsaque Regia potestate *formaliter* spectatâ prorsus diversum (inter quæcunque super terram Ecclesiæ clavibus seu solvenda, seu liganda, meritò computatum) tali Juris *Divini* contumaci temeratori, per regni cælorum claves ad Ecclesiæ sanctæ conservationem traditas adimat: nunquid vel Christo, qui taliter procedendi seu mandatum fecit, seu Ecclesiæ, ejusque Oecumenico Pastori talem potestatem tradidit, vel Papæ, qui ex Christi seu mandato, seu potestate vi officij Divinitus commissi necessariò usurpandâ, tali modo processit, imputanda erunt mala inde provenientia? Vel non potiùs, dum Pontifex stringit gladium, ad bonos in obedientiâ sanctæ Ecclesiæ continendos, & malos extirpandos, communioneque fidelium, ne ab ipsis præcipitentur in ruinam, privandos, eósque, ne potestatis temporalis gladio adversùs sanctæ Ecclesiæ pacē & Religionem publicam, liberè uti ampliùs possint, exauthorandos; ipsissima hæc justitiæ adversùs Ecclesiæ sanctæ rebelles, publicæque Religionis perturbatores demonstratio, ex se ipsa est tantum bonum, ut in respectu illius, quoad *moralem* imputationem, haudquaquam prævalere possint mala *per accidens*, & præter intentionem, non nisi ex pravorum Ecclesiæ rebellium contumaciâ eventura?

Objectio.

45. SEd replicabit fortè aliquis, oportere, ut Vicarius Christi agat ex ejus spiritu, qui non ad perdendum, sed ad lucrandum animas, venit in spiritu lenitatis, ac mansuetudinis, Apostolis non aliter concedens Ecclesiæ clavium authoritatem, quàm uti *Ioann. 20.* præscripserat: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*: cùm tamen Christus fuerit contestatus, regnum suum non esse de hoc mundo, nec unquam legatur coercitivæ juris dictionis actum aliquem in terris fecisse.

Re-

Reſponſio.

46. NE modernis heterodoxis hæc replicatio favere videatur, ejus diſcuſſio juxta ipſius Chriſti verba accuratiùs venit in præſenti facienda, prout *in Inextincta ſacri Tridentini Concilij veritate tract. 6. ſect. 6. cap. 1. argut. 3.* à nobis exhibetur, ſub hiſce verbis: Ita profectò eſt, Chriſtum *Ioann. 20.* diſertè teſtatum fuiſſe, *ſicuti miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* At *Pſalm. 2.* in ſpiritu prophetico inducitur Æternus Pater locutus ad Chriſtum. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, reges eos in virga ferrea.* Hanc autem virgam importare authoritatem *Directionis*, qua ferream verò dicere poteſtatem *Coactionis & Iuſtitiæ*, explicat S. Auguſtinus *in dictum Pſalm. 2.* Hæc ipſa verò Chriſti poteſtas *Gubernativa & Coercitiva Luc. 1.* prædicta fuit. *Dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Eo ipſo autem, quòd regnum iſtud Eccleſiæ dicatur æternum, oportet, in terris fuiſſe à Chriſto relictam eam *Gubernativam* poteſtatem, per quam regimen hoc ſpirituale perpetuò duraret. Quamvis ergo Chriſti Regnum non fuerit, nec modò ſit de hoc mundo, utpote cujus ratio ſit tranſcendens mundi regimen, reſpiciatque æternam hominum ſalutem: hoc ipſum tamen ſupernaturale ac ſpirituale Eccleſiæ regnum importat virgam ferream Chriſto conceſſam, & ab hoc Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus communicatam, adeoque unà cum *Gubernativa Coercitivam* quoque authoritatem, ut ſic intelligantur Apoſtoli eo modo à Chriſto miſſi, quomodò ipſe à Patre Æterno miſſus fuit cum authoritate regnandi in æternum, atque adeò cum poteſtate *Gubernativâ* & *Coercitivâ* in ſuos quoque in terris relictos Vicarios transfuſâ.

PROBATIO III.

Refutatoria *tertij* Adverſariorum argumenti.

47. ADverſùs quorundam Gallorum principia in eo *tertio* argumento producta, *præcitatus* Author *tractatûs de libert. Eccleſiæ Gallicanæ* efficaciſſimâ cum energiâ poſuit antiquæ Eccleſiæ Gallicanæ ſub Philippo IV. Rege adverſùs Petrũ de Cuguerijs anno 1312. poſita fundamenta, quæ nos *ſupra n. 31. ac ſeq* publicæ luci expoſuimus, ad dijudicandam moderni Cleri Gallicani Pariſijs congregati ab illâ antiquâ Eccleſiâ ſuâ difformitatem: eramus interea contenti argumentum illud ſtabilire ex noviori etiam Cleri Gallicani, adverſùs parem probationem anno 1614. Cardinale Perronio Anteſignano factâ unanimi renitentiâ & oppoſitione.

Quia verò dictus Author meminit etiam prioris ſub Philippo IV. Pariſijs aggregati Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Conventûs, in quo pro Clero Gallicano Oratorem egit Bertrandus Cardinalis Eduenſis, operæpretium eſt viſum, hîc proferre luculentam ſuper cauſa præſenti in illo Conventu habitam, & in Bibliothecæ SS. Patrum *quarto tomo edit. Pariſienſis pag. 1098.* exhibitam ejuſdem Cardinalis ex ſacræ Scripturæ fundamentis ſolidiſſimè deductam diſſertationem.

48. *Primò*, inquit, quoad perſonas dicendum eſt, quòd omnes Chriſtiani cujuſcunque gradûs, vel ſtatûs, ſeu conditionis exiſtant, ſubſunt juriſdictioni Eccleſiaſticæ: cujus ratio eſt, quòd ſcriptum eſt ad Romanos: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Inter Chriſtianos enim duplex eſt poteſtas: temporalis ſcilicet, & ſpiritualis, ſive ſæcularis & Eccleſiaſtica: & utraque eſt à Deo ſecundùm modum *in præcedentibus* expoſitum: & ideo utrique poteſtati ſubſunt Chriſtiani, ſed differenter, quia poteſtati temporali, vel ſæculari ſubſunt Chriſtiani, quia inter Chriſtianos poteſt eſſe, & eſt, & fuit illa poteſtas legitima, ſed ſolùm ut cives. Poteſtati autem ſpirituali & Eccleſiaſticæ ſubſunt ut Chriſtiani & Fideles, quia poteſtas illa fundata eſt ſuper fidem, per Chriſtum nobis traditam. Igitur omnes Chriſtiani & Fideles, viri & mulieres, Clerici & Laici, Reges & Principes ſubſunt juriſdictioni ſpirituali & Eccleſiaſticæ. Et cùm prædictam juriſdictionem habeat Papa ſinè limitatione loci & perſonarum: ideo omnes Chriſtiani, ubicunque ſint, debent ei obedire: cæteris verò Prælatis Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & Patriarchis in territorijs, ſeu Diœceſibus ſibi commiſſis, tenentur obedire omnes Chriſtiani manentes in eis. Et ideo Clemens Papa dicit, & habetur *Extravag. De majorit. & obed. Cap. Omnes*: quòd omnes Chriſtiani Principes terræ, & cæteri homines Epiſcopis obedire debent, ut beatus Petrus præcipiebat.

Ab hac tamen obedientia ſeu ſubjectione 49.
Papa, qui eſt ſupremus in Eccleſia, poteſt aliquos eximere: & ſic patet, quòd omnis Chriſtianus, cujuſcunque ſtatûs, vel conditionis exiſtat, ſubjectus eſt juriſdictioni ſpirituali ſeu Eccleſiaſticæ. Utrùm autem juriſdictio Eccleſiaſtica ſeu ſpiritualis extendat ſe ad omnes actiones perſonales omnium Chriſtianorũ non ſolùm Clericorum, ſed laicorum: dicendum eſt, quòd de ſe, & ſuo jure extenditur ad cognoſcendum & judicandum de omnibus peccatis; non ſolùm de illis, quæ ſunt contra articulos fidei, & Sacramenta, in quibus principaliter fundatur Religio Chriſtiana: ſed etiam de omnibus peccatis mortalibus, quod patet *primò* ratione irrefragabili ſic. Cujus eſt, conſiderare finem, ejuſdem eſt, judicare de his, quæ debent ordinari ad finem, quia ratio eorum, quæ ordinantur ad finem, ſumitur ex fine; debet enim intendens aliquod bonum, finem eligere, & ea, quæ ſunt congrua fini, & tollere ea, quæ finem impediunt: v. g. Medicus conſiderat ſanitatem corporum: & certè ejus eſt, judicare de ijs, quæ ſervant ſanitatem, & de his, quæ eam impediunt, ut ab eis abſtineatur: & conſimiliter eſt in omnibus. Sed corpus ordinatur ad animam, etiam ſecundùm Gentiles Philoſophos; & temporalia ordinantur ad ſpiritualia, & omnes actiones Chriſtianorum debent ordinari ad conſequendam vitam æternam tanquam noſtrum finem ultimum ſecundùm fidem Catholicam in ſacra Scriptura traditam. Ergo cujus, vel quorum eſt, conſiderare de ſalute animæ, & de ſpiritualibus: ſicut eſt Prælatorum, curam, & regimen habentium, ut ſunt Papa, & alij Epiſcopi, & Archiepiſcopi, eorum eſt judicare de actionibus perſonalibus hominum,

per

per quas possunt deviare à salute æternâ contra quamcunque materiam; sive contra articulos fidei & Sacramenta, sive contra bonos mores peccando in seipsum, vel in proximum verbo, vel facto, seu quocunque alio modo: & in hac
50. ratione fundatur *Cap. Novit. Extravag. De judicijs.*

Secundò patet ex authoritate Divi Matthæi, ubi dicit sic: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te ipsum solùm, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos testes, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, quòd si non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, id est, excommunicatus. Et constat, quòd loquitur de jurisdictione Ecclesiæ, quam habent Prælati. Nam ibidem subditur: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Igitur sinè ulla dubitatione ad Ecclesiã pertinet (jure sibi à Deo collato) cognoscere & judicare de quocunque peccato. Unde beatus Paulus excommunicavit fornicatorem notorium, ut legitur in Epistola priore ad Corinthios. *& 24. quæst. 7. Cap. Audivimus. circa medium.* Cùm igitur peccata contingant circa actiones personales hominũ, & circa contractus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam judicare: maximè si intentetur actio per modum injuriæ, vel cujuscunque alterius peccati tam inter Laicos, quàm inter Clericos, vel inter Laicum, & Clericum, quicunque eorum sit actor, vel reus.

51. Nec in prædictis potest dici, quòd reus trahatur extra forum suum: quia omnes Christiani, in quantum Christiani sunt, pertinent ad forum Ecclesiæ, ut *supra* dictum est. Et hoc est, quod expressè dicitur *in Canone 11. q. 1. Cap. Quæcunque.* ubi dicitur sic: *Quæcunque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur*: &, si obedire noluerint, quoúsque obediant, à limitibus Ecclesiæ excludantur. Nec propter hoc enervatur jurisdictio Principum sæcularium, qui de actionibus & contractibus subditorum suorum, videlicet laicorum, habent cognoscere, & etiam judicare: quæ prædicta jurisdictio eis non aufertur, nec impeditur. Si enim actor voluerit, poterit reum trahere ad judicium sæculare, & tunc judex laicus cognoscet: si autem vult reum trahere ad judicium Ecclesiæ, potest: præcipuè intentando actionem injuriæ, vel peccati: quia quilibet laicus Christianus est utrique judicio subjectus, sive subditus, uni, ut civis; alij, ut Christianus. Et quælibet potest in eum exercere judicium suum, si ad illud evocetur. Sed in optione actoris est, evocare reum ad hoc, vel illud judicium, & non ad utrumque, & sic potest intelligi illud, quod habetur *in Decretis dist. 21. cap.* ubi dicitur, quòd Christus commisit beato Petro jura cælestis imperij & terreni: & qui hoc privilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresin labitur, & hæreticus est censendus.

52. Verùm quamvis hoc jus sit Ecclesiæ, sibi à Deo collatum, tamen ipsa non semper usa est isto jure, nec ubique; partim ad vitandum scandalum, ne putaretur, quòd Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ, quàm correctionem vitiorum; partim propter malitiam aliquorum tyrannorum, in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permiserunt, Ecclesiam uti jure suo. Sed in regno Franciæ Christianissimo, in quo Reges fuerunt Ecclesiæ devoti à principio, quo fuerunt Christiani, Ecclesia liberiùs est usa jure suo, & tantò liberiùs, quantò plùs appropinquat sedi Regni. Sic igitur patet *primum*, scilicet quantum extendit se jurisdictio spiritualis ad aliqua, quæ videntur pertinere ad jurisdictionem temporalem. Quantum ad *secundum*, scilicet quantum extendit se ex usu & consuetudine, non potest uno verbo dici; quia non omnes Ecclesiæ habuerunt, nec habent eosdem usus & consuetudines: sed quædam utuntur pluribus, quædam verò paucioribus.

Verumtamen usus, de quo *supra* dictum 53.
est, non est acquisitio juris novi, cùm hoc competat Ecclesiæ jure suo, ut statim dictum est: sed est executio juris *primi* dati à Deo, quod fuit forsitan à Deo impeditum, quantum ad executionem; tunc istud jus dicendum est duplici titulo competere Ecclesiæ. Si autem usus ille sit circa actiones merè reales; ut dicitur esse in quibusdam Ecclesijs, paucis tamen; dicendum est, quòd ad hoc consuetudo potest in talibus locum habere, & dare jurisdictionem; sicut expressè dicitur *Extravag. De judicijs. Cap. Novit.* ubi dicitur sic: *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum* (scilicet Regem) *spectat judicium: nisi fortè juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum.* Igitur per consuetudinem potest alicui acquiri jus cognoscendi, & judicandi de feudo alterius: alioquin frustra poneretur illa exceptio: *nisi fortè*. Et fortiori ratione potest consuetudo locum habere in alijs merè realibus, non feudalibus. Istas rationes proposui ego Petrus Bertrandi coram Domino Rege Philippo, qui nunc est in illa persecutione, quam habuit tunc Ecclesia Gallicana, quæ tamen per gratiam Dei sopita fuit sinè scandalo. Hoc igitur antiquioris in Christianissimo Regno à Clero Gallicano de jurisdictione Ecclesiasticâ doctrinæ tam viriliter propugnatæ exemplum, meritò imitetur modernus quoque Christianissimæ Ecclesiæ sacer Clerus.

PROBATIO IV.

Refutatoria *quarti* Adversariorum argumenti.

SI quæ doctrinæ ex parte adversâ circa Oe- 54.
cumenicæ Pontificiæ super Reges potestatis restrictionem propositæ esset probabilitas, oporteret, rationes, quibus nititur, saltem non esse oppositas cum Divinæ sacris Litteris traditæ doctrinæ fundamentis. Quod tamen dici haud posse (nisi propositio illa redigatur ad sensum in Corollario finali *primi* hujus articuli exponendum, constat ex ijs, quæ hactenus *fusè* deducta fuerunt.

Sed neque aliquod authoritatis pondus ac- 55.
cedere posse illi, cæterisque propositionibus, ex Conventu Parisiensi, in quo editæ fuerunt, ostendit Author *tractatûs De libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. cap. 14.* Quæ, inquiens, Cœtus

Pa-

Parisiensis declaravit, ejus sunt conditionis, ut, si vera esset Gallorum doctrina de potestate Concilij Oecumenici supra Papam etiam extra casum schismatis, à Concilio Oecumenico, non autem à Comitijs Cleri Gallicani, vel à Concilio Nationali fuissent determinanda.

56. Nam agitur de jure non solùm Summi Pontificis, sed etiam Concilij Generalis, imò de Ecclesiæ universæ securitate, nempe ad quem pertineat authoritas Decreta irrevocabilia circa fidem edendi; an potestas Ecclesiastica habeat aliquam potestatem in temporalia Regum, & Principum, &c. Quomodò ergo potest Ecclesia Gallicana, ubi de fide, de moribus, ac generalibus disciplinæ capitibus est quæstio, sententiam, inauditis etiam partibus, proferre? Numquid causæ istæ inter majores referri non merentur?

57. Respondebunt fortassis, se, quod jam à Concilio Constantiensi definitum fuerat, declarâsse, ne à fidelibus ignoraretur. Sed *primò* quoad potestatem Ecclesiæ supra temporalia Principum, Concilium Constantiense contrarium sensit, ut *inferiùs* ostendetur. *Secundò*, quoad authoritatem Concilij supra Summum Pontificem, non solùm plurimi Pontifices (quorum fortasse sententia in suspicionem traheretur, licèt non minùs suspecti sint Episcopi, cùm sibi non quidem divisim, sed conjunctim supremum Pontificem subijcere conantur) sed etiam quamplurimi Doctores ex universis Ecclesiæ partibus decreta Concilij Constantiensis de casu schismatis duntaxat interpretantur. An ergo ad Ecclesiam Gallicanam pertinet, obscurum Concilij generalis sensum interpretari? Decretum, inquies, clarum est, verùm secùs alijs videtur; ad quem pertinet hujus controversiæ judicium?

58. Nec juvat reponere, Antistites Gallicanos materiam, quæ ad Ecclesiam universalem videtur spectare, pro suis tantùm gregibus declarâsse, non autem toti Ecclesiæ articulos Fidei, aut disciplinæ Canones proposuisse. Hoc, inquam, non juvat. Nam *primò* declarationes illæ generales sunt, & terminis communibus conceptæ. Non enim v. g. declaratur, Reges Galliæ in temporalibus non subesse potestati Ecclesiasticæ; sed Reges, & Principes absolutè. *Secundò*, causas illas majores, aut etiam maximas esse, Galli negare non possunt. Nónne ergo ad sanctam Sedem, vel si suspecta erat, ad Concilium generale ex antiquis Decretis, & ex ipsis etiam Francorum legibus erant referendæ? Sed suspectum etiam foret Oecumenicum Concilium, cùm ejus quoque interesset, deberetque ei Summus Pontifex præsidere. Ideóne igitur debuit Ecclesia Gallicana, tanquam suprema inter Romanum Pontificem, & Concilium Oecumenicum arbitra, controversiam dirimere?

59. Non adeò faciles erant hujusmodi controversiæ, ut omissâ Romani Pontificis, aut, si mavis, Concilij Oecumenici consultatione, definiri possent; decebatque, ut Episcopi Gallicani apud Curiam his S. Petri Chrysologi Episcopi Ravennatis verbis sese excusarent; *Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus. Epist. ad Eutichem inter Acta Concilij Chalcedonensis par. 1. num. 15.* Si quid interim, &, ut vulgò dicitur, provisionaliter statuendum fuisset, longè majoris erant ponderis rationes, quæ in alteram partem suadebant declinare.

60. Quin etiam hæc declaratio Ecclesiæ Gallicanæ, vel Clero Gallicano tribui non debet, cùm, qui Comitijs interfuerunt, procuratione caruerint, quæ ad res adeò arduas, & difficiles specialissima requirebatur; consensus autem, qui fortè ab alijs quibusdam præstabitur, vix liber habebitur, cùm intentatis pœnis, & iam quibusdam inflictis, exigatur.

61. Accedendum jam ad singularum propositionum examen. Quocirca nisi demonstravero, propositiones in declaratione Cleri Gallicani contentas universaliter, ut jacent, acceptas esse falsas, saltem constabit, longè minùs esse probabiles, minúsque tutas, quam earum contradictorias. Atque adeò Comitia Parisiensia maximam injuriam illius Regni fidelibus erga Summum Pontificem bene affectis intulisse, dum Edicto Regio, pœnisque adjectis, ad assentiendum doctrinæ ad minus de falsitate plurimùm suspectæ, atque aliunde sanctæ Sedi adversæ, cogendos curârunt. Tantumque abest, ut illa agendi ratio libertas Ecclesiæ Gallicanæ nuncupari possit, ut durissima, & Christianæ libertati infensa servitus vocari debeat.

62. Nec puto, reperiri quemquam, qui hâc declaratione speret revocandos ad gremium Ecclesiæ hæreticos; quippe qui arbitrentur, ut eorum aliqui non sinè opprobrio nostræ Religionis jam significârunt, Comitia Cleri Gallicani non parum ad ipsorum doctrinam accessisse, jam plurimùm Summi Pontificis, cujus obedientiæ sese ipsi usquequaque subduxerunt, authoritatem imminuere cœpisse, potiúsque Catholicos à visibili Ecclesiæ Capite defecturos, quàm ei sese conjungere illi meditentur. Ego quidem sic habeo Regem Christianissimum, qui tam glorioso in reducendis ad Christi ovile Regni sui hæreticis incumbit, ex eâ declaratione ad tam præclarum opus, parum accepisse subsidij. Etenim cùm Summus Pontifex sit centrum unitatis, qui arctiùs illi adhæret, intrà sinum Ecclesiæ arctiùs stringitur. Imò, ut notavit Hincmarus *alibi* relatus, Rex, & Episcopi Christi Vicario obedientes, illo exemplo debitam sibi à proprijs subditis obedientiam faciliùs obtinent.

§. III.

Referuntur argumenta nostratis sententiæ, petita ex sacris Canonibus, speciatim *Cap. Novit. 13. De judicijs.* & *Cap. Licèt. 6. De votis.*

ARGUMENTUM I.

63. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 3. n. 1.* argumentatur 1. ex authoritate prælegati Canonis *Novit.* editi ab Innocentio III. rescri-

reſcribente in hæc verba : *Non putet aliquis, quòd juriſdictionem Illuſtris Regis Francorum perturbare, aut imminuere intendamus, ſed cùm Dominus dicat in Evangelio: Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum, ſi te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos: quòd ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Et Rex Angliæ ſit paratus, ſufficienter oſtendere, quòd Rex Francorum peccet in ipſum, & ipſe circa eum in correptione proceſſit ſecundùm regulam Evangelicam, & tandem, quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ, quomodò nos, qui ſumus ad regimen univerſalis Eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum Domini poſſumus non exaudire, ut non procedamus ſecundùm formam ipſius? Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum ſpectat judicium, ſed de peccato, cujus ad nos pertinet ſinè dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Non igitur injurioſum ſibi debet Regia dignitas reputare, ſi ſuper hoc Apoſtolico judicio ſe committat, cùm Valentinianus inclytus Imperator ſuffraganeis Mediolanenſis Eccleſiæ dixiſſe legatur : Talem in Pontificali ſede conſtituite, cui & nos, qui gubernamus, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita (cùm tanquam homines deliquerimus) ſuſcipiamus neceſſariò velut medicamenta carnis. Nec ſic illud humillimum omittamus, quod Theodoſius ſtatuit Imperator, & Carolus innovavit, de cujus genere Rex ipſe noſcitur deſcendiſſe*: Quicunque videlicet litem habens ſive petitor fuerit, ſive reus, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illicò ſinè ulla dubitatione, etiamſi pars alia refragetur, ad Epiſcoporum judicium dirigatur. *Cùm enim non humanæ conſtitutioni, ſed potiùs Divinæ innitamur, quia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo, nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum: & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere.*

64. *Sed forſan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum alijs eſt agendum. Cæterùm ſcriptum novimus* : Ita magnum judicabis ut parvum, neque erit apud te acceptio perſonarum, *quam B. Iacobus intervenire teſtatur* : Si dixerit ei, qui eſt indutus veſte præclarâ, tu ſede hîc bene, pauperi verò ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.

Ideòque univerſis vobis per Apoſtolicam ſedem mandamus, quatenus ſententiam noſtram recipiatis humiliter, & faciatis ab alijs obſervari: licèt enim hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, præcipuè cùm contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis.

65. *Poſtremò cùm inter Reges ipſos reformata fuerint pacis fœdera, & utrinque præſtito juramento firmata, numquid non poterimus de juramenti religione cognoſcere, quod ad judicium Eccleſiæ, non eſt dubium, pertinere. Ne ergo tantam diſcordiam videamur diſſimulando fovere, prædicto Legato dedimus in præceptis, ut (niſi Rex ſolidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel ſaltem humiliter patiatur, ut idem Abbas, & Archiepiſcopus Bituricenſis de plano cognoſcat, utrùm juſta ſit querimonia, quam contra eum proponit coram Eccleſia Rex Anglorum, vel ejus exceptio ſit legitima (quam contra eum per ſuas nobis litteras duxit exprimendam) juxta formam ſibi datam à nobis, procedere non omittat.*

Ex quo proinde ſacro Canone *præcitatus* 66.
Regalis Sacerdotij Author ſequentem efformat argumentationem. Nempe ex illo Canonico textu conſtat, non eſſe equidem Pontificis, *directè* & *immediatè* ſe cauſis feudalibus, & negotijs Regum immiſcere: poſſe tamen & debere ab eo id fieri, cùm Eccleſiæ intereſt, cùm ſcilicet de peccato, perjurio, ac fœdere violato agitur, tunc enim partes Pontificis ſunt, Regibus pacem imperare, eorum cauſas cognoſcere, appellationes ad ſe factas in cauſa etiam temporali recipere. Neque hoc novum eſt, ſed jam antiquis legibus conſtitutum; uti ex Evangelio conſtat *Matth. 18.* explicantque Divus Thomas *2. 2. q. 33.* & Maldonatus *in Lucam 18.* Idipſum patet tum ex ex edicto Valentiniani Imperatoris relati *in Cap. Valentinianus. diſt. 63.* tum ex lege Theodoſij Imperatoris, quæ eſt prima *titulo De Epiſcopali judicio in Cod. Theodoſiano*, referturque à Gratiano *in Cap. Quicunque.* & *Cap. ſeq. cauſâ 11. q. 1.* Neque hanc Pontifici authoritatem negavit Philippus Rex, cùm & ipſe ad eundem Pontificem provocaverit, teſte Æmilio rerum Francicarum ſcriptore *lib. 6.* & Spondano ad *annum 1203.*

Confirmatur ſolidiſſima hæc argumenta- 67.
tio, *Primam* Cleri Gallicani *ſuperiùs* poſitam propoſitionem conferendo cum illâ, quam in Archiepiſcoporum Bituricenſis, Stunitani, Turonenſis, Rothomagenſis, Lenonenſis, Belvacenſis, Cathalaunenſis, Laudunenſis, Pariſienſis, Novionenſis, Carnotenſis, Conſtantienſis, Andegavenſis, Pictavienſis, Meldenſis, Cameracenſis, ſancti Flori, Briocenſis, Cabilonenſis, & Eduenſis conventu coram Rege Philippo Pariſijs coadunato anno Domini 1329. propoſuit Petrus de Cuguerijs dicti Domini Regis Conſiliarius ſub hac forma: *De jure communi, cognitio cauſarum, quæ tangunt realitatem, ſive ſint in poſſeſſione, ſive in proprietate, pertinet ad juriſdictionem temporalem: & Officiales Prælatorum impediendo juriſdictionem temporalem, nituntur ſibi attribuere cognitionem cauſarum realium ſpecialiter ſuper poſitione, & ſuper omnibus interdictis.*

Pro quâ proinde propoſitione firmandâ, 68.
dictus de Cuguerijs contendebat, ſpiritualem & temporalem juriſdictionem, eſſe diſparatas, neque hanc illi ſubordinatam exiſtere, in probationis ſubſidium aſſumptâ tum Chriſti Domini ſententiâ *Matth. 22. capite* jubentis: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Quaſi per iſtum ſacrum textum eſſet facta diviſio juriſdictionis ſpiritualis ac temporalis: tum ex ejuſdem Domini noſtri *Lucæ 22.* effato reſpondentis Petro: *ſufficere duos gladios*, ac ſi per hos intelligenda eſſet duplex ea juriſdictio diſpar, & quoad ſubjectum ſeparata. Unde concludebat, Sacerdotium & Imperium eatenus diſtingui, ut iſtud rebus *humanis*, illud verò *Divinis* rebus præeſſet.

Verùm

69. Verùm econtrario Bertrandus Cardinalis Episcopus Eduensis nomine totius Cleri, seu Episcoporum & Archiepiscoporum Conventûs, respondebat *primò* ex Veteris Testamenti tabulis præter alios sacros textus allegando *decimum septimum Deuteronomij caput*. ubi sic habetur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, surge & ascende ad locũ, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quære ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem, sequere eorum sententiam, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio & decreto judicis, morietur homo ille.* Ecce igitur (subinfert Cardinalis ille) quàm manifestè dicat sacra Scriptura, quòd ad Sacerdotem pertinebat, judicare non solùm *inter lepram & lepram*, quantum ad Cæremonialia, & irregularitates legis; sed *inter sanguinem & sanguinem*, quantum ad Criminalia, & *inter causam & causam*, quantum ad Civilia.

70. *Secundò* idem Cardinalis ex Novo Testamento probabat, à Christo judiciariæ suæ potestatis quandam participationem factam esse Petro, utpote constituto suo in terris Vicario, qui proinde *Act. 5.* Ananiam & Saphiram pro crimine furti, & mendacij judicialiter condemnavit: sicuti etiam Paulus *1. Corinth. 5.* convictum fornicatorem judicavit; superadditque, videri evinci *ex Matthæi 18. capite*, quòd Christus voluerit, tale judicium esse penes Ecclesiam, ita sanciendo: *Si correptus à fratre*, alijs quoque duobus, vel tribus in subsidium adhibitis, *se non emendaverit, denuntiandum esse Ecclesiæ, & si hanc non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis*, adijciens, *quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Ecce igitur (concludit idem Cardinalis) quàm expressè vult Christus, quòd in omni re, in qua est peccatum unius adversùs alterum, si ille, qui deliquerit, monitus charitativè, non emendaverit, debeat negotium ad judicium Ecclesiæ referri, quam Ecclesiam, si non audierit, debeat vitari sicut Ethnicus & publicanus, id est, sicut ab Ecclesia excommunicatus.

71. Ex illa porrò universalitate potestatis solvendi & ligandi ad quæcunque super terram se extendentis, pergit Bertrandus inferre, nihil esse, in quo Ecclesia non possit ligare & solvere. Et ideo, quando Petrus de Cuguerijs contendebat, sub duobus gladijs, quos sufficere, ajebat Christus *Lucæ 22.* intelligi duas jurisdictiones spiritualem scilicet ac temporalem, consultò monet prætactus Cardinalis, oportere, ut animadvertatur, Christum voluisse, quòd illi duo gladij essent penes Petrum, & Apostolos. Quia proinde illi duo gladij significabant duplicem potestatem, nempe spiritualem ac temporalem, consequenter (inferebat is Episcopus) voluisse Christum, ut utraque illa potestas sit penes Ecclesiam.

72. *Tertiò* intentum hoc probabat idem Cardinalis ex Paulo *1. Corinth. 6.* ubi Apostolus hic tale fecerat argumentum: *An nescitis, quomodò Sancti de hoc mundo judicabunt, & si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, ut de minimis judicetis? An nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, si qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.*

73. Hisce igitur probationibus ex Jure Divino præsuppositis, pergit idem Bertrandus ex Jure quoque *naturæ* sequens adferre argumentum. Nempe ex sacris Litteris extra dubium est, quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat non in *interno* duntaxat tribunali pœnitentiali, sed in foro etiam *externo*. Cùm igitur litigia circa causas etiam temporales non eveniant, sinè alterius partis peccato, sive hujus saltem discrimine, manifestè sequitur, quòd Ecclesia possit se ingerere; uti satis deducitur *ex Cap. Novit. De judicijs.*

74. Adstipulatur etiam Jus *Civile*, dicit enim lex *Si tamen. 6. Col. Vt differ. judices.* si judex laicus fuerit suspectus, adjungendum ei esse Episcopum civitatis. si autem fuerit negligens, totum judicium ad Episcopum referri. Præterea Theodosius Imperator talem condidit legem. *Quicunque litem habens, sive petitor, sive Actor, sive cùm pejeratur, sive cùm inceperit perjuri sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illicò sinè aliqua dubitatione cesset, si alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur.* Quam legem posteà Carolus Magnus, qui erat Rex Franciæ, confirmavit *in Cap. Quicunque. 11. q. 1. Volumus*, inquiens, *ac præcipimus, ut omnes nostræ ditioni subjecti tam Romani, quàm Franci, cæterique nobis subjecti, sive vinculo legis videantur obstricti, sive consuetudinario more connexi, hanc sententiam perpetuâ lege teneant, ut, quicunque litem habent &c.* juxta dicta *superiùs* in lege Theodosij.

75. Hoc ipsum patet etiam de Jure *Canonico* per infinita Capitula *22. dist.* item *per Cap. Omnes Patriachæ. 2. q. 5. Cap. Si quis Presbyter. 11. q. 1. Cap. Ecce extra. De judicijs. Cap. Novit. De foro compet. &c.* & in multis alijs: imò in tantum procedunt jura Canonica, quòd quicunque talem jurisdictionem habentem de consuetudine nititur impedire, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat. *Cap. Quoniam ut intelleximus. De immunit. Eccles. lib. 6.*

76. Id ipsum patet etiam de consuetudine notoriâ & approbatâ, & tanto tempore observatâ: quòd memoria in contrarium non existat & temporibus Regum Christianorum & sanctorum. Talem autem consuetudinem violare, sacrilegium est. *Cap. 11. q. 1 tit. 1.* Consuetudo autem secundùm jura dat jurisdictionem, maximè personæ capaci: imò consuetudo, de cujus contrario memoria non est, habetur loco constituti juris inter omnes personas, & multò magis pro Ecclesia. *Extra. De præscriptionibus. Capit. Episcopum. in fine libri sexti.* Cùm ergo Ecclesia Gallicana (Bertrando communi Galliæ Episcoporum & Archiepiscoporum nomine sic perorante & concludente) consueverit, inter Laicos cognoscere in actionibus *personalibus*, & etiam in *realibus* alicujus Ecclesiæ, patet: quòd consuetudo potuit

uit sibi dare illam jurisdictionem.

77. Quæ consuetudo (ita pergente eodem Cardinale) ex eo etiam confirmatur, quia fuit in contradictorio judicio obtenta. Frequenter enim, reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum obtentâ, fuit per prædecessores Reges Franciæ consuetudo ejusmodi firmata Ecclesia, & pacificè obtenta per Ecclesiam: quæ adhuc potest hoc sibi vendicare per præscriptionem: ad hanc enim non nisi tria requiruntur, titulus nimirum, bona fides, & continuatio temporis. Certum est autem, quòd Ecclesia justum titulum habuit; sicuti est privilegium concessum à Theodosio Imperatore, & confirmatum à Carolo Magno mandante id inviolabiliter observari: habuit quoque titulum ex jure *Divino*, *naturali*, & *humano*, sicut *superiùs* est expressum & allegatum: habuit etiam bonam fidem, cui noscuntur tot, & tam clari tituli suffragari: convenit denique continuitas temporis, & tanti, quod sufficit ad præscriptionem etiam contra Fiscum: non enim fuit continuitas solùm centum annorum, imò etiam sexcentorum & ultra.

78. Huic Bertrandi anno 1329. nomine totius Cleri Gallicani coram Rege editæ demonstrationi tum juri *Divino & positivo & naturali*, tum *Canonico* ac *Civili*, tum consuetudine & præscriptione etiam sexcentenariâ innitenti, si superaddatur, quod postmodùm anno 1615. universi iterum Ecclesiastici Ordinis nomine, adstipulante quoque Nobilitatis Ordine, adversùs popularium Magistratuum Ordinem perorando, æquè firmis argumentis comprobavit Perronius *supra* adductus, meritò sibi condoleat modernus Clerus Gallicanus, quòd in novissimo sub annum 1682. Parisijs celebrato Conventu suo, Ecclesiæ Gallicanæ libertates, jura & privilegia uno quasi ictu peremerit, negando Ecclesiæ super causis civilibus & temporalibus ullam esse à Deo traditam potestatem, nisi fortè huic suæ propositioni eam adhibuerit moderationem, per quam suorum Antecessorum, imò ipsorum etiam Franciæ Regum Christianissimorum pro Ecclesia Dei, ejusque libertatibus, juribus, ac privilegijs antiquis seu conservandis, seu innovandis sanctus zelus reflorescere valeat.

ARGUMENTUM II.

Petitum *ex Cap. Licèt. De voto. in 6.*

79. Author *Regalis Sacerdotij* argumentatur 2. *ex præcitata Decretali* ejusdem Pontificis Innocentij III. ad Andream Ungariæ Ducem Regis Ungariæ filium rescriptâ sub hoc tenore: *Accepimus, quòd, cùm Rex Hungariæ pater tuus agens in extremis votum, quod voverat Domino, Hierosolomytanam provinciam in forti manu, humili corde visitare, sub interminatione maledictionis commiserit tuæ fidei exequendum, & tu assumpto Crucis signaculo, te adimpleturum sinè dilatione qualibet promisisti. Verùm eodem patre tuo sublato de medio, cùm Hierosolomytanum hoc iter te arripere simul esses, assumptæ peregrinationis oblitus, quoniam contra inimicos Crucis dirigere debueras, in fratrem tuum, & Regnum Hungariæ convertisti aciem bellorum, & multa contra serenitatem Regiam, malignorum usus consilio commisisti. Nos autem, quos diebus istis ad Pontificatûs officium, licèt immeritos, Dominus evocaverit, tam paci Regni Hungariæ, quàm tuæ volentes utilitati consulere, Nobilitatem tuam rogamus, & monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus postpositis cæteris solicitudinibus, usque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis debitum acceptæ Crucis exsolvens, propositum iter arripias, & humiliter prosequaris, ne, si onus à patre tibi injunctum, & à te sponte susceptum, occasione quâlibet detrectaveris, paternâ te reddas successione indignũ, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare, sciturus ex tunc anathematis vinculo te subjacere, & jure, quod tibi, si dictus Rex sinè prole decederet, in Regno Hungariæ competebat ordine genituræ, privandum, & Regnum ipsius ad minorem fratrem tuum appellatione postpositâ, devolvendum.*

Super quo sacro Canone *prælegatus Regalis Sacerdotij* Author animadvertendum proponit, suam in Reges authoritatem iterum exercuisse Innocentium in tantum, ut non satis habuerit, spirituales pœnas denunciare, quas plerumque Principes haud magni faciunt, sed temporales adjunxerit, quæ plus doloris habent, Regni videlicet privationem, cùm enim de bello sacro ageretur, inferendâque Catholicâ fide terris à barbaro usurpatis, tanti hanc rem momenti visam esse, ut posset à Vicario Christi quâvis honestâ ratione urgeri. 80.

Confirmatur ea argumentatio singulariter adhuc animadvertendo, qualiter præfatus Pontifex Evangelicæ correctionis partes adimpleverit, inprimis fratris assumendo personam, rogans, posteaque exhortans in Domino, indeque, si neque fraterna illa admonitio quasi privata, neque solenior, *Domino in testem quasi invocato*, exhortatio proficeret, Ecclesiæ, seu Apostolicæ Sedis mandatû adhibens. In quo adeò Apostolico mandato sub conditione recusandæ paritionis, intentabat etiam anathematis vinculum, unà cum comminatione privandi inobedientem jure hæreditatis paternæ, & in Hungariæ Regno successionis. De qua proinde posteriori comminatione dubitare quis posset, quomodò subsistiterit in viâ correctionis Evangelicæ, eò quòd Christus *Matthæi 18.* illam sanctæ Ecclesiæ concessam virgam correctoriam videatur eo circumscripsisse limite, ut, qui Ecclesiam non audierit, instar Ethnici & publicani habendus sit, nullâ ulterioris ad pœnas temporales, seu Regni privationem, procedendi authoritatis mentione factâ? 81.

CONCLUSIO.

EX sacris Canonibus *Cap. Novit. 13. De judicijs. & Cap. Licèt. 6. De votis.* efficaciter demonstratur Pontificia super Reges authoritas. 82.

Explicatur. Si expendatur textus Canonicus

nicus dicti *Cap. Novit.* clarè patet, Pontificiæ ſuper Reges poteſtatis fundamentum reduci in virgam correctoriam *Matth. 18.* Eccleſiæ conceſſam erga univerſos illos, qui ſunt in unitate Eccleſiæ coadunati Fratres, quales utique ſunt univerſi Reges Chriſtiani. Hæc autem virga correctoria ex aperto Chriſti verbo protenditur indefinitè ſuper correptione quorumvis peccatorum, Laicæ adeò poteſtati quoque ſubjectarum cauſarum *Criminalium* ac *Civilium*, in quantum important aliquam à regno cælorum ſeu privatam, ſeu publicæ etiam Religioni infeſtam deviationem. Ex hujus igitur virgæ correctoriæ authoritate Summus Pontifex ad univerſæ Eccleſiæ regimen Divinâ diſpoſitione vocatus, jure *Divino* procedit ad quemlibet, adeoque Regem etiam, ſi Chriſtianus ſit, diſtrictione Eccleſiaſticâ coercendum: ſicque adeò Innocentius III. in ea Decretali, ex ipſiſſimo illo ſacræ Scripturæ fundamento ſic concludit: *Licèt hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, præcipuè tamen id ſe poſſe, cùm contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis.* Quandoquidem igitur iſta concluſio ex ſacris Litteris non privato Doctoris alicujus ſenſu, ſed Pontificiæ authoritatis ſanctione habeatur deducta & definita, quid ni dixeris, hâc Oecumenicâ ſuprà fidei petrâm fundatâ authoritate ſuper Eccleſiæ candelabrum eſſe poſitam illam de Eccleſiaſticâ ad univerſos Chriſtianos, atque adeò Reges etiam protenſâ virgâ correctoriâ & coercitivâ?

Sed dicet fortaſſis nonnemo, videri huic virgæ correctoriæ eſſe ſolùmodò locum pro caſu evidentis peccati, non autem pro caſu, quo agitur cauſa ſeu *civilis*, ſeu *criminalis* ad Magiſtratum politicum pertinens, dum nondum conſtat; *An, & ex quâ parte ſubſit peccati mortiferi reatus, ſuper quo Innocentius ibidem dicit protendi ſuam authoritatem correctoriam?*

PROBATIO I.

In qua fit diſcuſſio caſûs proximè expoſiti.

83. NOn abſimilis videtur propoſitioni huic, exceptioniſque proximè allatæ, oppoſitio Heideggeri Pſeudoreformatæ Tigurinæ Eccleſiæ publici Profeſſoris, adversùs *Seſſionis 13. ſacri Concilij Tridentini ſuper juriſdictione Eccleſiaſticâ* decretum, & illum Innocentij III. Canonem. *Novit* protervè excipientis *Viſum quidem fuiſſe Innocentio III. ſub virgæ correctoriæ per Chriſtum ſancitæ prætextu poſſe ad juriſdictionem ſuam omnia omnium contumacium peccata, etiam Principum & Regum controverſias, ſeu quatenus in illis peccati quædam conſpicua eſt ratio, revocari, adeoque hâc ratione immenſam in omnes Chriſtianos poteſtatem coactivam fundari. Sed huic Innocentianæ probationi Navarrum* in Cap. Novit. De judicijs notat. 6. n. 55. *multa oppoſuiſſe, ac præcipuè hoc; quòd inde horum maxima oriretur confuſio, cùm eorum nulla ſit fori politici cauſa, quæ non contineat injuſtitiam, ſeu formalitatem peccati, patere ſanè, à foro* politico *nullam non cauſam ad forum Eccleſiaſticum ſic trahi poſſe.* 84.

Verùm Author *Inextinctæ ſacri Concilij veritatis Tom. 2. Tract. 6. ſect. 6. cap. 2. arg. 7. n. 6. ac ſeq.* hanc Pſeudoreformatoris ſpiritûs exceptionem confutaturus, ſupponit in primis, cauſæ cujuſpiam *Civilis* in controverſiam tractæ ſtatum poſſe ità ſe habere, ut neuter litigantium agnoſcat ſuperiorem judicem *civilem*, unus tamen liquidum habeat jus ab altero arrogatum, de cujus adeò uſurpatione evidenter injuſtâ juxta normam ſacri Evangelij abſque ullo tamè emendationis fructu corripitur.

In hoc igitur ſtatu clarè conſtat, locum eſſe mandato Chriſti *Matth. 18. v. 17.* jubentis, taliter correptum deferre ad Eccleſiam, cui in tantum fas ſit, proferre judicium ac cenſuram, ut, ſi alteruter eam non audierit, Ethnici inſtar, ac publicani ſit habendus. Quamvis proinde in tali ſtatu fas non eſſet Eccleſiæ, ſive ejus ſupremo Capiti Oecumenico, *Directè* cognoſcere de jure *Civili* poteſtati ſubjecto, attamen ex ſacro Evangelio clarum eſt, Eccleſiæ incumbere, ſententiam ferre de peccato, atque adeò *indirectè* cognoſcere de jure, quatenus hujus notitia requiritur ad diſcernendam peccati formalitatem, ſub qua ex prætacto Chriſti mandato ea cauſa trahitur ad judicium ac cenſuram Eccleſiæ.

Quòd ſi equidem clarum, ac liquidum 85.
non ſit inter litigantes, ex qua parte ſtet cauſæ iniquitas, dum tamen clarum eſt, oportere, ut ex una parte deficiat æqui & juſti ratio, tunc in ſtatu publici imminentis ſcandali, Eccleſiæ habenti à Chriſto ſibi demandatam virgam correctoriam, incumbet, prudenter proſpicere, & indagare, ex qua parte adhibenda ſit correctio: ſicque adeò *per indirectum*, ac ex conſequenti incumbet Oecumenico Eccleſiæ Capiti, indagare, ac judicium facere ſuper ſtatu cauſæ alioquin *Civilis*, ut correctionis à Chriſto præceptæ virga ex æquo & juſto valeat applicari. Atque hoc eſt, ad quod collimat Innocentij III. Decretum *in Cap. Novit. de judic. circa finem.* demandantis Archiepiſcopo Bituricenſi, ut de pleno cognoſcat controverſiæ inter Galliæ & Angliæ Reges verſantis cauſam, & utrùm juſta ſit hujus querimonia ad Eccleſiam, ſeu Papam delata, ſicque comperta ejus juſtitiâ, juxta formam ſibi à Pontifice datam procedere non omittat.

Sed quâ fronte auſus eſt ille Pſeudore- 86.
formationis miniſter inducere Navarrum, ac ſi *in cit. Cap. Novit. annot. 6. n. 55.* ei Innocentij III. ex ſacris tamen Litteris deſumptæ probationi auſus eſſet multa opponere argumenta? Hic equidem Author, poſtquàm *ibid. notab. 5.* pluribus argumentis comprobaverat illud Innocentij III. reſcriptum, poſtea *not. ab. 6.* adducit nonnullas oppoſitiones, mox tamen eaſdem ſequenti diſſolvit ratione. *Actor*, inquiens, *convenire quidem poteſt hoc modo reum indirectè coram Eccleſiaſtico judice ſuper quocunque peccato lethali, & Iudex ipſe de illo cognoſcere, in ſi reus excipiat. Reus autem excipere poteſt,*

non quidem, quòd Iudex Ecclesiasticus non est competens ad cognoscendam causam tali modo (sub formalitate nempe peccati Ecclesiasticæ censuræ subjecti) propositam: sed quòd actor malitiosè dolo ac fraude videtur eum trahere ad forum Ecclesiasticum, omisso sæculari, cujus judicio se ait, paratum esse stare. Et hanc exceptionem admittere tenebitur Ecclesiasticus, eò quòd sacrosancta Mater Ecclesia fraudem & dolum plurimùm odit, non vult videri arrogans, quippe quæ simplex columba est, & simplicitatem columbæ cum suo sponso laudat, nec est alieni usurpatrix, nec vexare ullum cupit, omnes levare desiderat. At qui potest directè convenire Laicum Christianum coram Laico judice, super aliquo tanquam civem & hominem, & sperat, vel sperare debet, jus suum sibi ab eo reddendum, & convenit indirectè illum coram Ecclesiastico, meritò videtur potiùs simulare se quærere, quàm verè velle ea, quæ sunt Christi, scilicet ut conventum pœniteat peccati, quo mortuus jacet, & satisfactione conveniente, Deo fiat gratus. Videtur (inquam) hoc simulare, cùm potiùs credatur velle principaliter *suam satisfactionem: & ita meritò præsumitur id facere animo fraudandi potestatem laicam, aut reum artibus exquisitis vexandi. Et, si Ecclesia non admitteret ejusmodi exceptionem, arrogans videretur, & alieni cupida, & potiùs velle quærere potentiam, quàm facere justitiam. Et ideò meritò non admittit talem actorem, cùm tamen admittat alios, qui destituti remedio in foro sæculari, ad Ecclesiasticum recurrunt. Quâ ratione illa Hostiensis, & Ioannis Andreæ, à quibus nemo recedit, antiqua doctrina defenditur, quam etiam satis sensisse videtur Innocentius.* Atque hæc Navarri cautela videtur prorsus consentanea dictæ Decretali *Novit* in cujus initio protestatur Innocentius, nolle se jurisdictionem Regis Francorum super causa feudali perturbare, aut minuere, seu impedire, sed virgam Evangelicæ à Christo sibi demandatæ correctionis, quatenus opus sit, cum summariâ suo delegato commissâ causæ cognitione, exercere.

87. Quo taliter constituto, hunc in modum licet Theologicè argumentari. Inter *moralia* jure *naturali* conspicua axiomata numeratur istud quoque principium, ubique receptum: Cuilibet Magistratui fas esse, potestatem suam judiciariam extendere super omni causâ, fori sui limitibus contentâ, in quâ scilicet reperitur *moralis* quædam ratio, seu *moralitatis* ad publicum judicium spectantis *formalitas*, judiciariæ cuique Magistratui competentis potestatis sphæram circumscribens. At ex fide certò constat, à Christo Domino fuisse *Matthæi 18.* Ecclesiæ concessam virgam correctoriam, atque hujus potestatem eoúsque progredi, ut, qui Ecclesiam non audierit, instar Ethnici habendus sit, communione adeò Fidelium privandus.

88. Ex eâdem insuper sanctâ fide per aperta Christi verba apertò liquet, eam virgam correctoriam extendi indefinitè super peccato, atque adeò super omni peccati genere. At verò ex sacro contextu rursus manifestum est, illam super omni peccato protensam correctoriam virgam reduci in potestatem ligandi & solvendi indefinitam, protensam ad quodcunque super terram, velut ipsemet Christus hanc potestatem ligandi & solvendi in subsequenti mox versu contexuit cum illa virga correctoria. Hæc verò potestas ligandi & solvendi quodcunque super terram, eo *Matth. 18. capite* ita referebatur ad Apostolos, ut *Matth. 16.* sub pari ad quodcunque super terram extensione fuerit soli Petro, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeóque ejus successori promissa, & postmodùm *Ioannis 21.* cum Pastorali Oecumenico munere actualiter collata. Ex hisce igitur fidei principijs cum illo *morali* naturaliter conspicuo principio collatis, certò infertur, illam Ecclesiæ concessam virgam correctoriam super omni peccato protensam, subsistere etiam penes Petri successorem, Romanum Pontificem.

Atque hæc virgæ correctoriæ super omni peccato extensio in regni cælorum clavibus Petro, ejusque Successori demandatis comprehensa, juxta Christi verba *Matth. 16.* exarata, fundatur in debita omnimodi actûs *moralis* ad regnum cælorum ordinabilitate, cujus deviationem, ex quo moralitatis in homine linea ad supernaturalem statum est elevata, involvit jam omne, præcipuè mortale peccatum. Hæc verò moralitatis ad statum supernaturalem elevatæ in regnum cælorum ac salutem æternam ordinabilitas, in vi indefinitæ clavium authoritatis observanda incumbit Oecumenico Ecclesiæ Pastori, non eo duntaxat casu, quo ejus deviatio per peccatum actualiter commissum jam est facta, sed vel maximè ad prospiciendum, ne tales à supernaturalis statûs fine committantur deviationes; veluti hoc evincunt Christi verba *Ioan. 21.* pascendi munus erga cunctas oves suas Petro, ejusque successori committentis: hoc enim seu pascendi, seu gubernandi officium malè administraretur, si pastor ovibus primùm post patrata peccata, non verò antecedenter, maximè ubi imminet peccati periculum, providere veller. At verò in plerisque causis etiam *Civilibus*, quando duo inter se altercantur, præcipuè dum nullum (veluti Reges) supra se *in foro politico* agnoscunt superiorem, & hinc per viam *facti*, vel ex proprio arbitrio procedere affectant, non potest non evidenter imminere periculum peccati, quamquàm evidens non sit, ex qua parte stet injustitia, quamdiu hoc ex publicâ authoritate non fuerit decisum. Ex debito igitur peccati imminentis periculum manifestum avertendi, secundùm fidei de Ecclesiæ clavibus Petro, ejusque Successori commissis nos edocentis, certissima principia, incumbit illi ipsi, qui ex muneris Pastoralis Oecumenici super omnes Christi oves, ipsosque adeò Reges Christianos protensi officio, prospicere debet adversùs quodcunque non patratum duntaxat, sed de futuro *moraliter* certò patrandum peccatum. Est autem evidenter conspicuum, pro tali casu provideri haud posse ab Oecumenico Christi ovium Pastore, nisi huic sit authoritas decisoria altercationis inter Reges exortæ, cum certo ac evidenti peccati ex alterutrâ saltem parte seu jam incursi, seu incurrendi discrimine. Com-

89.

binando

binando igitur fidei principia cum *moralibus* naturali lumine indubitatis principijs, secundùm sacram Theologiam redditur omninò consequens, Oecumenico Christi ovium Pastori esse potestatem etiam judicialiter & authoritativè decisoriam causarum quoque *Civilium*, inter ipsos etiam Reges controversarum, ubi intervenit vel peccatum, vel manifestum saltem, ac *moraliter* certum peccati periculum. Quæ proinde judiciaria in tali casu Oecumenici Pastoralis à Christo instituti muneris potestas continetur clavibus regni cælorũ, indefinitâque quodcunque super terram solvendi & ligandi authoritate.

90. Quam igitur authoritatem in Petri successore fuisse agnitam à Theodosio & Carolo Magno Imperatoribus *in præcitato Cap. Novit. De judicijs.* asseruit Innocentius III. *Nec sic*, inquiens, *illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innovavit, de cujus genere Rex ipse noscitur descendisse, quicunq; videlicet litem habens sive petitor fuerit, sive reus, sive initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sinè aliqua dubitatione (etiamsi pars alia refragetur) ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur.* Hinc ergo Gallicanus Clerus meritò studeat, supparem Carolo Magno, qui (in moderno Christianissimo Rege inter Magnos Galliarum Reges jure extollendo, videtur cum sanctæ Religionis, ac fidei sancto zelo revixisse ac refloruisse) Oecumenicæ super causas etiam *Civiles* sub peccati, quà cum supernaturalis statûs fine saltem, pugnantis formalitate protensæ, Summi Pontificis authoritatis, observantiam religiosam non tantùm non extinguere, sed fovere & conservare.

PROBATIO II.

Desumpta *ex Cap. Licèt. De votis.* ejusque cum *præadducto Cap. Novit.* combinatione.

91. HUc inprimis revocatur illa *præced. n. 81.* circa *cap. Licèt. De votis* insinuata difficultas; *Quomodò scilicet Ecclesiæ correctoria virga ex Christi Domini verbis eo circumscripta limite, ut videatur terminata, ubi Ecclesiam non audiens, declaratus fuerit dignus haberi instar Ethnici, communione adeò fidelium privatus; extendi valeat ad pœnas quoque temporales, regni præcipuè ceu hæreditatis paternæ privationem?* Hæc proinde difficultas videri posset jam soluta ex principijs *superiùs* consolidatis. Nihilominùs ad majorem rei hujus firmitatem, sequens adhuc deducitur probatio. Inprimis *ex præcitato Cap. Novit in ejusdem fine* constat, Innocentium III. postremò hoc punctum reduxisse ad suæ super causis *Civilibus*, peccato interveniente, potestatis fundamentũ: *Cùm* nempe *inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & utrinque præstito juramento firmata: quæ tamen usque ad tempus prætaxatum servata non fuerint, sibi utique fas esse, de juramenti religione cognoscere, hoc namque citra omne dubium pertinere ad judicium Ecclesiæ, ut rupta pacis fœdera reformentur.* Ex quo proinde principio hunc in modum argumentari licet. Ex ipso equidem naturali lumine eatenus subsistit jurisjurandi religio, ex naturali super nos signato lumine nos inducens, ac præpollens, ad Deum, ex quo facta sunt omnia, cognoscendum, ac sub juramento præcipuè reverendum in tantum, ut, licèt homo esset in statu puræ naturæ, perjurium tamen importaret rationem sacrilegij, intrà honestatis *moralis* naturalem lineam graviter peccaminosi. Hæc autem tota moralitati naturali repugnans sacrilegij in perjurio malitia peccaminosa, unà cum jurisjurandi secundùm lumen naturæ nobis cognitâ religione, etiamnum subsistit, quantumvis homo sit jam elevatus ad statum supernaturalem. In vi autem hujus ad supernaturalm in fide radicatum statum elevationis, indubitatum jam est, jurisjurandi religionem, una cum opposito sacrilegij reatu, subijci judicio Ecclesiæ. Pari ergo ratione, ubicumque reperitur malitia Divini honoris, secundùm religionis jam supernaturalizatæ transcendentalem saltem exigentiam, debitæ observantiæ repugnans, dicendum est: sub tali formalitate, qualecunque peccatum, atque adeò causam quamcunque hâc formalitate vestitam, pertinere ad judicium Ecclesiæ. At violatio voti non tantùm quoad illam transcendentalem, sed etiam quoad specificam religionis supernaturalizatæ rationem evidenter importat formalem cum hac repugnantiam. Quandoquidem igitur Hungariæ Regis filius reus fuerit violati voti, proficiscendi ad terram sacram Hierosolomytanam cum manu forti, ac militari, meritò Innocentius III. causam ejusmodi traxit ad judicium sanctæ Ecclesiæ. At cujusque judicij in cognoscendis & puniendis delictis authoritas publica secundùm ipsum etiam supernaturale lumen extenditur ad omne genus pœnæ ipsius foro subjectæ, atque delicto proportionatæ. Eo ipso autem, cùm Christus quodcunque super terram, quà in regnum cælorum ordinabile subjecerit clavibus Ecclesiæ, indefinitæque ejusdem Oecumenico Pastori Petri successori concessæ ligandi & solvendi potestati, oportet, sub hac ordinabilitate regna, & quævis temporalia, nempe quà in regnum cælorum Divinitus ordinata, subijci prætactæ Oecumenicæ authoritatis clavibus Apostolicis. At quia Dux præinsinuatus Regis Hungariæ filius in se susceptit patris votum de Hierosolomytanâ provinciâ in manu forti visitandâ, atque adeò ad hoc sub paternæ maledictionis interminatione fidei suæ commissum se obstrinxit, assumpto Crucis signaculo, ideo non sub illa *generali* duntaxat formalitate debitæ ad regnum cælorum ordinabilitatis, sed sub specificâ voti ejusmodi ratione, eatenus obstringebatur, ut maledictionis paternæ reatum contraxerit, sub voti sui violatione. Hic verò maledictionis paternæ reatus utique importabat aliquam seu condignitatem, seu condignitatis cujuspiam decentiam, ut per authoritatem publicæ, cui talis reatus *specificè* subijciebatur, judiciariæ potestatis meritò privaretur paternâ

hære-

hæreditate, atque hinc, si ad ipsum devolveretur, Regni successione. Quia igitur naturæ quoque lumine notum est, tribunalis cujuscunque judiciariam potestatem protendi super omnem causam, fori sui sphærâ circumscriptam, sibique adeò subjectam, nec non pœnam tum foro ejusmodi, tum delicto ad id spectanti proportionatam. Quia insuper ex fidei principijs notum est, illam voti violationem cum pœna eidem proportionatâ subijci Oecumenicæ ad quodcunque super terram ligandi, & solvendi protensæ potestati, per argumentum Theologicum sub Oecumenicæ authoritatis sanctione super Ecclesiæ candelabrũ positum, evincitur prorsus manifestum, in vi juris Divinitus sanciti, Innocentium III. in casu Canonis *Licèt. 6. De votis.* juste procedere potuisse ad hæreditatis paternæ, Regnique privationem comminatorie indicendam.

§. IV.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta desumpta *ex Cap. Venerabilem. 34 De elect. & ex Clementina unica. De jurejurando.*

ARGUMENTUM I.

Petitum *ex Imperij Occidentalis in Francos per Pontificiam authoritatem factâ translatione.*

92. ARgumentari licet 1. in medium proferendo, quæ ad utriusque illius Canonicæ sanctionis intelligentiam ab Authore *Regalis Sacerdotij præs. lib. 1. §. 5.* contexta est summaria hanc in rem historia. Is igitur Author *ibi num. 1.* ostendit inprimis, Imperium Orientem simul ac Occidentem olim complectens, fuisse in filios divisum à Constantino Magno, Occidentem assignante Constantino juniori, & Constanti: Orientem verò Constantio, quod bipartitum Imperium durabat usque ad annum 476. quo Eruli, Gothique Italiæ dominari cœperunt, à Belisario, & Narsete postmodùm devicti, expulsique sub Imperatore Justiniano, utrumq; Orientis scilicet & Occidentis, Imperium rursus conjungente, usque dum Alboinus Longobardorum ex Pannonia excitorum Rex Italiam subegit, ex quorum Ecclesiæ infensâ hostilitate, permotus Gregorius Papa, Martellum Francorum Regem in subsidium vocat; veluti *n. 2. dicti Summary* habetur, unà cum Actis Concilij Romani ab eodem Gregorio convocati adversùs Imperatorem Leonem Isauricum ejusdem Synodi authoritate condemnatum hæreticum, diriseque adeò percussum, omniq; tributo, quod populus pendebat, Gregorij, Romanum consolatum Martello deferentis, sententiâ privatum, eidem tamen Summo Pontifici reconciliatum. Anno dein 729. Luitprandus Longobardorum Rex rursus infestare cœpit Romanam Ecclesiam, Gregorio III. proinde anno 740. iterum iterumque in subsidium vocante dictum Martellum Francorum Regem, sed fatis mox defunctum. In *tertio prætacti Summarij numero* edocemur, qualiter extincto Martello, Regnum Franciæ Childerico inter otia & voluptates marcenti ademptum, authoritate Zachariæ Pontificis anno 751. fuerit concessum Pipino, adversùs Longobardorum iteratas molestationes, implorato in auxilium anno 753. dum ex Copronymo Imperatore nullum aliud bellum, quam cum sanctis imaginibus agitante, nulla subsidij spes superesset. Unde prout *in dicti Summarij num. 4.* enarratur, evenit, ut Stephanus Papa III. jus Regium Pipino anno 754. confirmârit, & tradita sibi a Deo potestate, Franciæ Proceres juramento adstrinxerit, nunquam ex aliâ, quam Pipini, atque adeò Carolinâ stirpe Reges à se admissum iri. Pipinus exinde dicto anno Aistulpho Longobardorum Rege victo, Italiæ pacem restituit, sed Aistulpho pactorum fidei ac juramenti immemore, seque in Pontificem denuo armante, Pipinus denuo in Italiam cum exercitu progressus anno 755. victor evadens, Ravennam Exarchatum, aliasque civitates omnes, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Auximum, Urbinum, Rhegium, Mantuam, Ducatus Spoletanum, & Beneventanum in potestatem suam redegit, ac Romanæ Ecclesiæ dono dedit, confutatis Copronymi, eas civitates Imperio vindicare nitentis, postulationibus.

Hinc Pipino demortuo succedit Carolus 93.
Magnus dictus, qui (uti in *Regalis Sacerdotij Summario num. 5.* describitur) unà cum Carolomanno successit, ac anno exinde 771. totius Regni Franciæ regimine ex Episcoporum, atque Optimatum decreto potitus, indeque ab Hadriano Papa III. contra Desiderium Longobardorum Regem vocatus in auxilium, hunc profligavit, Copronymo Imperatore Constantinopoli in delitijs otium transigente, quousque ab Aldagiso Desiderij filio Clatius Græca in Italiam prorupit. Quibus tamen fortunâ, & virtute Caroli devictis anno 778. Aldagisus fuit interemptus, & ita ultimæ Regni Longobardorum favillæ in ipso micandi conatu penitus extinctæ fuerunt, bellũque hinc in Græcos est aversum, dum etiam fides de Caroli filiâ cum Imperatore Constantino copulandâ, eidem Regi violata fuerat.

Exinde anno Christi 800. uti prætactum 94.
Summarium num. 6. exponit, Carolus non tam Leonis Papæ III., quàm Christi injurias vindicaturus, Romam veniens, rebus feliciter compositis, à præfato Summo Pontifice Occidentis Imperator Augustus constituitur ob causas in dicto *Summario num. 7.* exaratas. Nempe Clodovæus morti proximus coronam auream, gemmisque distinctam, quam Regnum vocant, B. Petro dono miserat, quasi Francorum Regnum Ecclesiæ defendendæ oppignorâsset. Hincmarus *in vita S. Remigij.* Eosdem Francos tot jam Pontifices, cùm periclitabantur, appellaverant, Pelagius, Gregorius, Stephanus, Adrianus, Leo, felici semper eventu. Pipinus bis cum exercitu in Italiam descenderat, Sedemque Romanam à Barbaris jam ultimè expectantem liberaverat, donatisque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tisque amplissimis patrimonijs ex serva Reginam fecerat. Carolus ipse in præfatione ad sua capitularia inter alios titulos hunc velut maximè Regium suo nomini præfixerat: *Carolus Rex Francorum devotus S. Ecclesiæ defensor, humilisq; adjutor.* Et ad Episcopos Hispaniæ in litteris contra hæresin Nestorianam: *Carolus Rex Francorum & Longobardorum, Patricius Romanorum, filius, ac Defensor sacræ & Romanæ Ecclesiæ.* Et in testamento filijs Regibus ante omnia mandavit, ut curam, & defensionem Romani Pontificis assumerent. Verba Testamenti sunt: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ Pipino genitore, & à nobis postea suscepta est, ut cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur.* Quod testamentum, eoque contentam Regnorum inter filios divisionem Leoni III. per Eginhardum à secretis, confirmandum postea transmisit. Idem denique Carolus jam quartâ vice armatus in Italia, & pro Ecclesia stabat, cui ergo Pontifex majori jure, majoriq́ue merito Occidentis Imperium deferret? Accedebat jam à tempore D. Augustini vulgatum inter Patres vaticinium: *Francorum Regnum perpetuum fore, nec ante finem mundi desiturum.* Meminit hujus vaticinij D. Augustinus *in libello de Antichristo tom. 9.* quæ omnia, si cessarent, necessitas tamen extorquebat omni ratione major. Quis enim tum temporis Romanam Sedem, arcemq́ue Religionis contra barbaros, Græcosq́ue alius tueretur? Orientis imperium olim sub Theodosio totâ Asiâ, Africâ, & Europâ florentissimum jam barbari majori ex parte obtinebant: Bulgari videlicet, Avares, Saraceni. Vix tanti dominatûs reliquias in minori Asia, Thracia, Græcia, Macedonia Imperatores Græci possidebant, & hanc ipsam tantulam partem hæreses multæ, sævæ, cruentæque vastabant, & præsertim Iconoclastarum, quæ à Leone Isaurico nata per Constantinum Copronymum, & Leonem Armenum Imperatores ducta, plus Catholici sanguinis hausit, quàm sub Cæsaribus Ethnicis antiquæ persecutiones: nec contenta, Orientem corrupisse, per edicta & insidias Exarchorum in Occidentem & Italiam devolabat, summo Religionis discrimine. Accedebant domesticæ clades, discordiæque, Irene Imperatrice cum filio Constantino de Imperio pugnante. Solus ergo, qui pulsatæ tot periculis Ecclesiæ subveniret, Carolus Magnus supererat & vicinus, & potens, & pietate potentiam æquante. In hunc igitur summa rerum deposita est, præstitumq́ue juramentum, cujus forma in libro rituum habetur, & videri potest apud Spondanum *anno 1300. n. 3.*

95. Quibus fusiori stylo expositis à dicto *Regalis Sacerdotij* Authore *præs. §. 5. n. 8. post medium*, sequens fit conclusio: quòd nempe pateant plures actus potestatis à Summo Pontifice in Reges exercitæ. Cùm nempe Gregorius II. Caroli Martelli protectionem adversùs Longobardos implorat, defertque Romanum Consulatum. Cùm idem Gregorius Leoni Isaurico in Catholicos sævienti tributum à Romanis pendi solitum abrogat. Cùm Zacharias à Childerico stupido in Pipinum Regem potestatem & Regnum transfert. Cùm Stephanus Papa Pipino, & filijs ejus Regnum confirmat, Regniq́ue Proceres solenni juramento adigit, nunquam se ex aliâ, quàm Pipini, id est, Carolinâ stirpe Regem admissuros. Cùm Adrianus Papa agit adversùs Desiderium Longobardorum Regem. Cùm denique Leo III. Carolum Augustum dicit, coronâ & Imperio Occidentis dignum.

Objectio.

96. ADversùs istam de Imperij Occidentalis in Carolum Magnum translatione, historicam enarrationē occurrit Ludovicus Maymbourg. *in hist. Iconoclast. lib. 4. ad annum 800.* dicens, *Carolum Magnum Imperium Occidentis, & ipsam Italiam jure belli occupâsse, Romam verò populi Romani donatione: nec aliud à Leone Papâ, quàm coronam, hoc est, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, nudámque cæremoniam accepisse, imò nec istam, nisi Civium Romanorum precibus compulsum, etiam sinè sine Augustum acclamantium, tunc enim, nec priùs à Leone fuisse coronatum.*

Responsio.

97. HUic namq́ue Maymbourgi exceptioni jam *anticipatè* occurrerat præfatus *Regalis Sacerdotij* Author *cit. §. 5.* differendo in hunc modum: Enimverò factam esse hanc Imperij translationem authoritate Leonis III. Summi Pontificis, probat Bellarminus testimonijs triginta quinque historicorum, quorum verba describit; duodecim Imperatorum, aliorumq́ue Principum, & septem Summorum Pontificum suffragijs, quorum testimonia eo prætextu reijci utique non possunt, quòd in propria causa testari videantur: cùm supremus Princeps non tantùm testis, sed judex esse possit etiam in sua causa. *l. un. Cod. Si quis Imperatori maledixerit. leg. 54. Cod. De Decurionib. c. Cùm venissent. 12. De judic. & ibi* Abbas *n. 6.* Godefred. *ad c. Ne quis in sua causa.* Azor *p. 3. lib. 2. c. 7. q. 4.* Laym. *lib. 1. de conscientia c. 5. n. 7.* Estq́ue communis sententia, posse Episcopum, vel alium Prælatum esse judicem in causa propriæ Ecclesiæ, Abbas *in c. 1. De maledicis*: & ipsa experientia, & praxis etiam in Gallijs recepta convincit, ubi lite circa Regiam dignitatem, & jura Coronæ ortâ, nullus alius præter Regem, aut Regis Ministros judex admittitur, ab eoq́ue, cujus causa agitur, sententia fertur, & bellum jam indicitur: quantò id verius erit in Vicario Christi? Cùm enim tribunal Vicarij sit tribunal ipsius Principis, adeò ut à Vicario ad Episcopum appellari non possit. *c. 2. De consuet. in 6. cap. Romana. De appellat. in 6.* Eodem modo dicendum erit, tribunal Papæ esse tribunal Christi, nec ab alio lites Pontificiæ dignitati motas, quàm ab eodem Papa finiri posse: & consequenter ejus testimonium, imò sententiam tanquam suspecti non posse recusari,

quod omnes etiam Præsules, & Optimates Galli confessi sunt, qui teste P. Maymbourg. *in histor. Iconoclast. initio anni DCCC. in Senatu Romano conclamârunt: Romanum Pontificem à nullo judicari posse, sed judicem sibi esse.*

98. Verùm ut res ista de translatione Imperij per Pontificem Romanum factâ, omni prorsus suspicione, & vel umbrâ careat, dabimus testimonia historicorum, quorum aliqui aut Galli, aut Reformatæ Religionis fuerunt, nullamque admittunt exceptionem.

Zonaras author Græcus *Tomo 3. Annal. in vita Constant. & Irenes: Româ prorsus Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, Romanorum Imperatore appellato.* Et infra: *Sub Constantino & Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit.*

Paulus Diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, *lib. 23. rerum Romanar. Leo*, inquit, *vicem Carolo recompensans, in Imperatorem coronavit eum.* Observa, hanc coronationem beneficium Leonis appellari, & consequenter ejus voluntate & jussu factam.

Otto Frisingensis *ad annum* DCCCI. *Carolus*, inquit, *Rex à Summo Pontifice, ablato Patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante:* Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Romanorum Imperatori vita & victoria.

Abbas Urspergensis *in Chronico* anno DCCXCVI. *Leo Papa ordinatur, hic Carolum fecit Imperatorem.* Et infra; Anno DCCCI. *Carolus Magnus Rex Francorum consecratus est Imperator, cum enim Natale Domini Romæ celebraret, in ipsa die sacratissima ad Missarum solemnia veniens, nihil minùs speranti Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanorum pronuntiavit.*

Lupoldus Bambergensis *in Proœm. lib. de juribus Imperij De sacri Regni, & Romanorum juribus à tempore translationis ipsius Imperij de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, per sacrosanctam Ecclesiam factæ tractaturus &c.*

Ioannes Trithemius. *Leo Papa III. natione Romanus, sedit annis 20. vitæ sanctimoniâ clarissimus, Carolum cognomento & opere Magnum, ad Imperium Romanum unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit.*

Albertus Kranzius. *Non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmârit & consecrârit. Domini enim est terra, & plenitudo ejus: ipse transfert Regna, & Imperia, dignissimèque ad suum Vicarium hoc sacrum ministerium delegavit.*

Spondanus Gallus non tantùm referens, sed etiam approbans, quæ Baronius de hac translatione scripserat (ut patet ex appendice minusculis adjectâ) *ad annum* DCCC. sic loquitur: *Non tantùm Eginhardus, aut Anastasius de collata per Leonem Romanum Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes, sed & fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci authores. Quòd autem ejusmodi translatio Imperij ab Oriente in Occidentem Divino consilio facta fuerit, magno Reipublicæ Christianæ emolumento; & Imperij Orientalis desolatio, & alia eventa satis superque demonstrârunt.*

Horatius Tursellinus *in Epitome historiarum* Lugduni editâ, Lugduni approbatâ, & à Regio Advocato edi permissâ: *Pontifex*, inquit, *illustria in Ecclesiam Romanam Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat, tutelâ Ecclesiæ traditâ. Ita Romanum Imperium ob destitutum à Græco Imperatore Ecclesiæ patrocinium, pervenit ad Francos.*

Ioannes Cluverus homo Reformatæ, ut 99.
vocant, Religionis, eóque, ut ex toto historiæ contextu patet, Pontifici infestus, *ad annum* DCCIIC. *Leo III.* inquit, *Hadriano Pontifici successor datus, populum in Caroli verba adegit, vexillo Romanæ Urbis ad ipsum transmisso: ob id, & ob crimina, quæ illi objectabant æmuli, indignissimè habitus, oculorum suorum privatione damnatur.* Et infra *ad annum DCCC. Leo gratiam relaturus benefactori tanto, Carolum in D. Petri Basilica solemniter pronuntiat Augustum, coronâ capiti impositâ, acclamantibusque Romanis: Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.*

Daniel Pareus, & ipse Reformatus *in Medulla historiæ*, ubi agit de Leone III. Isaurico: *Extinctis bellis, Leo in Religionis reformationem incumbens, idola omnia destrui, templisque Christianorum ejici jussit* (sic imagines sacras homo Lutheranus appellat) *propterea Iconomachum ipsum vulgus appellavit. Gregorius III. Pontifex Romanus eâ in re tantùm offensus est, ut excommunicationis fulmine feriendum Leonem censuerit, subditos etiam Imperatoris in Italia, hoc est, Regimine Exarchorum, omni tum fidei nexu, tum tributorum pendendorum necessitate solvit; quod apellendæ à Græcis Italiæ, Francósque ad Imperium vocandi initium fuit.*

Vides, quid veritas possit, quæ illis etiam confessionem extorsit, qui tamen, si possent, maximè vellent negare.

Sed addemus coronidis loco testimonium 100.
omni majus exceptione, in quo vel ipsa invidia nihil habeat, quod rodat. Anno DCCCLXXI. Basilius Macedo Orientis Imperator, ad Ludovicum II. Caroli pronepotem legationem cum litteris adornavit per Ioannem Patritium, *Quibus cum eodem Ludovico acriter conquestus est, quòd dignitatem, & nomen Imperatoris, & Basilei usurparet; unum tantùm Imperatorem esse, qui Orienti & Occidenti imperet: rogavitque, hoc nomine deinceps abstineret, sibi, nec alijs debito.* Ludovicus & ipse Autprandum Constantinopolim Legatum cum litteris Basilio misit, quas Baronius ad annum DCCCLXXI recitat, ubi inter alia hæc scribit: *Et ipsi Patrui nostri glorioſi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitant, attendentes ad unctionem & sacrationem, quâ per Summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen provecti, &c.* Et infra. *Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur: sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & urbem divinitus gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex quâ & regnandi*

prius

priùs, & postmodùm imperandi authoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c. Præsertim cùm tales sæpe ad Imperium sunt asciti, qui nullâ Divinâ operatione per Pontificum ministerium propositi, solùm à Senatu & Populo Imperatoriâ dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in Imperio stabiliti, aut alio modo ad Imperij Romani sceptra promoti sunt. Porrò si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit, calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Sed interim si paginas revolvas Græcorum Annalium, & si quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerint, perscruteris, profectò invenies, unde istos justè non valeas redarguere; unde meritò apostatis desertis, adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructus facienti &c.

Vides ex hisce Ludovici litteris, eum apertè fateri, se Pontificis operâ ad culmen Imperij provectum. Imperium à Majoribus suis non usurpatum, sed Dei nutu, & Ecclesiæ judicio, Sumìque Pontificis obtentum esse. Observa, non illum jus belli, hæreditatis, vel electionis à populo, Senatuque Romano factæ prætexere, sed solam Pontificis auctoritatem; quâ Imperium, suique Majores etiam Regnum acceperint, operâ videlicet Zachariæ Papæ, qui Childerico in ordinem redacto, Regnum Francicum ad Carolinos transtulit. Imò expressissimè Ludovicus distinguit; *Aliósque à Senatu, Populo, Exercitu, alióve modo Imperium adeptos: se verò Divinâ operatione per Pontificum ministerium, sacrámque unctionem, & à Matre omnium Ecclesiarum regnandi priùs, & postmodùm imperandi auctoritatem, prosapiæ suæ seminarium sumpsisse.* Hæc omnia verba sunt Ludovici Imperatoris, quibus nostro judicio nihil clariùs dici potuit. Unde Spondanus litterarum summam compendio referens *ad Annum DCCCLXX n. 3. His litteris acceptis*, inquit, *Ludovicus misso ad Basilium Imperatorem legato, acrem satis dedit epistolam apologeticam, quâ inter alia multa fusè ostendit, ejusmodi appellationem Basilei non esse peculiarem Græcis Imperatoribus, sed etiam competere alijs principibus; maximè verò Francis, qui eam dignitatem accepissent à Sede Apostolica ob egregiam ipsorum fidem in Deum, Ecclesiam Romanam, &c.*

Hæc Spondanus; quæ nunquam ipse Gallus scripsisset, nec Ecclesia Gallicana, cui librum dedicavit, scribi passa esset, nisi vera eredidissent; maximè cùm Spondanum ob pietatem, eruditionem, zelumque præsertim Catholicæ Religionis, tota Gallia veneretur, Ludovico XIII. præcharus, & cui ob merita Episcopatum detulit. Ac denique testatur *in suo Dictionario Gallico* Morerus, & ipse Gallus, Spondanum ob assiduos in Ecclesiam labores à Pontifice Maximo elogia, à Rege suo amicitiam, ab omnibus Christi fidelibus æternam memoriam, & benedictionem retulisse.

101. Notandum tamen ad majorem hujus rei intelligentiam; duplicem fuisse coronationem & electionem Imperatorum, alteram privatam tantùm, & quæ Pontificis auctoritate non indigebat; quâ ratione Carolus filium Ludovicum Aquisgrani in Conventu optimatum Imperatorem dixit, teste Eginhardo in vita Caroli. Alteram publicam solemnem, & per quam jus plenum ad Imperium dabatur, & hæc teste Ludovico, ut audivimus, ad solum Pontificem spectabat, adeò, ut Carolus in celebri testamento apud Pithœum & Baronium *ad annum DCCCVI.* cùm Regnum filijs divisisset, nullam Imperij Romani mentionem fecerit; quamvis enim Imperium esset hæreditarium, ex gravi tamen, & omninò publicâ ac necessariâ causâ suberat Pontificum dispositioni, ut audivimus, & ideo Imperator Carolus conditum testamentum per Eginhardum à Secretis aulicum ad Leonem Pontificem subscribendum misit. Verùm ulteriori de his dissertationi locus erit *infra in præsentis §. conclusione nostrâ.*

ARGUMENTUM II.

DEsumptum ex Imperij Occidentalis penes stirpem Carolinâ continuatione, & hujus ad Saxones translatione. 102.

Argumentatur 2. Author *Regalis Sacerdotij præs. §. 3. à num. 12.* præinsinuatam duplicem successionem deducendo. Nempe Carolo Imperatore Aquisgrani sub annum 814. defuncto, successit in Imperio ipsius filius, Ludovicus cognomento Pius, qui anno 817. in Comitijs Aquisgranum indictis, confirmavit omnia, quæ à Pipino avo, & Carolo patre Ecclesiæ Romanæ donata fuerant, seu restituta. Exinde anno 833. filijs adversùs patrem Ludovicum conspirantibus, Gregorio IV. Papâ intercedente, res fuit composita, sed renascentibus dissidijs, Lugduni habito Procerum conventu, Imperium Augusto ademptum fuit, quod decretum à dicto Pontifice Maximo rescissum fuit, teste Æmilio *rerum Francic. in Ludovico Pio.*

Ludovico Augusto circa annum 838. defuncto successit Lotharius, qui postmodùm anno 851. & anno 852. à fratribus prælio devictus, in Conventu Aquisgranensi Regno & Imperio dejicitur, duobus fratribus Ludovico & Carolo ab Episcoporum Conventu suffectis, cui tamen Lotharingia fuit relicta, teste Æmilio *in initio vitæ Caroli Calvi.* Successit postea in Imperio ad annum 855. Ludovicus II. Lotharij filius, qui à Carolo Calvo ruptis fœderibus graviter impetitus anno 860. potestatis Pontificiæ brachium imploravit à Nicolao I. ipsissimum tamen Regem hunc año 862 ob amores extra thorum progressos gravibus de Imperij ademptione minis compescente ad legitimam uxorem recipiendam. Exinde anno 868. Carolum Calvum ad Regnum illegitimè vocatum à Proceribus, Hadrianus II. Papa cohibuit, graviter puniendum, ni cederet Ludovico Imperatori, Ludovici defuncti fratri, legitimoque adeò successori. Ex Aimonio *lib. 5. cap. 24.* Sed anno 876. Carolo Calvo à Ioanne VIII. Pontifice Maxi-

mo tandem collatum est Imperium, excluso Ludovico majore natu, eò quòd à Carolo speraretur auxilium adversùs Saracenos, quæ collatio à Prælatis Franciæ est confirmata in Synodo Pontigonensi; uti refert Aimonius *lib. 5. cap. 33* Carolo defuncto anno 877. successit Ludovicus Balbus, fatis cedens anno 879. indeque anno 881. à Ioanne VIII. Augustus creatus Carolus Crassus Calvi frater, cui à suis dejecto solus è Regia stirpe Regni hæres supererat Carolus Simplex, sed impar discordijs, quæ gliscebant in Imperio Francico, à pluribus tyrannis tunc dissipato.

Quamvis proinde jure legitimæ successionis Regnum Germaniæ ad eundem Carolum Simplicem Franciæ Regem spectâsset, utpote natum ex Carolina familia, è qua unicus inter mares supererat; attamen Magnates Germaniæ Carolo ob ignaviam contempto, Saxoniæ Ducem Ottonem ad Imperium vocabant; uti constat ex Baronij Annalibus Ecclesiasticis.

Ex qua historiæ serie prætactus Author *cit. §. 5. sub finem n. 12.* iterum animadvertit, ex hoc Imperij intra Francicam stirpem continuatione, ac inde secutâ in Saxoniæ Duces translatione multa iterum occurrere exempla à Summis Pontificibus in Reges exercitæ potestatis. Nam Concilij Compendiensis & Procerum Franciæ decretum, quo Ludovico Pio imperium abrogabatur, filijs tradendum, Gregorius IV. rescindit, & Augustum loco restituit. Lotharius Imperator in Conventu Aquisgranensi ab Episcopis Regno & Imperio dejicitur. Nicolaus I. Lothario, nisi abdicatâ pellice, Theutpergam uxorem recipiat, Regni jacturam minatur. Hadrianus II. jubet, Carolum Calvum Regnum, quod invaserat, Ludovico Imperatori legitimo hæredi restituere, & non obtemperanti pœnas indicit. Ioannes VIII. Carolo Calvo, excluso fratre majore natu, Imperium confert, & hanc collationem Episcopi Galli in Synodo Pontigonensi ratam habent.

Objectio.

103. EX dictis namque manifestum jam redditur, Imperium in stirpe Carolina ex successione hæreditariâ fuisse in posteros derivatum: neque certum esse, quòd primæva etiam Imperij Occidentalis Græcis adempti in Carolum Magnum translatio, facta sit per authoritatem Pontificiam: Maymbourgo *in cit. histor. Iconoclast. lib. 4.* ad annum 800. ita hanc in rem differente: *Primò*, ait, *certum est Carolum Magnum jure partim hæreditatis, partim belli tantum in Occidente terrarum possedisse, quantum alius ante illum Occidentis Imperator. Quid potuit ergo à Leone Papa præter titulum accipere, & insignia, Imperio jam dudum potitus? Imò ne titulum quidem & coronam à Leone necessariò accepit: cùm enim toto Occidente jam dominaretur, potuit suo jure Imperator Occidentis appellari. Secundò cum dono, & spontaneâ Senatûs, populique Romani subjectione, Romam ipsam caput Imperij tenuit, nihil Carolo defuit, quod à Pontifice posset obtinere: sicut enim Odoacer, & Theodoricus Italiâ, Româque potiti, nomen Imperatoris induerunt, repugnante nullo, multò magis id potuit Carolus: sed abstinuit modestiæ causâ, dum tandem populo impatienter id flagitanti cederet.*

Responsio.

HUic Maymbourgianæ exceptioni præallegatus *Regal. Sacerdotij* Author *cit. §. 5. n. 10.* occurrit sequentib⁹ argumentis, studiosè hìc reproducendis, ad intentum nostrum posteà sequenti conclusione prosequendum. Olim, ait, Imperatoris nomine appellabantur omnes, qui bello alicui præerant: propriè tamen nemo id nominis consequebatur, nisi re bene gestâ, atque aliquot millibus hostium cæsis, tunc enim acclamatione militum, vel Senatûs decreto Imperatoris nomine donabatur. Cicero *2. Epistolarum Epist. 10.* Posteà nomen Imperatoris proprium, perpetuúmque Principis Romani ex Senatûsconsulto esse cœpit: & auctore Suetonio, prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ primus assumpsit Julius Cæsar *in ejus vita cap. 77.* Octavius verò Julij successor, tum reliqui ab eo Cæsares, Imperatores sunt appellati: nec verò poterat aliquis, quantumvis potentissimus, latéque dominans, nómen & jura Imperatoris vendicare, nisi qui legitimo ordine Imperatoribus, & Principibus Romanis succederet: hi soli Imperatores, & Græce Basilei vocabantur, alij Reges tantùm; quæ causa fuit Basilio Imperatori Græcorum, per litteras, le atóque graviter cum Ludovico II. expostulandi, quòd Imperatorem, non Regem se diceret. Spondanus *Anno DCCCLXXI.* Et in Synodo universali Constantinopolitana nomen Imperatoris Ludovico à Pontifice datum, dolo Græcorum in litte is Apostolicis expunctum est, teste Anastasio *in vita Hadriani.* Et anno DCCCCLXVIII. Legati ab Ottone I. pacis & nuptiarum causâ Constantinopolim missi, à Nicephoro Phoca pessimè habiti, quòd Otto se Imperatorem vocaret. Anno MLV. Legati ab Henrico II. ad Concilium Turonense missi, graviter eâ causa conquesti sunt, quòd Ferdinandus Magnus Castellæ & Legionis Rex jura sibi, titulúmque Imperatoris vendicaret, & Henrico Cæsari parère nollet: qui tamen Ferdinandus Victori II. Pontifici, ut alienis titulis abstineret, & Regio contentus esset, monenti, modestè acquievit. Imò antequàm jus eligendi Imperatorem ad Septemviros transferretur, injussu Pontificis Imperator nemo dici potuit. Audi Glabrum *lib. 1. in fine circa Annum MXIII.* hujusmodi decretum recitantem: *Cùm Henricus I. Romam veniret, hujusmodi Decretum factum est, ne quisquam audacter Imperij Romani sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale.* Cujus Decreti hanc idem Glaber affert rationem. *Quòd olim ubiq; terrarum quilibet Tyranni sese procaciter impellentes, sæpissimè essent Imperatores creati, quamquam minùs apti Reipublicæ.* Nec annus Imperij priùs numerari 104.

rari cœptus, quàm coronâ, Imperioque à Summo Pontifice acceptis; sicque non à die successionis, vel obitu Imperatoris, sed à die coronationis per Romanum Pontificem calculus ducebatur, ut de Carolo Magno expressè Abbas Urspergensis ad Annum DCCCI. De Carolo Crasso ex ejus diplomate Metis dato apud Baronium ad Annum DCCCLXXXI. De Arnulpho ex Synodo Moguntinâ Anno DCCCLXXXVIII. quæ Arnulphum Regem tantùm, non Imperatorem vocat. De Henrico Sancto ex privilegio ejusdem Monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni concesso, & alio Ecclesiæ Novariensi, manifestum est.

Ex quibus omninò constat, coronationem illam non fuisse honorariam, nudámque cæremoniam, ut post Illyricum (cujus planè nec alijs argumentis utitur) voluit P. Maymbourg. alioquin non ab hac velut à re necessaria, sed à successione in Paternum Regnum anni supputarentur, quemadmodùm hodie, postquàm potestas eligendi in Septemviros translata, nec coronatio necessaria, sed nuda cæremonia est, vidimus annos Imperij non à coronatione, sed ab electione duci. Et patet vel ex ipso Maymbourgo, qui *l. 4. hist. Iconoclast. ad Annum* DCCC. *ex gestis Ludovici c. 16.* hæc verbatim ad marginem notat: *Qui Stephanus, postquàm Pontificatum suscepit, jussit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.* Hæc Maymbourgus, quæ ex Theagno descripsit *in lib. de gestis Ludovici Pij Caroli Magni filij cap. 16. 17. 18.* Non ergo intra cæremonias hæc coronatio stabat, sed cum subjectione, & juramento fidelitatis conjungebatur, quâ Imperatori se omnes submittebant, in eóque jura & dignitates non Regis tantùm, sed etiam Imperatoris agnoscebant. Et Ludovicus II. *in Epist. ad Basilium datâ Anno* DCCCLXXI. profitetur, se, suósque Majores non titulum, sed dignitatem Imperialem beneficio Romani Pontificis accepisse, ut jam supra notatum.

105. Et denique, ut res ista omni careat dubitatione, existant post annales Francicos à Pithœo editos, & apud Aimoinum *lib. 5. 33.* acta Synodi Ticinensis, quæ Baronius & Spondanus etiam recitant *ad annum* DCCCLXXVI. & DCCCLXXVII. in quibus Ioannes VIII. & Patres in Synodo congregati, Imperium Carolo Calvo nuper collatum iterum confirmant, anathemate damnatis, qui pro legitimo Imperatore illum non agnoscerent. In hac Ticinensi Synodo expressè, & luculentis verbis declaratum, Imperatoris coronationem non fuisse nudum ministerium, exernúmque ritum, *sed veram electionem, & secundùm priscam consuetudinem, provectionem ad Imperij Romani sceptra.* Videantur acta Concilij *§. Unde nos tantis indicijs &c.* Quæ acta ab Episcopis Galliæ confirmata omninò, & recepta sunt in Concilio Pontigonensi *in 2. actione* apud Aimoinum *lib. 5. c. 33 n. 4.* Et fatetur Spondanus *ad annum* DCCCLXXVI. *n. 2.* Vide Gretserum *Apolog. Baronianæ c. 15.*

Ubi animadverte, cùm hanc à Ioanne VIII. factam coronationem, aliásque similes adducimus, non esse nobis animum, omnes Pontificum actiones tueri, quos fuisse homines, & in hujusmodi errori obnoxios fatemur, sed potestatem solùm ostendere, ab illis exercitam, ab omnibus agnitam; ut planè agnoverunt Episcopi Galliæ in Concilio Pontigonensi, qui, cùm Ansegisus Archiepiscopus Senonensis primatum affectaret, potentiâ Imperatoris, & privilegio subornato fretus, constanter obstitêre, imò hoc ipsum Imperatori minaciter, & importunè urgenti, animosè à Rhemensi Archiepiscopo responsum: id sacris Canonibus, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegijs obviare, nec aliud ab Episcopis responsum impetrari potuit, ne ad Synodum quidem comparere volentibus. At verò ubi de Imperatoris electione, & coronatione à Pontifice factâ cœptum agitari, continuò ab omnibus recepta & approbata est, utique repugnaturis, si potestatem in Pontifice non agnoscerent.

Hisce animadversis, manifesta est responsio ad objecta Illyrici potiùs, quàm Maymbourgi; Carolum videlicet Magnum, antequam à Pontifice Romano Augustus renunciaretur, potuisse Franciæ, Germaniæ, Italiæ Regem, non Imperatorem vocari, vivente adhuc & dominante, orbis utriúsque Occidentis & Orientis Imperatoribus, Constantino videlicet, Irene, Nicephoro &c. quod vel ipse Carolus ingenuè fassus est, affirmans, se ne quidem Ecclesiam ingressurum, si consilium Papæ prævidisset, adeò nomen & dignitatem Imperiatem aversabatur, teste Eginhardo in vita Caroli. Quid recusabat Carolus Imperium, si jam habebat? aut insignia, titulúmque dignitatis jam bello parta? non ergo omnis, qui provincias etsi multas, magnásque Romanis aliquando subjectas tenet, continuò Romanorum est Imperator, alioquin Reges plerique, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, alijque Imperatores essent. Imò jus Imperij, Monarchiæ, Reipublicæ vel in una civitate, & exiguo terræ spatio conservari potest *argum. l. 7. ff. Quod cujusvis universitatis.* & docet Clariss. Doct. Herman. Hermes plures allegans *in Fasciculo Iuris Publici l. 1. q. 3. n. 30.* Quantò igitur verius est, penès Græcos jus Imperatorium stetisse, tam multis civitatibus & provincijs in Occidente à Carolo Magno numquàm occupatis (Hispaniâ videlicet, Britanniâ, Apuliâ, Calabriâ, Illyrico, &c.) antequàm à Summis Pontificibus illo donaretur ipse Carolus? Quid ergo præter titulum & insignia à Leone Carolus accepit? Respondemus, ut ea ipsa, quæ jam habebat, non jure tantùm Regis & Patricij Romani, ut ante coronationem; sed etiam Imperatoris & Augusti retineret, videlicet cum prærogativis, præcedentijs, superioritate, alijsque, si quæ Imperatoribus erant propria; fuisse enim aliqua, multóque ampliora, quam nunc habeant in supremos Europæ Principes Cæsares nostri, patet ex ijs, quæ alibi diximus; Henricum videlicet II. de Ferdinando M. Hispaniæ Rege conquestum esse, quòd non titulum modò, sed etiam jus Imperatorium sibi vendica-

106.

dicaret, nollétque Cæsaris imperio & mandatis parêre. Deinde hâc Leonis coronatione id est consecutus, ut non tantùm, quæ ad Longobardos bello victos, sed etiam, quæ ad Græcos pertinebant, sibi acquireret, cum jure occupandi omnia, quæ constaret, injustè ab alijs in Occidente possideri.

107. Ad aliud, quod affert Maymbourgus, Carolum videlicet deditione Romanorum ipsam urbem Imperij caput & arcem tenuisse; multi sunt, qui hoc negant, non tantùm nostrates, sed etiam Acatholici scriptores, ut videre est apud Illyricum à Bellarmino citatum *lib. de translatione Imperij c. 1. n. 5. & c. 13. ad 11.* & Centuriatores *centuriâ 8. c. 10.* Unde mirum est, Maymbourgum inter duo illa principia, quæ sole clariora, & à nemine dicit, posse negari, rem ponere adeò controversiam, hoc est, novâ demonstrandi methodo rem dubiam probare per principium æquè dubium. Demus à Carolo missos, qui Romanum Populum juramento sibi obstringerent, num potuit jussu & auctoritate Pontificis hoc fieri? Imò sic factum esse, patet exemplo Ludovici Pij, quod ipse Maymbourgus allegat, & nos aliàs notavimus; non tam ergo hæc Populi, Senatúsque Romani, quàm Pontificis voluntas & mandatum fuit. Vix aliquem reperias Imperatorem Romanum à Senatu, Populóque creatum; sed omnes vel successione, vel à Principe, aut exercitu nominati; quis ergo credat, Populum, Senatúmque Romanum auctoritatis vix umbram aliquam servantem, id ausum facere, quod florens, vigénsque nunquam fecerat? Sed demus hæc omnia: acceperit Carolus dono Senatûs, Populíque, Romanam urbem; non sequitur tamen, etiam dignitatem Imperialem accepisse, quæ loco & urbi non est alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator Romanorum esset; qui non haberet, non esset: quæ omnia sunt absurdissima, cùm illic quoad jura & potestatem sit Roma, ubi est Romanorum Imperator, juxtà illud Poetæ.

Sejos habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Vide laudatum Hermen *lib. 1. c. 3. n. 25.*

108. Ad exempla Odoacris & Theodorici, quos nomen Imperatoris prætulisse, Italiâ, Româque expugnatis, Maymbourgus dicit, multò igitur magis id Carolum suo jure potuisse, sed modestiâ retentum. Respondemus: mirum esse, duos & Tyrannos & barbaros ac infideles in exemplum adduci, qui eodem jure usurpabant nomen Imperatoris, quo Italiam invaserant, hoc est, nullo. Theodorico Constantinopoli educato, & contra perduelles pro Zenone egregiè bellis defuncto, ab eodē Zenone triumphum, Consulatum, Equestrem in foro statuam præmio data, oblatámque insuper spem Occidentalis Imperij, cùm in filium ab Imperatore jam esset adoptatus, testantur Evagrius *lib. 3. cap. 25.* Enodius *in Paneg.* Jordanes Episcopus Gothus *in Orat. &c.*

Non ergo Theodoricus, ut vult Maymbourg. ob Romam, Italiámque occupatam, sed dono Zenonis Imperatorium nomen accepit, quod in tyranni posteà mutavit; cùm tentato frustra Oriente, arma in Italiam vertit Benefactori suo ingratus: nihil ergo exemplum Theodorici probat; nec etiam, quod additur de modestia Caroli: modestiæ siquidem est, aliena non usurpare, nec plus, quàm deceat, sibi sumere: cæterùm si Carolus ante coronationem à Leone factam, jam Imperium bello, alióve justo modo quæsierat, non erat, cur titulum recusaret, sibique conscientiæ duceret, illis nomen adimere, quibus rem ipsam, & Imperium ademerat; non hæc planè modestia, sed hypocrisis fuerit, à qua nemo magis, ut Carolus, abhorruit, Princeps videlicet bello, victorijs & pietati, non fraudibus, & impostura natus.

Ex his ergo, quæ hucúsque disputata sunt, palàm est, multa esse in historia P. Maym- 109.
bourgi, quæ notam mereantur. 1. Quòd præfatur, se in hoc translationis argumento sententiam non dicturum, adeò tamen dicit, ut videatur ex professo id agere, damnatis, qui aliter sentiunt, vanitatis & imperitiæ. 2. Quòd opinionem suam nullo ex historia, aut scriptoribus testimonio & suffragio muniat, duabus contentus rationibus, quæ, ut ostendimus, ne quidem levis conjecturæ titulum merentur: quasi verò historiam ex arbitrio, suóque ingenio texere liceat, & non potiùs ex authenticis testimonijs: & quamvis Maymbourgus aliquot ad marginem citet, nemo tamen ad rem facit, cùm nemo illorum dicat, Translationem Imperij auctoritate Leonis non esse factā, de quo agitur, & quod Maymbourgus probandum sumpserat, sed tantùm magnam partem Occidentis ad Carolum pervenisse, Romanos Carolo fidelitatem juramento pactos, eidem à populo tanquam Augusto applausum esse, quæ omnia, ut patet, extra quæstionem vagantur. 3. Quòd, cùm Bellarminum Maymbourg. *de translatione Imperij*, ejusque *cap. 1. 13.* legerit, citetque, ibique suas rationes jam dudum ab Illyrico productas invenerit, eas quidem studiosè, & vix non verbatim historiæ suæ inserat, dissimulet tamen responsa & solutiones à Bellarmino solidè appositas; quod à candore & simplicitate historicâ planè alienum est: oportebat enim, aut neutrum, aut utrumque dici. 4. Quòd sententiæ nostræ, tot auctoribus, historijs, rationibus, praxíque continuâ vallatæ, suam tam leviter probatam non tantùm præferat, sed etiam somniare dicat, deludíque, qui illam profitentur: enimverò merces suas nec raras, nec nobiles, & quarum apud Reformatos tanta copia est, nimis magno hic auctor venum exponit. 5. Quòd potestatem transferendi Regna & Imperia, quam Pontifici negat, optimatibus Regni, imò populo concedat. Vide *hist. iconoclast. lib. 2. fol. 186. & lib. 4. fol. 186. & lib. 4. fol. 42. & fol. 61.* Jam verò longè magis infra dignitatem Principis est, populo submitti, cui imperat, ab ejúsque arbitrio in summâ rerum pendère, quàm Summo Pontifici, Christíque Vicario; nec facilè Principem reperias, qui malit proprijs

prijs subditis, quàm Sacerdotum Maximo subijci; nec tam suo, quàm Dei nomine imperanti. Quòd si judice Maymbourgo, nihil derogat Principum dignitati, si ex populi judicio pendeant, cùm illis videbitur, Regnum & potestatem amissuri, magis derogabit, si hoc Papæ concedamus? & Regni causas non infimæ plebi, quæ levitate, odio, partium studijs, lucroque facilè corrumpitur, deferamus; sed Apostolicæ Sedi, à qua utpote remotâ, magisq; placabili, minùs etiam periculi est; etsi concedatur, dari aliquem casum, in quo subditis juramento solutis, Regnum Principi abrogari possit, concedi omninò debet, esse in Summo Pontifice potestatem judiciariam declarandi hîc & nunc, subditos juramento non obstringi, sed posse & debere Principem abdicare, eúmque jure imperandi excidisse: interpretationem siquidem juris Divini, quantùm videlicet, & in quibus circumstantijs obliget, vel non obliget; sicut etiam causas juramenti ad forum Pontificium pertinere, utpote spirituales, in confesso est apud omnes, propter textum apertum, & notatu dignissimum *Deut. 17. v. 8.* Vide Sanchez *de Matrim. lib. 8. d. 6. n. 4.* Abbatem *in c. 1. De postulat. Prælat. n. 18.* Laym. *De legibus. c. 18.* Quidquid ergo dicatur, vel ex ipsa sententia Maymbourgi, negari tandem Summo Pontifici non potest Reges destituendi potestas, sive dicas, hanc potestatem esse veræ jurisdictionis, sive necessariæ, generalis & auctoritativæ declarationis & interpretationis, quæ in causis, maximè arduis qualis est, de qua nunc agimus, ad solum Pontificem pertinet.

110. Denique, ut memoriæ causâ, quæ hucúsque de translatione Imperij dicta sunt, brevi dilemmate complectamur. Aut Græci jus aliquod in Occidentis Imperium habebant, cùm Carolus Imperator acclamatus est, aut nullum? Si nullum, cur ergo Nicephorus Logotheta, qui Constantino & Irenæ successit, tandem in translationem Imperij consensit, & Neapoli, Siciliâ, Calabriâ, Apuliâque retentis, Occidentem Carolo cessit? Maymbourgus *lib. 4. hist. Iconoclast.* Morer. *in Dictionar. hist.* Cur Imperatores Græci, teste eodem Maymbourgo, adeò indignati sunt Carolo, ut hæc Leoni Armeno causa fuerit, Catholicos totâ Græciâ persequendi, quòd spem omnem Occidentis amisisset? Et denique, cur omnium historicorum vox & sententia est, Imperium à Græcis ad Carolum anno DCCC. victis Longobardis, translatum, si jam antè Imperio caruerant? Si verò Græci jus aliquod Imperiale in Occidente adhuc habebant, hoc dicimus in Carolum à Leone translatum, non bello quæsitum, quod cum amicis nullum erat, nec esse poterat, justitiâ integrâ. Quid enim Græci in Carolum offenderant, ut illos Imperio Occidentis exueret, jam compositâ pace? Planè Maymbourgus Carolum non victorem, sed usurpatorem alieni facit. Est enim notandum, victo Aldagiso Desiderij filio, qui cum classe Græcorum in Italiam transmiserat, anno Domini DCCIIC. venisse Aquisgranum ab Irene ad Carolum Legatos, qui pacem offerrent, & animum prætentarent ad nuptias cum Imperatrice jungendas: hæc enim cùm thronum, extincto filio Constantino, insedisset: duorum procerum Stauracij & Aetij potentiam verita, animum ad nuptias cum Carolo adjecerat. Missi hoc anno Legati, & Amores cum Imperio promissi. Causa legationi prætexta, Sisinij fratris Tarasij Patriarchæ, nuper bello capti liberatio: Legati à Carolo benignè accepti, & omnia, quæ postulabant, concessa. Contigit hæc Legatio biennium ante Caroli Imperium: nam auditâ Constantinopoli ejusdem coronatione, missa alia est apparatior legatio ab Irene, thorum & thronum offerente. Meminerunt legationis primæ Annales Francici auctore Adelmo Benedictino *ad eundem annum.* Spondanus *ibidem*, & omnium clarissimè Maymbourgus *lib. 4. hist Iconoclast. Anno DCCCI. fol. 70.* Qui author (ut hoc quoque ingenuè dicamus) sanctiùs utique veritati defendendæ, quàm impugnandæ calamum locâsset, antiquitate oppressa: nec deerant alia contra hæreticos argumenta, quibus ingenium & eloquentiam impenderet; sed maluit classicum discordijs canere fatali nostrorum temporum malo, quibus ostentando ingenio antiquis nova præponimus; non quia meliora, sed quia recentia, & ideo admirationi, & plausui conjuncta; quàm enim difficile, tam glorioſum creditur, contra omnes potiùs, quàm cum omnibus sapere: & ipsa tamen, quæ novitate placebant, fastidio erunt, cùm insenuerint, antiquis in gratiam receptis.

Hæc est ergo celebris illa Imperij ad Francos per Leonem III. facta translatio, quam nos temporibus suis distinctam dedimus, ut tantò evaderet clarior. At ulteriorem hujus rei discussionem faciemus in præinsinuata conclusione nostra.

ARGUMENTUM III.

Petitum ex Canonico textu præinsinuati *Cap. Venerabilem. 34. De electione.*

AUthor *Regalis Sacerdotij in fine dicti §. 5.* 111.
argumentatur 3. inducendo prælegatum Canonem, in quo Innocentius III. Duci Caringiæ sive Thuringiæ rescripsit in hæc verba: *Nos, qui secundùm Apostolicæ servitutis officium sumus singulis in justitia debitores, sicut justitiam nostram nolumus ab alijs usurpari, sic jus Principum nolumus nobis vendicare. Unde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, recognoscimus, ad quos de jure ac antiquâ consuetudine noscitur pertinere, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & utique recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut ijdem in nostra recognovêre præsentia: quòd jus & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, ad nos spectat, quâ eum inungimus, consecramus, & coronamus &c. Nunquid enim si Principes non solùm in discordia,*

sed

sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque, vel excommunicatum in Regem tyrannum, vel fatuum hæreticum eligerent, aut Paganum, nos inungere, consecrare, & coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omninò. Objectioni ergo Principum respondentes, asserimus, quòd Legatus noster approbando Regem, & reprobando Ducem, nec Electoris gessit personam, nec cognitoris, sed denuntiatoris officium, quia personam Ducis ejusdem indignam, & personam Regis denuntiavit idoneam, quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum, quamvis plures ex illis, qui eligendi Regem, Imperatorem promovendum de jure & consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo, quòd fautores Ducis, absentibus aliis, & contemptis, ipsum eligere præsumpserunt, pateat, eos perperam processisse, unde privilegium meruerunt amittere, qui permissâ sibi abusi sunt potestate, &c. Nos utique non Ducem, sed reliquum reputamus & nominamus Regem, Justitiâ exigente. Quòd autem, cùm in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem, & expectationem alteri partium favere possimus, maximè postquàm à nobis unctio, consecratio, & coronatio postulantur: jure patet pariter & exemplo. Nunquid enim si Principes admoniti & exspectati vel non potuerunt, vel noluerunt in unum propositum convenire, Sedes Apostolica Advocato & Defensore carebit? eorúmque culpa ipsi redundabit in pœnam &c. Nobilitatē ergo tuam monentes per Apostolica scripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas omninò, non obstante juramento, si quod ei ratione Regni feciſti, cùm (eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato) juramentum hujusmodi non debeat observari.

112. Ex qua Decretali *præcitatus* Author *circa finem §. 5.* observat, ipsos etiam Principes Electores agnovisse & fassos esse, quòd jus & authoritas examinandi personam electam in Regem, eamque ad Imperium promovendi, ad Pontificem spectet. Neque hoc Pontificem unquam dicturum fuisse, multóque minùs scribere, nisi compertum & planè certum foret: alioquin facilè, claroque sole falsi convincendus.

113. Deinde in eadem Decretali insinuari ab Innocentio rationem, ob quam Regna & Imperia *indirectè* & *casualiter* subjaceant Pontificum authoritati, ubi dicit: *Numquid enim, Si Principes vel non potuerunt, vel noluerunt in unum propositum convenire, Sedes Apostolica Advocato, & Defensore carebit, eorúmque culpa ipsi redundabit in pœnam?*

Objectio.

114. EX parte adversa in dubium vocari potest, an, quando Innocentius dicit, Principes Imperij agnovisse, quòd *jus & authoritas examinandi personam in Regem, & ad Imperium promovendam, spectet ad Sedem Apostolicam*, perinde hoc sonet, ac si ijdem Principes fassi essent, *quòd jus personam sic electam ad Imperium promovendi pertineat ad Pontificem.*

Responsio.

HOc equidem discutiendum reservamus in conclusionem sequentem, ubi plura ex eadem Decretali argumenta haud inefficacia ponderabimus. 115.

Interea, ut pateat Pontificiæ authoritatis jus in Rege Romanorum jam electo absque Sedis Apostolicæ placito à Principibus Electoribus neutiquam promovendo, novissimis adhuc sacri Concilij Tridentini temporibus fuisse adhuc in vigore, audire placeat eam in rem actitata inter Pontificem seu Paulum IV. seu Pium IV. & Ferdinandum I. ex placito quidem Pontificis titulo Regis Romanorum jam potitum, sed inconsulto Papâ, ab Imperij Principibus electum Imperatorem. Quæ acta exactè describuntur à Pallavicino *hist. sacri Concilij Tridentini lib. 14. cap. 6. à num. 6.* exponente *ibidem* causas, propter quas Paulus IV. renuntiationem Caroli V. ac Ferdinandi Regis I. ad Imperium evectionem improbârit.

Pro detrimento namque Pontificis adducebatur, quòd, cùm Imperatores Occidentis, eorúmque Electores fuissent ab Apostolica Sede instituti, obtinuissentque Romani Pontifices antiquissimum jus, ne quis eâ potiretur Coronâ absque ipsorum Pontificum confirmatione; videbatur neque Caroli abdicatio, adeóque neque Ferdinandi subrogatio, tanquam legitima esse comprobanda absque interventu Pontificiæ auctoritatis: fuisse quidem Ferdinandum assensu Pontificio jam electum Romanorum Regem; sed per hujusmodi conditionem non effici, ut ille legitimus esset successor, nisi quando Sedes Imperatoria morte Cæsaris vacâsset: in quovis alio vacationis genere novâ Pontificis comprobatione opus est. 116.

Periculum verò duplex considerabatur: alterum, quòd consentiretur, ut ex septem Electoribus tres, qui ab Ecclesia jam desciverant, suffragij jus retinerent ad creandum Cæsarem in Republica Christiana: hi enim studuissent inposterum, ut is eligeretur, qui aut addictus foret, aut non infensus illorum sectæ. Alterum, quòd tunc Imperatoria potestas deveniret in Ferdinandum, qui suam auctoritatem impertierat tot Comitiorum Decretis Religioni perniciosis, majorumque natu filium, à se Imperij successioni destinatum, penè Lutheranorum lacte nutrierat. Itaque Guzmanno per viam significandum curavit Pontifex, illum non posse per eos dies excipi à se tanquam Cæsareum Oratorem, cùm dedisset negotium cœtui conflato ex septem præcipuis Cardinalibus Austriaci nominis studiosis, ut ea de re deliberarent.

Quare Guzmannus Romam haud ingressus, Tybur se contulit, quæ urbs extra viam dimidio die inde distat. Illinc revocatus est à Ferdinando, qui sibi incomparabili ducebat dedecori eam Pontificis repulsam, nisi ab eodem quamprimùm Guzmannus exciperetur. Is itaque, seu verè, seu ex arte laudabili procurandæ concordiæ, pietatem præ se tulit, cujus gratiâ Romam privatus adiret ad sacra loca veneranda, excipiendamque 117.

Pon-

Pontificiam benedictionem; sperans fortasse, pro eo ac suæ quisque linguæ nimiùm confidit, suis persuasionibus Paulum consensurum. Sinè ullâ solemni pompâ Romam accessit, exceptusque est non tanquam Cæsaris Orator, neque publicè in Senatu Purpuratorum, sed tanquam Ferdinandi Regis Nuntius, & privato penè ritu in Aula, quæ *Aula Audientiæ* appellatur, coram aliquot Cardinalibus. Exposuit Guzmannus ægrimoniam, doloremque sui Principis, quòd à Paulo uti Cæsar non agnosceretur, æquitatemque causæ monstravit, quòd ille, non comprobante solùm, sed etiam adjuvante Pontifice Clemente, Rex Romanorum renuntiatus fuisset. Proinde dixit, opus non esse Ferdinando aliâ electione, quò Imperio succederet, quàcumque formâ illud vacaret, nullâ unquam super eo habitâ distinctione de modo vacandi; atque ut vacaret, aliud non desiderari, ubi sponte à possessore abdicaretur. Indicavit præterea, quàm gratum futurum foret spectaculum hostibus Catholicæ Religionis in Germania, si sibi adversarentur invicem duo illa potestatis fastigia, quæ geminæ veluti columnæ erant omnium validissimæ ad Religionem sustinendam; geminique scopuli, à quibus hæresis naufragium sibi maximè formidabat. Infatigabili Austriacorum studio deberi, quòd quispiam in illis provincijs supereesset, qui Pontificem ut Ecclesiæ principem veneraretur: quàm vehementer perturbatum iri animum Ferdinandi (cujus ingenio pro more Principum, acerrima inerat honoris cura) si dignitatem Cæsaream impugnatam sibi cerneret ab eo solùm, cujus Pontificiam dignitatem ipse, & Carolus frater tanto impendio, tanto discrimine, tanto multorum populorum, magnorumque Dynastarum odio propugnaverant. Quale observaretur exemplum reliquis Principibus, tum exteris, tum Germanis, atque universo Christianorum generi, ad sustinendum Pontificem, à quo posteà ipsi per obtentus adeò tenues non modò desererentur, sed oppugnarentur? Rationes haîce perpenderet Pontifex eximiæ pietatis ac prudentiæ suæ trutinâ; neque committeret, ut nimis religiosi studij sui fructus non alius colligeretur, nisi extremum Religionis exitium.

118. Contra Pontifex se tueri, causatus ipsam rei gravitatem, quæ quò majorem ad Principem, adeóque ad spectabiliorem pertinebat, eò majorem consilij maturitatem ex ipsa novitate postulabat. Pro certo haberet, se, Patresque ad id destinatos omni usuros arbitrio, ut Regi satisfieret; cui & honoris gratiâ, & quò rei ratio redderetur, nuntium designaverat Boncompagnum, aliàs à nobis laudatum, qui fuit posteà Gregorius XIII. eique per eam occasionem Ecclesiæ Vestinæ Infulas dedit; quamquam deinde Paulus octavo post discessum Guzmanni die, ad ampliorem honoris significationem erga Ferdinandum, quæ ipsum deliniret. Legatum destinavit Rebibam, usus opportunitate, quòd eundem illum in Poloniam etiam mittebat, ut obsisteret hæresi in ea regione in dies gliscenti.

Cæterùm in Ferdinandi causa Pontificij Consiliarij duriorem in sententiam ibant, sive quòd in rebus ambiguis ministrorum sententia solet Principis propensionem subsequi, sive quòd Consiliarij seligi solent à Principe, propensionem gerentes sibi concordem. Unus Ioannes Gropperus discrepabat, qui post recusatam magnanimâ demissione animi Purpuram, venerat Romam, accersitus à Pontifice, ut eo in destinata morum emendatione uteretur, ibique in summa doctrinæ, prudentiæque existimatione versabatur, præsertim super Germaniæ negotijs, in quibus nec eum quispiam experientiâ æquabat, nec post gloriosam repulsam, humanæ utilitatis suspicio in eundem cadebat. Auctor is erat, habitâ temporum ratione, sumam Juris severitatem exquirendam non esse, cùm publicæ res non tam prosperè succederent, ut liceret prudentiæ optimum seligere, sed tolerabile. Sæpè non modò à patrefamilias, sed etiam à cauto tutore portionem aliquam æris alieni remitti creditoribus; & sæpe homini detrectanti parum quiddam pacificè largiri, multum violenter auferri. Errâsse tum Carolum, tum Ferdinandum, debito aliquo ritu prætermisso: at nunc erratum ipsi faterentur, & Pontifex ob preces tantorum petitorum, quales erant Ferdinandus & Philippus, erratum benignè condonaret: ita fore, ut hinc nullam pateretur jacturam, quin confirmaretur Apostolicæ Sedis auctoritas; hinc error ipse admissus prodesset, ut Pontifex eâ indulgentiâ haud parum promereretur apud eos Principes, quibus tam ingens inerat potentia gratiæ referendæ. Ut alius quàm Ferdinandus Cæsar crearetur, non solùm haud potis esse, sed nec expetendum. Germanos Cæsarem Germanum omninò velle, idque utilitatis gratiâ, tam propriæ ipsi Germaniæ, quàm communis Christianæ Reipublicæ. Inter Germanos Principes alium non numerari, in quo tanta Religionis firmitas conjungeretur cum tanta potentia & ob hæreditarias ditiones, & ob consanguinitatem cum Hispaniæ Rege. Quæ Ferdinandus hæreticis indulserat, esse necessitati, non voluntati imputanda; quod etiam Delfinus Nuntius affirmabat. Iam verò ubi pro certo poneretur, Imperatoriam potestatem esse in eo Principe retinendam, velle Pontificem, ut Caroli abrogatio ac Ferdinandi suffectio tanquam irritæ disertè pronuntiarentur, adeóque ut res integra recuderetur; idem esse, ac velle præteritæ negligentiæ mederi potione nimis amarâ, nimiamque nauseam movente palato delicatissimo Principum tam sublimium. Posse jura Pontificis absque hujusmodi duorum Cæsarum dedecore illæsa persistere. Ac prudentiæ quidem esse, in concordiæ negotio ita proprium honorem quærere, ut alterius partis dignitas non lædatur; aliter pacificationes aut non confici, aut si necessitas eas extorserit, quàm ocyssimè quasi injurias vindicari, adeóque in acerbiores injurias degenerare. Neque tamen Gropperi consilia, neque Philipi Regis suasio flectendæ Pauli severitati satis fuêre.

120. Interea diem obijt Carolus V. 21. Septembris anno ætatis suæ, & sæculi 58. Delatis Romam ejusce mortis nuntijs, actum est in Senatu de celebrandis in Sacello Pontificio justis funebribus, quæ Cæsaribus persolvi solent. Pontifex verò hujusmodi verbis Decretum edidit: *Nolens Pontifex, ut hoc Religionis officium prætermittatur ob rumorem aliquem, seu famam diffusam de certa quadam abdicatione Imperij à Carolo habita, cujus tamen legitimæ notitia ad Pontificem non pervenit, statuit, exequias ritu consueto celebrandas esse; declarans tamen, nullum per eas afferri detrimentum Sanctitati suæ, Apostolicæ Sedi, suæq; authoritati ac jurisdictioni, nec jus ullum cuicumque alteri acquiri.* Quo autem die itum est in sacellum ad rem peragendam, & solemne sacrificium à Paceco Cardinali decantatum, Pontifex dum pergeret, in coacto Purpuratorum cœtu dixit: *Imperium Caroli morte, non ejusdem abdicatione vacâsse; cùm ea non in manu Pontificis, uti jus postulabat, sed Septemvirûm fuisset peracta.*

121. Ex hisce quidem Pauli verbis Suavis Polaus, ejusque sectatores contendunt evincere, *ac si Paulus arrogâsset sibi potestatem creandi Cæsarem, quemcunque voluisset, quandoquidem vacabat Imperium non ex obitu possessoris, in quo solo eventu Septemviris tributa est ab Apostolicâ Sede potestas successoris eligendi, sed ex illius cessione, in quo vacationis genere nullum Septemviris jus datum est.* Sed hoc Pontifex minimè enunciavit in memorata declaratione, sed unicè dixit, abdicationem Cæsaris non fuisse legitimam, utpote in manu Pontificis non peractam, adeóq; Imperium nonnisi Carolo defuncto, vacâsse.

122. Post illius equidem Pontificis obitum duritia quædam in ipso ex jure, at nimis rigidè agente, fuit notata, quam mitigare studuit Ferdinandus, datis ad illius Successorem Pium IV. litteris, quibus suam electionem à Pontifice ratam haberi postulabat, quippe cùm satis animadverteret, sinè hujus placito Cæsareum diadema nondum satis firmum suo hærere vertici, ob summam Sedis Apostolicæ authoritatem in omnes Christianos Principes, ac potissimùm in Germaniæ Ecclesiasticos. Quod etiam consecutus Ferdinandus, grates agebat Pio propter amota obstacula à Paulo injecta, ipsismet etiam heterodoxis ex ore Heideggeri *in Sess. 17. S. Concilij Tridentini argut. 6.* fatentibus, à Ferdinando Oratorē Germanum pro ejus confirmatione Romam missum fuisse: claro sanè argumento, hoc jus confirmandi Electum Imperatorem, ne hostes quidem fidei, ac Religionis Pontificiæ adversarios pernegare ausos fuisse.

ARGUMENTUM IV.

Desumptum ex Clementina unicâ *De jurejurando.*

123. AUthor *Regalis Sacerdotij præf. lib. 1. §. 6. circa medium n. 3.* argumentatur 4. ex prælegata Canonica constitutione à Clemente V. in Concilio Viennensi editâ sub hoc tenore: *Romani Principes, Orthodoxæ fidei professores sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem, ejusdem Redemptoris Vicarium fervore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam in observationis antiquæ temporibus novissimis renovatæ, quàm formâ juramenti hujusmodi sacris insertâ Canonibus manifestârit, &c.* Ex qua Pontificiâ simul & Conciliari sanctione notat *supra citatus* Author. Concilium Viennense sub Clemente V. celebratū, in illa constitutione apertè testari, Imperium à Græcis in Germanos authoritate Sedis Apostolicæ esse translatum, & ab hac jus Electorale constitutum fuisse: antiquissimo insuper more electos Imperatores Pontifici Romano se juramento obstrinxisse: Reges, & Imperatores Romanæ Sedis Advocatos & Defensores esse: juramenta Sedi Apostolicæ à Principibus præstari solita, esse vera juramenta fidelitatis, cujus obligatio qualis & quanta sit, quasque partes complectatur, videri posse in epistola Ducis Aquitaniæ Fulberti Carnotensis doctrinâ & sanctitate celeberrimi, cujus fragmentum haberi *in Cap. De forma. causâ 22. q. 5.* Ex quibus Pontificiam supra Reges, & Imperatores potestatem sumoperè confirmari, cùm nonâ solo Pontifice Romano, sed a Concilio universali fuerit declarata, & ab Episcopis Gallicanis non tantùm non impugnata, sed *positivè* confirmata & sancta habita sit, ut proinde non doctrina tantùm Clementis V. aut Concilij censenda sit, sed Ecclesiæ totius Gallicanæ.

Objectio.

124. HUic ratiocinationi occurrit primâ saltem fronte non quâ adversarius, sed quâ ejusdem doctrinæ assertor Maymbourgus. *in historia de Imperio lib. 2. ad annum 996. §. ult.* tradens.: *certissimam, & omni exceptione majorem esse veritatem, quòd jus eligendi Imperatorem, à Sede Apostolica ad Principes Germaniæ provenerit: Idque Innocentium III. Concilium Viennense, Electores ipsos, & denique Imperatorem Albertum testatum facere, velut appareat ex monumentis authenticis, fide dignis, quæque in dubium revocari haud possint, nisi fundamentis fidei, historiæque humanæ convulsis.*

Responsio.

125. SI expendantur reliqua etiam principia per eundem Maymbourgum *ibidem* posita, infertur inde, secundùm hujus Authoris sententiam, oportere, duo in Imperatore distinguere: *Unum*, quòd sit Caput, supremúsque Princeps, & Monarcha Germanici Imperij, à quo Principes alij dependeant. *Alterum*, quòd Electus, exclusis alijs omnibus, habeat jus postulandi à Pontifice coronam. Quoad *primum* igitur

igitur, nec Electores, nec Imperatorem à Romano Pontifice quidquam accepisse, cùm jure *naturali, Divinóque*, ut in alijs Regnis electivis, sic & in Germanico Imperio possint Optimates sibi Caput & Principem eligere. Quoad *secundum* verò, dici debere, coronationem Imperatoris fluxisse quidem à Romano Pontifice, esse tamen ritum haud necessarium, sinè quo nempe Majestas tota constet Imperatori.

Hæc proinde Maymbourgi distinctio, cùm minimè cohæreat cum assertione, quam *primâ* fronte exposuerat, ad illam confutandam, sic progreditur Author *Regalis Sacerdotij cit. §. 6. n. 9. 4. circa medium.* Etenim sub eâ *priori loco* allegatâ assertione Maymbourgus Innocentij III. *in Cap. Venerabilem.* Concilij Viennensis in Clementina unica *De jurejurando.* Electorum, ac Imperatorum testimonia tanquam verissima, indubitata, & adeò fide digna admittit, ut ea non tantùm negari non posse dicat, sed ne quidem vocari in dubium. At verò ex his ipsis Pontificum, Principúmque testimonijs clarissimè habemus, non jus tantùm eligendi quoad coronam, ritúmque externum, Germanis Principibus concessum à Sede Apostolica fuisse, *sed eligendi Advocatum & Defensorem Ecclesiæ; Electoribúsque dissidentibus, posse Romanũ Pontificem non tantum Imperatorem, sed Regem etiam eligere, alio rejecto, omnique auctoritate exuto, posse Pontificem declarare electum à Principibus, propter hæresin, censuram, aliúdve impedimentũ inhabilem Regno esse; posse, imò teneri subditos ab eo, quem Pontifex, ejúsve Legatus excluserit, omninò deficere, & juramento solvi: Imperium authoritate Pontificis à Græcis in Germanos translatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladij potestatem, &c.*

126. Ex quibus proinde ipsissimis Innocentij, Concilij Viennensis, Alberti Cæsaris, & Principum Electorum verbis tam clarum est, ea non posse ad solam coronationem, ritumque externum, ac cæremoniam haud necessariam referri, ut mirum sit, Maymbourgum voluisse distinctione tam fragili, nullis nixâ fundamentis, sed proprij duntaxat cerebri adinventionibus, causam tanti momenti sustinere. Neque enim juvat, quod prætendit Maymbourgus; jure *naturali, Divinóque* quamlibet Rempublicam posse sibi Caput eligere. Ibi enim hoc principium haud subsistit, ubi in Regno aliquo jus successionis est hæreditarium, sic nihil prohiberet, Summum Pontificem jus Imperij Græcis optimo jure ademptum, suo arbitrio conferendum sibi reservásse, qui tamen Carolinæ stirpi hæreditarium, & post hujus extinctionem, ita voluit esse electivum, ut certis Germaniæ Principibus concesserit Imperatorem eligendi potestatem, sibi unicè reservato confirmationis (uti *supra* visum est) non inanis coronationis jure, unà cum supereminentali illà Oecumenici erga universalem Ecclesiam Pastoralis muneris prærogativâ, per quam in Ecclesiæ necessitatibus, ita exigentibus, possit publico sacræ Religionis, ac fidei Bono in constituendo Imperatore prospicere; prout *infra* ulteriùs demonstrabitur.

ARGUMENTUM V.

AUthor *Regalis Sacerdotij cit. §. 6.* argumentatur 5. Quo tempore jus eligendi Romanum Imperatorem, ad Principes Germaniæ pervenerit, incertum esse. Aventinus *lib. 5. Annal.* & Onuphrius Panvinus *lib. de Comitijs.* volunt Collegium Electorale à Friderico II. institutum, & à Gregorio X. confirmatũ. Obijt autem Fridericus II. MCCL. Gregorius verò Anno MCCLXXVI. Onuphrius credit, jus eligendi ad Septemviros restrictum in Concilio Lugdunensi, quod Anno MCCLXXIV. auctoritate Gregorij X. convocatum est. Alij Gregorio V. attribuunt, natione Germano, Nepoti Ottonis III. qui Anno DCCCCIC. decessit. Hanc opinionem Bellarminus, & sæpe laudatus Morerus *in suo Dictionario historico*, ubi agit de Gregorio V. tuentur. Eamque multæ probant magnæque rationes. *Primò*: Quòd Sigebertus ad Annum MII. scribat, Ottonem III. inter alia cum cum Papa Gregorio V. de ijs, quæ Imperij jura spectant, egisse. *Secundò*: Quòd Otto I. alijque deinceps usque ad Ottonem III. privilegio Leonis VIII. quod habetur *c. In Synodo. dist. 63.* successorem elegerint, idque propagatum, ut diximus, usque ad Ottonem III. post quem jus eligendi penès Germaniæ Principes fuit; oportet ergo; hoc tempore mutationem aliquam circa Electores factam esse, alioquin Imperatores eo privilegio tam magno, tamque utili successores nominandi, nunquam abstinuissent. *Tertiò*: Quòd Otto III. liberis, & spe liberorum carens, ne post ejus mortem causâ electionis, discordiæ Germaniam agitarent, vicino maximè & vigilante ad omnia Gallo, cum Pontifice sic convenerit. 127.

Illud saltem vero propius est, numerum septem Electorum non à Gregorio V. fuisse institutum, sed ab Innocentio IV. in primo Concilio Generali Lugdunensi Anno MCCXLV.

Sed quidquid de tempore, & Pontifice in individuo sit, qui jus eligendi ad septem Germaniæ Principes transtulit, certum est, ab aliquo Summorum Pontificum translatum esse; præter enim scriptores, quorum plurimos videre est apud Bellarminum *lib. 3. c. 3. de translat. Imperij.* docent ipsi Lutherani Centuriatores: quorum tamen primæ, potissimæque & innatæ velut partes sunt, quidquid Ecclesiæ Romanæ decorum & glorioſum est, pertinaciter negare. 128.

S. Thomas, cui & sanctitas & doctrina cælitus infusa voluntatem errandi, & faculatem ademit, *in tract. de regimine Principum*, quem Regi Cypri dedicavit, *lib. 3. c. 9. Ex tunc* (hoc est, post Ottones) *ut historiæ tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat: quæ usque ad ista tempora perseverat, & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit, in quo casu, ut ex*

verbis Domini suprà inductis est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Ecclesiæ videtu Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.

Fatentur ipsi Principes Electores, quorum maximè res agitur, ut videre est in litteris Marchionis Brandenburgici, Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini apud Baronium Anno DCCCCXCVI. *n. 44.* Et denique Alberti Imperatoris, qui in litteris ad Bonifacium VIII. Anno M CCCIII. Regni sui quinto, decimo sexto calendas Augusti hæc habet. *Profiteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori, ac vobis, sanctæ Ecclesiæ Tuæ fore pro innumeris misericordijs, & immensis beneficijs obligatum, &c.* Et infrà. *Recognoscens igitur, quòd Romanum Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est in personam Magnifici Caroli in Germanos, &, quòd jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem posteà promovendum, certis Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus est ab eadem Sede concessum, à qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt, pro tempore recipiunt temporalis gladij potestatem ad vindictam malefactorum &c.*

Et ipse Summus Pontifex Innocentius III. in Decretali *Venerabilem. De electione: Vnde*, inquit, *illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, recognoscimus, ut debemus, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit.*

In publico etiam Instrumento ad Nicolaum III. Pontificem Maximum anno MCCLXIX. indictione 7. Rudolphi Imperatoris Anno VI. ijdem Principes sic loquuntur: *Nos Principes Imperij universis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quàdam quasi germanâ charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter præsidentium super terram: plantans in ea Principes tanquam arbores præelectas, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ authoritate suffulti, per ipsorum electionem illum, qui frena Romani teneret Imperij, germinarent, &c.* Vide integrum hoc Instrumentum apud Bellarminum *de translat. Impery 1. 3. c. 3.* Videndus etiam Serarius *lib. 1. Rerum Mogunt. c. 26.* & Gretserus *in defensione Bellarmini c. 28.*

Ludovicus etiam Morerus in recentissimo Dictionario historico, quod Ludovico XIV. Gallorum Regi dedicavit, tomo II. & Spondanus Episcopus Gallus ad annum DCCCCXVI. idem affirmant.

Ipse P. Ludovicus Maymbourgus loco paulò post citando illa, quæ citavimus, Electorum, Imperatorum, ac Innocentij III. testimonia & monumenta dicit esse fide digna, authentica, revocátque ad veritates omni exceptione majores, quantumvis ipse in alium sensum, interpretetur.

129. Et denique si alia omnia desint, superat omnẽ exceptionem testimonium Concilij universalis Viennæ in Gallijs celebrati anno MCCCIX. præsentibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ Regibus, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Episcopis centum quatuordecim, vel, ut alij, trecentis, præter Abbates & Doctores, & præside ipso Clemente V. Gallo, ipsisque Gallis addictissimo, ut præter alia patuit ex Sede Pontificali Avenionem translatâ, Christiano orbe, & Italiâ præsertim indignante.

Objectio.

ADversùs hanc argumentationem occurrit 130.
inprimis, quòd tractatus *de Regimine Principum* Divo Thomæ inscriptus, non sit genuinus hujus Angelici Doctoris partus; uti ostendit Bellarminus *de potestate Papæ*: quia præter certissimas alias conjecturas, hæc una est, quod *lib. 3. cap. 20.* meminerit suc cessionis Adolphi Imperatoris post Rudolphum, & successionis Alberti post Adolphum, quæ contigêre, *prima* quidem anno 1292. *Altera* Anno 1299. Divus autem Thomas obijt Anno 1274.

Deinde occurrunt Maymbourgi sequentes 131.
haud prætermitendæ propositiones, quin accuratiori subdantur examini: quarum prima est, *certum esse, dominante stirpe, & familiâ Carolinâ, jure legitimæ successionis Regnum Germaniæ deferri, vel potiùs transmitti ad proximos agnatos consuevisse: hâncque fuisse legem Francis fundamentalem: donec eâ extinctâ, Reges eligi cœperint. Sic Conradum I. Henricum Aucupem, ejúsque filium Ottonem Magnum à Principibus tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus, Vrbiumque deputatis electos esse.*

Secunda est: *Imperio in Ottonem I. & Alemannos translato, durâsse jus electionis usque ad Fridericum II.*

Tertia est: *Quoad Electores sæpe variatum esse, admisso aliquamdiu ad suffragia etiam populo, ejúsque deputatis, imò Principibus, Vrbibúsque Italiæ, ipsóque per suos Legatos Pontifice: quia tunc Italiæ Regnum pars Imperij Germanici censebatur. Sic Henricum VI. Lotharium II. Fridericum I. promotos esse.*

Quarta est: *Cùm penes Principes, Officiales, Ministróque Imperij major potestas & authoritas staret, mutato electionis ordine, ad hos suffragandi jus devenisse, alijs Principibus, Civitatibus, deputatis, Imperatorem aliquem præsentantibus tantùm, qui tamen, si primi dissiderent, ipsi Augustum pronuntiabant. Hoc apparere ex* Cap. 34. De elect. *quod est Innocentij III.*

Quinta: *Per electionem Conradi III. solos Principes vasallos, & Beneficiarios Imperij tam Ecclesiasticos, quàm sæculares fuisse ad eligendum admissos, & post electionem Friderici I. solos Germanos, ut apparet ex Decretali Innocentij III. ad Ducem Zaringhiæ: post electionem verò Friderici II. in quam plerique Germani Principes convenerant, istorum consensu & voluntate potestatem eligendi Principibus Septemviris delatam esse, omnibus alijs suffragio exclusis, idque asseri ab Alberto Abbate Stadensi, Martino Polono, Friderico II. coævis: ex quibus apparere, collegium Electorale intrà annum 1220. & anno 1240. institutum fuisse, quem deinde Septemviratum Aureâ Bullâ à Carolo IV. adversùs omnem mutationem fuisse confirmatum.*

Re-

Responsio.

132. ADversùs istas Maymbourgi nullis, quæ in medium proferantur, fundamentis nixas assertiones, præter Alberti Stadensis, & Martini Poloni, ex ijs, quæ mox proferemus, facilè disparituras authoritates, processuri, operæpretium duximus eisdem Baronij *ad annum 996. à n. 36.* optimis rationibus stabilitas opponere assertiones. Quarum *prima* ita se habet. Hoc ipso anno 996. compositis rebus, restitutâ pace Ecclesiæ, Gregorius Papa V. consilio Ottonis III. ad stabiliendum statum Ecclesiæ, adjiciens animum, nec non ad electionem Imperatorum pacificè absque tumultu in posterum faciendam, Concilium Romæ collegit Episcoporum, cujus fragmenta saltem supersunt. Ad quod proinde Concilium referri debere videtur, quod de Imperatoribus, & Electoribus ab eodem Pontifice, multorum assertione traditur constitutum.

Hinc Novatores Centuriatores Magdeburgenses, quantumvis infensi Romanis Pontificibus, *cent. 10. cap. 546.* fateri compulsi sunt, Gregorium ejus temporis Papam sanxisse, *ut penes solos Germanos esset jus eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur.* Nituntur hi Centuriatores authoritate Blondi, cujus verba inserunt ijdem *cent. 10. cap. 16. pag. 720.* quæ ita se habent: Gregorius Papa eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam hucúsque super annos quadringentos servatam vidimus, solis licere Germanis, qui inde Electores dicti sunt, Principem deligere, qui Cæsar tunc, & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabitur, Imperator appelletur.

Consule de his Extravagantem Innocentij III. ad Ducem Thuringiæ scriptam, quæ incipit *Venerabilem. 34. De electione.* à nobis *superiùs §. 4. argumento 3.* relatam, in qua diserte dicitur, jus eligendi Regem, in Imperatorem posteà promovendum, Principibus Germaniæ concessum, provenisse à Sede Apostolica, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit. Consule etiam Clementinam *De jurejurando.* in qua disertis verbis asseritur: *Imperatores se Romanæ Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos Principes jus & potestas eligendi Regem in Imperatorem promovendum pervenit, adstringere vinculo juramenti.*

Hoc ipsum firmant litteræ à Principibus Electoribus, ac inter hos à Comite Palatino Rheni, Duce Bavariæ anno 1279. datæ, ac ex Bibliotheca Vaticana in Castrum S. Angeli translatæ, ibique reservatæ, atque à Baronio ad dictum annum 996. *n.* 54. recitatæ. Idem confirmant Alberti Imperatoris litteræ anno 1303. ad Papam exaratæ, quarum dictus Baronius *n. 48.* meminit, in quibus iterum expressa fit contestatio, quòd Romanum Imperium per Sedem Apostolicam sit de Græcis translatum in personam Magnifici Caroli ad Germanos, & *quòd jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem potestà promovendum, certis Principibus Ecclesiasticis, & sæcularibus sit concessum ab eadem Sede, à qua Reges, & Imperatores recipiant temporalis gladij potestatem.*

Secunda ejusdem Baronij ab omnibus 133.
constanter comprobata assertio est: sicut Imperium authoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem translatum est, ita jus eligendi Imperatorem Germanis concessum, à Romanorum Pontifice authoritate & concessione manâsse.

Tertia dicti Baronij assertio est circa nor- 134.
mam Imperatoris eligendi à certis Germaniæ Principibus fulcitam sequenti dissertatione: Sanè quidem, inquiuntis, dum Otto Romæ fuit, tractâsse inter alia, quæ ad Regni jura pertinent, Sigebertus affirmat. Si Concilij Romani, de quo agimus, monumenta extarent, nobis haud laborandum esset in perquirendo, qualis fuerit ista ab ipso Pontifice ijsdem Electoribus tributa concessio: num scilicet ipsa fuerit omnibus Germaniæ Principibus generatim collata, an tantùm sex, vel septem certis, nominatisque expressis Principibus (ut nunc sunt) Ecclesiasticis atque laicis exhibita. Certè quidem revocandum non est in dubitationem, generalem saltem concessam Germaniæ Principibus omnibus eandem facultatem eligendi Regem in Imperium promovendum. Etenim id omninò asserere, etiamsi alia quæque testimonia deessent, facta ipsa non modò suadent, sed cogunt. Cùm enim (ut audisti) concessum fuerit à Leone VIII. Ottoni primo, ejusque successoribus successores eligere in Imperium promovendos, & ab eis factum usque ad tertium Ottonem constat, & post ipsum nunquam id tentatum ab ipsis fuisse, inveniatur: planè dicendum est, eam facultatem demptam fuisse Imperatoribus ipsis penitus, & Germaniæ collatam Principibus, nec ab alio, quàm à Romano Pontifice, cujus duntaxat id esset authoritatis, quod (ut nuper audisti) Electores & electi Imperatores publicis scriptis ingenuè sunt professi.

Ut autem non ab alio, quàm ab ipso Gregorio id factum sit, multa sunt, quæ id affirmare cogunt. Atque inprimis, quem diximus, ipse rei usus, cùm post ipsum Gregorium Ottone Imperatore defuncto, non ampliùs per Imperatores, sed Electores Principes constet, fuisse successores electos, quod Scriptores omnes affirmant, & quævis vetera monumenta testantur, speciatim verò complures authores, qui suorum temporum res scripserunt, id absque controversia aliqua asserunt; quod & ipsi etiam refractarij Novatores (uti dictum est) profitentur.

Ista autem decernendi Gregorio ipse Otto Imperator fuisse auctor videri potest. Cùm enim absque liberis esset, & spes omnis dempta, ut in filium (quod fecerunt prædecessores, transferret Imperium) ne post ejus obitum inter omnes sibi consanguinitate & affinitate conjunctos, & alios æmulos ejusdem honoris Principes, exoriri possent bella civilia, quibus idem conflagrans perderetur Imperium, in Electores eam refundendam potestatem authoritate Pontificiâ, consultiùs exi-

stimavit. Et quòd videret æmulos gloriæ Germanorum Francos, explosis Carolinis, ignominiæ nomine suggillatos, novos eosdemque pugnacissimos habere cœpisse ex alia linea Reges, ne illis Imperium pariter affectandi, & ad Francos, è quibus in Germanos fluxerat, revocandi aliqua quærentibus pateret occasio: bene consultum rebus Germanorum putavit, si Apostolicâ authoritate firmaret, ut ijdem tantùm essent Germani, quibus facultas esset creandi Regem, quem idem Romanus Pontifex promoveret in Imperatorem, ita tamen, quòd si causa aliqua esset, id negandi, libere facere posset, nec aliquo necessitatis nexu, quem ipsi elegissent in Regem, compelleretur probare, atque ungere Imperatorem. Nam audi Innocentium III. idipsum Electoribus his verbis insinuantem: *Sed & Principes recognoscere debent, & utiq; recognoscunt (sicut ijdem in nostrâ recognovêre præsentiâ) quia jus & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus & coronamus. Est enim regulariter, & generaliter observandum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manûs spectat. Numquid enim, si Principes non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumq;, vel excommunicatum in Regem, tyrannum, vel futurum hæreticum elegerent, aut paganum: nos inungere, consecrare, ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omninò.* Hæc Innocentius. Porrò quis non intelligat, quòd, si personam electam in Imperatorem assumendam, ex causa ipse potelt reijcere Pontifex, multò magis ipsos Electores repellere potest ex causa, præsertim verò, si inquinatus sit hæresi, in qua nec recipiendus, sed spernendus ab eo esset Imperator electus?

Porrò non sic jus eligendi in alios transtulit Romanus Pontifex, ut illud apud se noluerit remansisse, & cùm opus fuerit, & necessitas exegerit, eo pro arbitrio uti posset, hunc recipiendo, abijciendo autem illum, prout opportunitas postularet. Nam audi, quid dicat Glaber Rudolphus horum temporum probatus scriptor, ut qui ab hoc tempore usque ad millesimum quadragesimum quintum historiam scripserit ad sanctum Odilonem Abbatem suum: *Illud* (inquit) *nihilominùs nimiùm condecens & perbonestum videtur, atq; ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet, ut, ne quisquam audaciter Romani Imperij sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eig. commiserit insigne Imperiale.* Hæc ipse, haud ignorans, quæ assiduè ante ejus oculos versabantur, per Principes Imperij feudatarios eligi, qui esset in Imperium promovendus, probè noscens, summam rerum penes Pontificem esse, ut probaret, vel non probaret, quem elegissent.

135. *Quarta* denique Baronij assertio est de indaganda origine Septemviratûs ad Imperatorem eligendum instituti, de quo Baronius à *citato n. 54.* ita disserit. Illud reperitur magnoperè controversum, & prolixâ disceptatione agitatum: num septem tantùm Electorum selectio & electio, qui Romanorum Regem crearent, fuerit ejusdem Gregorij Papæ V. institutio, vel alterius Romanorum Pontificum. Hujus rei occasione, scimus, Panvinum commentarium de Comitijs Imperatorijs elaborâsse, quo nihil aliud probare nititur, quàm septem Electores non à Gregorio V. institutos fuisse, sed à Gregorio ejusdem nominis X. nullum alium habens suæ sententiæ, quem sequatur Authorem, nisi infectam hæresis scabie bestiam, Aventinum, quem indignè nimis ipse homo Catholicus pectine scalpit eburneo, dum eum prædicat virum esse disertum: quem, si cominùs inspexisset lucerna Cleantis, eum potiùs sicut pietate, ita & doctrinâ intellexisset omninò desertum, nullo autem modo disertum, ut cum ex multis alijs, tum ex ipso, in quo sequitur eum, quem laudat, & in quo laudat errantem, intelliges, quos ambos turpiter errantes, egregiè corrigit quem jure laudavimus, Bellarminus verè doctissimus ostendens (quod ipsos latuit) complures, eosdemque fide integros, scripsisse ante Gregorium X. Auctores de septem Electorib^s jam anteà constitutis, adeò ut nequaquam fingi potuerit, eosdem ab ipso Gregorio X. originem ducere, quorum ante ejus Pontificatum fieret mentio à diversis ejusdem temporis claris Auctoribus.

Explosis igitur Novatorum falsis opinationibus, repudiatisque novitatibus eorundē, nec sic definita remanet quæstio, ut factum à Gregorio V. affirmare possimus, quod à Gregorio X. institui potuisse, negatur. Siquidem etsi in controversiam revocari non potest (ut dictum est) id, quod tributum fuerat à Romano Pontifice Ottonibus Imperatoribus, eligere successores, per Gregorium V. transfusum ad Germaniæ Principes, haud tamen adeò liquet, per ipsum fuisse Electores ipsos numero senario, vel septenario definitos; sed & si factum fuerit, constare tamen, nequaquam id fuisse usu receptum. De his ergo modò nobis agendum, ac demum à quo potissimùm Romano Pontifice id primum invenerimus institutum, in medium adducendum. 136.

Sanè quidem nemo jure inficias ire poterit, post Tertij Ottonis Imperatoris obitum, ducentis & ampliùs annis, quotquot electi fuerunt Romanorum Reges Imperatores designati, eosdem non septem duntaxat Electorum, sed omnium Principum Germanorum, qui ad Comitia convenissent, suffragijs fuisse ad Regium culmen electos: quod præterquàm singulorum promotiones, perspicuè satis edocent, ut dubitationi nullus possit esse locus relictus, quæ adhuc extant de ipsis promovendis litteræ diversorum Pontificum Romanorum ad Germaniæ Principes datæ, & inter alias, quas Gregorius scribit ad omnes Episcopos, Duces, atque Comites Teutonicos de novi Regis electione faciendâ, si Henricus in Synodo excommunicatus non resipisceret, ostendens, illorum omnium jus esse par in eligendo Rege in Imperium promovendo. Ita etiâ perseverâsse tempore Innocentij Papæ II. 137.

anno

anno Redemptoris 1200. cùm mortuo Henrico sexto Imperatore, Principes Germaniæ scissi sunt inter se, eligentibus alijs Ottonem IV. alijs verò Philippum, litteræ ambarum partium ad Innocentium Papam datæ significant, quibus manifestè apparet, non penes septem tantùm fuisse jus eligendi, sed penes omnes tam Ecclesiasticos, quàm laicos Feudatarios Imperatoris in utraque Germania Principes. Extat scriptus tunc codex omnium illarum Epistolarum, quæ in ea causa ultrò citróque datæ fuêre, asservaturque in Archivio Apostolicæ Sedis in Castello sancti Angeli in Urbe, nimirum litteræ Balduini Comitis Flandriæ unius ex Electoribus, aliæ Comitis Daburgensis & Metensis, eodem munere perfungentis, Adolphi Archiepiscopi Colonienſis, & aliorum, qui elegerunt Ottonem. Quarum litterarum subscriptio est sub hoc tenore:

✠ *Ego Adolphus Colonienſis Archiepiscopus elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Berardus Paderbornenſis Episcopus elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Thietmarus Mindenſis Episcopus elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Vuitichindus Condejenſis Abbas elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Gerardus Tudenſis Abbas elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Eribertus Verdenſis Abbas elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij elegi, & subscripsi.*
✠ *Ego Henricus Comes de Kuke consensi, & subscripsi.*

Porrò hos omnes legitimos fuisse Electores, ipse Innocentius Papa suis est sæpe litteris testatus ad Germaniæ Episcopos, & Principes datis, eodem codice comprehensis. Sed neque adversarij ipsi negârunt, hos legitimos fuisse Imperij Electores, sed tantùm fuisse numero pauciores, objecêre, eosdemque auro corruptos ab Anglorum Rege eidem nepoti suo Ottoni favente.

138. Sed ut scias, reliquos Electores Philippo Sueviæ Duci studuisse, quem in Regem elegerunt: ex titulo litterarum earundem ad Innocentium Papam tunc scriptarum sic accipe: *Reverendo in Christo Patri, Domino Innocentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici Germaniarum Principes & Magnates in Christo filij, Magdeburgensis Archiepiscopus, Trevirensis Archiepiscopus, Bisuntinæ Sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augustanus Episcopus, Constantiensis Episcopus, Eichstetensis Episcopus, Vuormatiensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixiensis Episcopus, Hyldesheymensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius Abbas Fuldensis, Abbas Hesvoldensis, Abbas de Tergente, Abbas Ebuvacensis: item Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Dux Austriæ, Dux Moraviæ, Marchio de Ruvesperg, alijque Alemanniæ nobiles.* Et infrà: *Magnitudini vestræ duximus declarandum, quòd mortuo inclyto Domino nostro Henrico Romano Imperatore Augusto, collectâ multitudine Principum, Illustrem Dominum nostrum Philippum in Imperatorem Romani sglij ritè & solenniter elegimus.* In fine autem numerantur & alij Principes absentes, qui per litteras consensum præstiterunt. Incipit Epistola: *Existimare non valet ratio &c.* & ista est, ad quam respondet Innocentius illa, quæ habentur descripta *in Capitulo Venerabilem.*

139. Ex quibus redarguas Ostiensem, dum interpretans Decretalem illam, hos, quos ipse Papa redarguit, existimavit, fuisse illos septem vulgatos ore omnium Electores: nam ex his perspicuè intelligimus, quàm procul absit, ut temporibus Innocentij Papæ III. septem tantummodò fuerint Electores, cùm liqueat ex dictis epistolis, omnes Imperij Feudatarios Ecclesiasticos, Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, & Barones legitimos esse habitos Electores Romanorum Regis designati Imperatoris. Sed neque id mutatum reperitur, cùm anno millesimo ducentesimo duodevigesimo post Ottonem Fridericus *secundus* creatus est Cæsar, ut apparet ex Comitijs tunc ea de causa habitis. Hæc cùm ita luce meridianâ perspicua habeantur: attamen non usque ad Gregorium X. fuit septem Electorum dilata creatio; quæ, à quonam Romano Pontifice fuerit primitus decreta, & ubi locorum, & qui electi fuerint, certo certius ex Synodalibus Actis in promptu est demonstrare, ut ea tutò affirmare possimus. Et ne de impostura vel levis suspicio possit oriri, ipsos etiam S. Ecclesiæ Romanæ hostes acerrimos, & implacabiles, suis libris asserentes, & in medium afferentes, & aliud licèt agentes, id tamen ingenuè profitentes, adhibemus testes, quorum alter suis temporibus res gestas conscripsit, & ex Epistolis Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, nec non ex Conciliorum Actis, alijsque publicis monumentis ex integro recitatis historiam texuit; alter verò ex recentioribus hujus temporis Novatoribus, qui in odium, quo flagraret adversùs Romanam Ecclesiam, illum è latebris erutum edidit commentarium. Hæc autem, ut exactè percipias, attende.

140. Vixit temporibus illis Matthæus Parisiensis, Monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam historiam aggressus est scribere ab anno Redemptoris 1066. perduxitque eam usque ad annum 1250. ut in fine ipse testatur his verbis: *Hic terminantur fratris Matthæi Parisiensis, Monachi S. Albani Chronica, quæ pro utilitate posteritatis subsecuturæ, Dei pro amore, & B. Albani Anglorum Protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetustas, aut oblivio deleat, litteris commendavit.* His verò mox subijcit versus istos:

Virginis à partu jam mille volumina Phœbus,
Cùm bis centenis, & quinquaginta peregit
Annua: sed visum non est, sub tempore tanto,
Aprilis sexto fuerit quòd Pascha Kalendas;
Dum quinquagenus orbem percurreret annus.
Hoc tamen evenit anno, cui terminus hîc est.

Addit verò: *fluxerunt utique ab Incarnatione Domini viginti & quinque annorum quinquagenæ &c.* Hæc ad tempora Auctoris cognoscenda, quibus vixit, & scripsit, dicta sunto.

141. Qui suis scriptis, quàm fuerit animo in-

sen-

fensissimo in Apostolicam Sedem (juxta illud *Matth. Loquela tua manifestum te facit*) quivis facile poterit intelligere (nisi probra illa fuerint additamenta potiùs ejus, qui edidit, Novatoris, hæretici hominis, cùm peculiare sit illis, libros, quos potuerint, depravare) dum nulla in eo libro prætermittitur occasio carpendi Romanos Pontifices, imò & sinè occasione, omnia ipsorum facta in deteriorem accipiens partem, cordis secreta rimans, & in malum sensum semper interpretans, in eos, eorumque ministros acerbissimè invehitur semper, nec parcit unquam, ut planè de illo jure, meritoque dicendum: Malus homo de thesauro suo profert mala; cùm & secundùm illud dictum Salvatoris, acciderit ipsi: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Matth. 12.* Dum etiam quæque sancta, quæque justa, ac pia in pravum sensum accipiens fugillat pariter & infamat, sed quid accidit? Cùm liber iste indignus luce à majoribus judicatus, occultatus lateret in angulo: his ipsis temporibus nostris, magno præconio tanquam prævia face, emersit in lucem, Novatoris operâ editus Londini in Anglia anno Redemptoris 1571. A quo libro, si quis demat calumnias, invectivas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem frequenter iteratas, aureum sanè dixerit commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis (ut dictum est) egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur.

142. In quo quidem inter alia nobilia monumenta habentur Acta Concilij Lugdunensis Oecumenici, cui interfuerunt inprimis ipse, qui indixit, Innocentius Papa IV. anno Redemptoris 1245. simulque duo Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus videlicet, & Antiochenus, suamque præsentiam eidem exhibuit Imperator Constantinopolitanus, præter alios Principes, Regumque Legatos, post Præsides diversarum Ecclesiarum. In eo autem post excommunicationis sententiam promulgatam ab ipso Pontifice in Fridericum Imperatorem, post tractationem eorum, quæ spectant ad expeditionem in subsidium Terræ sanctæ, complura alia ad statum Ecclesiæ bene disponendum constituta sunt, & inter alia titulus est additus de Electionibus, ob litium decisionem, in eoque simul septem definiti ab eodem Pontifice Electores Imperatorum leguntur his verbis:

Electores Imperatorum.
Laici

Dux Austriæ.
Dux Bavariæ.
Dux Saxonum.
Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ.

Prælati Principales.

Archiepiscopus Colonienſis.
Archiepiscopus Moguntinus.
Salisburgenſis.

Sequuntur hæc: *Isti ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Nec adveniat aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Colonienſis, secundus Moguntinus, tertius Salisburgenſis.* Hæc de Electoribus septenario numero definitis. Stetit numerus conscriptus, perseveravitque in futurum; personæ autem quatuor mutatæ, nempe ut pro Salisburgensi positus fuerit Archiepiscopus Trevirensis, proque tribus illis Ducibus, Austriæ, Bavariæ, atque Barbantiæ, fuerint subrogati Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgensis, atque Rex Bohemiæ, qui potiùs locum teneret Definitoris, si discrepent Electores, quàm unius ex Electoribus ipsis.

A quonam autem, retento Electorum 143.
septenario numero, facta fuerit ista mutatio, num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex ejus Successoribus, hoc (fatemur) nos latère. Ex conventione autem Germaniæ Principum id esse sancitum, qui sui temporis Chronicon scripsit, perduxitque usque ad anum 1256. post dictum sub Innocentio IV. Concilium Lugdunense annos undecim, Albertus Abbas Stadensis, quod haud pridem Helmistadij cusum est, anno Domini 1587. hæc habet: *Ex prætaxatione Principum, & consensu, eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, & Colonienſis.* Et de sæcularibus: *Palatinus eligit* (inquit) *quia Dapifer est; Dux Saxoniæ, quia Marescalcus, & Margravius de Brandenburg, quia Camerarius; Rex Boemiæ, qui Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Hæc ipse. Ex quibus illud inprimis intelligere possumus, id ipsis expositentibus Principibus simul consentientibus (nam hoc est illud, quod ait ex prætaxatione Principum & consensu) factùm esse vel ab ipso Innocentio IV. post Lugdunense Concilium vel sub Alexandro IV. cujus annus secundus incidit in 1256. ad quem dictus Author suum perduxit Chronicon, & non ab ipsis Principibus suâ sponte: nam cujus fuit de septem Electoribus legem condere, non alterius, quàm ipsius esse potuit, eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari.

Elicitur etiam ex dicta Alberti assertione, 144.
ipsum Regem Bohemiæ nondum in Electorem, vel Definitorem inter Electores, ad numerum septenarium cooptatū fuisse, antè scilicet dictum annum quinquagesimum sextum post millesimum ducentesimum, quo ea ipse scribebat, quòd verò, qui ab ipso Innocentio electi Principes Electores Dux Austriæ, Dux Bavariæ, & Dux Brabantiæ, cesserint alijs, inde proveniſſe videri potest, quòd magis cuperent eligi, quàm eligere Imperatores, sicque inter eligendos potiùs, quàm inter Electores locum habere maluerint.

Porrò ante hæc tempora nullum historicorum invenire est, qui vel nominetenus septem Electorum meminerit. Qui primus horum meminisse reperitur Martinus Polonus, qui claruit eodem Innocentio Papâ IV. in Ottone III. de istis agit his verbis: *Et licèt isti tres Ottones per successionem generis regnaverint,* 145.

rint, tamen postea fuit institutum, ut per Officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarij, Moguntinus Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Colonienſis Italiæ, Marchio Brandeburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemus pincernam agit. Unde versus

Moguntinensis, Trevirensis, Colonienſis.
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus.
His statuunt Dominum cunctis per sæcula summum.

Hæc Martinus, primus omnium Author, qui septem meminit Electorum in Ottone III. referens, quæ posteà suo tempore facta essent. Unde irrepsit error, ut sub Ottone III. sub quo id ab eo scriptum invenerunt, multi putaverint, septem fuisse creatos Electores, scripserintque à Gregorio factum, quod scriptum repererunt sub eodem Gregorio Papa V. nimirum ab ipso eosdem septem constitutos fuisse Electores. Cùm tamen illud, quòd Martinus ait: *Tamen postea fuit constitutum, ut per Officiales Imperij &c.* ad sua ipsius Martini tempora (ut auditi) sit referendum. Et cùm non alius, quàm Martinus (ut dictum est) primus Author hujus assertionis habeatur (nullus enim, quod repetendum est, ante eum repertus est Author, qui vel nominetenus septem Electorum meminerit) ad ipsum allusisse oportuit sanctum Thomã, dum *de regimine Principum* scribens, hæc obiter ait: *Otto Imperium tenuit usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et tunc (ut Historici tradunt) per Gregorium V. genere simpliciter Teutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat, quæ usque ad ista tempora perseverat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum, vel circiter, & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit.* Hæc sanctus Thomas, qui, cùm numeret ducentos septuaginta, vel circiter annos à Gregorio V. utique ad ultima tempora ejusdem sancti Doctoris ea est scriptio referenda, cùm ipse obijsse dicatur anno septuagesimo quinto post millesimum atque ducentesimum annum.

146. Cæterùm etsi Martini historia haud excedat tempora, ut quæ perveniat usque ad annos Redemptoris 1276. eam priùs editam, annuis successionibus, dum vixit, auctam possumus existimare. Cùm igitur S. Doctor his, quæ asserit de septem Electoribus, citet historias, nec aliæ usquam sint inventæ, quæ septẽ Electorum meminerint, nisi Martini in Ottone III. ipse eum secutus, quod ipsum sensisse putavit, bonâ fide conscripsit, sicut & cæteri posteà eadem scribentes fecisse noscuntur. Ex quibus universis manet stabilita Pontificiæ authoritatis super ipsos etiam Imperatores prærogativa *sequenti conclusione* magis adhuc stabilienda.

CONCLUSIO.

147. EX Imperij à Græcis in Francos translatione, ac Septemvirorum Imperatoris Electorum designatione, per Pontificiam authoritatem factâ, uti etiam ex sacris Canonibus *Cap. Venerabilem. 34. De electione*, nec non *Clementinæ unicæ. De jurejurando.* efficaciter demonstratur Pontificia super Reges Christianos authoritas.

Explicatur. Varia equidem Summorum Pontificum Oecumenicæ & Apostolicæ Divinitus constitutæ supra Reges authoritatis exempla adferebantur in *primo* & *secundo* super dicto Canone *Venerabilem* à *Regalis Sacerdotij* Authore efformatis, & ad nostram reflexionẽ traductis argumentis. Quia tamen pleraque ejusmodi exempla vel in præsentis Disquisitionis ingressu ex prænominati scriptoris *tract. de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ* jam fuerunt discussa, vel *inferiùs in quartâ nostrâ disquisitione* veniunt ulteriùs jam examinanda, ideo ijs duximus hîc supersedendum, unicè proin expensuri ea argumenta, quæ tum ex Imperij à Græcis in Francos translatione, tum Septemvirorum Imperatoris Electorum designatione, per Summos Pontifices factâ, ad præsens institutum nostrum urgeri solent.

PROBATIO I.

IN qua firmatur prætacta Imperij Romani Occidentalis à Græcis per Leonis III. Pontificiam authoritatem facta translatio.

148. Ipsissimam assertionis hujus veritatem probatam dedimus ex ijs, quæ *supra à num. 92.* ex Authore *Regalis Sacerdotij præs. lib. 1. §. 5. n. 10. & 11.* fusiori stylo adferebamus. Quibus unicè superaddendum duximus summarium quoddam argumentorum à Bellarmino *de translat. Rom. Imperij. lib. 1. cap. 4.* usque ad caput *septimum* accuratissimâ methodo deductorum. In eo igitur *quarto capite* ab illhoc Cardinale adferuntur historicorum supra triginta testimonia, quibus demonstratur, Imperium Romanum Summi Pontificis authoritate à Græcis ad Francos esse translatum. Quorum sufficiat hîc nomina expressisse, remittendo Lectorem ad ejusmodi attestationum verba, in ipso Bellarmino revidenda. Hi autem Historiographi sunt Joannes Zonara Author Græcus, Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus vivens tempore Caroli Magni, Eginarthus Carolo Magno familiaris, Annales Francorum tempore ejusdem Caroli cœpti exarari, Aimonius, seu Ammonius degens tempore Ludovici Pij, Addo Episcopus Viennensis, Regino Abbas Prumiensis, Vothingus Corbejensis, Luitprandus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Dodechinus Mariani continuator, Lambertus Schaffnaburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Contra-

dus Abbas Urspergensis, Lupoldus Bamber. gensis, Matthæus Palmerius, Blondus Flaccius, Æneas Sylvius, Joañes Trithemius, Antoninus, Joannes Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomensis, Joannes Cuspinianus, Jacobus Wympfelingius, Polydorus Virgilius, Raphael Volaterranus, Donatus Acciaiolus, Albertus Krantzius.

149. Accedunt hisce testimonia Imperatorum, ac Principum, translationem Imperij à Græcis ad Francos, à Francis ad Germanos Romani Pontificis authoritate factam disertis verbis contestantium; prout à dicto Bellarmino *præs. cap. 5.* refertur. Inter hos primus est ipsemet Carolus Magnus, cujus in hoc vestigia sunt secuti Lotharius Ludovici Pij Filius, Carolus Calvus, Albertus Imperator, Henricus VII. Ludovicus IV. Carolus IV. Fridericus I. Michael Imperator Constantinopolitanus, Emanuel Comnenus Orientali Imperio præfectus, Philippus Rex Francorum, ac Principes Electores. Septem insuper Summorum Pontificum testimonijs idipsum firmat Bellarminus *præcitatus cap. 6.* nempe Gregorij IV. Adriani II. Adriani IV. Alexandri III. Innocentij III. Clementis V. & Pij II.

150. Hæc igitur universa testimonia per extensum videre licet apud *præallegatum* Cardinalem. Unde mira profectò Maymbourgi *suprà num. 96.* allegata exceptio est, quòd *Carolus Magnus Imperium Occidentis jure belli occupásset, Romam verò populi Romani donatione; nec aliud à Leone III. quàm coronam, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, seu nudam cæremoniam acceperit.* Nam idem Bellarminus *cit. lib. 1. cap. 7.* fusissimè probat, Imperium haudquaquam jure belli fuisse à Carolo Magno occupatum. Hic enim Regnum Francorum paternâ quidem hæreditate obtinuit, ac deinde expugnavit Longobardos, ex eaque victoriâ Longobardorum Rex appellari cœpit: at cum Romanis nunquam pugnavit, neque Romam aliquando vi intravit, utpote semper socius & amicus, posteà etiam Patricius Romanorum, hostis & inimicus nunquam fuit, ut historici omnes clamant, speciatim Albertus Krantzius *lib. 2. Saxoniæ*, & Eginarthus *in vita Caroli.* Longobardorum regnum, quod Romana olim provincia fuerat, armis adeptus est Carolus. At si ex hoc titulo dicendus fuisset Imperator, pari prærogativâ jam potirentur & Galliæ, & Hispaniæ, & Angliæ Regna, cùm & ipsa fuerint priùs Romanæ provinciæ, quàm cederent in propriorum suorum Regum jus hæreditarium.

151. *Sed numquid à Græcis seu armis, seu spontaneâ cessione Carolus accepit jus Occidentalis Imperij?* Ubi equidem Regnum Longobardorum à Carolo fuerat occupatum, Desiderio Rege in captivitatem misso, Aldagisus ejus filius sub annum 774. Constantinopolim evadens, exinde anno 776. classe à Græco Imperatore acceptâ, in Italiam properans, Longobardorum reliquias ad arma capessenda permovit. At Carolus in Italiam pervolans, cùm victor evasisset, Aldagisus, desperatis jam rebus, Regnique recipiendi spe frustratus, Græciam versùs terga vertere compulsus fuit. Anne igitur ex hoc subsidij Aldagiso ab Imperatore Græco pro recuperanda Longobardia concessi titulo, jus Occidentalis Imperij Græcis ademptum fuisse, dicere fas esset, cùm, si ex belli ejusmodi titulo justè posset comprobari jus ipsius etiam Imperatoriæ Majestatis victori obtentum, non unus, sed plures jam in Occidente essent jure appellandi Imperatores? Cæteroqui Græcos spontaneâ cessione haudquaquam concessisse jus Occidentalis Imperij, validè probat prætactus Bellarminus *cit. lib. 1. cap. 11.* ex Historicorum tum veterum, tum recentiorum attestationibus, concordi calamo scribentium: Græcos Imperatores, cùm primùm ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos, ac indignatos fuisse.

Quia porrò, dum Imperium Romanum 152.
sub Ethnicis adhuc Imperatoribus erat quidem electivum, minimè tamen ex Senatûs, populique Romani decreto, sed exercitûs placito conferri solitum, Constantino autem Magno Imperij dignitatem in Græciam transferente factum fuerat hæreditarium, quis jam credat, Senatum, populumque Romanum, quando nullius fermè authoritatis erat, ausum fuisse in Carolo ad Imperium Occidentis promovendo, quod anteà, cùm floreret, minimè auderet? Hâc super re accuratiorem discussionem videre quoque licet apud præfatum Bellarminum *præs. cap. 20.*

Quibus proinde sic constitutis, clarè pa- 153.
tet, Maymbourgij exceptionem nullius esse valoris, atque adeò Leonem III. Caroli Magni capiti coronam Imperatoriam imponendo, non nudam cæremoniam exhibuisse, sed jus Imperij Occidentalis à Græcis authoritate suâ Pontificiâ ademptum, eidem *realiter* contulisse. Num enim fas est, dicere, hoc Imperij Occidentalis jus potuisse transferri in Carolum, priusquàm fuisset de jure abdicatum à Græcis? At numquid seu populo, seu Senatui Romano erat authoritas super Græco Imperatore, legitimum Imperij non tantùm Orientalis, sed etiam Occidentalis jus obtinenti?

Nec porrò tempore Caroli coronationem 154.
antecedente, tale cum Græcis ipsis bellum fuerat, ut justo belli titulo dici posset spoliâsse Græcum Imperatorem jure Occidentalis Imperij. In quam igitur, nisi Pontificiam authoritatem reduci potest Imperij Occidentalis à Græcis adempti justitia? Etenim Græcorum Imperatorum eum tunc fuisse statum, ut meritò in ipsos stringeretur Pontificiæ authoritatis virga correctoria, tum *ex antecedentibus* patet, tum constabit etiam ex dicendis *in sequenti secunda probatione.* At Ecclesiæ virga correctoria illius Capiti, ac Pastori Oecumenico, sub indefinitâ *quodcunque super terram ligandi ac solvendi potestate*, concessa secundùm Christi mandatum, eatenus potest usque ad avulsionem à communione fidelium progredi, ut secundùm sacrum contextum, prævaleat etiam ad *quodcunque super terram*, quà ad regnum cælorum ordinabile, pro meritis causæ vel solvendum, vel ligandum; uti verba Christi sonant, demonstratumque est *in antecedentibus*.

Quis

Quis verò neget, Imperij jus non quasi *abstractè* sub signatâ *formalis* Divinitus constitutæ Regiæ potestatis ratione, sed *concretè* spectatum, quà Christiani hominis subjecto appropriatû, reputari etiam debere inter illa quæcunque, super terram in regnum cælorum ordinabilia? Quandoquidem igitur hoc jus Imperij Christiano homini appropriatum, ex sui ad regnum cælorum ordinabilitate, computari debeat inter illa quæcunque super terram, ligandi ac solvendi potestati Pontificiæ per Christum concredita, secundùm quod debita in regnum cælorum ordinabilitas, atque adeò publica Ecclesiæ sanctæ utilitas, seu necessitas exigit: quis Catholicorum jam dubitare audit, Leonem III. sui Oecumenici Pastoralis muneris authoritate Græcos hæreticos Imperatores, publicâ Ecclesiæ necessitate id exigente, legitimè spoliâsse jure Occidentalis Imperij? Atqui ex ipso lumine naturæ conspicuum est illud principium, quisquis justo publicæ authoritatis titulo Principem aliquem etiam supremum spoliat jure sui regni, posse hoc ex ipsissimo ejusmodi justo titulo sibi vendicare: super hoc namque naturaliter noto principio *morali*, unicè fundatur æquitas possidendi, & in dominium suum redigendi provinciam alicujus Principis bello justo occupatam. Quia igitur Summus Pontifex Leo III. justo titulo Græcis ademit Imperium Occidentale, iccircò secundùm illud naturalis luminis principium, quà cum præadducto fidei luminis principio combinatum, ipsimet Pontificiæ suæ potestati acquisivit Occidentalis Imperij jus, ac proinde ob Caroli Magni in Ecclesiam merita priùs enarrata, & *in proximè subsequenti probatione* ulteriùs recensenda, jure in hunc Franciæ Regem transtulit illud Imperium; sicque adeò Caroli Magni per Leonem III. peracta coronatio non fuit nuda cæremonia, sed stipata authoritativâ Imperatoriæ dignitatis collatione.

PROBATIO II.

Prioris continuativa, argumentique *præcedentis §. à n. 92.* deducti confirmatoria.

155. DEmonstrato jam legitimo Pontificis Romani jure, ad Occidentalis Imperij in Carolum Franciæ Regem factam translationem, attentis etiam, quæ tum ex Authore *Regalis Sacerdotij antecedenter*, tum proximè ex Bellarmino seu historicorum, seu Imperatorum, ac Principum, seu Summorum Pontificum attestationibus proferebamus, haud difficile est dijudicare, quòd etiam *ex parte Facti* interveniat talis rei status, ut per jus illud Oecumenici Pastoris, Ecclesiæque virgam correctoriam supra quocunque super terram ad regnum cælorum ordinabili, secundùm publicam præcipuè fidei ac Religionis utilitatem, seu necessitatem protendi potentem, omni ex parte fuerit justa Imperij Occidentalis à Græcis in Carolum Magnum translatio. Cujus justitia, quantum est *ex parte facti*, ut magis adhuc eluceat, operæpretium est visum, succinctam ejus rei seriem historicam ex Hermanni Hermis *Jure publico cap. 3. à n. 3.* hìc attexere.

156. Cùm nempe Romani Pontifices ab Orientalibus Imperatoribus contra Longobardorum sævitiam opem implorâssent, frustra autem, tum quòd vix vires suppeterent ijs propter vicina loca à Saracenis, Avaribus, Bulgaris & Huñis, & alijs tuenda, tum quòd Constantinopolitani Imperatores in Iconomachiæ hæresin lapsi, cum Pontificibus, ipsorum hæresi adversantibus, simultates habebant, qui non tantùm sacras Imagines Constantinopoli, & in Oriente impiè abradi jusserant, sed idem Romano Pontifici sub pœna mortis persuadere volebant; quorum amentiam Gregorius II. Pontifex non solùm contempsit, sed etiam in Missarum solemnijs Orientalis Imperatoris nomen reticeri voluit, ejus imaginem Romæ in nummis cudi, & Leoni Iaurico tributa & vectigalia tam Italiæ, quàm Urbis Romæ sub anathemate solvi vetuit, unde quidquid in Occidente Imperatoribus Constantinopolitanis supererat, amiserunt. Hinc Pontifex Gregorius II. ad Francorum Regum opes longè lateque per Occidentem florentes confugit, eos contra Longobardos evocando, cumque Carolus Martellus Francorum Dux pro Papa Gregorio apud Luitprandum Regem precibus egisset, ejusque filius Pipinus vel hortatu, vel rogatu Stephani Papæ contra Arstulphum armis usus esset. *Cap. Hortatu. 10. 23. q. 8.* tandem paternæ & avitæ pietatis hæres Carolus Magnus Romanam Sedem & Urbem pro Hadriano Papa contra Desiderium Longobardum tutatus est. *Dicto cap. 10. juncto cap. Hadrianus. 22. dist. 63.* & devictâ Papiâ cepit Desiderium Regem. *dicto cap. 22.* Qui Carolus, cùm Sedem Romanam opibus, & temporali ditione extolleret, Ravennam cum Exarchatu &c. de Longobardis capta Sedi Apostolicæ largitus esset, à Papa, Francorum primò, mox Longobardorum Rex inunctus & Patricius Romanorum creatus, quæ tum suprema in Urbe erat dignitas. Cùm insuper in Occidente Constantinopoli Eirene mulier, filio Constantino oculis privato, Imperij habenas sola tractaret, hâc occasione Leo III. Papa populi scitu, & Cleri rogatu, Carolum Magnum ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita, Romanorum Imperatorem Occidentis primò, & inunctum, ac diademate aureo redimitum Augustum appellavit 8. Calendas Januarij, ipso die Natalis Christi anno Christi 801. & subsecuta est mox populi acclamatio. Sicque primus ex Francis Romæ Veteris, & Occidentis Imperator creatus est, Majorum Romano more, regnandi jure Occidenti restituto. *Coring. de Rom. Imp. n. 24.*

157. Quâ *Facti* specie ob oculos positâ, eam conferendo cum ijs, quæ ex *Divini* Juris oraculis, naturæque lumine notis principijs inter se combinatis, per consequentiam verè Theologicam sunt deducta, cuivis haud difficulter patebit jam omninò probata justitia illius actûs, quo Leo III. Imperium Occidentale Græcis justè ademptum, jure meritò transtulit in Franciæ Regem Carolum Magnum. Ex quo seu virgæ correctoriæ, seu authoritati-

thoritativæ, quodcunque super terram, quâ ad regnum cælorum, seu publicam Ecclesiæ necessitatem, aut utilitatem ordinabiles solvendi, vel ligandi potestatis jure, facilè quoque evincitur justitia illorum à varijs Pontificibus super Reges & Principes exercitorum actuum, & *supra §. 2. n. 33.* recensitorum, ac reductorum ad Pontificiæ super Reges ac Principes potestatis protensionem comprobandam.

158. Unum supererst, super quo dubium moveri posset; *An, si ex Longobardiæ Regibus adhuc Ethnicis contigit, Ecclesiæ Romanæ jura turbari, indeque à Pontifice accitis Galliæ Regum armis, Regno suo, seu ejus saltem parte spoliari, quo justitiæ titulo id fieri potuerit, dum hujusmodi Rex Ethnicus non subyciebatur illi Pontificis Oecumenicæ potestati?* Verùm ista difficultas haud dispar est ab illa, quæ hujus *Articuli 1. Disquisit. 1. n. 21. & 22 ac 23.* mota, & solutâ fuit. Etenim si duæ, quarum neutra est alteri subordinata, supremæ potestates eatenus concurrant, ut una involet in jura alterius, tunc ista hæc potest justo bello hanc injuriam publicam eatenus à se propulsare, ut secundùm luminis naturalis certa principia, victor possit, hostem jure suo Regio spoliare, sibique regni bello parti jus vendicare. At de fide est, Papæ authoritatem esse supremam, quæ nullum in terris superiorem valeat agnoscere. Hoc igitur fidei principium cum illo naturalis luminis principio combinando, *Theologicè* infertur, Papam posse ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subjectum, attamen Ecclesiæ publicum hostem, juriumque ejus aggressorem debellandum, authoritate suâ Pontificiâ in subsidium accersere Regum Christianorum arma, eumque ab hisce devictum spoliare jure regni sui, atque hoc vel sibi vendicare, vel Regibus, quorum armis vindicatæ sunt eæ contra Deum, ac Christum, ejusque Ecclesiam, authoritatemque supremam Oecumenicam, ab Ethnico Rege illatæ injuriæ.

PROBATIO III.

Petita *ex Cap. Venerabilem 34. De electione.*

159. EX hujus namque sacri Canonis litterâ patet, Pontificem in eo esse intentũ servandæ justitiæ, tum sibi, tum Germaniæ Principibus debitæ, quibus jus esset eligendi Regem in Imperatorem posteà promovendum. Eo ipso autem, quòd jus eligendi ad Principes Germaniæ pervenerit ab Apostolica Sede, Romanum Imperium à Græcis in personam Caroli Magni, sicque in Germaniam transferente, justitia exigit, ut Principes Germaniæ hoc jus in Sede Apostolica recognoscant, quemadmodùm aliqui & litteris, & suâ præsentiâ recognoverunt in tantum, quòd jus & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendum ad Imperium, spectet ad summum Pontificem, à quo & inungitur & coronatur. Hoc verò examinandi jus ejus debet esse conditionis, ut ejicere valeat Electum, si repertus fuerit inhabilis; quemadmodùm declaratur *ibidem*, reprobando indignam personam Ducis, à plerisque Principibus jus eligendi obtinentibus perperam electam, ut propterea meruerint pro ea vice amittere hoc privilegium, qui permissâ abusi sunt potestate.

Excipiet aliquis, hæc à Summo Pontifice 160.
asserta, non tam probari, quàm supponi.

Verùm quod *ibidem* supponitur principium, in eo se tenet, ceu totius Canonicæ illius sanctionis principium, quòd nempe Sedes Apostolica à Græcis in Carolum Magnum, indeque in Germaniam transtulerit Romanũ Imperium. Hæc autem translatio per Sedis Apostolicæ authoritatem facta, est indubitatæ veritatis, dũ nulli seu populo, seu Regi, seu cuicumq; alij politicæ potestati potuerit alia esse authoritas super Imperatoribus Græcis ad eos privandos jure Occidentalis Imperij, dum neque justus belli titulus ad hoc faciendum tunc intervenerat; prout hæc *superiùs* extant clarè probata. Econtra verò respectu Oecumenicæ & Apostolicæ potestatis, tam in via *Facti* intercessisse causæ æquitatem, quàm pro via *Iuris* ad id præstandum interveniisse authoritatem ex parte Summi Pontificis, extat *superiùs* probatum ex indubitatis fidei principijs. Et hinc dum certò noscitur, nullo id negare unquam ausо, Carolum Magnum in Occidentis Imperatorem à Summo Pontifice coronatum esse, cùm antecedenter ad istam coronationem, nullâ prorsus politicâ, sed solius Papæ authoritate potuerit facta fuisse Romani Imperij à Græcis in Carolum Magnum translatio, indubitanter verum supponi debet, quòd coronatio illa stipata fuerit authoritativâ per ipsum Pontificem coronantem factâ, juris Imperatorij in Carolum translatione.

At hoc præsuppositо, non jam ex *generalibus* duntaxat Pontificiæ super Reges sacris Litteris probatæ authoritatis principijs, sed ex *speciali* jure, Summus Pontifex potuit, ac etiam pro semper potest sibi vendicare potestatem tum confirmandi Regem Romanorum electum, sub prævio de habilitate examine promovendum in Imperatorem: tum consequenter reprobandi, si repertus fuerit inhabilis. Eo ipso autem, quòd Pontificiâ authoritate sic ad Germanos translatum sit Imperium, *speciali* insuper jure Sedes Apostolica habeat sibi obstrictum Imperatorem, ut teneatur Ecclesiæ Romanæ esse defensor & advocatus. Ex hoc autem *speciali* jure fas est eidem Sedi Apostolicæ, si electus repertus sit inhabilis, ac eapropter reprobatus, providendi sibi de Imperatore, alterutri Electorum inter se divisorum parti accedendo, ne Sedes Apostolica carere debeat advocato & defensore, sicque Electorum culpa redundet ipsi in pœnam. At verò ex illo ipso etiam principio de Occidentis Imperio per authoritatem Pontificiam in Germanos translato fit insuper consequens, Summo Pontifici fuisse inde jus quæsitum, tum statuendi de norma electionis hujusmodi, tum consignandi certos Principes, quibus hoc eligendi jus appropriaretur. 161.

Probatur istud subsumpum. Nam ipsa ratio naturalis dictat, jus Imperij legitimâ authoritate ademptum Græcis, in hunc primitùs 162.

con-

conceſſiſſe, qui hoc jus Græcis legitimè ademit. Ex quo proinde eatenus eſt derivatum in Carolum Magnum, ut penes ipſius ſtirpem maſculinam ſubſiſteret jure hæreditario, quamdiu ſupereret, qui habilis eſſet gubernando Imperio, cujus habilitatis ratio ab Eccleſiaſtica poteſtate, ex præinſinuati Juris titulo dijudicanda fuerat, ubi Carolo Simplici, ultimo ex Carolinâ maſculinâ ſtirpe progenito repudiato, Magnates Germaniæ Ducem Saxoniæ Imperio præficiendum ſanxerunt. Ubi namque jus hæreditariæ in Imperio Occidentali ſucceſſionis, in Carolina ſtirpe exſpiravit, penes Principes Germaniæ jus eligendi Imperatorem, nullo juſto titulo ſubſiſtere poterat, niſi dependenter à Sede Apoſtolica, à qua jus Imperij à Græcis juſtè ademptum, in ejus poteſtatem tranſierat, & hinc in Carolum Magnum, ejuſque maſculinam duntaxat ſtirpem ſucceſſionis hæreditariæ titulo translatum fuerat, penes Sedem Apoſtolicam reſidente radicati quaſi primævi juris, uti dictum, ſibi quæſiti facultate. Ex cujus proinde diſpoſitione neceſſariò pendere debuit ulterior Imperij intrà Germanos prorogatio, dum iſti neque hæreditariæ reſpectu Caroli Magni ſucceſſionis ratione, neque alio ſuper jus Imperij à Græcis adempti juſto titulo, ex tunc potiebantur.

PROBATIO IV.

Deſumpta *ex Clementina unica. De jurejurando.*

163. EX hâc namque Clementis V. in Concilio Viennenſi editâ conſtitutione conſtat, Germanos Principes Orthodoxos haud indignum reputâſſe, ut ſua ſubmitterent capita Romano Pontifici, à quo approbationem perſonæ ad Imperialis celſitudinis apicem aſſumendæ, nec non hujus unctione, & Imperij coronâ accipiunt. At eo ipſo, quòd iſta coronatio non ſit nuda, ſed ſtipata jure approbandi, ſeu confirmandi, apertè ſequitur, quòd in vi hujus juris, Romano Pontifici ſit authoritas ſuperioritatis erga Imperatores, idque non ex generali duntaxat ſuper cunctas Chriſti oves, eorumque quodcunque ſuper terram *morale*, quâ in regnum cælorum ordinabile, Oecumenicæ poteſtatis titulo, ſed ex hoc inſuper in eadem Clementina aſſerto fundamento *ſpecifico*, quòd *Sedis Apoſtolicæ authoritate jus, Imperij à Græcis ademptum, ſit translatum in Germanos.*

164. Ex quo proinde *ſpecifico* Eccleſiæ Romanæ erga Imperium Romanum titulo, non potuit non eſſe conſequens, ut, poſtquam extinctâ ſtirpe Carolinâ, nullum in Imperio Romano hæreditariæ ſucceſſionis jus ſupererat, Imperatoriæ dignitatis in Germanis prorogatio, penderet ex eadem Sede Apoſtolica, utpote jus Imperij à Græcis adimente, atque in Carolum Magnũ, ejuſque ſtirpem maſculinâ transferente, nec, ſub primæva ejuſdem juris translatione ulteriorem ſtirpe Carolinâ ſucceſſionem ſtatuente. Unde hâc ſtirpe extinctâ, opus fuerat novâ proviſione ſuper talem pro futuro prorogationem, non per alium potente fieri, quàm ab illo, qui Imperium Græcis ademptum, ſui primitus juris fecerat. Ex cujus proinde juris titulo præfatus Pontifex *in dictâ Clementinâ* meritò ſubinferebat, *à Sede Apoſtolicâ ad certos Principes jus eligendi Regem, in Imperatorem poſteà promovendum, perveniſſe.*

Ex eodem etiam titulo jus *ſpecificum* eſt 165.
Romano Pontifici, Regem Romanorum à Principibus electum, & ab illo approbatum, ſecundùm dictam Clementinam adſtringendi vinculo juramenti, prout tam mos obſervationis antiquæ temporibus noviſſimis renovatæ, quàm forma juramenti hujuſmodi ſacris inſerta Canonibus *diſt. 63. Cap. Tibi ſoli.* manifeſtant.

PROBATIO V.

PEtita ex jure eligendi Imperatoris, certis Germaniæ Principibus conceſſo à Summo Pontifice.

Quæ in argumento *quinto* circa hanc rem 166.
deducta habentur, videri poſſunt ſufficere ad præſens inſtitutum. Ne tamen hâc etiam in parte ſteriles ſimus, ex Bellarmino ſequentes inſtituti hujus probationes hîc producendas duximus. Hic igitur S. R. Eccleſiæ Cardinalis *lib. 3. de translat. Imperij cap. 3.* contra Illyricum Lutheranæ hæreſeos ſectatorem regantem, *jus eligendi Imperatorem authoritate Summi Pontificis eſſe certis Germaniæ Principibus conceſſum,* hunc in modum procedit.

Primus, inquiens, hujus rei teſtis ſit Inno- 167.
centius III. quem Illyricus teſtem eſſe dicit omni exceptione majorem, is enim diſertis verbis teſtatur, à Sede Apoſtolicâ ad certos Germaniæ Principes poteſtatem eligendi Reges Romanorum perveniſſe. *Verùm* (inquit *in Epiſt. ad Ducem Thuringiæ*, unde extat *cap. Venerabilem. De electione*) *illis Principibus jus, & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodùm promovendum, recognoſcimus, ut debemus, ad quos de jure, & antiquâ conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cùm ad eos jus, & poteſtas hujuſmodi ab Apoſtolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperiũ in perſona magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos.* Hæc ille. Qui etſi non meminit Gregorij V. tamen id affirmat, quod potiſſimùm hoc loco probare intendimus. Innocentium ſequuntur ex Italicis, & Gallicis ſcriptoribus Henricus Hoſtienſis, S. Thomas Aquinas, B. Auguſtinus Triumphus, Alvarus Pelagius, & Joannes Villanus, *ſupra citati*: nec non Philippus Bergomenſis *lib. 12. Supplementi Chronicorum*: Blondus Flavius *lib. 3. Decadis 2.* Baptiſta *in vita Gregorij V.* Raphael Volaterranus *lib. 22. Antropologiæ*: Polydorus Virgilius *lib. 4. de Invemoribus rerum. c. 7. aliàs 10.* Item Joannes Andreas *in cap. Ad Apoſtolicæ. De ſent. & re judic. lib. 6. & in Cap. Venerabilem. De elect.* Cardin. Floren. *in idem cap. Venerabilem. §. 1. col. 3. in 6. quæſt. num. 7.* Alterius *in lib. Bene à Zenone. num. 5. de quadrien. præſcript.* Baldus *in ſua Margarita. verbo Annus.* S. Antoninus *part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 13.* Andreas Alciatus (quem

virum doctissimum, atque historiarum peritissimum vocat Illyricus *pag. 57.*) *in Commentario Legis Bona civitas. ff. De verb. significat.* & *in libro de singulari certamine cap. 32.* Multi præterea cum Jureconsulti, tum Historici, quos longum esset recensere.

168. Ex Germanis habemus in primis Jordanum quendam, quem ipse Illyricus citat *pag. 90.* cujus hæc sunt verba *in lib. de Translat. Imperij. Factum est, quòd S. Carolus Magnus Imperator de consensu, & mandato Romani Pontificis ordinationem sibi Divinitus inspiratam instituit, & præcepit, ut Imperium Romanorum apud electionem Canonicam PrincipumGermanorum in perpetuũ remaneret.* Hæc ille. Certè autẽ, si Carolus Imperator jussu Romani Pontificis Electores Imperatoris instituit: ejus institutionis auctor primus, ac præcipuus Summus Pontifex fuit. Si quidem in re quavis, major est auctoritas ejus, qui jubet, quàm ejus, qui alterius jussum exequitur.

169. Jacobus quoque Wymphelingius, auctor item Germanus, *in Epitome Rerum Germanicarum cap. 20.* sic ait. *Gregorius, cognitâ Imperij imbecillitate, varietatéq; fortunæ: útque is, qui cæteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate: sanctionem tulit, haud abnuente Othone, de Imperatore deligendo, Anno Christi 1002. quam usq; ad nostra tempora servatam videmus, videlicet solis Germanis licere Principem eligere, qui Cæsar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur, si eum Romanus Pontifex inunxisset.*

Albertus Kranzius, & ipse Germanus *l. 4. Saxoniæ cap. 25. Gregorius* (inquit) *ad undecimum, quo abfuerat, mensem restitutus, acerrimam de accepta à Romanis injuria ultionem sumpsit. Paulò enim posteà, quàm redierat, eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam hucúsq; per annos jam quingentos servatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores sunt dicti, Principem deligere; qui Cæsar tunc, & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabatur, Imperator Augustus appelletur.*

Joannes Nauclerus natione Germanus, *in 2. volumine Chronographiæ generatione 34.* ita scribit: *Salvari potest, quod ex monumentis Aquilejensis Ecclesiæ traditum invenitur, sanctionem de Imperatore à Germanis deligendo, Sylvestri temporibus factam esse, etsi Gregorius sanctionem instituerit, ille tamen Sylvester electionem primam juxta sanctionem factam approbavit.* Et infrà: *Anno salutis secundo supra millesimum, Othone III. mortuo, Germani Electores concesso juri per sanctionem Gregorij V. & Othonis III. primùm innitentes, Henricum Ducem Bavariæ, Comitẽ Bambergensem, Claudium posteà dictum, Cæsarem declarant.* Hæc ille.

His adde Joannem Carionem *lib. 3. Chronici*, & Joannem Cuspinianum *in vita Othonis III.* & ipsum Illyricum cum collegis suis Magdeburgensibus Centuriatoribus. Omnes enim isti disertis verbis docent, aut Gregoriũ Pontificem, aut certè Othonem, ope & authoritate Gregorij sanctionem illam de Electoribus edidisse. Ac ut Illyricus intelligat, quanti faciamus gravissimam ejus, collegarumque ipsius authoritatem, testimonium jam ante *in cap. 1.* adscriptum, hoc etiam loco in ejus gratiam iterum adscribemus. Sic igitur habet *Cent. 10. cap. 10. col. 546. Gregorius suam patriam insigni aliquâ dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos jus esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Augustus appellaretur.* Hæc ille.

Accedant postremò gravissima testimonia, unum Concilij Generalis, alterum ipsorum Electorum. Exstat enim in Clementina. *Romani Principes. De jurejurando.* decretum Concilij Viennensis Generalis, in quo hæc habentur verba: *Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes jus, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, pervenit.* Exstat item Electorum Imperij publicum Instrumentum ad Nicolaum III. Pontificem missum, ex autographo descriptum, quod Romæ in arce Angeli conservatum ex integro ibi profert prætactus Cardinalis, in cujus exordio inter cætera in rem præsentem facientia, apertè dicitur: *Quòd Romana Ecclesia in Germania plantaverit Principes tanquam arbores præelectas, quibus dederit illud potentiæ mirandæ incrementum, ut ipsius Ecclesiæ authoritate suffulti, per ipsorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret Imperij, germinarent.* 170.

§. V.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta *Ex Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Ex Cap. Grandi. De supplendâ negligentiâ Prælator. in 6.* & *Extravagante unica. Si Fratrum. Ne Sede vacante.*

ARGUMENTUM I.

Ex Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi..

171. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 2.* argumentatur I. ex *præcitato* Innocentij III. sacro Canone ita se habente: *Tua nobis humilitas supplicavit, ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quò minùs tibi succederent, natalium objectio non noceret &c. Videbatur autem (ea supplicatio tua) ex eo trahere majorem audaciam postulandi, quòd cum Regis Francorum filijs de benignitate Apostolicæ Sedes dispensavimus &c. Rationibus autem hisce inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex Veteri, quàm Novo Testamento trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem* casualiter *exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, sed quia, sicut* in Deuteronomio *continetur:* Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intrà portas videris verba variari; venies ad Sacerdotis Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, & facies, quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam: qui autem superbierit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Judicis morietur.

172. *Sanè cùm Deuteronomium* Lex secunda *interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut, quod ibi decernitur, debere in Novo Testamento servari: locus enim, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur &c. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officij Coadjutores existunt. Is verò super eos Sacerdos, sive judex existit, cui Dominus inquit in Petro:* Quodcunque ligaveris super terram, erit & ligatum in cælis &c. *Ejus Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, judex vivorum & mortuorum. Tria quippe distinguit judicia, primum inter sanguinem & sanguinem, per quod criminale intelligitur & civile. Vltimum inter lepram, & lepram, per quod Ecclesiasticum denotatur & criminale.* Medium *inter causam, & causam, quod ad utrumque refertur tam Ecclesiasticum, quàm Civile: in quibus, cùm aliquid fuerit difficile & ambiguum, ad judicium est Sedis Apostolicæ recurrendum, cujus sententiam, qui superbiens contempserit observare, mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam, ut potestatis plenitudinem exponeret, ad Corinthios scribens, ait:* Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia? *Licèt igitur cum filijs sæpe dicti Regis (de quibus, an fuerint legitimi ab initio dubitabatur) duxerimus dispensandum: quia tamen Lex tam Mosaica, quàm Canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur, testante Domino, quòd spurij usque ad decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt: Canone verò vetante, tales ad sacros Ordines promoveri: sæcularibus quoque legibus non solùm repellentibus eos à successione paternâ, sed negantibus ipsis etiam alimenta: petitioni tuæ non duximus annuendum.*

173. Ex qua proinde Decretali dictus Author animadvertendum admonet, quòd Summus Pontifex apertè testetur, se in locis, dominio suo temporali subjectis, plenam exercere jurisdictionem temporalem, in alijs verò locis non plenam, sed limitatam, certisque ex causis: idque jure non tam voluntarij compromissi (de quo nullum dubium esse potuit, cùm hoc non in solam personam Summi Pontificis cadat) sed jure Divino expresso *Deuteron. 17. & ad Corinth. 1.*

Objectio.

174. EX hâc ipsâ ratiocinatione videtur difficultas excitari, quomodò dispensatio pro filijs Regis Francorum facta, filijs autem Comitis Pessulani negata, reduci valeat in jus Deuteronomij?

Responsio.

175. VErùm tota causæ istius expeditio videtur explicari posse sub isthâc formâ syllogisticâ. Quæ enim potestas judiciaria discernendi inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, jure Deuteronomij competebat sacerdotio Veteris Testamenti, majori cum eminentiâ est per Christum in Novo Testamento concessa authoritati Apostolicæ, in Romano Pontifice jam subsistenti. At ipsissima hæc Apostolicæ authoritatis Petri successori Romano Pontifici competentis potestas continetur Christi Domini verbis: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & cælis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Hæc verò Clavium potestas non est minoris virtutis, ac fuerit Apostolica Paulo delegata authoritas, quam ad sæcularium causarum judicium protendi, apertè contestatus est is Apostolus: eò vel maximè, quòd Petro, ejúsque successori per Christum destinata Clavium potestas, clarè extendatur ad quodcunq; super terrâ pro causarum meritis seu solvendum, seu ligandũ. At eo ipso, quòd ista Claviũ potestas ex Christi Domini institutione, habeat ordinem ad regnum cælorum, non nisi sub statu causæ, salutem æternam, Ecclesiæque sanctæ Bonum, seu fidei, ac Religionis veræ publicam utilitatem respicientis, ad usum reduci potest. Hoc igitur ad regnum cælorum servato ordine, Summus Pontifex Innocentius III. secundùm causarum differentias, uni meritò concessit, alteri jure negavit, Juris tum *Canonici*, tum *Civilis* dispensationem, in ordine ad temporalis quoque hæreditatis, ex legum *Civilium* dispositione illegitimis denegatæ successionem.

ARGUMENTUM II.

Petitum *ex Cap. Grandi. De supplendâ negligentia Prælatorum. in 6.*

AUthor *Regalis Sacerdotij præs. §. 10. n. 3.* argumentatur 2. ex *præallegato* Canone Innocentij IV. rescripto ad Barones & Comites Portugalliæ ita se habente: *Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum Regis Portugalliæ fratrem de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, præsertim cùm ad defensionem Ecclesiarum, monasteriorum, aliorúmque piorum locorum Regni præfati, & personarum Ecclesiasticarum, nec non viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium sit assumptus, cùm ad vos accesserit (fidelitatè, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus fortè præfato Regi, vel cuicunque personæ tenemini, aut etiam ipsius Regis prohibitione nequaquàm obstantibus) in civitatibus, & munitionibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere absque difficultate qualibet procuretis. Alioquin Venerabilibus Fratribus nostris Bracharensi Archiepiscopo, & Episcopo Conimbricensi damus in præceptis, ut vos per censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio prædictum Regnum adimere: sed potiùs sibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis consulere.* 176.

Ex qua Decretali *præcitatus* Author infert, manifestum hinc reddi, Regno, & Ecclesiâ periclitante, cujus Advocati sunt Reges, posse Summum Pontificem, legitimum alioquin Regem administratione ptivare, Coadjutorem illi, aut Vicarium dare, subditos juramento fidelitatis absolvere &c. Et hæc omnia 177.

nia præstare Pontificem suo jure, in conspectu totius Galliæ, utpote intrà Concilium Universale Lugdunense, ejusdem Galliæ Prælatis ibidem præsentibus, necquidquàm refragantibus ei Pontificiæ in Gallijs exercitæ potestati.

Reflexio.

178. SUper isthac ratiocinatione faciendo reflexionem, videtur, singularis argumenti pondus Pontificiæ supra Reges authoritati accessisse ex Galliæ Episcoporum in Concilio Lugdunensi tunc coadunatorum tacitâ comprobatione, cùm nisi in jure Divino fundata esset ea potestas, meritò debuissent Pontifici resistere, ad evitandas gravioris momenti consequentias, suum quoque Regem attingentes.

179. Sed quod, inquies, est jus Divinum Pontificiæ supra Reges potestatis constitutivum, nisi clavium à Christo sancita authoritas, sub ordine ad regnum cælorum, atque adeò in Ecclesiæ, ac Religionis sanctæ necessitate, potens quodcumque super terram seu ligare, seu solvere? Quandoquidè igitur in illa Decretali Innocentius IV. pro suæ constitutionis fundamento posuerit Regni illius ex Regis inhabilitate periclitantis necessitatem spiritualem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, vel etiam miserabilium personarum ex virtutis seu Religionis, seu pietatis, ac misericordiæ exigentiâ meritò sublevandam, ejusdem Regni propemodùm destruendi necessitate temporali non aliter, quàm in ordine ad Ecclesiæ Bonum, publicumque Religionis, aliarumque virtutum utilitatem præ oculis habitâ; ideo in aperto est, illam Decretalem optimè fundari in indefinitâ supra quodcunque, quod est super terram, qua ad Regni cælorum ordinem reducibile, protensa Clavium Apostolicarum potestate.

ARGUMENTUM III.

Desumptum ex *Extravagante unicâ. Si Fratrum. Ne Sede vacante.*

180. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 8.* argumentatur 3. ex *prælegatâ Extravagante* Ioannis XXII. cujus tenor est talis: *Si Fratrum, & Coepiscoporum, & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fortè dispendio diminutionis extraneæ cupimus, multò fortiùs pro nostris & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus & honoribus conservandis, ex injuncto nobis officij debito, Apostolicæ provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant. Sanè in nostram & Fratrum nostrorum deductum est notitiam, quòd, licèt de jure sit liquidum, & ab olim inconcussè servatum, quòd vacante Imperio, cùm in illo ad sæcularem Judicem nequeat haberi recursus, ad Summum Pontificem, cui in persona Petri, terreni simul & cælestis Imperij jura Deus ipse commisit, Imperij prædicti jurisdictio, regimen, & dispositio devolvantur &c. Nos igitur volentes nostris, & Ecclesiæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis, ac scandalis, quæ ex retentione, assumptione, seu resumptione hujusmodi orta sunt hactenus, nec non periculis animarum salubriter occurrere cupientes, præsentium authoritate monemus omnes sub excommunicationis pœnâ, cujuscunqui status &c. existant, etiamsi Regiâ &c. præfulgeant dignitate, qui post vacationem Imperij absque Nostrâ, vel Sedis prædictæ licentiâ hujusmodi Vicarij nomen assumpserunt, vel retinuerunt, ab usu, potestate & exercitio suprà dictis prorsus abstineant, & omninò desistant. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui hujusmodi Vicariatûs nomen retinentibus juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi, quantum ad hoc, de potestatis plenitudine absolventes, Apostolicâ authoritate firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut Vicarijs, vel Officialibus Imperij, aliquatenus pareant, vel intendant &c.*

Ex qua Decretali Author *præcitatus* infert, 181. clarè patêre, quòd Petro cælestis simul & terrestris jura Imperij sint commissa. Unde quando sæcularis Judicis copia non est, recurri ad Summum Pontificem posse: & si propter eligentium discordias, Imperium & consequenter Ecclesia, cujus Advocatum Imperator agit, periclitatur; posse summum Pontificem Electis & Electoribus imperare, quæ componendæ paci necessaria fuerint.

Reflexio.

SUper hac ratiocinatione animadvertendum 182. occurrit, quòd in communia duntaxat authoritatis Oecumenicæ jura *superiùs* deducta reduci videatur, cùm tamen prætacti Canonis constitutio fundata credi possit super jus speciale Summi Pontificis, radicatum ex Imperij Græcis adempti in Germanos translatione, cùm cæteroqui difficile foret, Imperij vacantis vicariatus ad Sedis Apostolicæ arbitrium, verbis, uti sonant, adeò illimitatis revocare. De quo proinde punctò *inferiùs* accuratiorem habebimus discussionem.

CONCLUSIO.

POntificia super Reges authoritas, 183. publicâ præcipuè Ecclesiæ, seu Religionis necessitate exigente Regiæ potestatis seu confirmatoriam, seu moderativam provisionem, seu singularem etiam quoad temporalia dispensationem Apostolicam, liquidò demonstratur *ex Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Ex Cap. Grandi. De supplendâ negligentiâ Prælatorum. in 6.* ac *Extravagante unica. Si Fratrum. Ne sede vacante.*

Explicatur per argumenta *præcitati* Canonis *Per venerabilem.* Ex cujus visceribus *à n. 171.* inducitur in signis ex Antiqui Fœderis sacris Litteris, Noviquè Testamenti Divinis oraculis inter se collatis Oecumenicæ Pontificiæ authoritatis super causas qua *Civiles* protensæ probatio, quam sub syllogisticâ expensam methodo ostendimus, magnâ pollere rationis Divinæ energiâ, ad institutum illud Theologicè demonstrandum. Exinde *à n. 176. ex Cap. Grandi.*

Grandi. De supplendâ negligentiâ Prælat. deducitur solidum argumentum ad Pontificiæ super Regum jura, eisque connexas prærogativas, potestatis extensionem comprobandam, uberiori per nostram reflexionem *à n. 182.* ejusdem argumenti firmitate ostensâ.

Pro quibus adeò fundamentis seu magis consolidandis, seu adversæ parti magis acceptis reddendis, visum est, loco nostrarum probationum hìc attexere, quæ insigne Gallicanæ Ecclesiæ Lumen Cardinalis Eduensis Bertrandus in Bibliothecæ sanctorum Patrum *tom. 4. Parisiensis de anno 1610. editionis pag. 1104.* relatus, in lucem ante sexcentos annos edidit, sub isthâc disquisitione: *Vtrùm spiritualis potestas debeat dominari temporali?*

PROBATIO I.

184. IN qua prætacti Cardinalis Eduensis super præductâ disquisitione adfertur solidissima resolutio, fundata in prætacto Canone *Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.*

Hoc igitur Ecclesiæ Gallicanæ Lumen præcipuum, super præinsinuatâ disquisitione responsurus, adducit inprimis argumenta pro parte *negativâ*. Videtur, inquiens, potestas spiritualis haud debere dominari temporali potestati; quia jurisdictiones sunt distinctæ, ut *in Authent. Quomodò oporteat Episcopos &c. in principio. collat. 1. De consecrat. dist. 3. Cap. Celebritatem. in fine.* Non ergo Papa debet se intromittere de potestate temporali, sed debet temporalia dimittere Imperatoribus, Regibus, & alij Dominis temporalibus. *8. dist. Cap. Quo jure argument. Extra. Qui filij sunt legitimi. Cap. Lator. Cap. Causam*: aliàs poneret falcem suam in messem alienam. *De election. Cap. Venerabilem.* Quod non est faciendum. *ult. quæst. 3. Cap. 1.* Præterea secundùm Hugonem, Imperator à solo Deo habet potestatem in temporalibus: Papa verò in spiritualibus: & sic jurisdictiones sunt distinctæ, ut dicunt primæ concordantiæ. Et licèt Imperator coronam recipiat à Papa, gladium tamen ab altari recipit. *93. dist. Cap. Legimus.* Et etiam, fuit antè Imperium, quàm Apostolatus: propterea potestas spiritualis indiget temporali multoties. *23. q. ult. Cap. Administratores.* Ergo non dominatur ei. Præterea si spiritualis dominaretur temporali, haberet dominium temporalium, sed dominium earundem rerum non potest esse simul & semel in solidum eodem tempore apud plures: *ff. Commodat. Lege Si ut certo. §. Si duobus vehiculum.* Ergo nullus alter haberet dominium, quod est falsum: ergo &c.

185. Exinde progreditur ad argumenta spiritualis super temporali potestatis confirmatoria. Nam Christus Summo, inquiens, Pontifici commisit vices suas; uti habetur apud Matthæum, *& 24. q. 1. Cap. Quodcumque.* sed Christo *data erat omnis potestas in cælo & in terra apud Matthæum.* Ergo Summus Pontifex, qui est ejus Vicarius, habebit hanc potestatem. *Extra. De translat. Episcopi. Cap. Quanto.*

Quo præsupposito, respondet, asseverando, quòd potestas spiritualis debeat dominari omni humanæ creaturæ per rationes, quas Hostiensis induxit *in Summa. Qui filij sint legitimi. §. Qualiter, & à quo.* Item, quia Iesus Christus filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno *naturalis* dominus fuit: & de jure *naturali* in Imperatores, & quoscunque alios depositionis sententias ferre potuisset & damnationis, & quascunque alias, utpote in personas, quos creaverat, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiam conservabat; & eadem ratione ejus Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (ut cum reverentiâ ejus loquar) nisi unicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste Vicarius ejus Petrus apud Matthæum. Et idem dicendum est de successoribus Petri: cùm eadem absurditas sequeretur, si post mortem Petri humanam naturam à se creatam sinè regimine unius personæ reliquisset. *Argum. Ad hoc. Qui filij sint legitimi. Cap. Per venerabilem. ultra medium.* De hoc notat Innocent. *in Cap. Licèt. De foro compet.* Et ideo Bonifacius Octavus motus multis alijs efficacibus rationibus & exemplis, & authoritatibus sacræ Scripturæ, declaravit, & dixit, & definivit, subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, necessitate salutis; ut in Decretali *Vnam sanctam. Extravag. in titulo De majorit. & obedient.* habetur sancitum. 186.

PROBATIO II.

Prioris continuativa, atque argumentorum in contrarium adductorum confutatoria.

ETenim præfatus Cardinalis hisce in oppositum allatis argumentis ita respondet. 187.
Ad *Primum*, cùm dicitur, quòd jurisdictiones sunt distinctæ &c. dicit Hostiensis sic: ergo jurisdictiones assero, & utramque à Deo processisse, ut dictâ *Authent. Quomodò oporteat Episc.* ait: tamen quantò altera magis Deo appropinquat, tantò est major. Ergo sacerdotium majus: quod probatur ex ordine scripturæ *dictæ Authent.* Et sic intellige, quòd non multùm discrepant Sacerdotium & Imperium; ut *in Authent. De non alienand. & permutandis rebus Ecclesiæ. §. Si minùs. collat. 2.* Non multùm discrepant quoad principium, unde procedunt, sed multùm discrepant quoad majoritatem. Inde est, quòd caput Episcopi inungitur, sed armus Regis, & Episcopus chrismate, Rex oleo; ut sciatur, quòd Episcopus est Vicarius Capitis nostri, id est, Jesu Christi. Et ut ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem. *Extra. De sacra unctione. Cap. 1. versiculo, Vnde in Veteri Testamento.*

Et eodem modo respondetur ad *secundam* 188.
oppositionem. Et quòd dicitur, ante fuisse Imperium, quàm Apostolatum; hoc non facit ad propositum, quia potestas non dicitur ratione temporis major, sed ratione potiùs dignitatis.

nitatis. Nam etsi Andreas primus venit ad fidem, quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm in Apostolorum catalogo semper Petrus quasi præcipuus præmittatur: non quòd Petrus sit prior, sive potior tempore, sed potior dignitate.

189. Ad *tertium* argumentum dico, quòd, licèt (ut *suprà* dictum est) omnis humana creatura subsit Papæ, & sic potestati spirituali; non tamen sequitur, quòd habeat dominium omnium rerum temporalium. Ad cujus declarationem est sciendum, quòd est duplex dominium: est enim quoddam dominium jure *Divino*, quoddam aliud jure *humano*. *8. distinct. Cap. Quo jure. Divinũ* dominium est illud, quod est apud Deum supra omnem creaturam: ipse enim Deus creator est omniũ universorum, qui enim manet in æternum, *Creavit omnia simul* item in Genesi: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Et vide de hoc, quod notatur in *Cap. 1. De summa Trinitate & fide Catholica.* Isto jure *Divino Domini est terra, & plenitudo ejus. De decimis Cap. Tua nobis. dicto Cap. Quo jure.* Istud dominium est verum dominium simplex & absolutum; & unus est Dominus omnium creaturarum Deus, & ideo *propriè loquendo*, omnes creaturæ, proprietates, res, possessiones, & bona alia, in bonis nullius sunt verè, absolutè, & propriè, nisi Dei.

190. Circa quod dominium dicit Hostiensis *De voto & voti redempt. Cap. Quid super. in magnâ gloss. versiculo: Mihi tamen videtur sic*: Mihi videtur, quòd in Adventu Christi omnis honor, & omnis principatus, & omne dominium & jurisdictio de jure, & ex justa causa per illum, qui supremam manum habet, nec errare potest, omni fideli subtracta fuerunt, & ad fideles translata: quòd hoc justâ causâ, probat Sapiens: *Regnum de gente ad gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Quòd hoc factum sit, probatur *De constitut. Cap. Translato.* & hoc in persona Christi Filij Dei vivi, qui non solùm Sacerdos fuit, sed & Rex *Lucæ 1. Ecce concipies in utero: &c.* usque: *& regni ejus non erit finis.* Unde & ipse dixit apud Matthæum: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Hujus autem regni & sacerdotij principatum perpetuum commisit Filius Dei Petro, & successoribus ejus, ut patet in eo, quod legitur & notatur *De hominibus. Cap. 1. Pro humanitate. lib. 6. &c. Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legit. §. Rationibus: per totum*; & maximè *in versiculo finali.* Et de tali dominio *Divino* dico, quòd omnis temporalis potestas est subjecta dominio spirituali, & debet potestas spiritualis potestati temporali dominari. Aliud est dominium, quod secundùm Legistas vocatur *Legale* dominium, & ita nominat Accursius *ff. De verb. significat. Lege Rectè*: secundùm Canonistas verò vocatur *humanum*: ut *in dicto Cap. Quo jure.* De isto *Legali*, vel *Humano* dominio dicit Innocentius sic: quod est jus, quod ad aliquem spectat, vel acquiritur de jure *naturali*: ut sunt dominia, obligationes, & hujusmodi &c. innuens expresè, quòd rerum dominia & obligationes sunt de jure *naturali*, id est, de jure Gentium, non autem à jure *Civili*, vel Imperatore: ut actiones; uti *ff. De justit. & jure. Lege Ex hoc jure. Institut. Rerum divinarum. §. Ferè.* Ita notat Innocentius *de constitut. Cap. Quæ Ecclesiarum.* & Compostellanus dicit ibidem, quòd à jure Gentium descendunt dominia. Sed per leges Principum distinguuntur modi, per quos rerum dominia acquiruntur. *ff. De acquirendo rerum dominio. per totum. Et Institut. De rebus Divinis. per totum.* Et sic intelligit, quod legitur *8. dist. Cap. Quo jure*: & sic concordant in hoc, quòd dominia sunt de jure Gentium.

191. Sed videtur mihi, quòd dominium rerum *Legale* vel *Humanum* fuit à Deo collatum humanæ creaturæ, & non fuit ab initio introductum jure Gentium, vel *Civili*: nam Deus omnia, quæ creavit, fecit propter rationabilem creaturam, & omnia subjecit rationabili creaturæ, & sic reservato sibi universali, & vero dominio omnium creaturarum, hujus dominij utilitatem concessit ab initio humanæ creaturæ, quoad usum: quod videtur intelligere Accursius *Cap. De jure dominij. Lege In rebus. Super verbo naturaliter.* Vbi dicit, quòd jure primævo non distinguebantur dominia, nisi quantũ ad usum &c. Vnde ante jus Gentium omnia fuerunt communia, quoúsque jure Gentium usibus primorum parentum appropriarentur, ut unusquisque, quod suum esset, sciret. Vnde lex dicit, quòd jure Gentium dominia sunt distincta: non dicit introducta; ut *dictâ leg. ff. De justitia, & jure. Ex hoc jure.* Cùm enim jure Gentium dividantur dominia, sequitur, quòd ante divisionem erant dominia communia. *Argum. ff. Communi divid. Leg. 4. circa principium.* cum ibi notatis. Vnde ex concessione Divinâ utilitatis dominium causatur, quod est quoddam dominium *Legale*, vel *Humanum* respectu veri dominij *Divini*, non dicitur dominium, sed in se consideratum dicitur verum. Istud verò dominium *Legale*, vel *Humanum* (prout erat in communi) non debet dici juris Gentium, sed *Divini*: prout verò cuilibet appropriatur, vel acquiritur hoc dominium, sic consideratum est de jure Gentium. Et tale dominium non est apud Papam tantùm, sed apud omnes, qui justè acquirunt: & ex quo semel acquisitum est, non licet Papæ, vel alicui alteri auferre, vel occupare sinè justa causa: quia esset contra jus *naturale Divinum*, quo unicuique dictum est, *ne faciat alteri, quod sibi non vult fieri*; ut in principio Decretorum, & Dominus dicit in Esdra: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. 9. quæst. 1. Cap. Nullus alterius.* Facit ad hoc *Cap. De cohortat. Leg. Si quis. lib. 12.* Et hoc intelligo sinè causa: quia ex justa causa posset aliquis privari ab homine, vel à Jure tali dominio. *ff. De religionib. & sumptib. funerum. Leg. Si quis sepulchrum. Cod. Pro quibus causis servi lib. accip. per totum. & ff. & Cod. De bonis damnat. per totum.* Vnde per hoc respondetur ad argumentum, quòd quantum ad humanam creaturam, illa subest spirituali potestati, sicut dictum est. Sed dominia rerum aliarum esse apud singulos equi

justè

juſtè acquirunt, verum eſt de dominio *legali & humano*: ſed dominium Divinum eſt apud Deum; nec eſt contradictio, diverſis reſpectibus accepto dominio. Ad illa jura communia, quæ dicunt, quòd Imperator eſt Dominus mundi. ff. *Ad legem Rhod. De jactu. Lege Deprecatio.* reſponde, ut notatur *Cod. De quadri. præſcript. Lege Bene à Zenone.*

192. Ex quibus manifeſtum redditur, quæ Gallicanæ Eccleſiæ circa *primam* noviſſimi Cœtûs Pariſienſis propoſitionem mens ac ſententia extiterit, cùm is Eduenſis nomine Galliæ Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Anno 1329. coram Philippo Rege Francorum id ipſum, quod proximè ex ipſius calamo eſt aſſertum, fortiter propugnaverit; uti *ex antecedentibus in §. 2. à n. 25.* allatis deductionibus videre licet. Cujus autem hic Cardinalis in præſenti facit mentionem Extravagantis Bonifacianæ *Vnam ſanctam.* ejuſdem integrum tenorem cum argumentorum inde deductorum energiâ cernere licet *ſuprà §. 2. à n. 40.*

PROBATIO III.

Deſumpta *ex Extravagante. Si Fratrum. Ne Sede vacante.*

193. EX hâc enim Apoſtolicâ conſtitutione noſcitur Pontifex eam ſibi aſſeruiſſe poteſtatem ceu prorſus liquidam de jure, & ab olim inconcuſsè ſervatam, quòd nempe *vacante Imperio, cùm in illo ad ſæcularem judicem nequeat haberi recurſus, ad Summum Pontificem, cui in perſonâ Petri, terreni ſimul & cæleſtis Imperij jura Deus commiſit, Imperij prædicta juriſdictio, regimen, & diſpoſitio devolvatur. &c.* At licèt nonnemo fortaſſis poſſet eſſe ſolicitus, quomodò ex *generali* Oecumenici Paſtoralis officij jure Divinitus conſtituto, Papæ competat iſta Imperij vacantis juriſdictio, regimen & diſpoſitio. Attamen attento, quòd in vi illius Oecumenicæ Pontificiæ juriſdictionis fuerit à Papa Græcis jure optimo ademptum Occidentis Imperium, indeque in hujus Oecumenicæ poteſtatis jus tranſierit, atque hinc iſtius juris tranlatio legitimè ſit facta in Carolum Magnum, ejuſque ſtirpem maſculinam, hâc verò exſpirante, turſus oportuerit, jus illud devolvi ad Sedem Apoſtolicam, ſicque ex hoc jure authoritati Pontificiæ ſingulariter acquiſito, ſucceſſionem Imperatoriæ dignitatis juſtiſſimo titulo facere potuerit electivam, jure adeò eligendi per eandem Pontificiam authoritatem tranſmiſſo in certos tandem Germaniæ Principes: hiſce, inquam, *ſuperiùs* firmatis, & omnimodè probatis, præſuppoſitis principijs, facilè jam conſtat, ex quo fundamento Papa in dicta Extravagante de jure certo aſſerere potuerit, quòd, dum Imperium, cujus jus à Græcis ademptum, ſuæ inprimis Oecumenicæ authoritati accreverat, Capite, in quod Sedes Apoſtolica illud jus ſibi quæſitum tranſtulerat, defuncto, vacaret, ipſius ſic vacantis juriſdictio, regimen & diſpoſitio pro tunc devolvatur ad eandem Sedem Apoſtolicam. Ex quo ipſiſſimo igitur jure Pontifex potuit meritò abrogare Imperij Vicariatus, & quoſcunque Officialatus, quos citra ſuam authoritatem, vacante Imperio, aliqui Germaniæ Principes ſibi arrogârant, ſoluto etiam per authoritatem Oecumenicam fidelitatis juramento, quod ejuſmodi vicarijs præſtitum fuerat.

Atque ex hoc *ſpecifico* Sedis Apoſtolicæ jure provenit, ut Imperatores electi per Summum Pontificem confirmandi, & coronandi, debeant eidem præſtare juramentum fidelitatis, cujus modus & norma ſub hiſce verbis exprimitur *in Cap. Tibi Domino. 23. diſt. 63. Tibi Domino Ioanni Papæ ego Rex Otho promittere, & jurare facio per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per lignum hoc vivificæ Crucis, & per has reliquias Sanctorum, quòd, ſi permittente Domino, Romam venero, ſanctam Romanam Eccleſiam, & te Rectorem ipſius exaltabo ſecundùm poſſe meum, & nunquam vitam, aut membra, & ipſum honorem, quem habes, meâ voluntate, aut meo conſilio, aut meo conſenſu, aut meâ exhortatione perdes: & in Romana urbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, ſinè tuo conſilio: & quidquid de terra ſancti Petri ad noſtram poteſtatem pervenerit, tibi reddam: & cuicunque Italicum Regnum commiſero, jurare faciam illum, ut adjutor tui ſit ad defendendum terram ſancti Petri ſecundùm ſuum poſſe. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* 194.

§. VI.

Corollarium finale *ſecundæ* Diſquiſitionis.

EX dictis infertur 1. Quandoquidem Regiæ poteſtatis erga authoritatem Pontificiam ſubordinatio, & quoad publici etiam regiminis, quâ in regnum cælorum ordinabilis actus *morales*, ſubjectio per Pontificias ſanctiones noſcatur deducta ex claris fidei Divinæ principijs, an non meritò hinc ſit concludendum, quòd ea ſubordinatio per authoritatis Apoſtolicæ, ſupra petram, cui portæ inferi prævalere nunquam poterunt, fundatæ deciſionem ſit jam conſtituta ſuper candelabrum Eccleſiæ, per credibilitatis evidentiam ſub prudentiæ ratione *morali* non tantùm ſufficienter, ſed (ut ita loquar) convincenter applicata ad fidei Divinæ aſſenſum eidem præſtandum. 195.

Hinc conſequenter infertur 2. ſingularis induſtriæ laude & dignum præcellere *Regalis Sacerdotij* Summarium *cit. lib. 1. §. 19.* deductum, ac oſtenſivum, *quando, & ex quibus cauſis in particulari poſſit Summus Pontifex poteſtatem in Magiſtratus & Principes ſæculares exercere?* Sic ergo ſe habet egregia hujus Authoris diſſertatio: Elegantem, inquiuntis, de hac re textum habemus in Decretali ab Innocentio III. datâ *c. Per venerabilem. 13. Qui filij ſint legitimi.* Ubi Summus Pontifex inter alia ſic loquitur: *Non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio, verùm etiam in alijs regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem juriſdictionem caſualiter exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, ſed quia &c.* 196.

197. Si verò quæras, qui nam ergo sint casus in particulari, in quibus Summus Pontifex *casualiter*, ut habet textus, hoc est, *indirectè*, & potestate extraordinariâ tantùm possit jurisdictionem in materiâ, alioquin sæcularibus subjectâ exercere.

198. Resp. Varios in Jure Canonico describi: 1. Deficiente Magistratu & judice sæculari, qui justitiam administret. *c. Licèt ex suscepto. 10. De foro compet.* 2. Cùm judex sæcularis officio suo rite, & secundùm jura non fungitur, tunc enim Pontifici Romano incumbit curare, ne innocentes & justitia succumbant. *cit. c. Licèt ex suscepto.* 3. Si per viam denuntiationis Evangelicæ ad Ecclesiam causa deferatur, tanquam ad commune asylum. *c. Novit. De judic.* 4. Si Magistratus sæcularis leges ferat contra jus *Divinum*, aut *Naturale*, aut Ecclesiæ noxias, pertinet ad potestatem Pontificiam, eas corrigere, & contrarijs legibus abrogare, quâ ratione videmus leges Civiles quam plurimas à Summis Pontificibus mutatas, correctasque. V.g. Jure Civili permittitur matrimonium inter fratrum, aut sororum liberos. *Instit. de Nupt.* sed prohibetur *c. Non debet. De consang.* Lege Civili, quæ secundò nubunt, varijs pœnis afficiuntur *L. 1. Cod. De 2. nupt.* Sed Jus Canonicum pœnas, quæ in odium repetiti matrimonij sunt latæ, tollit *c. Cùm secundùm. De secundis nuptijs.* Jure Civili multas ob causas repudia sustinentur. *L. Consensu. Cod. De repud.* Sed Jure Canonico prohibentur. *c. Sunt, qui. 27. q. 2. & c. Lege. dist. 10.* Jus Civile concubinatum admittit. *Cod. De concub.* non admittit Jus Canonicum. *c. Nemo blandiatur sibi. c. Meretrices. 32 q. 2.* Jure Civili natis ex incestu, alióve damnato congressu alimenta non debētur; debentur Jure Canonico. *c. Cùm haberet. De eo, qui duxit in matrim.* De Jure Civili possessor malæ fidei longo tempore præscribit. *l. Cùm notissimi. Cod. De præscriptionibus 30. vel 40. annorū.* Non præscribit Jure Canonico. *c. ult. De præscriptionib.* Testamentum de Jure Civili non valet nisi præsentibus septem testibus, sed Jus Canonicum hanc legem damnat, expungitque. *c. Cùm esset. c. Relatum. De testamentis.* Denique lex Civilis maleficos, qui venenis, malisque artibus Reipublicæ nocent, punit quidem, sed qui imbres, ventos, grandines incantationibus abigunt, non tantùm non punit, sed præmio donat. *l. Eorum. 4. Cod. De malef.* Quæ omnia sacris Canonibus damnata sunt, & videri possunt quàm plurimi textus *Causâ 26 q. 2.* & S. Thomas *2.2. q. 96.* & *Novella Leonis 65.* Sunt tamen, qui velint *in l. Eorum. 4. cit.* non approbari magicas incantationes, sed sacras agrorum lustrationes, quæ per publicas preces, & supplicationes ac Sanctorum suffragia fieri solebant juxta *Novellam 123. c. 32.* 5. Princeps sæcularis jure naturali, & spectato genere suæ potestatis, potest subditis suis impedimenta matrimonij dirimentia statuere, ex qua enim parte matrimonium est contractus, subjacet potestati, & legibus civilibus, & quantumvis elevatum sit ad numerum sacramentorum, non ideo tamen amisit naturam contractûs, & subordinationem ad potestatem civilem; sicut enim matrimonium ut contractus admittit nova impedimenta à Magistratu Ecclesiastico, quale est clandestinitatis, non obstante ratione sacramenti, quod immutabile est; ita etiam à Magistratu Civili; & expressè docet S. Thomas *4. contra Gentes. c. 78.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 3. n. 2.* Nihilominùs tamen Ecclesia hujus potestatis usum Principibus sæcularibus interdixit, sibique reservavit, sicut patet *ex c. Tuam. De ord. cognit. c. 1. De sponsalib. c. Euphemium. 2. q. 3. c. Multorum. 35. q. 6.* & novissimè Tridentinum *Sess. 24. de Matrim. cap. 3. 4. & Can. 12.* Et potuisse quoad hoc Ecclesiam coercere potestatem temporalem, eámque moderari propter bonum spirituale, & gravia incommoda, quæ alioquin sequebantur, expressè agnoscunt duo celeberrimi & sanctissimi in Galliâ Doctores, videlicet D. Thomas, & S. Bonaventura. An verò consuetudine novâ possint impedimenta induci, an antiqua abrogari. Vide Sanchez *lib. 7. disp. 4. de matrim.*

DISQUISITIO III.

An; & in quantum Pontificia super Reges in causis etiam temporalibus potestas demonstrari possit ex Concilijs præsertim Oecumenicis?

§. 1.

1. INsignem hâc in re demostrationem facit Author *præinsinuatus tract. de libertatibus Gallican. lib. 4. cap. 5.* sequentem exhibendo inductionem. In Concilio, inquiens, Romano tertio sub Gregorio VII. anno 1076. sententia depositionis contra Henricum IV. Germaniæ Regem pronuntiata fuit, atque ejus subditi à juramento fidelitatis absoluti, rursusque in Concilio Romano septimo anno 1080. depositio, & absolutio confirmatæ sunt. Solent Galli objicere, tentatum id fuisse à Gregorio VII. nimis audacter, verùm secùs suadent tanti Pontificis pietas, ac in revocando ad meliorem frugem Henrico diligentia; ab alijs tamen Concilijs petenda sunt exempla, quorum aliqua irrefragibilis sunt authoritatis.

2. Concilium Lateranense sub Alexandro III. anno 1168. Fridericum primum Imperatorem excommunicavit, ejusque subditos à fidelitatis juramento absolvit. Quæ legitimè præstita fuisse, agnovit Fridericus, quandoquidem Pontifici se humiliter subijciens, sententiam revocari exoravit.

3. Concilium generale etiam Lateranense sub eodem Alexandro III. cui plurimi Gallicani Præsules interfuerunt, *Can. ult.* hanc pœnam decernit in Dominos, certum quoddam prædonum genus foventes; *Relaxatos autem se noverint à debito fidelitatis, & dominij, ac totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint* (Domini) *quicunque illis aliquo pacto tenentur annexi.* In ipsos autem prædones; *confiscentur eorum bona, & liberum sit Principibus,*

hujusmodi homines subjicere servituti.

4. Concilium Lateranense anno 1215. quod, ut notat Illustrissimus Cardinalis de Perron, jure universalissimum dicitur, quippe cui præter Summum Pontificem, & Patriarchas Constantinopolitanũ, & Hierosolymitanum interfuerint Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni Legati, septuaginta Archiepiscopi, quadringenti ac duodecim Episcopi, & plus quàm octingenti alij Prælati, nec non omnes Reges, & Monarchæ Christiani per se, vel per Legatos, scilicet Imperator Orientis, Imperator Occidentis, Rex Hierosolymorum, Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Aragoniæ, &c. *cap. 3.* sic statuit; *Si verò Dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, &, si satisfacere contempserit infrà annum, significetur hoc Summo Pontifici; ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sinè ullâ contradictione possideant, &c.*

5. In hoc Concilio plenè concessum fuit Comiti Montifortis dominium Tolosæ, aliorumque locorum Comitatûs Tolosani, in pœnam favoris à Comite Tolosano hæresi Albigensium præstiti; quæ concessio paulò ante decreta fuerat à Concilio apud Montempessulanum habito, & confirmata a Summo Pontifice usque ad tempus Concilij generalis proximè congregandi duntaxat. Rem narrat Petrus Vallis-Sarnensis Monachus in historia Albigensium, & alij. Decretum Concilij refert Lucas Dacherius *Spicileg. tom. 7.* in quo maximè notanda sunt verba ista. *Sacro consulto Concilio, ita duximus providendum: ut Raymundus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu servari, sicut à longo tempore certis indicijs est compertum, ab ejus dominio, quod utique grave gessit, perpetuò sit exclusus.*

6. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi ano 1245. sententiam depositionis decrevit in Fridericũ II. & absolutionem subditorum à juramento fidelitatis: *Memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignũ, quique propter suas indignitates, à Deo, ne regnet, vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilominùs sententiando privamus: omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes, authoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat.*

7. Concilium Constantiense, quod à Comitijs Cleri Gallicani in *secunda* propositione laudatur, & in Gallia maximi fit, *Sess. 17.* hanc pœnam decrevit in eos, qui Sigismundo Regi Romanorum, & Hungariæ in Aragoniam proficiscenti aliquam inferrent injuriam; *Quicumque, cujuscumque statûs, aut conditionis existat, etiamsi Regalis, Cardinalatûs, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, Ducatûs, Principatûs, Comitatûs, Marchionatûs, seu alterius cujuscumque dignitatis, seu statûs Ecclesiastici, vel sæcularis existat, qui Serenissimum, & Christianissimum Principem Dominum Sigismundum Romanorum, & Hungariæ, &c. impedierit, & omni honore, & dignitate, officio, beneficio Ecclesiastico, vel sæculari, sit ipso facto privatus.* Et in sententiâ contra Benedictum XIII quæ habetur *Sess. 37. omnibus, & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœnâ fautoriæ schismatis, & hæresis, atque privationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum & mundanorum, & alijs pœnis juris, etiamsi Episcopalis, & Patriarchalis, Cardinalatûs, Regalis sit dignitatis, aut Imperialis; quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint authoritate hujus decreti ac sententiæ ipso facto privati, & alias juris incurrant pœnas; ne eidem Petro de Luna schismatico, & hæretico incorrigibili notorio declarato, & deposito, tanquam Papæ obediant, vel intendant, aut eum quovis modo contra promissa sustineant, vel receptent, sibique præstent auxilium, consilium, vel favorem.*

Hanc sententiam cum pœnis adjectis renovavit, & confirmavit Concilium Senense anno 1423. *Inhibitionem factam omnibus & singulis Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæresis, & schismatis, ac privationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum, ac mundanorum, & alias pœnas juris infligendo, ut dictâ sententiâ præfati Concilij, cujus totum tenorem hîc haberi vult pro expresso, latiùs continetur, ratam, & gratam habens, ejus executionem & continuationem continuare volens, decernit, & statuit, & declarat, omnes & singulos post obitum dicti Petri de Lunæ continuantes, seu perseverantes in credulitate, vel observantia erroris, & schismatis ejusdem Petri sic (ut præmittitur) damnati, vel jus aliquod ab eo in eas directè, vel per indirectum derivâsse pretendentes, seu in vice ejus succedentes, eorumque receptatores, defensores, & fautores, cujuscumque statûs, præeminentiæ, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatûs, Imperiali, vel Regali, aut aliâ quacumque Ecclesiasticâ, vel sæculari præfulgeat dignitante..... fore obnoxios, & ligatos pœnis, & censuris in dicta sententia contentis.* 8.

Constantiense, & Senense secutum est Basileense, quod prætermitterem, quia Illustrissimi Antistites Gallicani ejus authoritate non utentes ad confirmandam *secundam* propositionem, licèt Constantiensis decreta, quæ citant, semel atque iterum renovâsset, videantur fateri, eam ad minus esse dubiam; nisi scirem, quàm pluribus Gallis secùs videri, ac Basileense Concilium maximo in honore tanquam legitimum, & generale ab eis haberi. Concilium igitur Basielense in salvo conductu dato in Congregatione generali die 18. Iulij anno 1432. Legatis Pontificijs, sic loquitur; *Exhortatur omnes, & singulos Christi fideles, cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, aut præeminentiæ existant, spiritualis, & temporalis, etiamsi Regali, Ducali, Archiepiscopali, Episcopali, vel aliâ quâvis præfulgeant dignitate, Universitates & Communitates, cæteròsque, quibus præsentes litteræ exhibitæ fuerint, eisque in virtute sanctæ obedientiæ mandat, ut, si per eorum dominia, terras, territo-* 9.

via, civitates, oppida, castra, status, villas, castella, aut alia loca vos, & quemlibet vestrûm transire contingat, sub pœnis, sententijs, & censuris tam in Constantiensi, & Senensi, quàm hujus sanctæ Synodi sacris Decretis contentis, & fulminatis districtè injungendo, quatenus vos, & vestrûm quemlibet cum Comitiva hujusmodi securos, liberos, & tutos cum rebus, & bonis vestris universis, ire, stare, & redire sinè molestia, & impedimento permittant, de securitate, & conductu à nobis requisitis, quoties opus fuerit, favorabiliter providendo. Patet igitur, Episcopos Galliæ, qui magno numero aderant in Concilio Basileensi, magnaque ibi authoritate pollebant, aliter, quàm modernos sensisse de potestate Ecclesiæ in Principes.

10. Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Reform. c. 19.* privatos declarat dominio civitatis, castri, aut loci, ea concedentes ad Monomachiam, & si feudalia sint, directis Dominis acquisita decernit. *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.* In ipsos autem decertantes profert omnium bonorum proscriptionem. *Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationes, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta sacros Canones puniri debeant, &c.* Vide Duvalliû *2. 2. q. 17.* Respondebitur fortasse, Concilium Tridentinum non esse receptum in Gallia, sed de illa receptione tractavimus alibi. Satis hîc est, ut notemus, Concilij Oecumenici sententiam ad minus Comitiorum Cleti Gallicani declarationi esse anteponendam.

11. Sed quæ opponetur responsio & Concilij Constantiensis in Gallia recepti tanquam generalis, & aliorum Conciliorum ubique receptorum, vel ut indubitatè Oecumenicorum authoritati? Mirum est, quomodò doctrinam, tot, tamque augustorum Cœtuum sententiæ adversam, Illustrissimi Præsules Parisijs congregati declarare ausi sint *publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.*

§. II.

Adversariorum Argumenta referuntur, ac expendentur cum Responsionibus, & Conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex Regiæ potestatis *immediatâ* à Deo promanatione.

12. EX parte adversâ licet I. argumentari. Concilia Oecumenica super Divinis Oraculis suas decisiones unicè fundantia, meritò agnoscunt potestatem Regum esse *immediatè* à Deo. Ergo quæcunque unquam ex Concilijs Oecumenicis circa Papæ supra Reges superioritate adferri posse videntur argumenta, eatenus sunt semper accipienda, ut salva, & integra permaneant ista principia: Quod nempe temporalis Regum dignitas, æquè ac spiritualis sit instituta à Deo, atque ab hoc singulis Regibus *immediatè* collata: cum quibus principijs stare haud potest Pontificiæ super Reges, eorumque dignitatem, ac potestatem authoritatis superioritas.

Responsio.

AD hanc ratiocinationem respondet præcitatus Author *dicto lib. 4. cap. 4.* Dissimulandam fore præinsinuatam de Regno per Deum *immediatè* collato opinionem, si eò tantùm spectaret, ut populi libentiùs Principibus subjacerent, debitamque illis fidem religiosiùs servarent; licèt enim error nunquam ex se bonus sit, neque probandus; utilis tamen ex occasione interdum est, atque tolerandus. Sed qui Regiam authoritatem nimis extollunt, hoc tantùm sibi videntur proposuisse, ut Ecclesiastica Jura invadentium injustitiam, eo prætextu excusent, quòd, ut inquit Petrus de Marca *lib. 2. cap. 1. §. 1. perinde in Reges singulos, ac Episcopos authoritas à Deo immediatè derivetur.* Perfectam inter illos æqualitatem tribus primis *Paragraphis* hujus Capitis adstruere nititur: Primus sic incipit: *E collatione duarum potestatum egregiè conficitur, Regiam æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem, & solidam humanarum rerum administrationem illi demandatam.* Et infrà: *Certum, & constantissimum esse debet apud pios, & devotos Regum cultores, unicuique Regum potestatem Regiam immediatè à Divino Numine conferri.* 13.

Hæc si seorsim considerentur, falsa quidem sunt, sed neminem lædere videntur. At verò si conferas, quæcunque Author *in opere illo*, alijque Gallicani Scriptores *in suis libris*, Principibus in Ecclesiam permittunt, ratione protectionis, tuitionis, seu Custodiæ Canonum, quam asserunt, Regibus à Deo commissam, comperies, ex ipsorum mente in multis paulò minorem Pontificali, in aliquibus æqualem, & in nonnullis etiam majorem esse, & quidem à Deo datam Laicis viris circa res Ecclesiasticas potestatem. Itaque prætermitti omninò non potuit quæstio, ex cujus neglectu, tandem populo persuaderetur, quæcunque à Laicis patitur Ecclesia, non injurias esse, sed Jura Divinitus tradita. 14.

Audi Renatum Choppinum *de sacra Politia lib. 1. tit. 7. §. 9.* expressis verbis tribuentem Regibus authoritatem in res. Ecclesiasticas ex quodam Jure Divino, Numinis afflatu, ac sacrâ quâdam unctione; *Hoc certè litterarum monumentis proditum legimus, Regium nomen in terris haudquaquam ortum fuisse, sed cælitùs à Dijs emissum, Reges q́, ipsos ita institutos, qui Numine afflati, & sacro delibuti oleo, Divinum quid præferrent, penes quos etiam sacrorum potestas foret, Authore Eusebio Historiæ Eccles. volum.* 15.

1. Exin Gallicus Orator Aegidius Romanus libris editis asseruit, sacrorum Beneficiorum erogationem ad Reges, ac Cæsares pertinere Philippi IV. Regis temporibus. Quid ampliùs dixisset de Episcopo, qui Spiritum sanctum accipit, dum ex institutione Christi per impositionem manuum Presbyterij, per sacram unctionem, aliosque mysticos ritus consecratur ad gubernandam Ecclesiam?

16. Ut aliquid à Deo *immediatè* esse dicatur, alterutrum ex his duobus requiritur, ut scilicet potestas, quæ confertur, non possit ab alio dari, quàm à Deo; vel etiam, si ab alio concedi posset, Deus ipse solus de facto velit elargiri. Alium modum non video, nisi quis de verbis contendere, non de rebus quærat disputare. Sacerdotum potestas ad conficiendum in Sacrificio Missæ Corpus Christi, vel ad dimittenda peccata, non potest ad alium, quàm ad Deum *immediatè* referri; quamvis accipiatur per impositionem manûs Episcopi. Quia nemo potest peccata dimittere, vel Corpus Christi conficere, nisi solus Deus, tanquam causa *Principalis*, & ejus ministri tanquam causæ *Instrumentales* & minùs *principales*. Majus autem est, illa efficiendi potestatem communicare, quàm illa per se efficere. Potest verò quilibet homo liber Principis regimini se se subijcere, ad ei parendum se se adstringere, fidem spondere, denique ad omnia illa officia se obligare, quæ Principes a subditis exigunt. Unde nihil opus est, ad Divinam omnipotentiam recurrere pro rebus illis, quæ ab hominibus præstari possunt, & quæ saltem ex parte quotidie præstantur.

17. Solùm igitur, si non exspectato hominum consensu, atque sinè ullâ illorum operâ, Deus ipsis Regem præponeret, iste à Deo *immediatè* suam potestatem haberet; id aliqui Doctores de Saule, & Davide opinantur, quamvis negantibus alijs, sed nemo ita constitutos in Gallia Reges somniavit.

18. Mutationes, quæ in Principatu Gallicano contigerunt, satis indicant, illum non esse *immediatè* à Deo, sed à populorum consensu. Quæ enim ratio Divina postulabat, ut modò à Clodovei familia, modò à familia Pipini, denique ab Hugonis Capeti posteris regeretur. Ut primò Reges per electionem, alij per successionem Regnũ adipiscerentur, ut principio admitterentur etiam illigitimi, deinde tantùm legitimi, ijque masculi?

Objectio.

19. EX parte adversâ instari potest, ut probetur, potestatem Regum esse quidem *immediatè* à Deo, illisque ex Divino præcepto esse parendum: attamen Regiam authoritatem non æquè ac Ecclesiasticâ *immediatè* à Deo conferri.

Responsio.

20. EN parata est hujus utriusque asserti probatio ex ijs authoritatibus, quæ à *præcitato* Petro de Marcâ proferuntur, vel citantur, alijsque insuper, quas poterat adducere. Cùm enim S. Augustinus *lib. 5 de Civit. Dei. cap. 21.* ait. *Qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo* (Regnum dedit.) Et Tertullianus *Apolog. cap. 30. Inde Imperator, unde & homo, antequàm Imperator; inde potestas illi, unde & spiritus.* Et sanctus Irenæus *lib. 5. adversùs hæreses cap. 24. cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur*: Et sanctus Epiphanius *hæresi 40. Vidésne, ut hæc mundi potestas à Deo stabilita sit, gladiúque ius obtineat? Neque verò id aliunde, quàm à Deo ad vindicandum accipit.* Hi, inquam, Patres nihil aliud intendunt, quàm Principatum non à Diabolo, seu à falsis Dijs, ut volebant ij, quos contra disputabant, sed à Deo vero dari. Utrùm autem *immediatè*, vel per populi electionem, aut consensum, non definiunt, ut patet textus integros legentibus. Tertulliani consilium est, ostendere, falsos Deos pro Imperatoribus non esse orandos, sed verum Deum: S. Augustini, non à falsis Dijs, sed a Providentiâ Divinâ Imperia distribui. S. Irenæus hoc argumentum tractat, *de diaboli perpetuo mendacio, potestatibus, quibus nos parére oportet, atque Imperijs terrenis, quatenus à Deo, non à diabolo constituantur.* S. Epiphanius Hæreticos Archonticos impugnat, Principem Sabaoth septimo in orbe collocantes, tyrannidem ibi exercentem, blasphemantes Deum, ac dominationem ejus spernentes.

S. Isidorus Pelusiotes *Epist. 216. Potestatem*, 21s
inquit, *hoc est, Imperium, & Regnum à Deo formatum, atque institutum esse, profitendum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret.* Verùm (quod etiam de *suprà citatis*, & alijs dici posset) hoc ad Divinam Providentiam referendum est, quæ Principatum quidem approbat, & confirmat, vultque Principibus legitimis etiam discolis obtemperari; non tamen singulis potestatem aliquam supernaturalem, quemadmodùm Sacerdotibus Deus infundit, imò aliquos Principes, impios scilicet regnare permittit, quamvis non approbet, ut subjungit idem S. Isidorus; *Quòd si quis impius, aut sacrilegus in illud irruperit, haudquaquam scilicet hunc à Deo creatum, ac designatum esse dicimus, verùm permissum esse.* Quod de tyrannico usurpatore tantùm non intelligit. Prosequitur enim; *Quò nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem suam evomat, atque ita extremo supplicio excrucietur, aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem revocet, quemadmodùm Rex Babylonis Iudæos.*

Idem clariùs explicat S. Ioannes Chry- 22.
sost. *homil. 23. in Epistol. ad Romanos* in hæc verba; non est potestas nisi à Deo, quæ sic interpretatur; *Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud*, inquit, *non dico. Nec enim de quovis Principe mihi sermo nunc est, sed de ipsa re. Quòd enim Principatus sunt, quódque hi quidem imperant, illi verò subjecti sunt, quódque non simpliciter, ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc, atque illuc circumaguntur, Divinæ Sapientiæ opus esse, dico. Propterea non dicit; non enim Princeps est, nisi à Deo*, sed de re ipsâ disserit, *dicens, non enim potestas est nisi à Deo.* Quid potest his verbis luculentiùs desiderari?

23. Authoritatem Justiniani (quâ toties utitur D. de Marca, cùm deprimenda est Ecclesiastica Jurisdictio, & Principum voluntati subijcienda) hic repudiat, quasi B. Pauli, & alijs Divinarum Scripturarum oraculis contrariam, quibuscum si pugnaret, ab omnibus Christianis sanè esset reijcienda. Sed quis persuadeat, Justinianum adeò tractandarum rerum Divinarum, & Ecclesiasticarum cupidum, & gloriæ avidum, rem Imperiali dignitati tantum splendorem conferentem ignorasse? Qui tam sæpe Episcopum agebat, nescisset, suam authoritatem æquè ac Sacerdotalem à Deo *immediatè* profectam? Novit certè Justinianus, potestatem Regiam à Deo esse; sed in eo, quem diximus, sensu. Ait ille *ff. de orig. Iur. leg. 2. §. 9. Quia difficilè plebs convenire cœpit, populus certè multò difficiliùs in tantâ turbâ hominum: necessitas ipsa curam Reipublicæ ad senatum deduxit. §. 11. Novissimè sicut ad pauciores juris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset, Reipublicæ per unum consuli. Nam senatus non perinde omnes Provincias gerere poterat. Igitur constituto Principe, datum est ei jus, ut, quod constituisset, ratum esset.* Item *ff. de constit. Princ. lib. 1. Quod Principi placuit, legis habet vigorem, utpote cum lege Regiâ, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum Imperium, & potestatem contulerit.* Oritur ergo *immediatè* à populorum consensu authoritas Regia: sed à Deo tanquam à primo fonte proficiscitur, ab eo consensus hominum confirmatur, ab eo Regum contemptus vindicatur, idque Justinianum non latuit, ut significant ejus verba *Nov. 6. Maxima quidem in hominibus sunt dona, à suprema collata clementiâ, Sacerdotium, & Imperium, & quidem illud Divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno, eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.*

24. Rejectâ Justiniani authoritate, non miror Aristotelis non haberi rationem; illud tantùm miror, quod addit Dominus de Marca *loc. cit. §. 1.* quòd de Regibus *opiniones in Aristotelis officinâ conflatæ, magno studio etiam à Christianis arreptæ sunt.* Si quidem, ut ille vult, erant sacris Scripturis contrariæ, quomodò potuerunt magno studio à Christianis arripi? An Christiani minùs Spiritûs sancti, quàm Aristotelis authoritati tribuunt? Docent communiter Patres, nullam gentem sinceriùs Reges colere, eorumque mandata, Divinæ Legi non repugnantia, fideliùs exequi, quàm Christianum populum: quomodò ergo arriperent opiniones non minùs legi Divinæ, quàm Principum potestati infensas? Sed illa Divinæ Scripturæ testimonia non aliud suadent, quàm à Divinâ Providentiâ constitui Principes; Divinæ ordinationi resistere, qui eis resistit; eumque sibi damnationem acquirere, qui justis eorum mandatis non obtemperet. Hæc Christiani omnes fatentur: *Regiam potestatem æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem; at perinde in Reges singulos, ac in Episcopos authoritatem à Deo immediatè derivari*, nec sacræ Scripturæ docent, nec Christiani rerum Theologicarum periti credunt.

Sed ne in re tam apertâ tempus teramus, 25.
id unum ab eis peto, qui docent, potestatem Regiam æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem, & unicuique Regum potestatem Regiam *immediatè* à Divino Numine conferri, quodnam sit Sacramentum, quo potestas illa traditur, ubi, à quo, quando, & quomodò institutum?

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

EX parte adversa licet 2. argumentari. Si 26.
quæ vel Summorum Pontificum, vel Conciliorum etiam Oecumenicorum extent constitutiones, per quas Regibus, seu Imperatoribus adempta noscatur suæ dignitatis authoritas, oportuit, tales sanctiones fundatas fuisse super quæstione *Facti, an videlicet Principes, de quibus illic agebatur, eos contraxissent reatus, propter quos essent exauthorandi?* At non Papam duntaxat, sed Concilia quoque Oecumenica in ijs, quæ *Facti* sunt, errare posse.

Responsio.

AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 20. n. 11.* respondet in hunc modum: Sententias in Concilijs contra Imperatores latas, & *Ius* & *Factum* complexas esse. *Factum* quidem, quia Regibus Imperium abrogabant, ob delicta ab ijs commissa. *Ius* verò, quia sententiâ in Principes dictâ, ijsque authoritate exutis, subditisque juramento liberatis, hoc ipso Concilia *implicitè* quidem, sed tamen *necessariò* supponebant, authoritatem & potestatem id faciendi, esse penes Ecclesiam. Quando igitur Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi declaravit, Henricum Imperatorem authoritate Apostolicâ Imperio privatum, ejusque subditos omni Juramento solutos esse, declaravit etiam, penes Apostolicam Sedem esse potestatem, authoritatemque, eum Imperio privandi, ejusque subditos juramento solvendi, quo priùs tenebantur: quæ proinde declaratio ad *Ius*, non ad *Factum* pertinet. Imò in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. *Cap. De Hæreticis.* & in Concilio Constantiensi expresè dicitur: *Principes, si Hæresis convincantur, Regno & sacris interdici posse.* Quæ definitio est *meri Iuris*, & abstrahit à *Facto exercito*, in quo tantùm error contingere potest. 27.

Advertunt insuper Theologi, Concilia, 28.
& Pontifices etiam *in Facto* errare non posse, quando *Factum* est evidens *Conciliariter*, omnique diligentiâ examinatum, testimonio publico nixum, & cujus error Ecclesiam in perniciem adduceret: tunc enim locum habet illa Christi promissio *Ioann. 16. Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et ita communiter tenent Theologi, docentque, Pontificem, & Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, in proponendâ hâc, vel illâ scripturâ Canonicâ, & in hâc, vel illâ Apostolicâ doctrinâ explicandâ errare non posse. Quæ tamen omnia, uti patet, dependent ex

facto,

facto, & testimonio hominum ex se fallibili, nisi Providentia Divina Ecclesiæ suæ caveat.

Objectio.

29. EX hac responsione occurrit objectio valde ponderosa; quomodò scilicet fidei principium universale sub hypothesi quapiam ex factis hominum dependente, nec nisi sub humanis *metaphysicè* fallibilibus testimonijs applicatum, prævalere possit, ad cujuspiam particularis, non nisi ex *Facto eiusmodi* subsistentis, nec nisi humanis, naturâ suâ fallibilibus testimonijs, probatæ conclusionis veritatem plus, quàm *metaphysicè* certam subinferendam, ut sic reducibilem in ipsam etiam dogmaticam fidei certitudinem?

Responsio.

30. HUjus quæsiti sequentem à posteriori accipe rationem, cum reservatione rationis à priori *infernis* exponendæ. Sic namque evenit in Canonizatione Sanctorum, ut illud fidei principium, *quisquis in statu gratiæ sanctificantis decedit, est consors æternæ gloriæ*, sub hypothesi *factorum* ab homine dependentium, & testimoniorum humanorum applicetur ad authoritativam de hujus Sancti cœlesti beatitudine declarationem faciendam, sub certitudine in ipsius etiam fidei veritatem non *virtualiter* duntaxat, sed etiam *formaliter* reducibili. Sic res se habet circa sacræ Scripturæ libros qui Canonicos, vel traditionem quampiam ceu Apostolicam, ab Ecclesia definiendos sub quapiam à *Factis* hominum ut plurimùm dependente hypothesi. Anne igitur æquè fas erit dicere, quòd in Regibus ob gravissima facinora exauthorandis, Concilia Oecumenica, ex ipsismet fidei principijs, Ecclesiæ circa hoc authoritatem firmantibus processerint? Quo etiam posito, rursus disquirere licet, an Oecumenica Concilia ad eam Regum exauthorationem procedendo ex humanis testimonijs, & *Factis* ab hominum fallibilitate dependentibus, sententiam suam eâ cum firmitate dictare valuerint, ut æquè, ac illæ de Canonizatione Sanctorum, seu Canonicorum sacræ Scripturæ librorum definitione illationes essent sub omnimodâ, plusquàm *metaphysicâ* certitudine reducibiles in certa fidei principia? Illud prius equidem in *antecedentibus* fuit demonstratum, hoc autem posterius vix congruit, ut asseramus. Restat igitur discutienda difficultas, qualiter præinsinuatæ Conciliorum de exauthorandis Regibus sententiæ judiciariæ dici possint superexcedere probabilitatis, sub quâ *moralis* quoque certitudo subsistere valet, sphæram & mensuram? Hoc igitur *in Conclusionis proximè sequenti probatione* reservamus ostendendum.

ARGUMENTUM III. Adversariorum.

31. EX parte adversa licet III. argumentari. Summos Pontifices, & Concilia, quæ Principibus Regnum abrogârunt, secutos fuisse sententiam probabilem, quæ habet, eos hoc posse. Non ergo sequitur, hanc sententiam esse certam, sed tantùm probabilem, & fuisse ut talem à Concilijs suppositam.

Responsio.

32. AD hanc argumentationem à semet efformatam fusè respondet Author *Regalis Sacerdotij cit. §. 20. n. 9.* Nihil posse tam Augusto Reipublicæ Christianæ Senatu, & cui ipse Spiritus sanctus præsidet, indignius dici; quàm voluisse illum in re tanti momenti, in qua non de Imperijs tantùm, & Coronis, sed de tot bellis, schismatibus, animarum, Ecclesiæque periculis agebatur (quæ omnia ex illis in Reges sententijs, & abdicationibus plerumque nascebantur) ad miserum illud opinandi præsidium confugere, quo in Scholis nihil incertius, tantasque in Ecclesiam, ac mores, legesque omnes corruptelas induxit, ut sæpe interdicta, execrationesque Romani Pontificis provocaverit, nullam ferè humanam, Divinamque legem reliquerit non aliquo abusu fœdè contaminatam, & utinam fallat augurium! Huic opinandi licentiæ, nisi remedio aliquo occurrat Ecclesia, vix credimus, alio modo elapsis retrò sæculis graviùs afflictâ esse: cujus tot indicia, & prognostica experimur, omni in commercijs, fœderibus, juramentis, judicijs, præceptisque sublatâ sinceritate: idque opinionum probabilium præsidio, quibus tot æquivocationum, restrictionum, tergiversationum ludibria debemus, in hoc unum laborante ingenio, ut via voluptatibus pateat, & virtutes, legesque honesto exilio proscribantur. Absit ergo, ut dicamus, Ecclesiam totam, & Concilia universalia in re tantâ, summique momenti, suæ authoritatis incertam Regibus, & Imperijs litem movisse; nec enim Regna & Coronæ opinionibus dari possunt, adimique, sed certâ ratione. Et ideo Vasquez *in 1. 2. tom. 1. disp. 64.* docet, nullum Principem etiam supremum in controversiâ tantùm probabili, aut etiam probabiliori posse sententiam ferre, eamque armis tueri, & bello prosequi, nisi jus evidens habeat, dicitque, contrarium nihil probabilitatis habere, nec in parvam Reipublicæ Christianæ perniciem cedere. Eodem pacto legibus statutum est, neminem ex solis probabilibus damnari posse, sed plenè, & manifestè convictum: præcipuè in causis gravibus, & arduis, in quibus requiruntur gravissima, & luce meridianâ clariora argumenta. Ex *Leg. ult. Cod. De probat.* Quare Pontifices, & Concilia universalia non potuerunt, ad Reges Imperio exturbandos, solvendosque juramento, & obedientiâ subditos, procedere, nisi potestatis suæ certi, non tantùm probabili ratione aliquâ ducti.

33. Sed esto, sententiam, quæ illam Pontifici, & Concilio *indirectam* in Reges, justitiæ ratione, Ecclesiæque necessitate ita exigente, deturbandos potestatem asserit, videri Principibus tantùm probabilem, non certam, adhuc nihilominùs tenentur illi subjacere,

quia in dubio, an res præcepta sit licita, & Superior limites potestatis excedat, tenemur obedire, quamdiu non apparet evidenter, esse præceptum de re malâ, & extra limites potestatis, uti tradunt Theologi cum Patribus relatis *in Cap. Memoriam. dist. 19. Cap. Quid culpatur. 23. q. 1. Cap. Contra morem. dist. 10.* In quem sensum sanctus quoque Gregorius *homil. 26. in Evangelia* ait: *Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrùm justè, an injustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cùm injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex aliâ culpâ mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsâ tumidæ reprehensionis superbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.*

Objectio.

34. INstari potest ex parte adversâ. Quandoquidem probabilitatis nomen in publici Judicij, Reges præcipuè concernentis, sententijs, adeò exosum habetur, imò periculis enumeratis revera obnoxium reputatur, num proinde tutum erit, præsentis difficultatis punctum in hoc statuere, quòd scilicet sententiæ illæ, quas Summi Pontifices, atque Concilia Oecumenica adversùs Reges, & Imperatores publicæ Religionis, sanctæque Ecclesiæ infensos hostes statuerunt, ad eos Regno ac Imperio turbandos, & ejiciendos, nixæ fuerint majori, quàm *morali* duntaxat certitudine? Et dum videri posset saltem ex ea parte, quæ est *Facti*, non nisi prudentalis humanæ conditoni proportionata, *Physicæ*, ac *Metaphysicæ* certitudini haud coæquanda in probationibus judiciarijs interveniſſe; utrùm ex parte saltem *Iuris* subsiterit certitudo plus quàm *moralis*?

35. At si hæc etiam certitudo in ijs, quæ *Iuris* sunt, circa sententias adversùs Reges, ac Imperatores latas fuisset observata, nunquid hæc etiam comparata cum dogmaticâ certitudine, longè inferioris esset conditionis, quoad rem ipsam fallibilitati prorsus obnoxia? Etenim ex toto illo Authoris *præcitati* discursu nullum patet fundamentum, ex quo in illis Summorum Pontificum, ac Conciliorum Oecumenicorum adversùs Reges, ac Imperatores procedentium sanctionibus, major eluceat veritatis firmitas, quàm *moralis* certitudinis, quæ *realis* fallibilitatis sphæram minimè supergreditur. In quo adeò centro versatur ratio præsentis difficultatis *seq. concl. prob. 3.* accuratiùs expendenda.

CONCLUSIO.

36. COnciliorum Oecumenicorum super Ecclesiasticâ erga Reges potestate sanctiones, ex *intrinsecâ* suâ vi, ac energiâ præferunt authoritatem, quâ prævalidè eliduntur Argumenta in contrarium allata.

Explicatur. Solemnis præliminaliter hîc quæstio moveri posset: *An Decreta Concilij Oecumenici sint fidei Divinæ, vel humanæ duntaxat?* Sed distinguendum est: sacrarum namque Synodorum definitiones spectari possunt vel *objectivè*, vel *formaliter*. Nam *objectivè* important ipsamet fidei dogmata, illibato Verbo Dei contenta, & super candelabrum Ecclesiæ posita per Oecumenici Concilij definitiones. At *formaliter* important sacri Concilij Divinâ Spiritûs sancti assistentiâ authorizatam veræ, ac genuinæ sacrarum Litterarum interpretationis sententiam: quæ ut sic est solùm *participativè* Divina, estque adeò inferioris gradûs, quàm sacrarum Scripturarum, seu fidei dogmatum authoritas, cùm ista ipsi Veritati Primæ *immediatè* innitatur, & per hanc, ceu fidei Theologicæ motivum specificativum in se ipsa *essentialiter* authorizetur. Unde Concilij decisoria sententia *secundùm se formaliter* considerata, est motivum actûs duntaxat prudentialis, licèt supernaturalis, verum sacræ Scripturæ sensum, Primamque adeò Veritatem revelantem applicantis ad voluntatem, ut in fidei, ac Divinæ revelationis obscuræ obsequium captivet, ac moveat intellectum. De hâc igitur tum *essentialiter*, tum *participativè* Divinâ Conciliarium Decretorum authoritate agemus in sequentibus: in hoc equidem §. visuri; *utrùm Argumenta superiùs in contrarium opposita, habant aliquid efficaciæ ad diminuendam energiam Conciliarium Decretorum, §. 3. deducendorum.* Exinde verò in eodem §. 3. expensuri. *An prælegatæ sanctiones Synodales ex parte objecti importent aliquod fidei dogma super Ecclesiæ candelabro jam positum, ac definitum, cùm formaliter eo potiantur prudentialis credibilitatis pondere, per quod nefas sit, Articulos sic definitos revocare in dubium?*

PROBATIO I.

IN qua fit confutatio Argumenti adstruentis, Regiæ dignitatis collationem esse juris *Divini*.

Etenim *Politicam*, & *Civilem* Jurisdictionem esse Divinitus concessam *immediatè* Communitati, atque ex hujus voluntariâ translatione derivatam in Principem aliquem, seu Imperatorem, seu Regem, eruitur *ex lege 1. ff. de Constitutionibus Principum. Et leg. 5. §. Novissimè. ff. de orig. juris.* Ex quo namque homo per naturam suam noscitur esse animal sociale, ac politicum, lumine naturali æquè notum esse debuit, oportere, inter homines subsistere politicum quodpiam regimen, non Justitiæ duntaxat inter privatos, sed boni quoque publici moderativum, sicque concivium in unum corpus politicum coadunatorum ordinativum ad Commune Civitatis, seu Reipublicæ Bonum. In cujusmodi adeò regimine politico oportuit, statui supremam quampiam potestatem, cujus decisorijs sententijs universi acquiescere deberent, ut sic publica pax, & tranquillitas conservari valeret. At sicuti jure naturæ haudquaquam fuit 37.

deter-

determinata sphæra cujúsque seu Nationis, seu Regionis, ac Provinciæ, seu Civitatis, alteriúsque Communitatis, sed illa est constituta liberâ hominum conventione, in diversa climata, ac terras sponte suâ sese dividentium; sic neque jure *naturæ* fuit determinatum, an in uno, vel pluribus, vel etiam in totâ per consensum hominum in unam seu Nationem, seu Provinciam, aliúdve politicum regimen liberè se coadunantium Communitate, subsisteret illa per jus *naturæ* ab ipsomet Deo *immediatè* constituta suprema gubernativa potestas. Et hinc jure *naturæ* haud subsistit definitum, quòd vel in hac, vel in illa Natione sit Monarchicum potiùs, quàm Aristocraticum, vel etiam Democraticum regimen. Multò minùs jure *naturæ* potest esse definitum jus hæreditarium politici regiminis, intrà certam aliquam stirpem propagandi, sicque magis adhuc remotum est à jure *naturæ*, quòd determinârit individuas politico regimini præficiendas personas: sed hæc universa pendent ex constitutione hominum.

38. Quandoquidem ergo Regia, seu Politica potestas secundùm se *formaliter* sit juris *Divini*, ejus tamen collatio variis ab hominum placito dependentibus affecta conditionibus, subjecta sit humanis ordinationibus, & constitutionibus: quandoquidem etiam jus Regiæ potestatis, seu supremæ politicæ non *in actu signato*, & quasi *in abstracto*, in se *formaliter* consistens, ut sic luminis naturalis necessario jure constitutum, sed *concretè*, & *subjectivè* spectatum, quà pro isto seu climate, seu natione, seu provincia coarctatum, & quà huic præcisè itirpi jure hæreditario communicatum, vel quà jure electivo sub hac, vel illa normâ, modoque regiminis uni, vel pluribus destinandum, sicque adeò quà huic individuo supposito applicatum, seu applicabile, sit dependens ex hominum ordinationibus. Idcircò emergit hinc quæstio; *An Regiæ potestatis collatio facienda homini Christiano charactere insignito, sicque Ecclesiasticæ potestati subjecto, & ab hominum, vi characteris in Baptismate accepti, Ecclesiæ sanctæ æquè subditorum dispositionibus dependens, expers dicenda sit moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis?* Nullus profectò vel Rex, vel populus Christianus Regiæ gubernationis, vel *activè*, vel *passivè* consors, ullam in se *moralitatem* patietur, ut expers esse debeat illius ad Regnum cælorum ordinabilitatis, vel certè, si ejusmodi ordinabilitatem à se conetur evertere, certa, & indubitata in ipso stabit *suæ moralitatis* à Regno cælorum deordinatio, quæ & ipsa subjicitur Ecclesiæ clavibus. Jacto igitur indubitato illo fundamento, quòd Regiæ potestatis collatio tum quà in certum individuum suppositum derivata, tum quà ex hominum ordinationibus *originariè* profluens, sit *moralitatis* in Regnum cælorum ordinabilis capax, & particeps, oportet hoc ipso, talem collationem utrovis illo modo, *activè* scilicet, *& effectivè*, sive etiam *passivè*, ac *subjectivè* spectatam, contineri sub illo: *Quodcunque, quod est morale super terram*, super quo Christus Oecumenicæ Ecclesiæ in suo Capite, Summo Pontifice, vel universali Concilio repræsentatæ, concessit indefinitam ligandi, & solvendi potestatem.

PROBATIO II.

In qua refutatur *secundum* Adversariorum adductum Argumentum.

39. QUando sanctiones Conciliares, quibus Regibus, vel Imperatoribus adempta est suæ dignitatis authoritas, dicuntur niti fundamentis, quæ non tam *Iuris* sint, quàm *Facti*, in quibus adeò Summus Pontifex, atque etiam Concilium Generale possit errare; ad hujus objectionis vim fortiùs elidendam vel maximè conducit, expendere normam, sub quâ oporteat, fieri Oecumenici Concilij sanctiones, universos Christi fideles obstringendi authoritatem obtinentes.

40. Pro *primo* sanè principio ejusmodi Oecumenicæ sanctionis, oportet, supponi aliquod seu *speculativum* pro dogmatibus definiendis, seu *practicum* pro morum Christianæ Religioni consentaneorum constitutionibus sanciendis, vel ex ipsa Divina fide *immediatè* certificatum, vel in Verbum Dei certò reducible principium. Si equidem sub tali fidei principio Concilium Oecumenicum procedere velit ad subinferendam sanctionem, seu fidem ipsam, seu mores in generali concernentem, oportet, alterum subsumptum (& uti Scholæ loquuntur *per modum Minoris* adhibitum) principium esse vel de fide etiam, vel lumine naturæ notum, ut in vi duorum ejusmodi, *Majoris* scilicet, ac *Minoris* principiorum collationis factæ, inferatur conclusio seu dogmaticæ, seu omnimodè certæ *moralis* sanctionis sub demonstrativæ consequentiæ energiâ, in ipsam fidei veritatem reducibilis.

41. Quando autem sanctio Oecumenici Concilij terminatur super individuâ quâpiam re, seu Christiani nominis personâ, veluti si Sancti cujuspiam Canonizatio, sive cujuspiam Canonici libri definitio, vel etiam Regis Ecclesiæ sanctæ rebellis exauthoratio decernatur, tunc *Minoris loco* subsumptum principium, omninò dependet ex ijs, quæ sunt *Facti*, sicque adeò per naturam obnoxia errori. Sub cujusmodi tamen, secundùm intellectùs, quà *speculativi* lineam, *Facti* fallibilitate, ad intellectum quà *practicum* habito respectu, intervenire potest *moralis* certitudo, sub quâ post competentem, ac debitam super rei veritate indagandâ adhibitam industriam, stat securitas conscientiæ à culpâ, deordinationeque extra *Moralitatis* honestatem desciscente excusans. Quæ adeò *moralis* certitudo, quà ex humanâ duntaxat industriâ est procedens, licèt *speculativè loquendo*, sit obnoxia errabilitati, attamen, quà per gratiæ Divinæ irradiationem elevatur ad statum, prudentiæ non jam acquisitæ, sed infusæ, ac supernaturali commensuratum, expers redditur erroris etiam *speculativi*: quemadmodùm in prudentiæ Divinæ, Christum sub his determinatis Eucharisticis speciebus adorabilem dictantis *practico* judicio,

cio ea fit per Spiritûs sancti depurationem à *materiali* errori obnoxiâ *concretione* abstractio, ut, si species adorationi expositæ non sint *verè* ac *realiter* consecratæ, ad istas nequaquam, sed ad Eucharisticas species, quâ ab istâ falsâ concretione abstractas, terminetur religiosæ, secundùm supernaturalem latriæ virtutem exhibendæ adorabilitatis, repræsentativa, prudentiæ infusæ ratio *practica*.

42. A fortiori igitur hæc per Spiritum sanctum à *materiali* errabilitati obnoxiâ *concretione* depuratio, & abstractio locum habet circa Conciliares sanctiones, quâ ex *Facti* errori subjectis probationibus profluentes: ita ut Ecclesiæ sanctæ judicium à Spiritu sancto dirigendum, non permittatur ab isto Veritatis spiritu proferri superullo *Facti* fundamento, nisi revera existat verum. Atque hoc est, quòd Spiritûs sancti assistentia in tantum præstò sit Concilijs Ocumenicis ex prudentiæ non naturalis, sed supernaturalizatæ, ac Divinizatæ judicio sancientibus, ut pro indubitato sit tenendum principio, Spiritum sanctum docere *omnem veritatem*, non sub fidei duntaxat lumine, sed prudentiæ quoque infusæ dictamine. Quòd si ergo Conciliaris quæpiam sanctio partim ex fidei principio quâ *Majori*, partim ex *moralis certitudinis* principio, prudentiæ infusæ, ac supernaturali per Spiritûs sancti gratiam consensurato, *Minoris* locum occupante, procedat ad conclusionem in particulari, etiam totam Ecclesiam constringente, *authoritativè* decernendam, negari prorsus oportet, tali conclusioni authoritativæ (etiam quâ fundatur in *Facto* naturaliter fallibili) posse subesse falsum, sed conclusionis ejusmodi reductio fieri debet tum in prius, *Majoris* loco positum fidei principium, tum in posterius, *Minoris* vices subiens prudentiæ infusæ principium.

PROBATIO III.

In qua refellitur *tertium* Adversariorum *superiùs* deductum Argumentum.

43. ETenim Concilia Oecumenica, ac Summi Pontifices procedentes adversùs Reges sanctæ Ecclesiæ rebelles, vel aliàs à Regni cælorum ordine gravissimè exorbitantes, nituntur tum fidei indubitato principio, per Christum tradito de Ecclesiæ clavium indefinitâ super omne, quod *super terram morale est*, protensâ, ligandi, & solvendi potestate: tum prudentiæ infusæ per Spiritûs sancti gratiam formando dictamine, nulli errori subijci possibili, ceu secundario, ac subsumpto, *Minore dicto* principio. Ex quo adeò duplici principio non ea duntaxat, quæ prudentiæ naturali commensurata est, sed altior, & sublimior infusæ per Spiritûs sancti gratiam motæ prudentiæ supernaturali proportionata, certitudo *moralis* enascitur, omnimodæ expers deceptionis, minimeque obnoxia errabilitati.

§. III.

Nostratis sententiæ Argumenta referuntur cum Conclusione super ijs reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

Petitum ex *Cap. Ad Apostolicæ, De Sent. & re judicatâ.*

AUthor *Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 7.* argumentatur *1. ex Cap. Ad Apostolicæ. De sent & re judicatâ. in 6. Innocentij IV. Canone*, edito in Generali Concilio Lugdunensi sub hoc tenore: *Cùm dura guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ Provincias diutiùs afflixisset, Nos ad Federicum* (nempe Imperatorem II. hujus nominis) *præcipuum principem sæcularem, hujusmodi dissensionis, & tribulationis authorem à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales Nuncios & magnæ authoritatis viros duximus destinandos &c.* 44.

Nos itaque super præmissis, & quàm pluribus alijs ejus nefandis excessibus, cum Fratribus nostris, & sancto Concilio maturâ deliberatione præhabitâ diligenti; cùm Iesu Christi vices licèt immeriti teneamus, nobisque in persona Beati Petri sit dictum: Quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis: *& quò memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omnique honore, & dignitate reddit tam indignum, omni honore, & dignitate privatum à Domino ostendimus, denunciamus: & nihilominùs sententiando, privamus omnes, qui ei jurejurando fidelitatis tenentur adstricti, à juramento ejusmodi perpetuò absolventes: Apostolicâ Authoritate firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat: decernendo, quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto Excommunicationis sententiæ subjacere. Illi autem, ad quos electio spectat Imperatoris, liberè eligant.*

Ex quâ sanctione præcitatus Author instigat ad audiendum, ac perpendendum; quomodò non Pontifex tantùm, aut Concilium, sed utrumque in medio ipsius Galliæ, consensuque Ecclesiæ Gallicanæ ipsissimam illam sententiam pronuntiârit, quam defendimus, quamque nemo alius impugnare potest, quàm, qui apertè se, & Concilio Universali, & Ecclesiæ Gallicanæ adversarium profiteatur.

Objectio.

EXcipi potest ex parte adversâ, hunc Canonem haud evincere intentum præinsinuatæ argumentationis, nisi fundamentum ejusdem ostendatur nixum Verbo Divino. 45.

Responsio.

INnitendo partis adversæ postulato, disertè pronunciamus, manifestè probari ex præadductâ sanctione Pontificiâ, & Conciliari, quòd 46.

quòd authoritatis Oecumenicæ adversùs Imperatorem ad ejus usque depositionem à Pontifice, & Concilio ibidem exercitæ subsistentia reducatur in Christi vicariam, indefinitamque ligandi, & solvendi potestatem. Cujusmodi ad istud fidei principium reductio Theologica, uti jam frequenter à nobis fuit ostensa, ita sub aliquali nimiæ repetitionis devitandæ circumspectione, simile quid præstabimus *in subsequentis conclusionis primâ probatione.*

ARGUMENTUM II.

Desumptum ex Decretis Concilij Constantiensis.

47. AUthor *Regalis Sacerdotij* argumentatur 1. ex varijs ejusdem Generalis Synodi constitutionibus. Quarum *prima* est monitorium *Sess. 20.* destinatum adversùs Fridericum Austriæ Ducem sub hoc tenore: *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis universos, & singulos Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. requirimus, & monemus* primò, secundò, tertiò, & peremptoriè, *quatenus Fridericum Ducem Austriæ, & alios (jurium, & bonorum Episcopatûs Tridentini) occupatores requirant, & moneant quos nos etiam tenore præsentium sic requirimus, & monemus, ipsique Friderico Duci in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub anathematis, Sacrilegij, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesiâ, seu Imperio obtinet, & inhabilitatis Juæ, & suorum masculorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia, & beneficia usque ad secundam generationem, & honoris, & famæ, ac communionis in Consilijs Principum &c. mandamus &c.*

48. Insuper *Sess. 28.* declarat eadem sancta Synodus, *Fridericum, & occupatores jurium, & bonorum prædictorum, cujuscunque statûs, gradûs, conditionis, aut præeminentiæ, etiamsi Ducalis fuerint, sententias, & censuras dicto Monitorio comprehensas, incidisse.* Et infra: *Committit ergo præfata sancta Synodus charissimo filio Ecclesiæ Defensori, & Advocato Regi Romanorum semper Augusto, cujus specialiter interest, ad requisitionem Ecclesiæ constrictas, & oppressas Ecclesias restaurare &c. eandem sententiam executioni demandare &c.*

49. Porrò *Sess. 37.* in sententia contra Benedictum XIII. *Eadem sancta Synodus universalem Ecclesiam repræsentans, omnes Christicolas ab ejus obedientiâ, atque juramentis, & obligationibus eidem quomodolibet præstitis absolvit, & absolutos esse declarat, ac omnibus, & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ schismatis, & hæresis, atque privationis omnium beneficiorum, dignitatum, & bonorum Ecclesiasticorum, & mundanorum, & alijs pœnis, etiamsi Regalis sit dignitatis, aut Imperialis, quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint authoritate hujus Decreti, ac sententiæ ipso facto privati.*

50. Ad hæc *Sess. 39.* hunc in modum providetur futuro schismati: *Ut autem metûs, seu impressionis molestia in electione Papæ eò formidolòsiùs evitetur, duximus specialiter statuendum, quòd si quis hujusmodi metum, aut impressionem, aut violentiam electoribus intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, cujuscunque statûs, aut præeminentiæ fuerint, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit* Felicis: *continentur, illisque effectualiter puniatur.*

Ipsissima hæc Constantiensis Synodus innô- 51.
vat pœnas Decretalis *in Cap. 5. de Pœnis. in 6.* relatæ sub istâ verborum formâ: *Reus criminis læsæ Majestatis perpetuò sit infamis, diffidatus, nihilominùs & bannitus, sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur &c. Si qua verò feuda, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus Ecclesijs obtinet, sit eis ipso jure privatus &c. Nulli præterea talium filiorum, aut nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis, aut bonoris Ecclesiastici, vel mundani.*

Cæterùm in Bulla Martini V. quæ post ejusdè 52.
Concilij Constantiensis Sessionem ultimam habetur; *Mandatur omnibus Principibus, & Dominis temporalibus, ut Inquisitoribus Hæreticæ pravitatis omne auxilium, & favorem, præbeant, eósque* (hæreticos) *investigandos, capiendos, custodiendósque curent.* Cujusmodi mandatû latiùs adhuc extenditur *ibidem* adversùs hæreticos, *etiamsi Regali, Reginali, aut aliâ quâvis Ecclesiasticâ, vel mundanâ præfulgeant dignitate &c. puniendos etiam privatione bonorum, & dignitatum quoque sæcularium.*

Ex quibus *præcitatus* Author animadver- 53.
tendum inculcat, haberi jam à Concilio Constantiensi definitum, eos, qui invadunt bona, & Jura Ecclesiastica, posse à Summo Pontifice, & Concilio universali, jurisdictione privari, infamiâ notari, bonis, ac Juribus temporalibus distitui, etiamsi Ducalis fuerint dignitatis, præsertim *Sess. 28. & 37.* Unde patêre, quænam Concilij Constantiensis mens fuerit, quantumque à doctrina Parisiensis Conventûs sit aliena. Hic enim *primam* propositionem hanc ponit: Principis in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati nec *directè*, nec *indirectè* subjectos esse: Constantiense verò Concilium toties, tamque repetitis vicibus Principes, Regesque dignitatibus, bonisque temporalibus, si jura Ecclesiæ invadant, si hæreticis faveant, mulctandos decernere, ut proinde vel hoc, vel Parisienses Patres falli necessum sit, imò isti secum pugnare convincantur, dum hîc propositionem Concilij Constantiensis doctrinæ contrariam ponunt, in propositione autem *secundâ* Synodum Constantiensem sanctam, & immotam, & ab Ecclesiâ Gallicanâ semper custoditam, cultamque dicunt, ejusque decreta velut lineam, & terminos Pontificiæ authoritatis statuunt, & tamen ab illâ continuè & longè discedunt, & quam maximè laudant, maximè impugnant.

Objectio.

EXcipi potest ex parte adversâ contra Oe- 54.
cumenicam Concilij Constantiensis authoritatem, eò quòd ista sit per Christum sancita ex *sui Nominis*, id est, *vicariæ suæ authoritatis charactere*, de quo disquiri meritò potest; quo-

modò substiterit in illo Concilio, dum Christi Vicarius, Papa non intervênit?

Responsio.

55. HUjus difficultatis rationem reservamus partim in sequentem Articulum, partim in Conclusionis sequentis probationem *secundam*, ubi ostendetur, qualem Martinus V. legitimus Christi Vicarius, Synodo illi mediante suâ ejusdem Decretorum confirmatione, authoritatem contulerit, & quomodò Synodus futuri legitimi Papæ approbationi Decreta sua reservans, cum isto concurrerit ad Oecumenicam, statutis à se editis authoritatem impertiendam.

ARGUMENTUM III.

Petitum ex Concilio Lateranensi juxta *Cap. 3. De hæreticis.*

56. ARgumentatur igitur 3. *præcitatus Regalis Sacerdotij* Author in hæc verba: *Si Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesiâ, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum Excommunicationis vinculo innodetur. Et, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, &c.* Hoc igitur Lateranense IV. Concilium (cujus sententia tam clara est, ut nullam admittat exceptionem) pergit *præcitatus* Author, vel maximè dicendum esse universale, utpote cui cum Innocentio Papa interfuerint Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Patres Conventuum octingenti, quos inter extiterunt Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolomytanus, atque Alexandrini, & Antiocheni Legati, itemque Oratores Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierosolymorum, & Cypri?

Objectio.

57. EXcipi potest disquirendo; utrùm Oecumenici Concilij substantia ex Episcoporum, Regiorumque Oratorum numero subsistat, vel potiùs ex Vicariæ Christi authoritatis charactere, in vi cujus verè dici potest Concilium ex minori etiam Episcoporum numero coalescens, esse aggregatum in Christi Nomine?

Responsio.

58. DE hoc agemus ex instituto *in sequenti Articulo*. Intereà cum in *citato* Canone decernatur, ut, *Si Dominus temporalis ob hæreseos fautoriam ab Episcopo Metropolitano innodatus Excommunicatione, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex denunciet Vasallos ab ipsius fidelitate absolutos, ejusque terra exponatur Catholicis occupanda*; iterum emergit quæstio; *An summus Pontifex juxta hujus Canonis præscriptum procedendo, ex demandatâ duntaxat Generalis Concily, vel ex propriâ suâ Oecumenicâ potestate dicendus sit, & Vasallos illius temporalis Domini ab ejus fidelitate denunciâsse liberos, & terram illius exposuisse Catholicis occupandam?* De quo dicemus *infrà* in sequentis Conclusionis *tertiâ* probatione.

ARGUMENTUM IV.

Petitum ex authoritate Oecumenicorum Conciliorum, ab ipsis etiam Gallis magnâ veneratione cultorum.

AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. in fine §. 14.* argumentatur 4. Si Summotum Pontificum, super Regiæ patestatis erga Oecumenicam Ecclesiæ authoritatem subordinatione, ac subjectione statuentium, decreta postulanda essent dubiæ fidei, Concilia saltem præallegata superare omnem exceptionem, cùm & sint Generalia, & partim in Gallijs habita, & partim à Gallis magnâ veneratione culta, qualia sunt Lateranense, Lugdùnense, Viennense, Constantiense. Ergo non potuisse, nec debuisse à Conventu Parisiensi, qui particularis, ut nec paris cum Concilio generali sit authoritatis, litem, & bellum pati ab illis præsertim, qui tam copiosè, tantóque apparatu observantiam sacrorum Canonum in suâ *tertiâ* propositione Summis Pontificibus inculcant. 59.

Objectio.

DEferamus ex integro Concilij Oecumenici infallibilitati, quando in eo est statu, ut indubitatum Synodi Oecumenicæ à Christo sancitum characterem præferat, atque ex hujusmodi authoritate Oecumenicâ veritatem aliquam ex Divinis oraculis decidat, ejus definitionẽ referendam esse inter fidei dogmata. Num verò de præallegatis Concilijs dicere fas est, omnia, & singula indubitato Oecumenicæ Synodi per Christum definito charactere præfulgere, ac insuper, de Papæ super Reges authoritate, ex Dei Verbo sanxisse dogmaticam constitutionem, inter indubitatos fidei articulos recensendam? 60.

Responsio.

HUjus difficultatis centrum, quemadmodùm meretur, singulari cum industriâ expendemus proximè subsecuturâ conclusione.

CONCLUSIO.

EX præadductis circa Ecclesiasticam supra Reges authoritatem, Conciliaribus sanctionibus, habetur veritas etiam Theologicè certa. 61.

Explicatur. Sive enim talis sanctio Oecumenici Concilij resolvatur in *primum* illud præinsinuatum *fidei principium*: sive in subsumptum *prudentialis supernaturalis* à Spiritu sancto moti dictaminis *principium* quasi *secundarium*, sub utraque ista resolutione fit resolutio in lumen aliquod Divinum, cujus, & hinc derivatæ conclusionis, seu sanctionis certitudo

tudo longè major est *naturali*, seu *physicâ*, seu *metaphysicâ* certitudine, ad Theologicæ adeò certitudinis sublimitatem subleuanda.

PROBATIO I.

Desumpta ex *Cap. Ad Apostolicæ. De sent. & re judicata. in. 6.*

62. ETenim ex hujus Canonicæ intrà Concilium Lugdunense editæ sanctionis litterâ clarè constat, ejus fundamentum reduci in hoc fidei principium, quo credimus, *Summum Pontificem Christi in terris agere vices, ipsique in persona Petri dictum esse: Quodcumque ligaveris, seu solveris super terram, erit ligatum, seu solutum & in cælis.* Quis verò negare ausit sub illo *quocunque, quod est in terra morale*, contineri & actus *morales* publici quoque à Rege promanantis regiminis; & *dignitatis* Regiæ ad hanc individuam personam ex æquitatis ratione faciendam *applicabilitatem*, ejusque in Rege Ecclesiæ sanctæ clavibus subjecto perseverantiam *moralem*? Sub illo adeò fidei principio, per illam sanctionem Synodalem, expendebatur Imperatoris ex facinoribus suis indignitas. Cujus judiciaria proinde discussio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà præcisam prudentiæ *naturalis* sphæram, non supergrederentur *moralem* certitudinem; attamen hoc Oecumenici Concilij judicium, per Spiritûs sancti gratiam ita depurabatur à *materiali* falsitatis periculo obnoxiâ *concretione*, ut altior prudentiæ infusæ commensurata certitudo *practica*, omnimodam falsitatem excludens, per Dei instinctum efformata, & cum illo principio fidei collata, sub formâ *virtualiter* saltem Syllogisticâ progrederetur ad concludendam sententiam, adversùs Imperatorem *judicialiter* ferendam sub verâ, lumini supernaturali innixâ, consequentiâ Theologicâ.

PROBATIO II.

Desumpta ex Decretis Concilij Constantiensis.

63. EX verbis istorum Decretorum non elucet equidem, *in actu signato* eorum resolutionem reduci in fidei principia. Attamen certissimum est, Patres sanciendo illa Decreta, attentos fuisse ad potestatis Oecumenicæ, Concilio Divinitus concessæ authoritatem.

Sicuti ergo Decreta illa *effectivè* profluxerunt ex istâ authoritate Oecumenicâ; sic omninò consequens est, eorum resolutionem in *actu exercito*, ac *virtualiter* reduci, atque sub ipsâ primâ sui constitutione reducta fuisse in fidei principium, quo Concilij Oecumenici authoritas habetur Divinitus constituta.

64. Et licèt ex Christi Domini verbis *Matthæi 18.* constet, Oecumenici Concilij characterem proprium (ex cujus nempe respectu Christus promisit, se in Synodi medio futurum) subsistere ex Christi *nomine*, utique *vicario*, ejusque adeò in terris relictâ Petro, ac ipsius successori collatâ *vicariâ authoritate*. Hunc tamen characterem quoad ea, quæ fidei sunt, accessisse Concilio Constantiensi, patet ex ejus fine, ubi Papa Martinus V in sessione publicâ, eáque ultimâ, requisitus sanxit, quòd omnia, & singula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium, *Conciliariter* tenere, & inviolabiliter observari vellet, & nunquam contraire quoquo modo liceret: ipsaque sic *Conciliariter* facta approbat, & ratificat, & *non aliter, nec alio modo*. Quidni ergo dixerimus, prælegatorum Decretorũ resolutiones, quà in fidei principium reducibiles, imò sub ipsâ primâ sui constitutione, atquè Papæ postmodùm secutâ approbatione reductas in authoritatem Divinitus constitutam, ac fide Divinâ creditam, ut sic fidei materiam concernentes, integram ex tunc obtinuisse Conciliarium sanctionum firmitatem prorsus certam, ac immobilem, quoad authoritatem Ecclesiasticam (ceu Decretorum illorum principium) *in actu exercito*, ac *virtualiter* ijdem communicatam.

PROBATIO III.

Petita ex Generalis Concilij Lateranensis IV. sanctione relatâ in *Cap. 3. De hæreticis.*

Quandoquidem sacro huic Concilio notissimum fuerit fidei principium de Ecclesiæ Clavibus, cum indefinitâ super *quocunque*, quod in terris est *morale*, protensâ ligandi, & solvendi potestate legitimo Petri successori competente, ideo nefas foret, dicere, Patres Concilij non tam respexisse ad illam Papæ authoritatem, quàm Concilij Oecumenici propriam Jurisdictionem eidem demandasse, decernendo, ut, si Dominus temporalis ob hæreseos fautoriam excommunicatus, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex Vasallos ab ejus fidelitate absolutos denunciet, facto mandato, ut terra illius occupetur à Catholicis. Quare in vi hujus sanctionis dicendum est, Concilium illud Oecumenicum, ipso etiam vicario Christi nomine, seu authoritate fulcitum, unicè intendisse, ut pro illo incorrigibilitatis casu, excitaret Papæ Oecumenicum Pastorale officium, cum ejus indefinitâ ligandi, & solvendi potestate, eo modo, quo præscribitur, ad procedendum adversùs Dominum temporalem de hæreseos fautoriâ convictum. Atque per hoc Decretum Pontificiæ authoritatis excitatorium, redditur manifestum, quòd Concilium illud Oecumenicum agnoverit, & sanxerit, Papæ authoritatem protendi super Dominos quoque temporales, eosque supremos, nec non super eorum dominia temporalia, ac territorialia, seu Regia, vi Pontificij mandati ab alijs ex tunc occupanda. 65.

PROBATIO IV.

In qua paucis ostenditur vis præadductarum Conciliarium sanctionum.

ETenim præadductis Concilijs Lugdunensi, Constantiensi, & Lateranensi accessisse characterem vicarij nominis Christi, sive Vicariæ hujus in terris relictæ authoritatis, patet *ex antecedentibus* Constat insuper, Lugdunense Con- 66.

se Concilium processisse ex aperto fidei principio Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestatis, indeque cepisse resolutionem sententiæ, super Imperatorem, ejusque jura temporalia protensæ. Hæc igitur Synodica sanctio *virtualiter* saltem reducenda est in fidei principium, ad eam sanctionem se habens, tanquam motivum *formale*, ac *specificativum*, utpote, quod per consequentiam tum ex illo principio quâ *Majore*, tum ex prudentiæ infusæ subsumpto dictamine, quâ *Minore*, prodeuntem, esset Theologicè illativum præfatæ sanctionis Conciliaris.

67. Constat denique de Concilij Constantiensis, ac Lateranensis præadductis decretis, ea *virtualiter*, *in actu saltem exercito* reduci in fidei principium. Quid ni ergo talibus sanctionibus ea adhibeatur meritò reverentia, quam exigit veritas in fidei principium reducta. Viderint proinde adversarij, ne, si talibus sanctionibus deferre nolint, vel in fidei lumen, vel in prudentiæ supernaturalis facem impingant, sicque reputandi sint inter illos, *qui videntes, non vident, & intelligentes non intelligant.*

§. IV.

Corollarium.

68. COronidis loco videtur consultò hîc superaddendum Iuramentum ab Imperatoribus Romano Pontifici præstari solitum, prout habetur in *Clementina unicâ. de Iurejurando* à Clemente V. *editâ* in Concilio Viennensi. Vnde indubitatum deiumitur Imperatoris erga Summum Pontificem subjectionis argumentum. Res igitur ita se habet, prorsus digna, ut per extensum hîc exhibeatur: *Dudum sanè inter quondam Henricum Imperatorem, tunc Romanorum Regem, & Charissimum in Christo filium nostrum Robertum Siciliæ Regem gravi discordiâ suscitatâ: Nos multis, grandibúsque periculis, quæ exinde proventura verisimiliter timebantur, intendentes, celeri, & opportuno remedio obviare, quibusdam ex Fratribus nostris sanctæ Romana Ecclesiæ Cardinalibus existentibus tunc in urbe proreformandâ pace, & solidandâ concordiâ inter Reges eosdem, litteras nostras sub certa forma duximus destinandas, inter alia inserentes in eis, quòd, cùm ipsi Reges ejusdem Ecclesiæ specialissimi Filij sibi Iuramento fidelitatis, & aliàs multiplicitèr essent astricti, ipsius Ecclesiæ debeant esse promptissimi defensores. Dictis autem litteris in notitiam dicti Henrici ad Imperium jam promoti sic deductis, idem Henricus ab eisdem Cardinalibus requisitus, ut super contentis in illis suum propositum responderet, quasi molestè tulisset, quòd de Iuramento fidelitatis hujusmodi per eum præfato in dictis litteris mentio haberetur, non familiariter, nec secretè, ut tractandæ pacis qualitas exigebat, sed multis tabellionibus accersitis, & requisitis ab eo, quòd de responsionibus suis conficerent publica Instrumenta: inter cætera publicè, præsente multitudine hominum copiosâ, respondit, se non fore cuiquam ad Iuramentum fidelitatis astrictum, & quòd unquam fecerit Iuramentum fidelitatis alicui obligatus, & quòd ipse nesciebat, quòd Antecessores sui Romani Imperatores unquam Iuramentum hujusmodi præstitissent, simulans, se immemorem Iuramentorum, quæ nobis ante Coronationem suam præstiterat, & post coronationem etiam innovârat. Nos itaque attendentes, quòd hujusmodi responsio, si sub dissimulatione pertranseat, vel silentio pallietur, posset in magnum, & evidens præjudicium Romanæ Ecclesiæ redundare, dignum admodùm, & oppotunum fore prospeximus, ut de Iuramentis hujusmodi constitutioni præsenti aliqua breviter annectemus. Dictus namque Henricus quàm primùm fuit in Regem Romanorum electus, solemnes ad nos Nuntios destinavit, dans eis per suas patentes litteras plenum, & speciale mandatum exponendi Nobis pro eo devotionem ipsius, & reverentiam filialem, quam ad nos, & & Romanam Ecclesiam sincero gerere se dicebat affectu: nec non petendi, & impetrandi à nobis, favorem, & gratiam consuetos: offerendi quoque nobis, & præstandi pro eo, & in ipsius animam debitæ nobis, & eidem Ecclesiæ fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum, ac nihilominùs petendi à nobis per nostras sibi manus impendi unctionem, Consecrationem, & Romani Imperij Diadema. Præfatis itaque Nuntijs, in nostrâ, & Fratrum nostrorum præsentiâ constitutis, ac secundùm dicti tenorem mandati Avenione, ubi tunc eramus cum nostra Curia residentes, in publico Consistorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum, tam Clericorum, quàm Laicorum non modica multitudo, præmissis per eos coram nobis expositis supplicando petitis similiter, & oblatis: Nos eodem mandato, Decreto, electionis ejusdem Henrici ex parte Principum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, qui eundem elegerant, nobis per dictos Nuntios præsentatis plenâ cum eisdem fratribus deliberatione discussis factâque nobis de electione hujusmodi concordi, & legitimè plenâ fide, examinatâ quoque personâ ipsius Henrici, prout absentia patiebatur ejusdem, & de ipsius fide, probitate, & alijs, quæ in persona Imperatoris sunt meritò requirenda, cum pluribus Prælatis, & alijs magnæ authoritatis viris, qui ejusdem Henrici mores, conditionem, statum plenius noverant, inquisito, eiusque personâ, cujus etiam nos, & Fratres nostri aliqualem priùs notitiam habebamus, propter quod facilius transivimus in examinatione hujusmodi, idoneâ reputatâ, ipsum nominavimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque sufficientem, & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes Vnctionem, Consecrationem, Imperyque Romani Coronam sibi per manus nostras debere concedi: Et subsequenter à præfatis Nuntijs sufficiens ad hoc ab eo (ut præmittitur) mandatum habentibus secundùm formam in Decretis, quæ incipit, TibiDomino, comprehensam, fidelitatis recepimus juramentum: Postq; idem Henricus Consecrationis, & Coronationis suæ tempore aliud eisdem Cardinalibus, quos ad impendendum sibi hujusmodi Consecrationis, & Coronationis insignia miseramus ad urbem, illud nostro nomine recipientibus juramentum præstitit corporale, quod in libro Pontificali Romano præstandum Pontifici per Imperatorem Coronationis suæ tempore continetur: cujus tenor dignoscitur esse talis: Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator promitto, spondeo, & polliceor, atque ino coram Deo, & Beato Petro, me de cætero Protectorem, & Defensorem fore Sum-

mi

ni Pontificis, & hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo, & conservando possessiones, honores, & Iura ejus, quantum Divino suffultus adjutorio fuero, secundùm scire, & posse meum rectâ, & purâ fide: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Caterùm quin Iuramenta hujusmodi fidelitatis existant à retrò Romanis Principibus, non fuit hactenus hæsitatum: imò tam quondam Albertus Rex Romanorum immediatus prædecessor memorati Henrici Bonifacio Papæ VIII. prædecessori nostro tempore approbationis ejusdem Alberti, quàm Rodulphus pater ipsius, & alij Prædecessores ejusdem Romanorum Reges diversis nostris prædecessoribus juramentum fidelitatis, & obedientiæ præstiterunt. Idémque Bonifacius memoratum Albertum, juramento hujusmodi ab eo recepto, de Fratrum suorum consilio (præsente Prælatorum, & aliorum multitudine copiosâ) authoritate Apostolicâ recepit in specialem suum filium, & Ecclesiæ memoratæ, ipsúmque in Regem Romanorum assumpsit, in Imperatorem postmodùm promovendum. Verùm quia sæpe fatus Henricus, qui proximis diebus fuit de hac luce subtractus, non virtutè, & mentem, sed ne dum verborũ insectans corticem, sensúmque confundens, juramenta restringendo prædicta, curiosè videbatur asserere (ut præfertur) illa ad debitum fidelitatis hujusmodi extendi: novo morbo curiositatis hujus luculentæ veritatis antidotum præsentis declarationis oraculo providimus apponendum. Quia ergo Capitulis juramento fidelitatis contentis sollicitâ meditatione pensatis, ipsa Capitula in præfatis Imperatoris juramentijs quantum ad effectum mentem, & virtutem ipsorum non est dubium contineri: Nos præmissis & alijs rationibus, ne quis in Romanum assumptus Principem, vel in posterum assumendus, an juramenta hujusmodi per dictum Henricum Imperatorem præstita, & per successores ipsius in futurum præstanda, fidelitatis existant, in dubitationem deducere audeat, vel super his contrarium astruere veritati: authoritate Apostolicâ de Fratrum nostrorum consilio declaramus, illa Iuramenta prædicta fidelitatis existere, & censeri debere. Porrò præter Iuramenta prædicta idem Henricus suorum inhærens prædecessorum vestigijs, priusquàm ingrederetur Italiam, vel ibidem Iura aliqua excerceret, sub testimonio suarum patentium litterarum in manibus Dilecti filij Ioannis de Mollianis, Scholastici Ecclesiæ Tullensis, Capellani nostri, ad hoc specialiter per nos missi, nostro, & præfatæ Ecclesiæ nomine recipientis promisit, & tactis sacrosanctis Evangelijs, juramento firmavit, quòd eandem Ecclesiam, & fidem Catholicam purâ fide, totisque viribus conservaret reverenter, & etiam defensaret, omnemque Hæresim, Schisma, & Hæreticos quoslibet, fautores, receptatores, & defensores ipsorum exterminaret pro posse, ac nunquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet Communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto, unionem quamlibet, seu parentelam, aut confœderationem iniret, sed tam nostram, quàm successorum nostrorum personas, honorem, & statum manuteneret, defenderet, & conservaret contra omnes homines cujuscunque existerent præeminentiæ, dignitatis, vel statûs. Eidem etiam adijciens juramento, quòd manuteneret semper atque servaret privilegia omnia per prædecessores suos Reges, ac Imperatores Romanos præfatæ Romanæ, & alijs quibuslibet Ecclesijs quocunque concessa tempore, & continentiæ cujuscunque. Ipsaque omnia, & specialiter, ac præcipuè per claræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fridericum secundum, atque Rodulphum prædecessores ipsius super concessione, recognitione, advocatione, adnotatione, quittatione, & liberâ dimissione terrarum, & provinciarum Romanæ Ecclesiæ ubilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit, Sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus super quocunque tenore concessa recognovit, confirmavit, & ex certâ scientia innovavit, ac etiam de novo concessit: & terras ipsas, atque provincias recognovit ad jus, & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissimè pertinere: easque nihilominùs ex abundanti de novo Ecclesiæ sæpe fatæ donavit, sub prædicto se obligans juramento, quòd ipsas, aliquánve ipsarum partem nullo unquam tempore occuparet, seu quantum in eo esset, ab alio permitteret occupatri: nec in eis, aut aliqua parte ipsarum Iura aliqua, possessiones, aut tenutas haberet, seu quomodolibet possideret: nec in eis etiam potestariæ, seu cujusvis Capitaniæ, aut Iurisdictionem per se quamcunque, vel per alium exerceret: quódque (ut Princeps Catholicus, & sæpè dictæ Ecclesiæ Advocatus, atque Defensor) ipsam juvaret, & consilijs, & auxilijs illi assisteret opportunis, contra quoscunque inobedientes, & rebelles eidem & præcipuè contra occupantes, seu turbantes terras prædictas, seu provincias, vel partem quamlibet earundem. Sub eodem etiam juramento promisit, quòd tam ipsam Romanam Ecclesiam, quàm alias Ecclesias, libertatem Ecclesiasticam, bona, Iura, Prælatos, & Ministros Ecclesiarum ipsarum manuteneret, conservaret, atque defenderet, suo posse. Et quòd Ecclesiæ Romanæ Vasallos contra justitiam nullatenus offensurus, devotos, ac fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos benignè tractaret, nec eos opprimeret contra justitiam, aut (quantum in eo esset) per alium opprimi sustineret, sed in suis potiùs juribus, & justitijs conservaret. Hoc quoque juramentum, & etiam pristinum pro eo nobis per suos Nuntios (ut præmittitur) præstitum, receptis suæ coronationis insignijs innovavit, prout in patentibus ante coronationem ipsam ejus Regio magno sigillo, & alijs post coronationem eandem ejus Imperiali aureâ Bullâ munitis, inde confectis litteris (quas in Archivis Romanæ Ecclesiæ reponi, & diligenter conservari fecimus) plenius continetur.

DISQUISITIO IV.

An, & in quantum Pontificiæ protestatis super Reges protensio probari possit ex Historijs, & exemplis Summorum Pontificum?

§. I.

PRo isto probandi genere inserviunt tum ea, quæ *suprà Disquisit. 2.* dicta fuerunt, tum quæ ex Authore *tract. de libert. Gallican. lib. 4. cap.*

cap. 10. adferuntur in præsenti. Childericum III ait, Regem Galliæ non ante depositum fuerunt Franci, ut Pipinum sibi præficerent, quàm interveniſſet Romani Pontificis authoritas. Id expressè tradit Eginhardus Caroli Magni Secretarius in vita illius Imperatoris, his verbis: *Gens Merovingorum, de quâ Franci Reges sibi creare soliti erant usque ad Childericum Regem, qui jussu Stephani Pontificis Romani depositus, ac detonsus, atque in Monasterium detrusus est, durâsse putatur ..... Pipinus autem per authoritatem Romani Pontificis ex præfecto Palatij Rex constitutus, &c.* Et in Annalibus ad annum 749. *Burchardus Wirtziburgensis Episcopus, & Iolradus Presbyter Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Papam de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt: per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret; datâque authoritate suâ jussit, Pipinum Regem constitui.* Et ad annum 750. *Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacrâ unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi, & Martyris, & more Francorum elevatus in solium Regni, in civitate Suessonia. Childericus verò, qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite, in Monasterium missus est.*

2. Eginhardi fidem cùm dubiam efficere nequeat Ioannes Launoius, in restringendam Summi Pontificis authoritatem semper intentus; quippe cùm sciat, illum scriptorem & magnæ probitatis & exactæ sinceritatis fuisse, ac rem paulò anteà gestam, atque adeò sibi notissimam narrâsse, vitam Caroli ab eo scriptam corruptam fuisse, contendit; Annalium autem verba multifariàm versat, ut à proprio, & ut ita dicam, nativo sensu deflectat, 6. *par. Epist.* 9. ac primò quidem affirmat, contradictionem esse talem, quæ *vix dilui possit* inter loca vitæ Caroli Magni, & loca Annalium. Hæc contradictio, ni fallor, in eo esse illi visa est, quòd in vita Caroli Magni Childerici destitutio, & institutio Pipini tribuantur Stephano Papæ, in Annalibus verò Zachariæ; sed mirum est, quòd adeò acutus non viderit, aut, qui sinceriſſimos scriptores malæ fidei tam sæpe incusat, dissimulârit, imaginariam illam contradictionem se ipsâ evanescere, si verbis, quæ ipse retulit ex libello *de Majoribus Domûs Regiæ*, addantur sequentia, quæ ipse omisit. Nam ex utrorumque conjunctione liquet, rem à Zacharia sub finem Pontificatûs sui inchoatam, à Stephano ejus successore perfectam; aut à Zacharia per S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum factam, Stephanum per seipsum confirmâsse. Hæc refert Launoius: *His temporibus Hildericus in Regno Francorum substituitur, de quo Pipinus Dux legatos ad Zachariam Papã dirigit interrogans eum; si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam gereret. Detonso igitur Hildrico, & in Monasterium detruso, mox Franci Pipinum sibi Regem constituunt;* sequuntur autem ista; *Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat, Griphonem videlicet fratrem suum, Tassilonem quoque ex sorore nepotem; quorum alterum Austrasiorum, alterum Baiuariorum Ducem instituit. Denique Zachariâ defuncto, Stephanus succedit, qui in Franciam ad Pipinum, urgente necessitate, venit, eúmque, ac duos filios ejus Carolum, & Carlomannum pariter suæ benedictionis oleo perunxit.* Rem ita, ut diximus, gestam, contigisse, testantur alij scriptores infrà referendi.

Addit Launoius, Zachariam utpote consultum, mentem suam aperuisse, ut Consultorum mos est, non autem potestatem interposuisse. *Id*, inquit, *Eginhardi verba hæc (Pipinus more Francorum elevatus in solium Regni) omninò exigunt. Nam qui ante Hildricum, & Pipinum elevabantur in Regni solium, authoritate Francorum, non Romani Pontificis elevabantur.* At certè verba illa, *more Francorum*, neque *omninò*, neque *ex parte* exigunt consilium tantùm à Zacharia datum. Illorum enim sensus apertus est de cæremonijs in Regum elevatione observari solitis, non autem de electionis jure. Ac sicut ex ijs concludi non debet, nec potest, Romanum Pontificem non fuisse consultum, licèt is anteà non fuisset *more Francorum*; cùm Eginhardus consultationis expressam faciat mentionem, ita inferri non potest, Summum Pontificem consilio non adjunxisse authoritatem, cùm contrarium luculentissimè testetur Eginhardus his verbis; *jussu Stephani Romani Pontificis, datâque authoritate suâ jussit, Pipinum Regem constitui; secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Ita scilicet delicata evaserat paucis abhinc annis Francorum conscientia, ut nomen Regis ei tribuere non auderent, qui Regiam authoritatem jam erat adeptus, nisi Doctoris gravis opinione id sibi licere cognovissent. 3.

De antiquiorum Franciæ Regum unctione, quam hîc negat Launoius, viderint Franci, quid censendum sit, qui ad miraculum in Clodovei primi Christiani Regis Francorum gratiam factum, ejus originem referunt: mihi verba Eginhardi suprà relata Summi Pontificis authoritatem satis videntur significare, etiamsi excluderetur Pipini unctio, quæ à Zacharia Pontifice per Bonifacium, & à Stephano per seipsum facta narratur. 4.

Testimonium Eginhardi, quod solum sufficeret, quia, ut suprà innuimus, eo tempore vixit, quo rem narratam ignorare non potuit, & eâ sinceritate scripsit, ut fides ei negari non debeat, confirmant Aymonius *in lib. 4. de gest. Franc. cap. 61.* Regino Prumiensis Abbas *in lib. 2. Chronic.* Marianus Scotus *in lib. 3. Chronic.* Otto Frisingensis *in lib. 5. histor. cap. 21.* Abbas Urspergensis *in Chronico.* Sigebertus *in Chronico ad annum 750.* Paulus Æmilius *in lib. histor. Franc.* Fredegarius Scholasticus *in fine Chronici.* Guillelmus Nanguis *in Chronographia manuscripta.* Robertus Guaguinus *in lib. 3. histor. Franc.* Carolus Sigonius *in lib. 3. histor. de Regn. Ital.* quorum verba refert Launoius. 5.

noius. Attamen ipse suo more tot testimonijs, aliorum quorundam silentium anteponit.

6. 6. Imò illi unius scriptoris silentium sufficit adversùs affirmativa plurimorum testimonia. Sic enim *in hac Epistola de Anastasio*, Regnum Childerico abrogatum, & Francos sacramenti religione solutos tacente, scribit; *De Anastasij*, inquam, *silentio, quod, si circumspectione, & accuratâ consideratione perpendatur, de falsitate rerum istarum dubitandi locum nullum relinquit. Quis enim prudens, & attentus crederet, virum Sedis Apostolicæ magnitudini, & commodis addictum, & in Romanorum Pontificum scrinijs versatum, id commemorare, quod Gregorius VII. Otto Frisingensis, Abbas Vrspergensis, Ioannes Trithemius, & recentiores alij tam cupidè commemorant, neglexisse? Quis, inquam, prudens, & attentus hoc crederet, tum ex alijs, tum ex hoc quoque, quòd anteà simile nihil in Romana contigisset Ecclesia? Igitur Anastasius non tam silet, quàm eloquitur, non accidisse, quod illi accidisse narrant.*

7. Sed in quodcunque latus se vertat Launoius, tot & tam insignia sunt testimonia, quæ Summi Pontificis authoritatem in Childerici destitutione, ac Pipini institutione, interceßisse affirmant, ut lectis illis, etiam in ipsius Launoij Epistolâ, impossibile sit, eis fidem non habere, quantùm ad rem ipsam, quamvis ille suo argumento negativo ab Authorum silentio, vel alijs conjecturis, aliquas circumstantias validè confutaret, quod facere sibi immeritò visus est.

8. Misera enim cavillatio, quâ verba illa, *mandatum, jussus, authoritas*, & similia, quibus scriptores utuntur, cùm de Summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantùm consilium, aut opinionem interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac sinè præpostero affectu lectorum, contextu dissolvitur. Præsertim si Authorum ipsorum conditio attendatur, cur enim v. g. Eginhardus, cùm dixisset; *Pontifex mandavit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret*, quæ opinionem, & consilium abundè significàssent, addidisset, *datâque authoritate suâ jussit, Pipinum Regem constitui*: quæ verba de potestate non possunt non intelligi, nisi fides historiæ hanc declarationem postulâsset? An Eginhardi, jam à juventute in Aula Caroli Magni educati, intererat, cùm hæc scriberet, Summis Pontificibus abblandiri, vel eorum jurisdictionem ampliare in præjudicium Regum Francorum? An idem consilium fuit alijs scriptoribus Gallicanis tam multis?

9. An Sigebertus Gregorio VII. infensissimus, & Imperatoribus, quorum tempore scribebat, quorumque causâ Pontificibus tam parùm æquus fuit, addictissimus, depositioni Heinrici authoritatem accersere ab exemplo Regum Franciæ non prætermisisset, si aut historiæ integritas, aut evidens rei gestæ veritas permisisset? An simplex Papæ consilium, seu responsum his verbis expressisset? *Pipinus verò Princeps Apostolicâ authoritate, & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in Regem ungitur, & consecratur.* Ad annum 750. An, qui falsa non pauca in favorem Imperatorum, vel à se excogitata, testibus fide indignis accepta, narravit, tam incautè locutus fuisset, ut opinionem pareret, à suo affectu longè alienam, si eam dubiam habuisset?

An Otto Frisingensis, tot Imperatoribus sanguine conjunctus, quos inter, & Summos Pontifices altercationes interceßerunt, tam graves, tamque diuturnæ, ne Avi sui destitutionem à Gregorio VII. factam confirmaret, non abstinuisset verbis, quæ hanc Summi Pontificis authoritatem clarè denotant, si absque historiæ legum violatione potuisset? *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini 752. reversis à Roma nuncijs authoritate Papæ Pipinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus in Sueßiona civitate ad Regnum eligitur*, lib. 5. histor. cap. 22. *Anno Domini 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis sacramento, quod Hildrico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absolvitur, ac detonso Hildrico, & in Monasterium detruso, postmodùm in Regem inungitur.* Ibidem *cap. 23.* iterum in his verbis notare potes solutionem contradictionis, quæ à Launoio vocatur *pugna, quæ vix dilui possit.* Otto enim lucidissimè narrat, Pipinum & à Zacharia per Bonifacium Moguntinum, & à Stephano ipso unctum, ut dubitari non possit, Eginhardum idem factum modò uni, modò alteri Pontifici non tribuisse, sed cuique suum. 10.

Maximi ponderis est Ottonis testimonium, tum propter egregium viri meritum, tum propter accuratam in evolvendis historijs diligentiam, & in referendis fidem; tum denique, quia, cùm diu Parisijs versatus esset, sedulamque studio operam dedisset, facile ei fuit, veritatem addiscere. Pro suo erga Henricum Avum suum affectu legerat, & relegerat Imperatorum gesta, ut sciret, an anteà fuisset aliquis à Romanis Pontificibus excommunicatus, & depositus, negatque *lib. 6. cap. 35.* id anteà factum in Romanorum Reges, aut Imperatores, sed tantùm Philippicum aliquamdiu à Romano Pontifice inter Pœnitentes retentum, & Theodosium ab Ecclesia exclusum à Beato Ambrosio. Quis igitur credat, eum temerè ac sinè examine recepisse illam de Regibus Francorum historiam, quando-quidem ipse post verba relata, paucis interjectis, subjungit: *Ex hoc Romani Pontifices Regna mutandi authoritatem trahunt.* Putâne, rei ejusmodi originem sinè discussione admissam ab Ottone? 11.

Nónne Conradus Abbas Urspergensis, qui Gregorium IX. tam insolenter carpit, ut Frederico II. patrocinetur, suppressisset, si passa esset historiæ veritas, quæ authoritatem Papæ in Principes tam apertè præ se ferunt. Ait enim *in Chronico* ad annum 751. *Zacharias verò Papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret; datâque authoritate suâ, Pipinum Regem constitui jussit. Anno Domini 752. Pipinus per authoritatem Zachariæ Pa-* 12.

pæ more Francorum electus ad Regnum, per manus S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntiacensis elevatus est in Regni solium in Sueßionum civitate ..... Pipinus ex Præfecto Palatij authoritate Apostolicâ sublimatus, & unctus in Sedem Regni, posteà regnavit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum à juramento, quod Regni Primoribus fecerat. Hîc rursus vide compositam pugnam, quæ vix dilui posse Launoio videbatur.

13. Authoritatem suam in omnibus dubiam efficit, qui facta adeò certa, & tot testimonijs comprobata negare, ut Launoius, audet, ac impugnare totis viribus enititur.

§. II.

Referuntur adversariorum argumenta.

ARGUMENTUM I.

14. EX parte adversâ licet 1. argumentari ex actis Comitiorum Galliæ Anno 1615. coram Rege celebratorum, relatis à Gramondo *histor. Galliæ lib. 1. ad dictum Annum 1615.* cùm enim suo, & universi Cleri Gallicani, imò & Nobilitatis nomine Cardinalis Perronius *suprà* relatus, multis argumentis ostendisset, Summo Pontifici pro certis casibus esse jus in Regna & Reges: exinde *tertij Ordinis* ad Clerum *Delegati* responderunt, non esse novam apud Comitia generalia Galliæ, quam proponerent, thesin, denegantem Papæ illam authoritatem: trecentis abhinc annis, & ampliùs Gallis non ita creditum modò, sed & scriptum, ita vulgatam scripto eam doctrinam contra Bonifacium VIII. Summum Pontificem, quo tempore Regnum Galliæ Sedi Apostolicæ subjectum pronuntiaverat. Annum circa 1301. obstitisse rescripto Comitia trium Ordinum Parisios convocata, Summique Pontificis Legatum Archidiaconum Narbonensem acerbè increpâsse, moxque ad Cardinales scripsisse in hæc verba: *Nos Prælati, Abbates, Priores, Decani, Præpositi. Procuratores Capitulorum, Conventuum, Collegiorum, Vniversitatum, Vrbium &c. ab omni tempore dicitur Galliæ Regnum Deo uni subditum in temporalibus, quod omnibus notum est &c.*

15. Addebatur, diversas habuisse Christum ipsum à gladio claves, Petrumque, ubi in arma etiam justè proruperat, gladium mittere jussum in vaginam, ne, qui restaurandis instituebatur, truncaret membra. Mansuetè post regnâsse Ecclesiam, cui imperium est in volentes Summo Pontifici Vicario Christi, neque jus gladij, quamquàm Petri successori, esse, neque jurisdictionem, ubi de privatorum possessionibus agitur: item ubi de publicis nullibi probatam Primæ Sedis potestatem, adeò ut privatum, in hæresin, in idololatriam, in judaicam superstitionem, in omne nefas prolapsum, patrimonio suo dejiciat. Cur Magistratum? Cur Regem? Plúsne illi in publica jura, quàm in privata? Si esse contenditur, unde quæso? An ex Christi responso, qui à Pilato interrogatus, Rexne foret, Respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo &c.* Si diffitetur se Christus mundi Regem, hoc est, sinè potestate in mundum, ut Christus est, quo jure arrogabit sibi Vicarius jurisdictionem, quam sibi Christus ipse indebitam dixit?

Cæsares nemo negaverit, Reipublicæ Ro- 16.
manæ tyrannicè incubuisse: eos inter Tyberius sceleßus, nequam, proditor, incestuosus, adulter, idolorum cultor, crudelis & ferox, per quæ adigebatur populus sæpe in murmura, imò & in rebellionem, quasi indignus tributo foret, qui profligatè desolabat imperium, lanista per continuas cædes magis, quàm Princeps: ideóne minùs respondit Christus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo?* Sacramento solvere noluit Christus tyranni, ejusdemque pagani subditos, & volet Vicarius? Cæterùm si fidei Orthodoxæ fundamenta Rex quatit, jubens subdito, ut adoret sculptilia, qui Deo primitùs cultum debet; quid fieri Martyrem vetat, qui Christianus est? Non usque adeò parendum Regi, ut fides abdicetur, moriendum constanter. Hoc modo fieri satis præcepto Christi, quo jubemur reddere Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Cultum reddi Deo, cui debetur fides, vitam Regi, cui in subditos jus vitæ & necis est. Douciße Paulum exemplo & scripto, Regibus impressum esse desuper characterem, quo supremâ in subditos potestate jus dicant, exemplo, cùm verberibus cæsus obmutuit in exemplum Christi, cujus item morte admonemur, Principibus etiam tyrannis, Ecclesiæque persecutoribus obedire: scripto docuisse, patet ex vulgatâ epistolâ, quâ Principibus etiam discolis deberi obsequium clamat in hæc verba: *Omnis potestas à Deo est: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Responsio.

17. ADversùs hanc pro parte adversâ adductam argumentationem, quantum contingit Bonifacium VIII. respondet Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 9. n. 3.* Ibi cùm producta fuisset Bonifacij VIII. constitutio Extravagans *Vnam sanctam* inter communes relata *de majorit. & obedient;* subdit ille Author, videri, quòd ea constitutio à Bonifacio VIII. edita sit circa annum 1302. ardentibus jam inter ipsum, Regemque Galliæ Philippum simultatibus, quas multò etiam magis hoc decretum accendit. Sic enim illud interpretatos esse Galliæ Proceres, ut crederent, voluisse Bonifacium Galliæ Regnum sibi temporaliter, tanquam beneficiarium subesse, illudque à Papâ, non verò legitimâ successione accipi oportere, veluti legere sit in epistolis à Clero Gallicano ad Bonifacium datis *in libro Gallicano libertatum Ecclesiæ Gallicanæ n. 14.*

Clementem V. igitur, ut omnem dubi- 18.
tandi, dissidendique materiam amoveret, Bonifacianam illam explicâsse per Clementinam *Meruit. De privilegijs*, quâ definivit, Regem Galliæ per Bonifacij præinsinuatam constitu-

tionem

titionem non magis Ecclesiæ Romanæ subjectum esse, quàm antea fuerit. Sub qua declaratione agnosci aliquam, eamque antiquam subjectionem temporalem (de hac enim tantùm, non verò de spirituali dubitatum fuisse) cùm Clemens novam tantùm subjectionem excluserit.

Objectio.

19. EXcipi potest ex parte adversâ, quòd in illâ *Bonifaciana* ne apex quidem reperiatur, ac si Pontifex iste intenderit, Regnum Galliæ beneficiario titulo temporaliter subjectum sibi adscisceré, sed constitutio illa tota quanta nititur unicâ Oecumenicâ per Christum sanctâ, & in Evangelio fundatâ Summi Pontificis authoritate: quam Clemens V. ceu antiquam in Sanctione suâ *Meruit.* super Galliæ Regno unicè voluit integram, declarando, Regnum Galliæ respectu Sedis Apostolicæ in eo manere statu, quo erat ante Bonifacianam constitutionem. Quare Gallorum opinionē de Regno suo ad statum beneficiarij erga Sedem Apostolicam, per Bonifacium redigendo, haud nixam fuisse solido fundamento, arbitror, sed merâ suspicione, eoúsque tamen prævalente, ut propterea Clerus Gallicanus de eâ monendum duxerit Bonifacium, datis ad eum litteris, quæ habentur *in libro libertatum Ecclesiæ Gallicanæ n. 14.* Quæ suspicio meo judicio in tantum invaluerat, ut credam, propterea suscitatam hinc fuisse quæstionem super Ecclesiasticâ erga causas temporales Jurisdictione anno 1329. propositam coram Rege Philippo, ac egregiè nomine totius Cleri Gallicani à Cardinale Eduensi Bertrando defensam in publicis Regni Comitijs; uti *supra* pluribus ostensum fuit. Atque hoc est, quod *superiùs* insinuabatur, in Comitijs Gallicis anno 1615. celebratis, ex parte *tertij*, nempe Popularis *Ordinis*, fuisse Clero Gallicano objectum, quòd trecentis abhinc annis & ampliùs fuerit proposita illa thesis, de Papæ super causas temporales authoritate.

Responsio.

20. VErùm sicuti ante trecentos, & ultrà annos hanc thesin pro Summo Pontifice sustinuit Cardinalis Bertrandus, sic in hoc etiam sæculo, uti *in antecedentibus* visum est, Cardinalis Perronius eandem propositionem firmissimis defendit argumentis, ipsismet etiam Christianissimis pro tunc Regibus suæ authoritatis partes contribuentibus, Episcopisque, atque Archiepiscopis ac reliquo Gallicano Clero unà cum Nobilitate fortiter & constanter eam tuentibus; velut *ex antecedentibus* constat, & adhuc constabit ex dicendis *infrà*, reservatâ interim retorsione super sacræ Scripturæ textibus in adversæ partis præfatâ argumentatione allegatis, quamvis antehac super ijs fuerit responsum.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

EX parte adversâ licet 2. argumentari ex 21.
Popularis in Comitijs Parisiensibus Anno 1615. coram Rege celebratis *tertij Ordinis* Clero Gallicano repræsentatis insinuationibus hunc in modum propositis. Summis Pontificibus inesse hominum affectus: neque hodie supra nimbos positum adeò fastigium Apostolicæ Sedis, ut velut in Olympi cacumine maneant indeleta post annos mille sexcentos, quæ Christus in Petra exaravit, æquamimitas, ovium cura solers & innocens, judicia procul à privatis rebus æqua in omnes. Posse spectari Principum gesta ab infensâ Româ, velut cùm medio vitri colore inspicitur cælum futurum albescens, nigrum, aut viride, prout vitro infusus color. Sic posse illudi Romano Pontifici per vulgatos in majus Regum errores, aut explicatâ in deterius vitâ ipsorum. Et Summis Pontificibus suos esse Aulicos, qui summam rei Romanæ tenent: ex privato ipsorum odio, futuram sæpe in Reges publicam ultionem. Sic collata Regum jura in arbitrium privati hominis quandoque suspecti. Ipsos Pontifices Romanos, ut homines sunt, posse nullâ in apertum causâ per naturæ impetum, gratiâ impelli, aut odio, in hoc, vel illud Regnum, in hunc, vel illum Regem: quâ propensione soluto stateræ æquilibrio, plerumque minas intentabit Principibus, aut fulmina vibrait parum amica manu. Quæ si injuriâ fient, ut ferunt persæpe rerum humanarum vices, quid juris erit? Summos Pontifices sæpe hominum fragilia induisse, & in ipsos Reges peccâsse privatæ rei studio, docemur pluribus exemplis, præcipuè Alexandri III. Huic, cùm esset, quod de Imperatore Friderico quereretur, habuisse supplicem, & iràs humiliter deprecantem: sed uti fertur, insultâsse jacenti ad pedes, superimposito per hæc verba in caput jacentis vestigio: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Zelum pro domo Dei ob temeratam ab Imperatore Petri dignitatem dixisses, nisi sibi & Petro debitum obsequium respondisset. Cùm privatas res miscuit rebus Petri per hæc verba: *Et mihi & Petro*, prodidit se hominem esse, naturâ in affectus pravos pronum. Quem iracundiæ calorem, aut arrogantiæ lubricum in successorem aliquem diffundi posse, nemo negaverit. In ijs, quæ de fide non sunt, posse quandoque decipi Summos Pontifices.

Regibus Deum esse judicem unum ex Pro- 22.
phetâ Rege, dum dixit: *Tibi soli peccavi.* Subscribi à Clero Gallicano Concilij Constantiensis doctrinæ, quæ Reges etiam tyrannicè sævientes necari vetat; quæ doctrina valere nequeat, si Summi Pontificis arbitrio stat, Regibus interdicere Regno, subditosque nexu solvere, quo fidem debent. Interdicti hic effectus est, ut subditi fiant sui juris. Quo posito, quid vetabit sui juris factos, necare hostem publicum? Non chrisma, qui inunctus esse desijt: non Regni lex, quia solio dejectus, privatus erit, & hostis publicus. Ergo si

Summo Pontifici, Regem exauthorare, consequens est, ut liceat subdito interficere. Exauthoratio excommunicationem sequitur, hæc maledictis constat, quæ ubi à Summa Sede jaciuntur in quoscunque, excitantur in vivos ipsa inanima, sorbentur aquis, hiatu hauriuntur, fortuito igne cremantur &c. Nunquam à tertio Ordine propositam hanc thesin, ut de Theologicâ fide; sed datam in publicum, ut ex politicâ Magistratuum ordinatione de politicis esse doctrinam, vindicet sibi Theologicus Clerus. Immitti casu, de quo agitur, falcem à Clero in messem alienam, multò magis, quàm à tertio Ordine, cujus est de re politicâ disputatio. Fides nomen æquivocum est, uti Deo debetur, ita & Regibus: his debitam à subditis cuique suis fidem, eoque sensu dici posse de fide doctrinam. Si juraverint, politicè à se ita creditum, inaugurandi in Galliâ Episcopi & Magistratus, quid est Summo Pontifici, quòd queri possit? Nemini tam altè impressam hanc pro Romanâ Sede doctrinam, ut credat, Summo Pontifici jus esse in hæretici bona, ridiculum sanè, deteriùs haberi Regem subdito. Insanum fore Regem, si præsumpserit sibi jus datum, ut Summum Pontificem è Sede depellat quocunque casu. Nullam Regibus in Primam Sedem Jurisdictionem, nullam Primæ Sedi in Reges esse.

Responsio.

23. SUper præductâ adversæ partis argumentatione (quoad Summorum Pontificum privata quandoque affectionum studia, & deceptionum ex Aulicis discrimina) responsio aliqua in rem præsentem videtur adferri posse ex ijs, quæ profert Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 14.* Canonibus, inquiens, ex quibus Papæ super Reges authoritas comprobata fuit, forsitan opponi posset: eos à Summis Pontificibus editos esse in causâ propriâ, nec proinde mereri fidem indubitatam, nec in Gallijs receptos esse. Verùm hæc exceptio videtur nimis imbecilla, ut tanti, tantorumque Patrum authoritatibus opponi queat, cùm illorum aliqua decreta in Concilijs etiam Oecumenicis edita fuerint, & universim inserta Juri publico, usu & approbatione non cujuscunque, sed sanctissimorum Patrum & Doctorum, uti dicetur, recepta, ac exemplis, cursuque tot sæculorum munita fuerint. Adhæc notissimum ac receptissimum est Juris principium, quemlibet judicem, seu ordinarium, seu delegatum cognoscere, & judicare posse, an sua sit jurisdictio. *Lege Si quis ex aliena. ff. De judicijs. Leg. 2. ff. Si quis in jus vocatus.* Et si judex cognoverit, suam esse jurisdictionem, valet mandatis pœnalibus contra non obtemperantes eam defendere. *Leg. 1. in princip. ff. Si jus dicenti.* Quod verissimum saltem est in Principe supremo, nec alteri subjecto, qualis est Summus Pontifex, ac ingenuè fassa est Synodus Sinuessana trecentorum Episcoporum in causâ Marcellini Pontificis, juxta *Cap. Nunc autem. 7. dist. Primam Sedem non judicari à quoquam.* Quia igitur nemo alius est, qui Pontifici Maximo jus dicat, de sua jurisdictione ipse cognoscat; necessitas cognoscendi & in propriâ causâ judicandi, imò potiùs maximè in causâ Christi & Ecclesiæ, suspicione illum absolvit, maximè cùm nulla sit Pontifici in Principes, eorumque jura & dominia potestas, nisi cùm Ecclesiæ publica causa hoc remedium & necessarium & ultimum extorqueat.

Reflexio.

REflexionem faciendo super præductâ partis adversæ argumentatione, occurrunt sequentia exactiùs discutienda. Ex ea namque parte, quâ Summorum Pontificum minùs ordinatæ affectiones in procedendo erga Reges, taxantur, nihil de istis habemus agendum in præsenti causâ, utpote quam neutiquam probatam volumus, nisi quatenus Sui Pontifices sententias & sanctiones in suis erga Reges processibus ex Verbo Dei ceu fidei principio, per meritorum causæ, sub infusæ prudentiæ directivo lumine sublumptionem, deduxerunt, atque statuerunt. Sub quo Theologico in Canonibus sanciendis tam Conciljs, quàm Pontificibus familiari, argumentandi genere irrepere haud potest seu error, seu prava affectio, Spiritu sancto omnem eam *materialem* concretionem, cui subesse potest falsum, omnemque inordinatam concupiscentiam, quæ affectionis depravationem generare solet, per gratiam suam abstergente ac depurante, uti visum est *in antecedentibus*, & ex professo ostendetur *infrà in quarto articulo.* 24.

Et hinc Alexandri III. erga Fridericum Imperatorem duriùs prolata verba haud importabant pravæ affectionis, sed puræ erga Dei Domum, Religionis Zelum, ipsomet Pontifice, & Petro, & sibi eatenus vendicante debitæ humiliationis reverentiam, quatenus sibi, ceu Christi Vicario eandem, quæ fuerat in Petro, competeret Apostolicæ authoritatis agnitio ac reverentia. 25.

Esto porrò, Regem, uti quosque alios fideles soli Deo peccare, habitâ reflexione ad propriam peccati rationem ac reatum: nunquid autem hic peccati reatus subest sanctæ Ecclesiæ clavibus, non solùm *in ordine ad forum Sacramentale*, sed etiam *in ordine ad virgam correctoriam Matth. 18.* sancitam, atque *in foro etiam externo* exercendam in vi indefinitæ, Petri successori æquè ac Petro concessæ, *ad ligandum & solvendum, adeoque judicandum quodcunque, quod super terram morale est*, de ordinabilitate erga Regnum cælorum vel participans, vel deficiens? In vi cujus adeò per Christum constitutæ authoritatis, aut Reges à *morali* ad Regnum cælorum ordine excluso, aut Summi Pontificis virgæ correctoriæ subjectos fareri, oportet. 26.

Pessima insuper est argumentatio ex eo, quòd, si posset Ecclesia subditos à Regis sui jurejurando solvere, hinc contra Concilij Constantiensis decretum liceret cuique, ipsum interficere. Etenim quod in Rege est *morale*, in vi characteris Christi, quo in Baptismate est 27.

est insignitus, *indirectè & materialiter* subijcitur equidem sanctæ Ecclesiæ clavibus, non verò quod est *physicum* in homine, cujusmodi est vita Regis, ad quam è medio tollendam, nullus Pontificum noscitur unquam protendisse virgam suam coercitivam, seu authoritatis sibi Divinitus traditæ gladium, sub *indirecta* etiam, ac *materiali* solummodò super eam prostituendam protensione. Quòd denique Regia & Pontificia potestates causentur esse disparatæ, nullam inter se subordinationem obtinentes, fideique æquivocè usurpatæ, Regi æquè ac Pontifici in suâ cujusve sphærâ convenientis, debitum absque ullo subordinationis ordine prætendatur; hæc *in antecedentibus*, ceu à fidei principijs aliena, fusè habentur confutata.

ARGUMENTUM III.

Adversariorum.

28. EX parte adversâ licet 3. argumentari ex præinsinuatâ *Popularis* Ordinis in Comitijs Parisiensibus peroratione. Ita namque pergitur *ibidem*. Citatos à Perronio Authores non de Summo Pontifice, sed Comitijs Regni generalibus scripsisse, quibus nescio, ac jure arrogant, ut Regem etiam Tyrannum regno amovere possint. Ita Childericum per Comitia Regni dejectum: ita substitutum Pipinum consilio juxta, & authoritate insignem, uno post tot sæcula exemplo. Quæ de Clothario narrantur, fabulosa esse, neque Pontifici Romano jus addicere, etiamsi vera, nisi in spiritualibus. Institisse Philippum Pulchrum, & Ludovicum XII. contra Bonifacium VIII. & Julium III. Gallorum Reges, quamvis Sedis Apostolicæ filij sint, emancipatos esse, suique juris, adeò, ut propria ipsis habeantur, quæ possident. Dignum esse, quòd trahatur ad posteros placitum Lutetiani Parlamenti, quo annum circa 1569. regnante Carolo IX. Gallorum Rege, Banquarellus, in sacrâ Theologiâ apud Sorbonam Baccalaureus, habitu nudus, & tœdifer, mulctam honoris passus, ejerâsse fertur opinionem, quæ Summo Pontifici jus dixerat in Reges. Dici immissam super vulgato apud Gallos miraculo ampullam liquore plenam, quo ungi solent Reges, ut doceamur, à Deo esse, quòd regnant, nudique ministerij officium Ecclesiæ militantis, cum illâ operante unguntur. Hinc esse, quòd Dei gratiâ Reges dici solent, ne Galli quidem, sed & reliqui longè post illos. His igitur vindicabat authoritatem Regiam *tertius* Comitiorum Generalium Ordo. *Assensère Lutetiani Parlamenti Patres, nec multò post vulgatum confœderatæ sententiæ placitum in hanc summam: regnante procuratore Regio, Senatus censuit, pro lege politica, Regnoque fundamentali habendum posthac: quòd Rex Galliæ unius Dei beneficio regnat, quòd neminem in temporalibus agnoscit: quòd sacrum ipsius caput est: adeò, ut nemini jus sit, eum quocunque prætextu occidere.*

Responsio.

29. SUper hâc partis adversæ sermocinatione *responsionis loco* adduci potest, tum quod *præcitatus* Gramondus subijcit; Excanduisse Clerum super eo Parlamenti Regij placito, objecisseque, non eas esse Parlamenti partes, ut ultrò respondeat: Comitijs Galliæ Generalibus convocatis, Regium omne jus translatum in ipsa: adeò, ut velut justitio indicto, cessare debeat Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eandem sententiam, nec ideo contrariam opinionem valere, quia ita populus censet, duorum vota & calculos prævalere: neque id muneris Parlamento, ut Comitiorum Generalium placitis intercedat, præreptam alioquin Provinciarum Oratoribus libertatem, quorum est, summo jure dicere de Republicâ, sub Regis placito.

Clero Sedis Romanæ Orator adjunctus 30.
(Nuntium vocant) vindicabat Apostolicam authoritatem, dissidioque res haud procul aberat, nisi Cardinalis Sordisius ad Regem delegatus obtineret, in suspenso haberi theses, donec opportunè discussæ irent in legem, aut penitùs abrogarentur. Vulgatur interea placitum Lutetiani Parlamenti, præstoque datum id magnâ approbatione per urbem: exin toto latè Regno diffunditur. A Clero Delegati iterum detorquent novum à Rege diploma, quo mulctam pecuniæ patitur Typographus ab edito Parlamenti arresto: unde probis stupor ediderat, sub fide publicâ nullâ jussus in contrarium lege, & pœnas luit: at magè luit Parlamentum, cujus petebatur authoritas. Quidni ergo modernus Gallicanus Clerus imitetur hoc pristini Cleri Gallicani exemplum?

Sed hîc fortassis excipietur. *Theses illas* 31.
in suspenso habitas fuisse, donec opportuno tempore discuterentur, ac vel in legem irent, vel penitùs abrogarentur. At numquid moderni temporis opportunitas jam exigebat à Clero Gallicano thesium illarum discussionem? Num Ecclesiæ Gallicanæ conservatio urgebat, ut ejusmodi propositionum fieret per Clerum approbatio? Dignissimum profectò est, super hac re audire Authorem *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. cap. 13.* ita differentem: *Vera libertatum Ecclesiæ Gallicanæ origo fuit, cùm Clerus illius Regni Beneficiorum à Pontificibus, vel Pseudo-Pontificibus tempore schismatis oppressi, cœperunt invocato sæculari auxilio, jugum illud excutere, tanquam servitutem antiquæ libertatis, Canonibus consentaneæ, contrariam. Nec aliud erant illæ libertates in sua origine, quàm libera Beneficiorum & reditum Ecclesiasticorum dispositio adversùs Pontifices illos, eorumq; Officiales vindicata. Quæ quidem defensio, quia necessaria, & in se justa videbatur, maximas statim vires adepta est, & sensim sinè sensu ad alia excurrit, in quibus minus erat justitiæ.*

Hactenus tamen nunquam Clerus Gallicanus 32.
Ecclesiæ suæ libertates obtenderat adversùs Curiam Romanam, nisi quando ab ea se nimis premi, ac juribus suis spoliari arbitrabatur. Modò autem cùm Summus Pontifex Ecclesias Gallicanas à gravissima Regaliæ servitute liberas servare contendit, Ecclesiæ Gallicanæ libertates illi objiciuntur, ac gravissimorum dissidiorum semina sparguntur. Quovis colore suam declarationem Antistites Parisijs congregati obdu-

obducant, eam sapientibus non probabunt; multò minùs ejus edendæ consilium. Quis enim obtusè adeò ingenij reperiri queat, qui actum illum eò spectare non animadvertat, ut Curia Romana odiosis illis propositionibus perturbata, cogitationes suas à Regaliæ negotio avertat, eoq; conferat, ut in tanti momenti rebus authoritas sua tam grave detrimentum non patiatur, sed malit, Ecclesias Gallicanas libertate, quàm Sedem Apostolicam authoritate, & dignitate suâ careat?

33. Firmatur præadducta Responsio ex dissertatione, quam exornat Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 10. in fine.* Ubi cùm hic Author quæsiviſſet; *An Summus Pontifex in Reges & Regna temporalem habeat potestatem?* Respondet, *absolutè* negari posse hanc Papæ; cùm enim hæc, quâ Summus Pontifex potitur, potestas respectu Regum, atque causarum temporalium sit *indirecta, subsidiaria, per accidens, & extraordinaria*, non denominat subjectum, utpote quod tale dicitur ab ijs, quæ plerumque, non verò rarò accidunt. *Per legem 3. & 4. ff. De LL.* Atque in hoc sensu, ait, loqui Innocentium III. in Cap. *Per Venerabilem. Qui filij sint legitimi.* Et *cap. Novit. De Iudicijs.* ubi *absolutè* Summus Pontifex negat, sibi esse potestatem temporalem in Reges Galliæ; eâque si uteretur, indebitam & usurpatam fore. Hæc igitur dicti Authoris verba conferendo cum Parlamenti Lutetiani præadducto edicto, nunquid verificaretur, quòd Rex Galliæ unius Dei beneficio regnet, utpote jus suum Regium à nullis extra Deum quasi beneficiario titulo acceptum ferens, neminem in temporalibus agnoscit? Num ergo & Cleri Gallicani *primam* propositionem in hunc quoque sensum exponere nefas foret?

34. Sed revertendo ad ea, quæ *tertij* Ordinis Orator protulerat, *ex sequenti disquisitione* patebit, quàm perperam negârit, Authores à Perronio Cardinale *superiùs* allegatos non loqui de Summo Pontifice, ejusque erga Reges authorirate. Quæ de Childerici abdicatione, ac Pipini ad Regium diadema per authoritatem Pontificiam suffectionis exemplis peroravit Perronius, habere maximum pro Pontificiâ potestate comprobandâ pondus, patet ex dictis *supra §. 1.* patebitque ulteriùs *ex sequenti conclusione*, unà cum ijs, quæ Bonifacij VIII. cum Philippo Pulchro, & Julij III. cum Ludovico XII. actiones concernunt.

35. Nec est, cur Lutetiani Parlamenti adversùs Banquarellum Anno 1569. latæ sententiæ immoremur, dum ejusdem Parisiensis Parlamenti edictum Anno 1615. editum in pari causâ fuit Regiâ authoritate abrogatum. Regia equidem potestas in se *formaliter* est à solo Deo, haud minùs, quàm ampulla liquore plena ad Franciæ Regem coronandum, olim cælitus immissa: attamen sicut hujus applicatio indiget Ecclesiastici ministerij unctione, sic Regiæ quoque potestatis ad certum subjectum applicatio ex hæreditariâ, non nisi per humanas constitutiones sancitâ successione dependens, quâ *moralitatis in regnum Cælorum ordinabilis*, ex fidei principijs noscitur capax esse, *indirectè* saltem, ac *materialiter* subjacet pro certis extraordinarijs casibus Oecumenici Ecclesiæ Pastoris authoritati; uti probatum jam dedimus, & ulteriùs dabimus *in subsequentibus.*

CONCLUSIO.

PRæadducta Summorum Pontificum exempla exhibent argumenta perquàm efficacia, ad probandam Pontificiæ supra Reges potestatis extensionem.

Explicatur. In Summis Pontificibus duo 36.
sunt actuum genera. *Vnum* respicit Papam, ceu sui principium *effectivum*, quâ homo est, ex congenitâ sibi fallaciæ, & ad malum pronitatis affectione operans. *Alterum* respicit Papam, ceu sui principium, quâ Pontifex est, ex Oecumenici sui muneris Pastoralis authoritate definiens, aut decernens. Declarari potest hæc distinctio ex homine justo, qui, si operetur ut homo, mendax est, & ad malum pronus, facileque profert fructus malos in genere tam veritatis, quàm moris pessimos. Si operetur ut justus, cui ut sic operandi principium *radicale* est gratia sanctificans, proximum verò principium sunt virtutes per se infusæ ac supernaturales, unà cum gratiæ excitantis, adjuvantis & cooperantis actualibus Dei auxilijs: ut sic quodvis supernaturale opus ex quacunque *moralis* virtute promanans reduci debet in fidem, & huic ceu fundamento superstructum lumen prudentiale supernaturale, ceu principium sui *directivum*. Pari proportionaliter modo, si Papa in se dominari sinat congenitæ fallaciæ, & ad malum pronitatis affectionem, non nisi spinas & tribulos germinabit terra ipsius. Si verò autem & purè decernat ex Oecumenici Pastoralis Officij sui authoritate, considerandum nobis in hac venit, quòd sit superstructa Petræ, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt. In hoc proinde agendi genere Papa se reflectens super virgam correctoriam & coercitivam, sibi à Christo concessam, cum potestate ligandi & solvendi *quodcunque*, quod in homine per Christianum characterem insignito *super terram morale* est *ad Regnum Cælorum ordinabile*, ut sic omnimodi decreti sui Apostolici *directivum* Principium præ oculis habet indubitatum principium; quod per prudentiam gubernativam non naturalem, sed supernaturalem applicando ad casus particulares, sub isto prudentiæ quasi Divinizatæ lumine ex prætacto fidei principio infert sanctionem in duplici, altero fidei, altero prudentiæ infusæ utrinque certo, fallaciæ ac nequitiæ per *intrinsecam* supernaturalitatis suæ in Spiritum sanctum ceu principium reducendæ puritatem, experte principio.

Res hæc apertiùs declarari potest sub Oe- 37.
cumenicæ Pontificiæ authoritatis comparatione ad lumen Propheticum. Hoc, si homini Divinitus concessum fuerit, minimè facit, ne homo Prophetiæ dono ditatus, sit obnoxius fallaci & fallibili, atque ad malum pronæ humanæ conditioni, maximè cùm lumen Propheticum sit gratia gratis data, potens in existere homini etiam peccatori, imò infideli; ut constat

constat de Sybillis veris Prophetissis, sed Ethnicis. Nihilominùs quando is, qui Prophetiæ gratiâ est diratus, intendit in lumen Propheticum, ex hoc Divinizando, ac revelando veritates absconditas, nequit ulla subesse falsitas ac deceptio, quippe cùm actus propheticus, quâ procedens ex lumine prophetiæ, nequeat *in se*, ac *intrinsecè* coinquinari specie mendacij, quin hæc impuritas reducenda foret in luminis Prophetici principium, Spiritum sanctum, quod ne cogitare quidem, minùs asseverare licet absque horribili blasphemiâ. Sic Oecumenica pastoralis muneris potestas, quantumvis inexistat homini per naturam suam fallaci, ac mendaci, & fallibili, & in moribus defectibili, attamen per ipsam Christi institutionem ita est fundata super fidei petram, ut cunctæ actiones ex eâ promanantes reducendæ sint in fidei principium, ejus Oecumenicæ potestatis super omni in terris *morali ad Regnum cælorum ordinabili* protensæ, eatenus directivum, ut, si de particularibus casibus est sanciendum, decernat per prudentiale Divinitus infusæ prudentiæ lumen supernaturale, ab omni adeò seu *morali* defectibilitate, seu intellectuali fallibilitate, atque fallaciæ labe depuratum. Quando igitur in præsenti disquisitione procedimus ad Pontificiæ potestatis super Reges protensionem, ex Summorum Pontificum exemplis comprobandam, nobis sermo non est, nisi de eorum actibus, quâ promanantibus ex illâ Apostolicæ authoritatis Oecumenicâ potestate, per naturam suam resolubili in certum fidei principium, uti *in antecedentibus* ostensum fuit, & adhuc *ostendetur ex decursu præsentis ac subsequentis paragraphi*, accuratiusque, *ac ex professo* ostendetur *in Articulo quarto*.

PROBATIO I.

In qua refutatur *primum* Adversariorum argumentum.

38. ETenim Ordo *Popularis* in præallegatis Parisiensibus Comitijs generalibus nitebatur vim facere, ex Divinæ Scripturæ antehac quidem jam discussis sacris textibus. At eo ipso, quòd Christus à Pilato interrogatus: *Rex ne foret?* responderit: *Regnum meum non est de hoc mundo*: ex clarâ hujus responsi litterâ noscitur, asseruisse sibi Regnum aliquod, non utique aliud, quàm illud, de quo Angelus *Lucæ 1.* prædixerat Mariæ; fore, ut filius ex eâ nascitus regnaret in domo Jacob, nempe in Ecclesiâ, quod adeò Propheta Regius *Psal. 2.* describens, inducit Patrem Æternum Christo Filio suo loquentem: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferreâ*, &c. In quo Propheticotextu singulariter notandum venit, gentes non priùs, quàm fierent hæreditas & possessio Christi per fidem in Ecclesiæ unitatem coadunata, & ad terræ terminos usque protensa, esse de illo Christi regno, cujus Virgam Regiam, oporteret, etiam ferream esse.

39. Quod ergo Christus coram Pilato sibi asseruerat Regnum, neque *Originativè*, neque ex ordine ad suum *formale* objectum etiam *specificativè* existit de hoc mundo, idque secundùm apertam Christi sententiam, pollet authoritate virgæ etiam ferreæ. At Christus ascendens in cælum, hujus Regni gubernationem *per se* visibiliter subire noluit, sed Vicarium sibi constituit Petrum, cùm perpetuo ad Ecclesiæ Regnum æternum duraturo successionis ordine. In hoc igitur vicario Christi Regno, oportet, jam esse illam virgam ferream, cum Oecumenicâ super cunctas Christi oves, earumque omnimodas *in Regnum cælorum ordinabiles moralitates* protensâ indefinitâ ligandi & solvendi potestate. Cùm proinde Christus jubens reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt, se tanquam Deum haudquaquam ab isto præcepto suo excludere aut voluerit, aut potuerit, illa autem Oecumenicæ potestatis virga Regia & ferrea solùm vicario modo sit communicata Petri successori, *Principaliter* autem sit de jure Christi, manifestè evincitur, illis quoque Christi verbis, quibus dictum est, reddenda esse Deo, quæ Dei sunt, contineri mandatum Divinum de virgâ illâ regiâ, Oecumenico sanctæ Ecclesiæ, ceu Regni Christiani Pastori concessâ, à cunctis fidelibus Christi charactere insignitis recognoscendâ. Et ideo, dum Apostolus præcipit: Ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Vi hujus Apostolici mandati Reges universos, charactere Christiano insignitos, oportet, Oecumenicæ Papæ potestati, ejusque virgæ correctoriæ, atque coercitivæ etiam ferreæ subjectos esse.

PROBATIO II.

In quâ refellitur *secundum* Adversariorum argumentum.

40. PRætactus Ordinis *Popularis* in Comitijs Francicis adversùs Clerum declamator contra Summorum Pontificum actus vim facere contendit ex eo, quòd Apostolicæ Sedis fastigium non ita sit positum super nimbos, ut velut in Olympi cacumine affectuum humanorum imbres eam non attingant. Verùm ex *suprà* dictis constat, si Summorum Pontificum actus profluant ex Sedis Apostolicæ authoritate, eatenus reduci in fidei principium sub prudentiæ infusæ circa particularia supernaturali lumine, ut certè supra affectionum pravatum, fallaciarumque imbres sit constituta ea per Christum sancita authoritas, commaculari haud potens vel ex *morali* defectibilitate, vel fallibilitate homini congenitâ.

41. Sed inquies: *Unde dignoscere licebit, Summos Pontifices in suis erga Reges processibus ac sententijs, non quâ fallaces ac mendaces, pravisque affectionibus obnoxios, sed quâ Oecumenicos Pastores verè egisse ex Christi Vicaria authoritate?*

42. Super hoc equidem respondet Author *Regalis Sacerdotij in fine cit. §. 15.* Ad judicium super ejusmodi Pontificijs antehac deductis actibus formandum, congruè attendi posse ac debere sanctitatem, & doctrinam Summorum Pontificum, à quibus sanctiones, aut sententiæ

 hujus-

hujusmodi promanârunt, nempe Gregorij Magni, Zachariæ I. Stephani III. Gregorij II. Gregorij X. Leonis III. Pij V. inter Sanctos, Beatósve relatorum, quibus nefas foret, imponere, ac si suæ Pontificiæ dignitatis juribus haud contenti, aliena voluissent invadere.

43. Verùm hæc ratio adfert argumentum aliquod haud adæquatum, nec à *priori*, sed à *posteriori*, duntaxat ostensivum, quòd actus illi, ceu verè Pontificij, ab omni adeò pravæ affectionis labe depurati, meritò reputandi sint. Quare si quis eorum actuum, quà à Christi vicariâ authoritate, vel quà ab hominibus fallaciæ ac nequitiæ obnoxijs promanantium, signum & argumentum à *priori* ostensivum desiderat, sacros Pontificum, Conciliorumque Oecumenicorum Canones *in duabus proximè præcedentibus Disquisitionibus* multifariam adductos consulat, in quibus pronum erit advertere, qualiter sanctiones hujusmodi in ipsa fidei principia sub prudentiali haud purè naturali, sed per infusæ prudentiæ lumen supernaturale sublimato, & quasi Divinizato, erga publicum solummodò Ecclesiæ ac Religionis Orthodoxæ bonum, seu necessitatem reflexo dictamine resolvantur. Atque hic est character propriè discretivus Pontificiorum actuum qua talium, à Pontificum actibus merè humanis.

PROBATIO III.

In qua refutatur *tertium* Adversariorum argumentum.

44. IN hoc enim contendebat præinsinuati *Popularis* Ordinis Orator, Childericum III. Francorum Regem, non authoritate Pontificiâ, sed Comitiorum generalium decreto fuisse depositum, ejusque loco ad Regium diadema evectum Pipinum. Num ergo hic Orator Comitia Regni contendit eatenus supra Regium Caput constituere, ut ejus depositio, alteriusque suffectio ab eorum placito dependeat? *Quæ in §. 1. præs. Disquis.* ex Authore *tract. de Libert. Gallican.* sunt adducta, clarè probant, tum Zachariam I. tum Stephanum III. à Francis interpellatos de Childerico deijciendo, & Pipino in Regem evehendo, authoritatem suam Apostolicam interposuisse in tantum, ut ea Pipini ad solium Regium evectio illis Summis Pontificibus indubitatò adscribatur.

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta.

ARGUMENTUM I.

45. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 15.* ad præsens institutum argumentatur I. ab exemplis Zachariæ Pontificis, Stephani Papæ III. Hadriani Papæ IV. Gregorij II. & Leonis III. Etenim Anno 51. jussu & authoritate Zachariæ Pontificis Childericus III. ob inertiam, regendique imperitiam Regno depositus, & Pipinus bello & potentiâ insignis, in thronũ provectus fuit; uti testantur Æmilius *in historiâ rerum Francicar. & vitâ Childerici III. fol. 46.* Eginhardus *in vitâ Caroli Magni ab initio.* Regino *in Chronico*, Otho Frisingensis *lib. 5. cap. 22.* Fredegarius *ad Annum 751. fol. 161.* Annales Francici à Pithœo editi *ad Annum 752.* Abbas Urspergensis *ad Annum 753. circa finem.* Spondanus *ad Annum 751.*

Anno dein 754. Stephanus Papa Parisiis Pipinum & filios Reges coronat, ac Principes Francos juramento adigit, nunquam ex alia, quàm Pipini stirpe Regem electuros. Ex Æmilio *in vitâ Pipini.* Ludovico Imperatore Magni Caroli filio *in Epist. ad Hilduinum.* Abbate Vrspergense *ad Annum 153.* Ganguino *hist. Franc. lib. 3. fol. 45.* Ioanne Nauclero *vol. 3. generat. 26.*

Anno insuper 774. Hadrianus Papa Carolum Magnum expugnato Ticino, capto Desiderio Rege, Regnoque Longobardorum penitus deleto, Romanorum Patritium esse jubet; teste Sigeberto *in Chronico ad hunc Annum*, habeturque *in Cap. Hadrianus. dist. 63. cap. seq.* 46.

Anno 730. Gregorius II. Synodo Romam convocatâ, Leonem Isauricum, eò quòd sacris imaginibus impiè juxta & crudeliter bellum inferret, Ecclesiamque persequeretur sanguine &c. calcatoque Jure Gentium, Legatos Pontificios exilio proscripserit, hæresique infectus esset, excommunicatione percellit, & ne illi Romæ, aut in Italiâ tributa pendantur, prohibet &c. Ex Cedreno *Anno 9. Leonis Isaurici.* Zonarâ *in Leone.* Maymbourgo *hist. Iconoclast. ad annum 730.* Spondano *ad eundem Annum.*

Anno 800. Leo III. Pontifex Maximus ademptum Græcis Imperium in Carolum Franciæ Regem transtulit; uti hæc fusè probata constant *ex antecedentibus.*

Objectio.

EX parte adversâ excipi potest inprimis; quod *Popularis tertij* in Comitijs Francicis Anno 1615. coram Rege celebratis, Ordinis Orator objecerat, Childericum non authoritate Pontificiâ, sed per Comitia generalia Regno ejectum, ac Pipinum substitutum esse. 47.

Responsio.

HAnc exceptionem prævalidis argumentis confutavit Author *tract. de libertat. Gallican. §. 1.* adductus, qui *ibidem* videri potest. Et verò, quia *dictus Comitiorum Francicorum tertius Popularis Ordo* contenderat, Regem Galliarum neminem, excepto Deo, agnoscere, cui capitis sui diadema, temporalisque regiminis jura sua regia inclinaret, quomodò jam Comitijs Franciæ fas esset, Regem deponere, aliúmve subrogare? Si hoc nequaquam ex jure *directo* supra Regem potestatis, à Comitijs prætendi posse dixeris, sed *indirectè* duntaxat, in vi seu defensionis naturalis, seu pactionis saltem *virtualis* ac *implicitæ* de regni Bono publico pro viribus curando, in cujus adeò defectu Comitijs publicis incumbere, dum necessitas pub- 48.

lica

lica exigit, ut Regno congruenter esset provisum. Quid ni, dum Rex Christianus est sanctæ Ecclesiæ membrum, Oecumenici adeò Ecclesiæ Capitis observantiam, ex indefinitâ *super quodcunque*, quod in illo est super terram *morale*, ad regnum nempe cælorum *ordinabile* protensâ ligandi, & solvendi potestate, prorsus debitam in vi Christiani characteris recognoscere obstrictus, in hac potiùs authoritate Apostolicâ, quam in statuum sibi subditorum Comitiis recognoscat, jus sese, quantum Ecclesiæ necessitas exigit, moderandi, ac reformandi, ac non equidem *per se directè*, sed *indirectè*, atque hoc ne *formaliter* quidem, sed *materialiter* duntaxat, & *per accidens* (sub impropriâ adeò duntaxat vocis hujus usurpatione) deponendi, aliumque loco ipsius idoneum substituendi?

ARGUMENTUM II.

49. AUthor *Regalis Sacerdotij præcitatus* argumentatur 2. ab exemplis Sylvestri II. Gregorij VII. & Alexandri III. Etenim anno 1000. Sylvester II. Pontifex Maximus S. Stephano Hungariæ Duci jus & dignitatem Regiam concedit, & Hungariam Regni juribus donat. Ex Cartuitio Episcopo *in Stephani vitâ*.

50. Anno 1076. Gregorius VII. per suos Legatos Demetrium Croatiæ, Dalmatiæque Ducem coronat Regem, juribus Regni Dalmatiæ concessis. Ex *Vaticanâ Bibliothecâ apud Baronium ad hunc annum n. 66.* Eodem anno prætactus Pontifex Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romanâ, quòd Sacerdotia & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret, quòd subditorum facultates prædaretur, quòd appellationes ad Sedem Apostolicam impediret, quòd habito Wormatiæ conventu, aulus esset, in Gregorium sententiam dicere, eumque Papatu exuere, & denique ob multa alia flagitia excommunicat, Regnoque indignum pronuntiat, & subditos juramento liberat; unde multis hinc malè actitatis, Germaniæ tandem Principes Henricum redigunt in ordinem, & Rudolphum Sueviæ Ducem Regem appellant. *Ex actis relatis tomo 3. Conciliorum ante Concilium Romanum 1.* Anno 1079. idem Gregorius VII. Boleslaum Poloniæ Regem, eò quòd beatum Stanislaum Cracoviensem Episcopum ad aras occidisset, diris perculit, Regno, omnique dignitate privatum. Ex Longino *in Polonicâ historia.* Baronio *Anno 779.* & alijs. Eodem anno dictus Pontifex adversùs Philippum Francorum Regem, cùm sacerdotia pretio venderet, propterea que Episcopum Matiscomensem admittere nollet, rescribit ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, *ut Regem moneret, quatenus à mercimonio tam turpi abstineret &c. alioquin censuris feriendus, Regnóque casurus. Ex lib. 1. hujus Pontificis epist. 35.* Ex cujus verbis etiam patet, Philippum Gregorio paruisse, missisque Legatis, in ejus se potestate futurum respondisse.

51. Anno 1166. cùm Fridericus Ænobarbus in Italiam cum exercitu movisset, incendijs & rapinis omnia vastaret, Guidonem Antipapam Alexandro III. opponeret, aderant Constantinopoli ab Emanuele Comneno Imperatore Legati, unionem cum Ecclesiâ Romanâ, ingentemque vim auri, & auxiliorum spondentes, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Exinde Anno 1168. idem Alexander III. Fridericum Ænobarbum pernicioſissimo schismate, belloque Italiæ, Ecclesiæ, & Pontifici infestum, sacris & Imperio interdicit. *Ex actis Alexandri III. apud Baronium ad dictos Annos, aliisque authenticis monumentis.* Sed Fridericus tandem infortunijs fractus, pacem cum Alexandro iniit, transmissoque mari, contra infideles ingentibus prælijs & victorijs functus, infelici casu Cydno amne præfocatur aquis.

Anno 1179. Alphonsus I. Dux Portugalliæ 52.
ab eodem Alexandro III. ob res adversùs Arabes præclarè gestas, jura & titulum Regis accipit, annuumque censum Ecclesiæ Romanæ statuit. *Ex Spondano, & Baronio ad hunc annum.*

Reflexio.

SUper his reflexionem facienti occurrit 53.
mihi haud importuna Authoris *Regalis Sacerdotij prope finem dicti §. 15.* sequens animadversio, quòd nempe omnium propè à Gregorio Magno sæculorum decursu, usuque probatum jam sit, etiam Regnis, Imperijsque Summos Pontifices, cùm religioid posceret, legem dedisse, juxta illud *Ieremiæ 1. Ne formides a facie eorum, ego quippe dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ, & bellabunt adversùm te. & non prævalebunt quia ego tecum sum, ait Dominus ut liberem te: Ecce constitui te hodie super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Hic namque spiritus, uti etiam peculiari gratiæ gratis datæ dono erat in Propheta: sic eminenti quapiam ratione est Divinitus annexus pastorali Ecclesiæ sanctæ muneri Oecumenico; uti *ex antecedentibus* constat, & aliqualiter patebit *ex sequentibus.*

ARGUMENTUM III.

AUthor *Regalis Sacerdotij* argumentatur 3. 54.
ab exemplis Innocentij III. Gregorij IX. Innocentij IV. Gregorij X. Clementis V. Martini V. Iulij II. Clementis VIII. Pij IV. Pij V. Sixti V. & Gregorij XIV. Etenim Anno 1210. Otto IV. Imperator, cùm Friderico juniori Regi Neapolitano, totique Italiæ bellum inferret, nec à Pontifice admonitus, cœptis absisteret, ab Innocentio III. anathemate perstringitur, Imperio arcetur, permissuque Pontificis idem Fridericus Henrici V. Imperatoris filius à Germaniæ Principibus throno imponitur. Vrspergensis *in Chronico*, Nauclerus, Spondanus, & Bzovius *ad hunc annum.*

Anno 1239. Gregorius IX. Fridericum secundum Imperio & sacris interdicit, idemque posteà solenni ritu in Concilio Generali Lugduni Anno 1245. ab Innocentio IV. est repetitum. Blondus, Platina, Spondanus *ad hunc annum.*

Anno 1273. Gregorius X. mandavit Principibus Germaniæ, ut tandem Imperatorem

creent, nisi velint, aliquem à se imponi: sicque Imperium devenit ad Rudolphum Habspurgensem. Spondanus *ad istum annum.*

55. Anno 1307. Interfecto Alberto Imperatore, Philippus IV. Galliæ Rex solenni ad Clementem V. legatione Imperium sibi, vel Carolo fratri petijt, ut sic Imperium rediret ad Francos. Conradus Vecerius *in lib. de gestis Henrici VII.* Bzovius *ad hunc annum.* & Æmilius *in Philippum Pulchrum.* Idem Clemens V. Anno 1310. Venetis, quòd occupâssent Ferrariam, sacris interdicit, eorumque bona ubique terrarum primo occupanti exponit. Spondanus *ad hunc annum.* Bzovius *ad annum 1309.*

Anno 1420. Martinus V. in Ioannam Reginam Neapolitanam armat Sfortiam Ducem, transferturque jus Regni in Ludovicum III. Andium Ducem, Spondanus & Pandulphus *ad hunc annum.*

56. Anno 1512. Julius II. excommunicat Ioannem Albretanum, ejusque Regnum primo occupanti donat, quòd Ludovico XII. Regi Galliæ opem tulisset. Spondanus *ad dictum annum.*

Anno 1534. Clemens VII. in Henricum Angliæ Regem diras pronunciat, & Regnum abrogat, quòd Catharinam legitimam uxorem repulisset, Bolenâ in thalamum admissâ, Cardinalemque Roffensem, & Morum præcidisset, ac innocentium sanguine Angliam inundâsset, non alterius culpæ, quàm Religionis Catholicæ reos. Pallavicinus *in hist. Concil. Trident. lib. 3. cap. 15. & lib. 4. cap. 7.*

Anno 1563. Pius IV. Reginam Navarræ propter hæreses in jus vocavit. Pallavicinus *lib. 24. hist. Concil. Trid. cap. 1. n. 3.*

Anno 1569. Pius V. Elisabetham Angliæ Reginam diris perstringit, Regnumque Angliæ proscribit. Spondanus *ad hunc annum,* & alij, addens Anno 1570. ab eodem Pio Cosmum Mediceum Florentiæ Magni Ducis Hetruriæ titulo esse honoratum.

Anno 1585. Sixtus V. Henricum Navarræ, posteà Galliarum Regem Hæreticum declaravit, & Galliæ Regno inhabilem. Spondanus *ad istum annum,* & alij.

Anno 1591. Gregorius XIV. eundem Henricum Regio nomine indignum pronuntiat, exindeque Anno 1593. Confœderati Galliæ occasione potestatis sibi à Clemente VIII. factæ eligendi Regis, qui Catholicus esset, Comitia Parisijs celebrant. Spondanus *ad hos annos.* At Henricus Divinitus illustratus, abjuratâ hæresi, Religionem avitam amplexus, à Clemente VIII. impetravit absolutionem, ad Regiam proinde Coronam promotus.

Reflexio.

57. Reflexionem super hac ratiocinatione facienti, iterum occurrit mihi Author *Regalis Sacerdotij in fine dicti §. 15.* Quamvis, inquiens, aut imprudentiâ, aut abusu in ijs Pontificum gestis aliquando peccatum fuisset: id tamen omni humanæ potentiæ commune esse, quam si propterea proscriptam quis velit, eò quòd excesserit, oportere, omnem tolli potestatem, pejori, quàm malum sit, remedio.

58. Verùm hàc in re unicè cupio intentus esse in eas Summorum Pontificum adversùs Reges, & Imperatores, seu decreta, seu judiciarias sententias, quæ mediante prudentiæ non humanæ, sed infusæ dictamine, per authoritatem Oecumenicam reducebantur in fidei principia: à quibus si non tam aberratum, quàm ad ea attentum non fuisset, non tam Pontificiæ authoritatis pondus, quàm humanæ infirmitatis labem præseferret ordinatio, unc non à Pontifice, quà Pontifice, sed quà homine facta: quamquàm hoc judicare, nostrum haud sit, sed Divino judicio unicè reservatum, à nobis consultò prætermittatur.

Sed, inquies, quomodò igitur factum sit, 59.
ut Pipini primùm temporibus, nempe Anno à Christo nato 751. cœperint Summi Pontifices ejusmodi jus supra Reges sibi vendicare? Neque enim anteriorum sæculorum ulla hanc in rem exempla proferri potuerunt.

CONCLUSIO.

POntificiorum supra Reges actuum 60.
exempla, collata cum sacris Canonibus, & constitutionibus Conciliaribus antehàc productis, faciunt indubitatum argumentum Pontificiæ super Reges authoritatis, Theologicè demonstrativum.

Explicatur. Quamvis enim historiæ, quibus narrantur acta Summorum Pontificum, & Conciliorum, non excedant metas authoritatis humanæ, sunt tamen instrumenta quædam, mediantibus quibus mens reduci potest ad altiora argumenta Theologica; quemadmodùm in præsenti contingit, historias *supra §. 3.* allatas consonare cum sacrorum Canonum, & constitutionum Conciliarium sanctionibus *præc. 1. & 2. Disquisitione* discussis. Quâ igitur historiarum cum sacris Canonibus collatione factâ, mox probatum exhibetur, eas Canonicas sanctiones sub prudentiali supernaturalis luminis dictamine, eatenus reduci in principium fidei, Oecumenicæ super Reges potestatis demonstrativum, ut authoritas ejusmodi noscatur hinc certissimo Theologico argumento comprobata.

Neque mirari quisquam debet, cur po- 61.
sterioribus primùm sæculis à Pipini Francorum Regis tempore, Summi Pontifices tantam erga Reges potestatem exercuerint. Etenim ex sacris historijs conspicuum est, ad tempora usque Constantini Magni Imperatoris, Ethnicos dominatos fuisse, sub quibus Pontifices Maximos in sanctâ patientiâ oportuit, magis delitescere, quàm suæ authoritatis virgam ferream in publico exercere. A Constantini porrò temporibus Ecclesiam, contigit, tantis continuò hæresum, atque Gentilismi hinc inde adhuc dominantis, vel etiam à fide apostasiæ sanctam Dei civitatem devastantis, gravissimis fluctibus jactitari, ut virgam suam correctoriam latiùs protendere haudquaquàm prævaleret, plerumque compulsa, ad hoc unicè esse intenta, ut fidei dogmatum integritas cum Ecclesiasticâ inter Clerum disciplinâ, & qualicunque inter Laicos

morum

morum honestate conservaretur; veluti ex varijs Oecumenicis, per illa sæcula celebratis, Concilijs constat.

62. Primogenitus inter Occidentis Christianos Reges Christianissimus Galliarum Rex Clodovæus noscitur ad fidem Christi conversus primùm 499. anno, cujus Regis potentiâ Alaricus Rex Wisigothorum, & Theodoricus Rex Wandalorum subacti, Catholicæ Religioni majora incrementa adferre cœperunt. Hoc defuncto, cùm Clotharius Clodovæi filius bona Ecclesiæ sibi vendicaret, a Turonensi Episcopo graviter reprehensus resipuit, claro adeò argumento, virgæ correctoriæ, vel ab Episcopis, vel ubi extrema exigebat necessitas, a Summo Pontifice supra Reges protensæ; uti videre licet *ex Annalibus Ecclesiasticis ad Annum 540.* Quemadmodùm tale argumentum subministrat etiam decantata Divi Ambrosij censura, Theodosium Imperatorem propter cædem Thessalonicensium ab ingressu Ecclesiæ prohibentis. Ad Regis usque dejectionem Pontifices equidem non leguntur processisse usque ad præmissa tempora, at neque ratio publicæ necessitatis legitur eoúsque illam vel efflagitasse, vel sub Regum & Imperatorum seu infidelium, seu perfidorum potentiâ nimiâ admisisse, nemine Catholicorum anterioribus sæculis existente, qui majora inde eventura rei Orthodoxæ discrimina avertere prævaluisset. Neque verò Summus Pontifex, nisi á Statibus Francici Regni requisitus, ob Regni & Ecclesiæ publicas necessitates, suâ in Childerico ejiciendo, & Pipino sufficiendo, clavium authoritate usus unquam fuisset. Ante hæc igitur tempora casus talem actum, non nisi ex publica necessitate efflagitare potens, non potestas defuit in Summo Pontifice.

PROBATIO I.

63. Etenim *in Regesto Gregorij VII. lib. 8. epist. 21. ad Herimannum Episcopum Metensem* datâ non pauca ex epistola Gelasij Anastasio Imperatori scripta afferuntur, quæ occasionem dederunt Glossæ in *Cap. Alius item. 3. causâ 15. q. 6.* ut induceret Gelasium Papam Anno 492. creatum Pontificem, ac si contra Anastasium Imperatorem scripsisset, quòd posset eum deponere propter suam malitiam. Nihilominùs hoc tenendo in suspenso, noscitur præfatus Gregorius VII *in dicto cap. 3.* taliter rescripsisse: *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum, non tam suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati erat inutilis, à Regno deposuit: & Pipinum Caroli Magni imperatoris patrem in ejus locum substituit, omnésque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerunt, absolvit. Quod etiam ex authoritate frequenti agit sancta Ecclesia, cùm milites absolvit à vinculo juramenti: quod factum est his Episcopis, qui Apostolicâ authoritate à Pontificali gradu deijciuntur.*

64. Huic Canoni quoad solutionem à juramento fidelitatis erga illos, qui subijciuntur excommunicationi, haud dissimiles sunt Canones Nicolai Papæ *in Cap. Authoritatem. 3. in Cap. Nos Sanctorum. 4. & in Cap. Iuratos milites. 5. dictâ causâ 15. q. 6.* Si ergo Summorum Pontificum super juramenti vinculo solvendo authoritatem inquiras, duplex mox se offert difficultas. Una, *in quantum ejusmodi vinculum se tenet ex parte jurantis, qui si Laicus fuerit, disquisitio mox enascitur, quomodò Iurisdictio Pontificiá super eo extendi valeat?* Altera difficultas est; *In quantum jurisjurandi vinculum in homagio fidelitatis Regibus seu Principibus sæcularibus, etiam supremis præstitum, speciale in his fundans jus non tam privatum, quam publicum; ut sic subijciatur Clavibus Ecclesiæ per Christum concessis Petri successori?* Harum equidem difficultatum solutio satis constat *ex antecedentibus*, attamen aliquam super hoc puncto reflexionem hìc facere, expedit specialiter ex ratione mox deducendâ.

PROBATIO II.

65. Si vel historiarum *superiùs* expositarum de Pontificijs erga Reges etiam exauthorandos, atque subditos ipsorum à fidelitatis homagio, per jusjurandum etiam firmato, liberandos, actibus tam concordes attestationes, vel sacrorum Canonum, Conciliorumque Oecumenicorum hanc in rem tam frequentes sanctiones expendantur, in aperto sanè est, unanimi tam fidelis populi, quàm politicorum etiam Magistratuum, Theologiæ insuper, ac Jurisperitorum, ipsorum tandem Principum, Regum ac Imperatorum resipiscentium consensu, esse humiliter receptas, & magnâ cum veneratione tandem comprobatas. An non ergo hic fidelium cum suo Capite Christi Vicario tantoperè hâc in re concordantium non imperitorum duntaxat, sed maximè peritorum; seu Ecclesiasticorum, seu Politicorum (quamdiu obedientes Christi oves audire cupiunt) huic Pontificio erga Reges procedendi modo, collatis in unum seu suffragijs, seu consilijs, seu etiam armis se opponere nunquam præsumentium consensus, prævalidum nobis præbeat argumentum, altioris indaginis subesse principium, in ipsâ Christi institutione ac fide Divinâ radicatum?

66. Si juramenti vinculum in suâ consideretur *formali* ratione, importat profectò *Iuris Divini* firmamentum. Si spectetur ex parte jurantis hominis Laici, importat obligationem Jure tam *naturali*, quàm *civili* firmatam. Si expendatur ex parte illius, cui juratur, eo roborandum importat jus, quæsitum Regi, vel Principi, erga quem fidelitatis homagium præstitum fuit. In quo adeò triplici jurisjurandi vinculo cùm interveniat tum *Divini* juris Religio, tum Iuris *naturalis*, ac *civilis* in jurante obligatio, tum jus seu privatum, seu publicum Regi, cui præstabatur, quæsitum, quomodò Pontificis Romani potestas ad hæc universa jura dissolvenda prævalere poterit? Vix credo, ullum, qui verè Catholicus est, hanc authoritatem Summo Pontifici denegaturum, quoad privatorum saltem juramenta, uti etiam vota, in quibus eadem est ratio.

67. Hujus ergo rationem solidam investigaturi, undique informamur à viris doctis: Papam solvendo juramenta, neque jus *Divinum*, neque jus *naturale*, ac *civile*, neque jus tertio, maxi-

maximè publicum, Regi scilicet, quæsitum, *per se directè* ac *formaliter* tollere è medio. *Quid ergo tunc facit Pontifex?* Omnes fateri debent, in jurisjurandi vinculo importari quid *morale*, super libero hominis actu fundatum, cui sit superstructum & juris *Divini* specialis, seu Religionis, & juris *naturalis*, ac *Civilis*, & juris seu privatæ, seu publicæ personæ inde quæsiti obligatio. Hoc igitur *morale*, numquid quoad sui etiam *Virtualem* perseverantiam æquè ac id, quod in peccatis est *morale*, subjectum est sanctæ Ecclesiæ clavibus, super quocunque, quod super terram *morale* est, ad Regnum adeò cælorum ordinabile, per expressam Christi ordinationem protensis? Quando igitur ex hîc per Christum sibi concessâ authoritate Romanus Pontifex solvit illud *morale*, juri *Divino* Religionis, nec non juri *naturali* ac *civili*, proprioque etiam, ne dicam privati, sed etiam Regis *juri* superstratum, numquid erit consequens *indirectè*, sicque *per accidens* ac *consecutivè* cessare effectum obligationis ex multiplici illo jure promanantis: sublato enim eo, cui unicè superstruitur multiplex illa jurium obligatio, quomodò ista posset adhuc subsistere? Quemadmodùm igitur jurisjurandi per Summum Pontificem solutio reducitur in fidei principium, Oecumenicæ per Christum constitutæ authoritatis demonstrativum; sic pari ratione potestas ob sanctæ Ecclesiæ necessitatem, Religionisque Orthodoxæ publicam utilitatem exauthorandi Regem, ejusque loco alium ex sanctæ fidei inter Christianos Boni Publici exigentiâ, sufficientium, reducenda est in tale fidei principium Pontificiæ authoritatis extensionem disertè firmans, *super quacunque* in terris à Christi ovibus dependente *moralitate*, cujusmodi in Regnum cælorum *ordinabilis moralitatis* expers haudquaquam est seu Regiæ potestatis ad certum subjectum applicabilitas, seu illius politica etiam, ac publica exercitia. Quæ proinde universa non quidem *directè*, *per se* ac *formaliter*, sed *indirectè*, *per accidens*, ac *materialiter* eatenus subduntur Ecclesiæ clavibus, quatenus harum potestas super eorum subitrato *materiali* per Christi constitutionem protensa, hoc *moraliter* destruendo, *per consequentiam* tollit etiam jura eidem superstructa.

PROBATIO III.

68. EX quibus sic deductis facilè jam evanescit, quod in præadducto *hujus Disquisitionis §. 2.* ex ore *Popularis* in Comitijs Gallicis Anno 1615. celebratis, Oratoris adversùs Clerum ac Nobilitatem adferebamus: *Nempe diversas habuisse Christum ipsum à gladio Claves: Petrumq; ubi in arma, etiam justè proruperat, gladium mittere jussum in vaginam, ne, qui restaurandis instituebatur, truncaret membra. Mansuetè post regnasse Ecclesiam, cui Imperium est in volentes. Summo Pontifici Vicario Christi, neque jus gladij, quamquam Petri successori, esse, neque jurisdictionem, ubi de privatorum possessionibus agitur: idem de publicis. Nullibi probatam Sedis Apostolicæ potestatem adeò, ut privatum in hæresin, ac omne nefas prolapsum patrimonio suo dejiciat. Cur Magistratum? Cur Regem?* Verùm quot sunt in hoc verba asserta, tot supponuntur, minimeque probantur principia falsa. Cùm Christus *Lucæ 22.* dixerit Apostolis, duos gladios satis fore, nunquid alteruter saltem gladiorum istorum consistere debebat in Ecclesiæ Clavibus, imò uterque; siquidem in ordine ad Apostolos, respectuque adeò Ecclesiæ, duplicatum hunc gladium designârit? Cùm Christus fideles Ecclesiam audire contumaciter recusantes, jusserit Ecclesiæ authoritate avelli à communione Christiana, num Ecclesiæ imperium dici verè potest, non nisi erga volentes exerceri posse? Num istam igitur Ecclesiastici Imperij virgam coercitivam super hæreticos Ecclesiam non audientes, extendere nefas est, ut suis quoque bonis ac juribus temporalibus exuantur? Num fortassis Pseudoreformationis hodiernæ Professoribus prætendere lubet: potestatem Ecclesiæ propriam totam esse merè spiritualem, ut pote spirituali objecto coarctatam? At hoc totum lubens etiam concedo. Numquid verò, sicut corpus inservire debet spiritui, sic etiam temporalia subordinantur spiritualibus? Numquid homo non *quoad animam* duntaxat, sed etiam *quoad corpus* operari debet ad finem spiritualis salutis æternæ? Numquid ex statu hominis ad finem supernaturalem elevati stat obligatio, universas etiam corporales actiones *morales* reducendi ad Dei gloriam? Ita profectò pronuntiavit Apostolus, ut omnia, quæcunque facerent homines Christiani sive edendo, sive bibendo, sive aliud quidvis operando, in Dei gloriam ordinarent. Esto igitur, Ecclesiæ potestati merè spirituali *per se primò* ac *directè* non subjacere temporalia, attamen ex temporalium ad supernaturalia subordinatione Divinitus constituta, fit consequens, ea *secundariò* ac *indirectè* esse subjecta potestati spirituali Ecclesiæ, quæ, dum absolutum habet regimen in ordine ad finem supernaturalem, *consequenter* habere debet authoritatem, etiam temporalia tanquam media in hunc finem ordinandi.

Corollarium

Finale præsentis Disquisitionis.

INfertur. Habitâ reflexione ad historicas relationes à sæpe *citato* Authore *tract. Libert. Eccles. Gallicanæ* nervosè traditas, ac egregiè vindicatas, atque à nobis in hujus *Disquis. §. 1.* relatas, si istæ conferantur cum Canonicis & Summorum Pontificum, & Conciliorum definitionibus *præs. 2. & 3. Disquis.* adductis, omninò patêre circa propositionem potestatis Ecclesiasticæ supra Reges protensæ assertoriam, fidelium cum suo Capite Oecumenico consensionem in tantum, ut hæc in ipsâ fidei principia per easdem fidei Canonicas sanctiones reducatur. Unde haud tutam videri contrariam opinionem, si ne *indirectam* quidem erga Reges quoad ea, quæ in ipsis sunt *moralia*, Ecclesiæ potestatem, modis alias explicatis, seu adhuc explicandis, admittere vellet. Imò pro- 69.

bari

bari hinc posse, quòd Summus Pontifex etiam jure præscriptionis endere possit istam indirectam supra Reg causis etiam tempo-ralibus, non equidem quà temporalibus, sed quà *formalitate* spiritualis necessitatis superve-stitis authoritatem; veluti Bertrandus Cardi-nalis Eduensis in sua contra Petrum de Cugne-rijs actione universaliter probat de potestatis Ecclesiasticæ super temporalibus protensione, eó quòd ad præscriptionem nonnisi tria requi-rantur, nempe *titulus*, qui in præsenti causâ fundatur in ipso Jure *Divino*: *bona fides*, quæ utpote circa hanc causam in ipsa fidei princi-pia reducibilis, non potest non fuisse certa & securissima: & denique *continuitas temporis*, quæ ex adductis exemplis, Summorumque Pontificum erga Reges & Imperatores actita-tis noscitur ultra mille annos protendi: quam-quam supervacaneum foret, ad hunc præscri-ptionis titulum confugere, ubi jus *Divinum* non verisimiliter duntaxat, sicuti ad præscri-ptionem satis est, sed cum omnimodâ in fidei principia reducibili certitudine, favere digno-scitur.

DISQUISITIO V.

An, & in quantum Pontificia super Re-ges authoritas probari valeat ex unanimi Ecclesiæ, ac Theologiæ sacrosanctæ Doctorum consensu?

§. I.

1. ISTud probandi genus egregiè prosequitur Author *cit. tract. de Libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 6.* exordiens à S. Gregorio Magno, qui *libro 11. Epist. 10.* concessis privilegijs Xe-nodochio à Brunichilde Reginâ, & Theodo-rico ipsius nepote Rege constructo, subjungit: *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, perso-narumque sæcularium hanc constitutionis nostræ pa-ginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, po-testatis, honorisve sui dignitate careat.* Quam clau-sulam contineri in duabus quoque sequentibus epistolis, idem Author observat, *ibidem* præva-lidè confutans Ioannem Launoium, tres illas epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatum *Epist. part. 7. epist. 1. & 6.* tametsi ab undecim fere sæculis nemo eas in dubium revocârit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit *prima* eorum, sed omnes à plu-ribus, etiam Gallicanorum monumentorum collectoribus, exscriptæ sint; velut eo loco *per totum caput* ostendere pergit *præcitatus* Au-thor, quò Lectorem, si quo fortassis scrupulo pulsaretur, remittere volui.

2. Idem Author *sequenti cap. 7.* plures inducit sanctos Doctores, ex quibus probat, prædi-ctam Cleri Gallicani propositionem non esse consonam ipsorum doctrinæ. Sanctus nam-que Bernardus *de consid. lib. 4. cap. 3.* sic Euge-nium III. alloquitur; *Quid tu denuò usurpare gla-dium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur, ostendere verbum Domini, dicentis sic*: Converte gladium tuum in vaginam. *Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicen-tibus Apostolis*; Ecce gladij duo hîc, *non respon-disset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & ma-terialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & jussum Im-peratoris.* Ex quibus S. Bernardi verbis, quæ-cunque adhibeatur interpretatio, necessariò resultat, Ecclesiasticam potestatem, saltem *in-directè*, ad temporalia Principum ex mente S. Bernardi pertingere. Docet enim aper-tissimè, Summum Pontificem habere jus im-perandi, ut bellum geratur adversùs Eccleſiæ hostes. Si ergo Princeps Christianus non so-lùm à fide ipse desciscceret, sed etiam subditos averteret, nec aliâ posset ratione comprimi, posset Ecclesia contra eum alios ad bellum in-ducere, ac ita eum à dominio deturbandum curare. Hanc tantùm Ecclesiasticæ partis po-testatem adstruere visum est S. Bernardo pro temporis sui conditione, nimirum ob expe-ditiones Christianorum Occidentalium in Ter-ram Sanctam contra Infideles. Fulconis Ar-chiepiscopi Rhemensis, & Ivonis Episcopi Car-notensis sententiam retulimus *Disquis. 2. §. 1. n. 5. & 6.*

3. Doctrinam illam magis explicat S. Tho-mas Universitatis Parisiensis Alumnus *2. 2. quæst. 12. art. 2. in Corp. Infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest* (Ecclesia) *sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quòd sub-ditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, &c.*

4. S. Bonaventura ejusdem Universitatis Pa-risiensis Alumnus *tom. 7. par. 2. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. Patet*, inquit, *quòd dignitas Cle-ricalis, quæ in sua radice considerata, est penitus spiritualis, meritò est consona Ordini dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores Ordines, quòd illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quàm sæcularis, & ideo bene sortitur nomen dominationis.* Unde Re-galis potestas subjacet potestati, & authoritati spirituali, *sicut in prima Canonica Petri* dicitur: Vos estis gens sancta, Regale sacerdotium, &c. *nam* temporale Regnum velut quoddam adjectum subjacet sacerdotio in Novo Testa-mento; *sed in Veteri Testamento sacerdotium subfuit Regno, unde dicitur in Exodo. Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum, ubi Regnum ponitur* substantivè, *sed Sacerdotium* ad-jectivè. Hæc fortè de solâ dignitate & ex-cellentiâ potestatis spiritualis supra sæcularem intelligi possent, sed continuò addit; *Et ideo Reges tunc poterant amovere Sacerdotes, sicut Sa-lomon amovit Abiathar. Iam verò possunt Sacer-dotes, & Pontifices ex causa amovere Reges, & Im-peratores, sicut sæpius accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, pe-nes quem prima in terris residet authoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine judi-*

catur;

catur, *sed solius Dei judicio reservatur.*

5. Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ Parisijs discipulus, vir doctrinâ, & pietate insignis, & à plerisque cum Beati titulo nuncupatus, Magistrorum suorum doctrinæ suffragatur, quod adeò est evidens, ut excessisse aliquibus videatur.

6. Difficillimum est, ne dicam impossibile, ut authoritates paris cum jam adductis momenti, proferantur ad confirmandam Cleri Gallicani *primam* propositionem. Nec video, quomodò etiam universim accepta, probabilis possit evadere doctrina, Conciliorum Oecumenicorum sententiâ, & praxi, & sanctorum Patrum ac Doctorum calculo improbata. Multò minùs, quomodò possit, prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Canonibus & Patrum traditione niti dicuntur, toti Galliæ credenda proponi, advocatâ Principis potestate, ut etiam eam profiteri ac docere, pœnis indictis, Theologi cogantur.

7. Ab eodem Authore *seq. 8. cap.* inducuntur in hanc rem authoritates aliorum insuper Theologorum Gallorum, vel in Gallia educatorum. Etenim Alexander Alensis, Doctoris irrefragabilis epitheto celebris, in schola Parisiensi Professor, S. Thomæ, ac S. Bonaventuræ Præceptor, *Summæ Theologiæ par. 4. quæst. 10. tract. de offic. Miss. par. 2.* super hæc verba; *Et Regem nostrum*; Ugonem de S. Victore *lib. 2. in Sacrament. par. 2. cap. 4.* ferè ad verbum exscribens, *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam potestatem instituere habet, ut sit, & judicare habet, si bona non fuerit. Spiritualis autem potestas primùm instituta est, & cùm deviat, à solo Deo judicari debet. Unde spiritualis judicat omnia, & ipsa à nemine judicatur. Quòd Regalis potestas ordinata est, & instituta per spiritualem, patet per hoc, quia adhuc in Ecclesia Sacerdotalis dignitas Regalem potestatem sacrat, & sanctificans per benedictionem, & formans per institutionem.* Unde Regalis potestas jure inferior existimatur.

8. Umbertus ex diœcesi Viennensi, Parisijs educatus *serm. 70.* cui titulus est; *Sermo in solemni depositione Magnatum sæcularium per Ecclesiam faciendâ. Istâ autem authoritate magnâ utitur Ecclesia in depositione Principum, non solùm illorum, qui sunt ei subjecti in temporalibus, de quibus clarum est*, quòd potest, *sed illorum*, qui subsunt solùm in spiritualibus, *in quibus propter culpas eorum habet potestatem, quia ratione delicti sunt ei omnia subjecta. Quòd autem sic possit facere, patet ex tribus. In mundo enim majori spiritualia, scilicet Angelicæ creaturæ, sunt super corporalem, & eam regunt. Similiter in minori mundo, scilicet in homine, est spiritus super corpus, & ipsum regit. Eâdem ergo ratione & in Ecclesia Pontificalis potestas, quæ est spiritualis, debet esse super omnem potestatem sæcularem. Præterea Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei in casu, ergo multò fortiùs* quicunque Rex deponi potest à Papa, cui omnes subsunt. *Præterea si Rex aliquis, qui nihil tenet nisi à Deo, non posset deponi à Papa*, cùm interdum expediat, eum deponi, *ut ostensum est, ergo non reliquisset Deus sufficientem potestatem in Ecclesia ad regimen mundi, quod est inconveniens.*

Henricus à Gandavo, qui diu Parisijs do- 9.
cuit, ibique scripsit. *Quodlib. 6. quæst. 23. pag. 244. Reddet*, inquit, (Papa) *rationem tanquam superior Iudex de rebus etiam temporalibus hominum, si dimittat eas à Regibus malè, & injuriosè tractari; non quia jurisdictionem habeat ordinariam in temporalibus Regibus commissis, sed quia in certis casibus jurisdictionis suæ habeat liberam, imò necessariam executionem, juxta illud, quòd legitur* Extravag. Qui filij sint legitimi. Per venerabilem. *Vbi dicitur, non solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus ..... non potest deponere Papa Principes, nisi ratione delicti, aut insufficientiæ. Quod bene exprimitur in illo cap.* Alius. *Vbi dicitur, Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati inutilis erat, à Regno deposuit, & secundùm hoc Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, & Principes, sicut Architector civilis ad alios artifices in civitate. Sicut enim Architectonici est præcipere, qui, & quales debent exercere scientiam medicinalem, Rhetoricam, & sic de alijs in civitate, & quosdam admittere, quosdam repellere: sic Sacerdos Apostolicus debet considerare, qui, & quales Regna, & Principatus regere debeant, & bonos honorare*, malos autem, & malè regentes deponere, & alios loco illorum substituere..... *Ad argumentum in hoc positum, quòd dignitates distinctæ sunt: dicendum, quòd verum est propter Divinam dispositionem, sed non ex natura rei, sicut dictum est, & hoc non penitùs distinctè, quin superior jurisdictio remaneat penes Papam.*

Eandem doctrinam statuit Petrus Paluda- 10.
nus *in 3. sentent. distinct. 40. quæst. 2. concl. 4.* eamque tum alijs, tum istis præcipuè rationibus confirmat; *Major potestas includit minorem in ordinatis secundùm ordinem finis. Sicut enim in artibus ars, quæ est de fine, imperat illi, quæ est de eo, quod est ad finem* 1. Ethic. *sic debet esse in Principatibus. Unde cùm corporalia ordinentur ad spiritualia, universalis Princeps in temporalibus debet subesse universali in Spiritualibus. Præterea talis est ordo inter Prælatos, sicut inter subditos. Sed spiritualia, quibus præest Papa, præsunt corporalibus, quibus præest Imperator: ut animæ spiritui.* Ergo Papa Imperatori præest. *Præterea in domo patrisfamilias non debet esse nisi unum Caput, si domus est una. Si diceretur, quòd Caput Ecclesiæ non est Papa, sed Christus. Sed tamen videtur, quòd universalitas Hierarchiæ Ecclesiasticæ melius regatur, si sit unus Princeps tantùm respectu omnium, quàm si sint duo æquales. Unde divisio inter Papam, & Imperatorem multùm turbavit Ecclesiam. Unde videtur voluntas Christi, qui est Rector sapientissimus, quòd non æqualiter hi duo principentur, sed unus sub alio, quod absurdum esset dicere de Papa, quòd scilicet subesset Imperatori.* Videri etiam potest *in tract de causa immediata potestatis. art. 4.* ubi eandem statuit sententiam.

Herveus Natalis citatur ab Illustrissimo 11.
Cardinali Perronio ferè quasi nimiùm potestatem Pontificiam extollens; sed eam non minùs efferunt plures alij Doctores Gallicani,

Fran-

Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Professor insignis ob inductum morem, ut, qui Doctoris Lauream in Sorbona esset adepturus, à sexta matutina, usque ad sextam vespertinam continuò argumentantibus responderet, cui tempori additæ sunt adhuc duæ horæ, *in 4. lib. sent. dist. 19. quæst. 4.* inter alia multa de Summi Pontificis authoritate, hanc *quartam* conclusionem ponit; *Plenitudo potestatis secundùm utramque jurisdictionem concurrit in eandem personam. Hoc patet authoritate Christi dicentis;* Quodcunque ligaveris, &c. *Dices fortè, quòd verum est in spiritualibus, sed tunc arguo sic. Quia in subordinatis quidquid potest inferior, potest & superior; sed Papa est superior ad Imperatorem: ergo, &c.*

11. Petrus Bertrandi, aut, ut alij volunt, Durandus Episcopus Meldensis *in tract. de orig. jurisdict. seu de jurisdict. Ecclesiast. quæst. 3.* hæreseos damnat eos, qui negant, cognitionem de rebus temporalibus ratione peccati ad Ecclesiam spectare. *Et sic,* inquit, *potest intelligi illud, quod habetur in Decretis* dist. 21. c. 1. *ubi dicitur, quòd Christus commisit B. Petro jura cælestis Imperij, & terreni. Et qui hoc privilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus.* Deinde pluribus explicat, & probat, regimen temporale spiritualis directioni, & correctioni subesse.

13. Ipsimet Theologi, qui causam Principum adversùs Summos Pontifices propugnârunt, non absolutè, ac in omni casu potestatem Ecclesiasticam à temporalibus Regum excluserunt, ut animadvertere licet in illis ipsis opusculis, quæ nuper in lucem revocata sunt sub titulo. *Vindiciæ doctrinæ Majorum, &c.* de quibus in libro *nono.* Nam author quæstionis disputatæ, quæ illic Ægidio Romano, Archiepiscopo Biturensi tribuitur *art. 4.* sic scribit; *Causæ mixtæ, sunt causæ temporales, quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus: sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento, vel pacto; sicut patet de dissensione motâ inter Reges Franciæ & Angliæ super Comitatu Pictavensi: Papa, quia non poterat directè cognoscere de causa feudali, indirectè ratione juramenti, vel pacti intromisit se de illa,* Extravag. De judicijs. cap. Novit. *ubi dicit Hostiensis in Glossa super verbo* de feudo; *Non intendimus cognoscere de feudo, sed tantùm ratione pacti, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non potest agere, nisi satisfaciat. Item causa dotis per se temporalis est, & ad sæcularem judicem pertinet, si de ipsa tantùm agitur: tamen quando Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa dotis tanquam accessoria, cognoscet de illa, sicut de principali, cui est annexa, ut patet* Extravag. De donation. inter virum & uxorem. cap. De prudentia. *Vbi dicit Glossa. Quia si non est matrimonium, neque dos, & ita dos accedet matrimonio: ideo qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio, ut habetur* Extravag. De officio delegati. cap. Præterea. & cap. Prudentiam. *Sic etiam de hæreditate cognoscit Judex Ecclesiasticus ratione incidentis.* Extravag. Qui filij sint legitimi. cap. Per tuas. & cap. Ex tenore. *Alij sunt plures casus speciales, in quibus Judex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis.* In Glossa Extravag. De Judicijs. cap. Novit. *Sic ergo regulariter verum est, quòd de causis merè spiritualibus solus Papa, & alij Judices Ecclesiastici habent cognoscere: de causis verò merè temporalibus habent cognoscere Reges, Imperatores, & alij Judices sæculares. Et sic Rex Franciæ secundùm jura non subest Summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo suo;* potest tamen ei subjacere incidenter, & casualiter, ratione connexionis alicujus causæ spiritualis, *sicut habetur* Extravag. De judicijs. cap. Novit. & Extravag. Qui filij sint legitimi. cap. Per venerabilem.

Joannes de Parisijs, quem Cæsar Egassius 14.
Bulæus *in hist. univers. Paris. tom. 4. ad Annum 1303. pag. 61.* dicit scripsisse pro Philippo IV. Rege Francorum adversùs Bonifacium VIII. Papam, quantumvis Principibus faveat in tractatu de potestate Regia, & Papali, non potuit tamen aliquam in eos potestatem Pontificis non reservare his verbis *cap. 14. Si esset hæreticus, & incorrigibilis, & contemptor Ecclesiæ censuræ,* posset Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille sæculari honore, & deponeretur à populo. *Et hoc faceret Papa in crimine Ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei, ut Domino, obedirent; & sic populus eum deponeret, & Papa per accidens.* Auctoris *tractatus de utraquè potestate sæculari, & Ecclesiastica,* qui *Somnium Viridarij* inscribitur, verba *inferiùs §. 3. n. 94.* referemus.

Joannes Gersonius Doctor, & Cancellarius Parisiensis *tract. de potest. Eccles. considerat. 12. Potestas Ecclesiastica Papalis,* inquit, *non ità habet dominia, & jura terreni simul, & cælestis Imperij, quòd possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multò minùs laicorum disponere, quamvis concedi debeat, quòd habet in eis dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum.* Et infrà. *Postremò suis terminis ità potestas Ecclesiastica se coerceat, ut meminerit, potestatem sæcularem etiam apud Infideles suâ habere propria jura, suas dignitates, suas leges, sua judicia, de quibus occupare se Ecclesiæ potestas non præsumat, vel usurpet,* nisi dum redundat abusus potestatis sæcularis in impugnationem fidei, & blasphemiam Creatoris, & in manifestam Ecclesiasticæ potestatis injuriam; *tunc enim attendere convenit ultimam hujus considerationis 12. particulam, quòd in his Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitivum, ordinativum, & regulativum.* 15.

Jacobus Almain Doctor Parisiensis Ludo- 16.
vici XII. Regis Franciæ, juxta Richerium defensor *tract. de potestate Ecclesiastica & Laicâ cap. 9. Non dedit* (Deus) *potestatem* (Petro) *Laicos suis proprietatibus, & dominijs privandi, nisi in casu, si contingeret, Principem sæcularem abuti re suâ in perniciem Christianitatis, vel fidei; ità quòd ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ.* Non negat, quin in tali casu Papa possit eum deponere, etsi alij Doctores hoc negent, qui tamen docent, Papam habere potestatem declarandi, ipsum Principem esse deponendum. *Et q. 2. cap. 5. ad*

ad caput octavum Guilielmi Occam; *Verumtamen, dicit Doctor, quòd Papa potest Imperatorem deponere, in duobus casibus.* Primus *pro crimine purè spirituali, ut est hæresis.* Secundus, *quando illi, ad quos spectat jure ordinario, sunt negligentes illum deponere. Unde dicit Doctor* 3. parte Dial. 2. lib. *quòd universaliter, si negligat judex sæcularis exercere jurisdictionem laicam, pro loco & tempore devolvitur potestas exercendi ad Iudicem Ecclesiasticum, &c. Resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia, quòd nunquam potest Papa Principem sæcularem (seclusis suis vasallis) deponere, nisi in duobus casibus prædictis.*

17. Ioannes Major Doctor Parisiensis alter prædicti Regis ex Richerio defensor *in 4. Sent. dist. 24. ad quartum argumentum contra tertiam conclusionem; Si dicatur, quòd habet* (Papa) *dominium in temporalibus* casualiter, *& quòd multum potest agere ad depositionem Regum suadendo, consultando, imò alios provocando in eos gladio manuali, quando Reges sunt labefactores fidei, & Reipublicæ Christianæ totaliter inutiles: hoc mitiùs ferendum est*, & non esset remota opinio à dictis nostris.

His superaddi possent Iuris tum *Canonici*, tum *Civilis* Peritorum sententiæ à prædicto Authore adductæ *in cap. 9.* sed eas reservamus *in finem §. 3.*

§. II.

Referuntur Adversariorum sententiæ, vnà cum responsionibus, & aliquali super eas reflexione.

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

18. EX parte adversâ licet 1. argumentari per authoritates Petri de Marca, & Petri Puteani, qui ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ pertinere volunt, ut Rex Franciæ in temporalibus Romano Pontifici non subjaceat, variaque veterum Regum exempla Summis Pontificibus resistentium in rebus ad dominium, aut regimem temporale spectantibus referunt.

Responsio.

19. AD hanc partis adversæ argumentationem ab Authore *tract. de Libert. Eccles. Gallicanæ. lib. 3. cap. 8.* adductam non tam ibi respondet, quàm remittit Lectorem idem Author ad suum de *Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus quartum librum*, in quo examinatur *prima* Cleri Gallicani propositio. Interea prædictus Author in præsenti unicè inculcat animadvertendum, Principes, dum Jura sua se tueri profiterentur, libertatem quidem Regni obtendisse, non autem libertates Ecclesiæ, sed potiùs adversùs illos has libertates fuisse allegatas: *Quando*, inquit Gotfridus *in opusc. ad Calixtum Papam cap. 6. Ecclesia sæculari potestati subjicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus Dominus dictavit in Cruce, & quasi propriis manibus de suo sanguine scripsit, chartam Libertatis amittit.* Dixerat autem *cap. 4. Rex, & Romanus Pontifex cùm unus contra alium, alter pro Regni consuetudine, alter pro Ecclesiæ libertate exigitur*, Regnum illam consuetudinem obtinere non potest, nec poterit; & *Ecclesia suæ libertatis amittit plurimum. Non à Philippo IV. sed à Bonifacio VIII. Ecclesiæ libertas allegabatur. Rex tanùm libertatis nomen ad significandam liberationem à jugo Legis Mosaicæ, aut à diabolicâ tyrannide institutum volebat, ideóque illam Laicis cum Ecclesiasticis esse communem.*

In alio sensu Reges Galliæ dicuntur à Clero Gallicano libertatum illius Ecclesiæ Protectores, quia scilicet authoritate Regiâ impediuntur, vel reparantur injuriæ, quæà Curiâ Romanâ illius Regni Ecclesiæ inferri præpenduntur. *Sed quàm duram servitutem induxerit illa libertatis protectio, & jam in* primo *libro insinuavimus, & adhuc magis demonstrabimus, ubi de appellationibus tanquam ab abusu differemus.* 20.

Nusquam autem in antiquis monumentis legitur, Reges Franciæ Protectorum, ac Defensorum Ecclesiæ, vel libertatis Ecclesiasticæ titulo insignitos, quòd Summis Pontificibus restitissent, etiam prætextu amovendæ à Clero Gallicano injuriæ à Curia Romana illatæ. Rarissima sunt vetera hujusmodi tutionis exempla, nisi forte aliquando Reges Episcopis, quos diligebant, nomen suum commodaverint, ut Carolus Calvus Hincmaro Rhemensi in virulentis illis ad Hadrianum II. litteris, quæ extant in 2. tom. operum dicti Hincmari sub n. 42. edit. Sirmondi, *& in Litteris ad Ioannem VIII. quæ sunt ibidem n. 47.* 21.

Reflexio.

REflexionem super hisce faciendo, in memoriam revoco, quæ *præcedentibus 2. 3. & 4. Disquisitionibus* proferebantur Summorum Pontificum, Conciliorumque erga Reges, ac Imperatores actitata: unde cuique constare potest, veterum Regum Summis Pontificibus resistentium exempla, si attendatur eorum tandem eventus, non tam memoranda, quàm reprimenda esse ab illis, qui Regum famæ ac honori, publicæque Regnorum utilitati consultum volunt. Quibus insuper opponi possent exempla Summorum quoque Principum, Ecclesiæ in temporalia potestatem agnoscentium, aliàs jam producta, ac discussa. 22.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

EX parte Adversariorum licet 2. argumentari. Quòd illustris libertatum Ecclesiæ Gallicanæ propugnatrix sit Academia Parisiensis, cujus summa semper extitit in omnibus negotijs Ecclesiasticis authoritas, & inter cæteras non solùm Galliæ, sed totius Europæ Universitates celeberrima semper fuit fama, summaque in propaganda fide, in extirpandis schismatibus, atque componendis controversijs diligentia & industria. Huic schismatis extirpandi desiderium suasit, præponendum esse Summo Pontifici Concilium Oecumenicum, dum quis legitimus esset Pontifex, non constaret. Postea non esse infallibile Pontificis judicium etiam circa Jus *Divinum*, & *Ecclesiasticum*, à multis ejus alumnis assertum est. 23.

Cùm

Cùm vel Pontifices, vel Pseudopontifices exactionibus, vel reservationibus Ecclesiam Gallicanam opprimerent, Universitas studij Parisiensis & quantum potuit, restitit, ac Senatûs potestatem implorandam duxit, atque hinc evenit, ut paulatim Magistratus sæcularesrerum & negotiorum ferè omnium Ecclesiasticorum judicium sub prætextu conservandæ libertatis, corrigendi abusûs, tuendæ possessionis usurpaverint.

Responsio.

24. AD hanc argumentationem responsionis loco hic reponendum videtur, quod dictus Author *tract. de libert. Eccles. Gallicana cit. cap. 8. n. 9.* adfert: *Absit*, inquiens, *à me, ut florentissimæ illius Academiæ famæ aliquid detractum velim, quippe qui sciam, quantùm doctrinâ suâ Christianæ Reipublicæ conferat, tamen dissimulari non potest, celebrem illam Academiam ad Principum voluntatem nimiùm aliquando deflexisse. Id fateri videtur etiam Cæsar Egassius Bulæus* in historia Universitatis Parisiensis tom. 4. ad annum 1379. *tempore schismatis accidisse. Nam licèt electio Vrbani VI. magis canonica videretur, ejúsque partes secuta primùm fuisset, tamen ad Clementem VII. accessit, eò quòd Rex Carolus V. & Regni Magnates ejus partes amplexi fuissent. Fatendum tamen est*, inquit Bulæus, *plùs ipsam Gallicani Status intuitu adductam, quàm causæ Clementinæ bonitate convictam consensisse, futurámque fuisse neutrius partis, si Respublica id ferre potuisset, cujus interest, in iis præsertim rebus, in quibus de Religione agitur, habere consensum saltem publicum, si non animorum. Papæ judicium infallibile non esse, tunc facultas Parisiensis decrevit, cùm Reges à Romano Pontifice dissiderent. Quâ in re Principum potentissimorum, ac præsentium, desiderio aliquid concessum est.*

25. *Ne absint fortasis proprij honoris, & utilitatis studium à posterioribus Doctorum deliberationibus. Primò infallibile Papæ judicium, sibi injuriosum declarant in censurâ Amadæi Guimænij Anno 1665. quasi non pari ratione possent Oecumenicorum Conciliorum infallibilitatem suæ injuriæ adscribere. Nec in causis Fidei & Religionis Iudices à Deo instituti sunt, sed Consultores tantùm adhibiti Doctores, Episcopali charactere non illustrati, & à Summis Pontificibus, sicut à Concilijs Oecumenicis perinde consuli possunt in difficultatibus, quæ studium & animi perspicaciam desiderant.*

26. *In Beneficijs laborabant illi, ut arbitror, pro Dei honore, & Ecclesiæ utilitate, suspectus nihilominùs erat illorum zelus, cùm ea suis conferri curabant, quâ in re coacti sunt agnoscere scrupulosam Canonum observantiam aliquando Ecclesiæ obesse. Beneficiorum enim dispensationem liberam Episcopis dimitti, quibus ex Iure communi competit, tam ægrè tulerunt, ut à lectionibus cessaverint, donec illa libertas antiquis Canonibus confirmata abrogaretur. Eodem anno*, inquit Bulæus *supra citatus ad 1399. per totam Quadragesimam cessatum est à lectionibus in Vniversitate, teste Ioanne Iuvenale de Vrsinis, propterea, quòd edicto Regio reddita fuerat Ordinarijs omnimoda Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio & dispensatio. Videbat Vniversitas Prælatorum in distribuendis Beneficijs injustitiam: experta autem antea fuerat Vniversitas, eos famulis, & famulorum amicis ea conferre solitos potiùs, quàm doctis & litteratis. Quæ res plurimas turbas excitâsset inter partes, nisi satisfactum fuisset Vniversitati.* 27.

Vnde patet, quàm incongruè libertates Ecclesiæ Gallicanæ in illibata antiquorum Canonum custodia, eorúmque adversùs Summum Pontificem propugnatione collocentur: quandoquidem Vniversitas Parisiensis antiquis Canonibus Beneficiorum collationes Episcopis adscribentibus derogandum censebat, urgebátque, teste eodem Bulæo, ut illa collatio Summo Pontifici reservaretur, quem sperabat æquiùs illa dispensaturum. Sunt aliæ quàm plurimæ in historia prædicta, ex quibus constat, Vniversitatem Parisiensem in suum commodum Canonibus per privilegia derogari, à Summis Pontificibus impetrâsse.

Reflexio.

28. SUper hisce reflexionem faciendo, constat equidem, Universitati Parisiensi, in asserendâ Concilij supra Papam superioritate Authorem fuisse ejusdem Cancellarium Ioannem Gersonium, de quo *in sequenti articulo* disseremus. Quo tamen minimè obstante, idem Gersonius *par. 4. serm. de pace & unitate Græcorum consid. 5.* profitetur *indirectam*, Ecclesiæ publicâ necessitate id exigente, Summi Pontificis supra Reges potestatem: *Homines*, inquiens, *per hoc, quòd unicum principale Caput habent, ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quàm bonitate morali, & spirituali, convenientiùs & divinius se hoc modo in unitate tenent. Nec est ullo modo in præjudicium cujuscunque dominij temporalis, vel spiritualis sive Regum, sive Prælatorum. Hîc sunt duo extremi errores, dicunt aliqui, homines Ecclesiasticos, Papam, vel alios non posse ullam tenere temporalitatem, vel jurisdictionem; alij dicunt, terrenos Dominos nullum prorsus jus habere in temporalibus, sed hoc verum non est, nec dicere oportet, omnes Reges, vel Principes hæreditatem eorum, vel terram tenere à Papa, ut Papa habeat superioritatem Civilem & Iuridicam super omnes, quemadmodùm imponunt aliqui Bonifacio VIII. Omnes tamen homines, Principes, & alij subjectionem habent ad Papam, in quantum eorum Iurisdictionibus, temporalitate, & Dominio abuti vellent contra legem Divinam & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiva, & ordinativa potiùs, quàm Civilis, vel juridica.* Ab hac igitur sapientiâ & doctrinâ præclarissimi sui Cancellarij Gersonis haud alienam credimus Academiam, seu Universitatem Parisiensem.

ARGUMENTUM III.
Adversariorum.

29. EX parte adversa licet 3. argumentari. Post Gersonium, schisma inter Eugenium IV. & Concilium Basileense occasionem præbuit Scholæ Parisiensi se se in celebris illius Cancellarij doctrinâ firmandi, ac nonnullis Doctoribus pro eâ scribendi. Deinde orto dissidio inter Julium II. Summum Pontifi-

cem, & Ludovicum XII. Franciæ Regem, Ioannes Major, & Iacobus Almain in Ludovici defensionem eandem doctrinam adhibuerunt, eam ferè sopitam initio hujus sæculi suscitavit Edmundus Richerius, alij identidem promoverunt, donec Illustrissimi Præsules Parisijs congregati suâ declaratione, ac Regis brachio adversùs renitentes invocato, eam ita stabilire conati sunt, ut ab eâ nemo dissentire auderet, & ex modernis, alijs eam profitentibus, alijs impugnare non audentibus, ad posteros tanquam indubitata transmitteretur.

Responsio.

30. REsponsionis loco possunt superhac ratiocinatione reponi, quæ prætactus Author *cit. lib. 3. cap. 10. à n. 2.* digessit: *Nunquam*, inquiens, *defuerunt in Gallià, nec in ipsa quidem Schola Parisiensi, qui Summi Pontificis causam tuerentur: & , quæ veritatis vis est, sperandum est, non desore, qui absque præjudicio, & privato affectu de rebus judicent, & contemptis pollicitationibus, & minis, quod sentiunt, liberè promant.*

31. Non est autem hîc de singulis dicendum, qui prædictam doctrinam vel propugnârunt, vel impugnârunt. Cùm enim ejus defensorum opuscula collegerit *in suis vindicijs* Edmundus Richerius, illa simul cum ejus libello *de potestate Ecclesiasticâ, & politicâ* in libro nostro octavo recensebimus: eorum autem, qui contra senserunt, testimonia circa quàmlibet propositionem referemus.

32. Sed non idem fuit omnium illius doctrinæ propugnatorum aut scopus, aut affectus. Quidam enim, alijs modestiùs, Patronorum tantùm, seu Advocatorum personam sustinuerunt. Quidam nebulonum more pacem turbare studebant: alij injuriam sibi, ut putabant, illatam ulciscentes, dolorem hâc ratione lenire conati sunt: alij vel eximij ingenij laudem, vel præmium aucupati sunt; alij, ut credere par est, putabant, obsequium se præstare Deo, ac veritati testimonium perhibere. Quæ autem cujusque mens fuerit, Deus scit. Nobis judicare non licet, nisi quantum eorum verba & stylus significant.

33. Ne quis autem putet, nos temerè dixisse, aliquos eam in partem pravo affectu impulsos, præmittendum est, quod scribit Henricus Spondanus ad annum 1627. *num.* 2. occasione censuræ libri Antonij Santarelli. *Cæterùm*, inquit, *quoniam hæc Doctorum Sorbonicorum dissidia non aliunde procedebant, quàm ex occultis schismatis seminibus, quæ à multis fovebantur; occasione inde sumptâ, Eminentissimus pietate, & doctrinâ Franciscus Cardinalis Rupifocaldus pro suo in conservationem unionis Ecclesiæ, quam isti discerpere studebant, zelo, libellum scripsit in schismaticos, quem Regi dicavit, hortans, ut tanto malo authoritate suâ præverteret.*

34. Sed ad Richerium. Prodijt anno 1611. liber *De Ecclesiastica & politica potestate*, suppresso Authoris nomine. Die nonâ Mensis Martij proximè sequentis damnatus est à Concilio Provinciæ Senonensis, Præside Illustrissimo Illustrissimo Cardinali Perronio; *ob multas* (verba sunt Decreti) *quas continet propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas.* Simili censurâ notatus est die 24. Mensis Maij etiam proximè sequentis à Concilio Provinciali Aquensi, scilicet ut continens *propositiones, allegationes, & doctrinas falsas, scandalosas, schismaticas, hæreticas, & impietatem, gravemque errorem sapientes.* Utrumque Decretum refertur à Patre Labbeo *tom. ult. Conciliorum.*

35. Condemnationem illam narrat Spondanus ad Annum 1612. *n. 3. Idémque Richerius authoritate Regiâ, & Decreto Facultatis depositus est à Syndicatu ejusdem Facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi, qui contra eundem libellum scripserunt: plenissimè confutavit Andreas Duvallius insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Universitate Parisiensi primarius: haud tamen propterea cessante Richerio à suis molitionibus, quibus multos altos in suas partes allegit*, cum vehementi suspicione Schismatis. Illius libelli præcipuum fundamentũ confutavit validissimè doctissimus Parer Petavius Aurelianensis è Societate Iesu *Theologicorum Dogmatum tom. 3. lib. 13. cap. 14. 15. 16.*

36. Fuit etiam Romæ damnatus Richerij libellus, primùm sinè nomine Authoris, deinde nominato Authore, ut videre est in Decreto sacræ Congregationis Indicis 2. Febr. anno 1622.

37. Illustrissimus Cardinalis Perronius in eâ, quam habuit ad tres Ordines Regni Franciæ anno 1614 oratione; tacito Richerij nomine, illius consilium in curandâ novâ operum Gersonij, in ejus effigie cum elogijs, & inscriptionibus editione, detegit, quòd scilicet Gersonius adversùs Romanum Pontificem scripsisse videretur. Licèt enim, ut diximus, Cardinalis Perronius de industriâ Richerij nomen subticuerit, prodit se ipsemet Richerius *in suarum Vindiciarum præfatione* ad Lectorem his verbis: *Cardinalis Perronius eidem* (Richerio) *in Conventu trium Ordinum Regni Galliarum Anno 1615. grandi vitio dederit, quòd Ioannis Gersonij Doctoris Christianissimi opera de integro novis typis excudi procurâsset anno 1606. Tot sunt in Gersonij vitâ ejus operibus editionis prædictæ præfixâ, sententiæ in alijs Richerij operibus ijsdem verbis repetitæ, ut tacente etiam Richerio, stylus ipse satis eum indicâsset.*

38. Accusat autem Illustrissimus Purpuratus eum, vel eos (loquitur enim in numero plurali, fortè ut invidiam minuat) qui Gersonij opera de integro novis typis excudi procuraverant, quòd Authores deinde fuerint propositionis illius, contra quam tum perorabat, quæque Romano Pontifici omnem prorsus jurisdictionem tum *directam*, tum *indirectam* in temporalia Regum adimebat; cùm anteà, scilicet tempore Henrici III. Franciæ Regis, quando bellis civilibus flagrabat Gallia, ipsi quasi antesignani, aut potiùs faces extitissent seditiosæ doctrinæ, quam adversùs Regem defendebant, & vulgabant in thesibus disputatis ac typis excusis. Ex quibus thesibus duas istas refert; *Certissimum est, Comitia, seu Esa-*

tus

tus de jure Divino, *ac* naturali *Regibus esse superiores. Licitum fuit cunctis Franciæ populis, arma capere adversùs tyrannum, quo nomine intelligebant Henricum III.* Addit autem prædictus Cardinalis, putâsse illos, culpam posse diluere, si ad alteram partem, & quidem extremam se transferentes, in Summum Pontificem stylum converterent, ac decertarent.

39. Qua in re, subjungit idem Cardinalis, quoniam cum hostibus Ecclesiæ consentiebant, aut saltem propè ad illos accedebant, multos nacti sunt adjutores, ac fautores, à quibus inducti sunt, ad emittenda, prætextu obsequij Regi præstandi, schismatis semina. Unde constat, quàm parum famæ suæ consulant, qui à Richerio præsidium accersunt.

Reflexio.

40. REflexionem super hisce faciendo, ea, quæ Concilij erga Papam superioritatis punctum spectant, reservabimus in proximè sequentem articulum. Interea in hujus Disquisitionis §. 1 à n. 7. quàmplures videre licet Doctores Gallos, qui Papæ supra Reges authoritatem egregiè defendebant, ad quos Lectorem remittimus, quosque in sequentibus paragraphis adduxerimus, plures è Gallia etiam oriundorum Doctorum pro ea propositione stantium authoritates. Inter quos pro hac vice audire lubeat sanctum Bernardum in Burgundicâ Galliâ natum, & Abbatem Clarevallensem, qui præter testimonium dicto §. 1. n. 2. allatum *lib. 1. de consider. cap. 6.* ita scribit: *Mihi non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris, non judicare de talibus (causis temporalibus) quibus datum est judicium in majora. Quid ni contemnant de terrenis possessiunculis hominem judicare, qui & Angelos judicabunt? Habent hæc infirma & terrena Judices suos & Reges Principes terræ, quid fines alios invaditis? Quid falcem in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere: quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi, quid sentiat, non ego, sed Apostolus: Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* Ecce igitur, Ecclesiasticæ super causas temporales authoritatis etiam judiciariæ in casibus necessitatis extensionem ab hoc Ecclesiæ Gallicanæ lumine ex ipsomet etiam Apostolo comprobatam.

ARGUMENTUM IV.

Adversariorum.

41. EX parte adversa videtur 4. argui posse à Conventûs Parisiensis *quatuor* propositiones illas, de quibus hîc agitur, *circa Pontificiam potestatem* sanctionis authoritate, in quo Cœtu Galliarum Antistites emphaticè contestati sunt suam Sedi Apostolicæ debitam observantiam, nec proinde in eo videntur habendi censu, ac si per pravam erga Summos Pontifices affectionem se reddidissent indignos, quibus crederetur. Execrantur enim vel maximè illos, *qui Ecclesiæ Gallicanæ libertatum obtentu, Primatum B. Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, usque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas Ecclesiæ servatur, reverendam omnibus Gentibus Majestatem imminuere non verentur.*

Responsio.

42. ADhanc adversæ partis argumentationem sæpe dictus Author *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 3. cap. 13. n. 7.* respondet in hæc verba. Mirum videri non debet, *si hæretici potestatem Summi Pontificis invidiosam & gravem Regibus ac populis ostentent*, cùm capitalissimi illius hostes sint, & paratiores ad dimittendam Religionis observantiam, quàm ad deponendum erga Ecclesiasticam Monarchiam, odium. Sed mirum est, Catholicos Præsules in deprimendâ potestate Pontificiâ hæreticis excusationem subministrare. At numquid satis apertè declarârunt hæretici, quàm essent etiam civilis Monarchiæ impatientes? Quis credat, eos vero erga Principes sæculares studio adduci ad ferendam graviter Ecclesiæ in Reges jurisdictionem. Num æquiores erga Summum Pontificem, aut Principibus obedientiores fore, sperandum est, si, ut eis prætextus ille præripiatur, Reges Ecclesiasticæ potestati subtrahantur? Ne illi utramque potestatem impatienter ferunt, &, si sæcularis jugum excutere perinde illis facile esset, Ecclesiasticæ ope libenter uterentur, eamque tunc, utpote minùs gravem, magis extollerent.

Reflexio.

43. REflexionem super istâ responsione faciendo, opportunissimum occurrit mihi dicti Authoris dissertatio ulterior, *ibi n. 8.* rem hanc ita prosequentis. Dubitari posse, ait, inprimis, an legitima fuerit Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum congregatio, quandoquidem se mandato Regio congregatos profitentur, nullâ Ecclesiasticæ potestatis factâ mentione. Equidem si authoritas aliqua requiritur in convocante Cœtum, necesse est, ut ille superior sit, habitâ ratione non solùm personarum, sed etiam negotiorum in Cœtu tractandorum. Non concederetur Episcopo potestas convocandorum Comitiorum ad expedienda negotia politica, sinè authoritate Principis, vel tum, vel jam olim concessâ. Dum ergo congregandi sunt Episcopi ad definiendas controversias Ecclesiasticas, non sufficit authoritas Regis, cùm in hujusmodi rebus, Episcopis ipse, non ei Episcopi subsint.

44. Ut igitur Antistitum Gallicorum decretâ universos Regni fideles obligarent, cùm nullus inter eos cæteris omnibus superior sit, non sufficeret, ut Regio mandato convenissent, sed saltem ad ligandos illos, qui vel non omninò, vel liberum consensum non præstitissent, requireretur consensus Summi Pontificis, quem tum Ecclesiæ universæ Caput esse, sinè hæresi negari non potest, tum totius Occidentis singula eum Patriarcham, ipla etiam Gallia fatetur.

45. Id suadent plurima antiquitatis monimenta, præsertim facultates à Summis Pontificibus, Vicarijs Apostolicis, ad congreganda Concilia ex universâ Gallia concessæ; Legati frequenter missi, &c. Id etiam apertè declaravit Nicolaus I. in Concilio Romano anno 865. scilicet *Concilium generale* (de Concilio Episcoporum Gallicanorum intelligebat, & loquebatur) *sinè Apostolicæ Sedis præcepto, nulli fas esse vocandi.*

46. Multa objecta sunt à Vicario generali Diœcesis Appamiensis adversùs Cœtum Parisiensem, quæ illegitimum esse comprobarent. *præcipuè*, quòd ademptâ Concilijs Provincialibus libertate, eos eligendi, qui ad Comitia generalia deputandi erant, ab eorum, qui à Curiâ præscripti fuerant, deputatione Electores abstinere ausi non fuerint; videntes scilicet, severè habitos, qui Curiæ desiderijs non acquieverant in negotio, cujus potissimùm causâ congregandus erat ille cœtus. *Secundò*, quòd contra jus excluſi fuissent aliqui à Comitijs Provincialibus, quos Curia metuerat liberè pro Ecclesiæ juribus vota sua deprompturos. *Tertiò*, quòd justis de causis ipse Vicarius Generalis illius Cœtûs Congregationi sese opposuisset, Sedemque Apostolicam appellâsset,

47. Hæc, & fama publica suadent, Curiam, & Aulicos præcipuas habuisse partes in hoc Cœtu, ex quo Decretorum ejus authoritas plurimùm nutat, etiamsi aliorum Ecclesiasticorum virorum illius Regni consensus accederet. Quis enim nesciat, quàm paucorum sit perseverantia & constantia adversùs potentiam sæcularem? Philippum IV. adversùs Bonifacium Octavum egregiè defendisse, sibi visus est Petrus Puteanus, congestis plurimis instrumentis, quibus totum ferè Regnum illius Principis appellationibus & protestationibus adhæsisse perhibetur: cùm hinc potiùs manifestum fiat, non ratione simul omnes, sed metu successivè, prout deficiebat animus, Regis partes secutos, quod etiam confirmant Historici.

48. Verùm, cùm potuerit Rex Episcopos convocare, non quidem ut Concilium constitueret, sed ut consilium peteret, imò potuerint, sicut seorsim singula Concilia Provincialia congregari à proprijs Metropolitanis, ita & simul plura Concilia Provincialia, vel ad Regis invitationem, uti loquebatur Concilium Parisiense Anno 555. vel ex communi consensu, convenire, ut diligentiùs & maturiùs res discuterentur, non tantoperè laborandum est in inquirendo; *An legitimè congregati sint Archiepiscopi, & Episcopi?* quàm *utrùm negotia, quæ definierunt, ejusmodi sint, ut de illis judicium ferre potuerit etiam legitimum Concilium Nationale?* nec non; *Vtrùm verum ac justum sit eorum judicium?*

CONCLUSIO.

49. PRoposítio, omnimodam supra Reges authoritatem etiam coercitivam Ecclesiæ, seu Summo Pontifici adimens, minimè favet, sed plurimùm officit Libertati Ecclesiæ Gallicanæ.

Explicatur. Ansam & occasionem huic conclusioni dederunt, quòd, uti *ex antecedentibus* constat, moderni Cleri Gallicani *superiùs* allatæ propositiones prætendantur, esse quoddam quasi scutum inexpugnabile ad propugnandam & conservandam eam libertatem. Hâc de causâ operæpretium est visum, prælibare; *In quo consistat illius libertatis ratio?* Ecclesiæ nomine sub eâ prætensâ Ecclesiæ Gallicanæ libertate, haudquaquàm intelligi universalem Laicorum æquè, ac Clericorum Cœtum, sed unicè comprehendi statum Clericalem, constat ex epistolâ Bosqueti Episcopi Montispessulani ad Stephanum Baluzium datâ, & insertâ libris Dom. de Marca *de concordia Sacerdotij & Imperij*, ubi post alia sic habetur: *Alia est significatio Ecclesiæ, dum fideles omnes complectitur, ut & libertatis, quâ singulos fonte Baptismatis renatos Christus donavit: alia Ecclesiæ, quæ etiam apud omnes scriptores solùm Clericalem Ordinem, ut & libertatis, quæ Ius & facultatem, seu potestatem universam regendi Ecclesiam Sacerdotali Ordini, inprimis Petri Apostolorum Coriphæi successoribus, Divinâ constitutione, traditâ comprehendit.*

50. Libertatem Statûs Clericalis universaliter sumpti optimè describit S. Antoninus 3. p. tit. 2. cap. 3. quòd *Immunitas Ecclesiæ sit Privilegium libertatis, vel rerum, vel personarum ad eam pertinentium.* Restringendo autem hujusmodi libertatem ad Galliæ Regni nationalem Ecclesiam, ejúsve statum Clericalem, Petrus Pithæus *in libello les libertez de l'Eglise Gallicane* videtur Ecclesiæ Gallicanæ libertatem hisce verbis complexam asseruisse: *Etsi Papa*, inquiens, *in rebus spiritualibus supremus agnoscatur, tamen in Francià potestas absoluta & indefinita locum non habet: sed cohibetur & limitatur Canonibus, & Regulis antiquorum Conciliorum Ecclesiæ, in hoc regno receptorum. Et in hoc maximè consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ.*

51. Huic consonat, quod Christophorus Justellus *in epist. ad Leschasserium* Codici Canonum Ecclesiæ universæ per ipsum edito præfixâ disserit: *Vetus est*, inquiens, *in Senatu Parisiensi sententia, illam libertatem, quatuor primis Concilijs Oecumenicis, & ijs, quæ ab illis confirmata sunt, contineri. Et ea, quæ contra fiunt, præcipuas appellationibus ijs causas præbere, quæ velut ab abusu interponuntur.*

51. Has Ecclesiæ Gallicanæ libertates descripsit, & in brevem summam contraxit Petrus de Marca *lib. 3. de concord. cap. 1. n. 7.* Patet, inquiens, *veram & genuinam definitio hujus libertatis ex sensu Ecclesiæ Gallicanæ, ut sit nempe usus antiqui Iuris communis.* Harum igitur libertatis ab Ecclesiâ Gallicanâ prætensæ descriptionum accuratiore discussione rejectâ *in tertium operis nostri articulum*: in præsenti unicè expendemus; *An Regum ab Oecumenicâ Papæ authoritate asserta immunitas, sit conveniens medium, ad tuendam illam Ecclesiæ Gallicanæ libertatem?*

* *
*

PRO-

PROBATIO I.

In qua fit refutatio *primi* Adversariorum argumenti.

53. QUandoquidem Petrus de Marcâ, & Petrus Puteanus inducantur asseruisse, ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ pertinere, ut Rex Franciæ in temporalibus Romano Pontifici non subjaceat. Idcircò scisciter ex illis; an huic libertati conveniat, ut, si Rex quispiam (quod tamen de moderno Christianissimo Rege pronunciare, summum nefas duxerim) adversùs sacrorum antiquorum primævæ potissimùm Ecclesiæ, Conciliorum, atque Canonum ab Ecclesiâ Gallicanâ concorditer receptorum decreta, ne dicam, dogmata, ex suæ ab Ecclesiasticâ authoritate in temporalibus immunitatis prætextu, agere pertentaret, quomodò Ecclesiæ Gallicanæ super Concilijs Oecumenicis, & ijs, quæ ab illis confirmata fuerunt, nec non antiquis in Galliæ Regno receptis sanctionibus Canonicis, imò universo jure antiquo fundata libertas defendi, ac conservari valeat, ubi neque Politici Ordinis Rege superior extaret, neque Ecclesiastica authoritas super Reges non protensa, prævalere jam posset adversùs Oecumenicorum Conciliorum, sacrarum Canonicarum Sanctionum, & quorumvis jurium Ecclesiasticorum violationes ac temerationes extremam etiam Ecclesiæ Gallicanæ ruinam minitantes?

54. Dicet forsan aliquis, Regum ab Ecclesiasticâ, seu Pontificiâ jurisdictione immunitatem restringi ad sola temporalia: illas verò Jurium Ecclesiasticorum temerationes esse intrà sphæram causarum spiritualium, super quibus Rex nihil habet authoritatis. At esto, Regi denegari authoritatem super causis spiritualibus, sicque adeò Conciliorum Oecumenicorum, sacrorumque Canonum sanctionibus, ac juribus Ecclesiasticis: ubi tamen hisce non tantùm immiscereat se Rex, sed authoritatem etiam sibi arrogaret, infringendi ea jura Regiæ potestati minimè subjecta, integra maneret illa quæstio; *A quonam tunc cohiberi & coerceri valeret.*? nisi saltem pro tali temerationis jurium Ecclesiasticorum, ac usurpatæ Jurisdictionis casu in rebus Ecclesiasticis, causisque *propriè*, ac *merè spiritualibus* super ipsum extendi posset Ecclesiasticæ, supremæ præsertim, authoritatis virga correctoria & coercitiva per Christum Ecclesiæ collata respectu omnis peccati, à quovis sanctæ fidelium communionis consorte fratre patrati.

55. Sed quid, si Rex suam in confringendis juribus Ecclesiasticis, super quibus *specificè* prætenditur fundata Ecclesiæ Gallicanæ libertas, arrogantiam & proterviam tutari conetur ipso etiam gladij temporalis in Laicos sacrorum Conciliorum ex fidei sanctæ vigore Zelatores, ne dicam, in Ecclesiasticos exercendi rigore? Num in hoc casu negaveris, usum gladij Regij esse quid temporale, sed supervestiri spirituali quâpiam moralitate ad Ecclesiasticæ potestatis forum spectante? Si hoc asseverare, luberet seu Petro de Marcâ, seu Petrò Puteano; facilè conveniret nobiscum, utpotè qui authoritatem Pontificiam ita circumscribimus sphærâ moralitatis spiritualis, Regno cælorum tum militanti, tum triumphanti commensuratæ, ut ejus super temporalia extensionem minimè admittamus, nisi quatenus istâ sunt supervestita quâpiam spirituali ad supernaturalis ordinis, seu deordinationis lineam spectatâ moralitate. In statu autem præsuppositæ quæstionis, tàm Regiæ illæ jurium Ecclesiasticorum temerationes, quàm harum congruæ à sanctionibus Canonicis præscriptæ, Ecclesiæque Clavium potestati proportionatæ coercitiones, meritò eòúsque protenduntur, quoúsque se superextendit *moralitatis spiritualis* sphæra per Christum protensa super *quodcunque*, quod in terris *morale* est *ad Regnum cælorum ordinabile*. Hæc igitur unica via est, integra & illæsa conservandi ac tutandi antiquâ Ecclesiastica, in ipso etiam Dei verbo contenta Iura, super quibus, prætacti Gallici Doctores ajunt, fundari libertatem Gallicanæ Ecclesiæ. Viderint ergo, ne hanc inversam, ac extremæ ruinæ expolitam velint, qui Pontificiæ, seu Ecclesiasticæ super Reges etiam, *indirectæ* potestatis sphæram negant, protendi ad temporalia, nisi hujus asserti sensum esse velint coarctatum ad temporalia quà talia, non verò quà vestita moralitate spirituali, ut sic enim non nisi *materialiter* dici possunt esse temporalia, *formaliter* autem præferunt rationem causæ verè spiritualis.

PROBATIO II.

In quâ refellitur *secundum* partis adversæ argumentum.

56. CEleberrimæ Universitati Parisiensi sacrarum disciplinarum Matri meritò deferimus universi, eamque fidei Orthodoxæ propugnatricem perpetuam veneramur. At cùm non dubitem, quando Christus Petro, ejusque successoribus Pastoralis Oecumenici Officij *indefinitè*, nullo ex Christianis excepto, erga oves suas commisit potestatem, sub isto munere pastorali comprehendi etiam Regem, maximè Christianissimum; hinc ab illâ Academiâ edoceri cupio, an non ista super cunctas Christi oves Summi Pontificis potestas Oecumenica, ipsissimis illis Petro priùs promissis Ecclesiæ Clavibus sit circumscripta? Quomodò enim hæc Clavium potestas potuisset Petro cum perpetuo ad Ecclesiæ, portis nempe inferi numquam superandæ, statum ordine, promissa fuisse, nisi Christus eandem voluisset protensam ad Petri successores? Numquid autem illa Clavium potestas eatenus pronuntiatur à Christo, habere ordinem ad Regnum cælorum, idque tum militans, tum triumphans, ut munita sit authoritate ligandi & solvendi *quodcunque* super terram? Quid ergo sub isto universali ly *Quodcunque*, quà respectum ad cælorum seu triumphans, seu militans regnū habente vocabulo, intelligi potest, nisi quodvis *morale*, ad supernaturalē utriusque illius Ecclesiæ finem seu ordnabile, seu ab istâ ordinatione deficiens?

ciens? An verò dicere fas esset, Regem Christianissimum ab hoc erga Regnum cælorum ordine excluſum, vel potiùs illo contentum esse non tantùm quoad animam ſuam, vel etiam quoad ſpiritualia duntaxat, ſed etiam *quoad moralitatem* ſuarum publici quoque ac politici Regiminis *actionum*, imò quoad ipſammet Regiæ dignitatis ad ſuam Chriſti charactere inſignitam perſonam, *ſubjectivam* applicationem? Numquid verò Chriſtus *Matthæi 18.* Eccleſiæ virgam correctoriam, ad Communionis fidelium Ius tollendum extendi aptam, vereque adeò coercitivam ſuper quocunque fratre, ſanctæ ſcilicet fidelium Communionis per Chriſti ſaltem characterem *radicaliter* conſorte, ſi peccaverit, ſtringendam ſancivit? Num autem citra injuriam graviſſimam dici poſſet Rex Chriſtianiſſimus inter hos Chriſtianæ Communionis fratres non eſſe comprehenſus? Num ergo, dum Chriſtus *indefinitè* ſuper omni fratrum communionis Chriſtianæ conſortium peccato protendit illam virgam correctoriam, & coercitivam, excipere hinc liceret peccatum Regis, eo ipſo, quòd peccatum ſit à debitâ ad Regnum cælorum ordinatione deficiens? Nunquid igitur hoc Regis ſub iſtâ debitæ ad Regnum cælorum ordinationis deficientiâ ſpectatum, continetur etiam ſub illo *quocunque* ſuper terram *morali*, ſuper quo per Chriſtum eſt definita Clavium Regni Cælorum poteſtas ſolvendi ac ligandi? Numquid ergo, ſub iſto *Quocunque* omni modam ad Regnum cælorum ordinabilem, vel ab iſto ordine deficientem *moralitatem* complectente, includitur Regiæ quoque poteſtatis exercitium, ejuſque ad hanc perſonam applicabilitas, quâ ſuperinduens *moralitatem* in Regnum cælorum à Chriſtiano viro ex intrinſeco etiam characteris in Baptiſmate ſuſcepti debito etiam ſpeciali ordinabilem? Quòd ſi ergo Pontifex Maximus ex Eccleſiæ ſanctæ extremâ neceſſitate ſuper Ius Regiæ Majeſtatis non quidem *in ſe formaliter* ſpectatum, ſed quâ huic individuæ perſonæ *ſubjectivè* inexiſtens, ſecundùm quod ſuperinduit *moralitatis* in Regnum cælorum ordinabilis, ſicque adeò *materialiter* duntaxat conſideratum, nempe quâ illâ *moralitate* ad Eccleſiæ Claves indubitatâ ſuperveſtitum, extendat virgam correctoriam, ipſamque adeò ſolvendi poteſtatem; quomodò fieri poteſt, quòd non *indirectè* à tali Rege tollatur Ius Regium, utpote quod reſpectu ipſius perſonæ ex tunc ita ſit ſolutum, ut juxta Chriſti Domini verbum ſolutio ejuſmodi comprobetur in cælo, ac proinde in foro etiam *conſcientiæ* debeat rata haberi? Super hiſce igitur diſquiſitionibus meis cuperem à celeberrimâ Pariſienſi Academiâ edoceri, certâ erga hanc fidei propugnatricem perpetuam Univerſitatem fiduciâ fretus, meos de Pontificia ſuper Reges authoritate ſenſus ab eâ non fore alienos: quod enim de illo ſpeciali circa Concilij Oecumenici ſupra Papam authoritatem articulo propugnabat illa præcipua Schola, id à nobis *ſequenti articulo* diſcutietur.

PROBATIO III.

In quâ confutatur *tertium* adverſæ partis argumentum.

57. Miſſo hîc articulo *de Concilij Oecumenici ſupra Papam authoritate*, capere haudquaquam poſſum, quâ conſequentiâ Clerus Gallicanus ex intentione, *principium aliquod, vi cujus tuta eſſet Eccleſiæ Gallicanæ libertas, ſtatuendi*, ſanxerit illam de Pontificiâ poteſtate ſuper Reges non protenſâ propoſitionem? Quomodò enim quidquam Iuris Eccleſiaſtici reſiduum tandem remanere poterit? Dum ſi Reges ejus facere contendant diminutionem, nullâ jam Eccleſiaſticâ authoritate defendi poterit adversùs temporalem Regiæ authoritatis gladium? Sed de hoc dicebamus *in præcedente primâ probatione.*

PROBATIO IV.

In quâ diſcutitur authoritas Cœtûs Pariſienſis ſuper propoſitionibus præinſinuatis decernentis.

58. Authot *tract. de libert. Eccleſiæ Gallic. lib. 3. cap. 14.* proponit hanc quæſtionem; *Vtrùm Cœtus Pariſienſis potuerit definire quæſtiones generales circa poteſtatem Eccleſiaſticam?* Cujus proinde quæſiti reſolutionem ex eodem Authore proferendam hîc duximus *ibidem*, diſſerente in hæc verba. Quæ Cœtus Pariſienſis declaravit, ejus ſunt conditionis, ut, ſi vera eſſet Gallorum doctrina de poteſtate Concilij Oecumenici ſupra Papam etiam extra caſum Schiſmatis, à Concilio Oecumenico, non autem à Comitijs Cleri Gallicani, vel à Concilio Nationali fuiſſent determinanda.

59. Nam agitur de jure non ſolùm Summi Pontificis, ſed etiam Concilij Generalis, imò de Eccleſiæ univerſæ ſecuritate, nempe *ad quem pertineat authoritas, Decreta irrevocabilia circa fidem edendi; an poteſtas Eccleſiaſtica habeat aliquam poteſtatem in temporalia Regum, & Principum &c?* Quomodò ergo poteſt Eccleſia Gallicana, ubi de fide, de moribus, ac generalibus diſciplinæ capitibus eſt quæſtio, ſententiam, inauditis etiam partibus, proferre? Numquid cauſæ iſtæ inter majores referri non merentur?

60. Reſpondebunt fortaſſis, ſe, quod jam à Concilio Conſtantienſi definitum fuerat, declarâſſe, ne à fidelibus ignoraretur. Sed *primò* quoad poteſtatem Eccleſiæ ſupra temporalia Principum, Concilium Conſtantienſe contrarium ſenſit, uti *ſuperiùs* eſt monſtratum. *Secundò*, quoad authoritatem Concilij ſupra Summum Pontificem, non ſolùm plurimi Pontifices (quorum fortaſſe ſententia in ſuſpicionem traheretur, licèt non minùs ſuſpecti ſint Epiſcopi, cùm ſibi non quidem diviſim, ſed conjunctim ſupremum Pontificem ſubijcere conantur) ſed etiam quàm plurimi Doctores ex univerſis Eccleſiæ partibus, decreta Concilij Conſtantienſis de caſu ſchiſmatis duntaxat interpretantur. An ergo ad Eccleſiam

clesiam Gallicanam pertinet, obscurum Concilij generalis sensum interpretari? Decretum, inquiens, clarum est, verùm si secùs alijs videtur; *ad quem pertinet hujus controversiæ judicium?*

61. Nec juvat reponere, Antistites Gallicanos materiam, quæ ad Ecclesiam universalem videtur spectare, pro suis tantùm gregibus declarâsse, non autem toti Ecclesiæ articulos Fidei, aut disciplinæ Canones proposuisse. Hoc, inquam, non juvat. Nam *primò* declarationes illæ generales sunt, & terminis communibus conceptæ. Non enim v. g. declaratur, Reges Galliæ in temporalibus non subesse potestati Ecclesiasticæ; sed Reges, & Principes absolutè, &c. *Secundò*, causas illas majores, aut etiam maximas esse, Galli negare non possunt. Nónne ergo ad Sanctam Sedem, vel si suspecta erat, ad Concilium generale ex antiquis Decretis, & ex ipsis etiam Francorum legibus erant referendæ? Sed suspectum etiam foret Oecumenicum Concilium, cùm ejus quoque authoritas trahatur in dubium, nisi ei Summus Pontifex præsideret. Ideo scilicet debuit Ecclesia Gallicana, tanquam suprema, inter Romanum Pontificem, & Concilium Oecumenicum arbitra, controversiam dirimere.

62. Non adeò faciles erant hujusmodi controversiæ, ut omissâ Romani Pontificis, aut, si mavis Concilij Oecumenici consultatione, definiri possent; decebatque, ut Episcopi Gallicani apud Curiam his S. Petri Chrysologi Episcopi Ravennatis verbis se se excusarent; *Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus, Epist. ad Eutychem inter Acta Concilij Chalcedonensis par. 1. n. 15.* Si quid interim, &, ut vulgò dicitur, provisionaliter statuendum fuisset, longè majoris erant ponderis rationes, quæ in alteram partem suadebant declinare.

63. Quin etiam hæc declaratio Ecclesiæ Gallicanæ, vel Clero Gallicano tribui non debet, cùm, qui Comitijs interfuerunt, procuratione caruerint, quæ ad res adeò arduas & difficiles specialissima requirebatur; consensus autem, qui fortè ab alijs quibusdam præstabitur, vix liber habebitur, cùm intentatis pœnis, & jam quibusdam inflictis, exigatur.

64. Accedendum jam ad singularum propositionum examen. Quocircà nisi demonstravero, propositiones in declaratione Cleri Gallicani contentas, universaliter, ut jacent, acceptas, esse apertè falsas, saltem constabit, longè minùs esse probabiles, minúsque tutas, quam earum contradictorias. Atque adeò Comitia Parisiensia maximam injuriam illius Regni fidelibus erga Summum Pontificem bene affectis intulisse, dum Edicto Regio, pœnisque adjectis, ad assentiendum doctrinæ ad minus de falsitate plurimùm suspectæ, atque aliunde Sanctæ Sedi adversæ, cogendos curarunt. Tantumque abesse, ut illa agendi ratio libertas Ecclesiæ Gallicanæ nuncupari possit, utpotiùs durissima, & Christianæ libertati infensa servitus vocari debeat.

65. Nec puto, reperiri quemquam, qui hâc declaratione speret revocandos ad gremium Ecclesiæ hæreticos; quippe qui arbitrentur, ut eorum aliqui non sinè opprobrio nostræ Religionis jam significârunt, Comitia Cleri Gallicani non parum ad ipsorum doctrinam accessisse, jam plurimùm Summi Pontificis, cujus obedientiæ sese ipsi usquequaque subduxerunt, authoritatem imminuere cœpisse, potiúsque Catholicos à visibili Ecclesiæ Capite defecturos, quàm ei sese conjungere illi meditentur. Ego quidem sic habeo, Regem Christianissimum, qui tam gloriosè in reducendis ad Christi ovile Regni sui hæreticis incumbit, ex eâ declaratione ad tam præclarum opus, parum accepisse subsidij. Etenim cùm Summus Pontifex sit centrum Unitatis, qui arctiùs illi adhæret, intrà sinum Ecclesiæ arctiùs stringitur. Ità ò, ut notavit Hincmarus alias relatus, *Rex & Episcopi Christi Vicario obedientes, illo exemplo debitam sibi à proprijs subditis obedientiam facilius obtinent.*

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta cum confusione super ijs reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

66. AUthor *Regalis Sacerdotij dicto lib. 1. §. 16.* argumentatur 1. ab authoritate præcipuorum Theologorum, vel Ecclesiæ sanctæ Doctorum. Inter quos primum hîc obtinet locum S. Gregorius Magnus in Privilegijs Monasterio Suessionensi S. Medardi, & Ecclesiæ S. Martini concessis, Reges Privilegiorum hujusmodi invasores Regnis etiam interdicens; prout videre licet *lib. 8. Regesti epistolar. Gregorij VII. epist. 21. relatâ 3. Concil. p. 2.* Cujus Privilegij præallegatam clausulam à nonnemine Gallorum vocatam in, dubium prævalidè vindicat Author *tract. libert. Gal. Eccles. supra §. 1. à n. 1.*

67. Succedit Divus Thomas, cujus ex *2. 2. q. 12. art. 2.* hâc de re sententiam retulimus *§. 1. n. 3.* Cui haud dissimilis est sententia *2. 2. q. 60. art. 6. ad 3.* prolata: *Dicendum*, inquiuntis, *quòd potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei à sæculari potestate relinquuntur.* Idem Doctor Angelicus similia profert *in Opusc. 20. de Regim. Princip. lib. 3. cap. 10. & cap. 17.* ubi ostenditur, quomodò Imperatorum successio à Carolo Magno, indeque eorundem electio per Summum Pontificem sit devoluta ad Germaniæ Principes &c.

68. Subsequitur Divus Bonaventura Parisijs sacræ Theologicæ publicus Lector *lib. de Eccles. hierarchia par. 2. cap. 1. to. 7. operum.* scribens, quæ *supra §. 1. n. 4.* adducta fuerunt. Consonant, quæ idem S. Ecclesiæ Doctor *in 4. dist. 37. in expos. textûs dubij 4.* docet; *Utrumque gladium, uti dicit Bernardus, esse Ecclesiæ; sed differenter: qui enim spiritualis, extrahendus est manu Ecclesiæ, sed materialis non manu, sed nutu &c.*

69. Digna sunt etiam, ut proferantur, quæ S. Antoninus *p. 3. Summæ tit. 22. cap. 5. §. 13.* disseruit: *Imperator*, inquiens, *est Minister Papæ, eo ipso, quòd est minister Dei, cujus vices gerit juxta Apostolum* ad Romanos *13. Est autem Principalis agentis, eligere Ministros & instrumenta ad suum finem. Unde puto, quòd Papa, cùm universos fideles in præsenti Ecclesiâ ad pacem habeat ordinare, & ad spiritualem finem consequendum dirigere & destinare, justâ causâ & rationabili existente, per se ipsum possit Imperatorem eligere, aut propter eligentium negligentiam & discordiam, aut propter populi Christiani & pacis providentiam, aut propter coercendam hæreticorum & paganorum audaciam, & potentiam. Posse enim Papæ, sulcitum esse debet veritate, justitiâ, & æquitate: non enim potest adversùs veritatem.* His conformiter subdit is Ecclesiæ sanctæ Doctor: *Potuit enim Papa Electores Imperatoris instituere, & institutos mutare cum causa rationabili: sicut etiam Imperatorem electum potest non confirmare & confirmatum deponere &c.* Et infrà: *Item Papa posset providere de Imperatore per hæreditariam successionem, quando videret, populo Christiano pacem dari magis per hæreditariam successionem Imperij.*

70. Agmen hoc præcipuorum sacræ Theologiæ Doctorum claudit Ioannes Gerson, Universitatis Parisiensis olim Cancellarius, cujus sententiam supra *§. 2. n. 28.* posuimus ob oculos. Hìc satis ergo sit, Authoris *Regalis Sacerdotij cit. §. 16.* supra Gersonis placito proferre animadversionem. Nempe hoc præcipuum Academiæ Lutetianæ lumen negare quidem Pontificibus potestatem *Iuridicam* & *Civilem* ac *Ordinariam* respectu Principum sæcularium, qualem scilicet habet Rex in suos subditos, & Dominus directus in Vasallos, concedere tamen subjectionem Principum respectu Papæ, quando *Iurisdictionibus, temporalitate, & dominio abutuntur*, quàm ipse vocat *directivam* & *ordinativam*, nos *casualem* & *extraordinariam*. Nec enim voluit Gerson pro casu, quando abutuntur, excludere *coercitivam, directivam* enim non tantùm habet Papa, sed Episcopus quilibet, etiam extra casum abusûs, nec aliam potestatem Pontifici negat Gerson, quàm illam *ordinariam*, quam Summo Pontifici etiam extra casum necessitatis alij concedebant. Et ideo Cardinalis Peronius apud Gramondum *lib. 1. hist.* Gersonem pro hac sententiâ, quam defendimus, laudat.

Reflexio.

71. Reflexionem faciendo super isthac ratiocinatione, inprimis occurrit advertendum, quòd jam aliàs monuimus, inscriptum Divi Thomæ librum *de Regimine* non agnosci genuinum hujus Angelici Doctoris fœtum. Deinde desideratur, ut ostendatur, ad quæ fidei principia seu *proximè*, seu *remotè* reducantur illæ Pontificiæ supra Reges potestatis prærogativæ deductæ ex prætactis sacræ Theologiæ seu Angelicis, seu Seraphicis, seu præcipuâ doctrinæ & sapientiæ laude conspicuis Doctoribus. Quod in probationem *primam* sequentis conclusionis reservamus.

72. Vnum hìc occurrit accuratiori discussione dignissimum ex *præallegato* Gersone, negante Pontificis Summi supra Reges superioritatem esse *juridicam*; quemadmodùm aliqui Bonifacio VIII. imposuerunt, prætendisse super cunctos Christianos, ipsosque adeò Reges *Civilem* & *Iuridicam* Jurisdictionem. De hac Gallis erga Bonifacium VIII. sub Philipo IV. Franciæ Rege ingestâ opinione *præced. disquis. 2. §. 1. n. 21.* egimus, & ostendimus, non tam solido fundamento, quàm suspicionis fuco nixam fuisse. Hoc tamen misso, cùm idem Gerson Pontificum erga Reges potestatem, quam priùs negabat, esse *civilem & juridicam*, postea vocet *directivam*, & *ordinativam*, scisciari nunc placeat, an sub istâ *directivâ* & *ordinativâ* potestate intelligat comprehensam *coercitivæ* quoque Jurisdictionis speciem? Moderni namque Pseudoreformatores prætendunt, Deum unicam supremam authoritatem *Civilem* jure gladij armatam, Magistratui politico inexistentem instituisse potestatem, cujus Jurisdictioni omnis anima juxta Apostolum *Rom. 13.* sit subjecta? Hoc à mente Gersonis prorsus alienum esse, patet ex ejusdem præadductâ sententiâ, magisque patebit *infrà ex hujus accuratiori discussione.* At neque ista Neotericorum doctrina cohæret cum sacris Litteris. Si namque Deus unicam authoritativam, eamque *Civilem* Magistratui politico duntaxat inexistentem, jure gladij armatam potestatem instituisset, quomodò jam subsisteret illud *Deuter. 17.* effatum Divinum: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis Imperio &c. moriatur.*

Objectio.

Ex parte adversâ excipitur. Hanc sacerdotis potestatem non fuisse supremam, debuisseque Judicis accedere decretum, ut morte dignus esset, qui non obedierit. 73.

Responsio.

Huic objectioni oppositum est, quòd *cit. Deuter. 17. cap.* supremo Mosaicæ legis sacerdoti tribuatur potestas tali cum authoritate in dubijs interpretandi leges judiciales, ut ejus sententiæ standum fuerit, debueritque Iudex decretum, seu judicium suum huic Sacerdotis sententiæ conformare, reusque adeò pronuntietur, qui sacerdotis imperio & decreto judicis nolebat obedire. Ex quibus evincitur, Divinam ordinationem duo genera imperij distinxisse, alterum in Divinæ legis interpretatione, alterum in legis Divinæ sic declaratæ ad decretum ex eâ formandum applicatione consistens. Et quidem prius ejus erat authoritatis, ut Judex civilis debuerit eidem subjectus esse, atque adeò oportet, eam sacerdotis sententiam fuisse supremam, nec proinde subditam civili architectonicæ potestati, atque adeò hanc non absolutè, sed in suo duntaxat Foro civili supremam fuisse. 74.

Quando igitur *Rom. 13. v. 1.* item *Titi 3. v. 1. 1. Petri 2. v. 13.* præcipitur, *ut omnis anima sublimioribus potestatibus sit subdita*, id de potestate civili locum habet non *absolutè*, sed *in sensu accommodo*, inter limites nempe *fori Civilis ac Politici.* Si namque in legis Mosaicæ statu præter 75.

præter Civilem ac Politicum Magistratum fuit Divinitus institutum supremum pro populo Israelitico sacerdotium, cùm potestate gubernandi ea, quæ spectabant ad res sacras, & dubiorum circa legem, & causarum judicia occurrentium declarationem, cur non æquè, imò magis in statu Evangelij dicatur præter supremæ Politicæ authoritatis Magistratum, extare sacerdotem supremum, cui in universis causis Ecclesiasticis sit suprema jurisdictionis authoritas? Id profectò probat tum luminis naturalis, ac supernaturalis Fidei differentia, cui utrique respondet suum proportionatum regimen, tum aperta Christi Domini ordinatio, Oecumenicum Pastorem, cum *indefinitâ in cæli* etiam *Foro, ligandi & solvendi potestate*, pro legis Evangelicæ statu instituentis.

76. Quibus sic ponderatis, jam facile est, Gersonis mentem indagare quoad *directivam* & *ordinativam* Summi Pontificis supra Reges authoritatem, dum ipsemet subdit, omnes homines, etiam Principes habere subjectionem ad Papam, in quantum contra Divinam & naturalem legem abuterentur suâ jurisdictione, temporalitate, & dominio: hisce namque verbis clarè denotatur virga per Christum *Matth. 18.* erga delinquentes Ecclesiæ, concessa potestatis & *correctoriæ*, & coúlque *coercitivæ*, ut non nisi per processum, quoad juris naturæ solennitates substantiales legitimè formatum, privarentur jure Communionis fidelium, cum ulteriori adhuc (*ex sacro contextu*) ordine ad *quodcunque super terram ligandi & solvendi* potestatem, Apostolica authoritate exercendam.

ARGUMENTUM II.

77. AUthor *Regalis Sacerdotij* argumentatur 2. ab authoritatibus sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis, Petri Blesensis, Petri Cluniacensis, Alexandri Alensis, Henrici Gandavensis, Augustini Triumphi, & plurimorum à se allegatorum Theologorum. Divi equidem Bernardi, nec non Alexandri Alensis, ac Henrici Gandavensis hanc in rem sententia patet *ex §. 1. à n. 2.*

78. Ita verò ad Cælestinum Papam III. nomine Reginæ Angliæ Petrus Blesensis natus Gallus scribebat *epist. 146. Porrò Princeps Apostolorum adhuc in Apostolicâ Sede regnat & imperat, & in medio constitutus est judiciarius* (Anglorum adversùs Richardum Regem Angliæ vinculis detentum) *rigor, illúdque restat, ut exeratis in malefices Pater gladium Petri, quem ad hoc constituit super gentes & Regna Christi. Crux antecellit Cæsaris Aquilis, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes Imperatoriæ potestati.*

79. Petrus porrò Cluniacensis Abbas *lib. 6. epist. 28.* ita scribebat: *Quamvis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed & super ipsos Imperatores Imperium. Unde ei sub figurâ Prophetici nominis dictum est.* Constitui te super gentes, & Regna, ut evellas & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes. *Quare si non potest occidere, potest evellere, si non potest occidere, potest destruere.*

80. Augustinus Triumphus *q. 1. de potest. Ecclesiast. par. 1. art. 7.* dicit: *Papam eatenus gerere vicem Christi, saltem quantum ad potestatem & Iurisdictionem*, ut *art. 8.* subijciat, *Bona temporalia & spiritualia eatenus posse ad tria comparari, nempe ad productionem, ad eorum ordinationem, & ad eorum motionem, atque actionem, ut secundùm ista tria ostendi possit, in Papa esse potestatem super omnia*, ut fusiùs postmodùm exponit, sic concludens tandem: *Papa verò, in quo est potestas spiritualis, habebit per ipsam potestatem spiritualem disponere & ordinare de temporalibus.* Quibus tam insignibus sacræ Theologiæ Doctoribus, ad præsens institutum nostrum dictus Author, circa finem prælegati *§. 16.* annumerat quàm plurimos alios Theologos, si placeat, sigillatim etiam *locis ibi allegatis* consulendos.

Reflexio.

81. REflexionem super hac argumentatione facienti, iterum occurrit mihi *præfatus* Author, tria notatu digna emphaticè inculcans. Inprimis, quòd omnium scholarum Principes conveniant in nostram sententiam. Ex scholâ namque Franciscanâ Alexandrum Alensem, & S. Bonaventuram: ex Dominicana SS. Thomam, & Antoninum: ex Augustinianâ Antesignanum Ægidium, & beatum Augustinum Triumphum: ex Carmelitanâ Ioannem Bacconum: ex Charthusianâ præcipuum doctorem Dionysium; ex insigni, celeberrimaque Sorbonica Henricum Gandavensem: ex Societate Iesu Suarez, omnesque ejusdem Societatis Doctores.

82. Deinde omnes, qui ob doctrinam eminentem titulum aliquem, & elogium, maximæque eruditionis characterē sunt consecuti, pariter convenire in nostram sententiam, Hugonem scilicet cognomento *Magistrum*, Alensem *Irrefragabilem*, Thomam *Angelicum*, Bonaventuram *Seraphicum*, Ægidium *Fundamentalem*, Mayronem *Illuminatum*, Gandavensem *Solennem*, Bacconum *Resolutum*, Gersonem *Christianissimum*, Doctores.

83. Denique quàm plurimos Sanctis adscriptos in eandem sententiam nostram conspirare; nempe Divum Thomam, S. Bonaventuram, B. Ægidium Romanum *lib. de potest. Ecclesiast.* B. Augustinum Triumphum, S. Antoninum, S. Raymundum *lib. 1. tit. de hæreticis.* S. Gregorium Magnum, B. Ioannem Capistranum *lib. de potest. Papæ. p. 2.*

ARGUMENTUM III.

84. AUthor *Regalis Sacerdotij ibidem* argumentatur 3. Ecclesia Gallicana non semel, sed aliquoties, & clarissimè potestatem hanc Pontificiam agnovit & professa est. Nempe in Synodo Pontigonensi, de qua Aimonius *Rerum Francicarum lib. 5. cap. 33.* In Concilijs generalibus Viennensi, & Lugdunensi primo. Novissimè hanc ipsam esse Gallicani Cleri doctrinam, contestatus est Gramondus Regij Consistorij Senator, & in Parlamento Tolo-

sano Præses *lib. 1. histor. ad annum 1615. fol. 60. & seq.* Comitia videlicet trium Galliæ Ordinum generalia Lutetiam fuisse convocata, hoc est, Cleri, Nobilitatis, Tertijque Ordinis, qui ultimis Magistratibus subalternis, & populo constat. In ipso Comitiorum ingressu tertium Ordinem proposuisse thesin *toties Clero obstrepente* agitatam: *Nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unique immediatè Deo, debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdictis.* Ubi notatu digna sunt ea verba: *obstrepente Clero.* De illâ thesi pluribus actum, missosque communibus Tertij Ordinis votis ad Clerum articulos tres: quorum hæc summa erat: 1. *Sacrilegum esse, Reges unctos Dei quolibet prætextu in necem dare.* 2. *Debitam immediatè uni Deo Regum in subditos potestatem.* 3. *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subjacere Imperia Regum, subditosque nunquam sacramento fidei exsolvi posse.* Consensit *primæ* propositioni Clerus, imò perorante doctissimo Cardinale Perronio, Thesin in tyrannicidas de fide esse, respondit ex decreto Concilij Constantiensis *Sess. 5. Alterum* de fide negavit. Difficultatem igitur movit præcipuè articulus *tertius*, vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum sceptra potestatem certis casibus: probabat, Romanæ Sedi in Reges hæreticâ labe infectos, subscripsisse, quotquot Calvinum antè Theologica tractavêre. Contrariam opinionem omninò novam esse, Luthero & Calvino fautoribus, nuper natam, Sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis, si pejeraverint in hæresin ipsi denegeres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores: deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjurij pœna. In eam sententiam exactis sæculis itum, iri & hodie passim, si Galliam demas. Ex quâ proinde Perronij Cardinalis, & Gramondi dissertatione, pergit dictus Author argumentari, clarissimè elucere, quòd Clerus Gallicanus, perorante doctissimo Porronio, in ea fuerit sententia, ut crederet: *Opinionem, quæ potestatem Pontifici in Reges negaret, novam esse, Luthero & Calvino fautoribus, nuper natam, tanquam dogma politicum defendi posse ad summum: eo errore primam fuisse viam Henrico VIII. Angliæ Regi in hæresin: ex injusto repudio justè condemnatum, rebellâsse contra judicem suum: non aliud præcinere thesin, quàm rebellionem in solium Petri.*

Reflexio.

85. REflexionem super his per nos jam antehac discussis facienti, occurrit mihi idem anteà *citatus* Author solidâ sequenti illatione suâ: Jam, inquiens, prudentum quilibet facilè judicaverit, quàm apud omnem posteritatem Conventui Parisiensi decorum futurum sit, eam propositionem tanto cum apparatu, curaque, imò gravissimis pœnis imperâre, quam sub felicissimæ & glorioissimæ memoriæ Ludovico XIII. Gallicani censuerunt: *esse opinionem novam Luthero & Calvino fautoribus, natam, cui veterum nemo subscripsit, Recentiorum pauci, quæ Henrico VIII. via in hæresin fuerit, quæ apertam rebellionem præcinat in solium Petri, quam prælo datam, obtento à Rege diplomate, multâque in Typographum oblitteratum voluêre, cui denique in ijsdem Comitijs omninò contrarium rotundè edixerunt, sacramento videlicet Reges Galliæ, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis obstringi: si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege Dei spectat perjurij pœna.*

Hæc igitur Ecclesiæ Gallicanæ sub Christianissimæ memoriæ Ludovico XIII. in Comitijs generalibus per Gramondum omni exceptione majorem relata, adversùs illam omnem supra Reges jurisdictionem Summo Pontifici adimentem propositionem censura, moderno æque Clero Gallicano meritò cordi esto.

CONCLUSIO.

86. AB authoritate Theologorum, & sanctæ Ecclesiæ Doctorum prævalidum petitur argumentum, ad probandam Pontificiam super Reges quoad temporalia, tamen *indirectam* duntaxat potestatem.

Explicatur. Cùm enim Patrum, seu Ecclesiæ sanctæ Doctorum, ac Theologorum authoritas in eo sita sit, quòd ex doctrinâ Divinâ, vel etiam sanctitatis notis intrà Ecclesiam conspicuis, credantur in rebus fidei explicandis ferre judicium, non proprij duntaxat ingenij, sed supernaturalis gratiæ viribus efformatum. Idcircò magnum inde pondus prudentialis saltem ad fidei assensum dirigendum credibilitatis eruitur, dum præcipuè veritatis sub tali authoritate propositæ ab ipsismet Theologis concordi consensu in quodpiam fidei principium fit resolutio; prout in præsenti rei statu fieri, ostendent sequentes probationes.

PROBATIO I.

Super authoritates Theologorum, Ecclesiæ sanctæ Doctorum *suprà* adductorum reflexiva.

87. SI expendantur verba S. Antonini *præs. §. 3. n. 68.* adducta, nec non Divi Thomæ *in Opusc. 20. de Regimine Principum cap. 19.* descripta, manifesta hinc elucet sententia, quòd Papæ jus sit, tum super ipso etiam Imperatore confirmando, vel per hæreditariam successionem designando, ac etiam deponendo, tum super potestate eligendi Regem Romanorum alijs conferendâ, nec non dignitate isthâc electorali Principibus Germaniæ concessâ revocandâ, quantum bonus status Ecclesiæ universalis, seu populi Christiani pax id requireret. At istud Summi Pontificis jus radicatur in eo, quòd dignitatem Imperatoriam pro Occidente Græcis ademptam Sedi Apostolicæ eatenus vendicârit, ut *radicaliter* semper adhuc penes istam subsistat, tametsi eam primitùs secundùm hæreditariam successionem, postea verò se-

rò secundùm liberam electionẽ in Caroli Magni stirpem, deinceps verò in Nationem Germanicam transtulerit. Hæc verò Imperatoriæ super Occidente dignitatis à Græcis in Carolum Magnum, indeque in Germanos translatio per dictos sanctos Doctores reducitur in hoc principium, tum quòd Papa tanquam Vicarius Christi habeat plenitudinem potestatis pro bono statu Universalis Ecclesiæ, tum quòd, cùm Papa agat vices Dei, consequenter Imperator sit illius Minister: sit autem principalis agentis, eligere Ministros, & instrumenta ad finem: unde quia Papa habet, universos fideles in præsenti Ecclesiâ ordinare ad pacem ac spiritualem finem, sit consequens; *posse, existente causâ justâ, & rationabili, per se ipsum eligere Imperatorem, aut propter populi Christiani, & pacis providentiam, aut propter coercendam hæreticorum, & paganorum audaciam, atque potentiam.* Atqui tota hæc ratio jam universalis est erga cunctos Christianæ professionis Reges ex vi characteris in sacro Baptismate susceptí, ad sanctæ Ecclesiæ bonum universale obstrictos.

88. Ipsissima verò isthæc ratio per Divum Bonaventuram *lib. de Eccles. Hierarch. par. 2. cap. 1.* reducitur ad hoc principium; quòd dignitas Clericalis in sua radice penitùs spiritualis, meritò sit dicenda esse consona Ordini Dominationis, ita illuminantis inferiores Angelicos Ordines, ut ab illis vicissim non illuminentur. Unde infert hic Seraphicus Doctor, quòd, sicut spiritus dignitate & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior sit, quàm sæcularis, & ideo benè sortiatur nomen Dominationis. Et hinc concludit, Regalem potestatem subjacere potestati & authoritati spirituali; sicut *in 1. Canonica Petri* dicitur: *Vos estis gens sancta, & Regale sacerdotium.* Ex hoc autem infert is S. Doctor, temporale Regnum, velut quoddam adjectum subjacere Sacerdotio in Novo Testamento, quamvis in Veteri Testamento sacerdotium subfuerit Regno, juxta illud Exodi: *Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum*, siquidem Regnum in hoc sacro textu ponatur *substantivè*, sacerdotium verò *adjectivè*, secùs ac in Novo Testamento, ubi sacerdotium *substantivè*, Regnum *adjectivè* ponitur.

89. Ex quo proinde in sacris Litteris fundato discrimine secundùm eundem Seraphicum Theologum conficitur, quòd Reges in Antiquo Testamento potuerint amovere sacerdotes summos ab officio, sicut Salomon amovit Abiathar *3. Reg. 2.* econtra verò in Novo Testamento Sacerdotes & Pontifices ex causâ possint amovere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, quando eorum malitia id exigebat, & & Reipublicæ necessitas sic requirebat. Reducendo igitur hanc Seraphici Doctoris illationem ad principium, quod ab ipsomet priùs supponebatur, & ad principium illud, quod à D. Thomâ *2. 2. q. 13. a. 2. ad 1.* traditur, nempe potestatem sæcularem in Novo Testamento subdi spirituali potestati, perinde ac corpus subijcitur animæ, oportet, hinc totum rei momentum reducere ad istud fidei principium, quòd Christus Ecclesiam suam eatenus munierit Regni cælorum clavibus, ut, quidquid in ovibus suis Oecumenico pastorali officio commissis, ad cælorum tam militans, quàm triumphans Regnum est ordinabile, ut sic spirituali quapiam moralitate superveslitum, debeat Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis indefinitæ ad ligandum & solvendum potestati subjectum esse.

PROBATIO II.

Prioris continuativa.

EX *cit. §. 3. n. 78.* constat, à Petro Blesensi 90. eatenus in Summo Pontifice gladium Petri reponi, ut sit etiam super Regna, præjudicetque gladio, seu potestati Imperatoris, in vi cujus præeminentiæ Sedes Apostolica super ipsos quoque Imperatores teneat Imperium; uti S. Petrus Cluniacensis habet. Unde Divus Bernardus infert, ipsius etiam Imperatoris gladium *materialem* subesse Ecclesiasticæ authoritati, quatenus Summus Sacerdos propriâ manu suum spiritualem gladium, suo tamen nutu ac imperio illum imperatorium gladium exerere, ac exercere valeat. Ex vi cujus adeò supereminentis spiritualis authoritatis posse Summum Pontificem instituere, ut sit, & judicare potestatem terrenam, tradunt Hugo de sancto Victore, & Alensis *ubi supra allegati.* Et hinc Henricus Gandavensis, & Augustinus Triumphus *ibidem* relati probant, Summum Pontificem esse talem Hierarcham, ut sicut vir, juxta Apostolum *1. Corinth. 2. v. 15.* judicet non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Quam proinde Papæ authoritatem idem Gandavensis optimè reducit in Claves Petro, ejusque successori à Christo traditas, & duos eidem commissos gladios, sic ut Regnum Universalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus ad ipsum pertineat; juxta *Cap. Omnes, dist. 22.* junctâ Glosâ *ibi* concludente, quòd Papa, cui terreni simul & cælestis Imperij Christus per duas Claves commisit, habeat utrumque gladium, spiritualem ac temporalem.

PROBATIO III.

Reflexiva super ipsius Ecclesiæ Gallicanæ *præced. §. 1. à n. 8.* adducta testimonia.

SPero equidem, modernæ quoque Ecclesiæ 91. Gallicanæ Clerum in sensu concordare, cum ejusdem Ecclesiæ suæ Episcopis & Archiepiscopis coram Rege Philippo Anno 1329. & coram Ludovico XIII. Anno 1615. unà cum Nobilitate, ipsomet etiam Rege adstipulante, solidissimis in fidei principia reductis fundamentis comprobantibus in publicæ necessitatis casibus Papæ super Reges, in causis quoque temporalibus, quà spirituali in Regnum cælorum ordinabili moralitate affectis, authoritatem *indirectam.*

Hoc saltem pro indubitato teneo, modernum Clerum Gallicanum non minùs reverentiæ, erga Sedis Apostolicæ authoritatem, ac 92.

præeminentiam habere, quàm professi sint Juris tum *Canonici*, tum *Civilis* periti, quorum hac in re testimonia profert Author *tract. de libertat. Eccles. Gallic. lib. 4. cap. 9.* Juris, inquiens, Canonici interpretes, aut tractatores, Ecclesiasticam potestatem in temporalia Principum magis adhuc, quàm Theologi, explicuerunt. Ex quorum infinito propemodùm numero paucos tantùm Gallos profero.

Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis *in Specul. Iur. particulâ primâ, tit. de Legato. §. Nunc ostendendum*, qui *est* 6. *n.* 17. de authoritate Papæ ita scribit; *Deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, ut* Extravag. De re iudicatâ. Ad Apostolicæ. lib. 6. *& etiam Reges, ut* 15. quæst. 6. Alius. *Et dat eis Curatores, ubi ipsi sunt inutiles ad regendum. ut* Extrav. de suppl. neglig. Prælat. Grandi. lib. 6. n. 32. *Item ipse renovat leges Imperiales, ut* in constitutione Gregorij X. Properandum.

93. Ioannes Monachus è Gallia oriundus *in cap. Grandi. de supplen. negl. Prælat. n. 4.* sic scripsit; *sed quid ad Papam de Regibus, & eorum Regnis? Videtur immittere falcem suam in messem alienam, quod esse non debet*, suprà De electio. Venerabilem. in princip. *Sed dic, quòd Papa in quemlibet habet jurisdictionem, nec est dubium ratione peccati*, infrà De judicijs. Novit. *& in spectantibus ad pacis reformationem.* 90. dist. per tot. & vide *etiam* n. 5. *In cap.* autem Ad Apostolicæ. de sent. & re judic. n. 9. *notat, quòd Papa deponit Imperatorem propter crimen: ut hic: Etiam propter inutilitatem Reges deponit.* 15. q. 6. Alius. *Etiam ipsis Regibus malè administrantibus Coadjutores & Coadministratores dat.* Suprà hoc lib. de suppl. negl. Prælat. Grandi. *Ecclesia etiam Principes compellit exhibere justitiam.* 23. q. 5. Administratores. *Etiam jurisdictione utitur ex eorum negligentiâ.* Suprà De foro compet. Ex tenore. *Oportet enim, ponere unum Principatum, ad quem omnes recurrant.* 6. q. 1. In apibus.

94. Etiam à tempore dissidij inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. Regem Franciæ, in quo maximè controversa fuit Jurisdictio Ecclesiastica in temporalia Regum, non solùm Doctores Ecclesiasticos, sed ipsos etiam Officiales Regios hanc potestatem confessos fuisse, patet ex Tractatu *De utraque potestate sæculari & Ecclesiastica*, qui *Somnium Viridarij* est inscriptus, quemque alij Cancellario, alij Consiliario Caroli V. Regis Franciæ tribuunt, & certè in favorem potestatis laicæ scriptum fuisse, constat. In eo tractatu defensor authoritatis sæcularis sub nomine Militis sic loquitur; *Concedendum est, quòd Principatus Papalis concernit temporalia, prout de necessario concernit spiritualia, cùm ab eorum usu, vel abusu surgit peccatum, prout dicunt Textus, ratione peccati omnes causæ spectant ad forum Ecclesiasticum.* Cap. Novit. De judicijs. & Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. *Tamen* principaliter *disponendo, & authorizando nihil spectat ad Papam, quantum ad temporalia.* Et alibi. *Nec debet se* (potestas Ecclesiastica) *de depositione Imperatorum, seu Regum temporalium intromittere, prout in prioribus plenius fuit dictum, quantumcumque Rex, vel Imperator sit dignus depositione propter defectum quemcunque, vel crimen, quod non est inter spiritualia crimina computandum. Et ideo si Imperator, vel Rex committit crimen dilapidationis Imperij, vel destructionis Imperij, seu Regni, aut damnabilis negligentiæ Imperij, vel Regni. vel Tyrannidis, vel quodcunque aliud, propter quod non immeritò deponi meruit, Papa non deberet eum deponere, sed populus, à quo suam recipit potestatem* tacitè, vel expressè. Excipit, *nisi illi, ad quos pertinet, nolient, aut non possent facere justitiæ complementum.* Posteà adducens exempla Pontificum deponentium Imperatores, varias affert responsiones; & allatâ opinione improbantium, quod factum fuerat ab eis, addit; *Fatentur tamen, quòd Papa potest transferre Imperium, vel Regnum* casualiter, *ut quia non est alius superior; vel aliter aut Imperium, vel Regnum est transferendum de gente in gentem propter aliquod crimen spirituale gentis, puta, si gens illa inficiatur hæreticâ pravitate, vel ad legem Iudæorum, vel ritum Gentilium, vel sectam aliam converteretur, vel propter aliud simile, vel propter crimen sæculare, ut propter negligentiam, aut defectum alium, propter quod etiam judicio sapientium Gentilium, vel Christianorum gens illa non esset digna alias gubernare. Si transferendum esset Imperium, vel Regnum propter crimen spirituale, dicunt quidem, quòd Papa potest jure* Divino *transferre Imperium, seu Regnum, quia ipse in spiritualibus, & annexis eis, habet plenitudinem potestatis, quantùm ad ea, quæ sunt de necessitate facienda. Alij dicunt, quòd Papa in hoc casu non potest transferre Imperium, sive Regnum, nisi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel faventes genti, à quâ necesse est, transferri Imperium, vel Regnum, sed in hoc casu spectat ad Papam, de crimine spirituali cognoscere, & denunciare illis, ad quos spectat, ut ipsum deponant. Quòd si noluerint, vel non potuerint, jure* Divino *est devoluta potestas ad Summum Pontificem: & hoc, quia ipse habet plenitudinem potestatis, quantum ad omnia, quæ sunt de necessitate facienda. Si verò Imperium transferendum esset de gente in gentem propter crimen aliquod sæculare, vel defectum alium, Papa authoritate propriâ talem translationem non posset facere, nisi illi, ad quos spectaret, damnabiliter essent negligentes.* Fatetur ergo Author & quidem frequenter, Ecclesiam posse Principes deponere, saltem pro criminibus spiritualibus, & etiam pro alijs culpis, si negligant ij, ad quos jus illud spectat.

Ioannes de Selva *tract. de Benef. par. 3.* 95.
quæst. 8. num. 31. ita censet, *Papa solus potest deponere Imperatorem.* cap. Ad Apostolicæ. De sent. & re judic. in 6. & no. doc. post. gloss. in Cap. Venerabilem. de Elect. & in Clement. Romani. De jurejur. *Præterea facit, quòd Papa potest deponere Regem, ut aliàs deposuit Regem Franciæ, quia erat effœminatus.* Cap. Alius. 15. q. 6. Ita ille, licèt in Senatu Parisiensi Præses.

Consentit, & ampliùs illam potestatem 96.
explicat in Senatu Tolosano Præses Stephanus Anfrerius *tract. de potest. Eccles. super laicis eorum, ac prærogativis Ecclesiæ, num.* 32. *Facit, quod notat* Baldus in c. Imperialem. §. fin. 1. col. de prohib. feud. alien. per Feder. *ubi dicit, quòd, si dominus feudi non recognoscit superio-*

periorem, prout est Rex Franciæ, & Pares Curiæ eis nimis favent, Papa cognoscet. Sed dictum hujusmodi debet intelligi in causa ardua, quia sic loquitur allegatum cap. Per venerabilem. num. 52.
113 *Papa deponere potest laicum à sua dignitate.* Glos. in cap. Nullus. 11. quæst. 1. 114. *Papa potest absolvere laicos vasallos à subjectione Principis temporalis.* Cap. Gravem. De excess. Prælat.
115. *Papa potest absolvere aliquem ab obligatione quæsitâ laico, qui ei non subest quoad temporalem jurisdictionem, si talis obligatio solùm contrahitur ex fidei præstatione, ut* in cap. 4. De jurejur.

97. Ioannes Faber in Senatu Parisiensi Causarum Patronus *in l. Codicis de Summ. Trinit. & fid. Cathol. num. 10. Sed de Papa*, inquit, *non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus: ut plenè probat* Hostiensis dicto cap. Per venerabilem. verb. Paulus. *Et idem* Innocentius dicto cap. super verbo, non recognoscit, *quod aliter probari potest; nam cùm Papa sit Vicarius Domini, cujus est plenitudo &c. & qui est Princeps Principum, & Rex Regum secundùm Apostolum* in princ. *& cui data est omnis potestas* Matth. 7 *ridiculosum esset dicere, quin in omnibus temporalibus haberet superioritatem, & potestatem.* 12. q. 1. cap. Præcipimus. Et num. 11. *Et cùm omnis jurisdictio in Vicarium transeat.* Extra. De offic. vicar. Quia infra. De offic. ejus, qui vic. alter. obtinet l. 1 *Nusquam enim reperitur, quòd Dominus concedendo potestatem Petro, restrinxit ad spiritualia. Nullus enim negare potest, quin Jesus haberet omnimodam superioritatem, si exercere voluisset, cùm sit Creator, & sic Dominus.* N. 12. *Tamen satis credo, quòd Papa non se debeat intromittere de temporali jurisdictione. Imò debet tenere gladium in vagina: nisi in casibus, qui tangunt præjudicium animæ, vel justitiæ subversionem, vel aliàs peccatum.* Extra. De Judic. c. Novit. De foro competen. &c. 13. *In casibus tamen præmissis cùm agitur de præjudicio animæ, populi &c. Papa potest, & debet providere: & si necesse sit, quoscunque Reges deponere, vel interdicere eis administrationem, & ex minori causa, quàm privatos, cùm eorum fatuitas, vel malitia plus lædat.* Extra. De suppl. neglig. Prælat. c. Grandi per Archidiac. *& vide* Innoc. dicto c. Licèt. Extra. De foro competen. 96. dist. Cùm ad verum. Extra. De voto, & voti redempt. c. Licèt. in fine. *Sic intelligo & determina, quod no.* in Authent. Quomodò oport. Episc. & Cler. in princ. coll.

9. 98. Ut inter Theologos, ita & inter Jurisperitos Catholicos usque ad hæc postrema tempora etiam qui jurisdictionem Ecclesiæ super Reges, & Principes in temporalibus angustare conati sunt, eam omninò negare ausi non sunt. Petrus Gregorius Tholosanus in variis Academijs Franciæ successivè Juris utriusque Professor, *de Repub. lib. 26. cap. 1. Quamvis dicamus*, inquit, *Imperatorem posse privari tanquam inutilem suo Imperio per Summum Pontificem*, Per venerabilem. De elect. &simil *Tamen non sequitur, Papam idem jus habere in alios Reges omnes. Demo tamen causam Fidei.* Et inf. à. *Excipio semper, ut aliàs dixi, causas Fidei, in quibus Principes, cujuscunque sint libertatis, & potestatis, subjiciuntur directè Sedi Romanæ; & pro delictis in illis commissis puniri possunt. Sic tamen, ut, sicut delicta sunt personalia, & non transeunt personas delinquentes; ita nec pœna, quæ delicto debetur, non violet jus successorum in Regno, vel ex consuetudine recepit?; vel ex lege Regni, quâ proximi ordine post deficientes vocantur. Potest enim qui imperat, per delictum suum sibi nocere, & se indignum imperio facere, at non potest præjudicare ei, qui successurus ei est, etiam eo invito, cùm non habeat ab eo, sed à majoribus, vel ex lege familiæ.* Et oppositis sibi authoritatibus Innocentij IV. in Concilio Lugdunensi relati *cap. 1. De homicid. in 6. &* Bonifacij VIII. *cap. Statutum. De hæret. in 6. & cap. Felicis. De Pœnis. etiam in 6.* respondet. *Quamobrem responderem, in prædictis constitutionibus in Principes quoque sæculares ex causa peccati statuere, ut in alijs.*

§. IV.

Corollarium.

INfertur. Imputationem indignissimam videri, ubi de Clero Gallicano diceretur, minus potestatis erga temporalia in Papa agnoscere illum, quam ipsosmet Principes sæculares. Nam *præallegato* Authore *in cap. 13.* advertente, de tali Summi Pontificis potestate non dubitabant Principes, quorum exempla *cap. 10. usque ad præsens cap. 13.* sunt allata. Non dubitabant etiam Ludovicus Germaniæ, & Lotharius II. Austrasiæ Reges, cùm Carolus Calvus Ludovici frater, & Lotharij Patruus pactis inter ipsos conventis stare recusans, de invasione aliorum Regnorum cogitabat. Illi enim ad Nicolaum Primum confugerunt, ut ejus authoritate hoc damnum propulsari curarent; *Oportet propterea*, inquiebant; *vestræ authoritatis jubar propter generalem solicitudinem nostros invisere fines, ut, quos nulla pacis fœdera, nulla movent fraternæ charitatis viscera, nulla nectunt consanguinitatis ligamenta, Apostolica Invectio ad censuram Ecclesiasticam venire compellat.* Omitto, quæ referunt Historici Gallicani de Philippo II. Anglorum Rege, à cujus obedientia subditos absolverat Romanus Pontifex, bellum indicente, atque Ottonem Imperatorem a Papa deponi procurante, & de Philippo III. Petro Aragoniæ Regi, à cujus obedientiâ subditos exemerat Martinus IV. etiam bellum inferente.

Justinus II. Imperator Cosrohæ conquerenti de receptis Persamenis Christianis 100. ab eo se se subducentibus; *Quoniam*, ut ait Evagrius, qui rem narrat *lib. 5. cap. 7. à cæteris Persis miserè, & potissimùm Religionis suæ gratiâ vexabantur*, justam putavit excusationem afferre, cùm respondit; *præfinitum pacis tempus effluxisse, nec fas esse, ut Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur.* Quid igitur? nónne melius est, ut fideles Principibus non se subtrahant, etiamsi justam habeant causam (*ut si Religionis suæ gratiâ vexati Christiani ad Christianos confugiant*) nisi accedente Ecclesiæ authoritate?

101. Sed nunquid ita sentiunt Principes tunc tantùm, quando illa potestas Ecclesiastica sibi commodo est. Henricus licèt irâ, ne dicam furore, correptus, adversùs Gregorium VII. cui scribit, fatetur, se in causâ hæreleos Ecclesiæ subjacere. Hæc sunt ejus verba; *Henricus non usurpativè, sed piâ Dei ordinatione Rex Hildebrando non jam Apostolico, sed falso Monacho .... me quoque, licèt indignus inter Christianos sum ad Regnum vocatus, te teste, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitaverim, deponendum asserit, &c.* Deinde notat, Julianum Imperatorem licèt Apostatam, ab Episcopis non fuisse depositum, quod eorum prudentiæ, non potestatis defectui tribuit; *Cùm etiam Julianum Apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit.*

102. Atque ea ratio sufficeret ad vindicandam Ecclesiæ suam authoritatem adversùs illius non usum, quem aliqui objiciunt, negantes, ullam ejus fuisse praxim per multa sæcula. Id enim prudentiæ, seu benignitati piæ illius patris, non authoritatis defectui, adscribendum esset. Adeò periculosa est Sacerdotij cum Imperio contentio, ut illius vitandæ causa, multa mala minora sæpe sustinenda sint.

103. Hæc, ut opinor, sufficiunt, ut unusquisque pe videat, non necessa tam fuisse hoc tempore declarationem Cleri Gallicani circa istam Ecclesiæ potestatem, quippe cùm ne minimum quidem esset periculum, ne Summus Pontifex eâ uteretur; sed etiam plurimorum Conciliorum praxi, sanctorum Patrum, & Doctorum, Theologorum, & Jurisperitorum doctrinæ, Principum, eorumque Officialium professioni contrariam, ut iterum mirer, ausos fuisse Illustrissimos Episcopos Cœtûs Parisiensis eam negare, suamque sententiam *Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam declarare.*

104. Opportuna fortassis fuisset hæc doctrina Cleri Gallicani, etsi (absit verbo injuria) minùs vera, cùm Christiani, martyrij desiderio incensi, occasiones avidè quærebant; at nunc ita refrixit charitas, ut si, quod Deus Opti-Maximus avertat, oriretur persecutio, maxima futura esset Religionis ruina. Si enim tam multi injustis potentium desiderijs obtemperant, ne illorum favore priventur, aut in aliqua temporalia damna incurrant: quid foret Principibus certam mortem intentantibus? Nónne Deus Christianorum debilitati consuluisse existimandus est, qui, ne Judæa verâ Religione averterentur, vetuerat, ne infis Rex infidelis præficeretur, *Deuteronom. 17. v. 15.*

105. Nescio, an hodie pro Religione omnes Episcopi Galliæ B. Martini pro disciplinâ constantiam imitarentur, de quo ita scripsit S. Severus Bituric Archiep. *in vita B. Martini cap. 23. Atque ut minora tan is inferam (quamvis, ut est nostrorum ætas temporum, quibus tam depravata omnia, atque corrupta sunt, penè præcipuum sit, adulationi Regiæ Sacerdotalem non cessisse constantiam) cùm ad Imperat. Maximum ferocis ingenij virum & bellorum civilium victoriâ elatum plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, séque degeneri inconstantiâ, Regiæ Clientelæ, Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperavit potiùs, quàm rogavit.*

106. Nescio, an multi ex alijs Ordinibus cum Divo Joanne Damasceno *de sacris Imaginibus orat. 1. sub principium*, verè dicerent; *Nec veritati Regiam amplitudinem prætuli. Loquebar enim, inquit Divinus ille pater David, in conspectu Regum, & non confundebar. Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subjectos decipiendos multum valet Regis authoritas. Pauci enim, nimirum illi, qui terrarum Reges Cælestis Regis Imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare sciunt, iniqua eorum jussa negligunt, & aspernantur:* Et sub finem ejus. Orat. *Regio non cedemus Imperio, patrum conanti evertere consuetudinem. Neque enim piorum est Regum, Ecclesiastica instituta convellere; his de rebus statuere, atque decernere, non ad Reges pertinet, sed ad Concilia; nam ubi duo, vel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Ligandi, solvendique potestatem* non Regibus, *sed Apostolis, & eorum successoribus, Pastoribus, & Doctoribus Christus dedit.*

107. Si penes Rempublicam manet jus, aliquando Principatum transferendi, ut manere fatendum est, nisi multos Principes Tyrannidis reos facias, quænam occurrere justior ratio potest eo jure utendi, quàm ubi regimen temporale ab æternâ felicitate avertit, ad quam referenda est pax, & tranquillitas civilis, qui proximus est Principatûs finis? id autem cùm contingit, nónne & Principum severitati, & subditorum saluti omninò necessarium est, ut à fidelitatis juramento absolutio petatur, sicut ab alijs?

108. Cùm autem mutua sit Principum, & subditorum obligatio ad exequenda pacta in institutione Regni conventa, nónne justa erit causa, ut Ecclesia præstitæ fidei vinculo eximat subditos, si Princeps contra datam fidem eos in verâ Religionis custodiâ servandi, à verâ Religione deterreat?

DISQUISITIO VI.

An, & in quantum ex ratione demonstrari possit Summi Pontificis supra Reges etiam in temporalibus authoritas?

§. I.

AUthor *Regalis Sacerdotij præs. lib. 1. §. 17. n. 9.* Ecclesiasticæ, seu Pontificiæ supra Reges in temporalibus authoritatis præeminentiam firmat ex ea quoque ratione, quòd ex continuâ, perpetuâque omnium rerum inductione palam sit in omnibus, majus, nobilitique dominari minoribus, ac imperfectio-

fectioribus. Sic namque Angelis est Regium in omnes sensibilium rerum species dominium. S. Augustinus *lib. 83. quæst. 76.* Damascenus *lib. 4. cap. 4.* Origenes *Num. cap. 20.* Videmus etiam, quæ magis lucent, magis etiam movere, perficere, & agere in hæc inferiora: veluti solem inter planetas, & ignem inter elementa &c. Idem ergo dicendum videtur de potestate Ecclesiastica, illis concessa, quos Christus appellat *lumen mundi*: & Zacharias Propheta *Stellas lucentes in perpetuas æternitates.* Videmus insuper gratiam non animam tantùm, sed & corpus perficere, idque virtutes *morales* temperantiæ, atque continentiæ ad virtutem, & æternam felicitatem instruere, &, si bonum Religionis exigat, morti & tormentis exponere. Videmus denique jure, & instinctu naturæ omnia sic esse instituta, ut sibi adversantia, & nocentia expellant, exarmentque: & pro conservando bono meliori, universaliorique, imperfecta, & particularia bona, cum propriâ licèt pernicie ac etiam interitu, exponant. Sic enim manus ad tuendum caput accurrit, naturalique instinctu vulnus, & dolorem in se recipit: aqua centrum egreditur, & contra impetum naturæ sursum attollitur, ut vacuum impediat, universo inimicum. Sic quia membra vitæ conservandæ deserviunt, si hujus interfit, ex medici arbitrio amputantur. Sic denique media, & instrumenta omnia fini obtinendo accommodantur, prout huic conducunt, nocentque, ad nutum artificis aut amoventur, aut operi applicantur. Cùm ergo Regna, & bona temporalia omnia sint à Deo instituta, ut Religioni, animabus, æternæque felicitati deserviant: tenentur, qui ijs præsunt, hoc facere, & ni faciant, sed potiùs incommodent, pertinebit ad Caput, Præsidemque Ecclesiæ, illos officij sui admonere, & etiam compellere, nisi velimus dicere, Deum Ecclesiæ suæ, cujus gratiâ creaturas omnes, seque ipsum impendit, minùs, quàm rebus alijs minimis providisse, negatâ illi, quâ se tueretur, necessariâ potestate: aut contra Providentiæ suæ ordinem tot sæculis obtentum, per miracula tantùm conservare voluisse.

2. Elegans est ista conglobata, non equidem demonstrationis, seu congruentiæ alicujus ratio. Sed numquid Deus in veteri quoque, ne dicam scriptæ, sed etiam non scriptæ Legis; uti vocant naturæ, statu, ex Christi prævisis meritis ad supernaturalis conditionis præeminentiam mediante gratiâ sanctificante humanum genus eatenus jam elevaverat, ut in vi hujus ad statum supernaturalem elevationis esset in hominibus debitū quasi connaturale, ut Regna quoque ac bona temporalia Religioni, animabus, æternæque felicitati deservirent? Num verò ex vi hujus Divinæ institutionis pro certo, & indubitato principio statuendum est, politici quoque Regiminis actus universos debuisse non solùm ab illius, qui politicum gerebat magistratum, animâ ordinari ad suæ æternæ felicitatis, Religionisque finem, sed ipsis regentibus in statu etiam naturæ, superimpositum fuisse Caput, à quo ad media fini ejusmodi congruentia *authoritativè* compellerentur? Imò in statu etiam scriptæ Mosaicæ Legis post institutum Sacerdotium; num dicere fas esset, politicum quoque regimen, non jam à cujusque Regis propriâ duntaxat animâ ex æternæ felicitatis, Religionisque intentione administrandum fuisse, sed sub isto ad finem supernaturalem ordine Regiam supremam potestatem fuisse subjectam Veteris Testamenti Summo Pontificatui?

3. Ex *præcedentis Disquisitionis §. 1. n. 4.* constat, Divum Bonaventuram *lib. de Ecclesiast. Hierarch. p. 2. cap. 1.* tenuisse, ac probâsse contrarium, nempe *in Veteri Testamento Sacerdotium subfuisse Regno; ideòque potuisse tunc amovere Sacerdotes summos ab officio; sicut Salomon amovit Abiathar 3. Reg. 2.* Num igitur Seraphicum hunc Doctorem, ex hac doctrina redarguere licebit, ac si Divinum ordinem invertisset, in vi cujus, oporteret, spiritualia, ceu majora, dominari temporalibus, tanquam minoribus? Nequaquam. Sed hic S. Doctor responsurus fuisset, spiritualia ita fuisse cujusque animæ Divinitus demandata, ut temporalia quæque, ipsa quoque Regna à terreno Rege possessa, deberent per gratiæ Divinæ, ex Christi prævisis meritis ipsi destinatæ, ad salutis æternæ, Religionisque finem ordinari; neque verò hunc ordinem ex connaturali quasi necessitate exigere, ut Caput Ecclesiæ haberet in hoc supernaturali, ac spirituali ordine potestatem, maximè coercitivam erga Reges, sed satis fuisse, si vel ex adhortationibus, Prophetis non rarò tunc demandatis, haberet, pro bono Religionis, & felicitatis æternæ fine à Regibus procurando, potestatem *directivam*, & *ordinativam.*

4. Divus equidem Bonaventura *loco cit.* ostendit, in Novo Testamento aliter se habere causæ præsentis statum, ita ut temporale regnum, velut quoddam adjectivum jam subjaceat Sacerdotio, possintque adeò Sacerdotes ex causâ amovere Reges ac Imperatores, quando eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Verùm hujus Novi & Antiqui Sacerdotij differentiam is Seraphicus Doctor ex altioribus, non naturalis ordinis, sed fidei Divinæ principijs demonstrat. Meritò igitur dubitare licet, utrùm illa Authoris *præcitati* ratiocinatio aliquid vigoris, ac efficaciæ obtineat, cujus adeò dubij resolutionem reservamus *in ultimum præsentis Disquisitionis §. 4.*

§. II.

Referuntur partis adversæ Argumenta cum Responsionibus, & Conclusione super ijs reflexivâ.

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

5. EX parte adversâ licet I. argumentari. Totam Pontificiam potestatem contineri illis Christi verbis: *Pasce oves meas.* At munus hoc

pascendi peragitur, dum fide Divinâ credenda proponuntur, ac explicantur, & oves, seu fideles à perditionis, corruptorumque morum viâ, monitis, consilijs, interminationibus, censuris revocantur, & diriguntur in viam salutis, quæ omnia sinè coactione, & Jurisdictione fieri possunt; veluti Neoterici explicant.

Responsio.

6. HUic argumentationi respondet Author *Regalis Sacerdotij cit. §. 17. n. 1.* Officium Pastorale circa oves Christi, non tantùm versari in pascendo, regendo, & fovendo, sed etiam in separando oves morbidas à sanis, ne infirmentur; abigendo lupos, ne invadant &c. Cùm ergo Reges Christiani ad oves Christi pertineant: si eorum aliquis gregem Christi, & Ecclesiam pessumdet, hæreticus evadat, Divinis, ac naturalibus legibus obstinatè non pareat, pertinere ad curam Summi Pastoris, nullâ spe correctionis allucente, alijsque remedijs in vanum consumptis, ut hujusmodi Principem ab Ecclesia separet, & potestatem nocendi, velut furioso gladium extorqueat.

Objectio.

7. EX parte adversâ excipitur. Pontificem Romanum in spiritualibus tantùm, & quæ Religionem, & animam spectant, esse Regum Pastorem: illique claves Regni cælorum, non Regni terrarum esse commissas.

Responsio.

8. SUper hac exceptione replicat idem *Regalis Sacerdotij* Author. Potestatem spiritualem, ac temporalem sic conjunctas esse, ut separari non possint, & separatæ facilè corrumpantur: sicut enim corpore indisposito, organisque corporeis malè affectis, non potest anima suas functiones exercere, ita nec Religionem florere, conservarique posse, Republicâ malè constitutâ, & aliquo perdito Principe imperante. Deum ipsum, quamvis fidem Catholicam, & Ecclesiam per miracula, & specialissimam Providentiam plantaverat, noluisse eam Ethnicis Principibus diu subjacere, sed illis per Constantinum excisis, Imperium ad Christianos transtulisse, sub quibus toto orbe dilatata est, siquidem hominum fragilitate fieri non potuisset, Imperio penes Ethnicos existente, & persecutoribus diu multumque dissimilibus, fidem Catholicam conservari, victâ tandem pœnis patientiâ, quod apertè Christus in persecutione Antichristi eventurum prædixit *Matth. 24.* & exempla Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Græciæ &c. plùs nimiò ostenderunt, veram Religionem, fidemque Catholicam, turbatâ Republicâ, & infidelibus rerum potitis, excidisse. Cùm ergo Imperium, & Religio adeò colligata sint, non potuisse unum sinè altero, Christi Vicario, Summoque Pastori committi: sicut enim Pastori ovium tantùm, non luporum, aut prædonum cura committitur, si tamen isti oves invadant, etiam istos pellere, & procul arcere, Pastoris officium est: eodem modo nullam in Principes, & Regna potestatem Summo Pontifici esse, nisi quando ex malâ illorum administratione Ecclesia periclitatur, nec alijs remedijs locus est. Eandem utriusque Juris sententiam esse, cùm statuunt, concessâ alicui jurisdictione, concedi omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sinè quibus exerceri illa efficacitèr non potest. *Leg. fin. ff. de Officio ejus, cui mandatur Iurisdictio. Et Leg. 2. ff. de Iurisdict omnium Iudicum. Et Cap. Præterea. De officio judicis delegati.* Si ergo Principes sæculares ad oves Christi pertinent, quarum cura Petro, ejusque Successoribus commissa est; si & de illorum præcipuè animabus Summo Pontifici reddendæ sunt Deo rationes, tanquam præcipuis Ecclesiæ membris, oportere consequenter, omnem illis potestatem concessam esse, quæ ad eorum animas, subditorumque pascendas, regendas, curandasque necessaria est; nisi velimus, Dei Providentiam, quæ rebus etiam vilissimis necessaria providit, Ecclesiæ non providisse. Esse namque potestatem *indirectam* in Reges Ecclesiæ, Religionique necessariam, & rem ipsam, & exempla, uti dictum sit, convincere.

Objectio reiterata.

9. REflexionem super hisce responsionibus & ratiocinationibus faciendo, occurrit disquisitione dignum: cùm sub Ethnicis adhuc Imperatoribus integra in Summis Pontificibus maneret erga Christi fideles cura Pastoralis, & tamen nulla esset Papæ tunc erga Imperatorem, ac Imperium jurisdictio, quomodò verum esse possit, quòd ad curæ illius officium debito modo exercendum, sit necessaria in Reges, ac Regna Iurisdictio *coercitiva*, seu potestas *indirecta* ad depositionem usque illorum præpollens? Ex quo equidem Reges Baptismali charactere insigniti, cœperunt esse oves Christi, indubitatum prorsus est, ipsos una cum Regnis suis esse commissos Petri, ejusque successorum curæ Pastorali. Sed per quam rationem, ex hoc præciso pascendi munere evinci potest, Papæ in illos stricta jurisdictio etiam *coercitiva*, & non potiùs *Directiva* duntaxat per salubria consilia, per Divini Verbi exhortatoriam efficaciam, per æternarum pœnarum, vel etiam à fidelium Ecclesiastico consortio, Sanctorumque suffragiorum communione exclusionis interminationes? Ex illis igitur Christi Domini ad Petrum prolatis verbis, necdum videtur evinci *indirecta* illa ad Reges deponendos, suæque Regiæ dignitatis jure temporali privandos, Papæ jurisdictio.

Responsio.

10. VErùm dubitare nefas est, quòd sub sacro illo textu: *Pasce oves meas*, Petro æquè commissa sit potestas ovium Christi gubernativa, ac sub istis *Act. 20. v. 28.* Apostoli verbis: *Posuit Christus Episcopos regere Ecclesiam suam*, contineatur veri regiminis authoritas, atque adeò jurisdictio *strictè* sumpta.

Siquidem

Siquidem in hoc ipsissimo textu Apostolico, secundùm Græcum idioma, loco verbi *Regere*, in vulgatâ versione positi, habeatur verbum *Pascere*: sicut etiam ille *Psalmo* 22. exaratus versiculus: *Dominus regit me*, juxta Hebraicum textum vertitur, *Dominus pascit me*. Cui proinde conforme est, quòd illud ipsum Pastoralis curæ officium, quòd Christus *Joann.* 21. Petro contulit sub hisce verbis: *Pasce oves meas*, eidem *Matth.* 16. promiserit sub istis vocibus: *Tibi dabo claves Regni cælorum, quodcunque ligaveris, & solveris super terram, erit ligatum & solutum in cælis.* Nequit autem munus *Pascendi*, qua conjunctum cum *ligandi, & solvendi* potestate, discrepare ab officio regendi, veram, & strictam importante jurisdictionem. Cujusmodi adeò jurisdictio, seu regendi authoritas ita est in Episcopis, secundùm aliquam Pastoralis solicitudinis partem, ut secundùm potestatis plenitudinem sit in Papâ, protendens se super universas Christi oves, ipsosque adeò Reges, ac super quodcunque ovibus Christi super terram inexistens *morale*, ad regnum cælorum ordinabile, ac proinde etiam super cuncta Regna Christiana, Regiæque potestatis exercitia, *moralitatis* in regnum cælorum utique referibilis *formalitatem* superinduentia. Sub qua proin formalitate fundatur illa Petri successoribus Divinitus concessa, super Regibus, etiam quoad temporalia potestas *indirecta*; uti sæpe jam dictum, & probatum fuit.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

11. EX parte adversa licet 2. argumentari. Si Pontifici in casu publici, Ecclesiæ, seu alicujus Regni fidelibus imminentis periculi, esset ad Regem deponendum, *indirecta* saltem potestas, hæc præcipuè fundaretur ex jure ac debito naturali, quo Summus Pontifex Christi Ecclesiam, veramque Religionem defendere tenetur. At si ista defensionis necessariæ ratio teneret erga Reges Christianos, cur non æquè prævalebat adversùs Imperatores Ethnicos, Ecclesiæ capitales inimicos, ita ut Summo Pontifici ex naturalis defensionis jure contra illos tunc esset jus armandi Christianos? Si dicas, illud naturalis defensionis jus obtinere in Papa erga illos duntaxat Reges, ac Principes Christianos, qui charactere Baptismali sunt insigniti, videtur hinc reddi consequens, ex illâ præcisâ ratione non subsistere *indirectam* Papæ super Reges, quoad temporalia potestatem. Vel si hæc ex jure defensionis necessariæ locum haberet erga Reges non Christianos, cur ergo Divus Thomas 2. 2. q. 12. art. 2. ad 1. respondet: *Ecclesiam in sua novitate*, nempe Juliani Apostatæ tempore, *nondum habuisse potestatem, terrenos Principes compescendi, & ideo tolerâsse, ut fideles Iuliano Apostatæ obedirent in his, quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur?*

Responsio.

12. ADhanc partis adversæ argumentationem videtur, posse Authoris *Regalis Sacerdotij cit. §. 17. n. 2.* deducta responsio accommodari. Quilibet namque Princeps non tantùm jus habet, subditos gubernandi, sed ex hoc resultat etiam jus aliud, nempe naturalis defensionis, quo potest alium Principem, etiam non subditum, quia publica commercia turbat, pacta non servat, alióve modo sibi, suisque infestus est, ad officium compellere, & nisi absistat, bello invadere, regnoque privare. Multò igitur magis poterit Papa, cui Ecclesia concredita est, Principes sæculares Ecclesiæ filios, & quorum potestas temporalis spiritualis est subordinata, si Religioni, vel committendo, vel omittendo noceant, & juramentum violent, quo Ecclesiæ se obstrinxerunt, Regno deponere, aliisque modis coercere, idque jure defensionis. Posse enim Ecclesiam non spiritualibus tantùm, sed etiam temporalibus pœnis suos hostes comprimere, extra dubium est, modò ipsa non exequatur, & fiat extra sanguinem. *Cap. Inter. 33. q. 2.* Et sunt authoritates Patrum *Cap. De Liguribus. 43.* & *Cap. Non vos hominum. 42. Causâ 23. q. 5.* & *Cap. Iam verò. Causâ 23. q. 8.* plerumque enim pœnæ spirituales contemptui sunt impijs, & ludibrio, tantumque abest, ut sint remedio. Et fuisse pœnas temporales etiam ab Apostolis usurpatas, docet S. Hieronymus *in Cap. Legi. 31. Causâ 23. q. 8.*

Reflexio.

13. REflexionem super hac *præcitati* Authoris seu responsione, seu ratiocinatione faciendo, dum dicitur illud jus defensionis protendi etiam adversùs Principem non subditum, videtur omninò evinci, quòd Ecclesiæ hoc jus semper competierit contra Imperatores quoque Ethnicos. Cui consonum est, quod nostræ Theologiæ *tom. 9. q. 6. art. 2. cont. 2.* fusè probavimus, Ecclesiæ, ejúsve Capiti ex Christi Domini mandato eatenus jus esse, prædicandi Evangelicam fidei veritatem, ut, si Principes Ethnici huic prædicationi resisterent, posse Summum Pontificem per Reges Catholicos, armatâ etiam manu adversùs ipsos agere, ad vim suo per Christum sancito juri illatam, vi armorum repellendam, ipsosque adeò, si ad illum de Christo annuntiando, finem opus fuerit, Regno suo violenter dejiciendos. Quando igitur S. Thomas *suprà citatus* dixerat: *Ecclesiam in sui novitate non habuisse potestatem, terrenos Principes compescendi*, eo modo accipiendus est, quem mox subjunxit, dicendo: *Tolerâsse ideo fideles Iuliano Apostatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei devitaretur.* Ex his namque verbis constat, potestatem, terrenos Principes in sui novitate compescendi, Ecclesiæ eatenus denegari, quatenus cederet in majus fidei periculum. Cùm enim claves non sint Petro commissæ, nisi in ordine ad regnum cælorum, atque adeò ad utilitatem fidei, ac Religionis, ubi contingeret, hanc periculo expositum iri per Clavi-

am usum, tunc omninò cessaret potestas compescendi Principes, siquidem juri defensionis locus non sit, ubi *moralis* imminet impotentia ad vim repellendam, atque adeò fortiori deinceps manu inferendam. Et hinc non solùm erga Ethnicos Imperatores, Ecclesiæ haudquaquam subjectos, sed etiam erga Iulianum Apostatam ex vi Baptismalis characteris Ecclesiæ subditum, negat S. Thomas, fuisse Papæ potestatem, in ejus novitate compescendi, *ut scilicet majus fidei periculum evitaretur.* Cæterùm illius naturalis adversùs Reges Ecclesiæ sanctæ turbatores, defensionis diversa prorsus ratio est in illis Principibus, qui fidem nunquam susceperunt, & in ijs, qui sanctæ fidei obligationem contraxerunt in sacro Baptismate. De illis enim negat, de his verò asserit Doctor Angelicus *cit. q. 12. art. 2. in Corpore: Posse sententialiter puniri ab Ecclesia, & convenienter in hoc puniri, quòd subditis dominari non possint, quippe cùm hoc vergeret in magnam fidei corruptionem, meritóque adeò propter apostasiam à fide, per sententiam denunciari excommunicatos: atque hinc ipso facto ejus subditos esse absolutos ab ipsius dominio, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.*

Ex quo proinde conficitur, non tam jure defensionis, quod erga infideles Ecclesiæ non subjectos Principes, suo modo potest locum habere, quàm jure publicæ vindictæ, per judiciariam authoritatem procedi posse adversùs Principes terrenos, Christi charactere insignitos, si vel à fide, ac Religione deficiant, vel alias sanctæ Ecclesiæ sint perturbatores, è Regno suo deijciendos; de quo plura *inferiùs in conclusione.*

ARGUMENTUM III.

Adversariorum.

14. EX parte adversa licet 3. argumentari. Si quæ Pontifici Maximo esset potestas *indirecta* in temporalibus super ipsos Reges protensa, hæc dicenda esset fundari in temporalis regiminis subordinatione ad finem regiminis spiritualis. At hanc rationem nullius esse efficaciæ, probatur ex imbecillitate fundamenti, super quo construitur illa regiminis temporalis ad regimen spirituale subordinatio. Etenim isthæc petenda esset ex hoc, quòd finis Regni, & temporalis gubernationis sit felicitas temporalis, consistens in pace, in divitijs, mutuis commercijs, & quietâ rerum suarum possessione, alijsque, quæ civem reddere possunt felicem. Hæc ipsa verò felicitas temporalis ad finem altiorem, & supernaturalem reduci debet, veram videlicet fidem, Religionem, cultum Dei, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decent, & quibus ad æternam felicitatem pervenitur: cùm enim Regna sint à Deo instituta, idem finis regnantium esse debet, qui est Dei. At Deus propter seipsum, suamque gloriam, Regna constituit; veluti S. Thomas 1. 2. *q. 21. art. 3.* & præsertim *in Opusc. de Regim. lib. 1. art. 7.* docuit. Dei igitur gloria eatenus debet Regnorum & regnantium finis esse, ut Principes sæculi, oporteat, priùs quærere Regnum Dei, & justitiam ejus, quàm bona alia temporalia *Matth. 6. v. 33.* quippe cùm ista sint media tantùm, & illud sit finis. *Deut. 17. v. 18.* Quod proinde Regnum Dei eatenus quærendum est ex regimine etiam temporali, ut hujus debeat esse subordinatio ad Regnũ Dei, atque adeò regimini spirituali intrà Ecclesiam Summis Pontificibus concredito, subjacere debet. Hæc igitur tota est ratio, per quã regimen temporale adstruitur subordinatum regimini spirituali. At verò intelligibile est, quòd Reges temporales ex Christi charactere habeant quidem obligationem regiminis sui spiritualis ordinandi ad Regnum Dei, & justitiam ejus, necdum tamen hinc efficitur, quòd regimen temporale ex *intrinsecâ* naturâ suâ habeat istam subordinationem ad regimen spirituale, sed *ex parte duntaxat personæ operantis, non ex parte operis*, seu *regiminis*, stat istud debitum. Hoc autem posito, rursus intelligibile est, quòd Rex, quoad actus suos *morales*, eatenus duntaxat sit in vi Baptismalis characteris obstrictus, ad eos in regnum, seu justitiam Dei referendos, ut tamen hinc nequaquam esse debeat consequens, oportere, ut sit spiritualis quædam potestas, ejusdem non *directivè* tantùm, sed *coercitivè* ordinativa in regnum cælorum, siquidem in jure naturæ, vel etiam Lege Mosaicâ scriptâ non constet de tali regiminis temporalis ad spirituale regimen authoritativum subordinatione. Quare ex illâ præcisâ temporalis regiminis ad finem regni, & gloriæ ac justitiæ Dei subordinatione, necdum evincitur, debere in Ecclesiâ dari regimen spirituale, cum potestate coercitivâ, & authoritativâ, protensum super regimine temporali.

Responsio.

HUic in contrarium adductæ ratiocinationi videtur opportunè accommodari posse sequens Authoris *Regalis Sacerdotij cit. §. 17. n. 3.* deducta responsio. Etenim ex omnium consensu, potestas Regia ordinatur ad Religionem, tanquam medium ad suum finem, tanquam minùs perfectum ad magis perfectum. Hinc autem fit consequens, ut ille, qui est Caput Religionis, sit etiam Caput Regiæ potestatis, in quantum hæc pertinet ad Religionem, & qui moderatur fini, ejusque executioni, multò magis moderetur medijs, ad eum finem ex suâ naturâ, & institutione Dei ordinatis. Quia enim sanitas est finis medicinæ, ideo quidquid ad sanitatem faciunt herbæ, liquores, gemmæ, ad eandem medicinæ artem pertinent, ejusque directioni subjacent: & quia finis nauticæ artis est felix ad portum navigatio, idcircò ad eandem pertinet, acum nauticum, ventorum, & stellarum examen, & alia ad hunc finem necessaria instruere, dirigere, mutare &c. veluti multis exemplis alijs eleganter, ac nervosè hoc declarat S. Thomas *1. p. q. 82. art. 4. 1. 2. q. 9. art. 1. 2. 2. q. 23. art. 4. ad 2. & 1. p. q. 57. a. 2.* specialiter asseverans: 15.

Hã-

Hoc habere rerum ordinem, ut quantò aliquid est superius, tantò habeat virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem. Pari proindè ratione, cùm potestas Regia sit medium, & instrumentum æternæ felicitatis, redditur hinc consequens, illi, cui ex officio istius cura committitur, etiam illius curam esse commissam tanquam inferioris, & instrumenti ex Dei institutione ad felicitatem æternam directi. Si quis enim imaginem suam pictori exprimendam deferat, quis non dicat, hoc ipso factam illi potestatem, colores miscendi, telam poliendi, tingendive radios, & penicillos in omnem partem ex præscripto artis ducendi, & inutiles operi, aut etiam noxios corrigendi, aut, si non possit, omninò proijciendi. Cùm ergo Ecclesia militans sit imago triumphantis Ecclesiæ, *ad Hebr. 9.* quam fide, spe, & charitate, ac præsertim Religione in Deum, velut totidem coloribus imitatur, ejusque pingendi cura Dei Vicario, velut summo pictori sit commendata, Principibus verò tanquam instrumentis, ac penicillis, Divino huic operi deservientibus: ad eundem utique Christi Vicarium pertinebit, inutiles, noxiosque, quibus fœdatur potiùs, quàm perficitur, semovere, aliosque substituere: sic tamen, ut in Principes Ecclesiæ utiles nihil juris exerceat, dicente ipso Christo Pharisæis, hoc est, Legis Doctoribus, & Expositoribus: *Date ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

Reflexio.

16. REflexionem super hâc *præcitati* Authoris responsione, & argumentatione faciendo, & insistendo præciso illi principio, quòd regimen temporale ex naturâ suâ, & institutione Dei, sit subordinatum regimini spirituali, ad felicitatis æternæ finem adaptato, subintellige etiam publico, & authoritativo, mox triplex occurrit difficultas, quarum *Prima* est, quòd istud principium minimè fuisset verificandum in statu puræ naturæ, si aliquando extitisset. At hoc nequidquam obstante, Regia potestas, ac regimen temporale quoad *intrinsecam naturam suam* perstitisset prorsus eadem cum authoritate politicâ, quæ jam viget in statu supernaturalis elevationis, illam minimè immutantis, sed solùmodò perficientis. De cujusmodi adeò supernaturalis elevationis perfectione semper manet præsentis causæ difficultas, utrùm superaddiderit illi potestatē politici regiminis ad regimen spirituale etiā publicum, ne dum authoritativè *directivam*, sed etiam *coercitivam*? Cujus proinde difficultatis resolutio non ex natura temporalis regiminis, sed ex altiori fidei principio petenda est.

17. *Secunda* circa illud principium, hîc emergit difficultas ex statu supernaturalis quidem elevationis, sed quatenus viguit sub Lege non scriptâ, seu utiloquendi mos habet, sub *statu* (non tamen puræ) *naturæ*. In hoc enim subsistebat integra Regiæ potestatis natura, cum subordinatione ad finem æternæ felicitatis, nec non Religionis etiam supernaturalis, in fide scilicet veri Dei radicatâ. Nihilominùs sub isto statu non erat authoritativa regiminis spiritualis super Reges, ad Deum ejusque justitiam *primò* quærendam obstrictos, protensa potestas, maximè *coercitiva*. In aperto igitur est, regiminis temporalis ad finem supernaturalem, Deumque verâ fide, ac Religione etiam supernaturali, ceu Dei justitiâ, sicque adeò ad Dei Regnum *primò* quærendum, elevationem, ac subordinationem, ex *præcisâ suâ naturâ* non evincere necessitatem spiritualis regiminis super Reges protensi, cum vi nedum *authoritativæ*, sed etiam *coercitivæ* potestatis.

Tertia difficultas circa præfatum principium, 18.
emergit ex statu scriptæ Mosaicæ Legis, Veterisque super hoc fundati Testamenti. In hoc equidem Deus concedebat populo suo leges tum *morales*, tum *cæremoniales*, tum *judiciales* cum sacerdotio, & Imperio. Et tamen illius statûs proprius finis non [illegible] felicitas æterna, sed bonorum temporalium abundantia, terrenaque felicitas, cum [illegible]missione Christi venturi, Novique gratiæ fœderis tandem successuri: sicque interioris gratiæ, & sanctitatis ad æternam beatitudinem ordinantis collatio ex Christi prævisis meritis sub isto Mosaicæ scriptæ, & illo non scriptæ Legis statu facta, cum universis supernaturalium donorum effectibus, non ad Antiquum Testamentum, sed ad Christum venturum, atque adeò ad Legem Evangelicam, cujus ille Divini Fœderis antiquus status erat umbra & figura, reduci debent; uti Theologi tradunt cum S. Thoma *cit. q. 106. art. 1. ad 3.* Quomodò igitur in hoc Veteris Testamenti statu Regia potestas sub integritate suæ *intrinsecæ* naturæ, una cum aliquo etiam præfigurativæ, seu *cæremonialis*, seu etiam *judicialis*, imò, & *moralis elevationis* Divino dotata lumine, dici posset fuisse sacerdotali regimini subjecta, nisi in quantum hæc subordinatio non jam per naturam, sed per specialem Dei institutionem præcepto *judiciali* sancitam, substitisse, ostenderetur. De hoc equidem aliqua differemus in *sequenti conclusione*. Interea ne in Novo quidem Testamento ex præcisâ temporalis potestatis naturâ, vel etiam quâ in finem æternæ felicitatis ordinabili, evincitur Oecumenica spiritualis, non meré *directiva*, sed *authoritativa*, & *coercitiva* supra temporale regimen potestas: sed oportet, hanc ex altiori fidei principio demonstrare; prout fecimus in *antecedentibus*; & aliqualiter adhuc faciemus in *subsequentibus*.

ARGUMENTUM IV.

Adversariorum.

EX parte adversâ licet 4. argumentari. Il- 19.
lius in Pontifice erga Reges, Religioni Catholicæ noxios deponendos, potestatis, ratio peti solet etiam ex obligatione, quam omnes fideles habent, veram Religionem, fidemque colendi, & eos, qui eam impugnant, repellendi. Cùm enim omnes teneantur jure *Divino* ad æternam vitam aspirare, ac propterea obligentur ad veram Catholicam Religionem;

Deique mandatorum observantiam, omniaque proinde, quæ hoc impediunt, amolienda, consequens hinc erit, si Princeps aliquis hæreticus fiat, & exemplo, ac præcepto subditos suos in errorem, ac perditionem rapiat, non teneri, nec posse Rempublicam membrum hoc putridum, totum corpus infecturum pati, sed posse, aut debere illud præcidere; juxta illud Christi: *Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & projce abs te.*

Verùm si ratio hæc teneret, potiùs videretur ex eâ evinci, quòd subditi fideles propriâ potestate suâ possent insurgere in Regem hujusmodi è medio tollendum, quàm ut appareat, hinc concludi Pontificiæ supra Reges, quoad temporale regimen, potestas *authoritativa*, & *coercitiva*, ad illorum usque depositionem procedere prævalens.

Responsio.

20. SUper hâc in partem contrariam retortâ ratiocinatione adferri potest responsio ex Authore *Regalis sacerdotij dicto §. 17. n. 4.* argumentum ita prosequente. Etenim ex ipsâ naturâ humani præcepti, quod Divino subjacet, obedientia homini delata, si obedientiam Deo debitam impediat, est hoc ipso abrumpenda. Et ideo *Deut. 17.* prohibetur populus eligere Regem, qui non sit Religione Judæus. Hujus verò præcepti unica causa est, ne Rex à Religione alienus, pertraheret Judæos ad idololatriam. At hæc ratio, cùm sit naturalis, tam in Novo, quàm in Veteri Testamento procedit, adeò, ut teste Divo Thomâ ab omnibus recepto. *2. 2. q. 10. art. 8.* etiam infidelibus nullo modo Ecclesiæ subjectis, possit hæc indicere bellum, ne fideles in suæ Religionis exercitio impediantur. A fortiori igitur poterit Ecclesia tali modo procedere erga Regem Christianum, titulo juramenti, & subordinationis illi subjectum. Imò sententiâ Doctorum, præcipuè Gallorum, est receptum, Pontifici, si Ecclesiam persequatur, aut in hæresim notoriam incidat, resisti etiam armis posse, ac Pontificatum adimi. Quantò igitur magis Regi notoriè hæretico, & Ecclesiæ persecutori adimi poterit regnum, cùm potestas Regalis sit à populo in Reges translata, sitque non *Humani*, sed *Divini* juris? Quinimò Matrimonium, licèt jure *Divino naturali* institutum, pariat vinculum naturale, sitque indissolubile, si tamen conjux infidelis sinè Creatoris injuriâ cohabitare nolit, fidelis liber est, & aliud Matrimonium aggredi potest. *1. ad Corinth. 7. & Cap. Gaudemus. De Divortijs.* Ex cujusmodi adeò argumentis efficaciter probatur, Principem, ubi Religioni detrimento est, exauthorari posse: quod tamen, cùm sit prudentiæ, & circumspectionis summæ, & ad illa remedia pertineat, quæ utpote extrema, magnis periculis plerumque conjunguntur, idcircò hujus rei judicium, tanquam gravissimæ, soli Pontifici reservatur, per expressa verba Spiritûs sancti *Deut. 17.* & exemplum habetur *in 2. Paralip. 23.*

Reflexio.

Reflexionem super hâc *dicti* Authoris ratiocinatione faciendo, insignia profectò occurrunt hanc in rem argumenta. Verùm quia ex jure *quasi naturæ* videtur potestas, exauthorandi Regem hæreticum, concedi populo, officiumque Summi Pontificis in eo duntaxat constitui, ut remedium ejusmodi extremum, singulari cum prudentiâ, circumspectioneque maximâ adhibeatur. Idcircò resultat hîc quæstio; an, postquàm Summus Pontifex Regem declarâsset hæreticum, subditorum suorum animos à verâ Religione per vim etiam abalienantem, ipsius exauthoratio à populo eidem subjecto jam fieri posset, vel si hujus quoque sententia *judiciaria* deberet, à Summo Pontifice priùs lata fuisse, quàm ut populus *effectivæ* exauthorationis executionem adversùs Regem suum pertentaret, tunc iterum resultaret quæstio; *Quomodò ista exauthorandi Regis in Summo Pontifice potestas, evincatur ex præadductâ rationis quasi naturalis efficaciâ;* vel, *Vtrùm in altius fidei principium reducenda, sit?* 21.

CONCLUSIO.

ARgumenta ex rationibus petita, ad probandam Summi Pontificis erga Reges in temporalibus potestatem, non habent vim demonstrationis, sed alicujus ad hominem congruentiæ, apta tamen sunt elevari ad altiorem vim, ac energiam ex fidei principijs recipiendam; uti in progressu ostendetur. 22.

Explicatur. Si enim Jura, & Bona Ecclesiastica in casu necessitatis statui Politico imminentis subesse possunt dispositioni Magistratûs Politici, non tam *per se*, quàm *per accidens* ac *indirectè*, prout adversarios prætendere, alibi dicetur, ac ex instituto discutietur cum debitis suis moderationibus. Quæ æquitatis ratio supremam Ecclesiæ authoritatem cohibere posset, ne pro statu gravioris sacrosanctæ Religioni ingruentis discriminis, *per accidens*, ac *indirectè* protendi queat super Jura & Bona temporalia Regis, seu Magistratûs Politici?

PROBATIO I.

In qua refellitur *prima* ex parte adversa deducta argumentatio.

EX nostra super hanc argumentationem, Authorisque *Regalis Sacerdotij* responsionem, reflexione patet, totam argumenti vim reduci debere in hoc punctum, quòd sub voce *Pascendi*, quâ Petrus, ejusque successor est à Christo constitutus Oecumenicus Ecclesiæ Pastor, subintelligatur veræ jurisdictionis potestas gubernativa. Sed in hoc ex sacrâ licèt Scripturâ *ibidem* probatum fundamentum, impingunt Neoterici, cum Heideggero in Bullam *Indictionis Concil. Trident. q. 4. collita* 23.

Argum.

Argum. 1. excipientes: *Summum quoque Magistratum politicum esse Pastorem Ecclesiæ, Petrumque non fuisse universalis Ecclesiæ Pastorem, utpote qui majorem reliquis Apostolis jurisdictionem non obtinuerit, neque pascendi munus ipsi delatum fuisse personale, sed commune omnium Apostolorum.* In hoc equidem puncto nihil commune est Clero Gallicano cum Neotericis, quia tamen idem Clerus mox insurgeret adversùs illum, qui eam *indirectam* Ecclesiæ erga Reges in temporalibus potestatem contenderet, ad universos Apostolos (& hinc fortassis ad cunctos Episcopos) extendendam, ideo specialis quædam Papæ prærogativa ex præadductis verbis: *Pasce oves meas*, est hîc eruenda, ne, dum cæteri Apostoli videntur fuisse pares Petro, in hoc, ejusque successore æquè fiat dubia, potestatis Apostolicæ supra Reges etiam quoad temporalia, licèt *indirecta*, extensio. Exordiendo igitur a Magistratu politico, venit meritò disquirendum, ubi Christus æquè Summo Magistratui politico commiserit Pastoralis erga universos fideles officij curam, ac Petro, cui *specificè* dixit *Ioan. 20. Pasce oves meas?* Hanc proinde Pastoralis muneris indefinitam, omnes Christi oves complectentem authoritatem, soli Petro, non autem cæteris Apostolis commissam esse, constat tum ex manifestâ illius sacri Textûs litterâ, *specificè*, ac *individualiter* directâ ad Petrum, tum ex præviâ Christi promissione, Petrum *personaliter* complectente hisce verbis: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque solveris, vel ligaveris super terram, erit solutum, seu ligatum in Cælis.*

Objectio.

24. EX parte adversa excipi potest. Christum Dominum *Matth. 18.* universis Apostolis dixisse: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis* Quam proinde promissam potestatem Christus actu contulit omnibus Apostolis *Ioan. 20.* dicens: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Et hinc omnes Apostoli respectu totius orbis acceperunt à Christo mandatum docendi, adeoque *pascendi* omnes gentes. *Matth. ult.*

Responsio.

25. PRo responsione, oportet, hîc benè advertere, illam universalem à Christo commissam solvendi potestatem fuisse cunctis Apostolis collatam per modum legationis, seu missionis, juxta verba Christi *Ioann. 20. Mitto vos.* Unde & Paulus *2. ad Corinth. 5. v. 20.* ait. *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Et specialiter de se ipso Paulus *ad Ephes. 6. v. 20.* ait: *Pro quo* (Evangelij scilicet mysterio) *legatione fungimur.* Atqui ex ipsâ naturâ legationis constat, ipsam non esse perpetuam, seu ad successores transferibilem, sed industriam personæ, cum qua cohæreat, atque adeò exspiret, esse in eâ electam. Econtra verò Christus Dominus *Matth. 16.* ita promisit Petro claves regni cælorum *cum indefinitâ ligandi, & solvendi potestate universali*, ut apertis verbis suis statuerit hujus potestatis cum Ecclesiâ super petram inviolabiliter, ac perpetuò fundandâ, connexionẽ. At verò authoritas cum perpetuo Ecclesiæ statu coñexa non potest non perpetua, atque adeò in successores transferibilis esse. Hanc ipsam verò *indefinitam* authoritatem Christus post Resurrectionem *actualiter* commisit Petro, dicens *Ioann. 21. Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hisce autem verbis significatur Pastoralis officij potestas, *indefinitè* complectens omnes Christi fideles, atque adeò ipsos etiam Apostolos, ceu Christi agnos. In quo proinde singulare elucet discrimen potestatis Petro, ac cæteris Apostolis commissæ, cùm nullibi dictum sit, ut essent Christi ovium, & agnorum *indefinitè* Pastores, sed ut per modum missionis, seu legationis euntes, *docerent omnes gentes.* Unde concluditur, soli Petro esse commissum pastorale in omnes Christi fideles officium, quâ connexum cum perpetuo Ecclesiæ statu. Cùm igitur officium Pastorale cum tali perpetuo Ecclesiæ statu connexum, Petro commissum, oporteat, esse perpetuum, econtra potestas ligandi, ac solvendi Apostolis per modum legationis concessa de suâ naturâ sit restricta ad eorum personas, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apostolorum jurisdictionis authoritas transierit in successores. Et quia ista Petri in successores transiens ligandi, ac solvendi potestas, complectitur *quodcunque in terris* ordinabile *ad regnum cælorum*, quomodò fas erit, vel Reges Christianos dicere, non esse de ovibus Christi, vel Regiæ potestatis seu exercitiũ, seu applicabilitatem *moralem* non contineri illo *quocunque, quoad moralitatis, ex statu supernaturali, in quosvis hominis Christiani actus liberos derivandæ formalitatem, ad regnum cælorum ordinabili.*

PROBATIO II.

In qua fit confutatio argumentationis ex parte adversâ *à n. 11.* deductæ.

NOstra super eâ argumentatione, ac re- 26.
ciprocâ eidem accommodatâ responsione, reflexio tandem concludebat, non tam *Iure defensionis*, quod erga infideles, Ecclesiæ non subjectos Principes, suo modo locum habet, quàm *jure publicæ vindictæ*, per *judiciariam* authoritatem procedi posse adversùs Principes, Christi charactere insignitos, si vel à fide deficiant, vel aliàs sanctæ Ecclesiæ sint perturbatores. Cujus assertionis nostræ sequens adstruitur fundamentum. Etenim *jure naturæ* certissimum est *morale* hoc principium; quòd suprema Regia potestas non tantùm *in viâ defensionis* possit Coronæ suæ, seu Majestatis jurium invasorem per viam defensionis vi etiam armatâ repellere: sed, quòd supremæ potestatis authoritate possit etiam *judicialiter* decernere de injurijs, sibi quoad Majestatis suæ jura illatis, sicque bellum justum *offensivè* suscipiendum sancire, indeque militari exercitu progredi ad alterum, quantum vis supremum Regem, sibi non aliter subjectum, quàm

ex

ex titulo delicti adversùs jura sua Regia perpetrati, & armis invasi, è Regno suo dejiciendum, cum *realis* simul & *authoritativâ* juris Regij, eidem priùs competentis, privatione, atque abdicatione. At de fide quoque certissimum est, Oecumenicam Summi Pontificis unà & Concilij, vicariâ Christi authoritate muniti, potestatem esse supremam. De cujusmodi adeò authoritate, supremæ potestatis veram, & perfectam obtinentis rationem, disquiri potest; *An non pari proportionaliter modo per arma sibi proportionata possit adversùs Regem, jurium Divinæ Religionis sibi per Christum appropriatorum aggressorem incorrigibilem, & contumacem procedere ad privationem usque Regni, jurisque Regij, ei aliàs competentis, abdicationem, & judicialiter decernendam, & ubi decreta est, authoritativè demandandam executioni?* In suprema politicâ, & suprema Ecclesiasticâ potestate (sub ejusmodi supremæ in terris authoritatis ratione) est univoca convenientia: sicque adeò jus illud, quod potestati Regiæ adversùs alterum, Regem Majestatis suæ jurium aggressorem, diximus convenire, non subsistit ex differentiâ *specificâ* supremæ politicæ authoritatis, quà lumini duntaxat naturali commensuratæ, sed quemadmodùm ratio virtutis est *generica, & univoca* respectu virtutum naturalium, & supernaturalium, sic illud supremæ in terris authoritatis, quà supremæ jus, de ipsio adversùs alterum, æque licèt supremum Regem *judicialiter*, & *militariter* vindicando, est *genericum* & *univocum* respectu cujuscunque, sive naturalis, & politicæ, sive supernaturalis Divino lumini fidei proportionatæ authoritatis, quatenus suprema est.

27. Ex quo adeò principio ab Ecclesiasticæ, & politicæ supremarum potestatum *specificis* differentijs abstractivo, ubi per fidei lumen subsumere licet, Oecumenicam Ecclesiæ authoritatem verè supremam esse, per consequentiam Theologicè demonstrativam infertur prorsus certum, ac indubitatum principium, quòd hæc Ecclesiæ Oecumenica authoritas suprema habeat sibi *intrinsecum* jus, armis sibi proportionatis vindicandi jurium suorum, Majestatisque suæ vicariæ, ac Ecclesiæ sanctæ violationes injuriosas, & sacrilegas, ubi saltem contumacia, & contemptus a cesserit. Atqui arma Ecclesiasticæ supremæ potestati proportionata sunt tum vis coercitiva *Matth. 18.* descripta, à correctione fraterna procedens ad censuram illam, per quam Ecclesiam non audiens, instar Ethnici, & publicani sit habendus, tum potestas solvendi *quodcunque* in terris *sub moralitatis Christiano condignæ* formalitate obtinens vel debitum respectum ad regnum cælorum, vel *moralem* ab hoc deordinationē. In hoc autem ordine *moralitatis* ad Regnum Cælorum ordinabilis, quis negare ausit, cunctos Reges Christianos esse censendos, una cum suis publici etiam regiminis actibus *moralibus*, Regiæque potestatis ad suam personam subjectiva applicabilitate, quà justitiæ & naturali, & supernaturali, Religionique adeò contentaneâ? Quòd si ergo sub hac *moralitatis* ad supernaturalem statum Divinitus elevatæ mensurâ per authoritatem Ecclesiæ Oecumenicam, proferatur judicium ex *indefinita*, super quocunque ad regnum cælorum ordinabili jure regio, protensâ solvendi potestate, quid stante ejusmodi per Christum sancitâ, & in cælis ratâ solutione, poterit in Rege Christiano per suam nequitiam talis censuræ Ecclesiasticæ condemnato, supereſſe de Regiæ potestatis, non secundùm se *formaliter* spectatâ supereminentiâ, sed qua inexistebat huic supposito, Oecumenicæ Ecclesiæ authoritati subdito, ac per sententiam legitimè exauthorato?

PROBATIO III.

IN qua examinatur Authoritatis politicæ ad Ecclesiasticam subordinatio, unà cum *tertij* Adversariorum à *n. 14.* adducti argumenti confutatione, fitque reflexio super Authoris *Regalis Sacerdotij* ad istam, ex adversa parte argumentationem, responsione.

Statuamus indubitatam cunctorum *moralium* in homine circa res spirituales, seu temporales actuum, subordinationem ad æternæ felicitatis finem supernaturalem, statuamus insuper temporalium universorum, quà hominis *morali* dispositioni subjacentium ad spiritualia ex insularum virtutum *moralium* exigentia s quasi connaturaliter congenitam coordinationem. Nunquid ergo ex vi supernaturalis elevationis cunctis hominibus inerat ista, ex virtute præcipue Religionis ad Dei cultum in fide radicatum, adeóque supernaturalem, obligatio? Ex cujus etiam obligationis contestandæ ratione, erat in Lege naturæ institutum sacrificium, & sacerdotium Abelis, Noemi, Melchisechi, Abrahæ, Iobi, & aliorum sanctorum virorum. Nunquid verò isti sacerdotio, ipsis etiam Regibus quandoque Divinitus collato, annexa erat potestas supra Reges, a via salutis æternæ nedum in suis personis recedentes, sed alios insuper à sancta Divinæ fidei Religione seducentes? In statu Mosaicæ Legis altiùs evehebatur Sacerdotij dignitas, ut haberet potestatem authoritativam, in dubijs interpretandi leges judiciales, debuitque ipsemet politicus Judex suum judicium conformare isti Summi Sacerdotis sententiæ, ut proinde pronuntiandus fuerit mortis reus, qui Sacerdotis imperio, & decreto Judicis obedire noluisset. Nunquid verò hæc Summi sacerdotis in Lege Veteri authoritas erat ex temporalium erga spiritualia, per *Ius naturæ* determinatâ subordinatione, vel potiùs ex Divinâ Lege *positivâ* ejus statûs propriâ? Sic proinde non ex naturali præciso supernaturalis elevationis statu, temporaliumque ad spiritualia subordinationis jure quasi connaturali, sed ex jure Divino *positivo statûs Evangelici* proprio, definienda est Summi in Novo Fœdere Sacerdotij super Reges quoad temporalitates *morali* supernaturalis Religionis *debito* vestitas protensa potestas. Quod adeò *positivum*, ex Christi mandato in Petri successore subsistens jus, multis jam expositum

28.

fuit,

fuit, aliqualiter adhuc exponendum *in subsequentibus*.

PROBATIO IV.

REflexiva super *quartum* oppositæ partis argumentum *à n. 19.* expositum, unà cum responsionibus *ibidem* adductis.

29. Sciscitari hîc lubeat ex argumentante, *an illo suo argumento intendat probare, quòd Rex in vi* Iuris Divini *sit exauthoratus, ac depositus ipso facto, si fiat hæreticus, vel aliàs sit Ecclesiæ notorius persecutor?* Nunquid enim ex vi *Iuris Divini Deut. 17.* prohibentis, à populo Israelitico eligi Regem à Iudaicâ, pro tunc verâ, Religione alienum, talis electio fuisset invalida? Nunquid Matrimonij vinculum, si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Christianam, altero renuente converti, ex parte illius per Ius Divinum *ipso facto* invalidatur? Num, si Summus Pontifex possit suæ supremæ authoritatis potestate Regi infideli, Ecclesiæ sanctæ, Evangelijque propagationi *positivè*, ac *violenter* resistenti, bellum indicere, sicque devictum ex justitiæ vindicativæ jure, cuique supremo Principi inexistente, *indirectè* exauthorare, oporteat autem, uti argumentans dicit, major hac in parte esse Ecclesiæ potestas erga Regem Christianum, sui juramenti immemorem, ac perfidum Orthodoxæ Religionis hostem, num, inquam, sub hac majoritatis ratione credendum est insinuari, quòd istud majus exauthorandi Reges jus, ex speciali aliquo, ac specifico Iure Divino tam *naturali*, quàm *positivo* competat Ecclesiæ? Ita profectò est à nobis jam frequentiùs ostensum, Ecclesiæ jus esse *positivum* à Christo Domino constitutum, & annexum Summo Pontificatui sub verbis: *Quodcunque solveris super terram.* Neque tamen in vi hujus *Iuris Divini* ipso facto exauthoratur Rex hæreticus, sed per Oecumenicæ authoritatis judiciariam sententiam facienda est talis exauthoratio: prout isthæc Summi Pontificis potestas magis adhuc patebit ex dicendis *infrà §. sequenti.*

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta.

ARGUMENTUM I.

30. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. §. 17. n. 5.* argumentatur 1. Potestatis super Reges quoad temporalia etiam protensæ rationem desumendo ex juramento, quo se Reges Ecclesiæ, & subditis obstringunt: quando enim Regibus habenæ committuntur, juramento se obligant & subditis, de eorum privilegijs non infringendis, & Ecclesiæ, de illâ contra hostes defendendâ; veluti pateat ex juramento Caroli Magni apud Spondanum *anno 800.* & Ottonis Imperatoris in *Cap. Tibi. 33. dist. 63.* Si ergo fidem, & juramenta fallant, à privatis quidem æquo animo sunt tolerandi, authoritate tamen politicâ coerceri possunt; uti eleganter docuit S. Thomas *de Regim. Princip. lib. 1. toto. cap. 6.* Fidem enim frangenti, fides impunè non servatur, viderique super hoc potest *Cap. 3. De Iurejurando. Cap. 28. De Simonia. Cap. Frustra. De Regulis Iuris in 6. Lex. Cùm personas. 21. Cod. De pactis: Clementina unica. De Iurejurando.* Cùm ergo causa juramenti, & perjurij sit fori Ecclesiastici. *Cap. 1. De Iudic. & Cap. 34. De Elect.* Ideo si hoc à Regibus committatur, cur à Summis Pontificibus judicari, & pœnis coerceri non possit? Ergo ex hoc saltem capite Summorum Pontificum judicio submittuntur.

Reflexio.

REflexionem super hac argumentatione faciendo, facilè concedet pars adversa, perjurij reatum sive *privativè*, sive *cumulativè* in personis sæcularibus esse *fori Ecclesiastici*, sicque adeò in Regibus subesse judicio Pontificis, ejusque virgæ correctoriæ *Matth. 18.* per Christum sancitæ, in vi cujus super omni Christianorum peccato notorio, per viam *ibidem* descriptam, procedi potest usque ad separationem à Communione fidelium. Sed an ultra hanc censuram progredi valeat Ecclesia, decernendo exauthorationem, ac depositionem Regum, *alibi* quidem fuit discussum ex fidei principijs, attamen ex præciso argumento proximè deducto, necdum evincitur. De quo sermo nobis erit *infrà.* 31.

ARGUMENTUM II.

AUthor *præcitatus n. 6.* argumentatur 2. Pro nostrate sententiâ rationem desumi posse ex potestate interpretandi, declarandique *Iuris Divini*, & *naturalis dubij.* Hanc enim Summis Pontificibus concedunt Catholici omnes, quippe cùm potestas ejusmodi apertissimè deducatur ex *Deut. 17. cap.* Cùm ergo detur aliquis casus, in quo Galli fatentur, Principem abdicari posse: imò P. Maymbourg. *lib. 2. histor. Iconoclast.* hanc abdicandi Reges potestatem Statibus, & Comitijs Generalibus concedat; cur non possit Summus Pontifex saltem per viam authoritativæ declarationis pronunciare, in confluxu cæterarum circumstantiarũ, & ob gravissima mala Reipublicæ Christianæ, Religionique, ac Ecclesiæ impendentia, juramentum à subditis præstitum, non obligare, eosque solutos, liberosque esse. Si enim concedimus, casum aliquẽ dari, in quo juramentum hoc non obliget, quando is contingat, judicium erit Summi Pontificis, ad quem causæ juramentorum spectant. *Cap. 31. De judicijs. Cap. 34. De elect.* Quid ergo quoad effectum ipsum differt, sive dicamuâ, jus Pontificium in Reges esse veræ potestatis, sive meræ declarationis, & interpretationis authoritativæ? Quemadmodùm Summus Pontifex sive dispenset in præcepto, sive declaret, præceptum resistendi cessare, utroque modo obligatio resistendi sublata est,

33. Quòd si quis hanc ipsam declarandi potestatem Pontifici negaret, inprimis negaret, quòd nunquam, salvâ Religione, negatum est. Deinde disquiri exinde posset, ad quem ergo ista declarandi facultas pertineat, an ad subditos universos? Atque tunc miserrima est omnium juramentorum, omniumque Regum conditio, si Coronæ, & Imperia voluntati, arbitrio, & declarationi eorum subjaceant: quibus, cùm placuerit, & aliter judicaverint, sua erga Regem juramenta solventur. An nemo sit, qui jurisjurandi dubiam obligationem interpretando solvere valeat? Atque tunc iterum misera erit omnium jurantium conditio, si in tantâ casuum varietate, & alteratione, dum meritò dubitatur de juramenti subsistentiâ, nemo sit, qui dubitantes absolvere, dubioque liberare valeat.

Quis ergo Francos juramento, quod Childerico dixerant, absolvit? Quis Romanos, cùm à Græcis ad Carolum Magnum Francorum Regem defecerunt? Quis eosdem Francos, cùm Hugoni Capeto Regnum detulerant, Carolo 1. Lotharingiæ Duci, & Regij sanguinis proximo debitum? Quòd si proinde concedatur, alicui esse potestatem interpretandi juramentum, nemo jam supererit, cui hoc deferatur, nisi Magistratui Ecclesiastico, eique præcipuè, cui dictum est: *Quodcunque solveris super terram &c.* Quod Ecclesia Gallicana aperte professa est, quam per os Perronij Cardinalis sic locutam accepimus in Comitijs generalibus *Anno 1615. Sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis: si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex Lege spectat perjurij pœna*, Gramondus *lib. 1. Histor. ad Annum 1615. fol. 65.*

Reflexio.

34. Reflexionem super hac argumentatione faciendo, videtur opportunum, indagare naturam juramenti, quod Reges præstant. Hoc *implicitæ* saltem, ac *virtuali* pactioni superstruitur, tum Regni bonum politicum, & Ecclesiasticum, justitiamque inter subditos promovendi, & administrandi, tum Religionem Orthodoxæ Fidei servandi integram adversùs hæresiarchas &c. Si Rex igitur in hujus pactionis observantiâ deficiat, adeoque fas sit, ipsi frangenti fidem, reciprocè fidem frangere, an pactionis hujusmodi vinculum ex parte illius, cui juratum est, ipso *Iuræ naturæ* solvitur? Ad quid ergo opus esset declaratione authoritativâ, nisi super pactionis, cui jusjurandum superstruitur, seu observantiâ, seu violatione *juridicè* decernendâ?

Num verò, quia talis pactionis vinculum, quod in puræ etiam naturæ statu subsisteret, atque jurejurando, quâ lumini naturali consono, firmari posset, soli Pontificiæ potestati reservatum dixeris? Ubi verò hujus pactionis per fidei ex parte Regis fractionem invalidatio esset *juridicè* declarata, numquid per ipsam rei naturam rueret Iurisjurandi, utpote *accessoria* obligatio? Ad quid igitur Franci, quando Childericum Regem ineptum regimini in suis Comitijs publico etiam judicio decreverant, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam? An quia dubium superfuerat de causis invalidatæ *virtualis* illius pactionis? At numquid hoc etiam judicium, qua politicum illum contractum præcisè concernens, secundùm ipsum jus *naturæ*, erat adhuc proportionatum sphæræ Tribunalis *Civilis*? Altior igitur quædam ratio investiganda est, cur judicium illud de Childerico dejiciendo à regimine Franciæ, & subrogando Pipino, delatum fuerit ad Summum Pontificem. Quæ altioris indaginis ratio ab Authore *Regalis Sacerdotij* rectè reducitur in ea Christi verba, ad Petrum, ejusque successores prolata: *Quodcunque solveris super terram &c.* At quomodò ex hoc Divino Christi oraculo deduci valeat illa sublimioris investigationis præsenti instituto nostro specialiter accommodata ratio, necdum apparet ex *prætacti* authoris argumentatione. Unde præterquàm, quòd in *præcedentibus* in hoc indagando laboraverimus, ejus aliqualem adhuc discussionem præsenti rei statui opportunam reservamus *in sequentem conclusionem.*

ARGUMENTUM III.

35. Authoris *Regalis Sacerdotij præcitatus n. 73.* argumentatur ex hoc, quòd Imperatoribus, & Regibus incumbat, esse Advocatos, & Defensores sanctæ Ecclesiæ. Etenim hoc Advocati & Defensoris Ecclesiæ munere obstringi Reges, ac Imperatores, expressè habetur *in Cap. Venerabilem. De Elect. & Clement. Romani. De jurejurando*: nec non *in Cap. 2. in 6. De supplenda negl. Prælat.* Fatentur idipsum etiam Electores Imperij; uti videre est apud Bzovium *ad Annum 1314.* & Albertus Austriacus ad Bonifacium VIII. apud Baronium ad *Annum 996.* Ipse Rex Christianissimus *tom. 2. Preuves des libertes de l'Eglise Gallicane* scribitur per Archiepiscopum Parisiensem sic allocutus Clementem VII. quòd ipsi tanquam vero Christi Vicario, & Petri successori obedientiam præstet, seque, & sua Regna, & dominia pro sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & tuitione offert, & pollicetur. Similia scribit tum Beatus Leo *Epist. 73. ad Leonem Augustum*, quòd Regiam potestatem debeat agnoscere sibi collatam ad Ecclesiæ præsidium: tum B. Gregorius Papa ad Mauritium Imperatorem *lib. 2. indict. 11. Epist. 6.* quòd oporteat, ut terrestre regnũ cælesti famuletur. Cùm proinde ex allatis textibus certissimum sit, Imperatores, Reges, Principesque omnes advocatos esse, defensores, ministrosque Ecclesiæ, adeò ut ex intentione Dei hic fuerit primus, præcipuusque finis, Reges, Regiamque potestatem instituendi, ut scilicet Ecclesiæ, ac fidei deservirent. Idcircò, si Ecclesiæ noceant, eamque opprimant, cui patrocinium debent, poterit in illos, velut in suos ministros, advocatosque Ecclesiæ, animadvertere, & in officio continere; nam ut benè argumentatur Innocentius III. *Cap. Venerabilem. De Electione.* Nam-

quis

quid enim Ecclesia Advocato & Defensore carebit, eorúmque culpa redundabit ipsi in pœnam?

Reflexio.

36. REflexionem super hâc argumentatione faciendo, disquirere lubet; *Num advocati Ecclesiæ officium, seu Regi, seu Imperatori incumbat ex specifico jure alicujus quasi contractûs, seu pactionis saltem* implicitæ? In Occidentis equidem Imperatore videtur talis quasi contractus subsistere, dum Pontifex Romanus Imperium Græcis ademptum, transtulit in Francos & Germanos, sub *tacita* quasi conditione talis oneris: attamen hæc ratio locum non habebat olim vel in Orientis Imperatore, vel etiam in Regibus, in quos aliâ viâ, ac independenter à Romanis Pontificibus, prorogatur successio Regiæ potestatis.

37. De his igitur rursus movetur quæstio; *An ex aliquo jure* specifico *Romani Pontificatûs proprio, obstringantur ad ejusmodi Advocati, seu Defensoris Ecclesiæ munus, vel potiùs ex obligatione quasi transcendentali characterem Christianitatis consequente, in vi cujus non privata duntaxat, seu personalia, seu realia, sed publica etiam, ac Regia jura cum Christi charactere in eo subjecto conjuncta, quilibet homo Christianus tenetur saltem non usurpare in perniciem Ecclesiæ?* At ex quo fundamento ostenditur ista Regis Christiani obligatio *positiva*, ad se cum universis suis potentijs, & juribus pro Ecclesia impendendum in casu saltem necessitatis? An isthæc fortassis obligatio, uti in omnibus Christianis, præcipuè in Regibus Baptismali charactere insignitis, fundatur in hoc, quòd per istum Christi characterem sint subditi, per fidem verò membra Ecclesiæ, sit autem juris quasi *naturalis*, ut subditus pro suo Superiore, ac membrum pro sui corporis seu *moralis*, seu *politici* conservatione, omni virtute, ac potentiâ suâ impendat se in casu nedum *extremæ*, sed etiam *gravis* necessitatis? Hoc autem supposito, ex ipsius etiam naturæ lumine principium perspectum est, *in quo est talis obligatio, posse, dum illam non præstat, adversùs ipsum instituì seu querelam, seu processum publicum*: atque adeò Ecclesiæ potestatem esse, conveniendi Reges Christianos, atque duriùs contra ipsos agendi, si deficiant in illa sua obligatione, quamvis ex illo præciso argumento necdum eluceat, quanta sit Ecclesiæ, ac *specificè* Summi Pontificis authoritas in tali defectu procedendi adversùs Reges Christianos. Sed istud punctum decidendum venit ex alijs hactenus deductis fidei principijs.

ARGUMENTUM IV.

38. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. §. 17.* argumentatur 4. ex comparatione temporalis, ac Ecclesiasticæ dignitatis. Hanc enim esse illâ multò majorem, fatentur omnes, eleganterque docuit Innocentius III. in Decretali ad Constantinopolitanum Imperatorem *Cap. Solicitè. de Majorit. & obed.* ubi inter alia sic habetur: *Præterea nôsse debuerat, quòd fecit Deus duo luminaria in firmamento cæli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti: utrumque magnum, sed alterum minus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est, quæ verò carnalibus, minor, ut quanta sit inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia agnoscatur.*

Simile habet Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: *Nôsti, inquiens, quòd, licèt præsideas humano generi dignitate rerum, tamen Præsidibus Divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus Sacramentis: eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere, cognoscis Religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nôsti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Etsi cunctis generaliter Sacerdotibus rectè Divina tractantibus fidelium corda convenit submitti: quantò potiùs sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & Divinitas summa voluit præeminere, & subsequens generalis Ecclesiæ pietas jugiter celebravit?*

Hâc ergo suppositâ Ecclesiasticæ suprà sæcularem potestatem prærogativâ, & excellentiâ, argumentari sic licet. Ad minus tantum debemus Ecclesiasticæ potestati in sæcularia bona, personasque concedere, quantum conceditur temporali potestati in bona, & personas Ecclesiasticas: cur enim majori potestati, & nobiliori minus concedamus? Videmus verò passim, Principes temporales, in Galliâ præsertim, *indirectam* potestatem in personas, & bona Ecclesiastica exercere, quæ tamen omni *jure Divino, humanóque* exempta *esse, omnes fatentur.*

Reflexio.

39. REflexionem super isthâc argumentatione faciendo, disquiro; quia solis super lunam præeminentia lunares influxus non valet ex integro moderari, quò minùs in hominibus perspæpe prævaleant in ordine ad quosdam sublunaribus noxios effectus; *An majoris erga Regiam potestatem sit Ecclesiasticæ authoritatis efficacia, universis Regiæ Majestatis juribus prævalere potens?* Et quia Gelasius Papa Sacerdotij, & à fortiori Summi Ecclesiæ Pontificatûs suprà Imperatorem præeminentiam videtur definisse præcisè in ordine ad spiritualia, *quo jure extendatur ad temporalia, & quidem cum vi* coercitivâ, *& quasi* coactivâ? Certè S. Hieronymus *Epist. 2. ad Nepotianum.* Ecclesiæ sanctæ Antistites ita alloquitur: *Recordemur semper, quid Apostolus Petrus* (suæ Epist. 5.) *præcipit Sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, procedentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleros* (multò minùs in potestatem Regiam) *sed forma facti gregis ex animo.* Ex cujusmodi Patrum sententijs redarguunt Neoterici, quòd Deus unicam supremam architectonicam, & authoritativam potestatem, jure gladij armatam instituerit in terris, cujus proinde jurisdictioni

dictioni omnis anima, juxta Apostolum *Rom. 13.* subjecta, & ad imperata omnia debeat esse obnoxia; atque hoc prætendunt probari, tum quia Christus Magistratibus se subjectum professus est, solvendo pro se, & Petro vectigal *Matth. 17. & 27.* tum quia veteres Sacerdotes Regibus suis subjectos fuisse, liquet ab exemplo Salomonis Abiatharem deponentis: tum quia in Novo Testamento *Rom. 13. v. 1. Tit. 1. v. & 1. Petri 2. v. 13.* præcipitur omnibus, nullo excepto, obedientia civilis. Quandoquidem igitur ex hisce subinferant Neoterici, contra jus Dei, & naturæ facere, qui externam, & supremam ejusmodi jurisdictionem civili collateralem, ne dicam, superiorem, & majorem invehunt, & imperium in Imperio ædificant; ex altioribus fidei principijs oportet, Pontificiæ authoritatis super Regiam potestatem majoritatis jus demonstare, priusquàm subsistere valeat illa *dicti* Authoris argumentatio.

CONCLUSIO.

40. ARgumenta quæcunque sive ex sacris Canonibus, sive ex Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus, sive ab exemplis Summorum Pontificum, sive ab authoritate Theologorum, ac Ecclesiæ sanctæ Doctorum, sive ex rationibus desumpta, ad ostendendam Summi Pontificis supra Reges quoad temporalia *indirectam* potestatem, non habent vim, nisi in prudentiæ etiam infusæ, non autem fidei lineâ convincentem, nisi quatenus per hanc resolvuntur in fidei principium subsistens ex hisce *Ioannis 1. Pasce oves meas*, & *Matth. 6.* ad Petrum prolatis verbis Christi: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcunque solveris super terram &c.*

Explicatur. Etenim ipsa Canonicæ, seu Conciliaris sanctionis, Pontificiæque cujuscunque decisionis natura est, ut sit fundata supra Petram, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt. Hujus autem Petræ fundamentum non est, nisi fidei veritas, verbo Dei vel scripto, vel tradito manifestata. At ipsa quidem Conciliarium, & Canonicarum sanctionum, Pontificiarumque definitionum uniformis traditio validum præbet argumentum Divini traditi verbi, quod tamen, habito saltem respectu ad homines, tantò magis est convincens, quantò efficaciùs demonstrari valet ex sacris Litteris, quemadmodùm ex præductis Christi verbis posse talem fieri demonstrationem, constat ex dictis *superiùs*. Et verò Theologicæ quoque demonstrationis, ex qua unicè pendet Theologorum, ac Ecclesiæ Doctorum authoritas, est ea natura, ut resolvi debeat in fidei principia. Potest equidem vera quoque demonstratio Theologica subsistere, si ex uno fidei, & altero naturæ lumine noto principio procedat. At tunc naturalis luminis principium combinatum cum fidei principio ex hoc in tantum sublimatur, ut sub utriusque inter se collatione resultet altius quoddam *Divinæ Revelabilitatis dici solitum*, lumen objectivum, per quod subsistat vis conclusionis Theologicæ illativa cum certitudine consequentis, licèt inevidente, attamen plus, quàm metaphysicâ, proprieque vocatâ Theologicâ, in ipsum fidei lumen reducibili. Cujusmodi adeò Theologicæ demonstrationis vim convincentem hactenus inquirebamus, ostendimusque, eam non subsistere, nisi ex resolutione in præducta fidei principia, uti etiam in virgam correctoriam, & coercitivam *Matth. 18.* descriptam. Sub quâ proinde methodo Theologicæ demonstrationis, enitemur præsentis quoque conclusionis probationes expendere.

PROBATIO I.

Reflexiva super *primum* nostratis sententiæ *à n. 30.* propositum argumentum.

41. EO argumento dicebamus, evinci quidem, quòd perjurij reatus subsit coercitivæ virgæ *Matth. 18.* Ecclesiæ per Christum concessæ, ad excommunicationis usque censuram procedere potenti. An verò ad Regum usque exauthorationem, ac depositionem extendi valeat, clariùs evincitur ex præductis *Ioan. 21. & Matth. 16.* sacris textibus Evangelicis, uti mox ulteriùs ostendetur. Nempe duplex est in Ecclesiâ tribunal à Christo institutum. Unum fori *interni* pœnitentiale, cui subijciuntur quorumvis Christianorum, cuncta etiam secretissima cordis peccata. Cur hoc? Nisi quia Christus *Ioannis 20.* Apostolis, ejusque successoribus indefinitè dixerat: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.* In quo autem consistit peccati ratio, nisi in moralitate deviante à regni cælorum, seu finis supernaturalis ordine? At Christus non minùs indefinitè dixit, *si peccaverit in te frater tuus* (repudiatâ fraternâ correctione) *denuncies eum Ecclesiæ, quam si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Hic autem per Christum constitutus procedendi modus denotat ordinem ad forum visibile, ac *externum* Ecclesiæ, cui proinde ex Christi Domini institutione subest omne fratris Christiani peccatum, si tamen respectu illius fori probari valeat. In aperto igitur est, præter secretum conscientiæ forum pœnitentiale, à Christo institutum, esse alterum quoque forum *externum*, & *judiciarium* Ecclesiasticæ potestati concreditum. In hoc proinde foro Ecclesiæ *externo*, quis in terris supremam habet authoritatem, nisi Petri successor, cui omnes Christi oves sunt concreditæ, & cui commissæ sunt claves Regni Cælorum, & triumphantis, & militantis? Quænam verò est materia hujus fori, nisi quam Christus definivit hisce verbis ad Petrum prolatis: *Quodcunque solveris, seu ligaveris?* Hoc verò *Quodcunque*, utpote universitatis vocabulum, num artiùs exponi debet, quàm illæ indefinitæ Christi voces: *Quorum remiseritis peccata*: & *si peccaverit in te frater tuus.* Si ergo ex vi harum indefinitè positarum vocum, foro Ecclesiæ tum se-

creto pœ-

certo pœnitentiali, tum publico judiciario subsit omnis moralitas à Regno Cælorum, seu fine supernaturali devians, quid ni sub isto universalitatis vocabulo dixeris, denotari quodcunque *Morale*, quà habens ordinem ad Regnum cælorum seu militans, seu triumphans? Quòd si ergo illa Petro, ejusque successori externi potestas superextendi debeat super *Quocunque*, atque adeò regiminis quoque politici exercitio & applicabilitate subjectivâ, quà *moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis formalitatem* superinduente, quomodò fas est, dicere talem in Regibus moralitatem *in foro conscientiæ*, non verò in ordine ad *externum judiciarium* Ecclesiæ forum, esse subjectam Apostolicæ authoritati, protensæ super *Quocunque*, universalitatem designante, cùm tamen respectu fori *interni* subjectio peccatorum non nisi sub voculâ indefinità definiatur? Quòd si ergo sub illo *Quocunque* super omnem Christi ovem, & omnimodam in *externo* foro probabilem *moralitatis* in Regnum Cælorum *ordinabilis formalitatem* protenso, contineatur & Rex Christianus, quà Christi ovis, & cuncta ejusdem quoad Regiæ potestatis exercitium, & applicabilitatem, moralia, quomodò hæc non universaliter dicenda est, subesse Pontificis authoritati, seu potestati solvendi? Ubi verò Regiæ potestatis jus, quà huic personæ sub *moralitate ad Regnum Cælorum ordinandâ applicabilitate* contingat per illam Apostolicam authoritatem ex causis *moralibus*, Regnum Cælorum tam militans, quàm triumphans respicientibus, Regisque depositionem efflagitantibus, solvi, quomodò intelligi potest non esse facta *effectivæ* Regis exauthoratio? In aperto igitur est, ex præductis fidei principijs demonstrari Summi Pontificis potestatem erga Reges Christianos, à Regni Cælorum & militantis, & triumphantis ordine deficientes, exauthorandos.

PROBATIO II.

Reflexiva super *secundum* nostratis sententiæ argumentum.

41. HUjus argumenti vis reducitur ad hoc punctum, quòd oporteat, Summo Pontifici concedere saltem authoritatem *Iuris Divini dubij* declaratoriam. At quemadmodùm Christi verba: *Quorum remiseritis peccata*, non important potestatem meræ declaratoriam remissionis peccatorum, sed veræ absolutoriam, sic ista Christi ad Petrum dicta verba: *Quodcunque solveris &c.* denotant veram *solvendi* potestatem. Solutio autem juris cujuspiam eatenus tollit *materiale* saltem ejusmodi juris substratum, ut *consequenter* ac *indirectè* fiat solutio istius quoque juris super tali *materiali* substrato fundati. Quia igitur Regia potestas non tam in se *formaliter* spectata, utpote ut sic non dependens à moralitate hominum, sed *immediatè* ex Deo promanans, quàm ex parte juris in hoc subjecto inexistentis, ceu *materialis* substrati, per quod isti homini sit appropriata, Regia Majestas, ut sic ad *moralitatis Ecclesiæ clavibus subjectæ lineam spectans*, subsit authoritati Pontificiæ, solvendi potestate munitæ, ac super *Quocunque morali in Regnum Cælorum ordinabili* protensæ, evidenter sequitur, posse Regiam potestatem *indirectè, materialiter, ac subjectivè* auferri per Oecumenicam Summi Pontificis authoritatem.

PROBATIO III.

Reflexiva super *tertium* nostratis sententiæ argumentum à *n. 35.* deductum.

42. EX hoc, quòd Reges ex *intrinseco* Christi charactere subeant talem respectu Ecclesiæ obligationem, quæ complectitur omne id, quod in ipsis *moralitatis*, ad Regnum Cælorum ordinabilis, est particeps, atque adeò Regiam quoque potestatem, quà debito modo exercendam, & applicandam: ex quo etiam fundamento fit consequens, quòd Reges Christiani habeant munus, seu obligationem Advocati, ac Defensoris Ecclesiæ. Idcircò ex hoc etiam titulo consequitur, quòd Regia potestas tum quoad *morale* sui substratum, tum quoad suos effectus *morales* ex *intrinseco* characteris Christiani debito, in Regnum Cælorum ordinabiles, *subjectivè* adeò, ac *materialiter* spectata, subsit prætactæ solvendi potestati, Pastorali Petri successoris muneri per Christi constitutionem annexæ.

PROBATIO IV.

Reflexiva super *quarto* nostratis sententiæ argumento à *n. 38.* deducto.

44. ATtendendo ad reflexionem *ibidem* à nobis factam, occurrit *inprimis* difficultas, quòd Petrus Apostolus *1. suæ Epist. cap. 5.* videatur à potestate Ecclesiastica omnem vim dominativam excluisse. Sed in quo consistit ratio potestatis dominativæ, nisi quòd ex vi dominij sui possit homo ad placitum agere pro sui commoditate, & utilitate propriâ, cùm econtra jurisdictionis, maximè Ecclesiasticæ, authoritas ejus sit conditionis, ut, qui eâ potitur, unicè attendere debeat spiritualem gregis utilitatem, animarumque sibi commissarum æternam, atque Religionis ac fidei, Ecclesiæque sanctæ bonum, sicque adeò fieri debeat forma gregis, seipsum pro ipsius salute lubenter impendens, simul tamen, ubi opus fuerit, adversùs lupos eidem insidiantes, magno cum Religionis zelo decertans, & non tantùm extra Ecclesiam ejiciens, sed authoritate suâ detrudens ad statum, in quo ampliùs nocere nequeant?

45. Imò ipsa quoque politica authoritas jurisdictionis, si in sua præcisâ naturâ spectetur, talem vim dominativam propriæ utilitatis, & non potiùs publici boni prosecutricem abhorret in tantum, ut tyrannicum dici soleat regimen, in quo non tam Reipublicæ utilitas, quàm commoditas propria intenditur, si tamen pura sit jurisdictionis potestas, respiciens subditos, qua in uno Regno, seu Civitate

vitate tum inter se quoad politicam, & socialem vitam, mediante Justitiâ *Commutativâ* & *Distributivâ*, tum in ordine ad bonum Reipublicæ per justitiam *legalem activè & passivè* bene coordinatos. Quia verò in plerisque Regnis Regalis jurisdictio respectu vulgi non est purâ, sed mixta cum aliquâ vi dominativâ, cui præter subjectionem, politico regimini correlativam, respondet in subditis aliqua servitutis ad propriam Domini utilitatem reflexa species, idcircó Apostolus monuit quosque Ecclesiæ sanctæ regimini præfectos, ne dominentur in Clero, sed forma gregis facti, hujus & propriam spiritualem utilitatem, & commune Christianæ Reipublicæ bonum intendant.

46. Sed nunquid tali, quantumvis a vi dominativâ depuratæ jurisdictioni, ut ad Ecclesiæ sanctæ publicum, & cujusque Christi ovium privatum bonum, cum ordine ad Regnum Cælorum tam militans, quàm triumphans, efficaciter promovendum, prævalere posset, debuerat Divinitus concedi etiam aliquis gladius potestatis Politicæ quandoque adversariæ *coercitivæ*? Unde à ratione veri prorsus aliena est Neotericorum sententia, unicam in terris architectonicam, ut loquuntur, & authoritativam, jure gladij armatam, soli politico Magistratui competentem potestatem adstruens. Num enim, quia Christus pro se & Petro solvit vectigal, ex hoc arguere fas est, Christum noluisse Ecclesiæ suæ prospectum ex gladij spiritualis eidem concedendi *authoritativâ*, & *coercitivâ* potestate? Audi hâc super re Divum Chrysostomum *in cit. cap. 17. Matth.* verba Christi Domini: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, aut censum; à filijs suis, non ab alienis?* ita explicantem: *Quod dicit Christus, tale est. Liber quidem ego sum, atque immunis à præstando censu: si enim Reges terræ à filijs suis non accipiunt, sed ab ijs, quos regunt imperio, longè magis liberum me ab hac repetitione esse oportet, qui non terreni cujusdam Regis, sed cælorum Regis filius sum, & Rex. Iubet porrò in ore piscis inventum staterem pro se, ac illo (Petro) dari, ne cùm illi, cùm ipse Petrus ullatenus offenderentur.* Quæ ergo non protervia Neotericorum, ex illo sacro Evangelij textu, Christi erga Magistratum politicum, & consequenter Ecclesiæ, Apostolorumque subjectionem probare nitentium?

47. In Veteri etiam Testamento non equidem ex *jure naturæ*, sed ex lege Divinâ *positivâ* præter Regiam potestatem erat sacerdotium, quod secundùm sphæram suam minimè subijciebatur judicio politici regiminis, sed hoc debebat esse subordinatum Sacerdotij judicio, quatenus juxta *Deut. 17. caput* inerat summo Sacerdoti potestas, tali cum authoritate in dubijs interpretandi leges judiciales, ut ejus sententiæ standum fuerit, debueritque judex decretum, seu judicium suum huic Sacerdotis sententiæ conformare, reusque mortis adeò pronuntiatus fuerit, qui Sacerdotis imperio, ac judicis decreto, secundùm istius sententiam ferendo, noluisset obedire.

48. Quæ de Salomonis Abiatharem à Sacerdotio deponentis exemplo proferuntur, de ijs erit responsio *inferiùs*, ubi etiam illius Pontificiæ authoritatis, quâ Regiæ potestati supereminentis sphæra describetur: interea manifestum jam est redditum, Veteris Legis Sacerdotio fuisse authoritativam potestatem, gladij etiam *materialis*, juxta illius imperium, manu regiâ exercendi jure armatam. Talis ergo Ecclesiasticæ in Nova Lege, uti *suprà* dictum, gladius est tum vis *coercitiva Matth. 18.* descripta sub authoritate ad fidelium usque Communionis privationem, contumaci inferendam, judicialiter etiam procedendi: tum potestas ligandi, & solvendi *Quodcunque moralitate ad Regnum cælorum tam militans, quàm triumphans ordinabili* superveſtitum: inter quæ *moralia* utique est Regiæ quoque potestatis exercitium, & applicabilitas *moralis*, cujus proinde, si vi illius Ecclesiasticæ potestatis in Rege aliquo Christiano fiat solutio, quid huic supereſſe poterit de suæ Regiæ Majestatis jure?

Corollarium.

EX dictis infertur; *In quantum ex Veteri Testamento argumentari liceat ad Pontificiæ supra Reges potestatis extensionem probandam?* 49. Difficultatem hic ingerit exemplum Salomonis deponentis summum Sacerdotem Abiatharem; uti habetur *3. Reg. 2.* Quidni ergo, subinferunt Neoterici, par sit in Novo Testamento Regum erga Papam authoritas? Hoc expendens Bellarminus *lib. 2. de Romano Pontifice cap. 29.* respondet inprimis; negandam esse paritatem inter Antiqui, & Novi Testamenti Summos Pontifices. Cùm enim in Veteri Testamento promissiones tantùm temporales fuerint, in Novo autem Testamento sint spirituales, ac æternæ; uti SS. Patres tradunt: non mirum esse, si in Testamento Veteri summa potestas fuisset temporalis, in Novo autem Fœdere spiritualis.

Deinde in Veteri quoque Testamento 50. Pontificem fuisse Rege majorem, docent Philo *de victimis*, Theodoretus *q. 1. in Leviticum.* & Procopius *in 4. cap. Levit.* quod probatur tum ex *cap. 27. Num.* ubi dicitur, quòd ad verbum Pontificis Eleazari tam Princeps Iosue, quàm populus ingredi, ac egredi deberet: tum ex *Levit. 4.* ubi quatuor sacrificia instituuntur, ex quorum ordine, ac magnitudine colligitur dignitas personarum, pro quibus fiebant. *Primum* itaque sacrificium erat vituli pro Pontifice: *Secundum* etiam vituli pro toto populo: *Tertium* hirci, adeoque vilius, pro Rege: *Quartum* capræ pro quolibet privato. Quare ad illud Salomonis, Abiatharem Summum Sacerdotem deponentis exemplum, esse dicendum, quòd Rex iste, non ut Rex, sed ut Propheta & executor Divinæ justitiæ deposuerit Abiatharem, & substituerit Sadochum; siquidem *3. Regum 2.* asseratur Salomon, feciſſe hanc amotionem; *ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super Heli in Silo.* Nempe Deus Aaroni primitùs, indeque Eleazaro quasi primogenito, ejusque posteris destinaverat Pontificatum, traductum posteà ad Heli, qui erat ex Ithamar. Ex quo ergo Dominus fecit super Heli sermonem de Pontificatu ejus familiæ

familiæ adimendo, & restituendo Eleazari posteritati, de qua erat Sadoch, nec Salomon, nisi ex hoc ad Domini sermonem respectu, fecit hanc commutationem, optimo jure dici potest, non esse factam authoritate Regiâ, sed ex speciali Dei jussu fuisse ab illo Rege peractam executionem justitiæ, à Domino decretæ.

51. Verùm quomodocunque res ista se habeat, hoc est prorsus certum, quòd Antiqui Fœderis Summus Sacerdos in his saltem, quæ ex *specifico* jure, ac mandato Divino incumbebant ipsius officio, præeminuisset Regiæ potestati. Inter hæc autem erat, ferre sententiam authoritativam super judicij veritate, quando de hoc variabatur inter judices, cui Sacerdotis sententiæ omninò standum fuerat. Et quia eidem Sacerdotio competebat judicium inter lepram, & lepram, inter causam, & causam, inter sanguinem, & sanguinem, quoad hoc etiam judicium haud subdebatur, sed præeminebat Regi; sicque adeò ex hac authoritate super Ozia Rege leprâ Divinitus tacto, proferebat sententiam separationis, non corporalis duntaxat, sed Civilis quoque, ac politicæ cum amotione à Regni administratione. Quòd si ergo indubitata est Sacerdotij Mosaici in his, quæ à jure Divino eidem erant commissa, supra Regiam potestatem præeminentia, haudquaquam dubitare licet de Summi Pontificis supra Reges authoritativâ intrâ Novum Evangelij Fœdus præcellentiâ, in quantum est ipsi commissa super cunctas Christi oves cum virgâ *correctoria & coercitivâ*, *potestatéque solvendi quodcunque in terris morale*, quâ ordinabile ad Regnum Cælorum tam militans, quàm triumphans.

§. IV.
Articuli præsentis Corollarium finale.

52. EX dictis infertur; *Quam mereatur censuram sententia, Summo Pontifici authoritativam supra Reges Christianos quoad temporalia potestatem denegans?* Ex Authore *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. in fine §. 9.* alias jam proferebamus: cùm quæritur, *an Summus Pontifex in Reges, ac Regna temporalem habeat potestatem? Absolutè* responderi posse, nullam habere: cùm enim hæc potestas sit *indirecta, subsidiaria, per accidens*, ac *extraordinaria*, non denominare subjectũ, quod tale dicitur ab ijs, quæ plerumque, non verò, quæ raro accidunt. *Per Leg. 3. & 4. ff. De LL.* Et in hoc sensu locutum esse Innocentium III. *in Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. & Cap. Novit. De Iudicijs.* Ubi *absolutè* Summus Pontifex negat, *sibi esse potestatem temporalem in Reges Galliæ*: cãque si uteretur, indebitam, & usurpatam fore.

53. Nunquid verò, si quæstio sit; *An Ecclesiæ potestas protendatur super temporalia?* Respondere oportet, Summi Pontificis erga temporalia, ac Iura Regia, in temporalium censu haberi solita, esse solummodò *indirectam, subsidiariam, per accidens*, ac *extraordinariam?* Si ergo potestas hujusmodi non denominat subjectum; ergo æquè poterit *absolutè* negari, Summo Pontifici competere potestatem in temporalia; atque adeò jura Regia, utpote ut sic temporalitatem præferentia. Neque deest ratio, quia denominatio sequitur formam, non id, quod est *materiale*. Atqui Bona temporalia, ac Regia jura sæcularia *formaliter* ut sic non subduntur Pontificiæ potestati, sed *materialiter* duntaxat; *sub altiori* scilicet, quibus substernuntur, *formalitate moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis*. Hæc autem *moralitas* est quid *spirituale*, respiciens in proprio suo subjecto salutem æternam, ac respectu Ecclesiæ publicum hujus, atque sanctæ Religionis Bonum, Deique cultum, quà non mero naturali lumini commensuratum, sed quà fidei lumini proportionatum. Quia igitur denominatio fit à *formali*; non verò à *materiali*, an non, sicuti *absolutè* dici potest, nullam esse potestatem temporalem Summo Pontifici in Reges, sed spiritualem duntaxat, sic pariter negare licebit, Pontificiam potestatem protendi super Regum bona temporalia, seu jura Regia, quà secundùm naturam suam spectata, sunt sæcularia.

54. Quo tamen minimè obstante, quis Catholicorum inficiari ausit, Regis Christiani jura etiam politica, seu sæcularia, unà cum ipsius personâ ad statum supernaturalem elevata, non subesse *moralitati in Regnum Cælorum ordinabili*? Hoc negare, foret profectò indignissimum Rege Christianissimo. Nunquid verò jura Regia, quantumvis sæcularia, quatenus *moralitate in Regnum Cælorum ordinabili* sunt superveslita, superinduunt formalitatem, sub quâ Regni Cælorum Summo Pontifici concreditis clavibus subjaceant? Hoc negare, foret perinde, ac negare, ijs clavibus subesse *quodcunque* hominis Christiani, ceu ovis Christi, *morale* in Regnum Cælorum ordinabile. An non verò istud pugnaret cum apertis Christi Domini verbis *Matth. 16.* claves Regni Cælorum eatenus exponentis, ut *Quodcunque* in vi istarum Clavium à Petro, ejusque successore erit in terris solutum, pro soluto habendum esset etiam in cælo? Nunquid verò istud *Quodcunque* per Summi Pontificis potestatem in terris solubile complectitur temporalia, ac Regia, seu politica quà sæcularia jura? Neutiquam. An igitur istud *Quodcunque* in terris per Ecclesiæ Claves solubile admittit aliquam exceptionem? At hoc dicere, foret, universalitatem illius Tò *Quodcunque* contra disertum Christi verbum è medio tollere. Illius igitur vocis Tò *Quodcunque* universalitas nullam quidem admittit exceptionem, sed explicationem Christi verbo consentaneam. Nunquid enim istud *Quodcunque* in terris per Vicariam Christi potestatem *solubile* ex Christi Domini institutione habet ut sic relationem ad Cælorum Regnum, seu militans, seu triumphans? Nónne verò hujus relationis ordo importat *moralitatem statui supernaturali commensurabilem*, de cujus naturâ est, esse ordinabilem in Regnum Cælorum tum triumphans, tum militans? Nunquid autem istius ad Regnum Cælorum ordinabilitatis *moralitas* radicatur tum in fide, per quam sumus membra Se

bra S Ecclesiæ, ceu unius Corporis mystici, tum in Christi per Baptismum impresso charactere, per quem subijcimur sanctæ Ecclesiæ, ejusq; ie Clavibus? Nunquid autem membri ad corpus suum seu politicum, seu mysticum coordinatio, uti etiam erga sanctam Ecclesiam subjectio, ex ipsa connaturalitatis suæ proprietate importat obligationem ad curandum illius Corporis mystici, sanctæque Ecclesiæ bonum publicum? An non igitur in vi hujus erga Ecclesiam, ceu Corpus mysticum coordinationis, seu subjectionis in Rege Christiano, secundùm *quodcunque* in terris *morale* suum spectato, est debitum ordinabilitatis ad bonum publicum Ecclesiæ? Quia igitur *Quodcunque* in terris Regibus Christianis inexistens *Morale* complectitur ipsorum Regia quoque jura sæcularia, sed *materialiter* duntaxat, ac *indirectè*, seu per *accidens*, nec aliter, nisi quà supervestita *moralitatis* in Regnum Cælorum seu triumphans, seu militans *ordinabilis formalitate*, sub quâ *moralitate* eam subeunt denominationem *formalem*, ut dicenda sint spiritualia, nunquid nefas esset negare, esse ut sic contenta sub illius Christi vocis Tò *Quodcunque* universalitate, omne in terris *morale* in Regnum Cælorum ordinabile complectentis? Quia verò hæc ad istam *moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis* denominationem jura Regia, utpote sæcularia, se habent solùm *materialiter*, ac *per accidens*, nec adeò dici possunt subjacere *directæ* Clavium Ecclesiæ authoritati, neque verò denominatio facienda est ex illo, quòd solùm *indirectè*, præcipuè *materialiter* duntaxat, vel etiam per *accidens* competit, nunquid secundùm præjacta principia adhuc defendi potest, quòd Ecclesiæ potestas sit spiritualium solummodò, non temporalium.

Secundùm hæc igitur principia, Regem Christianissimum velle pronunciare exemptum ab illâ Regiorum jurium moralitate, Ecclesiæ Clavibus *indefinitè*, ac *universaliter* subjectâ, perinde foret, ac ipsum alienum facere à Christiano charactere, vel si jura Regia, licèt sæcularia, statuantur esse capacia *moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis*, oportebit fateri, ea *materialiter*, *indirectè*, ac *per accidens* subijci Clavibus sanctæ Ecclesiæ, non quidem sub ratione sui temporalitatis, sed sub forma. litate *moralitatis in regnum Cælorum ordinabilis*. Secundùm quâ proinde distinctionem, si Clero Gallicano placuerit *primæ* propositionis suæ intelligentiam moderari, poterit forte sustineri secundùm expositionem reflexionis mox exponendæ, sin minùs, ipsimet sint ejus sententiæ Censores, quomodò cohærere valeat cum *indefinitâ* super *Quocunque in terris Morali*, quà in Regnum Cælorum ordinabili, protensâ Ecclesiæ sanctæ Clavium, Summique Pontificis Oecumenicâ solvendi, ac ligandi potestate, 55.

FINIS

ARTICULI PRIMI.

SUM-

SUMMA
PRIMI ARTICULI
DE
CATHEDRAE APOSTOLICAE
SUPER REGES
AVTHORITATE,
UNA CUM REFUTATIONE
DISSERTATIONIS A PRÆTACTO
LUDOVICO ELLIES DU PIN
EDITÆ, AD PROBANDUM, ECCLESIÆ NULLAM IN REGES, EORUMQUE BONA ESSE POTESTATEM DIRECTAM, VEL INDIRECTAM.

PROLOQUIUM.

Icuti varia sunt hominum ingenia; sic non una methodus in expendendâ rerum Divinarum, seu Ecclesiasticarum disciplinâ placet universis. Quemadmodùm enim inter illos, qui alchimisticis student mineralium sublimationibus, sunt nonnulli, qui ejusmodi extractionum quintis quasi essentijs, earumque virtutibus unicè oblectantur: alij verò sunt, quibus non satis est, tales quintas quasi mineralium essentias jam extractas possidere, sed ipsas cum earundem virtutibus ad sua principia reducere contendunt, curiosè indagando, ex quibus materijs, & per quas methodos fiant hujusmodi alchimistici extractus. Sic reperiuntur aliqui sublimioribus destinati functionibus Ecclesiasticis, quibus minimè vacat, ut accuratiùs intendere valeant principijs Theologicis, per quæ pro instituto præsenti, novissimas Cleri Gallicani propositiones contingente, ex sacræ Scripturæ textibus, sacrorumque Canonum, atque Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus, fusiori methodo scholasticâ eruitur veritas illis Cleri Gallicani assertionibus opposita. Quorum adeò sublimiori conditioni meritò sufficiet Summaria extractio argumentorum, quibus stabilitur Oecumenica Cathedræ Apostolicæ potestas super Reges etiam, quoad moralitates in regnum cælorum ordinabiles protensa. Quia verò multi haùd contenti erunt, talem Fundamentorum, quibus ea nititur, quintam quasi essentiam cernere, nisi eam conferre possint cum ipsissimis illis locis, ex quibus Summarius ejusmodi extractus educitur. Idcircò pro utroque illo ingeniorum genere eum tenebo ordinem, ut prioribus seorsim brevi aliquo Opusculo cogitem tradere succinctiorem quandam methodum Summarij circa Gallicani Cleri propositiones ex principijs sacris eruendi extractûs, in quo fusioris hâc de re Operis quinta quasi essentia exhibeatur: pro illis verò, qui sacræ Theologiæ methodo Scholasticæ ad sua principia veritates inde erutas reducere assuetæ, sunt addicti, Summarium circa Cleri Gallicani de Romani Pontificis authoritate propositiones extractum sub fine cujusque Articuli exponam, una cum singulorum, ex quibus deducitur, locorum allegatione in margine designandâ.

Summæ hujusmodi subnectetur confutatio Dissertationum Historicarum, quas Ludovicus Ellies Du Pin sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor in suo Opere *de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ* nuperrimè digessit. Quam Summam pariter in quatuor dividemus articulos, quorum Primus *de Cathedræ Apostolicæ supra Reges potestate* constabit sex Capitibus, quibus videbantur consultò præmittenda, quæ Author *Inextinctæ sacri Concilij Tridentini veritatis, hujus Operis sui Tomo tertio* per modum Præfationis disseruit.

ARTICULUS. I.

Declarationis Gallicanæ circa Oecumenicam Romani Pontificis Authoritatem.

1. ARticulus iste ita se habet: *Primùm Beato Petro, ejúsque successoribus, Christi Vicarijs, ipsiúsque Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium: non autem civilium, aut temporalium à Deo tradita est potestas,* dicente Domino, Regnum meum non est de hoc mundo: *Et iterum*: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. *Ac proinde stat illud Apostolicum dictum*: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjiciuntur, neque authoritate clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditi eximi à fide, atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis sacramento solvi possunt. Eáque sententia publicæ tranquillitati necessaria, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio utilis, & Verbo Dei, Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis consona, omninò retinenda est.*

Reflexio,

Verum ac legitimum hujus articuli sensum disquirere satagens.

2. EX hujus articuli fine dilucidum redditur, Gallicani Cleri in præadducto Articulo sensum esse prorsus conformandum cum Verbo Dei, Patrum Traditione, & Sanctorum exemplis. Ex quo proinde solidissimo veritatis fundamento firma stat duplicis, Ecclesiasticæ scilicet, ac Politicæ potestatis suprema authoritas: cui utrique Divinitus est constituta sua sphæra, ita ut illius limites circumscribantur causis spiritualibus, & ad animarum salutem pertinentibus, hujus verò limites contineantur causis civilibus ac temporalibus. At quemadmodùm in homine sunt quidem duæ res disparatæ, corpus scilicet & anima, ab uno eodemque Creatore, absque ullâ quoad primam sui productionem, *in principij effectivi genere*, inter se dependentiâ, primitus prodeuntes, ita tamen inter se combinatæ, ut anima regimen teneat super corporis affectiones: sic supremo magistratui Politico ita inest authoritas Divinitus constituta, ut hujus tamen exercitium in homine Christiano capax sit ordinis etiam supernaturalis, æternam salutem respicientis; sub quâ adeò formalitate respectum habet ad Ecclesiasticam Divinitus constitutam authoritatem. An non igitur secundùm talem ordinabilitatem, suprema Politica potestas *saltem materialiter indirectè* subjacebit supremæ Ecclesiasticæ authoritati, modo statim exponendo?

CONCLUSIO.

IN præsenti puncto concernente supremam Ecclesiasticam, in Romano Pontifice, vel in Concilio Oecumenico subsistentis, super Regiam supremam temporalem potestatem supereminentiæ authoritatem, circumspectè distinguenda est tum Regiæ potestatis ratio Formalis, *tum ejusdem ad hoc individuum suppositum applicationis, nec non ejusdem Exercitij* Materialiter *spectati conditio.* 3.

Explicatur status Quæstionis. Ejusmodi namque supremæ Regiæ potestatis ad supremam Ecclesiasticam authoritatem comparatio eo modo se se habere videtur, quo modo rationis lumen naturale comparatur ad Divinum supernaturale fidei lumen. Sicuti namque utrumque hoc lumen est *immediatè* à Deo, quâ authore partim naturali, partim supernaturali; & ideo utrumque est supremum in suo genere: sic res se habet circa Politicam & Ecclesiasticam authoritatem supremam. Unde utrique huic supremæ potestati eatenus competit legislativa authoritas, ut legum à potestate Politicâ latarum obligatio *formaliter* spectata, non subsit authoritati Ecclesiasticæ potestatis, sed sit per se subsistens in suâ lineâ. Et quemadmodùm verum non repugnat vero, nec adeò potest ulla esse contrarietas inter luminis naturalis ac fidei Divinæ veritatem: sic lex Politica & Ecclesiastica, in quantum unaquæque legitimè procedit ex authoritate sibi commensuratâ, nequeunt inter se repugnare. Tametsi verò in hoc rursus sit paritas inter Ecclesiasticam & Politicam supremam potestatem, ut leges utrinque, *practicam* lumini seu supernaturali, seu naturali commensuratam veritatem obtinentes, id est, ab honestate seu fidei, seu rationis non declinantes, ita sint *per se* in genere suo subsistentes, ut Ecclesiastica suprema potestas legitimis, (id est à ratione naturali non deviantibus) legibus politicis, 4. 5.

licis, minimè se possit ingerere, eas vel abolendo, vel immutando. Nihilominùs quia 6. suprema Ecclesiastica authoritas, in legibus pro universa Ecclesia ferendis, est infallibilis, tali verò in ordine ad statum politicum infallibilitate caret suprema Civilis potestas: idcircò fieri potest, leges à Politico Magistratu latas ita dissonare cum fidei lumine, ut consequenter à naturalis quoque *practicâ* veritate sint alienæ: cùm econtra leges pro universâ Ecclesiâ, à supremâ potestate Ecclesiastica promanantes, neque a fidei, neque consequenter à rationis naturalis, utpote cum illâ pugnare haud potentis, veritate *practicâ* aberrare va- 7. leant. Ex quo rursus fit consequens; supremam Ecclesiasticam authoritatem posse ex fidei principijs, supra legibus civilibus à rectâ ratione dissonantibus ferre judicium, easque *Directè*, quâ cum fide pugnantes; *Indirectè* verò, quâ cum ratione naturali, utpote cum fidei lumine nullam contrarietatem habente, dissonantes abolere, atque re ipsâ nullas & invalidas pronunciare: cùm econtra suprema Politica authoritas in nullo prorsus casu quidquam valeat adversùs Ecclesiasticæ potestatis leges, siquidem istæ supremâ Ecclesiæ authoritate munitæ, eam sub infallibtlitate obtineant cum fidei principijs conformitatem ac honestatem *moralem*, ut impossibile sit, ipsas unquam contrariari *practicæ* luminis naturalis veritati, atque adeò Politicæ cum hac commensuratæ authoritati.

8. Inter utramque porrò seu Ecclesiasticam, seu Politicam authoritatem supremam, in hoc stat æqualitas, ut ambæ quidem sint *immediatè* Juris Divini, utriusque tamen ad certam individuam personam applicatio *materialis*, pendeat ex hominum constitutione. Nam ipsomet Imperatore *in instit.* fatente, suprema Politica potestas erat primitùs in populo, atque ab hoc primùm translata est in unam certam personam: cujusmodi etiam personæ designatio est vel per successionem hæreditariam, vel per diversimodi generis electionem: qui uterque adeò succedendi modus est pendens ab humanâ constitutione. In supremæ equidem Ecclesiasticæ authoritatis ad certam personam applicatione *materiali*, intervenit *pari modo* electio hominum, ex humanâ constitutione dependens, ita tamen, ut successio ipso Jure Divino sancita, eatenus conferat Electo Oecumenicam ejusmodi potestatem, quatenus hujus collatio est *immediatè* Juris Divini, secùs, quàm sit in collatione Regiæ ac Imperatoriæ authoritatis, in qua non Electio duntaxat, seu successio hæreditaria, tanquam personæ ad supremam Politicam authoritatem designatio, ac deputatio *materialis* (quod supremæ Oecumenicæ quoque Ecclesiasticæ potestati commune est) sed ipsa etiam collatio dignitatis hujusmodi est Juris humani, tametsi authoritas *in se formaliter* spectata, sit *imme-* 9. *diatè* Iuris Divini. Sub cujusmodi adeò & Divini & humani Iuris distinctione, immobiliter est servanda æqualitas inter authoritatem utramque, ut, quod *immediatè* spectat ad Ius Divinum, non subsit alterutri illi authoritati, quatenus homini cùpiam inexistenti. Id verò, quod Humani Iuris est, eatenus pendet ex hominum dispositione, ut Summi Pontificis non nisi per homines electione factâ, ex Ecclesiæ adhuc judicio, seu fidelium unanimi consensu pendeat certitudo *moralis*, per quam stet evidentia credibilitatis, sub quâ credere fas sit, hunc hominem esse illum, quem contingit verbum Christi, Petro sub perpetuo successionis Iure, ejusque adeò successori legitimo, conferentis Oecumenicam Ecclesiæ authoritatem, Evangelio sacro definitam. Quandoquidem ergo non designatio duntaxat *Materialis* personæ ad Regiam seu Imperatoriam authoritatem vocatæ, sed hujus potestatis collatio sit Iuris humani, superest hîc decidendum; an circa hanc saltem *Indirectè* possit aliquid disponere suprema Ecclesiastica potestas?

In quo equidem videtur partem *Negati-* 10. *vam* sanxisse præadducta Cleri Gallicani propositio, *Christi Vicarijs, ipsique Ecclesiæ talitèr admentis rerum temporalium ac civilium potestatem*, ut dilucidis verbis concludat, *Reges & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati, Dei ordinatione subjici, neque authoritate clavium Ecclesiæ*, Directè, *vel* Indirectè *deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientiâ ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse.* Num igitur Clero seu Catholico, seu Christianissimo istud edicere fas sit? Minimè: nisi ea conclusio redigatur ad limites *superiùs* positos, quòd scilicet in hoc puncto *circumspectè distinguenda sit tum Regiæ potestatis ratio formalis, tum ejusdem ad hoc individuum suppositum applicationis, nec non ejusdem exercitij materialiter spectati conditio.* Etenim quis neget, Magistratûs Politici authoritatem Verbo Divino sancitam, esse de fide? Ergo super hac ejus est authoritatis judicium, cujus est, fidei decreta ex Verbo Dei sancire adversùs ingruentes hæreses. Quandoquidem igitur suprema Ecclesiæ potestas Oecumenica adversùs hæreticos, Magistratum Politicum exauthorare contendentes, ejusque potestatem *perfidè* negantes, noscatur tulisse judicium, talis authoritatis definitivum, quis jam neget, Ecclesiæ authoritatem se extendere ad ejusdem Politicæ potestatis, quâ Verbo Divino assertæ, manutentionem? Libenter equidem damus; talem Ecclesiæ de- 11. finitionem haud niti præcisâ luminis naturalis ratione, sed *formaliter* fundari super Verbi Divini authoritate; eo ipso tamen, quòd tangat punctum Iuris Divini, per quod habetur Divinitus constituta Politica potestas, consequens est; ipsissimam hanc authoritatem subesse Ecclesiæ judicio, non ut eam vel immutet, vel quoad *formalem* ejusdem, Verbo Divino definitam, rationem, de ipsa disponat, sed ut ex Dei Verbo eam firmet, & adversùs hæreticos defendat, atque communiat. Quod Clerus quoque Gallicanus ita præstitit, ut eam Dei Verbo constitutam, ac Iure Divino sancitam ostendat. Quæ proinde suprema Politica authoritas non quidem *Formaliter* vel *Directè*, vel *Indirectè* subest Iurisdictioni Ecclesiasticæ, siquidem ista non extendat se super Iure Divino *Formaliter* spectato, neque Ecclesia pro arbi-

trio, sed pro Iure Divino, cui subest, ferre debeat judicium de illâ, per expressum Dei Verbum constitutâ potestate: nihilominùs hæretica pravitas, quatenus conatur eam eliminare, omni modo subijcitur jurisdictioni ac judicio Ecclesiæ; sicque adeò huic *Indirectè* subditur ipsissima illa Politica authoritas, quatenus est materia vindicationis, quæ justo Ecclesiæ judicio exercenda est, pro manutenendo Iure Divino, per quod habetur sancita ea potestas. Quare Ius hoc Divinum in se ipso *Formaliter* spectatum, eatenus est regula judicij, quod Ecclesia exercere debet adversùs ejusdem temeratores, ut sub *concretione quasi materiali*, quatenus nimirum subest hæreticæ sui temerationi, *per Indirectum* & *Materialiter* subjaceat etiam judicio Ecclesiæ. Quemadmodùm igitur suprema Politica authoritas Divino Jure sancita, *objectivè* se habens ad hæreticam sui temerationem, *Indirectè materialiter* subditur
12. Ecclesiæ judicio: sic pro *secundo* dicendum est, eandem potestatem, quatenus *subjectivè* est in homine Ecclesiæ subjecto, *Indirectè materialiter* subjacere ejusdem S. Ecclesiæ judicio, modo statim explicando. Nunquid enim quodlibet hominis baptizati peccatum subest Ecclesiæ sanctæ foro non tantùm *interno*, sed etiam *externo*? Christus namque *Matth. 18.* disertis verbis pronunciavit, de quocunque peccatorum genere, ubi correctio fraterna non profecerit, denuntiandum esse Ecclesiæ, cui ad resciſſionis usque sententiam, fas esset, adversùs inobedientem procedere. Quamdiu igitur suprema Politica potestas stat intrà sphæram suæ authoritatis in ferendis legibus justis ac æquis, dici equidem potest, nihil contra talem potestatem habere, quod agat Ecclesiastica suprema authoritas, tametsi curæ ipsius incumbat providere, ut, sicuti homo ad statum supernaturalem est evectus in suis actionibus, eò etiam tendat dicta Politica authoritas, sicque ejus exercitium non tam *Formaliter*, quàm *Materialiter* spectatum, ratione scilicet cujuspiam extra rationis legitimæ sphæram exercitæ applicationis quasi *materialis*, *Indirectè* subest Ecclesiasticæ authoriati.

13. Dices. An igitur prætacta Cleri Gallicani Declaratio in eo sensu accipi ac tolerari potest, quòd nempe suprema Regia authoritas, ne quidem *Indirectè formaliter*, bene tamen *materialiter Indirectè* sit subjecta Ecclesiæ supremæ jurisdictioni ac judicio? At dictæ Declarationis verborum generalitas non videtur admittere talem distinctionem.

14. Contra. Nam istius Declarationis propositio stat sub hisce verbis: quòd nempe *Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicarijs, ipsique Ecclesiæ sit à Deo tradita potestas rerum spiritualium, & ad æternam salutem petinentium, non autem civilium ac temporalium.*

At verò Politicæ potestatis ad salutis æternæ finem reductio, & à peccato cohibitio ita est pertinens ad salutem æternam, ut hâc ratione sit in censu rerum spiritualium: quippe cùm ex eo, quod est *formale*, non ex eo, quod est *materiale*, fiat denominatio: sic enim cuncta Sacramenta, ritusque Ecclesiastici *Materialiter* quidem sunt quid corporale, & tamen *ex formali suâ ratione* computantur inter res spirituales.

Deinde dictæ Declarationis principium nititur sacræ Scripturæ verbis, quorum clarus 15.
extat sensus de authoritate Politicâ *formaliter* spectatâ, quâ spectante Imperiũ Civile, & quâ secundùm hanc suam sphæram Divinitus constitutâ, & ut sic differente ab authoritate, *Regnum non de hoc mundo, sed quæ Dei sunt*, respiciente. Quæ universa ostendunt, ibi esse sermonem de duplicis *Politicæ* nempe, ac *Ecclesiasticæ* potestatis *formali* discrimine ac ratione.

Quandoquidem igitur conclusio ita debeat 16.
commensurari cum principijs suî illativis, ut termini non aliter sint accipiendi in conclusione, quàm in præmissis, juxta conditionem adeò Medij in hisce propositi: consequens est; in *sensu* quoque *formali* esse duntaxat accipienda verba illationis, sub sequenti tenore factæ: *quòd nempe Reges & Principes* (id est, quoad supremam suam potestatem *formaliter* spectatam, & ut sic Jure Divino constitutam) *in temporalibus* (quâ Divinæ hujus constitutionis sphæram non prætergredientibus) *nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjaciantur*: cum quo tamen optimè cohæret, quod de *indirectâ* ejusdem potestatis, *secundùm materialem quampiam concretionem* spectatæ subjectione, priùs dictum fuit.

Replicabis. Hanc benigniorem Cleri Gal- 17.
licani Declarationis interpretationem vix concordare cum ejusdem proprijs verbis, quibus disertè dicitur, *Reges & Principes neque authoritate Clavium Ecclesiæ* Directè, *vel* Indirectè *deponi, neque illorum subditos eximi à fide, atque obedientia ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse.*

Contra. Disquiramus enim pro rei hujus 18.
explicatione, ex ipso Clero Gallicano, quando Christianissimus Rex jure Belli (per supremam Regiam suam authoritatem ex Juris ac Facti fundamentis, virorum prudentiorum, æquè ac piorum judicio solidis, ac in rei veritate subsistentibus) justi declarati, sibi vendicat jus cujuspiam Principatûs, an non Principem seu Regem talis Principatûs ex legitimo Iuris titulo possessorem, spoliando Dominij, seu Principatûs sui possessione, sibique tale Dominium plenè addicendo; Principem hâc de causâ sibi infensum *indirectè saltem* deponat, & re ipsâ cum effectu subditos ipsius eximat à fide atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis juramento? Si neget Clerus Gallicanus, hoc ex æquitatis ac Iustitiæ jure fieri à suo Rege, ipse viderit, ne insimulandus sit læsæ Regiæ majestatis. Si ergo idem Clerus affirmet, id justè fieri à suo Rege: mox reincidit quæstio: quandoquidem Regum, & Principum suprema authoritas Politica sit *immediatè* à Deo, quomodò Christianissimus Rex possit super isto Divinitus constituto Iure habere aliquid Iuris: imò cùm ex eo, quòd suprema Politica potestas ex ordinatione Dei subsistat, Ecclesiæ, nulla sit super illam jurisdictio, atque adeò in Regibus ac Principibus *etiam indirectè* deponendis, ac subditis ab homagio solvendis authorita-

thoritas, quomodò id facere licebit invictiſſimo Galliarum Regi?

19. Ad quam proinde interrogationem meam, indubiè reſpondebit Gallicanus Clerus, hoc juſtiſſimè fieri à Chriſtianiſſimo ſuo Rege ex ſequenti fundamento. Nempe Regem non extendere ſe ſuper Principum authoritate Politicâ *formaliter* ſpectatâ, quatenus eſt Iuris Divini, ſed ſuper *materiali* ejus *exercitio*, extra hujus Iuris Divini ſphæram exorbitante, dum ſcilicet ex ſupremæ ſuæ poteſtatis judicio, ſecundùm Iuris & Iuſtitiæ rationem fert inprimis, ac deinde contra reluctantes exequitur ſententiam, de tali Principatu ſeu Dominio juſtiſſimè ſibi vendicando. In quo adeò rerum ſtatu, conſequens eſt, ut, quando Rex Dominium Principatûs, unà cum ſubditis ſibi vendicat, hi cenſeantur ſoluti ſacramento fidelitatis, quo alteri Principi erant obſtricti, atque tunc iſte *indirectè* quidem deponitur, non tamen *formali*, ſed *materiali* duntaxat depoſitione.

20. Explicatur hoc aſſertum. Etenim *formalis depoſitio* eſt Iuris legitimi per ſuperiorem authoritatem facta à principatu abdicatio. Quomodò autem Galliarum Rex prætendere poteſt authoritatem ſuperioritatis ſuper altero ſupremo Principe, ſi hujus dignitas ita ſubſiſtat ex Iure Divino, ut nulla ſit in humanis authoritas, cui talis Princeps ſubijciatur, & per quem etiam *indirectè* deponi valeat? En igitur Clerum Gallicanum ex Chriſtianiſſimi ſui Regis exemplo compelli ad fatendum, aliam adhuc ineſſe viam, per quam ſupremus Princeps poſſit deſtitui jure ſui Principatûs. Edifſerat igitur Clerus ille, quænam ſit iſta via, atque hanc inire licebit Eccleſiaſticæ quoque authoritati ſupremæ. An fortè ex eo, quòd talis Princeps ſe opponat juſtis Chriſtianiſſimi Regis armis, contrahitur aliquod delictum, ſuper quo extendat ſe Regis ejuſdem judicium? Quidni ergo id ipſum dicere fas ſit pro Eccleſiæ authoritate erga Reges, poteſtate ſuâ Politica abutentes, ad Eccleſiæ, fideique Orthodoxæ in ſuis ſubditis ſubverſionem, ita ut pro iſto ſaltem caſu, ex causâ talis contra Eccleſiam delicti, fas ſit procedere ad Principis alicujus ſupremi depoſitionem? Sed dum Princeps, adverſùs quem Chriſtianiſſimus Rex bellum movet, pro ſe habet fundamenta Iuris æquè probabilis, unà cum poſſeſſione legitimâ Principatûs, quid ex Principatûs ſibi competentis defenſione, facinoris intervenire poteſt, ſupra quod Galliarum Regis ſuprema majeſtas jus habeat, alterum ſupremum Principem acriùs infeſtandi, & ſuo Principatu exſpoliandi? Quamcumque ergo Clerus Gallicanus hâc ſuper re amplectetur viam, hæc æquè patebit pro Eccleſiâ adverſùs Principes, Fidei
21. Orthodoxæ, ac Eccleſiæ infenſos hoſtes. Fas igitur ſtò mihi, ominari, quid Clerus Gallicanus tandem reſpondeat: nempe in dicto caſu Chriſtianiſſimum Regem legitimè uti jure defenſionis naturalis adverſùs illum, qui ex fundamentis tam *Iuris*, quam *Facti*, publico judicio inventus eſt Coronæ ſuæ Regiæ Iurium uſurpator, & ex probabili equidem Iuris principio, Coronæ tamen ſuæ Regiæ prætenſionibus præjudicare haud potente, bonæ fidei poſſeſſor. Quia proinde iſta jurium ad Coronam Regiam ſpectantium, defenſio ſubſiſtere haud poteſt ſinè eorundem armatâ vindicatione, atque adeò alterius Principis ſupremi (jura ejuſmodi ex probabili, Coronæ tamen Regiæ haud præjudicante, Iuris principio poſſidentis) ejectione, ideo talis Princeps tunc non equidem *formaliter*, ſed *materialiter indirectè*, juſto titulo non tam deponitur, quàm *vi vim repellente* dejicitur de ſuo Prin-
22. cipatu. Quid ergo? An non ſimile quid dicere licet de Eccleſiâ, dum nempe Rex non tantùm ex delicto hæreſeos, eſt obnoxius reatui per ſanctæ Eccleſiæ judicium vindicando, ex quo fortaſſis præciſo reſpectu, Clerus Gallicanus putabit, vindictam in modum pœnæ indicendam, debere eſſe in materiâ Eccleſiæ ſubjectâ, in materiâ nempe ſpirituali, non in
23. privatione Regni temporarij: ſed dum inſuper ſupremus quiſpiam Princeps in hæreſin prolapſus, progreditur ad infeſtandam Eccleſiam, & ſubditos ſuos à fide Orthodoxâ *violenter*, ſeu *aliàs injuſtè* abalienandos, an non fas erit Eccleſiaſticæ ſupremæ authoritati, tunc uti gladio ſpirituali, non ad præciſam vindictam, ſed ad naturalem Eccleſiæ ſanctæ, ejuſque jurium defenſionem, cui tunc non ſolùm commenſuratus & conducibilis, ſed etiam neceſſarius erit talis procedendi modus, ut Princeps hujuſmodi non tam *Formaliter* etiam *Indirectè* deponatur, quàm *ſolùm materialiter*, utpote non in vi præciſæ Iuſtitiæ vindicativæ, ſed in vi naturalis defenſionis, dejiciatur à ſuo Principatu, ſubditique adeò ſolvantur ſuæ fidelitatis erga ipſum ſacramento? Hoc proinde eſt, quod ominor, reſponſurum Clerum Gallicanum, attentis ipſorumnet fundamentis Iuri Divino ſeu ſcripto, ſeu tradito conſonis, & antecedenter diſcuſſis.

Ex quibus univerſis elucet, totam præ-
24. ſentis Articuli ſummam reduci ad duas aſſertiones, quarum *prima* eſt, quòd Regia poteſtas *in ſe formaliter & ſignatè* ſpectata, ſit Iuris *Divini*, ut ſic minimè ſubjecta Pontificiæ authoritati. *Altera* aſſertio eſt, quòd Regiæ poteſtatis ad certum Chriſtianitatis charactere inſignitum ſubjectum applicabilitas, unà cum publicis ejuſdem functionibus, ſuperinduat quandam moralitatem, quæ ſupernaturalis elevationis lineam reſpiciat, ſubordinatam adeò, ac ſubjectam clavibus Regni cælorum, Petro, ejuſque ſucceſſoribus per Chriſtum commiſſis.

Singulas haſce aſſertiones duobus ſigillatim capitibus expendemus, quibus alia quatuor capita ſubjungentur, ad confutandam præallegati Authoris Du Pin Diſſertationem *ſeptimam*.

Caput I.

In quo aſſeritur Regia poteſtas eſſe Juris *Divini*, fitque retorſio argumentorum ex ſacris Litteris à parte adverſa productorum.

§. I.

1. CIrca *primam* igitur *superiùs* positam assertionem, haud discordo à Clero Gallicano: in vi enim luminis naturalis, quod in statu puræ etiam naturæ, esset insitum humano intellectui, cognoscitur necessitas regiminis Politici, ad homines in unam societatem civilem coadunatos, benè ordinandos, non ad privatam duntaxat virtutum *Moralium* honestatem, sed ad communis quoque Boni, vitæ politicæ Finis, prosecutionem. Et hinc in statu etiam puræ naturæ subsisteret illud Apostolicum dictum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* In vi cujus proinde ordinationis Divinæ, Christus jussit *reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* At quia ipsissima hæc ex Dei ordinatione consistens potestas *Politica*, mensuranda est ex sphæra luminis naturalis, publicum *Politici* statûs regimen inter homines exigentis, quò in unam *civilem* communitatem coordinati, ad hujus Bonum Commune legibus & statutis, nec non pœnarum comminationibus, ac præmiorum pollicitationibus dirigi valerent; quæstio hinc oritur; *An sicuti lumen naturale in homine jam subsistit sub elevationis supernaturalis sublimiori perfectione, regiminis Politici ratio perinde substernatur supernaturali Fidei infusæ lumini, atque virtutibus eidem proportionatis, ac virtutes* Morales naturales *lumini naturali commensuratæ subordinantur altiori Fidei Divinæ, virtutúmque supernaturalium directioni?* Ipsemet Clerus Gallicanus in suæ Declarationis *primo* articulo Christi Domini doctrinæ conformiter profitetur, quòd *Christi regnum* subsistat in hoc mundo, & tamen *non sit de hoc mundo:* atque hoc ipsum regnum haud obscurè concedit Christi Vicarijs, Beato Petro, ejusque successoribus. Et ideo, quæ in vi hujus, Vicarium Christi characterem præferentis potestatis ordinantur, ita Dei sunt ordinationes, ut juxta ipsius etiam Cleri Gallicani sensum, obedientia eisdem debita, Deo reddatur. Meritò igitur statuere, oportet, inter homines non in puræ naturæ, sed elevationis supernaturalis statu positos, duplicem potestatem à Deo constitutam, Regiam scilicet seu *Politicam*, & *Ecclesiasticam* Christi vicariam. Quæ utraque potestas, cùm sit Iuris *Divini*, in se ipsâ nequit ullius hominis ordinationi esse subjecta.

2. Tametsi verò cujuscumque *Politicæ* æquè, ac *Ecclesiasticæ* ordinationis principium, sit Ius *Divinum*, seu potestas à Deo *immediatè* constituta, utraque tamen ordinatio hujusmodi, ex hominis alterutrâ illarum potestatum prærogativâ præeminentis, judicio & arbitrio promanans, *in se formaliter ac immediatè* spectata, est actus humanus. De cujusmodi adeò actu, *Politici* licèt regiminis sphærâ circumscripto, quæstio est; *An perinde ac ejusdem subjectum Christianitatis charactere insignitum, subordinetur potestati Ecclesiasticæ Summi in terris Christi Vicarij Romani Pontificis?*

§. II.

3. PRimò igitur Regi Christiano indecorum esset, negare, Regiam potestatem ex Christianitatis charactere, nihil de altiori perfectionis *supernaturalis* gradu participare, perinde ac si in eo collocaretur loco, quo esset in statu puræ naturæ, ac etiamnum reperitur in Regibus Ethnicis. Totius autem lineæ *supernaturalis* fundamentum est lumen fidei, cui superstruitur *supernaturale* prudentiæ sublimioris lumen, Quis ergo neget, sicuti lumen naturale indita habet virtutum semina, quibus non *privatæ* duntaxat honestatis, sed *Politici* etiam publicum Bonum respicientis Boni fit moderatio, sic *supernaturale* in fide Divinâ radicatum lumen *objectivum* est ordinis *supernaturalis*, non in singulari duntaxat, cujusque honestatem *moralem* in Regnum Cælorum ordinabilem spectantis: sed, quia ex ipso Fidei lumine profitemur unam visibilem Ecclesiam, sub Christi Vicario coadunatam in aliquod publicum, & mysticum, & sub altiori ratione quasi *Politicum* Regnum, ipso Ecclesiæ nomine à Patribus Orthodoxis insignitum, oportet, in vi hujus *supernaturalis* luminis agnoscere cunctarum potestatum etiam *naturalium*, seu *physicarum*, seu *politicarum*, quà *moralis* Regnum Cælorum ordinabilitatis capacium, coordinationem ad Regnum Cælorum, non privatim solummodò à fidelibus particulariter participandum in cælis, sed quà in terris ex hierarchico sanctæ Ecclesiæ regimine consistens, cunctos complectitur fideles, ceu domesticos Dei, & cives Sanctorum. De quâ proinde *morali* etiam publicâ, & quasi *politicâ* in Regnum Cælorum ordinabilitate communicat etiam Regia potestas, non equidem secundùm suam præcisè naturam spectata, sed quà sublimata ex charactere Christiani elevatione, in vi cujus Rex est constitutus vicariæ Christi authoritatis instrumentum, ad publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, in suo præcipuè Regno, æternæque salutis in suis charactere Christiano æquè insignitis subditis commodum, pro viribus promovendum. Quidni ergo Regia potestas ex charactere Christianitatis, participans de *activa* in Regnum cælorum in terris Ecclesiæ nomine insignitum subditorum coordinativâ authoritate, in suâ etiam personâ, quà publicâ & Regiâ, communicet de *passivâ* in Regnum cælorum ordinabilitate per eum dirigendâ, cui Regni cælorum claves sunt à Christo commissæ?

ex pag. 7. n. 37. & pag. 8. col. n.

pag. 8. n. 38.

Hinc *pro secundo* dicere fas est, Regnum quoque *Politicum* charactere Christianitatis condecoratum, participare de Regno Christi, quod asseritur *non esse de hoc mundo.* Hoc namque Christi in terris Regnum, obtinet normam publici etiam regiminis, fidelium sub uno Pastore Oecumenico in unitatem Fidei coadunatorum, sicque unam Rempublicam Christianam constituentium, in salutem æternam ordinantis. Num verò hujus ad Regnum cælorum atque salutem æternam ordinis tum privati, tum publici capacia negaveris Regiæ potestatis in Christiano Principe residentis exercitia, & actus *Morales* etiam publicos? 4.

pag. 10. n. 47.

Quare *pro tertio* nefas est, duas supremas in terris gubernandi *Ecclesiasticam* & *Politicam* potestates ita statuere, ac si essent prorsùs disparatæ, nullam habentes inter se subordinatio- 5.

hationem, eò quòd utraque sit *immediatè* à Deo. Numquid enim lumen naturale cum suis homini *naturaliter* inditis *Moralibus* principijs, est *immediatè* à Deo? Num verò propterià si lumen naturale non tam in suis principijs, quàm in horum contra Fidei supernaturalis dictamen applicatione deprehendatur aberrare, Fidei lumini, ejusque directioni, imò & correctioni subjacere debet? Sic profectò, dum ubi homo est elevatus ad statum supernaturalem, nulla jam dari potest iniquitas, seu falsitas cum fidei supernaturali lumine, ejusque *Moralibus* principijs pugnans, quin ipsi etiam naturæ lumini, & cum hoc commensuratæ naturali æquitati repugnet, nefàsne erit potestati Ecclesiasticæ, super iniquitate hujusmodi se reflectendo, quòd eam corrigat, & ad supernaturalis luminis *Moralia* principia, atque horum dictamina, suâ Divinitus sibi concessâ authoritate reducat? Sic enim multimodè olim fuisse practicatum, constat varijs argumentis *alibi* deductis. Quantumvis ergo utraque illa potestas habeat respectu Dei parem immediationem, quoad sui nihilominùs usum, vel etiam ad certum seu objectum, seu subjectum applicationem, evincitur potestas *Politica* in certis casibus *indirectè* subordinata & subjecta potestati Ecclesiasticæ.

pag. 6. n. 27. & pag. 8. n. 40. & seq.

6. Quæ proinde subordinatio pro *quarto* continetur ipsismet etiam verbis Apostolicis, ex parte adversâ ad suum intentum suprà allegatis, quibus cavetur *13. ad Roman. capite*, ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quantumvis enim Angelici spiritus sint æquè *immediatè* à Deo, cum tamen inter se tenent ordinem, ut unus sit altero sublimior; unde fit consequens, quòd inferior in sui intellectûs usu subordinetur superioris illustrationi ac moderationi: sic proinde utriusque illius potestatis respectu Dei par immediatio non impedit, quò minùs potestas *Politica* quoad sui usum sit subordinata potestati Ecclesiasticæ. Quam subordinationem haud obscurè insinuavit Christus Dominus *Matthæi 22.* præcipiens, ita reddenda esse Cæsari, quæ Cæsaris sunt, servando ejus imperia & mandata *Politica*, ut in his major haberetur ratio eorum, *quæ Dei sunt*, potestatis scilicet Ecclesiasticæ, ad ea, quæ Dei sunt, fidei lumini, ejusque *Moralibus* principijs conformiter curanda, unicè intentæ, jussiones præferendo.

pag. 8. n. 39.

7. Verùm pro *quinto*, posito etiam, sed minimè concesso illo principio, quo *Politica* potestas negatur subordinari potestati Ecclesiasticæ, asseriturque, ad istam prorsus *disparatè* se habere: ne tunc quidem obtineretur adversæ partis intentio, ac si potestas Ecclesiastica non possit super potestatem *Politicam*, cum manifesto sanctæ Ecclesiæ, fideliumque detrimento vel malè collocatam, vel perversè impensam protendi.

8. Numquid enim, si Rex quispiam æquè supremus, Gallicæ Coronæ Jura Regia invadat, Rex Christianissimus justo adversùs ipsum indicto bello, victor evadens, non suæ Majestatis duntaxat Jura vindicat, sed Regni sui aggressorem suis quoque Regijs erga urbes æquo prælio occupatas, juribus spoliandum decernit? Quidni ergo pro eo casu, quo Rex terrenus invadit jura Majestatis Pontificiæ, Ecclesiæque sanctæ Bonum Publicum perturbat, & legitimè admonitus, contumaci nequitiâ pessumdare contendit, jus erit Summo Pontifici, authoritatem suam eoúsque protendere adversùs talem Ecclesiæ sanctæ hostem publicum, quoúsque Christianissimus Galliæ Rex prætendit, supremæ Majestatis suæ potestatem prævalere, ad suæ Coronæ Regiæ jurium aggressorem, æquè licèt supremum Principem, suis juribus exuendum?

pag. 9. n. 43.

Pro *sexto* quispiam fortassis hoc argumentum retorquere nitetur, sciscitando, si jus naturæ cuique supremo Regi talem concedat *judicialiter* & *militaliter* procedendi authoritatem contra quemcunque, supremũ licèt Principem Coronæ suæ Regiæ invasorem iniquum; an igitur Rex illâ suâ supremâ authoritate æquè uti posset adversùs Summum Pontificem, Jurium suorum Regiorum fortè perturbatorem? Verùm præterquàm successio in Papatu sit Juris *Divini*, adversùs quod nulla humana potestas quidquam facere potest; successio autem in Corona Regia sit dependens ex constitutionibus humanis, quoad *moralitatem*, quà in Regnum cælorum, adeóque Ecclesiæ sanctæ Publicum Bonum ordinabilem, Pontificiæ authoritati *universim* ac *indefinitè* subjectis: altera adhuc ex ipsissimo hoc principio responsio in promptu est; quòd, sicut lumen naturale cum totâ *Moralitatis* sibi proportionatæ sphærâ est elevatum ad statum supernaturalem, sic Regia suprema Majestas quoad omnimodam lumini naturali commensuratæ sphæram, sit in vi supernaturalis totam *Moralitatis* naturalis *lineam* complectentis elevationis, jam subordinata supremæ Ecclesiasticæ potestati. Quemadmodùm igitur cum hac ad statum supernaturalem universæ *moralitatis* naturalis elevatione haud subsistit, quòd lumen naturale possit sibi arrogare officium quasi Iudicis super fidei lumine supernaturali, sed potiùs oportet econtra, ut lumen naturale se captivet in Fidei obsequium: sic neque *Politica* Regia Majestas, naturalis luminis sphærâ circumscripta, superextendere se unquam potest super Ecclesiasticam potestatem, præcipuè supremam, altiori Fidei lumini superstructam: nec adeò Rex, seu Imperator sibi arrogare unquam potest vel judicium, vel bellum adversùs Summum Pontificem, ex vicariâ Christi authoritate, supremâque adeò Ecclesiasticâ potestate procedentem, ad Regis, Pontificiæ Majestatis hostis, depositionem.

ex pag. 6. n. 32.

Hinc principia illa ex lumine tum *naturali*, tum Fidei *supernaturali* petita inter se combinando, pro *septimo* sequens efformari potest argumentum Theologicum. Nempe luminis naturalis certum & indubitatum est *Morale* principium, quòd supremæ Majestati jus sit, se ipsam, & jura sua propria eoúsque vindicare, ut sub prævio injustæ aggressionis judicio etiam publico, possit injustum suæ Majestatis aggressorem, Regem æquè licèt supremum, armis suis subigere, eumque sic devictum, ex parte saltem, vel si causæ æquitas, seu

pag. 10. n. 46.

seu necessitas exigat, ex toto deturbare Regno suo, exuereque Regiâ suâ suprema authoritate. At Fidei lumine certum est hoc alterum principium, quòd vicaria in Ecclesia Christi potestas, saltem unâ cum Concilio Oecumenico (de quo *infrà* ex instituto agetur, hoc puncto interea reservato in suspenso) sit suprema quædam authoritas à Christo Domino instituta, obtinens summæ intrà Ecclesiam Majestatis jura, nulli alteri in terris subjecta & subordinata, sed soli Christi judiciariæ potestati subdita. Hisce igitur duobus prorsus certis, altero *naturalis luminis*, altero *Fidei* principijs præsuppositis, quæ inde per legitimam consequentiam Theologicam inferenda erit conclusio, nisi quòd Oecumenica suprema Ecclesiæ potestas, æquè ac Regia supremi Principis authoritas possit quemcunque etiam Regem, sanctæ Ecclesiæ, ejusque supremæ Majestatis aggressorem, tum judiciariâ potestate, tum spiritualis armaturæ potentiâ suâ persequi usque ad ipsius exauthorationem.

II. Concludendo igitur ex ipsomet Christi Domini pronunciato, & per Clerum Gallicanum ad intentum suum producto principio, quod *Ioannis 18.* exaratum habetur, pro *octavo* ita licet argumentari. Num Catholico Theologo digna vox esset, asseverare, quòd ulla ex humano arbitrio sit dependens *Moralitas*, cui non superstruatur ordo ad salutem æternam, in tantum, ut quævis deordinatio à luminis naturalis *morali honestate*, ex statu supernaturalis elevationis, inseperabiliter importet deficientiam à *supernaturali* quoque *moralitate*, ejusque *specificativo Fine æternæ salutis?* Num Ecclesiæ porrò regimen dicere fas est, consistere in præcisa privatorum, & cujuivis Christiani propriorum actuum ad salutem æternam ordinatione, non verò obtinere normam publici quoque regiminis fidelium, sub uno Capite & Pastore Oecumenico in unitate Fidei coadunatorum, sicque unam Rempublicam Christianam constituentium, moderantis, atque universale sacræ Religionis Bonum sub publico etiam Dei cultu, *authoritativè* ordinantis ad æternæ salutis Finem Ultimum? Num verò ab hoc publico sanctæ Ecclesiæ regimine sub fidei unitate omnimodam honestatem supernaturalem, cum æternæ salutis Fine Ultimo, ac publico Religionis cultu Mysterioso proportionabilem convenienter ordinante ac dirigente, excludere fas est, qualecunque Principis sæcularis, maximè Christiani Regnum Politicum? Num autem hujus ad æternam salutem ordinis tum privati, tum publici, capacia negaveris Regiæ potestatis in Christiano Principe residentis exercitia, & actus *Morales* etiam publicos? Quandoquidem ergo Regni Christi, nempe Ecclesiæ, sphæra sit quorumcunque Christianorum, *Moraliumque* in his actuum, in salutem æternam, publicumque Dei cultum, communeque Ecclesiæ sanctæ Bonum ordinabilitas, subjhâc autem sphærâ contineantur etiam Regna, Regiæ potestates, nec non quicũque Christianorũ, ipsorum adeò Regum, actus *Morales*, in salutem æternam, publicæque Religonis Bonum ordinabiles, consequens est, secundùm hanc ordinabilitatem, Regno Christi, nempe sanctæ Ecclesiæ, ejusque Oecumenicæ potestati subesse quoque Regna, Regumque actus *morales*, circa temporalium etiam rerum dispositionem versantes, secundùm dictam ordinabilitatem spectatos, atque ad hanc, ceu *specificativum* Ecclesiasticæ potestatis objectum *Formale*, se habentes tanquam objectum *Materiale*.

Exinde denique pro *nono* hunc in modum reassumere licet partis adversæ primum *ex Roman. 13. capite* desumptum principium, quo jubetur, ut *omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita*, quippe *cùm non sit potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Deo resistit.* Ex prætactis nempe principijs evincitur, potestatem Pontificiam super omnes Christianos protensam, ita esse à Deo, ut eidem, totam *Moralitatis* lineam complectenti, subordinata sit Christiani Regis *Politica* quoque potestas quoad actuum suorum etiam publicorum, Regiæque dignitatis ad hoc subjectum applicabilitatis *moralitatem* spectata. Si ergo Rex potestati Pontificiæ resistat, an non Dei ordinationi eatenus resistit, ut Deo resistere ex illo Apostolico pronunciato convincatur? Quòd si proinde Rex, quantumvis in linea *Politici* regiminis supremus, attamen in linea Regni Christi subordinatus supremo Ecclesiæ sanctæ Pastori Oecumenico, moliatur aliquid adversùs Publicum Ecclesiæ Bonum, ac regimen, suæ Regiæ potestatis actibus non tantùm desciscendo à sphæra supernaturalitatis in sanctæ Religionis etiam publicæ, atque salutis æternæ finem ordinabilis, sed istud Ecclesiæ sanctæ publicum Bonum evertere conando, atque per schisma, seu perversa, adversùs Oecumenicum sanctæ Ecclesiæ Pastorem, ejusque regimen conamina, turbando pacem & tranquillitatem, unitatemque Fidei, ac Religionis etiam publicæ, an non ex tunc speciali etiam publici Ecclesiæ sanctæ Boni protervè violati titulo, incipit esse subjectus Ecclesiasticæ potestatis judicio, ejusque authoritati judiciariæ?

III. Ex quibus universis jam patet, quos Cletus Gallicanus pro suo intento producebat sacros textus, juxta certa Fidei principia ritè expositos, prævalidè retorqueri ad Pontificiæ potestatis supra Reges extensionem, deinceps *directè & positivè* comprobandam ex sacræ Scripturæ Divinis Oraculis.

CAPUT II.

In quo *secundæ* assertionis fit demonstratio.

I. HUjus assertionis summa est, quòd Regiæ potestatis ad certum Christianitatis characterem insignitum subjectum applicabilitas, unà cum publicis ejusdem functionibus, superinduat quandam *Moralitatem*, quæ supernaturalis elevationis lineam respiciat, subordinatam adeò, ac subjectam clavibus Regni cælorum, Petro, ejusque successori per Christum commissis.

§. I.

§. I.

1. CUjus proinde assertionis probatio *prima* desumitur ex præinsinuato *Matthæi 16. cap. 17. 18. & 19.* Ubi Christus isthæc ad Petrum verba proferebat: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &* ex pag. 20. n. 101. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Nam 1. ex his Christi Domini verbis evincitur, quòd isthæc clavium potestas non fuerit alligata ad Petri personam, sed connexa sit cum perpetuo sanctæ Ecclesiæ, à portis inferi nunquam superandæ statu. Ex vi cujus proinde connexionis, potestas illa determinabatur propaganda per successionem. Quisquis ergo legitimè designatur Petri successor, ex ipsa Christi institutione, *immediatè*, adeóque ex *Iure Divino* accipit *indefinitam* potestatem ligandi & solvendi, *quodcumque est super terram.*

2. Sed quid sub ista voce *Quodcumque* comprehenditur? Non utique id, quod est *physicum* quidpiam, consistens super terram, sed quod *Morale* est in hominibus. Hoc namque apertè demonstrat sacer contextus, vi cujus illa ad quodcumque solvendum, seu ligandum super terram protensa potestas combinatur cum clavibus Regni cælorum. Quidquid ergo humani operis ac rei habet respectum ad Regnum cælorum, continetur sub illo *Tò Quodcumque.* Hæc verò humanorum actuum ac functionum in Regnum cælorum ordinabilitas, est ipsissima *moralitatis* ratio, in homine, Christianitatis charactere præcipuè insignito, obtinens ordinem ad Ecclesiam tum Militantem, tum Triumphantem: ex ordine namque ad hoc utrumque Regnum cælorum, sunt definitæ claves, Petro, ejusque successori commissæ, cum potestate solvendi & ligandi *quodcumq; super terram.* Quâdoquidem igitur Christus nihil de eo genere, quod *super terram Morale est*, aliquo ad Regnum cælorum respectu vestitum, ab illa potestate exceperit, num dicere fas est, *de tali Regnum cælorum respicientium rerum genere, non esse Reges*, seu potestatem Regiam, non tam *in se Formaliter* spectatam, quoad præcisam naturam suam, quomodò se habuisset in statu etiam puræ naturæ, sed quà applicatam subjecto insignito Christianitatis charactere, unà cum Regis hujusmodi universis *Moralibus* actibus, ipsoque adeò Regiæ potestatis exercitio?

4. Quis namque pro *secundo* ausit Christia- ex pag. 21. n. 102. no Regi eam inurere ignominiam, ac si ex charactere Christianitatis, quo in sacro Baptismate est insignitus, non æquè ac cæteri homines Christiani, haberet signum Divinitus impressum, coordinativum animæ ad regnum cælorum, subjectæ adeò clavibus Apostolicis, Petro, ejusque successori commissis? Harum verò clavium sphæra à Christo Domino describitur ex *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate, supra omne *Morale* protensâ, quod ita est super terram, ut tamen respectum habeat ad regnum cælorum. Numquid autem, si actus quicumque *Moralis* in Rege, publici quoque regiminis, deficiat ab honestate *morali* etiam *naturali*, eo ipso, quòd homo sit elevatus ad statum supernaturalem, & dum Christianus est, talis suæ elevationis signum præferat ex charactere per sacrosanctum Baptisma sibi indito, prorsus hinc redditur consequens, talis actûs à naturali honestate deficientis *moralitatem*, contrahere reatum peccati, cum fine quoque supernaturali cælestis beatitudinis pugnantem? Quomodò igitur fas foret, actus *morales* Regiæ potestatis, ut sic regimen *Politicum* respicientes, excipere à *moralitate*, ex Christi institutione, sanctæ Ecclesiæ clavibus subjectâ.

Sed numquid pro *tertio* excipere licebit, 5. peccati reatum ex Regiæ potestatis perverso Ibi n. usu resultantem, respicere duntaxat *conscientiæ* 103. forum, subjacereque Sacramentali solummodò absolutioni? At Christus illis verbis suis commisit Petro, ejusque successori Oecumenicam solvendi & ligandi potestatem, quæ complectitur Fori quoque *Externi* judicium, protenditurque ad quodcumque hominis Christiani *Morale*, sub præinsinuato ad regnum cælorum ordine consistens, vinculum. Nefas igitur foret, negare, potestatis Regiæ homini ad statum supernaturalem elevato, & charactere Christianitatis insignito inexistentis, qualiacunque exercitia subesse Oecumenicæ, Summi Pontificis Petro succedentis authoritati, Forum quoque *Externum* respicienti: sive hujusmodi Regiæ potestatis actus proprij se haberent per modum legis, sive per modum sententiæ judiciariæ, respiciantque non privatum duntaxat subditorum, sed etiam publicum Politici Regiminis Bonum, cùm sic etiam obtineant talem super terra *moralitatem*, quæ ipsum regnum cælorum respicere debeat.

An verò pro *quarto* claves regni cælorum 6. cum *indefinitâ* suâ ad *omne Morale*, *quod est super terram*, protensâ ligandi & solvendi au- Ibid. n. thoritate, Petro, ejusque successori per Chri- 104. stum commissas fas est, ita coarctare, quasi instar œconomicæ potestatis privatum, duntaxat salutis æternæ commodum in sibi subjectis ovibus, solùm *figillatim* ac *divisim* spectatis, attendere debeant? Verùm eo ipso, quòd claves illæ, secundùm Christi Domini sacrorum verborum contextum, habeant respectum ad Ecclesiam, quæ est regnum quoddam ex cunctis Christi fidelibus coadunatum, oportet, illam *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem, protendi etiam super publico Ecclesiæ, fideliumque in unum Christi corpus Mysticum coadunatorum Bono, quà in Regnum cælorum, tum æternæ fidelium salutis, tum Divini honoris etiam publici finem, respiciens ordinabili. Hæc autem publici intrà Ecclesiam regiminis ratio consistere haud potest, absque Oecumenicâ authoritate condendi leges publico Ecclesiæ Bono convenientes, & absque judiciariæ potestatis in Foro etiam *Externo* exercendæ usu, ubi Ecclesiæ sanctæ necessitas tale quid exigit. Cui proinde publico Ecclesiæ regimini subesse debet, quidquid in Regibus charactere Christianitatis insignitis, est *moralitatis*, in regnum cælorum ordina-

bilis. Quia igitur ipsius etiam Regiæ potestatis ad certum subjectum applicabilitas, atque authoritatis ejusmodi in tali subjecto consistentia cum omnimodis, publicis etiam judiciarijs actibus, utique *Morale* quid est, in regnum cælorum ordinabile, quomodò à clavibus, publicum sanctæ Ecclesiæ regimen importantibus, & *ad quodcumque super terram Morale*, quà in regnum cælorum scilicet ordinabile, protensis, excludere liceret Regiam potestatem, non tam *in se formaliter*, secundùm quod est *Iuris Divini*, quàm *subjectivè* spectatam, quoad sui ad certum subjectum applicabilitatem, ex *morali* hominum dispositione pendentem, nec non quoad publicos seu Judiciariæ, seu Legislativæ potestatis actus, quà *moralitatis* etiam supernaturalis, in cælorum tam Militans, quàm Triumphans regnum ordinabilis participes?

7. ex pag. 44. n. 92. Ex hac proinde *super quodcumque in terris Morale* protensâ authoritate Pontificiâ, pro *quinto* profluxit, quòd Gregorius II. ob publicas Ecclesiæ necessitates, Caroli Martelli Francorum Regis subsidium implorans, eidem detulerit Romanum Consulatum: quòd idem Papa Leoni Isaurico in Catholicos sævienti tributum à Romanis pendi solitum abrogârit: pag. 26. n. 11. quòd Zacharias Papa Regnum Franciæ Childerico inter otia & voluptates marcenti ademptum, transtulerit in Pipinum, ut scilicet subsidiũ ferret Ecclesiæ, adversùs iteratas Longobardorum molestationes, Copronymo Imperatore nullũ aliud bellum, quàm cum sanctis Imaginibus gerente: quòd Stephanus Papa III. ex cit. pag. 44. n. 92. Ius Regiæ Coronæ ad Pipini quoque successores prorogârit, faciens, ut Franciæ Proceres juramento se obstrinxerint, nunquã ex aliâ, quàm Pipini stirpe, Reges à se admissum iri: quòd denique Leo III. Occidentis Imperium à Græcis ademptum, Ecclesiæ sanctæ publicis necessitatibus ita exigentibus, transtulerit in Carolum Pipini filium, ejusque stirpem masculinam. Ibi n. 94.

8. Horum universorum pro *quinto* ratio accersiri potest ab Extravagante unicâ. *Si fratrum. Ne sede vacante.* quòd nempe *Romano Pontifici in personâ Petri, terreni simul & cælestis Imperij jura Deus ipse commiserit.* Sed quomodò, inquies, terreni Imperij jura dici possunt à Deo fuisse Papæ commissa? Non aliâ utique ex ratione, quàm prout terrenum Imperium inter Christianos superveститor ordinabilitate in regnum cælorum tam Militans, quàm Triumphans, atque sub hac formalitate *Moralitatis* etiam supernaturalis, subordinatur authoritati Divinitus constitutæ ad *quodcunque super terram Morale solvendum, seu ligandum*, in regnum scilicet cælorum, atque adeò ad publicum quoque Ecclesiæ sanctæ regimen, ordinabile. Ab hoc nãmque ordine Divinitus constituto excludere terrenum inter Christianos regnum, perinde foret, atque hoc redigere ad statum seu puræ naturæ, seu Ethnicismi, qui, uti destitutus erat lumine supernaturali, sic eidem haud lucebat ille in Ecclesia Christi Divinitus constitus ordo ad regnum cælorum, cui *omne super terram Morale*, adeóque ipsum etiam regnum terrenum, quà *Moralitate* ejusmodi inter Christianos superveститum, subordinari debet.

§. II.

In quo prætactæ assertionis secundæ *fit confirmatio* ex Deut. 17. capite v. 8.

EX hoc namque sacro textu constat, si difficile & ambiguum inter lepram & lepram, inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem perspiceretur judicium, oportuisse, ut judiciaria potestas sæcularis ad summi sacerdotij judicium deferreretur, requirendo inde judicij veritatem. Quæ potestatis sæcularis ad sacerdotij Veteris authoritatem subordinatio, tanta erat, ut omninò fuerit faciendum, quodcunque ex illius judicio fuerat sancitum, Deo statuente mortis pœnam adversùs illum, qui nollet obedire sacerdotis imperio, Judicisque decreto. Quæ proinde sæcularis judiciariæ potestatis ad sacerdotium subordinatio complectebatur causas tam Civiles, quàm Criminales, ubi de judicij ex Divina lege definiendi veritate, in *Politico* Tribunali ambigebatur. Quidni ergo Novi quoque Fœderis summus Pontificatus, cui commissæ sunt claves regni cælorum, *ad quodcumque super terram Morale*, quà in regnum cælorum ordinabile, per Christi Domini verba protensæ, dicendus sit habere sibi subordinatum quodcunque inter Christianos *Politicum* regimen, & judicium, quà *moralitate* hujusmodi superveститum, nisi regnum ejusmodi *politicum* excludere malis ab ordine regnum cælorum respiciente? 9. ex pag. 14. n. 64.

Si pro *secundo* quispiam contendat, id discriminis esse inter Novum & Antiquum Testamentum, quòd in hoc leges *Iudiciales* fuerint *Divinæ*, quarum adeò interpretatio meritò petenda erat à sacerdotali authoritate: at in Novo Testamento leges Fori *Civilis* sint Juris *humani*, ab ipsis Regibus & Imperatoribus latæ, ut secundùm eorum normam perageretur judicium. Quî ergo dicere fas sit, super eas extendi supremam Christiani sacerdotij authoritatem? 10.

Verùm hac Novi & Antiqui Fœderis discrepantiâ sponte admissâ, considerandum adhuc superest ex prædducto sacro textu, quòd sacerdotale judicium in Veteri Testamento, *directè* ferebatur super legis judiciariæ Divinitus constitutæ interpretatione, ut tamen *indirectè per modum objecti materialis* attingeret ipsas quoque *Civiles* causas, prævia de legitimo legis sensu, sacerdotalis sententiæ conformiter dijudicandas: eodem sacro textu dilucidè sanciente: Si *difficile & ambiguum* apud *sæcularis* Fori judices *perspectum fuerit judicium inter sanguinem & sanguinem, causam & causam* verè *Civilem*, (utpote *super quâ* intrà laicæ potestatis *portas*, seu tribunalia *existebat judicum* variatio) eatenus debuisse *judicij veritatem indagari ex judicio sacerdotis*, ut in ejusmodi *specificâ* causâ oportuerit, judices laicos, sequi sententiam sacerdotum. 11. Ibid. n. 66.

Etsi verò leges, secundùm quas intrà statum Novi Fœderis sit judicij *Civilis* ac *Criminalis* in foro *sæculari* moderatio, non jam sint *specificè* Divinæ, sed ab ipsismet Regibus seu Imperatoribus, pro suo Regno seu Imperio latæ fuerint; 12. Ibid. n. 67.

tint: attamen cujuscumque legis ratio exigi ad essentialem sui valorem, ne sit difformis sed *positivè* conformis juri Divino, *vel naturali, vel positivo*. Hæc autem cum jure *Divino* etiam *naturali* conformitas, ex statu supernaturalis hominum elevationis, subsistere nequit, si qualemcunque habeat cum lege Divinâ sacris Litteris nobis patefactâ dissonantiam. Sub quâ proinde cujuscumque cum honestate sacris Litteris sanctâ, difformitatis *formalitate*, ad Ecclesiasticæ potestatis sphæram spectante, lex à Rege, vel Imperatore lata, *per modum objecti materialis indirectè* saltem subjicitur sanctæ Ecclesiæ judicio, & authoritati; siquidem hujus sphæra, secundùm dilucida Christi verba, complectatur *Quodcumque in terris Morale*, quâ in regnum cælorum ordinabile, sive quâ supervestitum *moralitate* seu conformitatis, seu difformitatis cum regno cælorum.

13. Huc pro *tertio* reduci potest praxis, intrâ Ecclesiam quoad leges Imperatorias reformandas, multimodè frequentata. Leges namque Imperatoriæ olim firmabant validam, etiam malâ fide peractam præscriptionem. Quod, ubi Summi Pontifices agnoscebant, non cum *naturali* duntaxat *honestate*, sed *cum supernaturalis quoque Moralitatis rectitudine* pugnare, ex authoritate Christi vicariâ improbabant tanquam iniquum. Et quia nulla est excogitabilis iniquitas juri *naturali* repugnans, quin *supernaturalis* quoque *honestatis rectitudini* adverteretur, ideo malæ fidei præscriptio, non poterat damnari, quâ æquitati *supernaturalis moralitatis* contraria, quin abolenda decerneretur sub *moralitate*, quâ præciso etiam lumini *naturali adversante*. An non igitur sub hoc *supernaturalis moralitatis* respectu in lege *Civili Præscriptionis* reformandâ, judicij veritas ita procedere debebat ex Summi Sacerdotij authoritate, ut hæc *Quodcumque in terris Morale*, quâ *ad regnum cælorum ordinabile* ambiens, solvere valueritiniquitatem Juris, à *Politicâ* authoritate contra æquitatem tàm *naturalem*, quàm *supernaturalem* perperàm constituti.

14. Sic pro *quarto* Jura *Civilia* olim decreverunt, jusjurandum ex metu initum, esse invalidum, sacri autem Canones è contrario vinculum Religionis inde obortum sanxerunt validum, sed authoritate Ecclesiæ rescindendum. An igitur dicere fas est, *non attentâ ejusmodi Canonicâ sanctione, posse intrà lineam moralitatis naturalis defendi illius jurisjurandi invaliditatem, utpote stabilitam ab Imperatoriâ suprema politicâ authoritate*? Hoc si quispiam tueri vellet, profectò fateri deberet, dari honestatem quampiam *naturalis* ordinis, quæ *supernaturali* moralitati esset contraria, quod tam impossibile est, quàm indubitanter verum est, verum *naturalis* ordinis pugnare haud posse cum vero *supernaturalis* ordinis: neque tamen veritas *supernaturalis* ex *naturalis* ordinis veritate, sed hæc econtra ex illâ est dijudicanda.

15. *Quintò*. Hoc proinde argumentandi genus (quo *versus decimus octavus* ex Matthæi *16. capite in præcedenti §. nostro* adductus, conferetur cum præsenti *versu octavo præallegati 17. capitis Deuteronomy*) etiam complexus est Innocentius III. *in Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi*. Ubi Pontifex iste datis rationem, quo jure & authoritate etiam quoad temporalitatem dispensârit in illegitimitate filij Regis Franciæ, hunc in modum argumentatur. *Rationibus inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex Veteri, quàm Novo Testamento trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem* casualiter *exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, sed quia, sicut in Deuteronomio continetur*: Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram &c. venies ad sacerdotes Levitici generis &c. & facies, quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam &c.

Sanè cùm Deuteronomium Lex secunda *interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut, quod ibi decernitur, debere in Novo Testamento servari: locus enim, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur &c. Is verò super sacerdotalis Officij coadjutores*, judex *existit, cui Dominus inquit in Petro*: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c. *Ejus vicarius, qui est, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, judex vivorum & mortuorum. Tria quippe distinguit judicia*, primum *inter sanguinem & sanguinem, per quod* Criminale *intelligitur &* Civile. Ultimum *inter lepram & lepram, per quod* Ecclesiasticum *denotatur &* Criminale Medium *inter causam & causam, quod ad utrumque refertur, tam* Ecclesiasticum, *quàm* Civile, *in quibus, cùm aliquid fuerit difficile & ambiguum, ad judicium est Sedis Apostolicæ recurrendum, cujus sententiam, qui superbiens contempserit observare, mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari*. Quæ igitur in Antiquo Fœdere erat sacerdotij summi prærogativa *Deuteron. 17. v. 8.* sancita, ad judicij veritatem in causis ambiguis tàm *Criminalibus*, quàm *Civilibus* pro foro etiam *sæcularis* decernendam, par, imò major in Novo Fœdere est Summi Pontificatûs seu vicariatûs, ipsummet Christum repræsentantis, præeminentia, vi illius Canonis definita, ad hoc, ut, dum dubitatio, seu quæstio oritur *de moralitate in regnum cælorum ordinabili*, vi constitutionis per Christum *Matthæi 16. capite* latæ, judicij, seu legis veritas pro causis seu *Civilibus*, seu *Criminalibus* in Foro quoque *Politico* determinandis, referenda sit ad Christi vicariatum, seu Summum Pontificatum.

16.

Pro *sexto* igitur concludere tandem licet per hanc sequentem argumentationē. Quemadmodùm scilicet *Deuteron. 21. cap. 5.* Deus imperavit, ut *ad verbum sacerdotum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, finiatur*. Sic quid *moralitati* honestatis *supernaturalis* vel difforme, adeoque *immundum*, vel conforme, ac proinde *mundum* sit in omni etiam *sæculari* negotio, quæstionis hujusmodi definitio spectat ad Romani Pontificis authoritatem super *quocunque in regnum cælorum in terris ordinabili* à Christo protensam. Quare

17.

Sacerdotij Regalis, seu vicariatûs Christi judicium super Regijs quoque & Imperatorijs, lineæ *supernaturalis moralitate* necessariò superveſtiendis legibus, & consequenter super *Civilibus* ex harum normâ decidendis causis quibuscumque, superextenditur, non quidem *directè* ac *per se*, sed *indirectè* & *materialiter*, quatenus scilicet Summi Oecumenici Pastoris officium requirit, providere, ne quid à jure *Divino* seu *naturali*, seu *positivo* distortum irrepat, siquidem deviatio a naturali æquitate, subsistere nequeat, quin habeat repugnantiam cum fine salutis æternæ, honestatéque etiam supernaturali, ipsiusque Religionis sanctæ decore. Sub quâ adeo repugnantiæ *formalitate*, si quando in legibus *Civilibus* interveniat, illæ ceu *objectum materiale*, necessariò subesse debent judicio Pontificiæ authoritatis, ad *Quodcumque in terris Morale*, ceu ordinabile in regnum cælorum protensæ.

§. III.

In quo præfatæ assertionis secundæ *Probatio sit ex Christi Domini verbis* Ioannis ultimo *prolatis ad Petrum*: Pasce oves meas: Pasce agnos meos.

18. NAm *primò*, quam Christus Dominus *cit. Matth. 16. cap.* clavium potestatem promiserat Petro, intrà Ecclesiam ad finem mundi usque duraturam, successionis ordine, eam post gloriosam resurrectionem sub præadductis verbis *actualiter* contulit eidem Apostolorum Principi. Hæc namque pascendi potestas ita habet respectum ad singulos Christi fideles, verbo Dei, & correctione salutiferâ pascendos, ut simul habeat ordinem ad publicũ Ecclesiæ regimen, Ecclesiamque sanctam, ceu Mysticum Christi Corpus, ac Regnum, publicâ adeò authoritate pascendum, sicque gubernandum ad communem sacræ Religionis utilitatem. Cui proinde publici quoque regiminis, seu Christiani regni ordini subduntur, quotquot sunt Christi oves seu agni. Quis ergo Reges Christianos ab hoc Christi ovium ordine, ac regimine etiam publico, excluſos velit, dum tamen Christus nullam suarum ovium, charactere nempe Christianitatis in Baptismate insignitarum, ab illo Pastorali munere, publici Ecclesiæ sanctæ regiminis normam præferente, excluſam voluerit? *ex pag. 22. n. 105.*

19. Neque pro *secundo* tricas movere, fas est, ex verbo *Pascendi*, quasi hæc vox mitior videretur, quam ut regiminis publici coercitivam etiam potestatem denotaret. Etenim Psalmi *vigesimi secundi versus primus*, qui in Vulgatâ ita legitur, *Dominus regit me*, in alia versione hisce constat verbis, *Dominus pascit me*, claro adeò argumento, verbum *pascendi* esse aptum, significare publici quoque regiminis authoritatem. Hanc verò significationem habere locum in illis Christi ad Petrum prolatis verbis, evincitur ex hoc, quòd sub illis collata fuerit ipsissima illa authoritas, quæ *Matthæi 16.* fuerat à Christo promissa Petro sub clavibus regni cælorum, cum *indefinitâ* potestate ligandi ac solvendi *Quodcumque in terris Morale*. At hujusmodi solemnis solvendi & ligandi authoritas, obtinens ordinem ad regnum cælorum Militantis etiam Ecclesiæ, Hierarchicam publici quoque regiminis normam, uti sacra Fides docet, præferentis, non potest non esse jurisdictionis, cujus sphæra complectatur universam *Moralitatis* lineam *indefinitè*, absque ullâ proinde exceptione spectatam, atque adeò quidquid in Regiæ potestatis vel ad certum subjectum applicabilitate, vel publici regiminis est *moralitatis*, sinu suo ambientem.

Neque pro *tertio* juvat, quod sub Concilio Tridentino aliqui Galli objiciebant, verba illa, *Pasce oves meas*, complecti singulas duntaxat Christi oves, *Divisim*, non verò *Collectim spectatas, quà constituentes unam Christi Ecclesiam.* Hoc namque objiciebatur, ne inde probari posſit Papæ super Concilio universam Ecclesiam repræsentante, sicque oves Christi *collectim* in Episcopis complectente superioritas; de quo puncto agemus *sequenti articulo*. Interea sermo hìc est de Regibus *sigillatim* spectatis, qui si oves Christi audire velint, utique comprehenduntur etiam sub illis verbis, Petro, ejusque successoribus diserte concedentibus potestatem pascendi, sive regendi universas Christi oves, ex authoritate protensâ super *Quocumque in terris Morali*, in Ecclesiæ tam Militantis, quàm Triumphantis cælorum regnum ordinabili, à quo *Moralitatis* ordine turpe esset, Christianorum Regum quamcumque, publici quoque Regiminis functionem, ipsiusque etiam Regiæ ad hoc subjectum applicabilitatem excipere. 20. *pag. 17. n. 83.*

Quòd si igitur pro *quarto* Rex Christianus non in suâ duntaxat personâ extra sacrosancti regiminis Ecclesiastici, ceu universalis Christi ovium pascui, limites aberret, sed alios insuper Christi fideles ab hoc Christi ovium grege abducat, imò ipsam Christi Ecclesiam quoad publicum sacræ Religioni propagandæ, atque conservandæ conformeDivinitus constitutum regimen infestet, ejus jura invertat, unitatem Fidei conturbare nitatur, seu ejus perturbatores tueatur, atque defendat, sanctamque Religionis publicæ pacem evertere moliatur, quomodò talis Rex, Christianitatis charactere insignitus, quoad omne id, *quod in se super terram Morale est*, respiciens Regnum cælorum, ejusque claves, non subjacebit, haud privatæ duntaxat correctioni, sed publicæ etiam Oecumenici supremi Pastoris correptioni? 21. *ex pag. 22. n. 105.*

Id pro *quinto* confirmatur ex Bonifacij VIII. Constitutione *Extravagante. Vnam sanctam. De majoritat. & obedientia.* Cujus summa in hanc argumentationem reduci potest. Quando Christus Petro, ejusque successori dixit? *Pasce oves meas*; intelliguntur eidem commissæ universæ Christi oves, estque adeò de necessitate salutis, credere, quòd Romano Pontifici, ceu Petri successori, subsit omnis humana creatura in Ecclesiæ unitatem congregata sub uno Capite Christo, ejusque Vicario. Sub eâ autem Pastoralis muneris potestate continentur duo gladij, *spiritualis* videlicet ac *temporalis* authoritas: 22. *Refertur per extensum pag. 38. n. 40.*

thoritas: Christo Domino, ubi Apostoli dixerant: *Ecce duo gladij* hîc (id est in Ecclesia) respondente: *Satis esse*. Inter quos adeò binos gladios *temporalis* potestas fuit à Christo designata *Allegoricè*, quando dixit ad Petrum: *Converte gladium tuum in vaginam*. Ex hoc namque evincitur, non *spiritualem* duntaxat, sed etiam *temporalem* gladio illo Petri designatam potestatem, subesse authoritati Ecclesiæ, sub eâ quidem differentiâ, ut ille potestatis *spiritualis* gladius manu sacerdotis, hic verò *temporalis* potestatis gladius manu Regum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis, sit exerendus.

23. Pro *sexto* firmatur idipsum prætactæ *Extravagantis* argumento in hanc formam redacto. Etenim *gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem quoad sui exercitium, subijci spirituali potestati*, evincitur etiam ex illa Apostoli sententiâ, quâ dicitur *non esse potestas, nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata esse*. In vi cujus proinde ordinationis Divinæ, oportet, ut eatenus gladius sit sub gladio, quatenus potestas *temporalis*, utpote inferior, per *spiritualem*, ceu superiorem potestatem reduci debet in suprema: sicque adeò potestas terrena, si deviet, judicanda est à potestate spirituali.

24. Pro *septimo* igitur ex dictâ *Extravagante* in hunc modum concludere tandem licet. Quandoquidem inter universas Christi oves Romano Pontifici, ceu Petri successori commissas, reputentur etiam Reges Christi charactere insigniti, sub potestate autem pastorali per Christum suo Vicario Petri successori concessâ, contineantur duo gladij, authoritatis *spiritualis* & *temporalis*, eâ tamen cum subordinatione, ut potestas terrena tanquam inferior, per spiritualem, ceu superiorem, reducenda sit in suprema. Iccircò manifestum jam extat ex sacræ Scripturæ textibus, in prætactâ *Extravagante* deductis, Reges cum suæ potestatis gladio, *quoad hujus exercitium*, subesse Romani Pontificis *spirituali* authoritati.

25. Nec obstat pro *octavo*, quòd in Clementina *Meruit. De privilegijs.* caveatur, *per illam Bonifacij VIII. Extravagantem, nullum generari præjudicium Galliarum Regi ac Regno, seu Regnicolis Galliarum, ita ut in vi hujus Bonifacianæ Extravagantis amplius subijciantur Ecclesiæ Romanæ, quàm antea existebant, sed in eodem intelligantur esse statu, quo erant ante præfatam definitionem.*

26. Nam totum hoc concedendo, ita licet argumentari. Nempe dici nullatenus potest, quòd præjudicium aliquod sit à Bonifacio VIII. illatum, dum Rex Franciæ cum universis Regnicolis suis computatur inter oves Christi. At potestas pastoralis super universas Christi oves protensa, ex Christi instituto, continet duos gladios, potestatis scilicet *spiritualis* & *temporalis*, ita ut hæc sit quidem in manu Regum, ad nutum tamen, & patientiam sacerdotis exerenda. Nequit verò, quod ex Christi instituto est sancitum, non esse antiquius illa Bonifaciana constitutione. Nihil ergo istorum a Clemente V *in Clementina Meruit.* est correctum: quippe cùm ista præcisè statuat, quòd per Bonifacij VIII. Extravagantem *Vnam sanctam.* nullum Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ debeat generari præjudicium, *ita ut isti amplius exinde sint subjecti Romanæ Ecclesiæ, quàm antea existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.*

ex pag. 34. n. 43.

27. Quo sic constituto, pro *nono* licet taliter argumentari. Nempe illa definitio Bonifacij VIII. in eo se tenebat, quòd ex ipso jure *Divino* sanxerit subordinationem gladij *temporalis* erga gladium potestatis *spiritualis*, ita ut, si illa deviet à rectâ ratione, sit judicanda à potestate *spirituali*. At istud *spirituale* judicium Oecumenici Ecclesiæ Pastoris potestati concessum, subsistit ex vi clavium Ecclesiæ, Petro, ejusque successori commissarum in tantum, ut, *quodcumque ligaverit, vel solverit super terram, sit vel ligatum, vel solutum in cælo*. Eo ipso autem, quòd Regiæ potestatis exercitium ita sit super terram, ut in Christiano Rege dicat ordinem ad regnum cælorum, oportet, ut sub respectu suæ ad æternam salutem, seu sacræ Religionis utilitatem publicam ordinabilitatis, sit inter illa *Quæcunque*, quæ super terram continentur sub Oecumenicâ clavium potestate seu solvendi, seu ligandi. Quoad hanc igitur potestatis Regiæ erga authoritatem Oecumenicam Summi Pontificis, subordinationem, illa Bonifacij VIII. *Extravagans* nullum præjudicium generavit Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ, sed hos relinquens in statu, in quo vi Juris *Divini*, ante eam definitionem fuerant, non potest quoad debitam illam respectu Romanæ Ecclesiæ subordinationem ac subjectionem, per dictam *Clementinam Meruit* esse correcta.

28. Hinc pro *decimo* istam Regum Christianorum erga Romanos Pontifices subjectionem isto adhuc sæculo, nempe Anno 1615. adversùs Oratores Ordinis Popularis in Comitijs generalibus Franciæ, strenuè asseruerunt Cleri & Nobilitatis Ordines, Cardinale Perronio horum nomine firmante eandem subordinationem quàm plurimis exemplis; prout videre licet apud Gabrielem Bartholomæum Gramondum sacri Regij Consistorij Senatorem, & Parlamenti Tolosani Præsidem sub actis dicti anni 1615.

29. Sic ergo inducitur ibidem ex Cleri, & Nobilitatis Francicæ manda to disseruisse præfatus Cardinalis. *Constat, exemplis plena esse historiarum volumina, quibus confirmatur Summæ Sedis in Reges potestas à fide degeneres.* ex pag. 31. n. 33. *Ita Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum Anastasio Imperatori negâsse obsequium, & fidem, donec Concilio Chalcedonensi subscripsisset. Ita eidem Imperatori in Eutychis hæresim relapso, restitisse acriter Symmachum summum Pontificem. Ita Clotarium Regem Gallorum, ob scelus immane in Ecclesia Dei, nece Iuetoti patratum, post mundatum sanguine innocenti altare, luisse pœnas arbitrio Summi Pontificis condignas culpæ. Ita Iustinianum secundum; ita Philippicum Imperatores à Sergio & Constantino Summis Pontificibus multatos. Ita Leonem Isauricum Imperio dejectum Gregorij II. decreto, quia Iconoclastarum hæresi infectus, dogma propugnabat exemplo, & vi. Ita Carolum Magnum evectum ad Imperium Occidentis ope Romanæ Sedis.*

Ita Childericum Regno dejectum : ita substitutum homini per otium enervi, fastigióque Regiæ dignitatis impari Pipinum, assensu Sedis Apostolicæ, quam à Gallis consultam, tradunt historiarum monimenta. Ita Fulconem Archiepiscopum Rhemensem intentâsse Carolo Simplici minas, velut clienti suo. Ita Philippum primum Gallorum Regem, semotum ab Ecclesia Dei, adulterij manifestum palam commissi, post repudiatam sinè causâ uxorem, evectamque in solium pellicem, quâ utebatur ut suâ, marito superstite. Ita Gregorium septimum sacris interdixisse Henrico IV. Imperatori, subditóque solvisse obsequij nexu. Ita excommunicatos Philippum Augustum Gallorum: Ioannem Anglorum Reges. Ita Othonem Imperatorem : ita Raymundum Comitem Tolosanum, quorum hic per socordiam in Albigensium hæresim lapsus, succubuit Pontificiæ potestati, in augmentum Gallici Regni, cui Comitatus Tolosanus adjunctus est dono Provincialium. Ita fidei sacramento solutos olim ab Innocentio IV. Friderici Imperatoris subditos, debitum Lugdunensi tunc Concilo fulmen. Ita dejectum Petrum Aragoniæ Regem, Martino Pontifice procurante, ob infamiam horrendæ lanienæ, cui à Vesperis Sicilianis nomen. Ita ab Vrbano V. contra Petrum Crudelem, (id illi nominis à sævitiâ datum) Castellæ Regem, indictam, promulgatámque excommunicationem, quia hæreticus, Ecclesiæque Orthodoxæ hostis erat.

30. Ex isthac proinde Perronij, seu Cleri potiùs & Nobilitatis Francicæ peroratione fas est, pro *undecimo* ita concludere. Cùm manifestum jam liqueat, *Primam*, de quâ hîc agitur, moderni Gallicani propositionem à tertio Populari Ordine in Generalibus hujus sæculi anno scilicet 1615. celebratis Comitijs assertam, constanter rejectam ac refutatam fuisse tam à Cleri, quàm Nobilitatis Ordinibus, mirum profectò est, Galliæ Episcopos in suo Parisiensi sub annum 1682. habito Conventu, à pristino Gallicano Clero desciviſse in apertam Statûs Ecclesiastici perniciem, dum, si quæ deinceps Ecclesijs intentarentur præjudicia, nulla jam authoritas Regem, ejúsve ministros in Jura Ecclesiastica involantes, cohibere posset.

ex pag. 32. n. 53.

§. IV.

In quo Ecclesiasticæ supra Reges authoritatis sit probatio ex 2. Paralip. 26. capite.

31. HOc in loco legitur Ozias *sanctuarium ingressus, adoleviſſe incensum super altare thymiamatis, Azariâ summo Pontifice, & sacerdotibus octoginta resistentibus, eumque leprâ percussum festinatò expellentibus, exindeque loco ipsius à regimine dejecti, populum gubernante Ioathan ipsius filio, qui successit in regnum.* Hunc igitur sacrum locum cum *Deuteronomij* sacris textibus *supra §. 2.* expressis conferendo, hunc in modum licet argumentari. Quia nempe Veteris Testamenti sacerdotibus potestas erat, per Verbi Divini interpretationem formandi ac ferendi sententiam *super veritate judicij*, causam etiam *Civilem*, imò & *Criminalem* concernentis. Ex præallegatis *Deuteronomij* sacris textibus à fortiori dicendum est, id sacerdotium habuisse talem authoritatem super causis spiritualibus Veteris Testamenti, qualis erat Oziæ arrogata præsumptio, *ut templum Domini ingressus, adoleret incensum super altare Thymiamatis.* Super hac igitur Divini ordinis transgressione, non ex *privato* duntaxat, sed sacerdotalis authoritatis *publico* judicio, Azarias sacerdos, unà cum reliquis octoginta sacerdotibus, ferebat sententiam, *positivè* resistendo, sicque *authoritativè* dicendo: *Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.* Quòd si ergo in Nova Lege contingeret, Regē quempiam Christianum involare in jura sacerdotij supremi, Ecclesiæque sanctæ pacem, ejusque supremam authoritatē iniquis machinationibus perturbare, ac pessumdare, imò sibimet arrogare & usurpare; an minus dixeris esse in Novæ Legis, ac in Antiqui Fœderis summo Sacerdote authoritatis, ad pronunciandum *judicialiter* super talis Regis quantumvis supremi arrogantiâ?

ex pag. 15. n. 69.

32. Pro *secundo* lubens equidem dabo, Azariam summum sacerdotem non exauthorâsse Regem Oziam in tantum, ut ipsi adimeretur Regiæ potestatis jus quasi *radicale*, exutus tamen fuit ejus exercitio. Nec porrò dicere fas est, regiminis publici administrationem Regi Oziæ ademptam fuisse, non tam ex sententiâ summi sacerdotis, *quàm per consequentiam duntaxat, quòd à Domino percussus leprâ, exinde à consortio hominum separatus degeret.* Nam sacer textus expressis verbis ait: Azariam cum sacerdotibus, ubi vidisset, lepram ex Oziæ Regis fronte apparere, festinatò eum expulisse, non aliâ utique, quàm authoritatis publicæ sacerdotio annexæ potestate: ex quâ nempe authotitate juxta *Levitici 13. caput* penes sacerdotem stabat arbitrium separandi leprosum. Quod adeò Azariæ summi sacerdotis arbitrium erga Regem Oziam, non operabatur *localem* duntaxat ab hominum consortio separationem, sed *formalissimam* à regimine avulsionem, ita ut jure Regio penes ipsum *habitualiter* adhuc subsistente, ejus tamen exercitium ipsi abrogaretur in tantum, ut Ioathan filius ipsius judicaret ex tunc populum non patris nomine cùm de hoc nihil dicat sacra Scriptura, sed *absolutè* absque illius erga Oziam in gubernando Regno dependentiæ mentione, asseveret; *Ioathan ex tunc rexisse domum Regis, & populum terræ.*

ex cit. pag. 13. n. 78.

33. Hinc pro *tertio* concludere licet. Sicuti ergo quisque privatus leprosus arbitrio sacerdotis erat à consortio hominum separandus, veluti *Civiliter* mortuus, adeoque jure *Civilis* societatis spoliatus; sic Oziæ Regis per sacerdotis summi arbitrium, ab humano consortio separatio, facta erat etiam *quoad Politicæ cùm subditis communionis avulsionem, Regiæque adeò potestatis vel per se, vel per alium, ceu vicarium suum exercendæ spoliationem*: cùm cæteroquin nō tam Ioatham, quam Ozias pater dicendus esset illo adhuc tempore regnâsse. Quia proinde summi in Antiquo Fœdere sacerdotis judiciaria potestas se protendebat super Regis Oziæ, sacerdotale munus sibi arrogantis, scelere, ejusque leprâ à Deo percussi, quoad Civilem quoque & Politicam

Ibi n. 71.

ticam gubernationem separatione, atque adeò Regiæ administrationis exercitio adimendo: quid ni dixeris, Oecumenicam Summi in Novo Fœdere Pontificis authoritatem protendi super Regum temporalium in jura sanctæ Ecclesiæ involantium, seu hæreseos spirituali lepra infectorum præsumptuosam arrogationem, sanctæque Ecclesiæ publicam infestationem, eorumque hinc à fidelium publicâ communione separationem, imò & Regiæ administrationis, quinimò juris quoque Regij, si publicæ necessitatis ratio expostulare videbitur, privationem; prout ex Novi Testamenti Tabulis probatum extat *in præcedentibus*, ulteriúsque ostendetur *in subsequentibus paragraphis.*

34 Hujus generis insigne exemplum pro *quarto* hîc adferri potest ex Imperij Occidentalis à Græcis Imperatoribus hæresi infectis in Francos, Carolique Magni personam ac stirpem translatione: cujus historiam succinctâ methodo sic describit Hermannus Hermes *in suo jure publico cap. 3. à n. 3.* Cùm nempe Romani Pontifices ab Orientalibus Imperatoribus contra Longobardorum sævitiam, opem implorâssent, frustra autem, tum quòd vix vires supperetent ijs, propter vicina loca à Saracenis, Avaribus, Bulgaris, & Hunnis ac alijs tuenda; tum quòd Constantinopolitani Imperatores in Iconomachiæ hæresin lapsi, cum Pontificibus ipsorum hæresi adversantibus, simultates haberent, utpote qui non tantùm sacras imagines Constantinopoli, & in Oriente impiè abradi jusserant, sed idem Romano Pontifici sub pœnâ mortis persuadere volebant; quorum amentiam Gregorius II. Pontifex non solùm contempsit, sed etiam in Missarum Solemnijs Orientalis Imperatoris nomen reticeri voluit, ejusque imaginem Romæ in nummis cudi, & Leoni Isauricotributa, & vectigalia tam Italiæ, quàm Urbis Romæ, sub anathemate solvi vetuit; unde quidquid in Occidente Imperatoribus Constantinopolitanis supererat, amiserunt. Hinc Pontifex Gregorius II. ad Francorum Regum opes longè, latéque per Occidentem florentes confugit, eos contra Longobardos evocando; cúmque Carolus Martellus Francorum Dux pro Papa Gregorio apud Luitprandum Regem precibus egisset, ejusque filius Pipinus vel hortatu, vel rogatu Stephani Papæ contra Astulphum armis usus esset, *cap. Hortatu. 10. 23. q. 8.* tandem paternæ & avitæ pietatis hæres Carolus Magnus Romanam Sedem, & urbem pro Hadriano Papa contra Desiderium Longobardum tutatus est. *Dicto cap. 10.* junctò *cap Hadrianus. 22 dist. 63.* Qui Carolus, cùm Sedem Romanam opibus, & temporali ditione extolleret, à Papa Francorũ primò, mox Longobardorum Rex inunctus, & Patricius Romanorum creatus est, quæ tunc suprema in Urbe erat dignitas. Cùm insuper in Oriente Constantinopoli Eirene mulier, filio Constantino oculis privato, Imperij habenas sola tractaret, hac occasione Leo III. Papa populi scitu, & Cleri rogatu, Carolum Magnum ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita, Romanorum Imperatorem Occidentis primò, & inunctum, & diademate aureo redimitum, Augustum appellavit 8. Calendas Januarij, ipso die Natalis Christi, Anno octingentesimo primo. Coring. *de Rom. Imp. n 24.* Sicque adeò Imperium Occidentis authoritate Summi Pontificis è Græcis in personam, & stirpem Caroli Magni Francorum Regis translatum fuit.

Neque pro *quinto* hujus Historiæ veritatem 35
elidere valet Ludovici Maymbourgi exceptio *in hist. Iconoclast. lib. 4. ad annum 800.* opponentis, *quòd Carolus Magnus Imperium Occidentis jure belli occupâsset, Romam verò Populi Romani dotatione: nec aliud à Leone III. Papa, quàm coronam, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, seu nudam Cæremoniam acceperit.* Nam contrarium evincitur sequenti argumentorum à Bellarmino *de translat. Romani Imperij lib. cap. 4. usque ad caput 7.* accuratissimè deductorum serie. Ubi triginta adferuntur historici concorditer asserentes, Imperium Romanum Summi Pontificis authoritate à Græcis ad Francos esse translatum. Hi autem Historiographi (quorum verba in ipso Bellarmino revideri possunt) sunt sequentes: nempe Ioannes Zonara Author Græcus, Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus vivens tempore Caroli Magni, Eginarthus Carolo Magno familiaris, Annales Francorum tempore ejusdem Caroli cœpti exarari, Aimonius, seu Ammonius degens tempore Ludovici Pij, Addo Episcopus Viennensis, Regino Abbas Prumiensis, Vothingus Corbejensis, Luitprandus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Dodechinus Mariani continuator, Lambertus Schaffnaburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Conradus Abbas Urspergensis, Lupoldus Bambergensis, Matthæus Palmerius, Blondus Flaccius, Aeneas Sylvius, Ioannes Trithemius, Antoninus, Ioannes Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomensis, Ioannes Cuspinianus, Iacobus Wympfelingius, Polydorus Virgilius, Raphael Volaterranus, Donatus Acciaiolus, Albertus Kranzius. *ex pag. 61. n. 148.*

Accedunt hisce testimonia Imperatorum 36
ac Principum, translationem Imperij à Græcis ad Francos, & à Francis ad Germanos Romani Pontificis authoritate factam disertis verbis contestantium; prout à dicto Bellarmino *præs. cap. 5.* docetur. Inter istos primus est ipse Carolus Magnus, cujus in hoc vestigia sunt secuti Ludovici Pii filius, Carolus Calvus, Albertus Imperator, Henricus VII. Ludovicus IV. Carolus IV. Fridericus I. Michael Imperator Constantinopolitanus, Emanuel Comnenus Orientali Imperio præfectus, Philippus Rex Francorum, ac Principes Electores. Septem insuper Summorum Pontificum testimonijs id ipsum firmat prætactus Bellarminus *cap. 6.* nempe Gregorij IV. Adriani II. Adriani IV. Alexandri III. Innocentij III. Clementis V. & Pij II. *ex pag. 62. n. 149.*

Hinc pro *sexto* facilè constat, fictitiam es- 37
se illam Maymbourgi vocem *superiùs* allegatam, *ac si Carolus Magnus Imperium Occidentis jure Belli occupâsset, neque Imperium, sed hujus duntaxat insignia, sive Coronam, seu nudam cæremoniam à Leone III. accepisset.* Nam eodem Bellarmino *cit. lib. cap. 7.* fusissimè probante, Carolus

rolus Magnus Regnum Francorum hæreditate quidem obtinuit, ac expugnatâ Longobardiâ, Romanâ olim provinciâ, hujus Rex jure Belli appellari cœpit, Romam verò vi & armis nunquam occupavit; uti historici passim clamant. Quòd si ergo ex eo titulo dicendus esset Imperator, pari prærogativâ jam potirentur & Galliæ, & Hispaniæ, & Angliæ Regna, cùm & ipsa fuerint priùs Romanæ Provinciæ, quàm cederent in propriorum suorum Regum jus hæreditarium.

ex cit. pag. 62. n. 150.

38. Sed *nunquid à Græcis seu armis, seu spontaneâ cessione Carolus accepit jus Occidentalis Imperij?* Ubi equidem Regnum Longobardorum à Carolo fuerat occupatum, Desiderio Rege in captivitatem misso, Aldagisus ejus filius sub annum septingentesimum septuagesimum quartum, classe à Græco Imperatore acceptâ, in Italiam pervolans, Longobardorum reliquias ad arma capessenda, permovit. At Carolus in Italiam properans, cùm victor evasisset, Aldagisus, desperatis jam rebus, Regnique recipiendi spe frustratus, Græciam versus terga vertere compulsus fuit. Anne igitur ex hoc subsidij Aldagiso ab Imperatore Græco pro recuperandâ Longobardiâ concessi titulo, jus Occidentalis Imperij Græcis ademptum fuisse, dicere fas sit? Profectò si ex belli ejusmodi titulo justè posset comprobari Ius ipsius etiam Imperatoriæ Majestatis victori obtentum, non unus, sed plures jam in Occidente essent jure appellandi Imperatores. Tantum potrò abest, Græcos spontaneâ cessione Ius Occidentalis Imperij cessisse Carolo, ut concordi Historicorum tam veterum, quàm recentiorum calamo, è contrario probet Bellarminus *cit. lib. 2. cap. 11.* Græcos Imperatores, cùm primùm ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos ac indignatos fuisse.

ibid. n. 151.

39. Sed nunquid pro *septimo* dicere fas est, *Coronam Imperatoriam authoritate Senatûs, Populique Romani fuisse decretam Carolo?* Imperium equidem Romanum sub Ethnicis adhuc Imperatoribus erat Electivum, minimè tamen ex Senatûs, Populique Romani decreto, sed exercitûs placito conferri solebat, Constantino autem Magno Imperij dignitatem in Græciam transferente, factum fuerat hæreditarium. Quis ergo credat, Senatum, Populumque Romanum, quando nullius ferme authoritatis ac potentiæ erat, ausum fuisse in Carolo ad Imperium Occidentis promovendo, quod anteà, cùm floreret, minimè auderet. Et verò quâ justitiæ lege Imperij Occidentis jus potuisset transferri in Carolum, priusquàm fuisset de jure abdicatum à Græcis? Nunquid autem seu Populo, seu Senatui Romano erat authoritas super Græco Imperatore, legitimum Imperij non tantùm Orientalis, sed etiam Occidentalis jus obtinente; præcipuè dum tempore Caroli coronationem antecedente, Senatui, Populoque Romano nullum erat cum Græcis bellum, ut dici posset, justo belli titulo, Græcum Imperatorem spoliâsse Iure Occidentalis Imperij?

ibid. n. 152.

ibid. n. 153.

40. Pro *octavo* igitur, *in quam, nisi Pontificiam authoritatem reduci potest Imperij Occidentalis à Græcis adempti justitia?* Etenim Græcorum Imperatorum eum tunc fuisse statum, ut meritò in ipsos stringeretur Pontificiæ authoritatis virga correctoria, patet *ex antecedentibus.* At Ecclesiæ virga correctoria *sub indefinitâ, Quodcumque super terram ligandi & solvendi potestate*, Petri successori concessâ, secundùm ordinem à Christo præscriptum, eatenus potest progredi ad avulsionem à communione fidelium, ut prævaleat *ad quodcumque super terram*, quà in regnum cælorum ordinabile, pro meritis causæ *vel solvendum, vel ligandum*; uti verba Christi sonant, demonstratumque est *in antecedentibus.*

Quis verò neget, Imperij jus, non *quasi abstractè* sub signatâ *Formalis* Divinitus constitutæ Regiæ potestatis ratione, sed *concretè* spectatum, quâ Christiani hominis subjecto appropriatum, reputari etiam debere inter illa *Quæcumque, super terram in regnum cælorum ordinabilia*? Sub qua proinde *Moralitatis* in regnum cælorum ordinabilis, ex publica Ecclesiæ seu utilitate, seu necessitate meritò ponderandæ ratione, quis Catholicorum jam dubitare ausit, Leonem III. sui Oecumenici Pastoralis muneris authoritate, Græcos hæreticos Imperatores, Ecclesiæ sanctæ necessitate id exigente, justè spoliâsse jure Occidentalis Imperij? 41. *ex pag. 63. n. 154.*

Quare pro *nono* concludere jam licet per sequentem argumentationem. Nempe ex ipso lumine naturæ conspicuum est istud principium; quisquis justo publicæ authoritatis titulo Principem aliquem supremum spoliat jure sui Regni, posse hoc ex ipsissimo ejusmodi justo titulo, sibi vendicare: super hoc namque naturaliter noto principio *morali*, unicè fundatur æquitas possidendi, & in suum dominium redigendi provinciam alicujus Principis, bello justo occupatam. Quia igitur Summus Pontifex Leo III. justo titulo Græcis ademit Imperium Occidentale, iccircò secundùm istud naturalis luminis principium, quà cum præducto Fidei luminis (Petro, ejusque successori *absolutam super quocumque Morali* in regnum cælorum ordinabili authoritatem decernentis) principio combinatum, ipsimet Pontificiæ suæ potestati acquisivit Occidentalis Imperij jus, ac proinde ob Caroli Magni in Ecclesiam merita, jure in hunc Franciæ Regem, ejusque stirpem, transtulit illud Imperium; sicque adeò Caroli Magni per Leonem III. peracta coronatio non fuit nuda cæremonia, sed stipata authoritativâ Imperatoriæ dignitatis collatione. 42.

§. V.

In quo Pontificiæ super Reges potestatis sit demonstratio ex Matthæi 18. capite v. 15.

IBi namque quisquis peccaverit, si correptus à fratre Christiani nominis consorte, altero etiam, vel tertio ad iteratam ejusdem correctionem assumpto, se non emendaverit, à Christo Domino decernitur denunciandus Ecclesiæ, eoúsque processum suum protensuræ, ut, *ubi Ecclesiam non audierit, sit habendus instar Ethnici & publicani.*

Primò

43. ex pag. 22. n. 106.

Primò igitur isthæc Ecclesiæ à Christo præcepta procedendi norma, non potest non esse judiciaria, cùm nefas esset, absque substantiali, lumini etiam naturæ consonâ processûs judiciarij solemnitate, quempiâ spoliare Christianæ communionis jure, ita ut ex tunc sit habendus *instar Ethnici & publicani*. At verò ista correctoria & coercitiva, publicæ Christianæ communionis privationem inducens censura, Ecclesiasticæ authoritatis judicio inferenda, à Christo Domino protenditur erga omnes, qui sub Christiani nominis consortio dici possunt ac debent, esse fratres. *Ex aperto sacro textu*. Hâc autem Christiani nominis propriâ prærogativâ exuti esse utique nolent Reges Christiani. Quos proinde, oportet, omninò fateri, se subjectos illi correctoriæ & coercitivæ virgæ judiciariæ, Ecclesiasticæ authoritatis.

44. ibid. n. 107.

Etsi verò ex illis Christi Domini verbis *dicti 18. capitis Matthæi v. 17.* exaratis evinci videatur, istam judiciariæ potestatis virgam correctoriam & coercitivam, in hoc terminari & consummari, ut, postquàm Ecclesia processerit ad peccatorem, si contumax sit, à sui communione avellendum, ex tunc ulteriùs procedere haudquaquàm valeat, Christo dicente: *Si taliter correctus Ecclesiam non audierit, habendum esse instar Ethnici*, communionis nempe Christianæ jure destituti, nullâ ulterioris ex tunc processûs faciendi, sub illis Christi verbis mentione ibi habitâ.

45. 46.

Nihilominùs combinando ea Christi Domini verba cum sacro contextu, nempe *ejusdem capitis versu decimo octavo*, ex hoc statim evincitur, potestas illa ad communionis Christianæ privationem indicendam à Christo constituta, esse connexa cum istis verbis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*. At isthæc Apostolis etiam *sigillatim* ac *distributivè* spectatis, per modum tamen legationis duntaxat concessa potestas (penes Petrum solummodò existente ordinariâ Oecumenicâ, in successores transferibili *Matthæi 16.* promissâ, & *Ioannis ultimo cap.* collatâ authoritate) ea, inquam, Apostolica potestas *indefinitè* complectitur authoritatem solvendi & ligandi, *Quodcumque super terram est morale*. Sub ejusmodi verò *Moralitatis* lineâ comprehenduntur quæcunque seu Regna, seu bona temporalia, quatenus *Moralibus* hominum actibus, & ordinationibus sunt subjecta.

46.

Quemadmodùm ergo ista ligandi & solvendi potestas Apostolica protenditur super omni, *quod supra terram est Morale*, hominum arbitrio libero, ejusque ordinationi *Morali* subjacens, sic coercitiva illa, seu correctoria per Christum *cit. v. 17.* asserta, & concessa virga, cum illâ Apostolicâ æquè per Christum *proximè subsequente decimo octavo versu* traditâ potestate, æqualem sortitur mensuram, in vi cujus pariter protendatur super omne id, *quod supra terram est Morale*, quale est quodcumque Regiæ potestatis exercitium, atque illius ad certum subjectum applicabilitas, cum ejusdem in hoc individuo subjecto conservatione.

47. Refertur integrè pag. 382. n. 63. & seq.

Tertiò proinde fundamento isthoc nititur Canon *Novit. De judicijs.* in quo decernitur, non esse equidem Summi Pontificis, *directè & immediatè* se immiscere causis feudalibus ac negotijs Regum, posse tamen, ac debere id fieri ab eo, cùm Ecclesiæ interest, sive dum agitur de peccato, perjurio, ac fœdere violato, conformiter Christi mandato *Matth. 18.* lato sub hisce verbis: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* (si te, atque contestes non audierit) *dic Ecclesiæ &c.*

48. ex pag. 28. n. 22.

Ex hoc ipso igitur sacro Canone Clerus Gallicanus Anno 1329. coram Philippo IV. Rege congregatus, adversùs Ministrorum Regiorum querelas contendebat, Ecclesiasticam jurisdictionem sese ad temporalia extendere saltem *ratione peccati*. Neque ullus tunc oppositum asserere ausus fuit, sed Petrus de Cuguerijs acrior jurisdictionis Regiæ in illo Conventu patronus fateri debuit, Decretalem *Novit.* habere locum in Rege Franciæ, utpote superiorem non agnoscente, tanúmque id negabat de Judicibus Regijs, quippe qui à Rege corripi possent. Verùm quo jure Ministros Regios excludere fas est à consortio Christiani nominis fratrum, quos *indefinitè, si peccaverint*, complectitur illa *correctoria & coercitiva* per Christum constituta virga. Sufficiat tamen hîc nobis, universos tunc fassos fuisse, illum Canonem *Novit.* habere locum in Rege Franciæ, superiorem non agnoscente.

49. Refertur ex integrè à pag. 35. n. 48.

Præinsinuati sub Philippo IV. Parisijs Anno 1312. aggregati Archiepiscoporum, ac Episcoporum Conventûs acta, pro *quarto*, videre licet *in tomo 4. Edit. Parisiens. à pag. 1098.* inter quæ extat solidissima, instituto nostro deserviens Bertrandi Cardinalis Eduensis, Cleri Gallicani nomine exhibita dissertatio, in qua inter cætera ex prætacto Matthæi sacro textu (*Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*) infert is Cardinalis, hinc constare, quòd sermo sit de jurisdictione Ecclesiæ, cùm *ibidem* subdatur; *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Unde sinè ulla dubitatione ad Ecclesiam pertinere, jure sibi à Deo collato, cognoscere, & judicare de quocunque peccato. Unde B. Paulum excommunicâsse fornicatorem notorium, uti legitur *in Epist. priore ad Corinth. & 24. q. 7. cap. Audivimus.* Cùm igitur peccata contingant circa actiones personales hominum, & circa contractus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam judicare: maximè si intentetur actio per modum injuriæ, vel alterius cujuscumque peccati tam, inter laicos, quàm inter Clericos, vel inter laicum & Clericum; quicunque eorum sit actor, vel reus.

50. ex pag. 36. n. 05.

Pergit pro *quinto* is Cardinalis Cleri Gallicani nomine sic argumentari. Nec dici potest, quòd reus hoc modo trahatur extra forum suum: quia omnes Christiani, in quantum Christiani sunt, pertinent ad forũ Ecclesiæ. Et hoc est, quod expresè dicitur in Canone *11. q. 1. Cap. Quæcunque*. ubi dicitur sic: *Quæcunque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur: &* 49.

velutì hujus probatio habebitur infrà pag. 35. n. 48.

ex pag. 30. n. 51. *si obedire noluerint, quoúsque obediant, limitibus Ecclesiæ excludantur.* Nec propter hoc enervatur jurisdictio Principum sæcularium, qui de actionibus & contractibus subditorum suorum, videlicet laicorum, habent cognoscere, & judicare: quæ jurisdictio non aufertur, nec impeditur. Si enim Actor voluerit, poterit reum trahere ad forum, sive judicium sæculare, & tunc Judex laicus cognoscet: si autem vult reum trahere ad judicium Ecclesiæ, potest: præcipuè intentando actionem injuriæ, vel peccati: quia quilibet laicus Christianus est utrique judicio subjectus, uni ut civis, alij ut Christianus.

51. Addit *prætactus* Cardinalis. In Christianissimo præsertim Franciæ Regno, in quo ibid. n. 52. & 53. Reges fuerunt Ecclesiæ devoti à principio, quo fuerunt Christiani, Ecclesiam uberiùs usam fuisse illo jure suo. Neque usum hunc fuisse acquisitionem novi juris, sed executionem juris primi dati à Deo. Has igitur à Bertrando coram Philippo Rege Franciæ propositas rationes meritò expendat modernus Clerus Gallicanus, imitetúrque proinde antiquioris in Christianissimo Regno à suis prædecessoribus de jurisdictione Ecclesiasticâ doctrinæ tam viriliter propugnatæ exemplum.

52. Inter plura alia argumenta pro *sexto* idem Cardinalis, præsens institutum nostrum probat ex hoc, quòd à Christo judiciari è potestatis suæ participatio quædam facta sit Petro, utpote constituto suo in terris vicario: qui proinde *Act. 5.* Ananiam & Saphiram pro crimine furti & mendacij *judicialiter* condemnavit; sicuti etiam Paulus *1. Corinth. 5.* convictum fornicatorem judicavit. Superadditur, videri evinci *ex Matthæi 18. capite*, quòd Christus voluerit, tale judicium esse penes Ecclesiam, ita sanciendo: *Si correptus à fratre*, alijs quoque duobus, vel tribus testibus in subsidium adhibitis, *se non emendaverit, denunciandum esse Ecclesiæ, & si hanc non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis*, adijciens, *quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Ecce igitur (concludit idem Cardinalis) quàm expressè vult Christus, quòd in omni re, in qua est peccatum unius adversùs alterum, si ille, qui deliquerit, monitus charitativè, se non emendaverit, debeat negotium ad judicium Ecclesiæ deferri.

ex pag. 39. n. 70.

53. Ex illa porrò universalitate potestatis solvendi & ligandi ad quæcumque super terram ibid. ex n. 71. se extendentis, pergit Bertrandus pro *septimo* inferre, nihil esse, in quo Ecclesia non possit ligare & solvere. Et ideo, quando Petrus de Cuguerijs in prætacto Conventu Parisiensi contendebat, sub duobus gladijs, quos sufficere, ajebat Christus *Luc. 22.* intelligi duas jurisdictiones, spiritualem scilicet ac temporalem, consultò monet prætactus Cardinalis, oportere, ut animadvertatur, Christum voluisse, quòd illi duo gladij essent penes Petrum, & Apostolos. Quia proinde illi duo gladij significabant duplicem potestatem, nempe *spiritualem* ac *temporalem*, consequenter voluisse Christum, ut utraque illa potestas sit penes Ecclesiam.

54 Quibus taliter constitutis, pro *octavo* hunc in modum licet argumentari. Inter *Moralia* jure naturali conspicua axiomata numeratur istud quoque principium, ubique receptum: ex pag. 42. n. 87. & 88. nempe *cuivis Magistratui fas esse, potestatem suam judiciariam extendere super omni causâ, fori sui limitibus concessâ.* Ex fide autem Divinâ liquet, virgam correctoriam *Matthæi 18.* decretam Ecclesiæ, extendi *indefinitè* super peccato, atque adeò super omni peccati genere. At verò ex sacro contextu rursus manifestum est, illam super omni Christianorum peccato protensam virgam correctoriam, reduci in potestatem ligandi & solvendi *indefinitam*, protensam *ad quodcunque super terram*, velut ipsemet Christus *hanc potestatem ligandi & solvendi* in subsequenti *mox versu contexuit cum illâ virgâ correctoria.* Hæc verò *potestas ligandi & solvendi* ex *Matthæi 18. capite* ita referebatur ad Apostolos universos, ut *Matthæi 16.* sub pari *ad quodcunque super terram* extensione, fuerit soli Petro, cum ordine ad perpetuũ Ecclesiæ statum, adeoque ejus successori promissa, & postmodùm *Ioan. 21.* cum Pastorali Oecumenico munere *actualiter* collata. Ex hisce igitur fidei principijs, cum illo *Morali* naturaliter conspicuo principio collatis, certò infertur, illam Ecclesiæ decretam virgam *correctoriam, super omni peccato* protensam, subsistere penes Petri successorem, Romanum Pontificem.

55. Ipsissima hæc conclusio pro *nono* firmatur sequenti Theologico discursu. Ea namque virgæ correctoriæ super omni peccato extensio, in regni cælorum clavibus, Petro, ejusque successori demandatis, comprehensa, juxta sacrum *Matthæi 16.* exaratum Evangelium, fundatur in debitâ omnimodi actûs ex cit. pag. 41. n. 89. *Moralis* ad regnum cælorum ordinabilitate, cujus deviationem, ex quo *Moralitatis* in homine linea ad supernaturalem statum est elevata, involvit jam omne, præcipuè mortale peccatum. Hæc verò *Moralitatis* ad statum supernaturalem elevatæ, in regnum cælorum ac salutem æternam ordinabilitas, in *vi indefinitæ* clavium authoritatis observanda, incumbit Oecumenico Ecclesiæ Pastori, non eo duntaxat casu, quo ejus deviatio per peccatum *actualiter* commissum jam est facta, sed vel maximè obstringit ad prospiciendum, ne tales à supernaturalis statûs fine committantur deviationes, veluti hoc evincunt Christi verba *Ioan. 21.* pascendi munus erga cunctas oves suas, Petro, ejusque successori committentis; hoc enim seu pascendi, seu gubernandi officium malè administraretur, si pastor ovibus primùm post patrata peccata, non verò antecedenter, ubi peccati imminet periculum, providere vellet. At verò in plerisque causis etiam *Civilibus*, quando duo inter se altercantur, præcipuè dum nullum (veluti Reges) supra se *in foro Politico* agnoscunt superiorem, & hinc *per viam facti, &* ex proprio arbitrio perperam procedere affectant, non potest non evidenter imminere periculum peccati, quamvis evidens non sit, ex quâ parte stet injustitia:

stitia, quamdiu hoc ex publicâ authoritate non fuerit decisum. Ex debito igitur, peccati imminentis periculum manifestum avertendi, secundùm fidei, de Ecclesiæ clavibus Petro, ejusque successori commissis nos edocentis, certissimum principium, ea solicitudo incumbit illi ipsi, qui ex muneris Pastoralis Oecumenici super omnes Christi oves, ipsóque adeò Reges Christianos protensi officio, prospicere debet adversùs quodcumque non patratum duntaxat, sed de futuro *Moraliter certò* patrandum peccatum.

56. *Decimò* proinde præadducta fidei principia combinando cum præinsinuatis *naturalis* lumine indubitatis principijs, ita concludere licet. Quandoquidem evidenter conspicuum sit, in præfacto gravissimæ Regum Christianorum altercationis casu, adversùs *peccati* manifestum periculum, provideri haud posse ab Oecumenico Christi Pastore, nisi huic sit authoritas decisoria altercationis ejusmodi, involventis certum, ac evidens discrimen peccati, ex alterutrâ parte seu jam incursi, seu incurrendi. Ideircò sub illâ fidei, & luminis *naturalis* principiorum combinatione, redditur, omninò consequens, Oecumenico Christi ovium Pastori esse potestatem etiam *judicialiter & authoritativè* decisoriam causarum *Civilium*, inter ipsos quoque Reges controversarum, ubi intervenit vel peccatum, vel manifestum saltem ac *moraliter* certum peccati periculum. Quæ adeò judiciaria in tali casu, Oecumenici Pastoralis à Christo instituti muneris potestas, continetur clavibus regni cælorum, *indefinitâque quodcumque super terram solvendi, & ligandi* authoritate.

57. Quam igitur judiciariam super causis etiam *Civilibus* authoritatem pro *undecimo* fuisse in Petri successore agnitam etiam à Theodosio, & Carolo Magno Imperatoribus, *in præcitato Canone Novit. De judicijs.* asseruit Innocentius III. *Nec sic, inquiens, illud humill mum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innovavit, de cujus genere Rex ipse* (Franciæ) *noscitur dejecendisse. Quicumque videlicet litem habens, sive petitor fuerit, sive reus, sive initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione (etiamsi pars alia refragetur) ad Episcoporum judicium, cum sermone litigantium dirigatur.* Hinc ergo Gallicanus Clerus meritò studeat, suppar em Carolo Magno, Oecumenicæ super causas quoque *Civiles* sub *peccati*, quâ cum supernaturalis status fine saltem pugnantis, formalitate protensæ, Pontificiæ authoritatis observantiam religiosam, non tantùm non extinguere, sed fovere, & conservare.

ex pag. 41. n. 55.

ibid. n. 50.

§. VI.

Prætacta Summi Pontificis supra Reges authoritas firmatur ex 2. Paralip 23. & 4. Reg. 11. item Ecclesiastici 48. capite.

58. EX prioribus nempe duobus sacris capitibus constat, Ioadæ in Ritu Mosaico tunc Pontificis Maximi authoritate, Athaliam Regio solio, quod injustè occupaverat, dejectam, Ioadæque Regis filium Regali diademati restitutum esse. Circa quod exemplum instituto nostro accommodandum, *primò* animadvertere oportet, Athaliam fuisse equidem de genere illorum, qui non tantùm *in viâ Facti*, sed etiam *in viâ Iuris* sunt Tyranni, quorum ea est conditio, ut à quovis Regni concive, non quidem *jure vindictæ*, sed *jure defensionis* occidi possint; uti Theologi communiter tradunt cum Doctore Angelico. Num verò dicere fas est, Ioadam Pontificem, ex hoc *privato* duntaxat *defensionis naturalis* jure egisse adversùs Athaliam Regni Iudaici tyrannicam dominatricem? In hoc Summo Pontifice, ex constitutione Divinâ *sexti capitis Deuteronomij*, erat authoritas *Iudicij veritatem* definiendi ex sacrosanctis statûs illius Mosaici legibus. Hæc verò authoritas, Pontifici Maximo Divinitus attributa, extendebat se ad omne negotium, omnemque causam *Civilis* quoque *statûs* propriam. Uti apertè liquet *ex 17. & 21. Deuteron. capite.* Hoc igitur authoritatis Divinitus constitutæ jure, quis negare ausit, usum fuisse Ioadam Summum Sacerdotem, adversùs Athaliæ tyrannidem, eoúsque procedendo, ut & ipsam Regni possessione spoliandam decerneret, & ad eam ab usurpatâ regiminis administratione detrudendam, milites conscriberet, legitimumque Regem solio imponeret, fœdere inter Deum & Regem, nec non inter Regem ac populum sancito, non ex *privato* arbitrio suo, sed ex *publica* authoritate sacerdotij, jus Divinitus sancitum habentis *super Iudicij veritate & justitiâ?* Juxta hoc igitur Ioadæ Summi Sacerdotis exemplum, quis Summo Pontifici Novi Testamenti, negare ausit potestatem adversùs tyrannos, absque legitimo tutis titulo Regni cujuspiam invasores, procedendi ex publicâ etiam judiciariâ authoritate?

ex pag. 13. n. 54.

ex pag. 13. n. 56.

ex pag. 15. n. 72.

59. Pro *secundo*. Illorum equidem tyrannorum, qui legitimum Regni jus obtinent, sed *in via Facti* tyrannicam obeunt gubernationem, nullâ erga subditos justitiæ ac æquitatis attentâ ratione, alia sors & ratio est, ita ut secundùm Concilij Constantiensis decretum, nefas sit, à privatis quibuscumque ipsos interfici. Cujusmodi gubernatio tyrannica, si intrà puros naturæ lumini commensuratos limites subsistere posset, super eâ dijudicandâ, fortassis extendere haudquaquam se posset Oecumenici Pastoris authoritas, eo ipso tamen, quòd *Moralitatis* naturali quoque lumini proportionatæ transgressio, propter ejusdem ad supernaturalem statum elevationem, nullatenus subsistere valeat, quin *Moralitatis* quoque *supernaturalis* violatio, Pontificiæ Christi vicariæ potestati indubiè subjecta, interveniat; *An non ex hoc saltem titulo super illam extendere se meritò potest ac debet supremi Pontificis authoritas, maximè, si emergat publicum etiam Ecclesiæ damnum?*

ex pag. 13. n. 57.

ibid. n. 59.

60. Pro *tertio* igitur hujus quæsiti resolutio, ex hactenus deductis sacri Evangelij textibus facilè patet, quibus conformia sunt varia insuper Summorum Pontificum ab Authore *Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 15.* producta exempla,

non alio, quàm Oecumenici Pastoralis ad publicum sanctæ Ecclesiæ Bonum jugiter intenti officij fundamento innitentia, quibus pro exigentiâ temporum, noscuntur quàm plurimæ authoritate Apostolicâ sancitæ, Regum Ecclesiæ sanctæ rebellium exauthorationes. Etenim Anno 1076. Gregorius VII. Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, quòd sacerdotia, & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret, quòd subditorum facultates prædaretur, quòd appellationes ad Sedem Apostolicam impediret, quòd habito Wormatiæ Conventu, ausus esset, in Gregorium sententiam dicere, eúmque Papatu exuere, & denique ob multa alia flagitia excommunicat, Regnóque indignum pronunciat, & subditos juramento liberat; unde multis hinc malè actitatis, Germaniæ Principes Henricum in ordinem redigunt, & Rudolphum Sueviæ Ducem appellant Regem. *Ex Actis relatis to. 3. Concilior. ante Concilium Romanum 1.*

ex pag. 95. n. 50. & 51.

61. Anno 1079. idem Gregorius VII. Boleslaum Poloniæ Regem, eò quòd B. Stanislaum Cracovienſem Episcopum ad aras occidisset, diris perculit, Regno, omnique dignitate privatum. Ex Longino *in Polonica historia.* Baronio, & alijs. Eodem anno dictus Pontifex adversùs Philippum Francorum Regem, cùm sacerdotia pretio venderet, propterea que Episcopũ Matisconenſem admittere nollet, rescribit ad Rodericum Cabilonenſem Episcopum: *ut Regem moneret, quatenus à mercimonio tam turpi abstineret &c. alioquin censuris ferendus, Regnoque casurus. Ex lib. 1. hujus Pontificis epist. 35.* Ex cujus verbis etiam patet, Philippum Gregorio paruisse, missisque Legatis, in ejus se potestate futurum, respondisse.

62. Anno 1166. Cùm Fridericus Ænobarbus in Italiam cum exercitu movisset, incendijs & rapinis omnia vastaret, Guidonem Antipapam Alexandro III. opponeret, aderant Constantinopoli ab Emanuele Comneno Imperatore Legati, unionem cum Ecclesiâ Romanâ, ingentemque vim auri, & auxiliorum ipondentes, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Exinde Anno 1168. idem Alexander II. Fridericum Ænobarbum pernicioſissimo schismate, belloque Italiæ, Ecclesiæ, & Pontifici infestum, sacris, & Imperio interdicit, qui tamen Pontifici postea reconciliatus fuit. *Ex actis Alexandri III. apud Baronium ad dictos annos, alysque authenticis monumentis.* E contra dicto anno 1076. præfatus Gregorius VII. Demetrium Croatiæ, Dalmatiæque Ducem per suos Legatos coronari fecit Regem. Et Sylvester II. anno 1000. S. Stephano Hungariæ Duci jus dignitatis Regiæ concessit. Ex Cartuitio *in vita S. Stephani.* Anno insuper 1179. Alphonsus I. Dux Portugalliæ ab Alexandro III. ob res adversùs Arabes præclarè gestas, jus, & titulum Regis accepit. Ex Spondano & Baronio *ad hunc annum.*

cit. pag. 95. n. 49. & 50.

ibid. n. 52.

63. Annon igitur pro *quarto* dicendum videtur, Summum Novi Testamenti Pontificatum pari dotatum esse spiritu, qualis erat in Elia Propheta, de quo *Ecclesiastici 48. capite* habetur, ipsi Divinitus datum fuisse, *ut Reges increpando ungeret ad pœnitentiam, & Reges dejiceret, & confringeret ipsorum potentiam?* Hoc equidem Dei mandatum Eliæ quà Prophetæ factum, non erat cum successionis jure propagandum in posteros, hinc tamen elucet, quòusque spiritus Dei in Antiquo etiam Testamento fuerit operatus. Annon ergo fas est, asseverare talem Dei spiritum, gratiæ non gratum facientis, sed gratis datæ, habere etiamnum locum in statu Legis Evangelicæ. Hanc profectò Christus, ut Regni sui Mystici, Ecclesiæque suæ sanctæ statum sublimiùs adornaret, voluit condecoratam Regni cælorum clavibus; Petro, ejusque successori perpetuò destinatis, cum potestate ligandi & solvendi, quidquid super terram esset *Morale.* In qua portò solvendi, & ligandi Oecumenicâ authoritate subsistere spiritum non *privati*, sed *publici* jam *regiminis*, pro Religionis sanctæ seu propagatione, seu conservatione perquàm necessarium, constat *ex antecedentibus sacri Evangelij textibus.* Ex quo proinde spiritu promanavit etiam Canon *Licet. De votis.* Ubi Innocentius III. Hungariæ Regis filio, qui patris de Hierosolymitanâ provinciâ manu forti visitandâ votum, assumpto Crucis signaculo, in se susceperat, hæreditatis paternæ, Regnique privationem indixit, nisi is voto satisfaceret.

ex pag. 16. n. 71.

pag. 43. n. 91.

64. Ex eodem Oecumenicæ Pastoralis præeminentiæ spiritu pro *quinto* profluxerunt sequentia ejusdem Innocentij III. Gregorij IX. Innocentij IV. Gregorij X. Clementis V. per Authorem *Regalis Sacerdotij* in ordinem redacta exempla, ut taceamus recentiora decreta Clementis VII. adversùs Henricum VIII. Angliæ Regem, Pij V. adversùs Elisabethã Angliæ Reginam, Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. adversùs Henricum Navarræ Regem, qui tamen hæresi postmodùm abjuratâ, Religionem avitam amplexus, tandem fuit promotus ad Regiam Galliæ Coronam. Anno proinde 1210. Otto IV. Imperator, cùm Friderico juniori Regi Neapolitano, totique Italiæ bellum inferret, nec à Pontifice admonitus, cœptis absisteret, ab Innocentio III. anathemate perstringitur, Imperio arcetur, permissuque Pontificis idem Fridericus Henrici V. Imperatoris filius, à Germaniæ Principibus throno imponitur. Urspergensis *in Chronico.* Spondanus, & Bzovius *ad hunc annum.* Anno 1239. Gregorius IX. Fridericum II. Imperio, & sacris interdicit, idemque postea solenni ritu in Concilio Generali Lugdunensi ab Innocentio IV. anno 1245. est repetitum. Blondus, Platina, Spondanus *ad hunc annum.* Anno 1275. Gregorius X. mandavit Principibus Germaniæ, ut tandem Imperatorem creent, nisi velint, aliquem à se imponi: sicque Imperium devenit ad Rudolphum Habspurgensem. Spondanus *ad istum annum.* Anno 1307. interfecto Alberto Imperatore, Philippus IV. Galliæ Rex solenni ad Clementem V. legatione Imperium sibi, vel Carolo fratri petijt, ut sic Imperium rediret ad Francos. Conradus Vicerius *in lib. de gestis Henrici VII.* Bzovius *ad hunc annum.* Æmilius *in Philippum Pulchrum.*

pag. 91. n. 54.

ex pag. 96. n. 55.

§. VII.

§. VII.

In quo Regum præeminentiæ etiam in temporalibus erga Sedem Apostolicam in casibus publicæ Ecclesiæ necessitatis, subordinatio demonstratur ex 1. Corinth. 6. capite.

65. IBi namque Apostolus ordinavit, ut Christiani provocantes ad sæcularia judicia, pro decidendis controversijs, quas haberent erga confratres, adirent tribunal vel Apostolicum, vel sacerdotale Apostolicâ authoritate constitutum. Cujus ordinationis suæ rationem dans Apostolus *ibidem*, *An nescitis*, ait, *quoniam Sancti de hoc modo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?*

Textus Apostolicus integre recitatus, & suæ disquisitioni præmissus pag. 18. an. 92. & pag. 18. an. 96.

66. Hunc igitur textum Apostolicum expensuris nobis, *primo* loco occurrit nonnemo prætendens, Apostolum ibi minimè loqui de legitimis judicijs, quæ à Magistratibus, publicisque Iudicibus authoritate publica exercentur, sed de arbitris, qui communi sensu designati essent Civilium controversiarum inter Christianos diremptores.

ex pag. 2. n. 109.

67. Verùm isthæc expositio non videtur adæquata, attento integro Apostoli sacro textu, sic argumentantis *versu 3. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Ex quo clarè apparet, quòd Apostolus sibi vendicarit jus & authoritatem in res humanas & politicas. Quo modo istum locũ intellexerunt B. Clemens S. Apostolorum Petri & Paulauditorita sanciens *in Constit. Apostol. lib. 2. cap. 51. Quòd* oporteat, *in secunda sabbathorum cognoscere causas. Adsint autem judicio Diaconi & Presbyteri, integrè judicaturi, velut Dei homines, cum justitia.* S. Anacletus *in Epist. ad omnes Episcopos, & Christi fideles* sic scribens: *Si fuerit sæculare negotium, apud ejusdem ordinis viros terminetur, judicio tamen Episcoporum &c.* Gregorius VII. *lib. 8. epist. 21. Cui*, inquiens, *aperiendi, claudendique cæli data est potestas, de terra judicare non liceat? Absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus, quia Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Divus Gregorius Magnus *2. par. Pastoralis cap. 7.* ex allegato Apostoli textu agnoscit *potestatem in sæcularia Pastoribus datam, sed eâ uti non vult, ut tantò spiritualibus negotijs attentiùs operam navent.*

ex pag. 19. n. 93.

ibid. n. 94.

68. Quibus insuper favent leges Theodosij, & Caroli Magni *in anterioribus* adductæ: favet etiam antiquus usus Ecclesiæ: Judices enim in causis etiam sæcularibus sederunt Gregorius Thavmaturgus, Ss. Ambrosius, Augustinus, Sinesius, alijque Episcopi, ut fert *Historia Ecclesiastica*: quamquam crescente numero Christianorum simul & litium, hoc onus rejectum fuerit in humeros sæcularium Judicum jam Christianorum, ne Episcopus præfocatus sæcularibus negotijs, minùs vacare posset verbo Dei.

69. Quòd si pro *secundo* quispiam inquirat; *Unde Paulus talem potestatem sibi adsciverit?* In promptu est responsio, quòd cæteris, præter Petrum, Apostolis fuerit etiam à Christo *immediatè* concessa Apostolica authoritas, seu Generalis erga Christi fideles Iurisdictio, *extraordinaria* tamen, & *quasi delegata*: quam enim Christus Dominus *Matthæi 18.* universis Apostolis promisit *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem, hanc ijsdem *actualiter* commisit *Ioan. 20.* dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Sub hisce quippe verbis, secundùm Patres, significatur legatio Apostolis commissa, ipsorum singulorum personis annexa, nec adeò transferibilis in successores: de qua legatione etiam Paulus accipiendus est, *pro Christo*, inquiens, *legatione fungimur.* In vi cujus adeò legationis, Paulo erga totum orbem in unitate Ecclesiæ coadunatum, erat jurisdictio Apostolica, verè etiam legislativa, quam *ad Thessalonicenses 4.* à se exercitam, diserte profitetur. In vi cujus proinde potestatis Apostolicæ Paulus *præcitatus* dicebat: *Nescitis, quia & Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Quantò igitur magis talis super Christianorum *Civilibus* causis judiciaria potestas competit Petri, ejusque successorum ordinariæ authoritati Apostolicæ, eo ipso, quòd nulla *sub statu omnimodæ Moralitatis ad supernaturalem quampiam participationem elevatæ*, sit intelligibilis humana libera actio, quæ non involvat aliquam respectu salutis æternæ, ac publicæ etiam Religionis, sanctæque Ecclesiæ Boni communis vel ordinabilitatem, vel ab hac deficientiam *Moralem*, quam in hominibus Christi charactere insignitis subdi Ecclesiæ clavibus, *indefinitæque* ad solvendum & ligandum potestati Apostolicæ, multimodè patet *ex antecedentibus.*

ex pag. 24. n. 110.

70. Et hinc pro *tertio* solida & fundamentalis desumi potest præsentis instituti nostri ratio Theologica. Etenim in illis etiam causis, in quibus intervenit aliqua ratio, statum supernaturalem concernens, si concurrat simul ratio quæpiam, respiciens sphæram luminis naturalis, non immeritò prætendit Politicus Magistratus, sibi præveniendo saltem, esse jus, causam ejusmodi cognoscendi, judicandi, ac decidendi. Quidni ergo indubitatum teneat vicissim hoc furis principium, quotiescumque in causâ luminis naturalis sphæræ commensuratâ, sicque adeò ad Tribunal sæculare spectante, concurrit *Moralitas* ad supernaturalis statûs sphæram indubitanter pertinens, posse *consequenter* trahi ad tribunal Ecclesiæ clavium, ex *indefinita* ligandi & solvendi *Quodcumque super terram*, potestate consistentium, cum ordine ad salutem æternam, unicum supernaturalis statûs Finem, adeoque mensuram sphæræ causarum, ad Ecclesiasticum Tribunal spectantium? At indubitata Fidei veritas est, nullum esse actum, à luminis etiam naturalis *Moralitate* deficientem, quin eo ipso consistat simul sub sphærâ deordinationis à fine salutis æternæ, atque adeò *sub hac formalitate* spectet ad judicium Ecclesiasticum.

ex pag. 20. n. 99.

71. Unde pro *quarto* licet hunc in modum concludere. Quandoquidem in omnibus circa causas etiam Civiles controversijs, ex alterutra litigantium parte, interveniat aliquid à jure æquitatis saltem naturalis exorbitans: hæc verò

cit. pag 20. n. 100.

verò exorbitantia inevitabiliter inferat deviationem à fine supernaturali, ut sic subjectam potestati, statui supernaturali proportionatæ, *indefinitæque supra omne id, quod est super terram Morale, ligandi, & solvendi authoritate* munitæ: hæc autem, cum æquitatis naturalis transgressione inevitabiliter connexa *Moralitatis supernaturalis* deordinatio, nequeat esse manifesta, usque dum facta fuerit hujusmodi *Civilis* controversiæ decisio. Ideo forum *Ecclesiasticum* causis *Civilibus* litigiosis non equidem tam facilè se immiscet, quoúsque accedente pertinaciâ, apertè agitur de reatu, salutis æternæ dispendium subinferente: attamen ex prædducto fundamento, Ecclesiastica authoritas se omninò posset ingerere, accedentibus præsertim causis specialibus, Christianorum salutis respectum habentibus, uti evenerat in Corinthijs, quorum occasione Paulus propterea Apostolicâ suâ, licèt non *ordinariâ*, sed *extraordinariâ*, & per Christum *quasi delegatâ* potestate condiderat præinsinuatum statutum.

71. *Quintò* igitur hoc ipsissimum fundamentum est, per quod Innocentius III. *in Cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.* legem *Deuteronomij* Sacerdotio Summo decernentis potestatem super causis & *Civilibus* & *Criminalibus* ferendi *Iudicij veritatem & justitiam*, combinando cum mandato Christi Domini, demandantis Petro, ejusque successori *perpetuam, Quodcunque ligandi & solvendi authoritatem*, exinde concludit, *in causis etiam Civilibus, dum aliquid fuerit difficile & ambiguum*, esse recurrendum ad judicium Sedis Apostolicæ; inducto in hunc finem ipsissimo illo Pauli textu Apostolico, quo *ad Corinthios* effatus est: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?*

pag. 67. n. 172.

73. Quæ proinde utriusque sacræ Paginæ principia in formam syllogisticam reducendo, pro *sexto* hunc in modum licet argumentari. Quæ potestas judiciaria discernendi *inter sanguinem & sanguinem, causam & causam*, jure *Deuteronomij* competebat Sacerdotio Veteris Testamenti, majori cum eminentiâ est per Christum in Novo Testamento concessa authoritati Apostolicæ, in Romano Pontifice jam subsistenti. At ipsissima hæc Apostolicæ authoritatis, Petri successori, Romano Pontifici competentis, potestas, continetur Christi Domini verbis: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis &c.* Hæc verò clavium Petro concessarum potestas non est minoris virtutis, ac fuerat Apostolica Paulo delegata authoritas, quam ad sæcularium causarum judicium protendi, apertè contestatus est is Apostolus, eò vel maximè, quòd Petro, ejusque successori per Christum destinata clavium potestas, clarè extendatur ad *Quodcumque super terram* pro causarum meritis seu *solvendum*, seu *ligandum*. Eo ipso autem, quòd ista clavium potestas ex Christi Domini instituto, habeat ordinem ad regnum cælorum, nequit ad usum reduci, nisi sub statu causæ, salutem æternam, Ecclesiæque sanctæ Bonum, seu fidei, ac Religionis veræ publicam utilitatem respicientis. Hoc igitur ad Regnum cælorum servato ordine, Summus Pontifex Innocentius III. *in citato sacro Canone Per venerabilem.* secundùm causarum differentias, uni, nempe Regi Franciæ meritò concessit, alteri verò, nempe Comiti Pessulano, sibi in temporalibus etiam subjecto, jure negavit, Iuris tum Canonici, tum *Civilis* dispensationem, in ordine ad temporalis quoque hæreditatis, ex legum *Civilium* dispositione illegitimis denegatæ successione.

ex cit. pag. 67. n. 173.

Ex ipsissimo hoc fundamento, pro *septimo* inducti sunt Theodosius Imperator, & ipsi conformiter Carolus Magnus, quòd, uti *supra* dicebatur, sanxerint legem prælegato Canoni *Novit. 13. De Iudicijs.* insertam, *in vi cujus Christianus quisque sive Reus, sive Actor possit, relicto Tribunali sæculari, etiam post litem contestatam, adire judicium Ecclesiasticum.* 74.

pag. 20. n. 100.

Ex eodem fundamento Innocentius IV. in tràConcilium Generale Lugdunense *Cap. Grandi. De supplendâ negligentia.* rescripsit ad Barones & Comites Portugalliæ, ut *Regis fratrem de devotione ac circumspectione multipliciter commendatum, cùm ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque piorum locorum &c. sit assumptus*, in civitatibus & munitionibus Regni prædicti recipere, cum omnibus suis procurarent, fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, quibus fortè tenerentur Regi, aut ipsius etiam Regis prohibitione, haudquaquam obstantibus. 75.

ex pag. 67. n. 176.

Ex illo ipsissimo fundamento Ioannes XXII. *in Extravagante unica. Si fratrum. Ne sede vacante.* rescripsit: *De jure liquidum esse, & ab olim inconcussè servatum, quòd vacante Imperio, cùm in illo ad sæcularem Iudicem nequeat haberi recursus; ad Summum Pontificem, cui in persona Petri, terreni simul & cælestis Imperij jura Deus ipse commisit, Imperij prædicti jurisdictio, regimen, & dispositio devolvantur. Et ideo sub excommunicationis pœnâ monuit, ut, qui post vacationem Imperij, absque Sedis Apostolicæ licentiâ Vicarij nomen assumpserunt, ab hujus usu, potestate & exercitio prorsus abstineant: omnibus & singulis, qui hujusmodi Vicariatûs nomen retinentibus juramento fidelitatis tenerentur obstricti, à juramento hujusmodi absolutis.* 76.

ex pag. 68. n. 180.

Octavò Ex prædducto fundamento subsistit insuper Innocentij III. *Cap. Venerabilem. 34. De electione.* relatum rescriptum, quo disertissimis verbis asseverat, *jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodùm promovendum, ad Principes Germaniæ pervenisse à Sede Apostolicâ, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos: quos proinde recognoscere debere, quòd jus & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, spectaret ad Romanum Pontificem, cujus est, eum inungere, consecrare, & coronare &c. Qua de causa, cùm in electione vota Principum dividuntur, posse eundem Pontificem post admonitionem & expectationem, alteri parti favere, maximè postquàm ab ipso unctio, consecratio, & coronatio fuerit postulata: velut pateat jure pariter & exemplo,* 77.

ex pag. 51. n. 111.

Ejusdem tenoris, eodemque fundamento nixa est constitutio Clementis V. in Concilio Viennensi edita, & relata *in Clementina unica.* 78.

ex pag. 54. n. 113.

De

De iureiurando. quòd nempe Sedes Apostolica à Græcis Imperium transtulerit in Germanos, à quâ ad certos eorum Principes, jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postea promovendum, pervenerit, Imperatorésque sic electi Sedi Apostolicæ obstringere se debeant juramento.

79. Ex eodem fundamento novissimis sacri Concilij Tridentini temporibus Paulus IV. & Pius IV. improbabant, quòd Ferdinandus I. ex pag. 51. n. 166. ex placito quidem Pontificis, titulo Regis Romanorum jam potitus, attamen inconsulto Papâ, fuerit ab Imperij Principibus cooptatus Imperator: cùm enim Imperatores Occidentis, eorumque Electores fuerint ab Apostolica Sede instituti, obtinuerintque Romani Pontifices antiquissimum jus, ne quis eâ potiretur coronâ, absque ipsorum Pontificum confirmatione, justè prætendebatur ex parte Romani Pontificis, neque Caroli abdicationem, adeóque neque Ferdinandi subrogationem esse tanquam legitimam comprobandam absque interventu Pontificiæ authoritatis: fuisse quidem Ferdinandum assensu Pontificio jam electum Romanorum Regem, sed per hujusmodi conditionem non effici, ut ille legitimus esset successor, nisi quando Sedes Imperatoria morte Cæsaris vacasset; in quovis alio vacationis genere novâ Pontificis comprobatione opus esse.

80. Quæ Apostolicæ Sedis justa prætensio in tantum evincebat, ut Ferdinandus postmodùm datis ad Pium IV. litteris, suam electionem ex pag. 54. n. 122. à Pontifice ratam haberi postulârit. Quod etiam consecutus Ferdinandus grates agebat Pio, ipsismet quoque Heterodoxis ex ore Heideggeri *in Sess. 17. sacri Concilij Trident. argut. 6.* fatentibus, à Ferdinando Oratorem Germanum pro suâ confirmatione Romam missum fuisse: claro sanè argumento, hoc jus confirmandi Electum Imperatorem, ne hostes quidem fidei ac Religionis Pontificiæ adversarios, pernegare ausos fuisse.

81. Neque verò pro *nono, ex generalibus* duntaxat, Pontificiæ superReges sacris Litteris probatæ authoritatis *principijs*, sed ex *speciali jure*, Summus Pontifex potuit, ac etiamnum pro semper potest sibi vendicare potestatem tùm confirmandi Regem Romanorum electum, sub prævio de habilitate examine promovendum in Imperatorem, tum consequenter reprobandi, si repertus fuerit inhabilis. Eo ipso enim, quòd Pontificiâ authoritate ad Germanos sit translatum Occidentis Imperium, atque hinc *speciali jure* Sedes Apostolica habeat sibi obstrictum Imperatorem, ut teneatur esse Defensor & Advocatus Romanæ Ecclesiæ: efficitur hinc, omninò fas esse Romano Pontifici, ut, si electus repertus sit inhabilis, ac propterà reprobatus fuerit, suæ sanctæ Sedi, Ecclesiæque prospiciat, ubi discors fuerit Electio, alterutri etiam Electorum parti accedendo, ne Sedes Apostolica carere debeat Advocato & Defensore, juxta id, quod habetur in præadducto Canone *Venerabilem.*

82. Ex quo ipsissimo principio *de Occidentis Imperio per authoritatem Pontificiam in Germanos translato*, sit insuper, *decimò* consequens, Summo Pontifici fuisse hinc jus quæsitum, tum statuendi de normâ Imperatoriæ electionis, tùm consignandi certos Principes, quibus hoc eligendi jus appropriaretur. Ipsa namque ratio naturalis dictat, jus Imperij legitimâ authoritate Græcis ademptum, in hunc primitùs concessisse, qui hoc jus Græcis legitimè (uti *in præcedentibus* probatum est) ademerat. ExRomano equidem Pontifice, Occidentis Imperium eatenus fuerat derivatum in Carolum Magnum, ut jure hæreditario subsisteret penes illius stirpem masculinam, quamdiu supererat, qui habilis esset gubernando Imperio, cujus habilitatis ratio ab Apostolica potestate, ex præinsinuati Iuris titulo, dijudicanda fuerat, ubi Carolo Simplici ultimo ex Carolina stirpe progenito repudiato, Magnates Germaniæ Ducem Saxoniæ Imperio præficiendum sanxerant. Ubi enim Jus hæreditariæ in Imperio Occidentali successionis, in Carolina stirpe exspiravit, penes Principes Germaniæ jus eligendi Imperatorem, nullo justo titulo subsistere poterat, nisi dependenter à Sede Apostolicâ, per quam jus Imperij à Græcis justè ademptum, in ejusdem transierat potestatem, & hinc in Carolum Magnum, ejúsque masculinam duntaxat stirpem successionis hæreditariæ titulo translatum fuerat, penes Sedem Apostolicam residente *radicali* quasi primævi Juris, uti dictum, sibi quæsiti facultate. Ex cujus proinde dispositione necessariò pendêre debuit ulterior intrà Germanos prorogatio, dum isti neque hæreditariæ respectu Caroli Magni successionis ratione, neque alio super Jus Imperij à Græcis adempti justo titulo, ex tunc potiebantur. ex pag. 65. n. 161.

83. Sed pro *undecimo*, ad universale Pontificiæ super Reges & Imperatores potestatis fundamentum & principium regrediendo, opportunè expendenda venit constitutio, in Concilio Generali Lugdunensi ab Innocentio IV. edita, & relata *in Cap. Ad Apostolicæ. De sent. & re judicatâ.* Ubi Pontifex nefandis Friderici II. Imperatoris excessibus, cum sancto Concilio maturâ deliberatione præhabita perpensis, ita decernit: *Cùm Iesu Christi vices teneamus, Nobisque in persona B. Petri sit dictum;* Quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis, *idcircò memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis &c. reddit tam indignum, omni dignitate privatum à Domino denunciamus, & nihilominùs sententiando privamus omnes, qui ei jurejurando fidelitatis tenentur adstricti, à juramento ejusmodi perpetuò absolventes &c. Illi autem, ad quos electio spectat Imperatoris, liberè eligant.* ex pag. 80. n. 44.

84. Quæ proinde Canonica & Conciliaris sanctio pro *duodecimo* noscitur reduci in hoc fidei principium, quo credimus, *Summum Pontificem Christi in terris agere vices, ipsique in persona Petri dictum esse*: Quodcumque ligaveris, seu solveris super terram, erit ligatum, seu solutum in cælis. Quis enim negare ausit, sub isto *Quocumque, quod est in terra Morale*, contineri & actus *Morales* publici quoque à Rege promanantis Regiminis, & *dignitatis* ex pag. 83. n. 62.

Regiæ

Regiæ ad hanc individuam personam, ex æquitatis publicæ etiam Religiosæ ratione, faciendam applicabilitatem, ejusque in Rege Ecclesiæ sanctæ clavibus subjecto perseverantiam *Moralem*? Sub illo adeò fidei principio, per eam sanctionem Synodalem, expendebatur Imperatoris prætacti ex facinoribus suis indignitas. Cujus judiciaria proinde discussio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà præcisam prudentiæ *naturalis* sphæram, non supergrederentur *Moralem* certitudinem; attamen hoc Oecumenici Concilij judicium, per Spiritûs sancti gratiam ita depurabatur *à Materiali*, falsitatis periculo obnoxiâ *concretione*, ut altior prudentiæ infusæ commensurata certitudo *practica*, omnimodam falsitatem excludens, per Dei instinctum efformata, & cum illo fidei principio collata, sub formâ *virtualiter* saltem syllogisticâ progrederetur ad concludendam sententiam, adversùs Imperatorem *judicialiter* ferendam, sub verâ lumini supernaturali innixâ consequentiâ Theologicâ; uti fusiùs demonstratur *suo loco*, ubi agitur *de Summi Pontificis in rebus Fidei ac Morum infallibilitate.*

85. Ex quibus universis pro *decimotertio* facilè intelligitur fundamentalis ratio, per quam asseverare liceat, *claves regni cælorum Petro, ejusque successori à Christo concessas, complecti quoque temporalia ipsorum etiam Regum jura.* Etenim cujuscumque potentiæ, seu potestatis duplex noscitur esse objectum, *Formale* scilicet ac *specificativum*, *& Materiale* seu *Terminativum.* Oecumenicæ igitur Pontificiæ & Ecclesiasticæ potestatis objectum *Formale* ac *specificativum* importat quidem ordinem ad regnum cælorum, sicque adeò spiritualia *per se* habentia talem respectu Regni cælorum ordinabilitatem, *per se primò* subduntur Ecclesiæ clavibus, seu Ecclesiasticæ potestatis regimini & authoritati; quidquid tamen participat de tali ordinabilitate, est hoc ipso de ejusdem Apostolicæ potestatis objecto *Materiali*, atque adeò non *per se primò*, sed *per accidens*, vel *secundariò* sub ejus formalitatis participatione, subijcitur sanctæ Ecclesiæ judicio. At verò quidquid *Moralitatis* est in hominibus Christianis, eorumque actibus & negotijs, seu causis quibuscumque etiam Civilibus, est vel ordinabile in Regnum cælorum, vel ab hac ordinabilitate est deficiens. Sub tali erga *Moralitatis*, ipsiusmet etiam Regiæ potestatis exercitio convenientis, seu debitæ ad certum subjectum applicationi, ejusque regimini de se licèt Politico inexistentis, *ad regnum cæleste seu spirituale*, tum Ecclesiæ Triumphantis salutem æternam, tum Militantis Ecclesiæ Bonum etiam Publicum *ordinabilitate*, quævis causæ *Civiles* & *temporales*, etiam publicæ ac Regales, subeunt rationem *objecti Materialis*, respectu Apostolicæ Oecumenicæ authoritatis.

ex pag. 24. n. 111.

86. Hinc denique pro *decimoquarto*, licet concludere per sequentem argumentationem Theologicam, ex duobus nempe omninò certis, partim *Fidei*, altero partim *naturæ lumine* notis principijs deductam. Etenim lumine naturæ notum est, cujusvis potentiæ, seu potestatis sphæram extendi super omne id, quod ita comparatur ad ipsius *Formale specificativum*, ut propterea, respectu illius, superinduat rationem *objecti materialis.* At ex fidei veritate compertum est, Oecumenicæ Petro, ejúsque successori commissæ, clavium potestatis *proprium*, & *Formale specificativum* esse ordinabilitatem ad Regnum cælorum; *juxta apertum Christi Domini verbum.* Quidquid ergo superinduit istam respectu Regni cælorum ordinabilitatem, ita supervestitur *Formali specificativo* Oecumenicæ Petro commissæ clavium potestatis, ut *consequenter* ad istam se habeat per modum *objecti materialis* & *terminativi.* At verò quidquid in homine Christiano est *Morale*, secundùm fidei principia, vel *positivè*, vel *privativè* participat de formalitate ordinabilitatis *ad regnum cælorum.* Ergo quidquid in homine Christiano est *Morale*, per modum vel *positivæ* participationis, vel *privativæ* oppositionis, ita superinduit *formalitatem* Oecumenicæ, Petro commissæ clavium potestatis *specificativam*, ut *consequenter* sit de ejus *objecto Materiali* ac *terminativo.* Atqui Regiæ quoque potestatis ad certum subjectum, æquitati etiam religiosæ consona applicabilitas, una cum universo regimine ac exercitio libero ejusdem Regiæ authoritatis, secundùm fidei principia, superinduit de *Moralitate* vel ordinabilitatis ad Regnum cælorum, atque salutem æternam, sacræque Religionis universalem utilitatem, vel ab ista deficiendo, importat deordinationem saluti æternæ, atque Religionis Bono *Moraliter* oppositam. Ergo *lumine naturæ* conspicua principia combinando cum *fidei* principijs, *per consequentiam verè Theologicam* rectè infertur, Regiam quoque potestatem, cum sui ad certum subjectum applicabilitate, nec non publico etiam exercitio, superinduendo *Moralitatem* in Regnum cælorum ordinabilem, vel ab hoc ordine deficientem, ita superveltiri Oecumenicæ Petro commissæ clavium potestatis *Formali specificativo*, ut *consequenter* sit de istius *objecto Materiali*; sicque adeò unam de se licèt simplicem, Oecumenicam Summi Pontificis authoritatem *virtualiter* continere duplicem gladium: *primariò* equidem spiritualis, *secundariò* autem temporalis, super ipsos etiam Reges protensæ potestatis. At conclusio partim ex *fidei*, partim ex *luminis naturalis* certis & indubitatis principijs, *per consequentiam Theologicam* ritè illata, ita reducitur in fidei principium, ut *virtualiter* saltem sit de fide. Viderint ergo, qui Reges Summi Pontificis Oecumenicæ potestati, etiam *per accidens indirectè materialiter* ac *consecutivè* subjectos negare contenderent, quomodò securè ambularent in Fide Orthodoxa?

ex cit. pag. 14. n. 113.

Caput III.

An ex hoc, quòd potestas Ecclesiæ tota spiritualis sit, nullatenus extendi valeat erga temporalia?

1. IN *hoc* & *sequentibus capitibus* refutare conabimur, quæ Ludovicus Ellies Du Pin, sacræ

facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor *in suis de antiqua Ecclesiæ disciplina dissertationibus historicis* anno 1686. editis, *dissertatione septimâ* adducit, ad probandum: *Pontificem, aut Ecclesiam habere nullam in Reges, eorúmque bona authoritatem* directam, *vel* indirectam, *nec posse Reges ab ipsis ullatenus deponi, aut eorum subditos à fide, ac obedientiâ eximi.* Hujus sui intenti *in Proloquio dictæ septimæ dissertationis* sequentia statuit principia, ceu evidentissima ac certissima. *Primum* est; *Quòd civilis, & Ecclesiasticæ societatum fines sint omninò disparati, & neuter sit alteri subordinatus.* Secundum; *Quòd potestas societatis civilis in corpora duntaxat extendatur, societatis verò Ecclesiasticæ authoritas tota spectet ad animos.* Tertium; *Quòd potestas Ecclesiastica nihil possit, nisi ut agat exhortationibus, ac præceptis, excommunicationibúsque, non alijs pœnis adversùs inobedientes.* Quartum; *Quòd Ecclesiasticarum legum alius finis non sit, quàm doctrinæ & disciplinæ Christianæ sanctitatem & puritatem illibatam servare.* Unde oritur quæstio; *Quibus medijs hic finis valeat obtineri?*

2. Ex quibus principijs idem Ellesius infert, tum *quòd Ecclesiæ potestas ex toto eatenus sit spiritualis, ut in temporalia sive Regum, sive aliorum Bona minimè extendatur, nec adeò Reges deponi possint authoritate merè Ecclesiasticâ.* Tum *quòd idem homo possit quidem simul esse membrum societatis* civilis *&* Ecclesiasticæ, *attamen in* civilibus *subjiciatur* civili *duntaxat potestati, in* spiritualibus *verò* Ecclesiasticæ, *ita, ut ambæ istæ potestates sint penitus disparatæ, & à Deo solo, à quo sunt institutæ, dependeant, ac proinde neutra in alteram quidquam possit, tametsi* spiritualis *sit* temporali *sublimior.* In hanc proinde summam redigitur prætactum Ellesij proloquium, cujus seu principia, seu consectaria, licèt in *anterioribus* jam discussa, elucescant, multis vel erroribus, vel periculosis scatere dogmatibus, cum sacræ Scripturæ, & antiquæ Orthodoxiæ sensu haud cohærentibus, nihilominùs operæpretium est visum, sub argumentis ab Authore illo propositis, accuratiùs ea expendere.

§. I.

An ex eo, quòd Christus ceu Ecclesiæ Caput, nullam in temporalia exercuerit potestatem, demonstrari valeat, potestatem Ecclesiæ nullatenus extendi ad temporalia?

3. Ludovic. Ellies *cit. dissert. 7. cap. 1. §. 1.* argumentatur 1. Christus non aliam Ecclesiæ contulit potestatem, præter eam, quam à Deo Patre, quatenus homo est, accepit; *sicut misit me* (inquiens *Ioannis 20. v. 21.*) *vivens Pater, & ego mitto vos.* Unde Ecclesiæ Ministri dicuntur à B. Paulo, Christi vices agere, & pro ipso legatione fungi. Unde ad ostendendum, Ecclesiam non habere ullam temporalem potestatem, demonstrare sufficiet, Christum, quatenus Ecclesiæ Caput fuit & fundator, nullam sibi arrogâsse in temporalia Regum authoritatem, nullamque exercuisse temporalem potestatem. At Christus ipse diserte dicit, se ad hoc non venisse, ut ullam temporalem à Patre acceptam haberet potestatem, cùm enim Iudæi ipsum apud Pilatum accusâssent; quòd *se Regem Iudæorum esse*, dixisset, interroganti: *Num Rex esset Iudæorum?* respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et urgenti eidem Pilato: *Ergo Rex es tu?* Respondit quidem: *Tu dicis, quia Rex sum.* Attamen *ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quomodò igitur Christus clariùs profiteri potuisset, se non venisse in mundum, ut temporalem exerceret potestatem? Et hinc S. Augustinus *in eum locum tract. 15. in Ioannem. Audite*, ait, *omnia regna terrena; non impedio dominationem vestram in hoc: venite ad regnum, quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite servire metuendo: dicit quidem prophetia de Deo Patre:* Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus; *sed Sion illa, & mons ille non est de hoc mundo, quod est enim ejus regnum, nisi credentes in eum? quibus dicit:* De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo.

Responsio, & ac retorsio confutatoria hujus argumenti.

Primò. Reflexione habitâ ad istius ratiocinationis majorem, plus concedam, quàm ipsemet Ellesius desideraverat, mensuram potestatis Ecclesiæ statuendo ex mensurâ dominij, Christo quà homini competentis. Numquid verò Christus *Apocal. 1.* diserte dicitur *Princeps Regum terræ?* Numquid *Act. 10.* asseritur *Iesus esse Dominus omnium?* Numquid *1. Corinth. 11.* habetur: *Omnia esse ei subjecta*, scilicet Christo, *præter eum, qui subjecit ei omnia.* 4i

Ellesius equidem *cit. §. 1. propè finem* excipit; *ejusmodi sacræ Scripturæ textus, quibus Christus Regnorum ac Regum omnium Dominus dicitur; convenire ipsi ratione Divinitatis, adaptari autem Christo homini per communicationem idiomatum.* 5i

Verùm *Heb. 1.* habetur Christus *esse hæres universorum.* Numquid autè Christo secundùm Divinitatem convenire potest, esse hæredem? Insuper *Apocal. 17.* dicitur in femore ejus scriptum: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Numquid verò sub isto femore intelligitur humanitas? Et hinc *cit. 1. ad Corinth. 15.* capite fit distinctio inter eum, qui subjecit Christo omnia, & eam naturam, cui in Christo subjecta sunt omnia. Quia igitur non *secundùm hypostasin ut sic*, sed *secundùm Divinitatem* convenit Patri, quòd Christo subjecisset omnia: neque verò Christus *secundùm Divinitatem* est distinctus à Patre, idcircò manifestum hinc redditur, Christi humanitati, seu Christo quà homini esse omnia subjecta. Anne igitur hanc Christi dominij super omnia universalitatem dicere fas est, mensuram esse potestatis Ecclesiasticæ? 6i

Arctiorem profectò hujus potestatis sphæram adstruo, coarctando eam ad lineam *moralitatis.* Numquid enim Christus *Ioannis 20.* dicens Apostolis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos:* respexit ad illa sua *Matthæi 18.* exarata verba: *Quodcunque ligaveritis super terram;* 7i

in Sion sanctæ Ecclesiæ monte, seu Regno Christi, fateri compellitur ipsemet etiam Ellies, asseverans, esse litteralem illam S. Augustini expositionem, quâ dixerat, eam Psalmidicam Prophetiam intelligendam esse de Christi Regno, *quod sunt in Christum credentes.*

ARGUMENTUM II.

10. LUdovic. Ellies *cit. §. 1.* argumentatur tum ex S. Chrysostomo *in illum locum Ioannis hom. 18.* docente: *Quòd Christus in cælo habeat imperium non humanum, sed longè majus, atque præstantius*: tum ex S. Ambrosio *in Lucam lib. 3. Christum*, inquiunte, *profitentem, non esse de hoc mundo regnum suum, ostendisse, esse supra mundum, nec esse in sæculo, sed supra sæculum.* Unde redditur consequens, quòd Christus non habuerit potestatem Regiam, sed Regia superiorem, alteriúsque ordinis, ac dignitatis: tum ex Divo Cyrillo *in illum locum* docente: *Quòd Christus Pilato respondens, non negârit, Regem se esse &c. sed regni Cæsaris non esse hostem, ostendisse, quia principatus ejus mundanus non est, sed cæli, terræque, cæterarúmque rerum omnium.* Quare *Vicaria* quoque Christi potestas mundana non est, sed supra mundum, & supra sæculum.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

11. PRimò. Lubens admitto, Christi *Vicariam* in mundo potestatem non esse mundanam, perinde, ac Christi principatus, tametsi juxta S. Cyrilli sententiam, cælum, terrámque, cæteráque omnes res ambiat, *haud mundanus est, sed supra mundum, & supra sæculum.* Numquid autem *supra mundum, & supra sæculum* est principatus ille, cujus *formale specificativum* est ordinabilitas in regnum cælorum, adeóque *moralitas* lineæ etiam supernaturalis? Esne verò in usu etiam rerum temporalium, potestatilque Regiæ exercitio, excogitabilis status aliquis, quin superinduatur *moralitate* vel ordinabilitatis in regnum cælorum, vel ab hoc deordinationis seu *privativæ* ac *negativæ*, seu *positivæ*, quandoque ad *positivam* sacræ Religionis, & Ecclesiæ sanctæ, Christique adeò Regni devastationem intentæ? Talis proinde principatus Ecclesiasticus, ordinabilitatem ad regnum cælorum *authoritativè* procurans, & ab hoc deordinabilitatem perversam, *virgâ* etiam *ferreâ* coercens, nullatenus præjudicat Cæsareæ, & Regiæ terrenæ potestati, sed hanc evehere satagit in sublimiorem supernaturalis *moralitatis* statum, sub quo intelligi possit esse *supra mundum, seu sæculum.*

12. Hujus ergo supramundani principatûs, Christi in terris *Vicarij* sphæram accuratiùs indagare cupiens, pro *secundo* sciscitor ex Elliesio quandoquidem is principatus sit à Christo designatus ex clavibus Regni cælorum, munitis *authoritate ligandi & solvendi quodcunque super terram*: quidnam subintelligatur sub isto Tò *Quodcunque*, quod sacer contextus sub *morali* ad regnum cælorum ordine subjecit super terram ita vel solvendum, vel ligandum, ut ratum habendum sit etiam in cælis? Nónne ex proprietate verborum hujusmodi, sub illo Tò *Quodcunque*, accipi debet *quodvis morale*, in supernaturalem Ecclesiæ seu triumphantis, seu militantis, ceu regni cælorum finem, vel ordinabile, vel ab ista *moralitatis* supernaturalis ordine defectibile? An verò dicere fas esset, Regem Christianissimum ab hoc erga regnum cælorum ordine esse exclusum, ne dicam, *quoad animam suam* duntaxat, seu *spiritualia*, sed *quoad moralitatem* suarum publici quoque ac politici regiminis actionum, imò ipsiusmet etiam Regiæ ad suam Christi charactere insignitam personam *subjectivæ* applicationis?

13. Huic proinde *moralitati* insistendo, pergo ulteriùs sciscitari: an non secundùm ejusdem *moralitatis* mensuram, extendenda sit etiam virga correctoria *Matth. 18.* Ecclesiæ commissa erga quoscunque, *si peccaverint*, Christianitatis consortes fratres? Num verò citra gravissimam injuriam dici posset Rex Christianissimus, inter hos Christianæ communionis fratres non esse comprehensus? Num igitur Regum à debita in regnum cælorum ordinatione, cum gravi quandoque, publicæ etiam sacræ Religionis discrimine, enormiter exorbitantia facinora fas esset, excipere ab illa correctoriâ seu coercitivâ Ecclesiæ virgâ? Quidni ergo potiùs dicendum videatur, quodcunque Regis facinus sub debitæ ad regnum cælorum ordinationis deficientiâ, seu *privativâ*, seu etiam *positivè* contrariâ, publicæ præsertim Religioni perquàm nocivum, contineri sub illo *Quocunque super terram Morali*, super quo per Christum noscitur esse constituta clavium regni cælorum, *ad quodcunque seu ligandum, seu solvendum* potenta authoritas Apostolica? Quidni proinde è contrario etiam videatur concludendum, sub illo *Quocunque moralitatem* vel ad regnum cælorum ordinabilem, vel ab isto ordine deficientem complectente, includi Regiæ quoque potestatis exercitia, ejusque ad hoc suppositum applicabilitatem, quâ supervestitam *moralitate* in regnum cælorum, vi characteris per sacrum Baptismum susceptí, specialiter ordinabili? Quòd si ergo Pontifex Maximus, exigente Ecclesiæ necessitate, ob Regis cujuspiam adversùs sacram religionem molimina, suam Apostolicam solvendi authoritatem, seu correctoriam, coercitivamque virgam super jus Regiæ Majestatis, quâ huic individuæ personæ *subjectivè* inexistens, & quâ *moralitate* ad Ecclesiæ claves indubitanter spectante supervestitum extenderet, quomodò fieri posset, quòd non *indirectè* à tali Rege tolleretur jus Regium, utpote respectu ejus Regis ex tunc eatenus solutum, ut juxta Christi Domini verbum, solutio, hujusmodi in cælo, in ipso proinde foro *conscientiæ*, comprobanda esset?

ARGUMENTUM III.

14. LUdovic. Ellies *præcitatus* pergit 3. argumentari. Duplex tantùm in Christo dominium reperiri potest. Unum *creationis*, quod Christus habet ex Divinitate, alterum *adoptionis*, & fami-

terram, erit ligatum in cælis? Numquid verò ista verba sunt connexa cum illo sacro textu, quo peccantes *pro foro* etiam *externo* subjiciuntur Ecclesiasticæ virgæ *correctoriæ*, & *coercitivæ*? Numquid Christus etiam *Ioannis 21.* quando Petro dixit: *Pasce oves meas*, respexit ad verba sua *Matthæi 16.* descripta: *Tibi dabo claves regni cælorum, quodcunque solveris super terram, erit solutũ & in cælis*? Numquid verò ista solvendi potestas sub hisce verbis regulanda est ex ordinabilitate ad regnum cælorum? Sicuti ergo tam peccati, quàm ordinabilitatis ad regnum cælorum ratio spectat ad lineam *moralitatis*, sic hujus, non autem tota dominij, Christo quà homini competentis sphæra, statuenda est mensura potestatis Ecclesiasticæ. Imò in ipsâ etiam *moralitatis* linea discernere adhuc oportet inter *moralitatem*, quà lumini naturali seu consonam, seu dissonam, & quà supernaturalis statûs elevationi proportionatam, atque hanc duntaxat per modum objecti *formalis*, ac *specificativi* ponimus mensuram potestatis Ecclesiasticæ. Unde *consequenter* solùm, quatenus scilicet *moralitas* naturalis ex Dei ordinatione inevitabilem cum supernaturalis lineæ seu *privativâ*, seu *positivâ moralitate* connexionem habet, per modum adeò objecti *terminativi*, & *materialis* dicimus, istam esse subjectam potestati Ecclesiasticæ.

8. Quare pro *secundo*. Dum Christus Pilato interroganti: *Num esset Rex Iudæorum?* Respondit: *Regnum suum non esse de hoc mundo*: hoc verificatur etiam de universo Christi quà hominis dominio, quippe cùm istius, Christo, quà homini communicati dominij radix, & origo quasi *formalis*, sit Unio hypostatica, quæ sicuti non est de hoc mundo, sic neque dominium in illa quasi radicatum, est *originativè de hoc mundo*. Verùm hoc ipsissimum Christi hominis dominium, quà Ecclesiæ communicatum, quia complectitur lineam *moralitatis* ad statum supernaturalem elevatæ, ipsamque adeò *moralitatem* naturalem unà secum elevantis ad supernaturalitatem, idcircò etiam *objectivè non est de hoc mundo*, oportetque proinde, ut fateamur, potestatem Ecclesiasticam, unà cum sui mensurâ, neque *originativè*, neque *objectivè esse de hoc mundo*, quippe cùm ne naturalem quidem *moralitatem* complectatur, nisi quà supervestitam *moralitate* supernaturalis lineæ. Sub ipsissimo nihilominùs isthoc *moralitatis supernaturalis* regimine, Christus diserte dixit, contineri regnum suum, foreque adeò in Ecclesiâ per se constituendâ regnum, quod tamen *non esset de hoc mundo*, sive *quod non esset hinc*. Numquid autem correlativa inseparabiliter connexa, sunt Regnum & Regia potestas? Ex Christi igitur verbis illis, clarè evincitur Regia quæpiam intrà Ecclesiam potestas, ex authoritate Apostolicâ consistens, unicè tamen complectens lineam *moralitatis*, quà in regnum cælorum ordinabilis. Et ideo Pilato urgenti: *Ergo Rex es tu?* Christus iterum respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego*. mox subjiciens: *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Sic ergo Christus, qua Rex, tum ex se ipso, *immediatè*, tum *consequenter* ex authoritate Apostolis communicatâ, erat veritati testimonium perhibiturus. Sed cui veritati? Cùm Christus *indefinitè* locutus fuerit, num exceptionem aliquam pateretur in aliqua veritatis specie, seu genere? Num igitur Christus venerat, ut veritati etiam Philosophicæ ex Regia sua authoritate testimonium perhiberet? Quandoquidem luminis naturalis veritas Philosophica, ubi cum Evangelica veritate minùs cohæret, redigenda sit in fidei ac Christi obsequium, nunquid Christus ad hoc etiam venisse dicendus est in mundum, ut testimonium perhiberet Philosophicæ veritati, hanc scilicet continendo intrà fidei sanctæ veritatem, ceu superiorem regulam, ac mensuram suam? Et quia veritas *practica* est mensura *moralitatis*, cujus linea etiam naturalis supervestitur seu *positivâ*, seu *privativâ*, aut *negativâ moralitate* supernaturali, numquid Regia Christi potestas Ecclesiæ sanctæ communicata, protenditur super *moralitate* etiam naturali, eatenus concordandâ cum supernaturali *moralitate*, ut, si ab hac deficiat, per authoritatem Apostolicâ sit in hujus ordinem redigenda? veluti sæpius factitatum est in legibus Imperatorijs ab æquitatis ratione, ipsi etiam supernaturali lumini repugnante desciscentibus. Et hinc in aperto jam est falsitas illius ab Ellieſio *in Prologuio* positi *primi principij* sui, quòd civilis & Ecclesiasticæ focieratum fines *sint omninò disparati, ita ut neuter sit alteri subordinatus*. Sed de hoc differebamus *superiùs in hujus Summarij 1. cap. §. 2.*

9. Pro *tertio* Prophetia *Psal. 2.* exarata nos instruit de Regno Christi, quod est Ecclesia. Dum nempe Regius Propheta, in figura Christi *ibidem* diserte sic pronunciat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Numquid ergo, ubi Christus hanc suam Regiam potestatem commisit Vicario suo Petri successori, huic dicere fas est, ego vice Christi super Sion montem sanctæ Ecclesiæ constitutus sum Rex? Quódnam verò hujus Regis est regnum, quod non sit de hoc mundo, nisi (uti S. Augustinus respondet) *credentes in Christum?* Numquid autem inter hos credentes in Christum sunt quicunque Reges Christiani? Annon igitur isti dicendi sunt subjecti Apostolicæ authoritatis, Christi in terris Vicariæ regimini, quoad totam *moralitatis* lineam, sicque adeò *directè*, ac *per se* non *quoad temporalitatem* ut sic, sed *quoad istam quà subordinatam lineæ moralitatis*, inexistentis libero cuique potestatis Regiæ exercitio, utpote inevitabiliter vel ordinabilitatem ad cælorum regnum, vel ab hoc deordinabilitatem obtinenti? Et hinc æternus Pater sub illâ Davidicâ prophetiâ, Regiæ illius, Christo *principaliter*, Petri autem successori *Vicariè* competentis potestatis sphæram circumscribens, ajebat: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessiones tuas terminos terræ.* Annon igitur possessiones etiam temporales, terræque termini, secundùm illam æterni Patris prophetiam, sunt intrà sphæram *Vicariæ* Christi authoritatis? Et, ne quis ausit, hanc potestatem Regiam destituere virgâ authoritativâ & coercitivâ, superadditur *ibidem*: *Reges eos in virgâ ferreâ.* Hanc proinde *virgam ferream* in foro etiam *externo* coercitivæ authoritatis esse

in

& familiaritatis; ut Chrysostomus *hom. 30. in Epist. 1. ad Corinth.* loquitur, quod Christus habet ex humanitate. Neutrum verò istorum dominiorum idem est cum dominio Regum in temporalia. Nam quatenus Deus est, habet supremum in omnia imperium, quatenus autem homo est, regnum ejus totum est *spirituale*, nec enim homo factus est, ut totum orbem more Regum terrenorum regeret, imò se minimè venisse ad hoc, ut rerum temporalium regimen susciperet, verbis & factis docuit: tum quando aufugit, ne à Judæis Rex eligeretur: tum quando roganti cuidam, ut fratri suo juberet, hæreditatem partiri, dixit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Cùm igitur certum sit, Christum Ecclesiæ comunicasse eam tantùm potestatem, quam habuit ut homo, & Caput Ecclesiæ, non autem illam, quam habuit ut Deus & Creator, pro certo tenere debemus, nullam potestatem temporalem à Christo Ecclesiæ collatam esse.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

15. PRimò certum est, ex Divinitate nullum in Christi humanam naturam esse derivatum dominium, quod non *realiter* præexisteret in dominio Divinitatis, quod Ellies. dicit dominium *creationis*. Hujus autem Divini dominij sphæra, præter lineam *naturæ universæ*, complectitur etiam lineam statûs supernaturalis, ad quem homo ad imaginem Dei factus, in *primo* creationis suæ instanti elevatus, & postquàm è gratia exciderat, per Christi redemptionem reparatus fuit. Numquid ergo Divinitas Christo quà homini fecit de utràque illâ seu naturæ, seu supernaturalitatis lineâ, dominij sui participationem aliquam, dum constituit ipsum hæredem Universorum? Et licèt Christus quà homo noluerit sibi assumere exercitium, & munus regnandi in temporalibus; renuens propterea munus judicis in se suscipere circa duorum fratrum hæreditatem dividendam; attamen uno saltem, alteróve actu ostendere voluit suum seu proprietatis, seu jurisdictionis in res quoque temporales dominium, quando scilicet *Matth. 8.* & *Lucæ 8.* ejicens legionem dæmonum ab homine, concessit ipsis, ut intrarent in porcos, non absque magno Gerasenorum damno. Talis dominij argumentum exhibuit etiam, quando *12. Matth. cap.* arefecit ficulneam, quando insuper *eodem cap.* jubens ad se adduci cum pullo asinam, quam Apostoli reperirent alligatam, subjecit. *Si quis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet.* Jurisdictionis denique, Legis Mosaicæ sacerdotio superioris *altum* dominium ostendit, quando *Ioannis 18.* dum Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad eum adduxerant, & coram ipso accusaverant, ex vi ejusdem *alti* dominij eam absolvit, non à reatu duntaxat peccati, sed etiã à pœnã lapidationis in Lege Mosaica indictã. Quinimò cùm Christus etiam quà homo, & Caput Ecclesiæ ascendens in altum, daret hominibus dona curationum, & sanitatum, quæ licèt *quoad modum* participarent de supernaturalitate, *quoad substantiam* tamen verè continentur intrà naturæ lineam, inde manifestum est, Divinitatem de suo creationis dominio etiam quà naturæ lineam contingente, fecisse Christo, qua homini, dominij sui aliquam communicationem.

Sed quid dicemus *de linea supernaturalitatis, quam Divinitas ita posuit in potestate Christi,* 16. *quà Ecclesiæ Capitis, ut ejusdem participationem facere posset Novæ Legis sacerdotio?* In quà proinde supernaturalitatis seu *positivâ*, seu *privativâ* lineâ, numquid continetur universa supernaturali statui commensurata *moralitas*? Et quia nihil *moralitatis* etiam naturalis ex hominis libero arbitrio contingit, quin vel deficiat ab ordine regni cælorum, vel per gratiam Christi sublimetur ad hunc regni cælorum ordinem, numquid *moralitatis* etiam naturalis linea ita suberat Christi dominio, ut eandem vellet tamen subordinatam lineæ *moralitatis* supernaturalis? Numquid ergo Christus quà homo, *Quodcunque in regnum cælorum cordinabile super terram*, subjiciens potestati Ecclesiasticæ, huic communicavit etiam de suo super omnimodâ *moralitatis*, politicum quoque regimen sinu suo complectentis, lineâ, jurisdictionis *altæ* dominio?

Pro *secundo* igitur, missâ jam universâ naturæ *physicâ* lineâ, faciendo reflexionem ad 17. unicam *moralitatis*, *Quodcunque in regnum cælorum ordinabile complectentis*, lineam, placuit per modum progressionis ex Ellies. hîc scisciteri. Num credat, potestatem Ecclesiæ super hac *moralitatis*, *quà in regnum cælorum ordinabilis* lineâ *indefinitè* protensam, æquè esse de gratijs Christi gratis datis, ac sit gratia Prophetiæ? Noscitur profectò *ex 1. Corinth. 12. cap. à v. 28.* Apostolus inter gratias gratis datas perinde recensuisse Apostolatum, in Petri successore unicè adhuc persistentem, ac donum Prophetiæ. Unde opportunum est nobis visum, nonnihil excurrendo, hîc facere Apostolicæ in Petri successore perdurantis authoritatis, seu gratiæ Christi gratis datæ comparationem cum lumine Prophetiæ. Hoc equidem Divinitus concessum donum, minimè facit, ne homo Prophetiæ dono ditatus, sit obnoxius fallaci & fallibili, atque ad malum pronæ conditioni humanæ, maximè cùm lumen Propheticum recensetur inter gratias gratis datas, quæ inexistere possunt homini peccatori infideli; uti constat de Sybillis veris Prophetissis, sed Ethnicis. Nihilominùs quando is, qui Prophetiæ gratiâ est ditatus, intendit in lumen Propheticum, ex hoc divinizando, ac revelando veritates absconditas, nequit ulla subesse falsitas ac deceptio, quippe cũ actus Propheticus, qua procedens ex lumine Prophetiæ, nequeat *in se intrinsecè* coinquinari specie mendacij, quin hæc impuritas reducenda foret in luminis Prophetici principium, Spirtum sanctum, quod ne cogitare quidem, minùs asseverare licet absq; horribili blasphemia. Sic proinde Oecumenica Pastoralis muneris potestas Apostolica inter Christi gratias, Ecclesiæ gratis datas meritò annumeranda, quan-

quantumvis inexistat homini per naturam suam fallaci, attamen Christo repromittente Apostolis, Spiritum sanctum eos edocturum omnia, dicere oportet, eam Divinitus constitutam, ita esse super fidei petrâ fundatam, ut cunctæ actiones ex ea promanantes reducendæ sint in fidei principium, illius Oecumenicæ Apostolicæ potestatis *super quocunque in terris morali ad regnum cælorum ordinabili* potentiæ, eatenus directivum, ut, si de particularibus, fallaciæ alioquin obnoxijs, casibus est sanciendum, decernat per prudentiale Divinitus infusæ prudentiæ lumen supernaturale, ab omni adeò seu *morali* defectibilitate, seu intellectuali fallibilitate, atque fallaciæ labe ut sic depuratum, licèt in Pontifice decernente possit *concomitanter*, quâ homo est defectibilis, aliquid obrepere, quod humanam fragilitatem redolere videatur.

18. Hinc ergo regrediendo ad Ellieſij argumentum, haud impertinenter ab eo requiritur, ut reflexionem faciendo ad Divini dominij, Humanitati Christi, & ab hac Apostolicæ authoritati donatam participationem, in Summi Pontificis potestate Oecumenica, ceu gratiâ gratis datâ agnoscat authoritatem, super quacunque Regum etiam, Regiæque Majestatis jurium *moralitate* eatenus protensam, ut in decernendo, Divini quoque luminis sibi assistentis habeat certitudinem.

§. II.

In quo demonstratur, ex eo, quòd potestas à Christo Ecclesiæ collata tota sit spiritualis, haud evinci, Pontificiam authoritatem non protendi supra Reges etiam quoad temporalia.

ARGUMENTUM I.

19. LUdovic. Ellies *cit. cap. 1. §. 2.* argumentatur 1. in hunc modum. Ecclesia non aliam habet potestatem præter eam, quam Christus Apostolis tradidit, ut per eos ad eorum successores perveniret. At ex Scripturâ *inferiùs* adducendâ constat, nullam omninò potestatem, quæ spiritualis non sit, Apostolis esse collatam. Frustra igitur successores eorum aliam sibi arrogant.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

20. NUnquid enim pro *primo*, Sacramenta *simpliciter* sunt computanda inter *res spirituales*, quantumvis constent ex rebus & actionibus sensibilibus, seu corporeis, ceu materiâ? Numquid intellectiva potentia in homine & Angelo est purè spiritualis, cùm tamen ejus objectum *materiale* complectatur naturam quoque corpoream? Unde hoc? nisi quia denominationes fiunt ex eo, quod *formale est*, non autem ex eo, quod est *materiale*. Sic enim ratio Sacramenti *formaliter* constitutiva est significatio purè spiritualis, ex Divina institutione causatrix supernaturalis gratiæ. Sic intellectivæ potentiæ *formale specificativum* est lumen objectivum à materialitate depuratum, tametsi ejus objectum *materiale* complectatur cunctas res etiam corporeas. Pari proinde modo tametsi authoritas Apostolica protendatur ad *quodcunque* in regnum cælorum ordinabile, in quo ordine continetur quodcunque liberum hominis ad statum supernaturalem elevati, politici quoque regiminis, publicum exercitium, hoc nequit tamen reduci ad sphæram Apostolicæ authoritatis, nisi *sub moralitate in regnum cælorum ordinabili*, ut sic verè spirituali: ex quâ proinde, ceu *formali specificativo* suo, Pontificia potestas meritò denominatur purè *spiritualis*, quantumvis *per accidens* extendatur super rebus quoque temporalibus, quâ libero, atque adeò *morali*, & *consequenter* quâ in regnum cælorum vel ordinabilitate, vel ab hoc deficientiâ supervestito ipsorum publici etiam politici regiminis exercitio, subjectis, ut sic per modum objecti *materialis*, & *terminativi* se habentibus ad eam purè *spiritualem*, authoritatis Apostolicæ potestatem.

21. Hæc ratio nostra pro *secundo* firmatur ex ipso Ellieſio, mox asseverante, potestatem annuntiandi Evangelium, nec non baptizandi *Matth. 18.* Apostolis commissam, esse totam spiritualem. Numquid verò hujus potestatis exercitium *materiale* sunt actiones corporeæ? quæ tamen, dum earundem ratio *formalis* est merè spiritualis, haudquaquam officiunt puræ spiritualitati potestatis illius.

22. Subdit idem Ellieſius alteram Apostolis promissam potestatem *Matth. 16. & 18.* sub authoritate *ligandi & solvendi quodcunque super terram.* Quam equidem potestatem, ait, à nonnullis frustra protendi ad temporalia, eò quòd Christus mentem suam *Ioann. 20.* sub hisce verbis exposuerit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos: quæ cùm dixisset, insufflavit in eos, dicens, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Numquid verò, mi Ellieſi, hæc remittendorum peccatorum potestas merè *spiritualis* est, tametsi protendatur super peccatis homicidij, adulterij, ac perversi Regum regiminis, per actiones corporeas perficiendis? Eo ipso tamen, quia *moralitas* à regni cælorum ordine deficiens est *formale* in illis peccatis, quâ illi sacerdotali potestati subjectis, inde haudquaquam efficitur, quòd potestas illa, licèt per actionem etiam sensibilem, quâ Sacramenti materiam *intrinsecam* exercenda, non debeat purè *spiritualis* dici. Pari proinde ratione, illa *quodcunque in terris Morale ligandi, seu solvendi* potestas Apostolica licèt protendatur super quocunq; publici etiam temporalis regiminis, *Morali*, atque adeò in regnum cælorum vel ordinabili, vel deordinabili exercitio, quia tamen ipsissima hæc in regnum cælorum seu ordinabilis, seu deordinabilis *moralitas* est *formale specificativum* illius Apostolicæ authoritatis, idcircò illarum, eidem per modum objecti *materialis* & purè *terminativi* subjectarum actionum, *materialitas* nullatenus impedit, quò minùs ea potestas dicenda sit merè *spiritualis*.

ARGUMENTUM II.

23. LUdovic. Ellies *loco citato* sic argumentatur 2. Quarta potestas Ecclesiæ respicit pœnam delinquentium, juxta illud *Ioannis 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Quibus verbis intelligitur, nullam aliam pœnam ab Ecclesia infligi posse in noxios, quàm ut ab ejus consortio removeantur, nec ampliùs in Christianorum habeantur numero. Itaque frustra quidam contendunt, potestatem esse Ecclesiæ, noxiorum vel pœnis temporalibus, vel Bonorum privatione puniendorum. Postrema denique potestas à Christo Apostolis collata est condendarum legum, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertineant, & constituendorum sibi Successorum. At hæ leges bonum tantùm societatis Ecclesiasticæ respiciunt, non temporalem felicitatem: illiq́ue ministri ad regendam Ecclesiam, non ad rem publicam administrandam constituuntur, nec aliam, quàm animarum curam habent; juxta illud Pauli. *Obedite præpositis vestris, ipsi enim invigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

24. PRimò. Potestatem Ecclesiæ correctoriam extendi super quocunq́ue Christianorum, atque adeò Regum etiam, charactere Baptismatis insignitorum, Ecclesiæ sanctæ unitatem, religionemq́ue sacram, ac fidem Orthodoxam in suis, vel aliorum quoque Regum subditis perturbantium, seu evertere molientium peccato, constat ex Christi verbis *cit. 18. Ioannis cap.* exaratis. Quam ipsissimam coercitionis etiam publicæ, à Christianorum nempe numero removendi authoritatem, prævalere in foro etiam *externo*, vel ex hoc patet, quòd publicè à consortio etiam publico Ecclesiæ removeat.

25. Sed nunquid hæc à Christianorum Ecclesiæ consortio exclusio publica, non nisi ad spirituales effectus extendi valet? Ejus virgæ correctoriæ & coercitivæ à Christianorum consortio removere potentis sphæra, ab ipsomet Christo verbis proximè subsequentibus circumscribitur, dum *ibidem* mox subjicitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, & quæcunque solveritis super terram, erunt vel soluta, vel ligata in cælo.* Quandoquidem ergo Ecclesiæ virga coercitiva, à Christianorum consortio, delinquentes, Ecclesiæq́ue inobedientes, & contumaces removere præpotens, connexa sit cum *indefinita quæcunque* ligandi, & solvendi potestate, numquid sub illâ voce Tò *Quæcunque*, consortium Christianorum etiam quoad communionem politicam intelligitur, non equidem *formaliter*, quà sistit intrà limites communionis politicæ, sed quà noscitur superveſtiri *moralitate* vel ordinabili in regnum cælorum, vel *moralem* ab hoc deficientiam importante? Sicuti ergo Ecclesia per virgam suæ coercitionis, solvendo peccatoris contumacis jus, quod cuique fidelium est ad Ecclesiæ communionem, perimere noscitur jus ejusmodi: sic quia Ecclesiæ potestas extenditur *ad quodcunque Morale in regnum cælorum ordinabile*, neque verò ab hoc *moralitatis* ordine excludi unquam valent communionis etiam politicæ, imò & publici regiminis jura & actus, nequit illa Ecclesiæ ad quodcunque in terris *Morale*, quà ab hominum arbitrio libero, sub inseparabili in regnum cælorum ordine promanare natum, sese extendens virga coercitiva, dici impotens, ad politicæ quoque communionis, regiminisq́ue publici, quà perversâ, Ecclesiæ, Religionisq́ue Orthodoxæ Bonum evertere conante, *moralitate* superveſtiti, jura dissolvenda.

Secundò. Dum fatetur Ellies̃ius, Apostolicam Ecclesiæ authoritatem posse condere leges ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes, num dicere fas est, non posse Summum Pontificem facere ordinationes authoritativas adversùs Reges, sanctæ Ecclesiæ disciplinam evertere, fideiq́ue Orthodoxæ sanctiones è medio tollere conantes? Rectè equidem idem Author dicit, leges ex potestate à Christo Apostolis collatâ profluentes, non respicere *felicitatem temporalem*, sed *Bonum societatis Ecclesiasticæ*. Numquid verò hoc ipsum Ecclesiasticæ societatis in unitate fidei, & erga sanctam Ecclesiam, ejusq́ue Pastorem Oecumenicum religiosâ obedientiâ consistentis, Bonum exigit, ut, quicunque fidei Orthodoxæ virtutem, disciplinamq́ue Ecclesiasticam moliuntur evertere, compescantur coercitivâ Ecclesiæ virgâ ad *quodcunque solvendum*, atque adeò ad jus quoque Regium, quà in Ecclesiæ perniciem perversè usurpatum, è medio tollendum prævalente? Quod ubi faciunt Ecclesiæ sanctæ Præpositi, vel maximè intendunt curæ animarum, invigilantq́ue, quasi rationem de animabus sibi subditis reddituri. 26.

§. III.

In quo enervatur tertia Ellies̃ij *ratio, conantis ostendere, quòd Christus, & Apostoli omnem potestatem, & jurisdictionem temporalem ab Ecclesia amandent.*

ARGUMENTUM I.

27. LUdovic. Ellies *prætacto cap. 1. §. 2.* sic argumentatur 1. Ad demonstrandum, nullam esse in Ecclesia temporalem potestatem, sufficeret equidem ostendisse, omnem illam potestatem, quæ à Christo Apostolis est collata, *spiritualem* esse. At Christus præterea omnem omninò potestatem temporalem ab Ecclesia amandavit, dicendo *Marci 10. v. 42.* & *Lucæ 22. v. 25. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Quibus adeò Christi verbis docemur, tum quòd Apostoli, eorumq́ue Successores omni temporali potestate, & jurisdictione careant: tum quòd potestas illa *spiritualis*, quam illi habent, non sit dominij & imperij, sed mansuetudinis, & charitatis; siquidem potestatis terrenæ sit, exteriora tantùm administrare, *spiritualis* verò sit proprium, interiorem cordis

dis affectum; uti Origenes *in eum locum Matthæi, & alibi.* Hieronymus *Epist. 3. ad Nepotianum.* Chrysostomus *lib. de sacerdotio, aliisque locis* explicant.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

28. INprimis demonstratum est *in anterioribus*, hæc duo inter se optimè cohærere, quòd potestas Ecclesiastica sit *spiritualis*, nec adeò *temporalis*, & tamen sub altiori *moralitatis*, in regnum ordinabilis *formalitate*, extendatur etiam super temporalia. Nunquid enim, uti corpus inservire debet spiritui, ita etiam temporalia debent esse subordinata spiritualibus? Numquid homo non *quoad animam* duntaxat, sed etiam *quoad corpus* operari debet ad finem spiritualem salutis æternæ? Nunquid ex statu hominis ad finem supernaturalem elevati, stat obligatio, cunctas etiam corporales actiones reducendi ad Dei gloriam? Ita profectò pronunciavit Apostolus, ut omnia, quæcunque facerent homines Christiani, sive edendo, sive bibendo, sive quidvis aliud faciendo, in Dei gloriam facerent. Esto igitur, Ecclesiæ potestati merè *spirituali per se primò*, ac *directè* non subjacere temporalia, attamen ex temporalium ad supernaturalia ordinatione Divinitus constitutâ, fit consequens, ea *secundariò* ac *indirectè* esse subjecta potestati spirituali Ecclesiæ, quæ, dum *absolutum* habet regimen in ordine ad finem supernaturalem, *consequenter* habere debet authoritatem, temporalia etiam tanquam media in hunc finem ordinandi.

extract. 6. in Sess. 13. S. Concil. Trident. pag. 393.

29. Sed pro *secundo*, nonnemo fortassis excipiet, urgendo, ut ex sacro Evangelio ostendatur, hæc *indirecta* temporalium in finem supernaturalem ordinatio, subjecta esse clavibus Ecclesiæ. Numquid autem Christus Dominus *Matthæ. 16. & 18.* clavium Ecclesiæ potestatem protendebat super *Quodcunque*, non equidem sub statu *Esse physici* spectatum, cùm cæteroqui Ecclesia *directam*, & *immediatam* super quæcumque jura terrena, corporalis etiam Christianorum vitæ, potestatem haberet, quod remotissimum est à sensu nostro. Sub altiori igitur *formalitate* ordinabilitatis scilicet ad regnum cælorum potestas Ecclesiastica respicit illud *Quodcunque super terram*, quod Christus Dominus disertè, & clarè insinuavit, eam ad *quodcunque super terram* seu ligandum, seu solvendum, potestatem contexendo cum clavibus regni cælorum, quà scilicet respicientibus *quodcunque* non sub *Esse Physico*, sed sub *Esse Morali* in regnum cælorum ordinabili consideratum. Et hinc verissimum est, Apostolos, eorumque successores carere omni temporali potestate ac jurisdictione, potestatemque illam spiritualem non esse dominij, aut imperij, sed mansuetudinis & charitatis. Num verò ex hoc dicere fas est, Ecclesiasticam potestatem ita exerceri duntaxat posse in volentes, ut nullo severioris erga nolentes, seu contumaces districtionis gladio sit armata?

30. Pro *tertio* igitur distinguere oportet, inter *primarium* & *secundarium*, seu quasi *subsidiarium* potestatis Ecclesiasticæ munus. Illud prius equidem non nisi ex charitatis & mansuetudinis spiritu est exercendum, absque ullâ erga proprium commodum reflexione, sed sub puro salutis animarum in unitate fidei & sacræ religionis cultu etiam publico coadunatarum promovendæ studio. Et ideo Principum spiritualium principatus, in dilectione subditorum debet esse positus, uti Origenes *in Matth. 12. cap.* ait, observans, propterea *in Isa. hom. 6. Ministros Ecclesiæ non esse vocatos ad principatum, sed ad servitutem Ecclesiæ*, quamquam hanc ipsam servitutem Doctor ille vocet etiam *Principatum Principum spiritualium.* Num igitur hic Ecclesiæ principatus non nisi erga volentes habere potest locum; uti S. Hieronymus *Epist. 3. ad Nepot.* & Divus Chrysostomus *lib. 2. de sacerdot. aliisque* ab Ellies̄io *hîc allegatis locis* tradunt? Ita profectò est, *primario* potestatis Ecclesiasticæ muneri locum non esse, nisi in volentibus, quippe cùm ejus muneris sit, non in exterioribus duntaxat actibus sistere, sed in his *moralem* bonitatem ad regnum cælorum ordinabilem, salutemque animarum curare, neque verò ista seu *moralis*, & supernaturalis actuum humanorum bonitas, neque salus æterna obtineri valeat, nisi à volentibus, & spontaneè cooperantibus Christi fidelibus.

Quia verò ipsissimus ille *Principum spiritualium principatus*, ipsomet Ellies̄io fatente, habet vim legislativam; *Num destituendus erit virgâ publicæ etiam coercitionis erga illos, qui sacris Ecclesiæ, vel ipsius etiam Christi legibus contumaciter contradicunt?* Hujus equidem quæsiti resolutio *in anterioribus* jam multimodè facta est, attamen, quia Ellies̄ius totam vim suorum ex oppositio argumentorum, reducere contendebat in illud principium, quo Christus *Ioann. 20.* effatus est: *sicut misit me vivens Pater, ita ego mitto vos.* 31a

Idcircò pro *quarto* visum est operæpretium, hîc repetere, quòd *Psal. 2.* in spiritu Prophetico inducatur æternus Pater locutus Christo: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuas terminos terræ, reges eos in virga ferrea.* Hanc namque virgam importare authoritatem directionis, quà ferream, atque dicere potestatem *coactionis* & *justitiæ*, explicat S. Augustinus *in dict. Psal. 2.* Hæc ipsa verò Christi potestas *gubernativa*, & *coercitiva Lucæ 1.* prædicta fuit sub illis verbis: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: & regnabit in æternum.* Eo ipso autem, quòd regnum istud Ecclesiæ dicatur æternum, oportet, in terris fuisse à Christo relictâ eam gubernativam potestatem, per quam regimen hoc spirituale perpetuò duraret. Quamvis ergo Christi regnū non sit temporale mundi regimen, respiciatque æternam hominum salutem: hoc ipsum tamen spirituale ac supernaturale Ecclesiæ regimen importat virgâ ferream coercitivæ quoque authoritatis, à Christo Apostolis, eorumque successoribus communicatæ, atq; sic intelliguntur Apostoli eo modo à Christo missi, quo modo ipse à Patre æterno missus fuit cum authoritate *gubernativâ, & coercitivâ*, in suos quoque in terris relictos, vicarios transfusâ. 31b

De

33. De hac igitur *coercitionis* & *justitiæ* virga ferrea, in cujus usu consistit *secundarium*, & quasi *subsidiarium*, non nisi in statu inobedientiæ & contumaciæ exercendum munus, disquirere placeat ex Ellieſio, *An hoc non nisi in volentes exhibere fas sit?* Ipsemet quæstionis hujus status pro *quinto* perimit seipsum, quomodò enim, quod non nisi in inobedienter reluctantes, & contumaciter nolentes exercetur officij pastoralis *subsidiarium* & *secundarium* munus coercitivum, absque manifesta contradictone dici posset, non nisi erga volentes habere locum? Quod ergo prælegati Patres de *primario* Ecclesiasticæ potestatis munere, non nisi erga volentes se exerere potente, dixerant, perperam trahitur ad *secundarium* quoque, ac *subsidiarium*, adversùs inobedientes & contumaces exercendum, Pastoralis officij munus: quamquàm ne hoc quidem debeat aliter usurpari, quàm *ex spiritu charitatis & lenitatis.*

34. Nam pro *sexto*, num dicere fas est, justitiam, quæ attenditur in Ecclesiasticæ potestatis virgâ *coercitivâ*, pugnare cum sancta charitate? Num Divinæ charitatis munus est in zelando Dei honore privatim duntaxat, non etiam in publico religioso cultu, quem contumax & inobediens Ecclesiæ, nititur evertere? Num charitatis est, illos, qui Ecclesiæ contumaciter resistunt, in sua malitia impunè relinquere, & non potiùs virgâ *ad quodcunque seu solvendum, seu ligandum in terris* protensâ coercere? Num quia sub isto *quocunque* probatum est, contineri *quæcunque*, *moralitatem* ad regnum cælorum ordinabilem superinduere nata, dum spirituales pœnæ non proficiunt, sanctæ charitatis & lenitatis spiritus prohibet Ecclesiam, ne suæ à Christo concessæ potestatis, manum extendat ad temporales pœnas, non sub *temporalitatis* equidem, sed *moralitatis* in regnum cælorum ordinabilis *formalitate* consideratas, Bono Ecclesiæ publico, animarumque fidelium salute communi ita exigente, in contumacibus Unitatis fidei, & tranquillitatis Religionis perturbatoribus.

Quare isthæc universa, uti optimè co-
35. hærere possunt cum sanctæ charitatis spiritu, sic pro *septimo* nequaquam sapiunt spiritum potestatis temporalis, quem Christus *cit. Marci 10.* & *Lucæ 22.* remotissimum cupit à potestate Apostolica: *Reges gentium*, inquiens, *dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic.* Hisce namque verbis Christus diserte professus est, se nolle in Ecclesia instituere principatum *dominativum*, cujus nempe finis esset propria utilitas, sed præcepit tanquam Pastor bonus, ut is, qui inter Apostolos esset major, se ipsum impenderet in spiritualem animarum sibi subjectarum utilitatem, neque arrogaret sibi dominandi libidinem, proprium ex grege commodum quærendo: quippe cùm dominium propriè consistat in facultate rebus, seu personis sibi subjectis in proprium utendi commodum. Eo ipso igitur, quòd principatus Ecclesiasticus ejus sit naturæ, ut importet obligationem, se totum impendendi in animarum salutem, præcisâ propriâ, maximè temporali, utilitate, ideo is principatus neque *dominativus*, neque *temporalis*, sed purè *spiritualis* est, non nisi ex charitatis Divinæ ad publicum Religionis sacræ Bonum vel præcipuè intentæ spiritu, etiam erga contumaces, Ecclesiæque rebelles exercendus.

ARGUMENTUM II.

LUdovic. Ellies *cit. §. 3.* argumentatur *2. ex 1. Petri cap. 2. v. 2.* ubi Apostolorum Princeps ita scripserat: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quî ergo clariùs, ait is Author, potuisset B. Petrus, illorum prædamnare sententiam, qui, contendunt, Christum, cùm dixit *Pasce oves meas*, dedisse illi potestatem, Regum per depositionem, privationemque regni sui cogendorum? Ejusmodi *dominativam* potestatem longè majorem, ac sit in ipsis etiam Regibus, à Summo Pontifice remotissimam, voluit S. quoque Bernardus, ad Eugenium Papam suum olim discipulum *lib. 2. consideral. cap. 6.* ita scribens: *Nec enim tibi Petrus, quod non habuit, dare potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem scilicet super Ecclesias: nunquid dominationem? Audi ipsum*: Non dominantes, *ait*, in Clero, sed forma facti gregis ex animo. 36.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

Illis verbis suis Petrus ita descripsit *primarium* 37.
muneris Pastoralis officium, erga spontaneè ac voluntariè, non verò coactè obedientes exercendum, ut minimè tamen intermitteret edocere spiritum, ex quo munus etiam *secundarium*, seu quasi *subsidiarium* pastoralis officij, erga contumaces, Ecclesiæque rebelles, sub districtæ coercitionis virgâ oportet exhibere. Nempe hic Apostolorum Princeps universim cavit, ne Ecclesiastica authoritas sit *dominativa*, dilectis adeò verbis ab Ecclesiæ Pastoribus exigendo, ut recogitent, quòd ipsorum potestas neque proprium imperantis commodum, sed spiritualem cujusque utilitatem spectet, sicque adeò ejus potestatis virga coercitiva ex illo sancto fine, non turpis lucri gratiâ, exerceri, debeat, neque porrò cogere possit ad substantiam *sui fori* propriam, utpote non in exterioribus duntaxat actionibus sitam, sed respicientem bonitatem *moralem* actuum, nec non animarum salutem, quæ non nisi à volentibus obtineri potest. Atque hoc est, quod S. Bernardus inculcare intendebat, a Romani Pontificatûs principatu excludens dominationem, dum cæteroqui idem Doctor mellifluus *lib. 1. Consideral.* alloquendo Romanũ Pontificẽ: *Ergo*, inquit, *in criminibus, non in possessionibus est potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accipitis claves regni cælorum.* Quòd si igitur *indefinitè* propter crimina, atque adeò Regum quoque, sanctæ Ecclesiæ rebellium, religionisque sacræ temeratorum scelera, Petri Successores acceperunt claves regni cælorum *ad*

quod-

quodcunque super terrâ solvendum institutas, quid, ni hæc potestas in Regiæ quoque potestatis non quâ terrestris, sed quâ *moralitate* à regni cælorum fine deordinabili contaminatæ, solutionem, absque ullo tamen dominationis ambitu, sed ex sanctæ religionis, ac fidei Orthodoxæ, charitatisque adeò Divinæ zelo, Ecclesiæ sanctæ seu conculcatæ, seu conculcandæ necessitate notoriâ ita exigente, protendi posse, dicenda sit?

§. IV.

In quo examinantur Romanorum Episcoporum, sanctorumque Patrum testimonia, quibus Adversario videtur effici, quòd Ecclesia in spiritualia tantùm habeat potestatem, non secùs, ac Reges in sola temporalia, ita ut neutra potestas à se invicem dependeat.

ARGUMENTUM I.

38. LUdovicus Ellies *cit. cap. 1. §. 4.* argumentatur 1. ex testimonio Gelasij Papæ *epist. 8. Ad Anastasium* relatâ *to. Concil. 4. col. 1182.* ita scribentis: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic mundus principaliter regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Nôsti enim, fili clementissime, quòd, licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus Divinarum, devotus colla submittis &c. atque ab ijs causas tuæ salutis expetis.* Et *in tomo de anathematis vinculo* sic habet: *Cùm ad verum ventum est* (Christum) *Regem, atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicavit. Christus memor fragilitatis humanæ, quòd suorum saluti congrueret, dispensatione magnificâ temperans, sic actionibus propriis dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit &c. ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperatoris dispositionibus uterentur, & ideo militans Deo, minimè se negotijs sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus Divinis præesse videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus.* Ex quibus adeò Gelasij Papæ documentis, concludit is Author, utramque eam potestatem, & utriusque limites optimè distinctos esse, ita ut nihil liceat sæculari in Ecclesiastica, aut Ecclesiasticæ in sæcularia.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

39. INprimis ex præadductis Gelasij verbis constat, Imperatorem colla submittere rerum Divinarum Præsuli. Sed quibus in rebus? Hoc paucis exprimitur, quòd nempe à Divinarum rerum Præsulibus Imperator *causas suæ salutis expetat*, utpote pro vita æterna indigens Pontifice. At cujus est, salutis causas subministrare, hujus est, amovere etiam vitæ æternæ impedimenta, non pro ipsius duntaxat personâ, sed pro universo etiam cœtu fidelium. Si ergo Imperator, seu Rex quispiam salutis æternæ impedimenta ponat per fidei, Religionisque publicam eversionem, neque Pontificis correctio Evangelica pensi habeatur, quò minùs in suâ persistens contumaciâ, & suam, & subditorum animas in sempiternum interitum detrudere pergat, unicumque tot scandalorum amovendorum remedium sperari possit ex ipsius depositione, numquid hæc inter causas, si non Imperatoris, plurimorum saltem aliorum fidelium salutis meritò erit recensenda? Quid ni ergo in ordine ad hanc salutis etiam publicæ causam procurandam, atque hujus, & Christiano cuipiam Regno communem obicem tollendum, dum in deterius semper ruit seu Imperator, seu Rex hujusmodi, Pontifex omnium salutis curam gerens, compellitur ad talem sive Regem, sive Imperatorem deponendum ex authoritate, *ad Quodcunque solvendum* sibi Divinitus imperitâ?

Hinc pro *secundo* facilè concedo, utramque potestatem, *Ecclesiasticam* scilicet atque *civilem*, & utriusque limites optimè distinctos esse, ita ut nihil liceat sæculari in Ecclesiastica, aut Ecclesiasticæ in sæcularia jura & bona, quatenus limitibus suis continentur: neque enim potestas Regia ad societatem politicam in finem publici boni ritè ordinandam, atque concives in hunc ordinem redigendos, per naturam suam, concreato naturali lumini hominibus congenitam, per se, ac ex se operari potest quidquam, quâ exorbitans extra ordinem ac debitum publicæ Religionis, Orthodoxæque fidei, ac societatis Ecclesiasticæ: sed hæc exorbitantia procedit ex malitia hominis, cui inexistit, Regiâ potestate se habente ad eam solùm *per accidens*, & *concomitanter*; cui proinde minimè adscribenda est, sed perverso ejusdem abusui, utpote ex Regis nequam jure suo Regio abutentis pravâ voluntate proveniens; sicque adeò Rex Ecclesiasticæ disciplinæ perturbator, fideique Orthodoxæ, ac veræ Religionis inimicus, invadendo sanctæ Ecclesiæ jura, non persistit intrà limites suæ Regiæ potestatis, sed ex nequitiâ suâ incidit in sphæram potestatis Ecclesiasticæ, à suis fidelibus, Ecclesiaque Orthodoxa removere obstrictæ, quidquid animarum saluti, publicoque Ecclesiæ sanctæ Bono officit, imò extremum minatur interitum. In quo adeò statu potestas Ecclesiastica nihil equidem facere potest adversùs ipsam *in se* spectatam, ut sic cum limitibus suis, Divinitus constitutam Regiam potestatem: attamen, quia Rex in perniciem animarum, Ecclesiæque destructionem eâ abutitur, eandem, quâ in hoc subjecto, in malitia sua penitus obstinato, ipsâque tam perversè abutente subsistentem, tollere potest ab ipsissimo hoc individuo, quippe cùm potestatis ejusmodi intrà hoc subjectum subsistentia noscatur, ex talis perversi hominis nequitiâ esse jam medium evertendi Ecclesiam, publicamque Religionem, sicque adeò intelligatur, incidisse in sphæram Ecclesiasticæ authoritatis, Divinitus constitutæ ad solvendum & tollendum, *Quodcunque super terram* est sanctæ Ecclesiæ destructivum, animarumque, salutis impeditivum. Et sic verissimum est, 40.

quod Gregorius II. *Epist. 2. ad Leonem Isauricum* ait: *Quòd Pontifex introspiciendi in palatium, facultatem non habet*; quamdiu nimirum Imperator intrà fines palatij, non *materialiter*, sed *formaliter* sumpti, quà Regiæ scilicet potestatis juribus præcellentis, secundùm hujus limites operando persistit; at si Rex introspiciat in Ecclesiam, hujus jura violando, numquid Regiæ potestatis intrà ipsum subsistentia, ubi est medium evertendi ordinis Ecclesiastici, sic in sphæram Ecclesiasticæ potestatis transferri dicenda est? An non igitur ex regni cælestis Beato Petro collatis clavibus, ad animas ligandas & solvendas prævalens Pontificium, eo casu solvere compelletur, Imperatoriæ dignitatis in hoc ipsius abutente subjecto subsistentiam, quæ in medium pervertendæ Religionis perperam conversa, jam translata noscitur intrà sphæram illius Pontificij, quod, ut Pontificum & Patrum ab Ellieſio allegatorum loquendi modo utamur, importat potestatem solvendi ac ligandi animas. Quemadmodùm enim jus Regium non in corpore, sed intrà animam consistere noscitur, sic ubi intrà hujus Regis, animam transversum est in medium publicæ animarum perversionis, tunc ejusdem solutio, sive à Regis animâ peremptio utique incumbet Pontificatui, habenti principatum, solvendi animas.

ARGUMENTUM II.

41. LUdovicus Ellies *cit. §. 4.* argumentatur 2. Patres unanimi consensu verba hæc. *Quæcunque ligaveris, seu solveris super terram*, interpretantur de potestate ligandi & solvendi peccata, nunquam de potestate privandi Reges imperio, aut privatis Bonis sibi proprijs.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

42. LUbens concesserim, illam *Quæcunque ligandi & solvendi super terram*, potestatem complecti peccata: sed quæstio est; *Utrùm tam in* externo, *quàm* conscientiæ foro *arctetur ad sola peccata?* Nunquid progredi potest ad excommunicationem, atque adeò ad privationem Communionis fidelium? An igitur hoc Communionis fidelium, cuique Christiano ex Christianitatis charactere competens jus, per authoritatem Ecclesiasticam solubile, est peccatum? Numquid eadem *solvendi & ligandi Quodcunque in terris* potestas, Ellieſio ipso *superiùs* fatente, est legislativa? Num ergo legis ligamen, super quo protenditur ea potestas, est peccatum? Christus equidem *Ioann. 20.* eam potestatem, quæ in Apostolis est collata Novæ Legis sacerdotio, arctatur ad peccata duntaxat seu remittenda, seu retinenda. At quæ *Matthæi 18.* est constituta Ecclesiæ virga, in foro etiam *externo* correctoria, per Christum est concessa *cum potestate ligandi & solvendi quodcunque super terram.* Num igitur istud *Quodcunque, indefinitam* & *universalem* denotans ejus potestatis sphæram, arctare jam licet ad sola peccata? An non saltem extendenda censebitur ad *quidvis morale*, quod peccati vel nequitiam, vel periculum manifestum importat? Numquid autem, si Regiâ potestate quispiam Regum abutens, hanc extra sphæram suam exorbitare faciat, non equidem ejus Majestatis jura, sed horum abusus, una cum subjecto suo contaminatur peccati malitiâ, per quam indubiè tunc transfertur in sphæram illius, *Quodcunque super terram solvendi & ligandi* potestatis Apostolicæ? Numquid subsistentia Regiæ Majestatis intrà hanc individuam personâ, eâ in perniciem Ecclesiæ abutentem, infert periculum evidens peccati non proprij duntaxat, sed universalis, in cunctos subditos, aliólve fortassis Christianos redundantis? An igitur à Patrum sensu alienum foret, hoc periculum, imò peccata tam enormia, Ecclesiæ publicam ruinam minitantia, avertere per solutionem Regiæ potestatis non in se ipsa, utpote ad rectitudinem *moralem*, societatis *civilis* moderatricem unicè intentæ, sed per solutionem subsistentiæ hujusmodi potestatis intrà subjectum adeò perversum, transferens jura Regia extra suos limites, sicque, quoad *moralem* eorundem in tali persona perseverantiam incidens in sphæram Ecclesiasticæ potestatis?

Quod eò clariùs evincitur *ex Matthæi 16. cap.* quò manifestioribus verbis Apostolica Petro, ejusque Successori concessa, *ad quodcunque super terrâ ligandum & solvendum* authoritas, noscitur connexa cum clavibus Regni cælorum. Quis enim non videt, illud *Quodcunque*, in vi ejusdem cum Regni cælorum clavibus connexionis, denotare sphæram, intrà quam *Quodcunque morale* in regnum cælorum super terram seu *positivè*, seu *privativè*, vel etiam *contrariè* ordinabile, atque adeò ordinis hujus destructivum, subijciatur illi *indefinitæ ad ligandum & solvendum super terram* authoritati? Quis rursus negare ausit, Regiæ potestatis intrà subjectum, hanc extra suos limites exorbitare, atque jura Ecclesiastica evertere enitens, *moralem* subsistentiam redigi ad statum perniciosissimi ad sanctam Ecclesiam turbandam, fidelesque pervertendos medij? An non igitur Regiæ Majestatis intrà hoc subjectum subsistentia, eatenus tunc incidit in sphæram clavium Regni cælestis, ut harum potestas solvendi prævalere jam possit ad ejusdem *moralem* in hoc Christianitatis charactere insignito subjecto solutionem, seu peremptionem, una cum solutione juramenti fidelitatis & subjectionis per Regis nequitiam translatæ, ad perimendas animas, & evertendam sacram Religionem, Ecclesiæque unitatem. 43.

§. V.

In quo examinatur, quomodò verum sit, Ecclesiam in temporalia nullam habere authoritatem, eò quòd per vim, gladiumque materialem, *homines cogere minimè possit.*

AR-

ARGUMENTUM I.

44. LUdovicus Ellies *præsenti §. 5.* argumentatur 1. Si quæ foret Ecclesiæ in temporalia potestas, dubium nullum est, quin posset temporalem aliquam pœnam, putà mortis supplicium, aut saltem Bonorum privationem infligere, quod ab Adversarijs supponitur, cùm inde probent, Reges in pœnam læsæ fidei ab Ecclesia regnis privari posse, illorumque subditos à fide & obedientia eximi. Verumenimverò nihil est certius, quàm Ecclesiam non habere ullum jus puniendorum noxiorum pœnis & supplicijs corporum, aut etiam bonorum privatione. *Primò.* Quia Christus nullam Ecclesiæ potestatem contulit, præterquàm *spiritualem*, nec aliter pertinaces, & Ecclesiæ rebelles ab Ecclesia puniri jussit, quàm ut habeantur tanquam Ethnici & publicani, hoc est, ut indigni Ecclesiæ communione declararentur. *Secundò.* Quia idem Christus docuit nos, nihil magis abhorrere ab Evangelij mente, quam dominium & imperium terrorem incutiens. *Tertiò.* Quia Christus Apostolos uti *materiali* gladio prohibuit, etiam ad defendendam religionem, graviter increpans Petrum, qui gladio usus fuerat, *Matthæi 26. v. 25. Lucæ 22. v. 49. Ioannis 18. v. 10.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

45. IN primis sponte admitto, Ecclesiasticam potestatem per seipsam non habere usum gladij *materialis*. Cujus sequens accipe fundamentum. Nam potestatis Apostolicæ sphæra protenditur equidem super *Quodcunque in terris solvendum, aut ligandum*, sed cum expresso ordine ad regnum cælorum, atque adeò sub respectu *moralitatis* in regnum cælorum ordinabilis. Vnde fit consequens, potestatis Apostolicæ sphæram non extendi vel super vitâ, vel super Bonis temporalibus Christianorum, in *Esse physico*, sed sub *moralitate* ordinabilitatis, vel deordinabilitatis in regnum cælorum spectatis, sicque adeò redactis ad lineam & statum supernaturalis *moralitatis*. Sub quo proinde respectu, Christus *locis citatis* eatenus dixit, sufficere Apostolatui duos gladios temporalis & spiritualis potestatis; uti Patres *in anterioribus* allegati tradunt, ut nihilominùs gladij *materialis* usus per seipsum exercendus, fuerit Petro prohibitus à Christo jubente, ut gladium hunc mitteret in vaginam, manifesto adeò argumento, istum à Christo fuisse agnitum, quòd esset in jure & potestate Apostolicæ authoritatis, quippe cùm alioquin abijciendus, non in propriam Apostolicam vaginam recondendus fuisset, si voluisset Christus eum prorsus alienum à jure & potestate Apostolicæ authoritatis. Quare in aperto jam est, ipsius gladij *materialis*, respectu humanæ quoque vitæ, non quidem sub *Esse physico* spectatæ, sed quà in *moralitatis* ad regnum cælorum ordinabilis lineam reductæ, usum esse in jure & potestate Apostolicæ authoritatis, ita tamen, ut per manum Regis, seu Imperatoris, non autè Petri Successoris, Ecclesiæ necessitate publicâ exigente, exercendus sit.

Quoad reliqua verò temporalia bona, & 46.
jura ultra *Esse physicum*, vel etiam ultra potestatis politicæ, lumini naturali commensurata limites, ad supernaturalis in regnum cælorum ordinabilis *moralitatis* sphæram traducta, sicque temporalitatem transcendentia, ac spiritualitatis denominationem participantia, rursus dicendum est, ea contineri sub *Quocunque*, per claves regni cælorum ordinabili *super terram morali, indefinitæ* Apostolicæ ad ligandum & solvendum potestati per Christum subordinato, ut nullibi, perinde ac de gladio temporali, sit Apostolicæ authoritati interdictum, ne per se ipsam ejusmodi jurium, Ecclesiæ necessitate, & delictorum gravitate ità exigente, peremptoriam faciat solutionem. Et licèt pertinaces & rebelles ab Ecclesia puniri eatenus jubeantur, ut in Ethnicorum & publicanorum sorte habendi sint, hanc nihilominùs pœnam *Matth. 18.* contexuit Christus cum *indefinitâ* Apostolicâ, *Quæcunque* ligandi & solvendi potestate, ut proinde hujus authoritati sit à Christo concessa facultas ad jurium etiam Regiorum subsistentiam, in hoc subjecto Ecclesiæ extremè nocivam, atque ut sic intrà limites *moralitatis*, Ecclesiasticam potestatem circumscribentis, constitutam solvendam, seu *moraliter* perimendam. Et hinc licèt potestas Ecclesiastica abhorreat dominium & imperium, terrorem ex affectu erga propriam imperantis utilitatem, incutere natum, attamen illi haudquaquam alienum est, à peccatis *Orthodoxæ fidei, ac *nocivis
Religioni etiam publicæ, absterrere pœnis privationis bonorum, quà contentorum sphærâ *moralitatis* in cælorum, Ecclesiæ nempe tam militantis, quàm triumphantis regnum, seu *positivè*, seu *privativè*, seu etiam *contrariè* ordinabilis.

Et hinc pro *secundo* facile est respondere 47.
ad ea, quæ Ellies ulteriùs objicit: tum *quòd Ecclesia Imperatores, aut Magistratus civiles adire solita sit, ut ij, qui suis decretis adversabantur, in exilium ejicerentur: legatúrque multis annis nulla civili authoritate adversùs hæreticos ac rebelles usa fuisse, quia nullum sperabat ab Imperatoribus, utpote adhuc Ethnicis, auxilium.* Tum quòd, ubi Imperatores cœperunt esse Christiani, *sollicitudo & cura propriy Imperij, cujus tranquillitas à Religionis conservatione plerumque pendebat, in causa fuerit, ut hæresiarchas & rebelles in exilium mitterent, aut mulctâ pecuniariâ plecterent.* Tum quòd *non nisi posterioribus Ecclesiæ sæculis, concessa sit Ecclesiæ ab Imperatoribus potestas statuendarum in hæreticos, aut peccatores, pœnarum temporalium.*

Ad hæc namque universa in promptu est 48.
responsio *ex anterioribus*. Tum quòd ijs temporibus, quibus Imperatores Ethnici fuerunt, publicum etiam Ecclesiæ, sub gentilismo adhuc ingemiscentis, Bonum haud permisisset, in quosque licèt Christianos peccatores, maximè Principes, ac Reges temporales stringere gladium; potestatis autem Ecclesiasticæ mensura sit publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, animarumque fidelium solicitudo, temporum iniquitate tunc cohibente etiam districtioris coercitio-

nis pœnas. Tum quòd, ubi Imperatores cœperunt esse Christiani, Romanoque Pontificatui adjecta est temporalis quoque principatûs dominatio, tunc ad hæreticos ac rebelles intrà Romanæ Ecclesiæ fines temporalibus vitæ ac corporis bonis mulctandos, non opus habebat alieno Imperatoris gladio, sed ex potestatis suæ Pontificiæ authoritate potuit Ministris suis facere mandatum Apostolicum, una & Imperatorium, de gladio in Petri vaginam misso educendo, sicq; quibusvis seu vitæ, seu alijs corporalibus pœnis infligendis. At extra finũ suorum limites eatenus potuit stringere gladium vaginâ suâ Apostolicâ reconditum, ut hic tamen in executione non per ipsum, sed per Imperatorem, aliúmve politicum Magistratum esset exercendus: quoad reliquas verò *materialiter* temporales, sed quà *moralitate* in Regnum cælorũ ordinabili superveſtitas, atq; adeò ut sic *formaliter* spirituales pœnas, integra semper in Romano Pontifice erat potestas, super *quocunque* in terris *morali* seu solvendo, seu ligando protensa; uti *superiùs* explicatum fuit.

ARGUMENTUM II.

49. Ludovicus Ellies *cit. §. 5.* argumentatur 2. ex unanimi consensu Patrum docentium, Ecclesiam carere omni gladio *materiali*, seu potestate *civili* ad homines cogendos, & puniendos, nec aliud quidquam posse, quàm hortari, monere, & excommunicare eos, qui qui sibi nolunt obedire.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

50. Videamus, quàm impertinenter Elliesius hîc adducat Patrum testimonia. *Primò* igitur Tertullianus, Lactantius, Athanasius, & Hilarius; prout cernere licet ex ipsorum verbis *ibidem* relatis, loquuntur de gladio per vim cogente ad Religionem, seu fidem Christianam amplectendam. Quia verò Ecclesia nullam prorsus habet jurisdictionem ergà illos, qui Christianitatis charactere nondum insigniti, minimè subduntur Ecclesiasticæ jurisdictioni, idcircò impertinens est istorum Patrum ad præsens institutum nostrum allegatio.

51. *Secundò.* Canon *Apostolicus* 26. statuit equidem *deponendum Episcopum, qui fideles delinquentes percutit.* Sed quid hoc ad rem præsentem? Siquidem percussio ejusmodi nullatenus conduceret ad *moralitatem* regni cælorum ordinatricem, in quibusvis pœnis Ecclesiasticis circa temporalia etiam infligendis, observatu prorsus necessariam.

52. *Tertiò.* SS. Gregorius Nazianzenus *in carmine de vita sua. & orat. 1. de Theologia.* & Ambrosius *lib. 7. in Lucam c. 22.* ab ipsomet Ellies inducuntur locuti sub hoc sensu, quòd nempe Evangelium non sit per vim promulgatum, nec missi sint Apostoli, ut gladio, aut imperio uterentur ad stabiliendam fidem, sed qui humilitate & patientiâ cunctos ad eam adducerent. Anne igitur hinc concludere fas est, Reges ex Christianitatis charactere jam subjectos Ecclesiæ, ubi huic rebelles evaserint, ac Religionis sacræ devastatores, non posse in ordinem redigi per Apostolicam, *Quodcunque in terris*, quà *moralitate* in regnum cælorum ordinabili superveſtitum solvendi, adeóque *in foro* etiam *cæli moraliter* ligandi, seu puniendi potestate?

53. Sanctus equidem Augustinus *lib. de fide & operib. Cap. 2.* docuit, *Ecclesiam posse infligere pœnas degradationis & excommunicationis.* Num verò fas fuit Elliesio, ab ista *affirmativa* ad *negativam* universalem conclusionem progredi, quòd nullas alias pœnas, quàm degradationis & excommunicationis possit Ecclesia infligere?

54. Dum porrò S. Cyprianus *Epist. 11. lib. 1.* ait: *Nunc, quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei cœpit, spirituali gladio superbos & contumaces necari, dum de Ecclesia ejiciuntur*: num ista extra Ecclesiam rebellium ejectio nequit ulteriùs erga Reges progredi, quin oporteat, ipsos in continua per authoritatem Regiam malè usurpatam Religionis publicæ infestatione relinquere?

55. Quia porrò S. Chrysostomus *hom. 4. in Isaiam* ait: *Postquàm arguisset sacerdos, Rex autem non cessisset, sed arma moveret, clypeis & hastâ, suâque uteretur potentiâ*, congruere Sacerdoti, ut dicat: *Ego, quod mei erat officij, præstiti, nihil ampliùs possum, succurre sacerdotio, quod conculcatur, leges violantur, fas subvertitur.* Numquid ex hac S. Chrysostomi sententiâ evincitur quidem, dum vires adversùs Regiam potentiam non suppetunt, nihil ulteriùs esse tentandum: attamen, si spes sit perfringendi Regis adversùs Religionem sacram insurgentis impetus, num abstinere fas erit à sanctæ Ecclesiæ Clavium, ad *Cujuscunque* super terram solvendi, sicque sub *morali* in cælorum regnum ordine perimendi, sententiam progredi valentium, publico etiam, atque authoritativo usu?

56. Quando Gregorius Magnus *lib. 2. Epist. indict. 11.* docet: Sacerdotum in peccantes officia his tribus comprehendi: *Argue, obsecra, increpa*, neque verberibus, aut supplicijs coercendos esse. Num si præter omnem spem neque arguitio, neque obsecratio, neque increpatio verbalis proficiat, dicere fas est, illum Romanum Pontificem suæ quoque Apostolicæ authoritatis virgam coercitivam exclusam voluisse, ne ad excommunicationis usque sententiam procedat, vel ad authoritativam cujuscunque super terram juris secundùm *moralitatem* in regnum cælorum ordinabilem, seu solvendi, seu ligandi executionem?

57. Num hæc authoritativa Pontificiæ præeminentiæ potestas, vel ex hoc arctanda videtur, quòd Petrus Damiani *lib. 4. epist. 9.* moneat: *Ut causas Ecclesiastici cujuscunque negotij leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta Concilij, ne, quod gerendum est in tribunalibus, vel ex sententiâ debet provenire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorũ?* An non potiùs, quæ prudentiæ ratio ad motus bellorũ præcavendos, hîc insinuatur, eoúsque prævalere debebit, ut, dũ neque leges fori, neq; sacerdotalis edicta Concilij, neque Pontificum seu tribunalia, seu sententiæ adversùs proteryiam Regis in Ecclesiam rebellis,

rebellis, proficere possunt, Apostolicam ad *quodcunque* solvendum & ligandum authoritatem, oporteat stare otiosam?

58. Hinc circa illa universa, uti etiam subsequentia seu Patrum, seu Theologorum testimonia, pro *quarto*, apprimè notandum venit, quòd ejusmodi sententiæ eatenus sint circa Ecclesiasticæ potestatis prudentialem procedendi modum instructoriæ, ut singulæ haudquaquam describant universam, authoritatis Apostolicæ sphæram & potestatem. Vnde Ludovici Ellies argumentationes inde productæ, ex unâ potestatis Ecclesiasticæ parte, per SS. Patres, Doctoresque Theologos affirmatâ procedendo, ad negandam potiorem, extremæ duntaxat necessitati deservientem, Pontificiæ authoritatis partem, meritò sunt coarguendæ vitij, quod adversùs Dialectices principia committitur, dum ab *affirmativa* particulari, fit illatio ad particularem, seu magis universalem, *negativam*.

59. Ad hoc magis ostendendum, discutere adhuc placeat, reliquorũ ab Elliesio allegatorum seu Patrum, seu Theologorum sententias. Dum enim S. Anselmus *in cap. 26. Matth.* dicit: *Materialem gladium carnalibus, spiritualem autem ministris spiritualibus dari*; num sub isto spirituali gladio excluſum contendis Ludovice, gladij etiam *materialis* usum, quà Ecclesiæ necessarium, à spirituali quoque ministro Christi Vicario demandandum? Audi hâc super re Divum Bernardum, qui, uti *lib. 2. Considerat. cap. 6. Summi Pontificis potestatem*, ait, *non equidem esse in possessionibus, sed in criminibus*, sic *libro 4. cap. 3.* alloquitur Papam: *Quid tu denuò usurpare gladium tentas, quem jussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere Verbum Domini dicentis*: Converte gladium tuum in vaginam: *tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, non tuâ manu evaginandus, alioquin, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis*: Ecce duo gladij hîc; *non respondisset Dominus*: Satis est; *sed minus est. &c.*

60. Dum porro Hugo à S. Victore *de Sacram. fidei lib. 2. p. 2. cap. 7.* scripsit: *spiritualem potestatem non ideo præsidere, ut terrenæ in suo jure præjudicium faciat.* Num cæcus es, nè videas, potestatis spiritualis agnosci præeminentiam, ut terrenæ præsideat? Num verò terrenæ potestatis jus protendi valet ad eum perversum usum, quo Pontificiæ majestatis, Ecclesiæque sanctæ jura infringere conetur? Num ergo, si non jam intrà jus suum se continens potestas Regia, sed sphæram terreni à Deo instituti Principatûs limites excedens, adversùs Ecclesiam insurgat, potestas spiritualis eidem præsidens, se ipsam, Ecclesiæque sanctæ jura vindicare prohibeatur?

61. Quando insuper Alexander Alensis *p. 3. q. 40. m. 5.* recitans illa Hugonis verba, superaddit: *Regum esse, exercere pœnam corporalem, sacerdotum verò spiritualem.* Num inferre fas est, spiritualem, quam in pœnis inferendis attendit sacerdotalis potestas, ita coarctari, ne diffundatur super corporalia, ut falsitatis coargui debeat, quod idem Alensis *cit. p. 3. Sum. q. 40. membro 1.* scribit: *Spiritualis potestatis esse, instituere terrenam potestatem, ut sit, eámque, si bona non fuerit, judicare, juxta illud Divinum oraculum, quod dicitur*: spiritualem judicare omnia?

Quando denique Thomas Waldensis *doctrin. antiquæ lib. 2. art. 3 c. 78.* duas ponit potestates primas, ita, *ut neutra ab altera secundùm originem pendeat, hæc tamen* (nempe terrena) *sit illi* (scilicet Ecclesiasticæ) *subjecta secundùm perfectionis simplicis dignitatem*, rejecto etiam, quod aliqui dicebant: *Radicem potestatis terrenæ in tantum dependere à Papa, ut ex commissione ejus derivetur in Principem, & Principe deviante, posse Summum Sacerdotem temporale administrare negotium.* Num aliud per hæc verba intendit Thomas Waldensis, quàm ipsemet Ellies explicuerit: adstruendo *ibidem* distinctionem inter potestatem, & eum, qui potestate utitur, ita ut terreni Reges subdantur quidem potestati Ecclesiæ, licèt illorum potestas tunc non subdatur, nec a sacerdotibus exerceri possit? Numquid ergo hæc potestatis contra ejusdem subjectum distinctio, eò collimat, ut & origo & limites potestatis Regiæ sint per naturale super nos signatum lumen, eatenus ex Deo constituti, ne, quamdiu intrà sphæram consistit, quicquam contra eam possit authoritas Ecclesiastica? Num verò hinc inferre fas est, quòd abusus potestatis Regiæ ultra ejusdem sphæram exorbitans, reduci valeat in ipsissimã eam potestatem, vel potiùs in subjectum, cui inest, nequitiam & perversitatem? Num igitur ista in subjectum unicè reducibilis perversitas, si adversùs ipsam etiam Ecclesiam, ejusque jura insurgat, non est castiganda ab eo, cui, ipsomet Ellies fatente, subjectus est, qui terrenâ dotatus est potestate. Quòd si proinde potestas terrena non jam in seipsa, quatenus est à Deo, sed ejusdem in hoc subjecto subsistentia, *moralitate* adversùs regni cælorum ordinem perquàm enormiter pugnante, per Regiæ potestatis abusum affecta, inceperit esse intrà sphæram Ecclesiasticæ, super *quocunque* in regnum cælorum seu ordinabili, seu deordinabili protensæ authoritatis, numquid hæc ejus potestatis terrenæ in hoc subjecto subsistentiam, qua Ecclesiæ nocivam solvere, sicque *moraliter* perimere, eatenus prævalebit, ut solutio ejusmodi sit etiam in cælis rata habenda?

62.

§. VI.

Continens Summarium Ecclesiæ Doctorum ac Patrum, Theologorúmque, vel etiam remissivè *saltem Summorum Pontificum, Papæ super Reges authoritatem adstruentium.*

63. QUantum ad Summos Pontifices, remittimus Lectorem ad ea, quæ *præcedenti cap. 2.* per singulos ferè §§. exempla supremæ Pontificiæ potestatis, adversùs Reges & Imperatores ad depositionem usque progressæ, tum ex Historicis, tum ex SS. Canonibus, tum ex Conciliaribus sanctionibus proferebamus. Quibus, *remissivè* tamen, superaddimus testimonia S. Gregorij Magni *lib. 11. Epist. 10.* S. Bernardi *ubi supra.* S. Thomæ *q. 12. art. 2.* Divi Bonaventuræ *lib. de Eccles. hierarch. par. 2. cap. 1.* item *in 4. dist. 37.* S. Antonini *3. par. Summæ*

ex pag. 99. 100. 101. 110. 111. ac seq.

mæ tit. 22. cap. 5. §. 13. B. Augustini Triumphi q. 1. de potest. Eccles. par. 1. art. 7. & 8. Hugonis de S. Victore lib. 2. in sacram. par. 2. cap. 4. Umberti Viennensis ferm. 70. Henrici à Gandavo Quodlib. 6. q. 23. pag. 244. Petri Paludani in 3. Sent dist. 40. q. 2. concl. 4. Hervæi Natalis in tract. de origine jurisdictionis, Ioannis de Parisijs cap. 14. Ioannis Gersonij Cancellarij Parisiensis tract. de potest. Eccles. considerat. 12. Ioannis Almaini Parisiensis tract. de potest. Eccles. & laica cap. 9. Ioannis Majoris in 4. Sent. dist. 24. cum pluribus alijs seu Jurisprudentiæ, seu sacræ Theologiæ Doctoribus.

64. Quibus hunc in modum relatis, sequentia duximus hîc superaddenda. *Primò* disquirendo. Cur non Antiquiorum etiam Patrum sententiæ allegentur ad probandam Pontificiæ supra Reges potestatis extensionem? At quamdiu, & ubi prædominabatur Ethnicismus, vel quævis Ecclesiæ Romanæ tyrannica oppressio, sub quibus Ecclesiastica potestas latère potiùs, quàm in publicum prodire per ejusmodi solennes actus compellebatur, importunissimum fuisset, ut à Patribus illorum antiquiorum temporum de hoc supra Reges Pontificiæ potestatis puncto manifestè scriberetur, sed sufficiebat, tueri Apostolicam super *Quocunque in terris Morali*, seu solvendo, seu ligando protensam authoritatem, sub quâ jam continebatur ipsissima illa potestas, prout edocemur ex ijs principijs, quæ à nobis tradita sunt *in Inextincta Concilij Tridentini Veritate tract. proœmiali q. 5. per totum. & tract. 6. ejusdem sacræ Synodi sect. 6. per totam.* Ubi verò benigniora affulserunt tempora, quibus Clavibus Apostolicis expedita jam erat facultas, per quævis seu decretorum, seu processuum judicialium, vel etiam Synodalium genera procedendi adversùs Ecclesiæ sanctæ rebelles, ipsosmet etiam Reges & Imperatores, sibi quoad omnem in regnum cælorum ordinabilitatem; vel ab hoc deordinabilitatem ad fori sui judicium deduci aptam subjectos. Exinde quæstionis illius punctum accuratè discussum fuit tum ab ipsismet Summis Pontificibus, prout sacri Canones ostendunt, tum à sacrosanctis Generalibus etiam Concilijs, uti variæ Synodales sanctiones *in quarta* præsertim *Disquisit.* adductæ probant, tum in scholis à præcipuis sanctæ Ecclesiæ Doctoribus Theologis, quorum aliquos cum suis sententijs hîc compendiosè rememorari placuit, ad videndum, quibus nixi fuissent sacræ Scriptu ræ fundamentis.

65. Pro *secundo* igitur, si expendantur sancti Antonini verba, quæ *loco superiùs citato* habentur, unà cum Divi Thomæ *in Opusc. 20. de regimine Principum cap. 19.* prolatâ sententiâ, manifestè hinc elucet, quòd Papæ jus sit tum super ipso etiam Imperatore confirmando, vel per hæreditariam successionem designando, ac etiam deponendo, tum super potestate eligendi Regem Romanorum alijs conferendâ, nec non dignitate isthâc Electorali, Principibus Germaniæ concessâ revocandâ, quantum bonus status Ecclesiæ Universalis, seu populi Christiani pax id requireret. Quod Summi Pontificis jus deducitur in hoc principium, quòd nempe dignitatem Imperatoriam pro Occidente Græcis ademptam, Papa eatenus vendicârit Sedi Apostolicæ, ut semper adhuc *radicaliter* penes istam subsistat, tametsi eam primitùs secundùm hæreditariam successionem in Caroli Magni stirpem masculinam, posteà verò secundùm liberam electionem, in Nationem Germanicam transtulerit. Hæc verò Imperatoriæ super Occidente potestatis in Carolum Magnum, indeque in Germanos translatio, per dictos sanctos Doctores ulteriùs reducitur in istud principium: tum quòd Papa tanquam Christi Vicarius habeat plenitudinem potestatis pro Bono statu Universalis Ecclesiæ: tum quòd, cùm Papa Dei vices agat, *consequenter* Imperator sit illius minister: sit autem Principalis agentis, eligere ministros & instrumenta ad finem suum idonea. Unde, quia Papæ est, universos fideles in præsenti Ecclesia ordinate ad pacem, ac spiritualem finem, fit consequens; posse exigente causâ justâ & rationabili, per seipsum eligere Imperatorem, aut propter populi & pacis providentiam, aut propter coercendam hæreticorum, & paganorum audaciam, atque potentiam.

Pro *tertio*, Divus Bonaventura *supra allegatus* sententiæ suæ rationem reducit ad hoc principium, quòd dignitas Clericalis in sua radice penitus spiritualis, meritò dicenda sit consona ordini Dominationis, ita illuminantis inferiores Angelicos Ordines, ut ab illis vicissim non illuminetur. Unde infert hic Seraphicus Doctor, quòd, sicut spiritus dignitate & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior sit, quàm sæcularis, sortiaturque nomen Dominationis, atque adeò Regalis potestas subjacet authoritati ispirituali, propterea que *in 1. Canonica Petri Sacerdotium* dicatur *Regale.* 66. ex pag. 111. n. 28.

Pro *quarto* denique, ex locis *superiùs* citatis constare potest, à Petro Blesensi eatenus in Summo Pontifice reponi gladium Petri, ut hic sit etiam super regna, præjudicetque gladio Imperatoris, in vi cujus Sedes Apostolica super ipsos quoque Imperatores teneat imperium; uti etiam S. Petrus Cluniacensis habet. Unde Divus Bernardus infert, ipsius etiam Imperatoris gladium *materialem* subesse Ecclesiasticæ authoritati, quatenus Summus Sacerdos propriâ manu suum *spiritualem* gladium, suo tamen nutu, ac imperio illum Imperatorum gladium exerere, ac exercere valeat. Ex vi cujus adeò supereminentis spiritualis authoritatis, posse Summum Pontificem instituere, ut sit, & judicare potestatem terrenam, tradunt Hugo à S. Victore, & Alensis *ubi supra allegati.* Et hinc Henricus Gandavensis, & Augustinus Triumphus *ibidem* relati probant, Summum Pontificem esse talem Hierarcham, ut iudicet non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, quà spiritualitatis scilicet formalitate affectis. Quam proinde Papæ authoritatem idem Gandavensis reducit in Claves Petro, ejusque Successori à Christo traditas, & duos eidem commissos gladios, sic ut regnum universalis Eccle-

67. ex 111. pag. n. 91.

siæ tam

tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ad ipsum pertineat, cui Christus juxta *Cap. Omnes. dist. 22.* junctâ Glosâ *ibi.* terreni simul & cælestis imperij potestatem per duas claves commisit cum duplici, spirituali scilicet ac temporali gladio. De quo ulteriores adhuc Gallicanæ etiam Ecclesiæ Doctores consulere licet nostri in hanc rem operis *pag. 114. à n. 92.*

Caput IV.

In quo examinatur, quomodò Civilis potestas de se, & ex naturâ suâ sit independens à spirituali?

ADveritatis centrum hâc in re attingendũ optarem, ut præ oculis semper haberetur distinctio inter Regiam potestatem, quà lumini naturali concreatam, ejusque intrà hoc individuum, seu isthanc personam subsistentiam, nec non politici regiminis *actuale* exercitium. Iuxta quam proinde, distinctionem *subsequentis paragraphi* titulum, sub hac normâ proponendum duxi.

§. I.

Quomodo verificetur, potestatem Regiam esse immediatè *à Deo, & ab illius solius potestate pendére.*

ARGUMENTUM I.

1. LUdovicus Ellies *citatæ suæ septimæ Dissertationis cap. 2. §. 1.* argumentatur 1. Cùm homines omnes à natura sint ad societatem destinati, quæ sinè potestate & authoritate stare nequit, necesse fuit, ut Deus, qui rerum omnium est Dominus, Societati in hominum bona & corpora potestatem commiserit: nam si Deus nulli potestatem hanc contulisset, homines in pace & tranquillitate degere, foret impossibile, quippe si nulla esset in terris condendarum legum authoritas, si nulla potestas, quâ possent homines ad illarum observationem cogi, si impunè liceret omnibus, se se mutuò interficere, bonisque spoliare, quomodò posset nomen Societatis obtinere hominum inter se coeuntium inordinata multitudo, confusa turba, ubi nemo audit neminem, uti eleganter id prosequitur S. Chrysostomus *hom. de statuis.* Cùm ergo solus Deus vitæ, bonorumque nostrorum sit Dominus, necesse est, ut potestatis hujus partem contulerit ijs, qui Societates Civiles regunt, ac proinde sive Reges, sive Magistratus, sive Principes, sive populus universus potestatem illam exerceant, necesse est, eam à Deo, qui solus illam hominibus concedere potest, in ipsos *immediatè* derivari.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

2. NUnquid ex primævâ rerum sublunariũ *Geneseos* 1. descriptâ creatione, manifestè constat, Deum universo humano generi in Adamo contulisse Dominium terræ cum piscibus maris, volatilibus cæli, & cunctis animantibus super terram, unaque cum herbis & lignis, arboribusque universis. Hoc igitur Dominium universale à Deo *immediatè* collatum toti humano generi, num dicere fas est, post divisionem rerum, esse singulis æquè *immediatè* à Deo communicatum? Nemo, qui modicâ etiam Juris peritiâ est intinctus, non distinguet inter primam erga universum sublunarem mundum Dominij, toti humano generi Divinitus factam collationem, atque Dominiorum in singulos homines posteà subsecutam divisionem, ita ut illam dicturus equidem sit, esse *immediatè* à Deo, non verò Dominij erga singularia Bona singulis hominibus appropriatam possessionem. Quo præsuppositio, sicuti absurdissima cunctis appareret conclusio illa, quà inferretur ex eo, quòd Dominium in res sublunares universas, sit *immediatè* à Deo collatum humano generi, nihil jam ulli humanæ potestati esse Juris supra ejusmodi, quà singulis hominibus appropriatas possessiones, ad eas ex justitiæ & æquitatis ratione ab uno in alterum transferendas. Sic pro *primo*, profectò nosceretur absurditas esse in illâ conclusione, per quam ex eo, quòd potestas Regia per insitum Naturæ lumen sit universitati humani generis Divinitus concessa, fieret illatio, nullam jam inter homines reperiri posse authoritatem supra Regiæ potestatis, non primævam equidem originem, seu *intrinsecam*, ac *essentialem* ipsius conditionem, sed *subjectivam* ejusdem ad hoc individuum suppositum, applicationem, & appropriationem, quantumvis supernaturalis quoque statûs, seu Ecclesiæ ratio religiosa exigeret Regiæ ejusmodi potestatis perperam collocatæ transmutationem.

Ad cujus proinde majorem elucidationem 3. pro *secundo* placet hunc in modum ratiocinari. Jurisdictionem equidem politicam & Civilem Divinitus esse *immediatè* concessam Communitati, atque ex hujus voluntariâ translatione derivatam esse in Principem aliquem, seu Imperatorem, seu Regem, eruitur *ex lege 1. ff. De constitutionibus Principum.* & *lege 5. §. Novissimè. ff. De orig. Iuris.* Ex quo namque homo per naturam suam noscitur esse animal so- 37. ciale ac politicum, lumine naturæ æquè notum esse debuit, oportere, inter homines subsistere politicum quodpiam regimen, non justitiæ duntaxat inter privatos, sed Boni quoque publici moderativum, conciviumque in unum corpus politicum coadunatorum ordinativum ad Commune Civitatis, seu Reipublicæ Bonum. In cujusmodi adeò regimine politico, oportuit, statui supremam quampiam potestatem, cujus decretis universi acquiescere deberent, ut sic publica pax & tranquillitas conservari valeret. At sicuti *jure naturæ* haudquaquàm fuit determinata sphæra cujusque seu nationis, seu Religionis ac Provinciæ, seu Civitatis, alteriusque Communitatis, sed illa est constituta per liberâ hominum conventionẽ in diversa climata ac terras sponte suâ se se dividentium; sic neque *Iure Naturæ* fuit determinatum, an in uno, vel pluribus, vel etiam

ex pag. 78. n.

in totâ, per consensum hominum in unam seu Nationum, seu Provinciarum, aliúdve politicum Regimen liberè se condunatium communitate, subsisteret illa, per jus naturæ ab ipsomet Deo *immediatè* constituta suprema gubernativa potestas. Et hinc *jure naturæ* haud subsistit definitum, quòd vel in hac, vel illa Natione sit Monarchicum potiùs, quam Aristocraticum, vel etiam Democraticum regimen. Multò minùs *Iure naturæ* potest esse definitum jus hæreditarium politici regiminis intrà certam aliquam stirpem propagandi, sicque magis remotum est à jure naturæ, ac si hoc determinâsset individuas, politico Regimini præficiendas personas: sed hæc universa pendent ex

4. constitutione hominum.

Hinc pro *tertio* licet, hunc in modum ar-
ex pag. 79. n. 38. gumentando, ulteriùs progredi. Quandoquidem Regia, seu politica potestas, secundùm se *formaliter* sit Juris *Divini*, ejus tamen collatio varijs ab hominum placito dependentibus affecta conditionibus, subjecta sit humanis ordinationibus & constitutionibus: quandoquidem etiam Jus Regiæ, seu supremæ politicæ potestatis, non in *actu signato*, & quasi *in abstracto*, in se *Formaliter* consistens, ut sic luminis naturalis necessario Jure constitutum, sed *concretè* & *subjectivè* spectatum, quà pro isto seu Climate, seu Natione, seu Provinciâ coarctatum, & quà huic præcisè stirpi jure hæreditario communicatum, vel qua Jure Electivo sub hâc, vel illâ normâ, modoque regiminis uni, vel pluribus destinandum, sicque adeò, quà huic individuo supposito applicatum, seu applicabile, sit dependens ex hominum ordinationibus. Idcircò emergit hinc quæstio; *An Regiæ potestatis collatio faciendæ homini Christianitatis charactere insigniti, sicque Ecclesiasticæ potestati subjecta, & ab hominum, vi charactéris in Baptismate accepti, Ecclesiæ sanctæ æquè subditorum dispositione dependens, dicenda sit expers moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis?*

5. Cujus quæsiti pro *quarto*, accipe sequentem
ex cit. pag. n. 38. resolutionem. Nullus profectò vel Rex, vel populus Christianus, Regiæ gubernationis seu *activè*, seu *passivè* consors, ullam in se *moralitatem* patietur, ut expers esse debeat illius ad Regnum Cælorum ordinabilitatis, vel certè, si ejusmodi ordinabilitatem à semet, suisque, publici etiam regiminis actibus, exclusam velit, certa & indubitata in ipso stabit suæ *moralitatis* à Regno Cælorum deordinatio, quæ & ipsa subjicitur Ecclesiæ clavibus. Jacto igitur hoc indubitato fundamento, quòd Regiæ potestatis collatio, tũ quà in certum individuum suppositum derivata, tum quà ex hominum ordinationibus *Originariè* profluens, sit *Moralitatis* in Regnum cælorum ordinabilis capax & particeps, oportet, hocipso talem collationem utrovis illo modo, *Activè* scilicet, ac *Effectivè*, sive etiam *Passivè* ac *subjectivè* spectatam, contineri sub illo *Quocunque super terram Morali*, super quo Christus Ecclesiæ in suo Capite, Summo Pontifice, vel universali Concilio repræsentatæ, concessit *indefinitam ligandi & solvendi potestatem.*

ARGUMENTUM II.

LUdovicus Ellies *dicto §. 1.* argumentatur 2. 6.
Generale, Divo Augustino *lib. 3. confess. cap. 8.* teste, ipso naturali lumine notum *est Societatis humanæ pactum*, ut subditi *obediant Regibus suis.* Paulo *Rom. 13. v. 1.* præcipiente, ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo &c. Dei enim minister est, non sinè causâ gladium portans.* Cui concinit B. Petrus *epist. 1. cap. 2. v. 13. Subjecti*, inquiens, *estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis.* Consonat etiam Sapientiæ liber *cap. 6. v. 4. & 5. Data est*, inquiens, *à Domino potestas vobis Regibus, & virtus ab Altissimo.*

Noscitur præterea in Testamento Veteri Saul esse constitutus Rex à solo Deo. *Ex 1. Reg. cap. 10.* Et hinc David non præsumpsit in Saulem, tyrannum licèt, mittere manum suam, *quia Christus Domini erat, Ex cit. lib. 1. Regum cap. 24. & cap. 26.* Quemadmodùm igitur Reges, Patribus quoque ab Ellies hîc adductis concorditer consentientibus, à Deo, vel etiam à solo Deo sunt constituti, sic non nisi à Deo deponi possunt.

Responsio ac retorsio hujus argumenti.

ANtequàm *directè* respondeam, placuit pro 7.
primo sequentem facere conquisitionem. Nunquid virtus ignis cum ejusdem substantiâ, est à solo Deo primitùs creata? An ergo hinc concludere licet, non posse nisi à solo Deo extingui, & non potiùs ab ipsomet quoque Deo esse creatam virtutem aquæ, potentem extinguere ignem cum omni virtute suâ? Hæc equidem reciproca destructiva virtus, in igne & aquâ subsistit ex contrarijs qualitatibus, neque verò inter potestatem Pontificiam & Regiam magis potest esse contrarietas, quàm inter lumen naturale & supernaturale, quod posterius est prioris perfectivum, nullatenus verò destructivum, quamdiu istud non egreditur sphæram suam, sicque adeò quæcumque lumini naturali commensurata æquitatis & honestatis ratio, apta quidem est à lumine supernaturali evehi ad supernaturalitatis, in Regnum Cælorum ordinabilis *moralitatem*; attamen nullâ potest etiam Pontificiâ in terris potestate cohiberi Regia potestas, quin valeat quæcunque ipsius sive lex, sive alterius generis circa regimen Politicum ordinatio, quamdiu intrà suos luminis naturalis, eique congenitæ æquitatis & justitiæ limites se continet. At ubi extra hanc sphæram, aliqua in Regibus contingit exorbitantia, dum *moralem* saltem cum lumine naturali oppositionem præ se fert, mox incipit esse contraria lumini quoque supernaturali, atque cum hoc commensuratæ *moralitati*. Quòd si ergo adversùs talem exorbitantiam, dum præsertim in publicam etiam Ecclesiæ perniciem emergit, Pontificia, supernaturali lumini coaptata authoritas insurgit, nullatenus est contraria Regiæ potestati, secundùm sphæræ Divinitus constitutæ *intrinsecos* limites

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mites suos consideratæ, sed quæ ipsissimo naturali lumini contraria est *Moralitas*, hanc sub altioris, nempe supernaturalis, etiam à Regno cælorum desciscentis, *Moralitatis* ratione meritò solvit, ac e medio tollit in suâ etiam radice, quæ non est ipsamet secundùm se potestas Regia, sed hujus malè intra hanc personam, cum Antiocho peccati Radicem jure appellandam, collocatio, indeque egrediens, extra naturalis quoque luminis sphæram exorbitans, Regiæ authoritatis abusus.

8. Quo præsuppositio, pro *secundo* majori insuper consideratione dignum propono, quòd intrà *Moralitatis* etiam naturalis lineam, tripliciter modo possit aliquid esse à Deo; nempe tum *in vi Iuris naturalis*: veluti est publici regiminis politica potestas: cujusmodi Ius, certum est, à solo Deo esse cum animâ rationali concreatum. Tum *in vi Iuris positivi*, quod, si Divinum sit, iterum noscitur à solo Deo esse, si verò sit humanum, ita promanat ex potestate Divinitus constitutâ, imò ex Divino etiam voluntatis & intellectûs intrà Regem motore instincta, ut tamen sub specificâ sui, quâ humani Iuris ratione, sit ab homine, qua per authoritatem publicam præcellente. Tum denique *in vi Iuris permissivi*, ad quod pertinet, quidquid à rectitudine *moralitatis* seu naturalis, seu supernaturalis deviat. In quo utique genere est Regiæ quoque potestatis intrà hanc personam, mala à recto *Moralitatis* ordine defluens collocatio, ejusdemque authoritatis abusiva contra Ius & fas, contra Deum ipsum, atque Ecclesiam usurpatio. Et licèt Regiæ dignitatis ad hanc individuam personam, vel ad hanc specificam stirpem in vi seu Electionis, seu successionis hæreditariæ applicatio *superiùs* ostensa fuerit, esse Iuris humani, cui etiam *positivè* cooperatur Divina providentia, nihilominùs, prout affecta est *Moralitate*, ipsi Deo etiam execrabili, ut sic non nisi *permissivè* est à Deo, quæ ipsa tamen permissio, quâ in altiorem Divinæ providentiæ rationem reducta, noscitur ut sic esse à solo Deo. Iuxta quas proinde distinctiones, facile est intellectu, quomodò non Regia duntaxat in se *formaliter*, sed etiam *subjectivè* spectata, quâ in isto individuo supposito male collocata, & contra Ius pe peram usurpata potestas, *immediatè* sit à Deo, quippe cùm Dei operatio ad extra attingat *immediatè* quoscunque à causis etiam secundis progenitos effectus. Et quia altior illa Divinæ providentiæ, in inscrutabile Dei judicium seu prædestinativum, seu reprobativum ac permissivum reducibilis, prorsusque efficax dispositio, non nisi in Deum *ultimatè* ac *primariò* reduci valet, ideo sub istâ sublimiori Divinorum consiliorum ratione, Regiæ dignitatis quantumvis pessima collocatio, ac perversissima usurpatio, dici potest esse *permissivè* à solo Deo. Et licèt Regiæ præeminentiæ seu hæreditaria, seu electiva successio dependeat etiam ab hominum, seu Regni Statuum, vel populorum ordinationibus, quia tamen hæ non subsistunt, nisi Deo cooperante, ac per providentiam suam in altiorem finem eas reducente, sub hac quoque sublimioris Iudicij Divini ratione, iterum soli Deo adscribenda est. Quid ergo? Num ex hac Regiæ potestatis, ejusque exercitij politici, nec non *subjectivæ* ad hoc suppositum, seu stirpis cujuspiam genus applicationis *Moralis* erga Deum immediatione, seu *positivum*, seu *permissivum* Divinæ providentiæ influxum importante, inferre jam licet, nullam super ejusmodi *Moralitatibus*, utpote in Deum *immediatè* reducibilibus, posse inter homines esse potestatem? Sic adeò, ubi teneret ea, mi Ellieši, consequentia tua, uno ictu tolleres è medio & politicam & Pontificiam potestatem.

Pro *tertio* igitur lubens concedo, Regis 9
cujusque supremi potestatem in temporalibus non agnoscere quemcumque superiorem, nisi Deum. At si temporalia, atque Iura Regia non jam subsistant in suâ Regiæ potestatis sphærâ, sed ex suo *morali*, politici etiam Regiminis depravato exercitio, atque *subjectivâ* ad hanc personam applicatione, in peccati Radicem pessimam perversam superinduant *Moralitatem* à Regni cælorum ordine pernicioſissimè exorbitantem, num dicere fas est, ita manere intrà temporalitatis lineâ, ut non potiùs traducantur ad statum *Moralitatis*, subjectæ clavibus Ecclesiæ, sicque subdantur Pontificiæ potestati, *adQuodcumque in terris Morale* solvendum, aut ligandum Divinitus constitutæ?

Et hinc pro *quarto* ea, quam circa præ- 10
sentis *1. §. finem* Ellieſius adducit, illatio facilè eliditur. Illa enim potestas, quæ secundùm se, & quatenus intrà suam lumine naturali constitutam sphæram se continet, ab alia infrà cælum potestate haud dependet, quæque ut sic à solo Deo emanat, nec aliam proinde præter Divinam supra se agnoscit authoritatem, multimodis coinquinari potest sui abusivis, adversùs ipsam etiam Ecclesiam sanctam pugnantibus exorbitantijs, in Regiam potestatem non in se ipsâ spectatam, sed in ejusdem intrà hanc personam pessimè collocatæ perversam radicem redundantibus. Quemadmodùm ergo omnis anima, quantumvis à solo Deo emanet, nec in se ipsa ab alio, quàm à Deo dependeat, ab Apostolo nihilominùs decernitur sublimioribus subdita potestatibus, quatenus scilicet secundùm *moralitates* in politici regiminis bonum publicum ordinabiles, superinduit *Formalitatem* Regiæ potestatis sphærâ circumscriptam: sic, dum ipsissimæ istæ naturalis honestatis *moralitates*, & quâ publici regiminis Bonum politicum spectantes, aptæ sunt supervestiri vel ordinabilitatis in Regnum cælorum, vel ab hoc deficientiæ, imò cum publicæ quoque Religionis Bono contrariantis inimicitiæ, *moralitatibus*, *privativè*, seu *contrariè* supernaturalibus, ut sic ad Ecclesiæ sanctæ claves indubitanter spectantibus, nequit consequenter ex prætactis Ellieſij fundamentis evinci, Regiam potestatem *immediatè* à Deo per Ius naturale constitutam, sed per homines malè collocatam, & malitiâ hominum perversam, in peccati, Ecclesiam ipsam infestantis, radicem pessimam traductam, sub hoc *Moralitatis contrariè*, seu *privativè* supernaturalis ordine, posse subtrahi Oecumenicæ Papæ, *super omne in terris*

rale solvendum, vel ligandum protensæ, Divinitus constitutæ authoritati.

§. II.

An Reges à nemine, præterquàm Deo, temporali pœnâ plecti, nec adeò deponi possint?

ARGUMENTUM I.

11. LUdovicus Ellies hîc argumentatur 1. Nulla major, inquiens, pœna Regibus potest inferri, quam si Regnis suis spolientur. Quare si Reges peccantes possent ab Ecclesiâ *directè*, vel *indirectè* deponi, necesse foret, pro falsis habere illa Patrum testimonia, quæ peccata Regum & Imperatorum solius Dei judicio, examini, & correctioni quoad *materialem*, sive *temporalem* pœnam, reservata esse docent, judicioque humano subjacere negant, quemadmodùm hoc sensu plerique Patrum magno numero *ibidem* ab Elliesio allegati, interpretantur hæc Davidis verba *Psal. 50. Tibi soli peccavi.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

12. PRiusquàm *directè* respondeam, pro *primo* revoco in memoriam Elliesij, quod *præs. dissert. 7. cap. 3. §. 3. de Chiderici Galliarum Regis depositione post medium* prætendebat, Childericum non à Pontifice Romano, sed tantùm ex ejus consilio à Francis universis depositum fuisse, & ab ijsdem Pipinum, secundùm antiquæ Galliæ morem, esse proclamatum Regem, & collocatum in Solio. Quæ proinde Elliesij prætensio quomodò cohærere potest cum ejusdem *præc. §. 1.* traditâ, & *præs. §. 2.* repetitâ assertione, sicuti solus Deus Reges constituit, ita solum Deum posse Regnum adimere ipsis, utpote solius Dei judicio *quoad temporalia*, & consequenter quoad *materiales ac temporales pœnas*, subjectis.

13. Reges equidem si agant contra leges *Civiles*, à semet seu latas, seu comprobatas, quibus quoad vim duntaxat *Directivam*, non verò *Coactivam* sunt obstricti, imò attentâ Iuris etiam naturalis præcisâ transgressione, nullum adhuc ex hoc præcisivo titulo extat fundamentum, cujus respectu subjaceant potestati Ecclesiasticæ. Quinimò in Lege etiam Veteri, Iuris *Divini positivi* habitâ ratione, ejus in Rege transgressio haud subjiciebatur Aaronici seu Mosaici Sacerdotij judicio, ut proinde ex illo triplici tum *legis ab ipso Rege latæ*, tum *Iuris naturalis* sub præcisis naturæ principijs considerati, tum *positivi* Legis Antiquæ Iuris fundamento, Rex David meritò fuerit uni Deo per hæc verba confessus: *Tibi soli peccavi*; idque pro Foro tam *conscientiæ*, in quo sola contritio perfecta erat reconciliationis cum Deo remedium, quàm *publici exterioris judicij*, in quo nullus erat Iudex Rege superior, qui nedum pœnis temporalibus, sed ne spiritualibus quidem posset adversùs ipsum *Iudicialiter* procedere.

14. Verùm quis Catholicorum in Novo Fœdere negare jam ausit, pro *conscientiæ* foro Reges subjacere Sacramentali pœnitentiæ Tribunali quoad universa peccata sua, quà non tantùm suis proprijs legibus, vel etiam præciso Iuri naturali adversantia, sed quà affecta *Moralitatibus* cum æternæ salutis fine pugnantibus? Quis præterea negare ausit, talia peccata subijci *externi* etiam Fori Clavibus Ecclesiasticis, super *quocunque* seu ligando, seu solvendo per Christum protensis? Quis iterum negare ausit, istud Clavibus Ecclesiæ in foro etiam *Externo* subjectum *Quodcunque*, complecti non culpæ duntaxat reatus, quà Regni cælorum ordinem turbantes, adeoque Iudiciariæ Ecclesiasticæ authoritati subordinatos, sed pœnas insuper hisce reatibus tum expiandis, tum efficaciter evitandis proportionatas? Quis proinde rursus negare ausit, si Regiæ intrà nequissimam peccati Radicem consistentis perversa *potestatis usurpatio, adversùs Ecclesiam Dei insurgens, gravissimis adversùs Deum injurijs, se ipsam commaculet, inter illa *Quæcunque* in Regnum Dei ordinabilia *Moralia*, aptissimum ad tam enormes Divinorum Iurium contaminationes tollendas, remedium fore ex Regiæ authoritatis tam perperam usurpatæ solutione, Regisque adeò tantarum enormitatum Radicis depositione?

15. Quo proinde præsupposito, pro *secundo* ex præinsinuatis fundamentis pergo hunc in modum ratiocinari. Nempe Elliesius ipse fatetur, Statibus Regni Fancici fuisse jus deponendi Regem Childericum, alterumque, Pipinum scilicet, sufficiendi, non aliâ ex ratione, nisi propter publici Regiminis, quà Regni ejusdem Bonum Commune spectantis necessitatem. Quòd si ergo Rex quispiam per sui regimins Ecclesiam sanctam enormiter turbantis, ac extremè infestantis nequitias, multimodos contrahat reatus *Morales*, cum Regni cælorum ordine extremè pugnantes, imò hunc evertentes, Ecclesiasticæque proinde authoritatis Clavibus indubitanter obnoxios, num minus erit potestatis in Ecclesiâ ad, eos non coercendos duntaxat, sed etiam ad solvendam tantorum malorum radicem, nempe Regiæ Majestatis subsistentiam, intrà personam tantis reatibus, absque ulla correctionis spe, contumaciter obvolutam, è medio fidelium tollendam, eò vel maximè, quòd ex ipsissimo ejusmodi *moralitatis* cum Regni cælorum debito ordine, *excessivè* pugnantis titulo, Regiæ præeminentiæ in isthoc Christiano homine subsistentia meritò sit tunc computanda inter illa, quæ Christus *indefinitæ* Clavium Ecclesiasticarum solvendi & ligandi authoritati voluit esse subjecta?

ARGUMENTUM II.

16. LUdovicus Ellies *cit. §. 2.* argumentatur 2. Meritò reprobandum sibi videri, quod nonnulli statuunt discrimen inter Veteris & Novi Testamenti Sacerdotium, quasi illud nihil authoritatis Temporalis habuerit in Reges,

bene

bene tamen istud: quippe cùm SS. Patres ex illis Davidis verbis non tantùm concludant, Reges Israel non fuisse Sacerdotibus Iudaicis subditos, sed universim Reges nulli nisi Deo subjectos esse: quod & ipsum sonat Scripturæ locus, dum enim dicit David, se soli Deo peccare, satis indicat, Regalem potestatem in causâ esse, ut à solo Deo pendeat, non autem sacerdotij Iudaici imperfectionem. Addit ille Author, puerile sanè commentum esse, nullâ indigum refutatione, quod nonnulli nugantur, rationem discriminis inter Vetus ac Novum Testamentum hanc esse, quòd in Antiquo Fœdere Regnum Sacerdotale esset, in Novo verò sacerdotium Regale, juxta illud B. Petri: *Vos autem estis Regale Sacerdotium.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

17. PRimò. Patres argumentando ex Psalmidico illo Davidis versu, dicentis ad Deum, *Tibi soli peccavi*; Regem hunc utique non ab aliâ Divinitus constitutâ potestate exemptum probare nituntur, quàm ab illâ, quæ vigebat in Antiquo Testamento. At in hoc erat Regia, Divinâ ordinatione constituta potestas, à cujus tamen legibus quoad vim *coactivam*, non verò *Directivam*, Rex David exemptus dicitur à D. Thomâ, per ipsum Ellesium hîc allegato. Hæc ipsissima verò Regis Davidis erga suæ potestatis Regiæ Leges, quoad vim *Directivam* subjectio & obligatio, non tam erat in vi harum legum, quam in vi Iuris naturalis, per quod tenebatur Rex, ceu Caput Reipublicæ, cum reliquis hujus membris se conformare. Unde etiam efficitur, quidquid obligationis in eo Rege fuerat erga Jus quodcunque naturale, obstrinxisse Davidem respectu hominum quoad vim præcisè *Directivam*, quoad vim verò *Coactivam*, respectu solius Dei, involvisse aliquam subjectionem. Vltra hanc igitur respectu Iuris naturalis (quoad vim intuitu Dei etiam *Coactivam*, respectu verò propriarum suarum legum quoad vim præcise *Directivam*, nullatenus verò intuitu hominum *Coercitivam*) Regis illius subjectionem, nullius pro Veteri Testamento, ulterioris erga Sacerdotium subjectionis, in Rege extiterat fundamentû, quippe cùm Sacerdotio isti fuerit equidem Divinitus impertita authoritas declarandi dubia, si quæ in judicijs publicis occurrissent circa judicij veritatem. At neque pro *Conscientiæ* foro, uti *superiùs* dictum, tunc locus erat in Sacerdotibus, à peccatis absolvendi potestas, sicque adeò David pro isto etiam foro rectè dicere poterat: *Tibi Deo soli peccavi.* Neque in eo æquè, ac in Novo Fœdere erat Sacerdotio seu Pontificatui virga cujuscunque Fratrum peccati coercitiva, conjuncta cum potestate *indefinitâ*, *ad Quodcumque in terris Morale* aut solvendum, aut ligandum. Quandoquidem igitur Patrum ex illo Davidico versu, *Tibi soli peccavi*, petita argumentatio, in suo antecedente non potuerit Regis ab ulteriori, hominibus communicatâ potestate, quam ab ea, quæ in Veteri Testamento locum habebat, exemptionem pro conclusionis inde inferendæ principio statuere: quòmodò fas erit, Patres illos tam ineptæ coargûere consequentiæ, ac si in conclusione plus intendissent inferre, quàm positum erat in antecedente, ut scilicet statuere vellent Regis in Novo Testamento exemptionem, non tantùm à politicâ per homines exercenda ergà quascunque etiam Naturalium, ac Divinorum Iurium transgressiones authoritate coercitivâ, sed etiam exclusam vellent Regum erga Claves Ecclesiæ Christianæ subjectionem, tum pro foro *Conscientiæ* in ordine ad Sacramentalem Sacerdotij absolutionem, tum pro foro *externo*, in ordine ad Ecclesiæ virgam coercitivam *indefinitâ*, *Quodcunque super terram Morale* solvendi, aut ligandi potestate munitâ? 18.

Sed quæ modestiæ ratio pro *secundo*, locum haberet in Ellieso, si puerilitatis coargûere vellet, quod Divus Bonaventura *lib. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ par. 2. cap. 1.* probaverat. Hic nempe Seraphicus Universitatis Parisiensis alumnus, posit principia *in anterioribus* relata, *ibidem* sequentem faciebat conclusionem, quòd nempe Regalis potestas in Novo Fœdere subjaceat potestati & authoritati spirituali, conformiter *primæ Canonicæ Petri epistolæ*, in quâ ita habetur: *Vos estis gens sancta, & Regale sacerdotium.* Unde inferebat is S. Doctor, temporale regnum velut quodam adjectum, subjacere sacerdotio in Novo Testamento, quamvis ni Veteri Testamento sacerdotium subfuerit Regno, juxtâ illud Exodi: *Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum*: siquidem Regnum in hoc sacro textu ponatur *substantivè*, Sacerdotium verò *adjectivè*, secùs ac fit in Novo Fœdere, ubi Sacerdotium *substantivè*; Regnum verò *adjectivè* ponitur. *ex pag. 113. n. 88.*

Ex quo proinde in sacris Litteris fundato, nec adeò puerili, Veteris ac Novi Testamenti discrimine, secundùm eundem Seraphicum Theologum, pro *tertio* conficitur, quòd Reges in Antiquo Testamento potuerint amovere sacerdotes Summos ab officio, sicut Salomon amovit Abiathar *3. Reg. 2.* econtra verò in Novo Testamento sacerdotes & Pontifices possint amovere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, quando eorum malitia id exigebat, & Reipublicæ necessitas sic requirebat. 19. *ex citat. pag. n. 89.*

Quam adeò Seraphici Doctoris illationem reducendo ad principium tum id, quod ab ipsomet priùs supponebatur, tum illud, quod à Doctore Angelico Divo Thomâ *2. 2. q. 13. art. 2. ad 1.* traditur, nempe potestatem sæcularem in Novo Testamento subdi spirituali potestati, perinde ac corpus subjicitur animæ; oportet, hinc totum rei momentum reducere ad istud, sæpenumero jam inculcatum fidei principium, quòd Christus Ecclesiam suam eatenus munierit Regni cælorum clavibus, ut, quidquid in ovibus suis Oecumenico Pastorali muneri commissis, ad cælorum tam Militans, quam Triumphans Regnum, est ordinabile, ut sic spirituali quâpiam *moralitate* superveſtitum, debeat Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis, *indefinitæ* ad ligandum & solvendum potestati subjectum esse. 20.

§. III.

Quid momenti ad Pontificiam supra Reges authoritatem elidendam, sit ex hoc argumento, quòd nempe Ecclesia non possit vi & armis resistere Regibus, etiam potestate suâ abutentibus, sed teneatur eos patienter ferre?

ARGUMENTUM I.

21. LUdovicus Ellies *præf. §. 3.* argumentatur 1. Tantum abest, ut Ecclesia possit peccantes Reges regnis suis spoliare, ut econtra teneatur, eos patienter ferre, nec unquam illi liceat, quovis obtentu, vi & armis illis obsistere, etiamsi hæretici sint, aut impij, vel quemquam ad resistendum *directè*, vel *indirectè* solicitare. Ad cujus probationem contendit, deservire plurima Antiqui Fœderis exempla. Sic enim Israelitæ in Ægypto Pharaoni, licèt impio & tyranno semper paruerunt, nec adversùs eum rebellârunt. Postquàm verò proprios Reges, aut Iudices habuerunt, licèt ex ijs quamplurimi fuerint impij, & Religionis patriæ desertores, ut Achaz, & Manasses Reges Iuda, qui templum Hierosolymytanum Idolis polluerunt, nunquam tamen quidquam ad eos regno exturbandos, à sacerdotibus esse tentatum, legitur. Quin etiam, cùm Iudæi sunt in servitutem transacti, per Ieremiã jussit Deus, ut essent subditi Nabuchodnosori *Ierem. 27.* cujus etiam successoribus Regibus paruerunt. Cumque Assuerus edictum tulisset, ut Iudæi omnes necarentur, Mardochæus, & alij Iudæi ad preces & jejunium tantùm confugerunt. Quod verò apud Samuelem est de jure Regis descriptum, id non resistendi obligationem importat, ut sensus sit, Regi, crudelia etiam molienti, Iudæos subditos resistere non posse: ideo enim additur, populum istis injurijs pressum, Dei opem imploraturum.

Responsio & retorsio hujus argumenti refutatoria.

22. QUomodò inprimis ex hoc, quòd populus Dei, legitimo Regi, Pharaoni scilicet Ægyptiaco, ac Nabuchodonosori Babylonico, imò Iudaico etiam sibi legitimè præstituto Regi, Tyrannicum licèt dominatum exercenti, non potuerit vi & armis resistere, argumentari fas est ad virgam, Regis Ecclesiæ infensissimi hostis coercitivam, Sacerdotio summo præsertim, denegandam? Veteris equidem Testamenti Sacerdotium ex potestate Divinitus sibi constitutâ, habebat authoritatem, in Iudicialis cujuspiam legis sensu ancipiti, proferendi *judicij Veritatem*, sicuti etiam leprâ infectos à consortio hominum, cum privatione civilis adeò communionis separandi. Ex quâ proinde potestate, Azarias Summus Sacerdos Regem Oziam ex Sanctuarij sacrilegio ingressu reum, etiam *authoritativè* & expellebat, & leprâ tactum à communione quoque politicâ, atque adeò Regiæ suæ Majestatis administratione arcebat; uti hæc &, alia *in antecedentibus* habentur deducta. Quæ ipsissima nihilominùs Sacerdotij potestas dicto modo circumscripta, protendi haud poterat ultra casus in lege Mosaicâ descriptos, nec adeò adversùs Achaz & Manassen impios & Idolatrâs, Iudaici populi Reges, Regno exturbandos procedere attentabat. Verùm quia quoscumque Christianitatis consortes fratres, atque adeò Reges hoc charactere insignitos, *si peccaverint*, Christus subjecit correctoriæ & coercitivæ, Ecclesiæ virgæ, amplissimâ ad *Quodcunque super terram Morale* seu ligandi, seu solvendi potestate dotatæ, num ex illâ Veteris sacerdotij per Divina jura coarctatâ potestate, adversùs Christi expressissima verba, inferre licet Christiani summi Sacerdotij authoritatem, æquè arctatam censendam esse?

ARGUMENTUM II.

ELliesius *cit. §. 3.* argumentatur 2. In Novo 23.
etiam Fœdere, dum Christus *Matth. 22.* jubet, *quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ sunt Dei, reddi Deo*, intelligi satis voluit, obedientiam deberi Regibus cum potentiâ conjunctam. Huc respicit Paulus *Rom. 3.* jubens, omnibus debitum, cui vectigal, reddi vectigal, monensque eos, qui resistunt potestati, resistere Divinæ ordinationi, ac præcipiens, obedire Præpositis, non tantùm propter iram, sed propter conscientiã. Illa verò subjectio, quam Christus & Apostoli docent, Imperatoribus & Regibus tunc impijs, & Idolorum cultoribus deberi, nequit in alio consistere, quàm in non obsistendi necessitate: Petro Apostolo etiam docente, obediendum esse dyscolis quoque Dominis. Quòd si proinde servos, oportet, non resistere Dominis etiam iniquis & morosis, multò magis non licet obsistere Regibus & Imperatoribus, licèt injustis ac impijs, sed patienter illorum, non secùs ac illorum, ferendæ sunt injuriæ, propter Reipublicæ tranquillitatem.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

PRimò. Si Cæsari jubeantur reddenda, quæ 24.
sunt Cæsaris, sive cujuscunque alterius Regis, ac Domini, quantumvis dyscoli, ita ut, quia nullus privatus altiorem super ijs habeat potestatem, qualvis etiam injurias cum patientiã tolerare debeat, nunquid econtrà Christianos, sanctæ Ecclesiæ subjectos, æquè obstrictos dicere oportebit, ad reddendum Deo, quæ Dei sunt? Nunquid verò vicaria per Christum constituta Oecumenici Pastoris authoritas est Dei? An non igitur ista, cum totâ suâ sphærâ, per ipsummet quoque Christum circumscriptâ, est Juris Divini? Quantumvis ergo per allegatos sacræ Scripturæ textus, nefas semper fuerit, ut subditi, Christianitatis licèt charactere insigniti, obsisterent Regibus, seu Imperatoribus ac Dominis dyscolis, impijs & Idololatris: num propterea

ejus sævitiam in Ecclesiâ esse præter preces, lacrymas, & patientiam. Adversùs Christianum etiam Imperatorem injusta tentantem, & Ecclesiæ Iura invadentem, nulla præter parientiam, arma, adhiberi oportere, nec ullo pacto resistendum esse, sæpiùs docet Ambrosius *ibi*. Simile docet Augustinus specialiter asseverans, nullum Christianorum per Religionem ab obedientiâ Regibus debitâ immunem. Concilium quoque Toletanum IV. *Can. 75.* definit, nullâ de causâ fideles à Sacramento Regibus præstito absolvi posse. Gregorius Magnus denique *lib. 7. epist. 1. indict. 11.* ita scribit *ad Sabinianum Diaconum: Suggeras Serenissimis Dominis vestris, quòd si ego servus servorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summâ confusione esset divisa; sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis, me miscere formido.* Quantum igitur ab istâ Gregorij sententiâ aliem fuerunt Pontifices, qui magnorum bellorum, innumerarumque cædium authores fuerunt, cùm sententiâ depositionis in Reges prolatâ, ipsorum Regna alijs, vel primo occupanti tradiderunt, cunctosque insuper ad bella gerenda commoverunt?

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

32. MUlta hîc in unum congesta continentur, quæ ad evitandam confusionem, videntur consultò discernenda. *Primò* igitur convenio Ellieſium, ut edisserat, num, quando *inferiùs* prætendit, à Francis universis in Conventu publico depositum Childericum, & ab ijsdem Solio Regio impositum fuisse Pipinum, Franci transgressi fuerint Christianæ probitatis, Reges quantumvis impios & ineptos, imò pernicioſos deponere vetantis, antiquos mores? Oportuisset profectò, Ellieſium intrà suos præcisos limites tenuisse obligationes illas, quæ singulos quosque privatos Christianos afficiebant ad obediendum, & non resistendum Regibus seu Imperatoribus, quamdiu manebant in statu Regiæ seu Imperatoriæ dignitatis. At si publica Comitiorum Francicorum authoritas, ut Regni sui publicis necessitatibus esset provisum, jure, & absque ullâ Christianæ probitatis læsione, potuit deponere suum, sed ineptum, Regem Childericum, num à Christianitatis Religiosis legibus alienum erit, Reges Ecclesiæ sanctæ Jura ac Religionem Orthodoxam evertere conatos, ad sanctam Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem restaurandam, Solio suo dejicere per publicam super *quocunque in terris morali* protensam, *indefinitam* ligandi, & solvendi potestatem?

33. Pro *secundo* proinde Ellieſius rectè discernebat inter Reges non baptizatos, erga quos nihil potestatis est sanctæ Ecclesiæ, & inter Reges sacri Baptismatis charactere insignitos, sed apostatas, seu hæreticos. Inter *prioris* conditionis Reges numerandi fuerant etiam Longobardi, de quibus Gregorius Magnus scribebat, *si in eorum morte se miscere voluisset, Longobardorum gentem nec Reges, nec Duces, nec Comites ulteriùs habituram fuisse.*

Super his igitur, ubi Christianitatis quoque characterem profiteri cœperunt, Pontificia Gregorij Magni authoritas necquidquam Juris habebat, nisi in ordine ad id, quod *Morale* est, non verò in ordine *ad Esse Physicum* vitæ humanæ, ut proinde dictus Pontifex Maximus meritò noluerit se immiscere morti Longobardorum. Hinc tamen regrediendo nonnihil ad Imperatores ac Reges Ethnicos, iterum provoco Ellieſium, ut suæ Franciæ Regum Christianam probitatem vindicet, respondendo ad istam quæstiunculam; *An, si ex Regibus adhuc Ethnicis aliquando contigit, Ecclesiæ Romanæ Iura turbari, indeq; à Pontifice accitis Galliæ Regum armis, evenit, ipsos Regno suo, seu ejus saltem parte spoliari, quo Iustitiæ titulo, cum plurimorum nece, id fieri potuerit, cùm tamen hujusmodi Rex Ethnicus non subjaceret Pontificis Oecumenicæ potestati?* Si pari erga suos etiam sanctos Franciæ Reges, Carolum præcipuè Magnum, Ellieſius unà mecum reverentiâ feratur, res ista videtur ita componenda. Nempe si duæ, quarum neutra est alteri subordinata, supremæ potestates eatenus concurrant, ut una in alterius jura involet, tunc isthæc potest justo bello hanc injuriam publicam eatenus à se propulsare, ut secundùm luminis naturalis certa principia, victor possit hostem Jure suo Regio spoliare, sibiq; Regni bello parti jus vendicare; uti Christianorum Regum exempla perquàm frequentia ostendunt. At de fide est, Papæ authoritatem esse supremam, quæ nullum in terris Superiorem valeat agnoscere. Hoc igitur fidei principium combinando cum illo luminis naturalis principio, *Theologicè* infertur, Papam posse ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subjectum, non equidem gladio spirituali uti, imò nec *materiali*, quippe quem in vaginâ retinere, in Petro jussus sit. Eo ipso tamen, quòd intrà vaginam suam contineatur, suumque adeò, Divo Bernardo animadvertente, Papa dicere queat, redditur hinc consequens, posse eundem Summum Pontificem mandato suo, Regum sibi subjectorum gladium eatenus exerere, ut ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subjectum, attamen Ecclesiæ publicum hostem, juriumque ejus aggressorem debellandum, authoritate suâ in subsidium accersere queat Regum Christianorum arma, illumque ab hisce devictum, spoliare Jure Regni sui, atque hoc vel sibi vendicare, vel Regibus, quorum armis vindicatæ sunt eæ, contra Ecclesiam, ipsumq; adeò Christum, ab Ethnico Rege illatæ injuriæ. *ex jaq. 64. n. 158.*

Hinc pro *tertio* venit meritò redarguendus Ellieſius asseverans, Concilij Tridentini *Sess. IV. canone 7.* definiri, quòd fideles à Sacramento Regibus præstito nunquam, & nullâ de causâ absolvi possint. Neque enim hic Canon quidquam dicit de authoritate Pontificiâ, sed de Jurisjurandi temerandi à subditis arrogatâ propriâ potestate, nec non Regis necem, Regiæque dignitatis privationem moliendi à populo sponte attentatâ authoritate: cætero-

rea fas est, hinc concludere, ipsosmet Reges Christianos, impunè obsistere potuisse Summis Pontificibus, perinde ac isti nullâ Divinitus acceptâ potirentur virgâ erga se coercitivâ? Hanc equidem prætendit Adversarius, progredi ulteriùs non posse, nisi usque ad publicæ cum fidelibus communionis privationem? Sed nunquid hinc evincitur, publicæ Ecclesiasticæ authoritati convenire, ut injurias sacræ præsertim publicæ Religionis, Ecclesiæque perturbativas, cum patientiâ toleret?

Pro *secundo* equidem scio, totam *in præsenti* §. deducti, de Regibus quocumque impietatis 25. genere obstrictis non resistendo, argumenti rationem, derivari in illud sæpe jactatum principium, quòd Regia æquè, ac Pontificia potestas sit Iuris *Divini*. Quo tamen admisso, solennis mox emergit quæstio; *Vtrùm in ijs, quæ Iuris sunt Divini, non possit esse substratum quoddam materiale, ex humano seu jure, seu morali hominis operatione dependens, clavium Ecclesiæ solvendi potestati subjectum*, quo sublato, *per consequentiam* ac *Indirectè*, non equidem *formaliter*, sed ex parte sui *materialis* substrati, corruat juris Divini obligatio, non quatenus *activè quasi spectata*, Divina est, sed quatenus *passivè considerata*, est quid humanum, vel *subjectivè* receptum in homine, vel *Effectivè* promanans ex humanâ arbitrij voluntate? ex pag. 9. n. 44.

Numquid enim, si Rex quispiam Christia- 26.
nus sit obnoxius peccato mortali, Ius Divinum sancit æternæ gehennæ reatum? Num verò Regem Christianum tam infelicem dixeris, ut hoc Divinum Ius respectu ipsius, ne quidem *Indirectè materialiter* solvi possit? Quomodò autem fit ista solutio, nisi quatenus per Ecclesiæ sanctæ Claves applicatur satisfactio Christi pro peccati reatu, ceu *materiali*, cui superstruitur Ius Divinæ vindicativæ Justitiæ: quo proinde *materiali* sublato, non tam *in se ipso formaliter* tollitur Ius Divinum, quam *indirectè Materialiter*, in suo substrato quasi *Materiali*, *suoque effectu* justæ cæteroqui vindictæ in inferno sustinendæ.

Pari proinde ratione tametsi Regia pote- 27.
stas in se *Formaliter* sit Iuris Divini, num dicere fas est, ipsius ad certum subjectum applicationem, vel etiam exercitium liberum, non esse aliquid *Morale*, consistens super terram? Quo rursus posito, num asseverare licebit, quòd *indefinita*, *quodcumque Morale super terram* ambiens, solvendi potestas Oecumenica, Regiæ potestatis ad certum subjectum applicationem, ejusque exercitium, *Morale* nullo prorsus modo habeat sibi subordinatum seu subjectum?

De hac ergo potestatis Pontificiæ Oecu- 28.
menicâ ad Ecclesiam spectante authoritate, pro *tertio* in præsenti occurrit quæstio, num prævalere possit ad Iuramenti à subditis erga Prin- ibi. n. 44.
cipem præstiti solutionem, per quam equidem non *formaliter* in se ipso Ius Divinum solvatur, sed quoad hujus substratum quasi *materiale*, *Moralitate* antiqua Ecclesiæ clavibus subjectâ superveniturn? Etenim vinculi illius, quod ex Iuramento inducitur, radix *Moralis*, quæ alia est, quàm actus humanus, ejusque *moralis* perseverantia, *passivam* in jurante importans Religionis obligationem? Nunquid verò isthæc est quid *Morale*, subsistens super terram? Nunquid ergo *indefinita* cujuscumque super terram vinculi, in actu hominis *morali* Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestati subjecto radicati, solvendi potestas prævalere poterit ad Iuramenti Principi præstiti *passivam* ex Religione obligationem eatenus solvendam, ut talis solutio, juxta Christi Domini verbum, etiam in *Foro Cæli*, ac proinde *in conscientiâ* sit rata habenda, nec adeò tunc subditi a Iuramenti Regi præstiti *passivâ* obligatione illâ, seu vinculo *Morali*, per Ecclesiæ authoritatem liberati, coarctentur ad fidelitatis homagium, ex Religionis necessitate ampliùs observandum, prout variæ super hoc extant Canonicæ sanctiones.

ARGUMENTUM III.

ELliesius *loco citato* argumentatur 3. Ab illâ 29.
non resistendi Principibus etiam dyscolis lege, non discedebant consuetudines veterum Christianorum, qui tametsi Imperatores pessimi forent, & Religionis Christianæ infensissimi hostes, nunquam tamen Christiani adversùs eos arma moverant, aut ijs, qui ipsis se se opponebant, adjunxerant. Nec dicere fas est, vires tunc temporis defuisse Christianis, imò teste Tertulliano, *vires illis erant tantæ, ut una nox pauculis faculis largitatem ultionis operari potuisset, si malum malo disjungi Christianis licuisset.* Ideo igitur primi Christiani Reges impios & persecutores tolerârunt, quia istud suæ religionis esse, arbitrabantur, sequebanturque Christum, qui, cùm posset legiones Angelorum accersere, ut defenderetur, crucem subire maluerat. Quâ fidelium patientiâ præcipuè invaluisse Religionem Christianam, animad vertunt Cyrillus *in lib. ad Demetr.* & Augustinus *de Civit. Dei lib. 22.* Unde notum est illud celebre proverbium: *Sanguis Martyrum semen Christianorum.*

Quòd si quis dicat, Ecclesiam nihil equi- 30.
dem potestatis habere in Reges Ethnicos nunquàm baptizatos, rem verò se habere diverso modo erga eos, qui vel Christiani sunt; vel baptizati à fide defecerunt, ad hujus exceptionis infirmitatem ostendendam, disquirere nunc placeat: an quisquam in Iulianum Apostatam insurrexerit? Num Romani Pontifices quidquam adversùs Constantium, Valentem, & alios Arianos Imperatores moliti fuerint? Num Reges Gothos in Italiâ regnantes, & sæpe sibi insidiantes, aut Bona Ecclesiæ invadentes, deponere tentaverint? Uno verbo, num quispiam ante Gregorium VII. aliquam sibi in temporalia Regum authoritatem asserverit, aut in quemquam privationis Regni sententiam tulerit?

Isthâc in Reges potestate non tantùm usi 31.
non fuerunt Episcopi, sed etiam declarârunt, se nihil ejusmodi posse tentare; veluti Gregorius Nazianzenus *Orat. 1. in Iulianum Apostatam* docet, nullum aliud remedium adversùs

quì reflexione ad Ecclesiasticam authoritatem habitâ, idem Concilium in proximè subsequentibus, pronuntiavit anathematis sententiam adversùs Reges tyrannicè ac crudeliter se gerentes: claro adeò argumento, nihil equidem potestatis esse subditis adversùs Regis tyrannidem castigandam, bene tamen Ecclesiasticæ authoritati esse coercitivam erga tales virgam: quæ in Papâ vel etiam Concilio Oecumenico *ad quodcunque super terris Morale* seu solvendum, seu ligandum, à Christo protenditur.

96. Quando igitur Elliesius pro *quarto* disquirit, cur Pontifex non insurrexerit in Julianum Apostatam, vel Constantium, Valentem, aliosque Arianos Imperatores, sive etiam Reges Gothos in Italiâ regnantes, Ecclesiæque bona invadentes, deponendos? Ad hæc olim jam respondebat Divus Thomas *alibi* allegatus, illorum temporum status non permisisse, ut Summi Pontifices vel per se, vel per cujusvis alterius Regis subsidia, exererent gladium suæ Apostolicæ authoritatis, quandoque etiam spiritualem, multò verò minùs *materialem*. Summi namque Pontificatûs potestas per Christi institutionem ita est constituta, ut ejus usus non sit nisi ad ædificationem, non autem ad fatalem, a Regibus, seu Imperatoribus illis acriùs concitandis *Moraliter* certò futuram. Ecclesiæ destructionem. Et hinc gladius Ecclesiasticarũ clavium intrà Papæ vaginam meritò tenebatur tunc reconditus, nec nisi patientiæ armis, uti Patres ab Elliesio adducti ferunt, usus fuerat, quousque benigniora succedebant tempora, quibus Summi Pontifices Ecclesiæ sanctæ propè conculcatæ infestationibus, cum boni effectûs majori securitate occurrere valebant, uti Deus nonnihil posterioribus temporibus concesserat; Childerico Franciæ Rege Pontificiæ authoritatis interventu, velut *inferiùs* ostendetur, in ordinem redacto, & in ejusdem Solium Regium evecto Pipino, Caroloque posteà Magno in Italiam arma sua inferente, indeque per Papam asserto Patricio Romanorum, imò ad ipsam Imperatoriam dignitatem evecto, cum Imperij Occidentalis à Græcis per Papæ supremam potestatem in Francos translatione. Quæ omnia, uti longè anteriora sunt temporibus Gregorij VII. Sic in apertum prodit Ellieſij ineptia disquirentis; *An quispiam Pontificum ante Gregorium VII. sibi in temporalia Regum authoritatem asseruerit?* Quanquam hæc ipsissima Pontificum authoritas super Regiam potestatem non in se ipsâ *Formaliter* spectatam, nec in ejusdem Jur quà temporalia, sed quà *moralitate* in regnum Cælorum ordinabili, atque adeò spiritualitate quâpiam superveſtita, suam solvendi potestatem protendendo, ac Jurisjurandi etiam solennis Regibus facti relaxationem in subditis faciendo, non ea, quæ Juris *Divini* sunt, sed horum substratum *Materiale* solverit; uti *antecedenter* expositum cernere licet.

* *
*

§. IV.

An Pontificiæ authoritatis supra Reges, aliquando Ecclesiæ necessitate exigente, etiam deponendos, sententia meritò arguatur Novitatis.

37. Elliesius equidem *in suo quarto Paragrapho* nititur, vim facere ex hoc, quòd *Principibus in rebus* Civilibus & temporalibus *omnes subjecti sint.* At isti effato discutiendo aptior locus reservatur in examinatione *tertij* per Clerum Gallicanum constituti articuli; ubi proinde studiosè expendemus illationem qualemcunque hinc fortassis intentatam de potestatis Pontificiæ supra Reges protensione refellendâ. Quare, quem Elliesius *ultimum & quintum* posuit Paragraphum, eidem hîc *quartum* locum assigno.

ARGUMENTUM I.

38. Elliesius *præsentis cap. 2. §. ultimo* argumentatur 1. Pontificiæ super Regibus deponendis potestatis sententia priscis inaudita sæculis, ubi primùm *decimo* Ecclesiæ sæculo in lucem prodijt, omnes novitate suâ perculit; uti testantur Otho Frisingensis *in fragmento fasciculi rerum sciendarum, & Chronic. 6. cap. 35.* Benno Cardinalis, Imperatoris Henrici IV. contra Papam Gregorium VII. partes secutus *in 1. & 2. libro de Hildebrandi vitâ*, Episcopi insuper & Clerici, quorum nomine conscripta fuit Apologia pro Henrico apud Adventinum *Annalium Bojorum lib. 5. fol. 179.* Waltramus Anno 1093. *Apologiæ pro Henrico lib. 2. cap. 14.* Sigebertus Abbas Gemblacensis *in Epist. Anno 1103. scriptâ.* Olbertus Leodiensis Episcopus *in Epistolâ de vitâ & obitu Henrici IV. Anno 1106. scriptâ.* Eberhardus Archiepiscopus *in oratione de Hildebrandi Antichristiano Imperio in Comitijs Ratisponensibus sub Friderico II. recitatâ.* Helmodus *Chronici Sclavonici* author *cap. 29.* & Albertus Stadensis *ad annum 1080.* referentes Rudolphi Sueviæ Ducis in Henrici IV. locum suffecti ultima verba. Joannes Trithemius *in Chronico ad annum 1106.* Onufrius Panvinius *in vitâ Gregorij VII.* Nicolaus Trevirensis *1. contra Imper. sententiam Gregorij VII.* obstupendam vocitans novitatis abusionem, ac inauditum Decretum. Venericus Vercellensis *hb. de conservandâ Ecclesiæ unitate.* Leodienses *ad Paschalem II.* Gotofredus Viterbiensis, item author *Chronicor. ætatis 6.* Cuspinianus *in Henrico IV.* Guilielmus Molmeburiensis *lib. 3.* Anonymus Author *Apolog. pro Henrico editæ ab Vrstitio.* His annumeratur Lambertus Schafnaburgensis, ac si dixisset, Henricum, postquàm iniquas pacis conditiones cum Gregorio VII. inijsset, omnibus odio, & execrationi fuisse.

39. Ad horum universorum sententiam magis firmandam ab Elliesio reproducitur Gregorius Magnus *in præcitatâ epistola ad Sabinianum* scribens: *In mortem cujuslibet hominis formidare se miscere.* Huc reduci potest, quod idem Elliesius proximè *præcedenti §. 4. in fine.* adfert de Gregorio Magno. Nempe cùm iste Pontifex

accepisset

accepisset à Mauritio Imperatore mandatum de promulgandâ quâdam lege, quâ vetitum erat, militibus in Monasterijs monasticam vitam profiteri, eam, licèt injustam existimaret, & Ecclesiæ libertati contrariam, Imperatoris tamen mandato parendo, promulgâsse, etiam antequàm Imperatori significaret suam sententiam. *Ex lib. 2. Epist. 62. & Epist. 64. ad Theodorum Medicum Imperatoris.*

Responsio, ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

40. EXordiendo à Gregorio Magno, circa ejusdem *ad Mauritium Imperatorem epistolam 62. lib. 2.* exaratam, inprimis venit annotandum, quòd *ibi* expresè scribat, *se in eâ neque ut Episcopum, neque ut servum jure Reipublicæ, sed Iure privato loqui.* Dum *ibidem* igitur profitetur, se inspecto jure privato, & abstrahendo à jure seu Episcopi, seu Reipublicæ, tanquam subjectum jussioni, legem Imperatoris, quantumvis eam iniquam agnovisset, per diversas terrarum partes transmitti fecisse, nunquid Apostolicæ authoritatis suæ immemor fuerat? Nequaquam, siquidem, Baronio *ad Annum 593. sub finem pag. 47.* ex ejusdem S. Viri *lib. 7. epist. 2. indict. 1.* probante, ipse non fuerit Edicti illius iniquissimi contra jura Ecclesiastica sanciti promulgator, sed potiùs corrector, emendator & censor, maximumque adeò in his ediderit specimen Sacerdotalis vigoris, Pontificiæ authoritatis, & super Imperium potestatis, dum accedens censor & arbiter constitutionis Imperatoriæ, & ad sacram (quam vocabant) tabulam, admovens stylum, edicti illius quædam expunxit, quædam addidit, augens ac minuens pro arbitrio, ut ad rectam Catholicæ Ecclesiæ normam & disciplinam aptaret, nihilque in eo, quod Ecclesiasticæ officeret libertati, & sacris Canonibus contradiceret, prætermittens intactum, posteris egregium relinquens exemplum, quidquid leges sanciendo, delirant Imperatores ac Reges, à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus esse protinus emendandum & corrigendum: sicque ab ipsis favendum eorum votis, ut eos errantes cum mansuetudine corrigant, & Pontificiâ potestate, quod perperam factum nôrunt, Apostolicâ censurâ castigent, seque exhibeant eorum Magistros, Doctores, & Correctores, juxta illud Divinum *Hieremiæ 1.* exaratum Oraculum, quod non huic tantùm Prophetæ pronunciatum, sed omnibus, qui pro Deo ad populum Divinâ legatione funguntur: *Constitui te hodie super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quando proinde idem Pontifex *in Epist.* non *64. sed 63. indict. 11.* scribebat *ad dicti Imperatoris Medicum, fecisse Deum, ut Imperator non solùm militibus, sed etiam Sacerdotibus dominaretur*, num aliâ, quàm permissionis voluntate Divinâ hoc factum, ijs verbis innuere voluit Gregorius, qui Deum subjecisse tradit Sacerdotes Mauritio Imperatori, ut olim eosdem subjecerat persecutoribus Neroni, atque Diocletiano, quos in eos etiam gladio agere permisit? Uti ex ipsomet Gregorio *in Psal. Pœnitent. 4.* liquet, *ibidem* ulteriùs conquerente: Diabolum adversùs Ecclesiam concitâsse Regiam quoque potestatem, dum nulla tamen sinat ratio, *ut inter Reges habeatur, qui destruit potiùs, quàm regat, Imperium.*

Quod porrò ex ejusdem Gregorij Magni 41.
ad Sabinianum Diaconum epistolâ proferebatur, *quòd formidâsset, se miscere in mortem cujuslibet hominis.* Id *in responsione ad proximè præcedens argumentum* jam habetur discussum, quòd nempe Summo Pontifici nullum jus sit in vitam humanam, imò in quamvis rem terrenam *quoad Esse Physicum* spectatam, sed super *Moralitate* duntaxat, quà in Regnum cælorum ordinabili. Sub quo proinde *moralitatis* ordine, ipsissimus ille Pontifex adversùs Donatistas excitarat Exarchum Gennadium *lib. 1. epist. 72.* ita scribens ad eundem: *Sicut excellentiam Vestram hostilibus bellis in hac vitâ Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet, etiam inimicis Ecclesiæ ejus, omni vivacitate mentis & corporis obviare, &c. comprimendo eorum conatus &c.* Quantumvis ergo Gregorius formidârit, in cujuscumque mortem se immiscere, minimè tamen horrebat, gladium etiam *materialem*, adversùs sanctæ Ecclesiæ hostes, authoritatis suæ Pontificiæ nutu & Imperio, à Regibus & Imperatoribus exercendum, concitare.

Hinc pro *secundo* gradum faciendo ad Gre- 42.
gorium VII. comperimus hunc Pontificem ab Ellieſio notatum gravi censurâ, ac si *rem novam, & à sæculis inauditam patrâsset, excommunicando, ac deijciendo Henricum IV. Imperatorem.* Verùm vel ex hoc, quòd notâ eâ seu Ellieſij, seu Authorum ab ipso allegatorum censurâ, videatur in dubium trahi Pontificiæ potestatis ad excommunicandum Imperatorem authoritas, jam in apertum prodit spiritus, Reges vel exterminans à consortio Christianæ fraternitatis, vel contra apertam Christi vocem *Matthæi 18.* exaratam, pernegans erga Reges Christianos coercitivam Ecclesiæ virgam, adversùs quosque peccantes fratres exercendam. Quo tamen reiecto in medio, plerique ab Ellieſio adducti Authores proprijs suis verbis prorunt, quòd iniquas Henrici IV. adversùs Pontificem Maximum ad ejusdem usque exauthorationem in Comitijs Wormatiensibus, sese efferentis partes tenuerint, nec quidquam ergo attendendi. Sunt equidem nonnulli ex authoribus ab eodem Ellieſio adducti, qui, uti *sequenti capite, sexto* §. videbitur, inter Collaudatores Gregorij VII. numerantur, nec nisi historicè referunt, nullum antehàc Imperatorem à Summis Pontificibus, vel excommunicatum, vel depositum fuisse. Sed dum Ecclesiæ sanctæ necessitas in Occidentis Imperatoribus tale quid neque exposcebat, neque permittebat, num propterea ex hoc non usu, Pontificiæ authoritati denegare fas est, tale quid adversùs Ecclesiæ sanctæ rebelles Reges statuendi, potestatem? Ipsamet anteriora seu Childerici Francorum Regis, seu Leonis Isaurici ab Imperio Occidentali remotionis, unà cum alijs adducta, & *inferiùs* firmanda exempla pro-

bant

bant jam antiquiorem in Pontificatu Romano authoritatem super Regibus ac Imperatoribus. ad eorum usque exauthorationem procedere prævalentem. Neque credere fas est, centum & decem Episcopos, quorum consilio Gregorius VII. adversùs Henricum excommunicationis & exauthorationis sententiam protulit, tantam authoritatem sibi arrogaturos fuisse, nisi eam ab ipsomet Christo in sui Vicario Summo Pontifice fundatam nôssent; prout ipsamet Bulla Apostolica desuper edita, hujus potestatis rationem reducit in Claves Ecclesiæ, Beato Petro commissas, universisque manifestùm reddit, quàm gravibus de causis ad id urserit Henrici impietas, Ecclesiæque vicissim publicæ necessitas.

ARGUMENTUM II.

43. ELlies. *cit. §. ultimo* argumentatur 2. In Religione id omne verum est, quod prius est, fuitque ab initio: illud verò falsum ac erroneum est, quod aliquando ignotum fuit, ac posteà inventum: nobis enim nihil ex nostro ingenio indulgere licet, aut sequi, quod ab alijs fuerit inventum: sed oportet, nos ijs tantùm fidem adhibere, quæ à Christo, vel Apostolis ad nos usque per traditionem manarunt. At primus super Regibus ad eorum usque exauthorationem potestatis Pontificiæ Parens fuit Gregorius VII. Romanus Pontifex: ante hunc enim inaudita (uti Authores *superiùs citati* testantur) fuit ea opinio.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

44. QUomodò inprimis oportet, id, quod verum est, à Christo, mediantibus etiam Apostolis ad nos usque per traditionem manâsse? An in ipsismet etiam per Oecumenica Concilia longè posteriùs definitis Dogmaticis conclusionibus, vel potiùs in suis principijs, Verbo Dei ab Apostolis ad nos usque propagato traditis, atque à Spiritu sancto per Oecumenicorum Conciliorum, seu authoritatis Oecumenicæ definitiones ad certa seu fidei Dogmata, seu morum Decreta sancienda authoritativè applicatis? Nisi hoc posterius, mi Ellieši, elegeris, sed priori illi membro immobiliter insistere malueris, reus eris quorumcunque fidei Dogmatum, quæ priùs ignota erant populo Christiano, quàm fuissent ab Ecclesiâ super fidei Candelabrum deciloriè exposita. At verò *exantecedentibus* constat, Verbo Divino expresè tradita esse ea Oecumenicæ in Ecclesia potestatis principia, ut per sanctiones Canonicas, & Conciliares quoque definitiones fuerit inde conclusum, Ecclesiæ, ejusque authoritati Oecumenicæ, potestatem esse erga Reges Christianos, ipsorum adversùs Ecclesiam pertinaci proterviâ ita exigente, ad excommunicationis, tandemque exauthorationis sententiam procedendi. Quâ ratione igitur hoc, quod in primævis per Christum traditis fidei principijs fundatum, in Ecclesiâ sanctâ, etiam ante Gregorij VII. tempora, in vi Clavium à Christo Ecclesiæ, ejusque Capiti Petro, ac hujus proinde successori traditarum fuit exercitum, & à Concilijs Oecumenicis, Pontificibusque Maximis ex Divinis per Christum prolatis oraculis authoritativè deductum, Novitatis à verâ Religione alienæ, coarguere permittit Religio?

Caput V.

In quo eliduntur exceptiones Ellieſij, quas opponit authoritatibus & rationibus Theologicis pro Pontificiâ supra Reges authoritate afferri solitis.

IN hoc capite eum tenebo ordinem, ut sub ipsismet Ellieſij verbis, sim inprimis producturus argumentum in favorem Pontificiæ supra Reges potestatis adduci consuetum, posteà subjuncturus Ellieſij adversùs tale argumentum exceptiones, ac demum exceptionum hujusmodi confutationem subnecturus.

§. I.

Quantum momenti sit in Veteris Testamenti sacris Litteris, ad probandam Summi in Novo Testamento Sacerdotij supra Reges authoritatem.

ARGUMENTUM I.

Ex Veteri Testamento petitum ab exemplo Oziæ Regis.

HIc enim Rex leprâ Divinitus percussus, Sacerdotum judicio separatus est à cœtu populi: unde Bellarminus sic argumentatur: Si ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem judicare, & Regno privare, quare id non poterit Novæ Legis Sacerdos nunc ob lepram spiritualem, id est, propter hæresim? 1.

Exceptio Ellieſij.

EXcipit ergo Ellieſius I. Non esse idem judicium ferendum de leprâ spirituali, ac de corporali, quippe corporalis lepra in Veteri Testamento hominem privabat omni prorsus aliorum commercio, & societate tam in Civilibus, quàm in cæteris. At verò lepram spiritualem peccati, vel hæreseos, hominem tantùm privare bonis spiritualibus, sicque adeò argumentum rectè procedere: *Lepra corporalis privabat hominem commercio civili, ergo leprâ spirituali privat hominem communione spirituali.* 2.

2. Oziam leprâ Divinitus percussum, eò quòd incensum adolere vellet super altare Thymiamatis, à Sacerdotibus declaratum esse immundum, & templo expulsum, at Regno minimè privatum; veluti constet ex 2. *Paralipom. cap. 26.* Id enim tantùm dicere Scripturam, *Sacerdotes videntes lepram in fronte ejus*, eum festinatè de templo expulisse, ob lepram scilicet, non ob peccatum; quare nihil gravius in eum statui potuisse, quàm quod in leprosos omnes per Sacerdotem statui, Deus

jussit, juxtà illud *Levit. 13. Qui fuerit leprâ percussus, separatus ad arbitrium Sacerdotis, habitabit extra castra.* Quapropter Oziam nec Regno, nec regnandi Iure excidisse, sed juxta sacrum textum, annos quinquaginta, usque ad mortem scilicet, regnâsse. Quinimò Oziam ne Regni quidem administratione privatum esse per sententiam Sacerdotum, sed cùm ipse jam senior esset, ac vi morbi urgeretur, nec posset in publicum prodire, satius duxisse, in filium Regni administrationem transferre, non coactum ex judicio Sacerdotum, sed impulsum ad id faciendum tum pudore, tum rei gravitate.

Refutatio istius exceptionis.

4. INprimis pro accepto habeo, quod Ellies̄ius asseverat, lepram corporalem in Veteri Testamento hominem privâsse omni prorsus aliorum commercio, & societate tam in Civilibus, quàm in cæteris. At ista Societatis quoque Civilis privativa separatio erat facienda per arbitrium Sacerdotis, juxta quod habetur *Levit. 13.* sanciendo, *ut leprâ percussus, & separatus ad arbitrium Sacerdotis, habitaret extra castra.* Ejusmodi verò Societatis quoque civilis ac politicæ in, Oziâ Rege leprâ percusso, privativa separatio, per naturam suam arguebat privationem administrationis Regni, utpote *Essentialiter* importantis politicam cum subditis communionem Civilem. Sicuti ergo juxta sacram Scripturam, Civilis quoque ac Politicæ Societatis privativa, Oziæ Regis separatio, ipsomet Ellies̄io fatente, fieri debebat per arbitrium Sacerdotis, sic per hujus sententiam oportet, fuisse ipsi ademptam Regni administrationem.

5. Ex quo pro *secundo* ita licet ulteriùs argumentari. Veteris Testamenti Sacerdotio erat potestas, non tantùm super leproso ferre arbitrium, Civilis quoque Societatis privationem indicens, sed ubi inter Judices ambiguum seu difficile erat Iudicium, *ex Deut. 17. capite* erat Sacerdotio potestas, *authoritativè* decidendi *Iudicij veritatem.* Nunquid ergo Azarias, unà cum Sacerdotibus *2. Paralip. 26.* hanc proferendo sententiam: *Non est tui Officij Ozia, ut adoleas incensum, sed Sacerdotum*, ex ipsamet Divinâ lege tulit Iudicij veritatem, imperans, (uti verbum imperativum, *Egredere*, à sacro textu usurpatum sonat,) egressum de Sanctuario, atque sub Divinæ etiam vindictæ interminatione indicens, contemptûs loco habitum iri (uti verbum, *ne contempseris* indicat) si staret intrà Sanctuarium. Neque Sacerdotes erga Oziam leprâ percussum verbis solam admonitionem præseferentibus, agebant, sed verborum asseverantium, *festinatò expulisse eum*, proprietas significat, illos vim aliquam non tam *physicam*, quam *authoritativam* adhibuisse. Quia igitur in Veteri Lege erat *authoritativa* Sacerdotij potestas supra Iudices, ac Reges etiam protensa, num dicere fas est, *authoritativam* Ecclesiæ virgam etiam Coercitivam *Matth. 18.* constitutam, in Novo Fœdere non protendi supra Reges Christianæ fraternitatis consortes, cum vi non tantùm privandi communione fidelium, sed ligandi & solvendi *Quodcumque, Moralitatis* in Regnum Cælorum ordinabilis formalitate, atque adeò sacræ Religionis publicam utilitatem, seu necessitatem præseferente supervestitum, sicque hoc ipso subordinatum Oecumenici Pastoris Clavibus? Cujusmodi ex Oziæ exemplo petita argumentatio fusiùs deducta, pluribusque firmata habetur *hujus Summaxy 1. Capite §. 2. & locis ibidem allegatis.*

ARGUMENTUM II.

Ex 2. Paralip. cap. 23. petitum ab exemplo Athaliæ, Ius Regium tyrannicè usurpantis.

CUm enim Athalia tyrannicè occupâsset regnum, & foveret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocavit centuriones & milites, & jussit eis, ut Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro eâ Ioam Regem creavit. Quid ni ergo par proportionaliter potestas sit Sacerdotio Novi Fœderis? 6.

Exceptio Ellies̄ij.

EXcipit hic Author 1. Si quid probaret istud argumentum, hinc probatum iri, quòd Reges non tantùm deponi possint à Summis Pontificibus, sed & eorum jussu interfici, quod dicere, non audere ipsosmet Adversarios. 7.

2. Longè dispar esse rationem Athaliæ, & Regis legitimi, quippe illa per tyrannidem invaserat Imperium post mortem Ochoziæ, occisis ejus filijs, è quibus unus superstes selectus fuit Ioas, ad quem morte Patris, & Fratrum, de jure Regnum successionis jure devolutum erat. 8.

3. Tametsi Athalia foverit Idololatriam, non tamen propter hoc crimen occisam esse à Iojadâ, & ijs, qui cum ipso erant, sed propter solam Regni usurpationem, ut Ioæ legitimo hæredi Regnum restitueretur. 9. 10.

4. Neque solum, neque authoritate suâ, id fecisse Ioadam quasi Summum Sacerdotem, sed tanquam præcipuum ex Regni Iudaici Optimatibus, & uti Regis tutorem ac defensorem: ubi enim opportunum vidit esse tempus restituendi Ioæ, Centuriones, Levitas, & alios sui consilij participes fecit: *Initque*, teste Scripturâ, *omnis multitudo, pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Ioiada, ecce filius Regis regnabit, sicut locutus est Dominus, super filios Israel.* Non ergo Ioadam deposuisse Athaliam, aut constituisse Ioam Regem authoritate Summi Sacerdotis, sed tantùm populo declarâsse, Ioam hunc esse filium Regis, cui Regnum debebatur, populo statim eum agnoscente Regem. Quibus ita se habentibus, nihil soliditatis esse in illo argumento, ex Veteris Testamenti Sacerdotio illationem faciente, ad Novi Fœderis summum Pontificatum.

Refutatio hujus exceptionis.

INprimis si attendatur verborum illud Athaliæ exemplum *4. Regum 11.* descri- 11.

sentium

ùm proprietas, in aperto est, Ioadam Summum Sacerdotem, non ex privatâ, sed superiore quâpiam, utique non aliâ, quàm eâ, quâ fungebatur, Summi Sacerdotij authoritate processisse adversùs Athaliæ tyrannidem, à Regij solij possessione eam dejciendo, legitimumque Regem præficiendo. Quidni enim dicere fas sit, hoc esse factitatum ex authoritate per *Deuteronomij* legem Sacerdotio impertità ad definiendam *Judicij veritatem*, utpote quæ authoritas, teste sacrâ Litterâ, se extendebat ad omne negotium, omnemque causam Civilis quoque statûs propriam, ea etiam cum energiâ, ut judicis imperio, Sacerdotij sententiæ conformiter, pronunciato non obediens, juberetur occidendus? Quando igitur in casu illo Athaliæ, Regnum injustè occupantis, nullus erat constitutus Iudex Laicus, Rege legitimo exturbato, & protunc in Ius suum restituendo, ipsemet Pontifex proferens veritatem Iudicij, quâ nisi suâ summi Sacerdotij per Deum constitutâ authoritate progederetur ad finem tali negotio imponendum, Deo *Deut. 21. v. 5.* statuente, ut *omne negotium ad verbum Sacerdotum finiatur*?

12. Ex quo proinde Ioiadæ Summi Sacerdotis exemplo quidni proportionaliter, secundùm quod Christi verba Clavium Petro, ejusque successori commissarum sphæram circumscribentia sonant, argumentari liceat ad parem Summi in Novo Fœdere Pontificatûs authoritatem? Prout hæc universa decripta reperiuntur *in præcitato hujus Summarij secundo capite per universos ejusdem paragraphos.*

13. Ex quibus insuper patebit, quàm impertinens sit Ellieſij expositio, verborum Christi Domini Clavium Ecclesiasticarum, Oecumenicique pastoralis officij conditionem *Matth. 16. & Ioannis 20.* explanantis: quò, uti etiam ad *locaibidem allegata*, brevitatis causà Lectorem remitto, ubi etiam videre licebit, quomodò extraordinarius equidem seu Eliæ, seu Eliæi, seu Samuelis in constituendis, vel dejcendis Regibus, speciali Divino jussui innitens spiritus, locum habere possit in Oecumenico pastorali officio. Quæ universa cùm fusè deducta sint *locis præadductis*, & ne apex quidem adferatur ab Ellieſio ad fundamenta *ibi* exposita confutanda, ideo non est, cur quidquam eorum hìc reproducam. Quia verò Ellieſius *circa finem præf. §. 3.* ad hoc unicè collimat, ut Oecumenicam Ecclesiæ authoritatem intrà spiritualitatis limites coarctet, visum est optimum, coronidis loco hic ostendere, hoc minimè alienum esse a sensu nostro, si resbene expendatur.

14. Pro *secundo* igitur lubenter admitto, quòd Bona temporalia ac Regia sæcularia sura *Formaliter* ut sic, non subdantur Pontificiæ potestati, sed *Materialiter* duntaxat, sub *altiori* scilicet, cui substernuntur, *formalitate Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis.* Hæc autem *Moralitas* est quid *spirituale*, respiciens in proprio suo subjecto salutem æternam, ac respectu Ecclesiæ publicum hujus, atque sanctæ Religionis Bonum, Deique cultum, quà non mere Naturali lumini commensuratum sed quà fidei lumini proportionatum. Quia igitur denominatio fit à *Formali*, non à *Materiali*, an non sicuti *absolutè* dici potest, nullam esse summo Pontifici *temporalem*, sed *spiritualem* in Reges potestatem, sic pariter negare licebit, Pontificiam authoritatem protendi super Regum bona, quà sæcularia?

ex pag. 131. n. 21.

§. II.

Quantum momenti sit in rationibus Bellarmini, inductis ad probandam Pontificiæ potestatis supra Reges præeminentiam?

15. Ellieſius equidem *præf. §. 1.* inducit Bellarminum asseverantem, quòd in temporali Pontificis authoritate comprobandâ, solis rationibus usus fuerit, eò quòd Scripturis, Concilijs & Patribus jam usus esset in spirituali Primatu probando. Sed nunquid rationi consona hinc fit exprobratio, ac si *indirecta* Pontificis potestas temporalis unicè inniteretur rationibus & inductionibus minùs certis, vel minùs evidenter deductis? Ad cujus exprobrationis inanitatem ostendendam, operæpretium est visum, Bellarmini rationes hìc producendas ita reducere ad sacræ Scripturæ principia, ut inde patère possit singularis eorum vis & energia.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex potestatis politicæ erga Ecclesiam subordinatione.

16. Potestatis *Civilis* respectu potestatis *spiritualis*, subordinatio videtur subsistere ex hoc, quòd utraque sit ejusdem Reipublicæ Christianæ, eâ tamen cum differentiâ, ut Principis spiritualis sit, de temporalibus disponere in ordine ad Bonum spirituale, quippe cùm omnis Superior imperare possit inferiori, & hinc finis temporalis potestatis subordinatur Fini spirituali concernenti æternam hominis salutem, quemadmodùm autem Fines, sic & facultates inter se subordinari, tradit Aristoteles *lib. Eth. cap. 1.* Sicuti ergo spiritus & caro coeunt in unum hominem, sic potestas spiritualis & temporalis duæ in unâ Ecclesiâ Reipublicæ conveniunt in unam; uti Gregorius Nazianzenus ait.

Exceptio Ellieſij.

17. Excipit hic Author 1. Potestatem temporalem haudquaquam esse partem Reipublicæ Christianæ, quatenus Christiana est, sed ex spirituali ac temporali regimine constitui duas Respublicas, quarum fines sint diversi, & nullatenus inter se subordinati ex parte facultatum, sed ex parte operantis duntaxat: ita ut Principis Christiani Finis non equidem sit sola temporalis felicitas, sed æterna tùm ac suorum: attamen facultatis politicæ, quà politicæ Finis etiam ultimus sit temporalis duntaxat felicitas, nec nisi ex parte operantis, Principis scilicet Christiani, sit obligatio, Politici quoque regiminis actus referre in finem felicitatis æter-

næ. Et hinc universi quidem homines Christiani, inter quos Reges quoque, ac Principes temporales numerantur, cum Papâ ac præfectis seu Ministris Ecclesiæ, in unam quidem coeunt Rempublicam Christianam, quoad suas charactere Christianitatis insignitas personas, inter se prorsus disparatas, sed hæ duas distinctas ac separatas Respublicas constituunt.

Refutatio istarum exceptionum.

18. ANtequàm ad præsentis difficultatis punctum respondeamus, operæpretium est, indagare radicem, per quam subsistat ratio ejus per Ellieſium assertæ obligationis, in vi cujus finis facultatis politicæ, non quidem *ex parte sui ac per se*, sed *ex parte operantis*, atque adeò *per accidens* subordinari debeat Fini Ecclesiasticæ potestatis, nempe saluti æternæ.

19. Equidem pro *primo* statuamus indubitatam cunctorum *Moralium* in homine circa res spirituales seu temporales actuum subordinationem ad æternæ felicitatis finem supernaturalem; statuamus insuper temporalium universorum, quà hominis *Morali* dispositioni subjacentium, ad spiritualia ex infusarum virtutum *Moralium* exigentiâ, homini ad statum supernaturalem elevato, quasi connaturaliter congenitam coordinationem. Statuamus præterea ex vi hujusmodi supernaturalis elevationis cunctos omni tempore homines habuisse obligationem, ex virtute præcipuè Religionis constringentem, ad Dei cultum in fide radicatum, adeoque supernaturalem. Ex hujusmodi etiam obligationis contestandæ ratione, erat in Lege Naturæ institutum sacrificium, & Sacerdotium Abelis, Noëmi, Melchisedechi, Abrahæ, Jobi & aliorum sanctorum virorum. Numquid verò tali Sacerdotio ipsis quoque Regibus quandoque Divinitus collato, annexa erat potestas supra Reges, à viâ salutis æternæ, nedum in suis personis recedentes, sed alios insuper à sancta Divinæ fidei Religione seducentes? In statu legis Mosaicæ altiùs evehebatur Sacerdotij dignitas, ut haberet potestatem authoritativam, in dubijs interpretandi Divinas leges judiciales, debuitque ipsemet Politicus Judex suum Judicium isti Summi Sacerdotis sententiæ conformare in tantum, ut reus mortis fuerit pronuntiatus, qui Sacerdotis Imperio, & decreto Judicis obedire noluisset. Numquid autem hæc Summi Sacerdotis in Lege Veteri authoritas erat ex temporalium erga spiritualia *per Ius naturæ* determinatâ subordinatione, vel potiùs *ex Divinâ lege positivâ* ejus statûs propriâ? Sic proinde non ex præcito supernaturalis elevationis statu, temporaliumque ad spiritualia subordinationis jure *quasi connaturali*, sed *ex Iure positivo statûs Evangelici proprio*, definienda est Summi in Novo Fœdere Sacerdotij super Reges, *quoad temporalitates Morali supernaturalis Religionis debito* vestitas, protensa potestas. Quod adeò *positivum* ex Christi mandato in Petri successore subsistens jus, multis jam expositum fuit, aliqualiter adhuc exponendum sequenti discursu.

ex pag. 124. n. 28.

Quibus ita constitutis, pro *secundo* quis Catholicorum inficiari ausit, Regis Christiani jura etiam Politica seu sæcularia, unà cum ipsius personâ esse capacia supernaturalis *Moralitatis* in Regnum Cælorum ordinabilis? Hoc negare, foret profectò indignissimum Rege Christianissimo. Numquid verò Jura Regia, quantumvis sæcularia, quatenus *Moralitate in Regnum Cælorum ordinabili* vestita, superinduunt formalitatem, sub quâ Regni Cælorum Clavibus Summo Pontifici concreditis subjaceant? Hoc negare, foret perinde, ac negare, ijs Clavibus subesse *Quodcunque* hominis Christiani, ceu ovis Christi *Morale* in Regnum Cælorum ordinabile. Nunquid autem istud pugnaret cum apertis Christi verbis *Matth. 16.* Claves Regni Cælorum eatenus definientis, ut *Quodcumque* in vi istarum Clavium à Petro, ejusque successore in terris esset solvendum, pro soluto habendum foret etiam in cælo? Nunquid verò istud Tò *Quodcunque* in terris per Ecclesiæ Claves solubile complectitur temporalia, ac Regia seu politica, quà sæcularias Jura? Neutiquam. An igitur istud *Quodcunque* in terris per Summi Pontificis potestatem solubile admittit aliquam exceptionem? At hoc dicere, foret, universalitatem illius Tò *quodcunque* contra disertum Christi verbum coarctare. Illius igitur vocis Tò *quodcunque* universalitas nullam quidem admittit exceptionem, sed explicationem Christi verbo consentaneam. Nunquid enim istud *Quodcunque* in terris per Christi vicariam potestatem solubile, ex ejusdem Domini nostri institutione, habet ut sic relationem ad Cælorum Regnum seu Militans, seu Triumphans? Nónne verò ista relatio importat *Moralitatem statûs supernaturali commensurabilem*, de cujus naturâ est, ordinabilem esse in Regnum Cælorum tum Triumphans, tum Militans? Numquid autem istius in Regnum Cælorum ordinabilitatis *Moralitas* radicatur tum in Fide, per quam sumus membra S. Ecclesiæ, ceu unius Mystici Corporis, tum in Christianitatis per Baptismum impresso charactere, per quem subjicimur sanctæ Ecclesiæ Clavibus? Nunquid autem membri ad corpus suum seu Politicum, seu Mysticum coordinatio, uti etiam erga sanctam Ecclesiam subjectio, importat obligationem, ad curandum illius Corporis Mystici, sanctæque Ecclesiæ Bonum publicum? An non igitur in vi hujus erga Ecclesiam, ceu Corpus Christi Mysticum coordinationis, seu subjectionis in Rege Christiano, secundùm *Quodcumque in terris Morale, suum spectato*, est debitum ordinabilitatis ad Bonum publicum Ecclesiæ? Quia igitur *Quodcumque* in terrâ Regibus Christianis inexistens *Morale*, complectitur ipsorum Regia quoque Jura sæcularia, sed *Materialiter* duntaxat, ac *Indirectè*, & *per accidens*, nec aliter, nisi quà superveſtita *Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis* formalitate, sub qua denominantur esse spiritualia, nunquid nefas esset, negare, esse ut sic contenta sub illius Christi vocis Tò *Quodcunque* universalitate, omne in terris *Morale* in Regnum Cælorum *ordinabile* complectentis? Quia verò ad

ex pag. 131. n. 14.

ex pag. 131. n. 14.

ex pag. 132.

istam

istam *Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis* denominationem, jura Regia, utpote sæcularia, se habent solùm *Materialiter* ac *per accidens*, nec adeò dici possunt subjacere *Directè* Clavium Ecclesiæ authoritati, neque verò denominatio sit ex illo, quod solùm *Indirectè*, præcipuè *Materialiter* duntaxat, vel etiam *per accidens* convenit, nunquid secundùm præjecta principia rectè dicitur, Ecclesiæ potestas esse *spiritualium* duntaxat, non verè *Temporalium?*

21. Secundùm hæc igitur Principia, Regem Christianissimum pronunciare exemptum ab illâ Regiorum Jurium *Moralitate*, Ecclesiæ Clavibus *indefinitè*, ac *universaliter* subjectâ, perinde foret, ac ipsum alienum facere a Christiano charactere. Quòd si ergo Jura Regia, licèt sæcularia, statuantur esse capacia *Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis*, oportebit fateri, ea *Materialiter*, *indirectè* ac *per accidens* subjici sanctæ Ecclesiæ Clavibus, non quidem sub ratione *temporalitatis*, sed sub formalitate *spiritualitatis* in se derivabilis, sive *Moralitatis* in Regnum Cælorum ordinabilis. Secundùm quam proinde distinctionem, si Clero Gallicano placuerit *prima* hactenus difficultæ propositionis intelligentiam moderari, poterit forte sustineri secundùm expositionem reflexionis *in hujus Summarij initio* expositæ: Sin minùs, ipsimet sint ejus sententiæ censores, quomodò cohærere valeat cum *indefinitâ* super *Quodcunq; in terris Morale*, quâ *scilicet in Regnum Cælorum ordinabile* protensâ Ecclesiæ sanctæ Clavium, Summique Pontificis Oecumenicâ solvendi ac ligandi potestate.

ARGUMENTUM II.

Desumptum ex necessitate potestatis Ecclesiasticæ ad suiipsius defensionem, suiq; finis à potestate sæculari præpediri quandoq; soliti consecutionem.

22. ETenim oportet, Rempublicam Ecclesiasticam in eo esse statu, in quo sibi sufficiens sit in ordine ad finem suum consequendum. Atqui ad finem spiritualem potestatis Ecclesiæ proprium necessaria est potestas utendi ac disponendi de rebus quoque temporalibus, cùm exteroqui malis Principibus esset integrum, fovere hæreticos, ac evertere Religionem. Imò ut Respublica quæpiam sibimet sufficiens sit, quando non potest aliter se defendere, debet posse agere adversùs alteram sibi infestam Rempublicam, ejusque Principem hostilitatis contra illam exercitæ authorem, armis suis devictum in ordinem redigere ac deponere. Quâ de causâ sub illis ad Petrum *Ioan. 21.* prolatis Christi verbis: *Pasce oves meas;* subintelligitur Summo Pontifici concessa potestas, ad gregem suum ita tuendum adversùs lupos, ut hos omni ratione, qua potest, arcere queat.

Exceptio Ellieſij.

23. EXcipi potest ex hujus authoris mente, si reciproca Rerumpublicarum ad sui defensionem & conservationem necessitas exigat; ut Respublica Ecclesiastica possit agere adversùs Principes sæculares, ne hæreticos fovere, religionemque evertere impunè præsumant, propterea; ipsos etiam armis compescere, vel deponere, pari ratione Regi fore potestatem, armis etiam agendi adversùs Summum Pontificem, Regiorum suorum Jurium injustum aggressorem. Verùm, quod Pontificiæ supremæ potestati ad se ipsam defendendam jus competit, non esse ejus conditionis, ut per arma temporalia, sed spiritualia duntaxat peragi valeat, sicque adeò pascendi potestatem; Petro commissam, rectissimè equidem extendi etiam erga lupos, hæreticos scilicet arcendos, sed spiritualibus duntaxat armis, absque ullâ authoritate in temporalia ipsorum Iura, ac bona. Sanctum equidem Bernardum *lib. 4. de consider. cap. 3.* ex eo loco Evangelij, *Ecce duo gladij hic*, & ex illo, *Comple gladium tuum in vaginam*, inferre, quòd *gladius iste sit Pontificis, licèt non ejus manu evaginandus sit*: quoque adeò *uterque gladius, Materialis scilicet & Spiritualis, sit Ecclesiæ*, eâ tamen sub differentiâ, *ut hic Sacerdotis, ille militis, sed ad Sacerdotis nutum, exercendus sit.* Attamen prætactum Evangelij locum à Bernardo detorqueri in sensum alienum, nisi hic dicatur esse duntaxat Mysticus & allegoricus. Imò nutum illum apud S. Bernardum non significare potestatem *Coactivam*, sed *Directivam*, veluti exponunt Ioannes de Parisijs, Antonius de Rosellis, & alij. Nec denique talem nutum, aut potestatem gladij, in Pontifice spectare Regum depositionem.

Refutatio istarum exceptionum.

EXordiendo inprimis ab illâ S. Bernardi expositione, clarum est ex ipsomet sacro textu, quòd gladius iste fuerit Petri, Christo *Matth. 26. v. 12.* dicente: *Converte gladium tuum in locum suum.* At eo ipso, quòd gladius hic esset de iure Petri, ita ut suus propterea diceretur, oportet, ut non quidem ipsemet contrà Christi jussum posset eum evaginare, eo ipso tamen, quòd esset in iure ipsius, consequens est, agnoscendam esse in eo *moralem* potestatem, mediante scilicet imperio suo ad ejusdem evaginationem, & usum exercendum ab ijs, qui subduntur ipsius Oecumenicæ authoritati; unde manifestum redditur, sancti Bernardi expositionem ab alijs, uti *supràs* ostendebatur, Ecclesiæ sanctæ Doctoribus, seu Theologis comprobatam, haud detortam esse ad alienum sensum: an verò gladius ejusmodi adversùs Reges ad eorum usque depositionem Pontificis nutu & imperio stringi possit, elucidabitur ex proximè sequenti, alibi licèt jam producto, hic autem sub aliâ formâ reproducendo fundamento. 24.

Pro *secundo* igitur scisciari lubeat ex Ellieſio, an non iure naturæ certissimum sit hoc principium *morale*, quòd nempe suprema Regia potestas non tantùm *in vi defensionis* possit Coronæ suæ, seu Majestatis Iurium invasorem, vi etiam armatâ repellere: sed quòd supremæ potestatis authoritate possit etiam *judicialiter* de- 25. *ex pag. 124. n. 28.*

decernere de injurijs sibi quoad Majestatis suæ Iura illatis, sicque bellum justum *offensivè* suscipiendum sancire, indeque militari exercitu progredi, ad alterum, quantumvis supremum Regem, sibi non aliter subjectum, quàm ex titulo delicti, adversùs Iura sua Regia hostilibus quoque armis perpetrati, è Regno suo dejiciendum, cum *reali* simul & *authoritativâ* ultris Regij eidem priùs competentis privatione, atque abdicatione? Hoc equidem duplicatum *Morale* principium vix audebit Elliesius negare, Iure naturali esse certissimum, cùm cæteroqui Christianissimi Regis sui arma conijceret in discrimen alicujus minùs æquæ usurpationis. Quo adeò Principio *Morali* jam præsuppositio, ita licet progredi rursus disquirendo: an non sit de fide quoque certissimum, quòd Oecumenica Summi Pontificis, una & Concilij vicariâ Christi authoritate muniti potestas sit suprema? De cujusmodi adeò authoritate, supremæ potestatis veram & perfectam obtinente rationem, disquiri denuò potest: *An non pari proportionaliter modo per arma sibi proportionata, possit adversùs Regem, Iurium Divinæ Religionis sibi per Christum appropriatorum aggressorem incorrigibilem, & contumacem, procedere ad privationem usque Regni, Iurisque Regij alias ei competentis abdicationem, Iudicialiter decernendam, & ubi decreta est, Authoritativè demandandam executioni?*

26. Cujus proinde quæsiti sequentem pro *tertio* accipe resolutionem. In suprema nempe politicâ, & supremâ Ecclesiasticâ potestate (sub ejusmodi supremæ in terris authoritatis ratione) est univoca convenientia: sicque adeò jus illud, quod potestati Regiæ adversùs alterum Regem Majestatis suæ Iurium aggressorem diximus convenire, non subsistit ex differentiâ *specificâ* supremæ politicæ authoritatis, quâ lumini duntaxat naturali commensuratæ, sed quemadmodum ratio virtutis est *generica & univoca* respectu virtutum naturalium & supernaturalium, sic illud supremæ in terris authoritatis, quâ supremæ jus, de se ipso adversùs alterum, æquè licèt supremum Regem, *Iudicialiter*, & *Militariter* (per arma cuique proportionata) vindicando, est *genericum & univocum* respectu cujuscumque, sive naturalis & politicæ, sive supernaturalis Divino fidei lumini proportionvtæ authoritatis, quatenus suprema est.

27. Ex quo adeò principio ab Ecclesiasticæ & politicæ supremarum potestatum *specificis* differentijs abstractivo, ubi per fidei lumen subsumere licet, Oecumenicam Ecclesiæ authoritatem verè supremam esse, *per consequentiam Theologicè demonstrativam* infertur prorsus certum, ac indubitatum principium, quòd hæc Ecclesiæ Oecumenica authoritas suprema habeat sibi *intrinsecum* jus, armis sibi proportionatis vindicandi Iurium suorum, Majestatisque suæ, Christi Vicariæ, ac Ecclesiæ sanctæ violationes injuriosas, & sacrilegas, dum contumacia saltem & contemptus accesserit. Atqui arma Ecclesiasticæ supremæ potestati proportionata sunt tum vis coercitiva *Matthæi 18.* descripta, à correctione fraternâ procedens ad censuram illam, per quam Ecclesiam non audiens, instar Ethnici & publicani sit habendus: tum potestas solvendi *Quodcumque* in terris sub *Moralitatis Christiano condignæ* formalitate obtinens vel respectum ad Regnum Cælorum, vel *Moralem* ab hoc deordinationem. In hoc autem ordine *Moralitatis* ad Regnum *Cælorum ordinabilis*, quis negare ausit, cunctos Reges Christianos esse censendos, unà cum suis publici etiam regiminis actibus *Moralibus*, Regiæque potestatis ad suam personam *subjectivâ* applicabilitate, quâ justitiæ & naturali, & supernaturali, Religionique adeò consentaneâ? Quòd si ergo sub hâc *Moralitatis* ad supernaturalem statum Divinitus elevatæ mensurâ, per authoritatem Ecclesiæ Oecumenicam proferatur judicium ex *indefinitâ* super *Quocumque ad Regnum Cælorum ordinabili*, Regio etiam, quà *Moralitatem* ejusmodi superinduente jure solvendo protensâ potestate, quid stante hujusmodi per Christum sancitâ, & in cælis ratâ solutione, poterit in Rege Christiano talis censuræ condemnato, superesse de Regiæ potestatis, *non secundùm se Formaliter* spectatâ supereminentiâ, sed quâ inexistebat huic suppositio, Oecumenicæ Ecclesiæ authoritati subjecto, ac per sententiam legitimè exauthorato?

Hinc pro *quarto* facile est judicare, de illo 28.
Regis terreni erga jura sua Regia adversùs Summum Pontificem, eorundem injustum usurpatorem, seu aggressorem defensionis, seu vindicationis Iure reciproco. In hoc equidem utrinque paritas est, quòd non nisi sub legitimâ quoad substantialem solemnitatem perfectè Iudiciariâ supremæ authoritatis sententiâ prævia locus esse possit illius defensionis ac vindicationis authoritativæ Iuri.

Verùm ex hoc ipsissimo principio, quòd 29.
Oecumenicæ Vicariæ in Romano Pontifice authoritatis sphæra, sit circumscripta limitibus *Moralitatis in regnum cælorum ordinabilis*: ad hosce autem limites, Naturalis luminis sphæram transcendentes, nequeat se extendere potestas Politica ac Regia, utpote, cujus mensura intrà naturæ lumen coarctata dignoscitur. Iccircò nihil occurere unquam potest ex supremæ Oecumenicæ Christi Vicariæ, Romano Pontifici inexistentis potestatis decretis, seu sanctionibus, seu sententijs quibuscumque, supra quod Politica Regia potestas suam valeat prætendere vel Judiciariæ authoritatis, vel armorum Militarium potentiam.

Quare inter illas duas Politicam & Eccle- 30.
siasticam potestates hoc versatur discrimen, quòd Regiæ potestatis actus etiam publici superinduantur *Moralitate* in regnum cælorum vel ordinabili, vel deordinabili, ad Ecclesiasticam authoritatem spectante: at inversùs esset ordo, si prætenderetur, actus ab Ecclesiasticâ Christi Vicariâ potestate promanantes, ut sic ad supernaturalis *Moralitatis* lineam traductos, ad inferiorem retrahi posse ordinem, Politicæ seu Regiæ authoritati commensurabilem.

ex pag. 224. n. 27.

A. R.

ARGVMENTVM III.

Petitum ex pacto seu Juramento Regum Christianorum de fide Christi defendendâ.

31. QUando enim Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto *expresso*, vel *tacito*, ut Regna sua Christo subijciant, & polliceantur, se Christi fidem servaturos & defensuros, etiam sub pœnâ regni perdendi. Quando igitur hæretici fiunt, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesiâ judicari, atque etiam deponi à Principatu. Quod argumentum graviùs urget in ijs præsertim Regibus, qui Imperatores saltem, sub sui evectione & coronatione facere constringuntur, solenne Iusjurandum pro Ecclesiæ sanctæ Iuribus tuendis: qualis porrò obligatio illis vel maximè incumbit etiam ex munere Advocati & Defensoris Ecclesiæ eisdem competente, juxta *Cap. Venerabilem. De Elect. & Clementinam Romani. De Iurejurando*, nec non *Cap. 2. in 6. De supplendâ negligentiâ Prælatorum.*

exp. pag. n. 361.

*, uti

Exceptio Ellieſij.

32. EXcipit hic Author *propè finem cit. 2. §.* pactum præinsinuatũ neque in Baptismo, aut auguratione cujusquam Regis factum, haberi posse, nisi quòd Reges ad Baptismum accedentes, solenni Sacramento, sicut & cæteri homines, se obstringunt ad fidem Christi servandam, sed sub pœnis tantùm spiritualibus, si ab eâ defecerint, nullo autem pacto sub pœnâ depositionis, privationis bonorum, aut aliâ hujusmodi.

ibi. n. 17.

Refutatio istius Exceptionis.

33. PRiusquàm proximè positam Ellieſij exceptionem elidamus, argumentumque priùs factum obfirmemus, placuit *primo loco* indagare vim, & momentum posterioris, ex munere Advocati, seu Defensoris Ecclesiæ, Regibus, seu Imperatoribus Christianis incumbente, per nos efformati argumenti. Sub cujus discussionis exordio statim occurrit dubium: *Vtrùm Advocati erga Ecclesiam munus seu Regi, seu Imperatori incumbat ex specifico Iure alicujus quasi contractûs, seu pactionis saltem implicitæ?* In Occidentis equidem Imperatore videtur talis quasi contractus subsistere, dum Romanus Pontifex Imperium Græcis ademptum, transtulit in Francos & Germanos, sub *tacitâ* quasi conditione talis oneris. Attamen hæc ratio locum non habebat olim vel in Orientis Imperatore, vel in Regibus, in quibus alia viâ, ac independenter à Romanis Pontificibus prorogatur successio Regiæ potestatis.

34. De his igitur rursus movetur quæstio; *An ex aliquo Iure specifico, Romani Pontificatûs proprio, obstringantur ad ejusmodi Advocati, seu Defensoris Ecclesiæ munus, vel potiùs ex obligatione quasi transcendentali, characterem Christianitatis consequente, in vi cujus scilicet quilibet Christianus non privatos duntaxat, seu personales, seu reales, sed etiam publicos ac Regios, cum Christi charactere in eo subjecto conjunctos, actus tenetur saltem non usurpare in perniciem Ecclesiæ.*

35. Verùm ex quo fundamento ostenditur ista Regis Christiani obligatio *positiva*, ad se cum universis suis potentijs, & Iuribus pro Ecclesiâ impendendum, in casu saltem necessitatis? An isthæc fortassis obligatio, uti in omnibus Christianis, sic præcipuè in Regibus Baptismali charactere insignitis, fundatur in hoc, quòd per istum Christi characterem sint subditi, per fidem verò membra Ecclesiæ, sit autem Iuris *quasi naturalis*, ut subditus pro suo Superiore, ac membrum pro sui Corporis seu *Moralis*, seu *Politici* conservatione, omni virtute ac potentiâ suâ impendat se in casu, nedum *extremæ*, sed etiam *gravis* necessitatis? Hoc autem supposito, ex ipsius etiam naturæ lumine perspectum est, *adversùs illum, in quo est talis obligatio, posse, dum eam non præstat, institui seu querelam, seu processum publicum.* Unde rectè infertur, Ecclesiæ potestatem esse, convenien-di Reges Christianos, atque duriùs contra ipsos agendi, si deficiant in illâ suâ obligatione, quamvis ex illo præcisè argumento necdum eluceat, quanta sit Ecclesiæ, ac *specificè* Summi Pontificis authoritas, in tali defectu procedendi adversùs Reges Christianos. Hujus proinde erga Reges Christianos potestatis Pontificiæ mensura alia non est, nisi ex verbis Christi, *Quodcumque in terris morale* Oecumenicò sanctæ Ecclesiæ Pastori *ad solvendum vel ligandum* pro causarum merito committentis. Hinc enim fit consequens, quòd Regia potestas tum quoad *morale* sui substratum, tum quoad suos effectus *Morales*, ex *intrinseco* characteris Christiani debito, in Regnum Cælorum ordinabiles, *subjectivè* adeò ac *Materialiter* spectata subsit prætactæ solvendi potestati, Pastorali Petri successoris muneri, per Christi constitutionem annexo.

36. Quam ob causam pro *secundo*, insistendo unicè illi, quam Christus seu Ecclesiæ sanctæ, Clavibus, seu Oecumenicæ Pontificiæ potestati posuit mensuram, sequens adhuc panditur via ad indagandum; *Quomodò Papa vel ex sacrosancto intrà Sacramenti Baptismatis susceptionem* implicitè *saltem firmato pacto, vel ex vi Iurisjurandi sub ipsorum coronatione præstiti, habeat sibi subjectos Reges, & in quantum contra ipsos, Pacti, seu Iurisjurandi hujusmodi temeratores valeat procedere?* Nempe in dubium vocare haudquaquàm licet, quòd pacti illius Baptismalis temeratio, seu Jurisjurandi cujuscumque, illius præsertim, quo Ecclesiæ defendendæ pollicitatio firmatur, violatio, perjurijque adeò reatus, subsit coercitivæ *Matth. 18.* Ecclesiæ per Christum concessæ virgæ, ad excommunicationis usque censuram procedere potenti. Quòd autem ista Ecclesiæ coercitiva virga ad Regum usque exauthorationem ac depositionem extendi valeat, manifestiùs evincitur ex sæpè præallegatis *Ioan. 20. & 21.* item *Matth. 16.* claris textibus Evangelicis. Duplex namque in Ecclesia existit Tribunal à Christo Domino institutum. Unum fori *interni* pœnitentialis, cui subijciuntur quorumlibet Christianorum cuncta etiam secretissima cordis peccata. Cur hoc? Nisi quia Christus *Ioan. 20.* Apostolis *indefinitè* dixerat, *Quorum remiseritis peccata, remit-*

mittuntur eis &c. In quo autem consistit peccati ratio, nisi in *Moralitate* deficiente à Regni Cælorum, seu finis supernaturalis ordine? At Christus non minùs *indefinitè* dixit: *Si peccaverit in te frater tuus* (non proficiente fraternâ correctione) *denuncies eum Ecclesiæ, quam si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Qui per Christum constitutus procedendi modus respicit alterum à Christo institutum Ecclesiæ tribunal, pertinens ad *Forum externum*, cui proinde subest omne fratris Christiani peccatum, si tamen respectu ejus fori valeat probari. In hoc igitur Foro Ecclesiæ *externo*, quis in terris supremam habet authoritatem, nisi Petri successor, cui omnes Christi oves sunt creditæ, una cum Clavibus Regni cælorum & Triumphantis & Militantis? Quænam verò est materia hujus Fori, nisi quam Christus definivit hisce verbis ad Petrum prolatis: *Quodcumque solveris aut ligaveris super terram, erit solutum, seu ligatum in cælis?* Hoc verò *Quodcumque*, utpote universalitatis vocabulum, num arctiùs exponi debet, quam illæ *indefinitæ* voces: *Quorum remiseritis peccata, &, si peccaverit in te frater tuus?* Si ergo ex vi harum *indefinitè* positarum vocum, Foro Ecclesiæ tum secreto pœnitentiali, tum publico judiciario subiit omnis *Moralitas* à Regni cælorum ordine, seu Fine supernaturali devians, quid ni sub isto universalitatis vocabulo *Quodcumq; solveris*, dicendum sit, denotari omne *Morale*, qua habens ordinem ad Regnum Cælorum seu Militans, seu Triumphans? Quòd si ergo illa Petro, ejusque successori concessa *Fori Externi* potestas extendi debeat super *Quocunque*, atque adeò super Regiminis quoq; politici exercitio, & applicatione *subjectivâ*, qua *Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis* formalitatem superinduente, quomodò fas est, dicere, talem in Regibus *Moralitatem* pro *Foro Conscientiæ*, non verò in ordine ad *Externum judiciarium Ecclesiæ Forum*, esse subjectam Apostolicæ authoritati, protensæ super *Quocunque*, universalitatem designante, cùm tamen respectu *Fori interni* subjectio peccatorum, non nisi sub vocula *indefinitâ* designetur? Quia proinde sub illo *Quocunque*, super omnem Christi ovem, & omnimodam in *Externo Foro* probabilem, *Moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis formalitatem* protenso, continetur & Rex Christianus, & cuncta ejusdem quoad Regiæ potestatis exercitium, & applicabilitatem *subjectivam Moralitas*, quomodò hæc non universaliter dicenda est, subesse Summi Pontificis authoritati, seu potestati solvendi? Ubi verò Regiæ potestatis Ius, qua huic personæ sub *Morali ad Regnum Cælorum ordinanda applicabilitate* inexistens, contingit, per illam Apostolicam authoritatem ex caulis *Moralibus* Regnum Cælorum tam Militans, quam Triumphans respicientibus, Regisque depositionem efflagitantibus solvi, quomodo intelligi potest, non esse tunc facta *effectivæ* Regis exauthoratio? In aperto igitur est, ex præadductis hdei principijs demonstrari Summi Pontificis potestatem erga Reges Christianos, à Regni Cælorum, & Militantis & Triumphantis ordine perversè ac pertinaciter, cum publica etiam Ecclesiæ pernicie, deficientes exauthorandos.

ex pag. 228. n. 41.

ex pag. 229. usque ad n. 42.

CAPUT VI.

Quantum momenti sit in argumentis, ad Pontificiam supra Reges potestatem probandam desumptis ad exemplis, seu factis Summorum Pontificum, seu Oecumenicorum Conciliorum?

§. I.

In quo expenduntur argumenta, petita ex Theodosij Imperatoris excommunicatione, Gregory Magni uno, alterove privilegio inferiùs referendo; nec non Gregorij II. excommunicatione adversùs Leonem Isaurum, ac depositione Childerici Galliarum Regis.

ARGUMENTUM I.

Ex Theodosij & Leonis Isaurici excommunicationibus, ac præinsinuato Gregorij Magni privilegio.

1 INprimis notum est, referente etiam Theodorito *lib. 5. hist. cap. 18.* Theodosium Imperatorem propter cædem Thessalonicæ factam, à sancto Ambrosio Mediolanensi Episcopo prohibitum fuisse ingressu Ecclesiæ, at eâ postmodùm conditione restitutum, ut legem ferret, ne deinceps sententiæ de cæde, aut Bonorum proscriptione ante triginta dierum spatium executioni mandarentur. Unde Bellarminus probare nititur, posse Principes Ecclesiasticos non solùm in foro *interno* conscientiæ, sed etiam in foro *externo* Ecclesiastico disponere de temporalibus, in ordine ad spiritualia: quemadmodùm fecisse noscitur Ambrosius, tum cædis ab Imperatore factæ causam, tanquam ad suum tribunal pertinentem judicando, tum Imperatori mandando, ut legem de Civilibus ferret.

2 Deinde in privilegijs Abbati Monasterij Semmerdardensis à S. Gregorio Magno impertitis, subijciuntur hæc verba, Pontificiæ erga Reges potestatis manifestum argumentum præferentia: *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, & quarumcunque sæcularium personarum, hujus Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscunque dignitatis sit, honore suo privetur.* Similis forma habetur in privilegio Xenodochij Augustodunensis.

3 Inducitur porrò ad intentum nostrum Gregorij II. exemplum, qui Leoni Isauro à se excommunicato prohibuit vectigalia solvi ab Italis, & proinde eâ parte Imperij mulctavit, imò, &, si nonnullis credere velimus, universo ipsum Imperio dejecit.

Exceptio Ellieſij.

4 EXcipit hic Author 1. Ubi temporalis res cum manifesto peccato est conjuncta, tunc istam ratione peccati esse Notionis Ecclesiasticæ, non ut *absolutè* de ea disponat Ecclesia, sed ut moneat, hanc, vel illam actionem Dei lege non licere. De temporalibus igitur agi posse in foro Ecclesiæ, sed spiritualiter, & in ordine ad spiritualia, quatenus adjunctam habent bonitatem, vel malitiam *moralem*. Ex hoc præterea (si tamen Theodoritus in ea relatione non sit deceptus) quòd S. Ambrosius

mandârit Imperatori, ut præinsinuatam ferret legem, unicè probari, Episcopo & Presbytero esse potestatem, leges indicendi etiam Regibus sub pœnâ retentionis peccatorum, ut, quæ ad isthæc sananda duxerint esse necessaria, remedia adhibeant.

5. *Secundò.* Adversùs præinsinuata Gregorij Magni privilegia, seu potiùs contra ijsdem insertam, Regibus præjudiciosam clausulam excipit Ellieſius, privilegium ejusmodi esse subreptitium, & ab aliquo recentiore, Gregorio affictum; velut invictissimè à Launoio demonstratum sit. Idem dicendum esse de privilegio Xenodochij Augustodunensis, utpote quod tam varie habeatur, ut hinc intelligatur, esse suppositum, vel interpolatum. Et verò, si clausulæ illæ veris ac genuinis Gregorij Magni privilegijs continerentur, non alium habitura esse sensum, quàm imprecatorium; uti Summis Pontificibus in more est, tales Divinæ etiam indignationis imprecationes suis decretis, seu privilegijs à se concessis erga earundem temeratores, in fine subjungere.

6. *Tertiò.* Idem Ellieſius contra Leonis Isauri à Gregorio II. latam excommunicationem excipit, quòd recentiores Scriptores Græci in odium Romani Pontificis eam confinxerint: tum quia in epistolis Gregorij nullum in Leonem hujus judicij occurrit vestigium. Tum quia Carolus Magnus *in epistola ad Constantinum & Irenem*, dissidij inter Gregorios II. & III. ac Leonem faciens mentionem, non meminit, nisi admonitionis, ac precum, quas illi Pontifices interposuissent, sed frustrà, ad Imperatorem illum à suis contrà imagines conatibus avertendum. Tum quia Paulus Diaconus *lib. 6. de gestis Longobardorum cap. 49.* refert, Gregorium II. impediviſſe, ne Itali alium sibi Imperatorem, illo rejecto, crearent, claro adeò argumento, eum Pontificem Isauro haud voluisse, vectigalia non solvi, parteque Imperij sic mulctâsse. Tum quia Anastasius Bibliothecarius *ad annum 658.* fusè narrans, quæ in dissidio Gregorij II. & Leonis Isauri sunt gesta, nihil habet de excommunicatione Imperatoria, vectigaliumque, jussu Pontificis factâ subtractione. Tum quia Gregorius III. posteà Leonem Imperatorem agnovit, humanissimis ad eum datis litteris: neque Damascenus *orat. de imag.* rerum à Leone adversùs imagines gestarum mentionem faciens, refert, eum aut Regno privatum fuisse, aut excommunicatum à Pontifice.

7. Quantumvis ergo Theophanes, Cedrenus, Zeno, Nicephorus, & cum istis recentiores Historiographi Latini scribant, Leonem Isaurum à Gregorio II. fuisse excommunicatum, & exactione tributorum Italiæ privatum, ipsimet tamen Gregorio, Paulo Diacono, Anastasio, & alijs Scriptoribus, ceu antiquioribus, & fide dignioribus, majorem esse fidem habendam. Procul igitur abesse, ut Gregorius II. quidquam tentarit in jura, aut vectigalia Isauri, sed & si quid tentasset, ejus factum non esse trahendum in exemplum, cùm sit contra Evangelij legem, quæ jubet: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo reddenda esse.*

Refutatio istarum exceptionum.

8. PRimò. Pro accepto recipio, quod Ellieſius circa Theodosij Imperatoris ab Ecclesiæ ingressu interdictum profert: nempe de temporalibus posse quidem agi in foro Ecclesiæ, sed spiritualiter, & in ordine ad spiritualia, quatenus adjunctam habent bonitatem, vel malitiam *moralem*. Numquid verò potestas Regia, non in seipsa *formaliter*, sed *subjectivè* sumpta, quatenus hujus Regis, authoritate suâ in Ecclesiæ manifestam perniciem, ac sacræ Religionis, fideique Orthodoxæ eversionem abutentis, personæ individuæ inexistit, sicque ad actus publicos, *moralitate* in regnũ cælorum ordinabili, vel extra ordinem istum exorbitante, inevitabiliter affectos progreditur; sub tali publico præeminentiæ Regalis abusu tam execrando, jam est conjuncta cum malitia *morali*? Quandoquidem proinde, ipso Ellieſio fatente, Ecclesiæ sanctæ foro subdantur etiam temporalia, quatenus ordinem præseferunt ad spiritualia, adjunctamque habent malitiam *moralem*, publicæ præsertim Religioni infensam; numquid, ubi excellentiæ Regiæ jura temporalia, non equidem *ex se formaliter*, sed ex subjecti, cui inexistunt, nequitiâ, per insuperabilem hujus pertinaciam, sunt immobilis radix tam enormium scelerum, publicorumque Orthodoxæ Religionis damnorum, procedere licebit Ecclesiæ, ad mali ejusmodi radicem è subjecto illo tollendam, mediante Clavium Apostolicarum solutione, prævalere potenté *ad quodcunque in terris morale*, sive uti Ellieſius loquitur, malitiâ *moralis* infectum, *authoritativè* solvendum?

9. Quo adeò principio per ipsummet Adversarium nostrum ratificato, haud difficulter pro *secundo*, refutatur prætacti Ellieſij *secunda* exceptio, prætendentis, clausulas in præadductis Gregorij Magni privilegijs insertas, esse solùm imprecatorias, non verò *authoritativè* decretorias exauthorationis Regum, si contra ea privilegia protervè agerent. Numquid enim ipsa ratio evincit; ut in ejusmodi clausulis prudenter discernamus id; quod à solius Dei imperio, ac providentiâ, potestateque dependet, & id, quod in ipso etiam Summo Pontifice, talem clausulam ponente, respicit authoritatem interminationis à se factæ, ipso etiam Jure exequendæ potestate præpollentẽ. Quandoquidem igitur maledictionis æternæ effectus non sint in potestate Pontificis, sed Dei solius, erga hos nequit nisi comminatoriam, seu comminatoriè imprecatoriam clausulam, Papa suis Rescriptis, seu Decretis inferre. Secùs verò est de effectibus, super quibus protenditur Oecumenica Ecclesiæ sanctæ Clavium authoritas, intrà cujus sphæram ex diserto Christi verbo, continetur *quodcunque Morale*; sicque adeò temporale etiam quà, *morali*, uti Ellieſius ait, seu bonitate, seu malitiâ affectum: in quo genere planum est, comprehendi Regiam quoque potestatem, non *in se formaliter* spectatam, sed quatenus in hoc subjecto reposita, est radix multimodæ malitiæ, ac perversitatis, in publicam etiam Ecclesiæ perniciem redundantis. In quantùm igitur

aliqua Pontificia constitutio adversùs hujus temeratores decernit Regalis dignitatis ab hoc subjecto abdicationem, minimè dicenda est talis comminatio esse merè imprecatoria, sed cum *reali* effectu importat, Regiæ præeminentiæ in tali subjecto privationem, vel ipso jure, & facto, vel mediante deciſoriâ criminis sententiâ, incurrendam.

10. Conatur equidem Ellieſius præadductum Monasterij Semmerdardensis privilegium à Gregorio I. amoliri, ex levibus tamen seu conjecturis, ac indicijs, vel argumentis ab authoritate *negativâ* duntaxat efformatis, uti legenti patebit. Idemque facere nititur adversùs privilegium Xenodochij Augustodunensis. Adversùs cujusmodi Ellieſianum conatum, sufficiat observare, tum quòd de isto privilegio constet *ex lib. 2. Gregorij Magni epi-* ex pag. *stolâ 10.* Tum quòd par clausula contineatur in 99 n. 1. duabus alijs ejusdem Summi Pontificis epistolis, quas vindicat Author *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 6.* prævalidè *ibidem* confutans Ioannem Launoium, tres illas epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatum, tametsi ab undecim ferè sæculis nemo eas in dubium revocârit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit *prima* earum, sed omnes à pluribus, etiam Gallicanorum monimentorum collectoribus exscriptæ sint; velut eo loco *per totum cap.* ostendere pergit *præcitatus* Author, quò Lectorem, si fortassis scrupulo pulsaretur, remittere volui.

11. Quare ad Ellieſij præadductum principium regrediendo, quo dixerat: *Posse in foro Ecclesiastico spiritualiter agi de temporalibus, quatenus ista nimirum adjunctam habent* moralem *malitiam;* comperio effatum hoc minimè dissonare à prædicti Gregorij Magni sententiâ *in Psal. Pœnit.* 4. asseverantis: *Nullam sinere rationem, ut inter Reges habeatur, qui destruit potiùs, quàm regat imperium.* Quomodò enim fieri posset, ut Gregorius in hoc suo judicio intentus esset ad aliam, quàm ad *moralitatis*, à debito regiminis moderamine in tyrannidem perversæ, rationem, sub quâ per sanctæ Ecclesiæ Claves, meritò pronunciari posset indignus Regiæ potestatis sublimitate, qui tot sceleribus in Impeij simul, ac Ecclesiæ perniciem redundantibus, obnoxius, per *moralem* malitiam suam in fori *Ecclesiastici* incideret judicium?

12. Hinc *tertiò* regressionem faciendo ad Ellieſij exceptiones, quas Gregorij II. adversùs Leonem Isaurum latæ excommunicationi, unà & vectigalium in Italia spoliationi opposuit: unicè repono, quòd ipsissimæ hæ oppositiones ac exceptiones jam antehàc *à præcitato* Authore *tract. de lib. Eccles. Gallic. lib. 4. cap. 12.* fuerint elisæ, tum quòd testibus aliàs à me allatis, eas ex pag. 26. n. 21. contra Isaurũ censuras tam clarè affirmantibus, opponendi fuissent alij testes æquè clarè negantes, aut certè rationes validissimæ: dum tamen Ellieſius non nisi testium de eadem re tacentium, vel ad summum alia, non tamen contraria, loquentium authoritate, vel conjecturis ad dimittendam communem hominum sententiam, parum potentibus, causam suam tuetur: uti *præallegatus* Author, rem hanc *ubi supra* exactiùs discutiendo, pluribus id ostendit, *ibi n. 9.* in hæc differens verba: Etiamsi Launoius (seu Ellieſius modò) testes adduceret expressè negantes, quas alij asserunt, Gregorij II. adversùs Isaurum censuras, non obtineret, quod intenderet. Uti enim ex Iurisperitorum doctrinâ, jura cum juribus, sic testimonia cum testimonis concilianda sunt, dum inter se pugnare videntur, nec insolubilis est contradictio. In hoc autem casu facillima esset concordia: certum enim est, Gregorium II. omni pacificâ ratione Imperatorem illum ad sanam rationem revocare conatum fuisse: unde de illo tempore intelligendi essent Scriptores, qui negarent, Summum illum Pontificem Imperatori tributa negâsse: qui autem affirmant prohibitam illam solutionem, interpretandi sunt de ultimo tempore, quando scilicet constitit, nullam spem esse, Imperatoris convertendi, prout haud obscurè id insinuavit Theophanes *in Chronologia* post Gregorij II. monita in Isauro haudquaquàm proficientia, subjungens; tunc Pontificem *Italiæ tandem ac Romæ, tributa ad ipsum deferenda prohibuisse.*

13. Et hinc tam parum prodest Ellieſij intentioni, quod Paulus Diaconus refert, *impediviſſe scilicet Gregorium II. ne Itali, rejecto Leone, alium sibi crearent Imperatorem*, ut istud nostro potiùs deserviat intento, quatenus hinc redditur conspicuum, non in Italis, sed in Summo Pontifice fuisse potestatem, illum Imperatorem privandi, imperio vel ex toto, uti posteà docebitur factum à Zacharia Papa, vel ex parte, quoad vectigalium privationem; prout fecerat Gregorius II, cui proinde Ellieſius (in eo duplicato Gregorij, Italos ab Imperatore alio creando coercentis, sed tamen per seipsum vectigalium spoliationem erga Isaurum decernentis, actu contrarietatem frustra etiam confingens) per summam calumniam imponit, ac si ex hoc reus esset violatæ sanctæ Evangelicæ legis, quâ Christus jussit: *Cæsari, quæ Cæsaris, & quæ Dei sunt, Deo reddenda esse.* Numquid enim authoritativam, *quodcunque* in terris solvendi potestatem Petro, ejusque successori commissam exercendo, Christi Vicarius reddit Deo, quæ Dei sunt, cui Divino Religionis debito cedere, oportet, quodcunque terrestre jus, quantumvis Regium? At ipsemet *supra* fassus est, illam Ecclesiæ Clavium propriam solvendi potestatem, extendi etiam ad temporalia, quà *moralitate*, extra debitum Dei cultum religiosum, exorbitante afficiuntur. Hoc autem, sub ipso Imperatorij juris adversùs sacras imagines enormissimo abusu, in Leone multis salutaribus Gregorij II. hortamentis ad meliorem frugem reduci nolente, eatenus noscitur factum, ut propterea fuerit adversùs ipsum lata excommunicationis censura, cum solutione Imperatorij quoque erga vectigalia Italica juris. Quæ proinde vectigalium ejusmodi *privativa*, per Christi Vicariam potestatem indicta solutio, tantæ fuerat efficaciæ, ut jus ejusmodi non ampliùs esset Cæsaris, sed per hujus authoritativam abdicationem fuerit Deo redditum, quod Dei erat, sive quod Divini honoris jus & ratio exigebat.

A R.

ARGVMENTVM II.

Desumptum ex Childerici Galliarum Regis depositione.

14. DE Zacharia Summo Pontifice insignium Authorum est relatio, quòd rogatus à Primoribus Francorum, Regem Childericum deposuerit, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem, Regem creari jusserit. Cujus causa fuisse dicitur, quod propter Childerici socordiam, & Religioni, & Regno in Gallia extrema ruina imminere videretur.

Exceptio Ellesij.

15. EXcipit *primò* Ellesius *cit. dissert. 7. cap. 3. §. 3. à pag. 513.* liquère omnia Scriptorum testimonio, Merovingios, quorum ultimus fuit Childericus, amisisse omnè authoritatem, ac nominetenus tantum Reges fuisse. Ad quod probandum, is Parisiensis Doctor inducit Eginhardum *in vita Caroli Magni*. Aimonium *lib. 4. cap. 66.* Abbatem Urspergensem *in Chronico ad annum 753.* Reginonem *lib. 2. Chronicorum*. Othonem Frisingensem *lib. 5. Chronici cap. 21.* Abbatem Tudensem *ad annum 754.*

16. *Secundò*. Scriptores fermè omnes uno consensu asserere, Zachariam tantùm consuluisse à Gallis, uter, Childericus scilicet, vel Pipinus, habendus esset pro Rege, atque Pontificem illum consulentis potiùs, quam jubentis, aut definientis in morem respondisse, inductis ad hoc probandum Eginhardo *in Annalibus ad annum 749.* Aimonio *lib. 4. de gestis Francorum cap. 61.* Blondo Flavio *lib. 10. Decadis 1.* & pluribus alijs, ab eodem Ellesio relatis, ex quibus prætendit, constare, Legatos a Gallis Romam fuisse missos, non ut à Pontifice peterent, authoritate illius regnum Childerico abrogari, & Pipino tradi, teque à sacramento fidei absolvi, quod procul dubio petijssent, si tunc hujusmodi potestatem haberet Pontificem, fuisset persuasum.

17. *Tertiò*. Neque Childericum è solio dejectum, neque Pipinum in ejus loco fuisse electum à Pontifice Zacharia, sed ab universis Francis in Comitijs totius Regni; veluti constet ex Eginhardo *in Annalibus ad annum 750.* Blondo Flavio *lib. 10. Decadis*, Reginone *lib. 2. Chronic.* Annalib. Francorum *ad annum 750.* pluribusque alijs ab Ellesio inductis historiographis.

18. Hinc *quartò* post tantam testium nubem, non posse in dubium revocari, quin Childericus non a Pontifice Romano, sed tantùm ex ejus consilio, fuerit à Francis universis in Conventu publico depositus, & ab ijsdem, secundùm antiquum Galliæ morem proclamatus, & in solio collocatus Pipinus, sicque adeò, dum quidam dicunt, Zachariam deposuisse Childericum, hoc, advertente Ioanne de Patilijs cum Gloss. ordinariâ, exponendum esse, quòd Pontifex Statibus Franciæ, Childericum deponentibus, consenserit.

Responsio, ac retorsio harum Exceptionum refutatoria.

DUm, mi Ellesi, *in prima exceptione* contendis, Merovingios, atque horum postremum Childericum, amisisse Regiam authoritatem, ac nominetenus tantùm Reges fuisse, num per hoc intendis, Childericum alia, quàm publicæ authoritatis, viâ fuisse solio regni spoliatum? At ipsemet hic fateris, jus hæreditarium ad Regnum superfuisse Childerico? Quomodò igitur hoc jure suo privari justè potuisset, nisi per publicam authoritatem ipsius etiam Summi Pontificis? uti Eginhardus *in vita Caroli Magni*, à te (regiminis Regalis actum & jus, in verbis tuis prioribus confundere viso) perperam allegatus, apertissimè scribit: *Gens Merovingiorum, de qua Franci Reges sibi creare solebant erant, usque ad Childericum Regem, qui jussu Stephani Pontificis Romani depositus, ac detonsus, atque in Monasterium detrusus est, duráse putatur. Pipinus autem per authoritatem Romani Pontificis ex præfecto palatij Rex constitutus.* Cui adstipulantur Annales Francici *ad annum 749.* & *750.* ubi dicitur: *Hoc anno, secundùm Romani Pontificis sanctionem, Francorum Regem appellatum, & unctum esse Pipinum, Childerico in Monasterium misso.* 19.

Ex Gallis equidem recentoribus, inter loca *vitæ Caroli Magni*, & præinsinuata loca *Annalium Francicorum* contradictionem, uti putat, ferè insuperabilem opponit adversarius, quòd *in vita Caroli Magni* destitutio Childerici, & institutio Pipini tribuatur Stephano Papæ, *in Annalibus* verò Zachariæ. Sed imaginaria hæc contradictio ex se ipsâ evanescit, dum ex libelli *de Majoribus Domûs Regiæ* non mutilè, sed integrè prolatis verbis liquet, rem à Zacharia sub finem Pontificatûs sui inchoatam, à Stephano ejusdè successore perfectam, aut confirmatam fuisse. 20. ex pag. 86. n. 2.

Ex præadductis porrò Eginhardi integerrimi Authoris, nec non Annalium Francicorũ verbis, pro *secundo*, manifestè constat, non de consilio duntaxat Romani Pontificis, sed hujus jussu, sive per hujus authoritatem, fuisse Childericum dejectum, Pipinum verò evectum ad Regale solium. Quemadmodùm id Annales præfati *ad annum 749.* emphaticè describunt, asserendo equidem, *Burchardum VVirziburgensem Episcopum, & Idradum Presbyterum Capellanum missos esse ad Zachariam Papam, ut ipsum consulerent de causa Regum*: attamen mox subijcit. *Per hos Legatos prædictum Pontificem mandásse, quòd melius esset, illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret, datáque authoritate, jussisse, Pipinum Regem constitui.* Quem loquendi modum tenent insuper Regino, Otho Frisingensis, Abbas Urspergensis locis ab ipsomet Ellesio allatis, uti etiam Sigebertus *in Chronico*, Paulus Æmilius post Otthonem Frisingensem, dicens insuper, populum à juramento fidelitatis à Pontifice absolutum fuisse. 21.

Quæ tamen universa eludere nititur Ellesius: *Cùm ipsi*, inquiens, *Scriptores responsionem Pontificis, Gallorumque petitionem ita referant, ut pateat, consilium solummodò à Gallis quæsitum, & à Pontifice datum esse*: reddit hinc consequens, 22. ex cit. pag. 86. n. 3.

sequens, quòd, cùm dicunt: *Pipinum jussu & authoritate Pontificis factum esse Regem*, nihil aliud sibi velint: *quàm eum Gallis fuisse authorem, ut id fieret: siquidem & consilium veniat persæpe nomine imperij, & quod ex alicujus consilio est factum, dicatur ex ejus authoritate factum.* Sed quis videat, eam expositionem violentam, & perquàm tortam esse? Quis ex illis luculentissimis verbis Authorum non inferat, Summum Pontificem illi consilio à se postulato adjunxisse authoritatem? Quid enim aliud sonant ea verba, quibus dicitur: *Iussu Stephani Romani Pontificis, depositus fuisse Childericus, datâque authoritate suâ jussisse, Pipinum Regem constitui, ac secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinum Regem Francorum esse appellatum?* Quandoquidem proinde luculentissimum testimonium Eginhardi solum etiam sufficeret, quia eo tempore vixit, & quia rem narratam ignorare non potuit, eâque sinceritate scripsit, ut fides ei negari non debeat, idipsum nihilominùs confirmant Aimonius *in lib. 4. de gestis Francor. cap. 61.* Regino Prumiensis Abbas *in lib. 2. Chronic.* Marianus Scotus *in lib. 3. Chronic.* Otto Frisingensis *in lib. 5. hist. cap. 21.* Abbas Urspergensis *in Chronico.* Sigebertus *in Chronico ad annum 750.* Paulus Æmilius *in lib. histor. Franc.* Fredegarius Scholasticus *in fine Chronici.* Guillelmus Nangius *in Chronographia manuscripta.* Robertus Gagvinus *in lib. 3. hist. Franc.* Carolus Sigonius *in lib. 3. de Regno Italico.* Quâ proinde ratione tot testimonijs, ex parte adversa, aliorũ quorundam Scriptorum, vel etiam unius Anastasij, uti apud Launoium videre licet, silentium anteponitur? *ex pag. 87. n. 6. & 8.*

24. Ea igitur Ellieſij miserrima profectò cavillatio, quâ verba illa, *Mandatum, jussio, authoritas, sanctio*, & similia, quibus Scriptores utuntur, cùm de Summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantùm *consilium*, interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac sinè præpostero affectu lectorum, contextu dissolvitur. Et verò, cùm ipsimet etiam Adversarij negare minimè ausint, de consilio, imò & consensu Pontificis depositum esse Childericum, ac subrogatum Regem Pipinũ, num fas est dicere, consilium istud, seu consensum non fuisse authoritativum, nixũ scilicet Christi vicariâ authoritate, de qua sæpiùs disseruimus, ac ulterior redibit sermo? Nisi enim Proceres, & Status Francici eâ in re ad istam Christi vices in terris agentem authoritatem, in Romano Pontifice respexissent, ut quid ad eum, recursum propterea haberent, dum, ubi ad Reipublicæ suæ duntaxat Bonum essent intenti, ex se ipsis longè fuissent aptiores, ad consilium publico Regni sui Bono coaptatum, communibus suffragijs capiendum?

25. Hinc pro *tertio*, intentioni nostræ necquidquam refragatur illa Ellieſij exceptio, quâ prætendit, *Childericum è solio dejectum, ac Pipinum ejus loco ab universis Francis in Comitijs totius Regni subrogatum fuisse.* Inprimis enim, quomodò istud cohærere posset cum prætenso illo principio, quo Regia potestas asseritur esse *immediatè* à Deo, nisi ab hac distingui asseveretur Regalis dignitatis collatio, in tantum, ut illa sit quidem juris *Divini*, hæc verò subjaceat humanis quoque dispositionibus & ordinationibus? Si porrò Regiæ præeminentiæ ad certum individuum suppositum applicatoria, ab hominum dispositione dependens ordinatio, spectetur ex fine politici duntaxat regiminis, ad quid Comitia Francica expectâssent seu consilium, seu jussionem Romani Pontificis, nisi ex parte hujus esset authoritas protendi potens super ipsissimum illum Regiæ seu depositionis, seu evectionis actum politicum, non equidem quà politicum, sed quà superveſtitum *moralitate* in regnum cælorum ordinabili, ut sic ipso etiam Ellieſio fatente, subordinationem habente erga Apostolicam Romani Pontificis authoritatem.

In Statibus equidem politicis Regni Francici, ipsemet Ellieſius reponit, vigere morem deponendi Regem ineptum, atque idoneum huic subrogandi potestatem, ex quo autem rationis fundamento istud subsistere valet, nisi per rationem publici Boni, exigentis Regem aptum politico regimini administrando? Num verò ista publici Boni in regimine etiam politico curandi obligatio, & solicitudo in Statibus Regni Francici stare poterat absque *moralitate* in Regnum cælorum vel ordinabili, vel deordinabili secundùm ipsum etiam Ellieſium, subjectâ fori quoque *externi* potestati Ecclesiasticæ? Numquid ergo ex hoc respectu, tum multò magis eâ ex ratione, quòd Ecclesiæ quoque sanctæ necessitas exigere videretur Regem Franciæ, qui sacræ etiam Religionis curam gereret, Papa seu jussionem, seu sanctionem, seu mandatum, seu consilium illa de re facturus, intentus esse debuit in suam Apostolicam, de quocunque *morali* super terram solvendo authoritatem? Ex qua proinde est meritò dicenda, facta fuisse Regiæ, qua *moralitate* ejusmodi vestitæ sublimitatis solutio, ejusdem intrà hoc suppositum peremptoria, ac translativa in Pipinum. 26.

§. II.

Quantum momenti sit in argumentis desumi solitis ex Imperij Occidentalis à Græcis ad Francos, indeq; ad Germanos translatione, nec non septem Electorum institutione factâ per authoritatem Pontificiam?

ARGUMENTUM I.

Ex translatione Imperij à Græcis ad Gallos.

HOc argumentum ita proponitur à Bellarmino. *Septimum* Pontificiæ supra Reges etiam exauthorandos, potestatis est exemplum Leonis III. *qui Imperium transtulit à Græcis ad Germanos, propterea, quòd Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali afferre possent. Imò, quòd Imperatores Græci in hæresin prolapsi, eandem etiam pertinaciter tuendo, infesti essent sanctæ Ecclesiæ hostes.* Cujus translationis æquitatem & justitiam, ait Ellieſius, solere insuper probari ex omnium Occidentis Regum, qui Carolum Magnum pro vero, & legitimo Imperatore agnoverunt, judicio. 27.

Rex-

Exceptio Ellieſij.

28. EXcipit hic Author. Quanta ſit hujus exempli ad propoſitum negotium inutilitas, atque futilitas, ſtatim dignoſci, cùm Pontifex Romanus nihil omninò juris, aut terrarum Carolo dederit, aut Imperatori Græco abſtulerit: ſed merum nomen Imperatoris, idque non ſolus ipſe contulerit, ſed ſimul cum populo Romano, cujus nomine, velut præcipuum ejus membrum, egit. Nam *primò* diu anteà, quàm Carolus Imperator nominaretur, Græcus à dominio Provinciarum Occidentis exciderat, & Carolus jure ſucceſſionis, aut armorum, dominus erat Galliæ, Germaniæ, Pannoniæ, partis Hiſpaniæ, & maximæ partis Italiæ, ac præſertim Urbis Romæ, quæ ſedes erat Imperij. Itaque nomine Imperatoris adepto, ditiorem non eſſe factum Carolum, nec quidquam Græco Imperatori abiatum eſſe: ac proinde, etiamſi Leo ſolus Imperatorium nomen dediſſet Carolo, non inde ſequi, Romanum Pontificem aliquid in temporalia juris habuiſſe. Quantumvis proinde electio iſta, ſeu potiùs tituli Imperatorij collatio, à nonnullis Scriptoribus Leoni, ut Civitatis Romanæ Principi tribuatur, ab alijs tamen referri acceptam ex beneficio Procerum, & populi; Annalibus Francorum *ad annum 801.* conteſtantibus: *Leonem Papam capiti Caroli impoſuiſſe coronam, & à cuncto Romano populo acclamatum eſſe, Carolo Auguſto, à Domino Coronato, & pacifico Imperatori vita & victoria.* Iiſdem verbis id narrarit à Monacho Engoliſmenſi *in vita Caroli Magni.* Aimonio *lib. 5. cap. 31.* Adone *in Chronico ætate 6.* Gofrido Viterbienſi *in Chronico*, & Ottone Friſingenſi.

29. Nec juvare, ſi cum Bellarmino opponatur: *In præallegatis Francorum Annalibus in eo negotio non aliam fieri mentionem Romani populi, niſi acclamantis, & quidem non ante, ſed poſt coronationem, à Pontifice Leone III. peractam.* Nam contra hoc replicat Ellieſius prætactus, notum eſſe, quòd olim Imperatores Romani per hujuſmodi acclamationes à militibus & populo electi fuerint, cùm priùs à privatis fuiſſent propoſiti, & tamen eorum electio non ei, qui propoſuerat, ſed univerſis militibus, & populo fuiſſet attributa: imò acclamationes iſtas arguere non modò præſentem, ſed etiam præcedentem populi conſenſum.

30. *Secundò.* Pontificem coronam Imperatoriam imponendo Carolo, egiſſe vices omnium Romanorum, velut præcipuum Civitatis membrum, unde multos hiſtoricos ne Leonem quidem nominare, ſed dicere, à Romanis tantùm fuiſſe nominatum Carolum Imperatorem: ita facere Marianum Scotum *lib. 3.* Lambertum *ad annum 801.* Lupoldum Bambergenſem *lib. de jurib. Imperij.* Aſſerere Blondum Flavium *Decade 2. Leonem Pontificem coronâſſe Carolum Imperatorem ſcito, precibuſq; populi Romani.* Similia habere Æneam Sylvium *in epitome Blondi de ortu Imperij cap. 9.* Philippum Bergomatem *lib. 12 in ſupplemento.* & plurimos alios *ibi* relatos. Ex quibus proinde conſtare, Carolum Imperatorem eſſe declaratum precibus, conſenſu, votis, ſcito, & acclamationibus populi Romani. Nec eſſe, quòd Bellarminus opponat, aliquos ex prætactis Hiſtoricis, ac præter hos, Cedrenum, Zonaram, Paulum Diaconum, Eginhardum, dicentes, Carolum à Leone Imperatorem eſſe factum, aut declaratum, & ab eodem inunctum, atque coronatum: cùm non repugnet, Leonem id dici feciſſe, quod non ſolus fecit, nec ſuâ tantùm authoritate, ſed vices agens populi Romani, & velut voluntatis ejus ac judicij executor, aut etiam velut Romanorum primus & præcipuus.

31. *Tertiò.* Quod ſpectat ad coronationem & inunctionem, certum eſſe, illas eſſe meras cæremonias ad Imperij ſubſtantiam non pertinentes, quas in Gallia erga Regem Chriſtianiſſimum ab Epiſcopo Rhemenſi, in Anglia verò erga hujus Regem ab Epiſcopo Cantuarienſi perfici, neque tamen dici poſſe, ab iſtis Epiſcopis fieri, aut conſtitui Reges: quemadmodùm Juſtinum quoque Imperatorem à Joanne Conſtantinopolitano jam coronatum, poſt ſex nihilominùs annos voluiſſe adhuc coronari ab Epiſcopo Romano. Quare coronationem non facere Imperatorem, nec dare jus ad Imperium, ſed ſupponere eum, qui coronatur, jam eſſe Imperatorem, aut Regem, habereque aliunde jus ad Imperium. Itaque Carolum Magnum jure ſucceſſionis & armorum, poſſediſſe Occidentis Imperium, atque ab univerſo populo Romano accepiſſe nomen Imperatoris, à Leone verò coronationem & inunctionem.

32. Neque alicujus valoris eſſe iteratam Bellarmini oppoſitionem, quòd, *licèt Carolus Regnum Longobardorum armis obtinuerit, Romanos tamen nunquam bello vicerit, nec proinde eorum Rex fuerit, ſicq; adeò Regna Occidentis, non tamen Imperium ſibi paraverit.* Nam hoc ita elidere nititur Ellieſius, Carolum nempe Romanos non bello ſibi ſubjeciſſe, ſed ab his ultrò fuiſſe agnitum ſupremum Dominum: quamvis enim iſti ſuis legibus ſe regerent, ſupremam tamen poteſtatem fuiſſe penes Patricium & Imperatorem. Quod addit Bellarminus: *Carolum ſibi parâſſe Regna Occidentis, non autem Imperium,* idem Ellieſius refellit, reponendo, id verum eſſe, ſi Imperij nomine nudum Imperatoris nomen intelligatur, non autem, ſi eo nomine importetur dominium & poteſtas in terras Imperij. Adhæc, cùm Imperium Occidentis jam diu vacaret, diviſumque eſſet inter multos Regulos, haud dubium eſſe, quin Carolo debitus fuerit Imperij honos, cùm omnes Regiones, quæ priùs Imperium Occidentale componerent, ſibi ſubjeciſſet, quem tamen nomen iſtud Imperatorium ſibi non arrogâſſe, ſed maluiſſe, iſtud habere à populo Romano, & à Pontifice, tanquam uno è præcipuis Romanæ Civitatis Proceribus.

Refutatio iſtarum exceptionum.

33. TOtum *præſentis quæſtionis* punctum reducitur in hoc punctum; *An tempore Caroli Magni declarati Imperatoris coronationem præcedente, penes Imperatores Græcos ſubſtiterit aliquod jus erga Occidentis Imperium?* Et *cui fuerit poteſtas, hoc jus à Græcis adimere, ſicq; transferre in*

Carolum Franciæ Regem? In quo suipsius memorem volo Ellieſium, quòd *supra* circa Leonis Isauri excommunicationem, ex Paulo Diacono *lib. 6. de gestis Longobardorum cap. 49.* retulerit: *Gregorium II. impediviſſe, ne Itali alium ſibi Imperatorem crearent, eo rejecto.* Quòd ſi verò ijs temporibus nihil juris in Græcis Imperatoribus ſuperfuerat erga Occidentis Imperium, quodnam ex Iuris ratione ſubeſſet obſtaculum, ne Itali tunc alium ſibi crearent Imperatorem, ſi ex ſola etiam populi Romani acclamatione legitimè ſubſtitiſſet collatio tituli Imperatorij? uti Ellieſius contendit *in prima præſenti exceptione ſua*, deinceps tamen ſibimet contrarius, *in ſequenti tertia & quarta exceptione* conatus eſt evincere, quòd nomen, non jus Imperatorium fuerit Carolo impertitum à Romano populo.

34. Quod equidem, ſi verum obtineret, quomodò rurſus fuiſſet locus argumentationi Ellieſij, circa prætactam Iſauri excommunicationem, ſubinferentis, ſi Gregorius II. tentâſſet, hunc Imperatorem Græcum vectigalium ab Italis & Romanis debitorum jure ſpoliare, reum futurum fuiſſe violati Dominici præcepti *de reddendo Cæſari, quod eſſet Cæſaris?* Unde enim hoc jus ſupereſſe poterat Græcis, niſi ex jure Imperij? Hoc igitur in Græcis Imperatoribus non ampliùs tunc ſubſiſtente, quomodò ejuſdem temerati reus proclamari potuiſſet ille ſanctiſſimus Pontifex, quando Iſaurum ſpoliâſſet vectigalibus, in quæ nullum jus habuiſſet? Sic adeò, mi Ellieſi, contradictiones, quibus te ipſum involvis, manifeſtam faciunt linguam tuam, aberrantem à veritatis ſemitâ. Sed hoc miſſo, dum ex ore & calamo tuo jam conſtat, proximè ante, quàm Carolus Magnus potiretur titulo Imperatorio, hujus jus exiſtiſſe penes Græcos Imperatores, via jam panditur alteri prætactæ noſtratis diſquiſitionis membro, *penes quem ſcilicet poteſtas fuerit, Ius Imperij Occidentalis à Græcis adimere, & transferre in Carolum Franciæ Regem?* Cui quæſito reſponſurus priùs duxi diſcutiendas Ellieſij exceptiones.

35. *Primò* igitur huic Authori detrahenda eſt larva, ſub qua *in prima ſua exceptione* contendit, *diu ante, quàm Carolus Imperator nominaretur, Græcum à dominio provinciarum Occidentis exciſſe, & Carolum jure ſucceſſionis, aut armorum dominum fuiſſe Galliæ, Germaniæ, &c. maximæ partis Italiæ, ipſius etiam Romæ Sedis Imperij.* Sed quâ inprimis authoritate, quo inſuper belli juſti titulo, Caroli arma ſunt illata in Italiam, niſi ex cauſa ſubigendi hoſtes Eccleſiæ? Quâ de cauſâ ab ipſomet Romano Pontifice in Italiam accerſitus eſt Carolus, ſicque adeò armorum iſtorum juſtitia fundabatur tum ſuper authoritate Papæ, tum ſuper hoſtilibus infeſtationibus, non Francico Regno, ſed ſanctæ Eccleſiæ illatis; uti notiſſimum eſt ex hiſtorijs, quas hic repetere, nimis longum foret. Quia verò vis armorum tunc minimè tangebat Græcos Imperatores, ſed Reges, ſeu Regulos Italiæ, Regiam quampiam, minimè tamen ſupremam Imperatoriam poteſtatem in ſuis ditionibus exercentes, quo jam juſtitiæ titulo Imperatores Græci, qui nullam juſti contra ſe belli cauſam præbuerant, jure ſuo Imperatorio ſpoliari potuiſſent à Carolo? Hinc ergo Ellieſij larva detegenda venit, ſub qua nempe dominia jure vel ſucceſſionis, vel armorum à Carolo Francorum Rege poſſeſſa, confundit cum Imperiali Occidentis jure, Græcis pro tunc minimè adempto; uti oſtenſum fuit.

At videamus, quid adminiculi ſibi accerſat Ellieſius tum ex Annalibus Francicis *ad annum 801.* aſſeverantibus: *Leonem Papam capiti Caroli impoſuiſſe coronam, & à cuncto populo acclamatum eſſe: Carolo Auguſto, à Domino coronato Magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita & & victoria.* Tum ex paribus verbis Monachi Engoliſmenſis *in vita Caroli Magni.* Aimonij *lib. 5. cap. 31.* Adonis *in Chronico ætate 6.* Gofridi Viterbienſis *in Chronico*, & Ottonis Friſingenſis. Ipſa equidem Annalium Francicorum, & conſequenter reliquorum Authorum ab Ellieſio allegatorum, pariter loquentium verba, dum populi Romani acclamationem Caroli coronatione, utpote titulum Imperatorium vel ſupponente, vel conferente, poſteriorem aſſerunt, ex evidentiſſimâ ſui claritate nullatenus admittunt, ut illa populi Romani acclamatio dici queat importâſſe tituli Imperatorij collationem: quam ab ipſomet Leone Pontifice factam apertis verbis teſtantur tum Abbas Urſpergenſis *in Chronico ad annum 796.* dicens; hunc Papam feciſſe Carolum Imperatorem: tum Lupoldus Bambergenſis *in proœmio libri de juribus Imperij.* aſſeverans: *Translationem Imperij de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, eſſe factam per ſacroſanctam Eccleſiam.* Tum Spondanus Gallus non tantùm referens, ſed approbans, quæ Baronius de hac translatione ſcripſerat (uti patet ex Appendice minuſculis ſcriptâ) ſic locutus: *Non tantùm Eginhardus, aut Anaſtaſius de collata per Romanum Pontificem dignitate Carolo Magno, ſunt teſtes, ſed fatentur id ipſum Latini omnes, & Græci Authores.* Niſi ergo in ſenſum ſibi (uti viſum eſt) haud cohærentem, torqueantur Authorum ejuſmodi verba, prorſus dicendum eſt, juris Imperatorij à Græcis in Occidente abdicationem, & in Carolum Francorum Regem translationem, niti authoritate Romani Pontificis. 36.

Verùm pro *ſecundo* videamus, quid energiæ contineatur in Lupoldi Bambergenſis (cujus tamen mentem jam *ſupra* manifeſtam feceramus) Mariani Scoti, Blondi Flaccij, Æneæ Sylvij, Philippi Bergomatis, & aliorum Authorum verbis aſſeverantium: *Leonem Pontificem coronâſſe, ſeu declarâſſe, ſeu nominâſſe Carolum Imperatorem precibus, conſenſu, votis, ſcito & acclamationibus populi Romani?* Iſta namque verba conſenſûs, ſciti, & voti æquivoca ſunt, ut ſonare poſſint vel ſubjectionis, vel ſuperioritatis conſenſum, ſeu ſcitum & votum. Num verò in Romano populo pro illis temporibus fingere licet jus ſuperioritatis, ad titulum Imperatorium authoritativè decernendum & conferendum, quando adhuc extiterat in Græcis Imperatoribus, ut ipſi etiam Romani eapropter (uti *ſuperiùs* oſtenſum fuit) illis pendere deberent annuum vectigal, Imperatoriæ erga ſe ſuperioritatis manifeſtè recognoſcitivum? Ex altioris igitur præeminentiæ jure poterat unicè 37.

factum esse, ut istud Græcorum Imperatorum jus supremum ipsis adimeretur, & in alium transferretur, indeque populus Romanus non jam superioritatis, sed debitæ erga Carolum à Leone Pontifice coronatum Imperatorem subjectionis, seu reverentialis approbationis, non verò collationis authoritativæ consensum, scitum, & votum acclamationibus suis contestaretur.

38. Audi, hâc super re, quid eapropter fuerit actitatum inter Basilium Macedonem, Orientis Imperatorem, & Ludovicum II. Caroli Magni Pronepotem. Nempe ille Orientis Imperator ad dictum Occidentis Imperatorem dederat litteras, quibus cum præfato Ludovico acriter conquestus est: *quòd dignitatem, & nomen Imperatoris & Basileï usurparet; unum tantùm Imperatorem esse, qui Orienti, & Occidenti imperet: rogavitq, hoc nomine deinceps abstineret, sibi, nec alys debito.* At Ludovicus Conitantinopolim misso Legato Autprando cum litteris à Baronio *ad annum 971.* recitatis, inter alia scribebat in hunc modum: *Et ipsi patrui nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitant, attendentes ad unctionem, & sacrationem, quâ per Summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen evecti.* Quid ni ergo Ludovicus jus belli, vel electionis, & collationis authoritativæ à populo, Senatuque Romano in se factæ prætendisset, si isti tituli de jure fuissent eidem suffragati? At de his omninò tacet, solamque Pontificis Summi authoritatem prætexit.

39. Pergit proinde Ludovicus ita compellere Basilium: *Præterea mirari se dilecta tua fraternitas significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur, sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum, à Romanis enim* (non qua Collatoribus Imperatoriæ dignitatis, sed qua huic subjectis, uti *ex antecedentibus* patet, & adhuc constabit ex earundem litterarum contextu) *hoc nomen & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & Vrbem Divinitus gubernandam* (en subjectionis clarum argumentum hic suggestum) *& matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua vel regnandi priùs* (operâ scilicet Zachariæ Pontificis à Childerico Regnum Francicum in Pipinum transferentis) *& postmodùm imperandi authoritatem* (mediante adeò Summo sanctæ Ecclesiæ Pontifice) *prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt &c. præsertim cùm tales sæpe ad Imperium sunt asciti, qui nullâ Divinâ operatione per Pontificum ministerium propositi, solùm à Senatu, & populo Imperatoriâ dignitate potiti sunt: nonnulli verò non sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in Imperio stabiliti, aut alio modo ad Imperij Romani sceptra promoti sunt.* Quid ni meritò hic sistamus, expendendo diversos Imperatoriæ dignitatis collationis modos eatenus discerni, ut, qui supremi hujus juris titulus accrevit itiri. pi Caroli Magni, non reducatur in populum Romanum, sed in Summum, duntaxat Ecclesiæ sanctæ Pontificem? Unde pergit Ludovicus *in dicta sua epistola* ita scribere: *Porrò, si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit, calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse unxerat, Davidem Regem inungere non renuerit. Sed interim, si paginas revolvas Græcorum Annalium, & si, quæ à Vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò invenies, unde illos justè non valeas redarguere: unde meritò apostatis desertis, adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructum facienti.* Ex quo adeò solidissimo ejus Occidentalis Imperatoris fundamento jam elucet summæ æquitatis ratio, per quam Leo Pontifex Imperium a Græcis ademptum, transtulerit in Caroli Magni personam, ac prosapiam.

Quod adeò Pontificiæ supra Regum & Im- 40.
peratorum jura, quâ *moralitate* in Regnum cælorum vel ordinabili, vel deordinabili supervestita, protensæ authoritatis fundamentum a Ludovico Imperatore *supra* insinuatum, pro *tertio* videre licet accuratiùs deductum *præced. 2. cap. §. 4. n. 8. & §. 5. n. 7.* Cujus summa ad hoc reducitur principium, ut, quia jus Imperij Christiano homini appropriatum, exsui ad regnum cælorum ordinabilitate computari debet inter illa *Quæcunque super terram Moralia*, ligandi & solvendi potestati Pontificiæ concredita, secundùm quod publica Ecclesiæ, ceu militantis cælorum Regni necessitas exigit; consequenter Leo III. ex sui pastoralis muneris authoritate, virgâque coercitivâ, Græcos Imperatores hæreticos, Ecclesiæ sanctæ, ejusque Orthodoxæ Religioni infensos, legitimè spoliârit jure Occidentalis Imperij, atque hoc transtulerit in Carolum Magnum, ejusque prosapiam, de quibus spes esset, faciendi fructus ejus regni cælorum, nempe militantis Ecclesiæ.

Neque jam locus esse potest *tertiæ* Ellie- 41.
sianæ exceptioni ex eo petitæ, *quòd Caroli Magni per Leonem III. facta coronatio fuerit nuda quædam cæremonia.* Etenim cùm ista cæremonia, si fiat per Episcopum aliquem (cui non est jus conferendi seu Regalis, seu Imperatorij juris) præsupponat, hoc alio legitimo titulo jam collatum esse, semper redibit quæstio; *Penes quem fuerit potestas authoritativa, Occidentis Imperium à Græcis adimendi, & in Carolum Magnum, ejusque prosapiam transferendi?* At ipsemet Elliesius in hâc ultimâ exceptione suâ fatetur, supremam Urbis potestatem non penes populum eo tempore subtitisse, sed penes Patritium & Imperatorem. Quia proinde Carolus Francorum Rex, juxta hiitoriam *in antecedentibus* allatam, erat à Pontifice Romano denominatus Patritius, num ipsi Carolo ex tunc fas fuisset, se ipsum declarare Romanorum Imperatorem? At hoc Carolus sibi haudquaquàm arrogabat, sed ipso Elliesio adhuc fatente, respectum debebat habere erga Imperatorem, penes quem existeret suprema Urbis potestas. Quis verò alius ante Caroli coronationem reputabatur Imperator, quàm Græcus? Quomodò igitur Romano populo fas esse potuisset, ut Imperatorem Græcum exauthoraret, dum ne quidem penes Carolum subtiterat pro tunc legitimus titulus ad illum jure belli exauthorandum? Nulla ergo superites apparet potestas politica, Imperatoriâ Græcorum dignitate superior, quæ hanc exauthorare valeret, sed unica Apo-

stolica

stolica in Romano Pontifice supererat authoritas, quæ, uti *locis præinsinuatis* probatum est, suâ super *Quocunque Morali solvendo & ligando*, protensâ potestate, uti etiam per Ecclesiæ virgam tum correctoriam, tum coercitivam tali *indefinitæ Cujusque Moralis solvendi* authoritati conjunctam, facere prævaluerit solutionem Imperatoriæ, intrà Occidentem dignitatis, in Græcis peremptoriam, ex causis gravissimorum discriminum Ecclesiæ sanctæ ab ipsis imminentium, de quibus avertendis unica supererat spes ex Carolo Francorum Rege, aliàs de Ecclesia optimè merito, ejusque deinceps Regali prosapiâ; uti eleganter insinuabant præallegatæ Ludovici Imperatoris erga Basilium Orientis Imperatorem litteræ, ipsomet etiam Ellieso, *ubi supra* fatente, ubi res etiam temporalis est conjuncta cum peccato, tunc ratione peccati, subesse Notioni Ecclesiasticæ, quam ipsi tamen nefas fuit, coarctare infra sphæram à Christo constitutam super *Quocunque in terris, Morali*, pro meritis causæ vel *solvendo, vel ligando*.

ARGUMENTUM II.

Petitum ex septem Imperatoris Electorum institutione factâ per Romanum Pontificem.

42. EX Bellarmino sequens pro instituto præsenti inducitur argumentatio. Nempe *octavum* Pontificiæ supra Imperatoriâ dignitate potestatis exemplum est Gregorij V. qui sanctionem edidit de Imperatore per septem Germaniæ Principes eligendo. Quod ita esse, probatur per Blondum *Decade 1. lib. 3.* Nauclerum *Generat. 34. in vita Gregorij V.* aliosque multos Historicos, Magdeburgensibus id etiam asserentibus. In hujus argumenti confirmationem adfertur Innocentij III. constitutio *in Cap. Venerabilem. De elect.* relata, ita se habens: *Verùm illis Principibus & jus, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de Iure, & antiquâ consuetudine noscitur pervenire, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit in personâ magnifica Caroli, qui à Græcis transtulit Imperium in Germanos.* Adducitur in hunc quoque finem Clementina *Romani Principes. De jurejurando.* edita in Concilio Viennensi sub his verbis: *Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes sancitum est jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum.*

Exceptio Ellieſij.

43. EXcipit hic Author I. Illum Canonem *Venerabilem*, non posse intelligi de Imperij Electoribus, eo saltem modo, quo Canonem illum exponit Jordanes *in Chronico* docens, à Carolo Magno de consensu & mandato Romani Pontificis præceptum esse: *Vt Imperium Romanorum apud electionem Canonicam Principum Germaniæ in perpetuum remaneret.* Etenim hanc opinionem, si intelligatur de septem Electoribus, defendi non posse, cùm constet, hos diu post Carolum Magnum fuisse institutos. Deinde etsi de Principibus Germanis omnibus id intelligatur, tam falsum esse, *eam potestatem eligendi Imperatorem, ipsis esse à Pontifice collatam*, quàm falsum est, ejus solius authoritate esse Imperium translatum ad Germanos. Ut enim jus electionis Imperatoris Sedes Apostolica in Germanos Principes transtulisset, priùs debuisse illud habere. Inauditum verò esse, quòd Romanus Pontifex solus ullum unquam Imperatorem elegisset. Nec verò quemquam movere debere judicium Innocentij, utpote in sua causa loquentis. Quòd si tamen quis nollet prorsus reijcere, posse explicari, quasi diceretur: jus istud à Romano Pontifice in Germanos esse translatum nomine totius Romanæ Civitatis, quæ istud jus habebat. Certum namque esse, quòd ante Carolum non Germanorum Principum, sed Romanæ Civitatis fuerit, creare Imperatorem. Post Carolum verò Principes Francos & Germanos in electione præcipuas partes habuisse, hoc autem fieri non potuisse sinè Romanæ Civitatis consensu, ejusque Episcopi, qui, cùm primus Princeps illius esset, eam in illis negotijs repræsentâsse.

Hinc, quando in Clementina *Romani Principes. De jurejurando.* inducitur Concilium Viennense asseruisse: *Quòd Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulerit in Germanos, & ab eodem ab certos eorum Principes derivatum sit jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postea promovendum*: debere hoc eatenus accipi, quatenus id Romanæ Ecclesiæ, non solius adeò Pontificis consilio, authoritate, & suffragio factum sit. Quòd si verò illud Concilij Viennensis dictum cuipiam videatur aliquid amplius asserere, respondendum fore, quod de professo decretum & determinatum est à Concilio, non autem illud, quod narrando dictis inseritur, cujusmodi esse præadducta *illius Clementinæ* verba: præcipuè cùm ejus Concilij decreta à Pontifice Clemente V. sint concinnata, non ab ipso Generali Concilio emissa. 44.

Secundò excipit Ellieſius. Incertum esse, 45.
quando, quomodò, & à quo septem Electores in Imperio fuerint instituti. Esse namque Scriptores, ut Jordanem *præcitatum*, qui hanc Electorum institutionem tribuant Carolo Magno. Sed hanc opinionem ab omnibus haberi falsam, cùm successores Caroli non à certis Germaniæ, sed ab omnibus Franciæ Principibus electi fuerint. Alios Historiographos ejus institutionis Authores asserere Principes Germaniæ: alijs econtra, veluti Blondo, Nauclero, Platinâ eam tribuentibus Gregorio V. Alijs porrò, nempe Aventino & Onuphrio eandem Gregorio X. adscribentibus, probando etiam, septem Electores non ante fata Friderici fuisse institutos. Nonnullis insuper arbitrantibus, illam institutionem partim Gregorio V. partim Othoni III. partim Principibus Germaniæ tribuendam esse, quia cùm hos omnes diverso modo ea institutio tangat, ab omnibus approbari debuisse.

Baronio

Baronio tandem primam septem Electorum institutionem attribuente Innocentio IV. unà & Generali Lugdunensi Concilio: quamquàm in hoc alij recenseantur septem Electores, quàm nunc sint, & olim fuerint: hi enim sunt *Moguntiensis, Trevirensis, Colonienſis, Palatinus, Saxo, Brandeburgensis, & Bohemus*: cùm econtra, qui à Concilio Lugdunensi recensentur, hi sint: *Duces Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ, ac Episcopi Colonienſis, Moguntinensis, & Salisburgensis.* Ad cujus adeò incertitudinis tenebras dispellendas, oportere, utc onsideretur, ad quos Imperatoris electio diversimodè pertinuerit. Ante translationem namque Imperij hanc spectâsse ad Senatum, populumque Romanum: quamvis plerumque exercitus elegerit Imperatores, qui tamen Senatûs, ac populi consensu retinebat Imperium. Verùm post Imperij translationem, Carolum Magnum (veluti à se probatum sit) ab universo populo Romano, Authore Pontifice, electum esse Imperatorem. Cujus successores Imperium jure hæreditatis, tum etiam ex prævia Principum, ac Procerum Imperij electione, sibi vendicâsse.

46. Ultimum è Caroli Magni sanguine Imperatorem fuisse Ludovicum III. Arnulphi filium, qui prole carens, à Berengario Veronæ victus, vitam & Imperium amisit. Hinc Imperium ruere cœpisse, dum Itali ac Romani pro Imperatoribus ac Regibus agnoscebant victores: ex alia verò parte Franci, & Germani Principes Imperatorem agnoverant Conradum, à Carolinâ stirpe Germaniæ Regem, qui morti proximus, teste Nauclero *generat. 31. anno 937.* persuasit Principibus, ut Henricum Thuringiæ, & Saxoniæ Ducem in Regem ei successorem eligerent, qui tamen duo Imperatoris titulum non habuerunt. Posthæc Othonem ab omni populo Francorum & Saxonum, eodem Nauclero attestante, electum, Italiâ recuperatâ, Imperatoris nomen ac dignitatem consensu populi Romani accepisse, & à Pontifice Romæ inunctum esse. Qui verò deinceps istis successêre, plerumque hæreditatis jure ab universis pariter Germaniæ Principibus electos dici: donec ad vitandam confusionem, ac divisionem, cæteri Principes septem Electoribus sua jura cesserunt: neque enim potuisset Pontifex istud eligendi jus authoritate suâ quibusdam Principibus adimere, quippe cùm jure naturali in Regno electivo electio pertineat ad universum populum, sed ad vitandas turbas introductum sit, ut præcipui Proceres ex consensu populi cæteros cives repræsentantes, Regem, aut Imperatorem eligant: neque verò dubium sit, quin possint sibi invicem jus suum cedere, & electionem paucis tantùm committere: at Pontificem Romanum id sine eorum consensu facere posse, absurdum prorsus videri.

47. *Tertiò* proinde pergit Elliesius. Videri sibi verisimile, quòd Otho III. cæterorum Imperij Procerum adhibito consensu, & fortè Gregorij V. authoritate adjectâ, numerum Electorum septenarium constituerit: cùm enim ejus Imperator liberis careret, & periculum esset, ne divisiones ob Electorum multitudinem orirentur, huic malo obviam ire volentem, remedio isto usum esse, sperando ab omnibus Principibus, id probatum iri: quamquàm ex historia constet, id non statim obtinuisse, Principibus ordinarijs Electoribus non omninò consentientibus, & juri suo cedere nolentibus: nam quemadmodùm Henricus Othonis successor non à septem Electoribus, sed à Principibus Germaniæ electus dicitur, sic extant plura exempla posteriorum Imperatorum eodem modo electorum. Ita conciliari invicem illos, qui dicunt, institutionem septem Electorum sub Othone III. factam, & qui dicunt, eam non ante Gregorium X. aut Innocentium IV. obtinuisse: istos enim loqui de usu, illos de instituto. Quòd enim solus Imperator, aut Pontifex suâ authoritate absque consensu cæterorum Principum id non fecerit, probari tum ex eo, quòd facere non potuerit, tum ex Scriptorum benè multorum testimonijs, speciatim Chronici veteris, cujus Authorem dicunt nonnulli Albertum Stadensem *ad annum 1240.* Augustini Triumphi *lib. de potestate Ecclesiæ q. 35. a. 2.* Leopoldi *de jure Imperij cap. 5.* Naucleri *generat. 34. anno 994.* ex quibus habetur, quæ fuerint Pontificis, Imperatoris & Principum hoc in negotio partes: dum nempe Imperator septem Electores delegit ex consilio Principum, cæteri autem Principes consenserunt, ac juri suo cesserunt: Pontifex verò constitutionem Imperatoriam ex consensu Principum factam probavit, & *retulit*, non (uti Bellarminus legit) *tulit.* Ad quam adeò Electorum institutionem suo modo concurrisse Gregorij V. tanquam unius Pontificis Romani consensum, utpote qui juxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem, interesse haberet, eapropter, teste Nauclero, decernens: *Ut electus Romanorum Rex tum demum Augustus, & Imperator haberetur, cùm à Romano Pontifice benedictione promissâ coronaretur.*

Refutatio istarum Exceptionum.

PRimò itaque Innocentius III. in Canone *Venerabilem. De electione.* suæ sanctionis sequens statuit fundamentum, quòd nempe *recognoscat, jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem posteà promovendum, competere Principibus, ad quos de jure & consuetudine noscitur pertinere, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos.* Ex quo adeò fundamento fit consequens, quod mox subjungit Pontifex, quòd hinc *utique & recognoscere debeant, & utique recognoscant, sicuti in præsentia sua recognovêre* (Germaniæ Principes) *jus, & authoritatem examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, spectare* ad se, ceu Papam, *qui eum inungit, consecrat, & coronat &c.* Ex quibus adeò verbis dilucidè constat, immeritò inde deduci opinionem illam, quæ septem Electorum in Imperio institutionem reducit in tempora Caroli Magni, quamquàm hujus institutionis in Romanum 48.

Pontificem reducendæ, radix & fundamentum ex ea Canonica sanctione habeatur, quatenus æquitati prorsus consentaneum, ipsaque naturalis luminis evidentiâ conspicuum est, *quòd in eum, qui Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos*, reduci meritò debeat institutio ac designatio Principum, quibus jus & potestas sit, eligendi Regem, posteà à Sede Apostolica promovendum in Imperatorem, quippe cùm jus Occidentalis Imperij, extinctâ Carolinâ prosapiâ, cui ex hæreditaria successione erat annexum, non potuerit non regredi ad illum, qui hoc à Græcis ademptum, non ulteriùs, quàm in masculinæ Carolinæ stirpis Reges unicè collocaverat.

49. Et hinc facilè eliduntur eæ Ellieſianæ exprobrationes, quibus opponit: *Vt jus electionis Imperatoris Sedes Apostolica in Germanos Principes transtulisset, oportuisse, quòd priùs id habuisset.* Constat namque *ex præcedentibus*, ex eo tempore sanctæ Sedi quæsitum esse hoc jus, quando Græcis illud ademit, & quia non ultra Carolinam stirpem, id primitus fecit hæreditarium, hâc prosapiâ extinctâ, secundùm ipsam rei evidentiam, necessariò redijsse ad eandem sanctam Sedem, non Romanæ Civitatis, uti *antecedenter* fuit ostensum, nomine, sed Apostolicæ authoritatis jure, id Græcis adimentem, & transferentem in Caroli Magni prosapiam.

50. Ne porrò Ellieſius præsumat, Innocentio IV. per summam impudentiam *tacitè* objicere, ac si in causâ propria locutus, minùs videretur fide dignus, audire lubeat Concilij quoque Viennensis constitutionem *in Clementina unic. De jurejurando.* relatam, cujus, operæpretium est, ad partis adversæ cavillationes evidentiùs reprimendas, integrum tenorem hîc proferre: *Romani*, inquit, *Principes Orthodoxæ fidei professores, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus Caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem, ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ*, quæ à Græcis Imperium transtulit ad Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum pervenit, *astringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquæ temporibus novissimis renovatæ, quàm forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus, manifestant.* Adversùs hanc igitur Concilij Generalis in Gallia celebrati sanctionem si repugnare contendas, mi Ellieſi, quid nisi maledictionem illam in caput tuum accersis, quam Christus *Matth. 18.* protulit adversùs illos, qui Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam non audierint? Num verò fas tibi erit excipere, ac si Concilij illius decreta à Clemente V. concinnata, non sint emissa à Generali Synodo? Quæ enim alia Concilij norma, nisi ut ejusdem sanctionum authoritas subsistere debeat ex Nomine Christi, adeoque Vicaria hujus potestate, Romano Pontifici inexistente, sicque ultimatum hujusmodi sanctionibus ex Concilij simul & Pontificis consensu comprobatis robur impertiente, ac deinceps communi authoritatis Oecumenicæ nomine promulgante? Quî verò prætexendo, in Concilio illud tantummodò vim habere, quod ex professo ibi decretum ac determinatum est, ab ista authoritativâ Concilij vi excludere ausis id, quod pro fundamento decreti Conciliaris adstruitur ex professo; quemadmodùm res ita se habet in præadductæ Synodalis sanctionis conclusione, quòd nempe innitatur ipsissimo illi fundamento, in vi cujus ibi disertè asseritur, Imperium à Græcis in Germanos translatum, sicque jus Imperatorem eligendi ad certos Germaniæ Principes derivatum fuisse ex Sedis Apostolicæ authoritate Oecumenicâ.

Hinc pro *secundò* non multum hîc immo- 51
ror, quòd alibi jam fusè præstiti in indagando tempore, *quando, & à quonam Pontifice septem Electorum institutio facta sit?* Dum enim substantia rei hujus adeò aperta est, quòd reducenda sit in Sedis Apostolicæ authoritatem, quid interest nostri instituti, multis indagare velle ejus circumstantias particulares. Ad hujus itaque negotij expeditionem, sufficiat nobis, quòd Ellieſius haud obscurè dicat, non nisi usque ad Imperij ad Græcos translationem, jus constituendi Imperatorem, fuisse vel penes populum, ac Senatum Romanum, vel ejus militarem exercitum. Ubi ergo dignitatis Imperatoriæ in Græciam translatæ collatio fuit adempta populo Romano, annui etiam vectigalis solutione suam erga Græcos Imperatores subjectionem antehac profiteri compulso, quomodò in hujus poteratesse potestate, ut eam, exclusis Græcis, ad se retraheret? Et quia neque Carolus Magnus Francorum Rex, jure belli multis quidem Italiæ Principatibus sibi comparatis, ullatenus dici potest, à Græcis vindicâsse sibi Imperium, quis alius, nisi Romanus Pontifex, ex altiori Vicariatûs Christi authoritate, valuit, Imperium Occidentis, Græcis hæreticis justè ademptum, transferre in Caroli Magni prosapiam, atque hâc exspirante, in Germaniam, unà cum jure eligendi hujus Principibus concesso?

Hoc non parum firmat ipsissimum illud, 52
quod affirmat Ellieſius, nempe extinctâ Carolinâ stirpe, ruisse Imperium, nec priùs cœpisse quemquam Germaniæ Principem, licèt electũ in Regem, potiri Imperatoris titulo, quàm ubi Otho primus à Summo Pontifice in Imperatorem coronatus fuit. Caſatur equidem Ellieſius: *Cùm jure naturali in Regno electivo potestas eligendi pertineat ad universum populum, ad turbas autem devitandas, in Germania sit introductum, ut præcipui Proceres ex consensu populi, cæteros cives repræsentantes, faciant Regis, aut Imperatoris coronationem.* Attamen ex hoc ipso Ellieſij effato se offert mihi occasio, scilicitandi; an igitur fateri tandem compulsus fuerit, Regiæ ac Imperatoriæ dignitatis ad hanc seu prosapiam, seu individuum applicationem non esse juris *Divini*, sed *humani*, sicque *moralitatis* in regnum cælorum ordinabili, seu deordinabili subjectam, subesse Oecumenicæ ad *Quodcunque*

Mora-

Morale in terris seu solvendum, seu ligandum Divinitus constitutæ potestati?

53. Quo iterum, iterumque jam præsuppositio, videamus pro *tertio*, quantum momenti sit in *tertia* Ellieſij exceptione, vim in hoc facientis; *Quòd neque solus Pontifex, neque solus Imperator absque concursu Principum, ac Statuum Imperij, potuisset jus eligendi Regem & Imperatorem de jure quasi naturali eisdem competens, certis duntaxat Principibus appropriare?* Optarem, ut Ellieſius in Innocentij III. constitutione *Venerabilem. 34. De electione.* & *Clementinâ* in Concilio Generali editâ *sanctione unicâ. De jurejurando.* attentè obſervâſſet, quàm circumſpectè iſti Pontifices, unà cum præfatâ Oecumenicâ Synodo loquantur, jus eligendi *Regem*, non verò *Imperatorem*, attribuentes Germaniæ Principibus, ſubijciendo, ex tunc Regem ſic electum, in Imperatorem poſteà promovendum, reſervari judicio ac examini Summi Pontificis. Quæ diſtinctio valde circumſpecta, ipſomet Ellieſio fatente, poſt extinctam Caroli Magni proſapiam, in praxi etiam fuit in tantum obſervata, ut duo intrà Germaniam electi Reges haudquaquàm potirentur titulo Imperatorio, quoúſque ad hunc à Sede Apoſtolica poſtmodùm admiſſus, & coronatus fuerat Otho primus. Quare ea Ellieſij argumentatio ex jure quaſi naturali evincit quidem, penes Germanos potuiſſe ſubſiſtere jus eligendi Regem, dum tamen intentio ſemper erat, & erit, non alterum præficiendi, niſi qui promovendus poſtmodùm eſſet in Imperatorem, quæ promotio ex *præcitatis* Canonicis, & Conciliaribus ſanctionibus ſtabat penes Romanum Pontificem, idcircò ex præjactis fundamentis jam planum redditur, ſi jus Regium in Germania diſcernatur à jure Imperatorio, omnimodam circa hoc ex tempore Imperij à Græcis adempti, & in Carolum Magnum translati, in ejuſque tandem proſapia extincti diſpoſitionem, ita ediſſe ad poteſtatem Pontificiam, ut conſequenter jus etiam eligendi, non præcise Regem Germanorum, ſed quà promovendum in Imperatorem, reinciderit ad Sedis Apoſtolicæ authoritatem.

54. Quibus taliter conſtitutis, non omninò improbo, quas Pontificis, Imperatoris, & Principum *in negotio electionis, ſeu Regis, ſeu Imperatoris*, functiones diſcernit Ellieſius, dum Imperator quidem ex conſilio Principum delegiſſe potuiſſet certos, Regis Germaniæ Electores, ubi tamen cæteri Principes ſuo ad Regem ſibi, ſubditiſque ſuis præficiendum juri ceſſiſſent, attamen, quia ſub hac eligendi normâ non erat intentio, ſiſtendi in conſtituendo Germaniæ, ſeu etiam Italiæ Rege, ſed Imperatoriam dignitatem in natione ſuâ conſervandi & propagandi, idcircò ea Imperatoria, & Imperij Principum conſtitutio ita fuerat confirmanda à Sede Apoſtolica, ut ſub hac ipsâ confirmatione ſuâ, Romanus Pontifex ſuper Rege, qua in Imperatorem Romanorum poſteà promovendo, debuerit *ſpecificè* ſuam Apoſtolicam impertire authoritatem, eo ipſo, quòd per hanc Imperium à Græcis ademptum, & in Caroli Magni proſapiam, non ulteriùs translatum, ſub *ſpecifico*, Regem poſteà in Imperatorem promovendum, eligendi jure, non aliter potuerit eſſe propagatum, niſi ex indulto ejuſdem Sedis Apoſtolicæ.

§. III.

Quantum momenti ſit in argumentis, ad Papæ ſupra Reges poteſtatem probandam, peti ſolitis ex Gregorij VII. in Concilio Romano adversùs Henricum IV. Alexandri III. in Concilio Lateranenſi adversùs Fridericum I. nec non Innocentij IV. in Concilio Lugdunenſi adversùs Fridericum II. editis ſententijs?

55. DEinceps cum Ellieſio congrediar inducendo exempla, quæ in via *Facti* negare non audet, ſed in via *Iuris* contendit, abſque legitimâ authoritate, ſeu causâ juſtâ eſſe facta, quantumvis una cum Pontifice, Concilia ſubinde etiam Oecumenica dignoſcantur in eis interveniſſe. Quæ ratio eſt, quòd prætermittam Ludovici Pij, & Lotharij exauthorationes, quarum priorem nonnulli dicunt factam à Concilio Compendionenſi abſque Romani Pontificis authoritate; de poſteriori autem ſcribit Nithardus *lib. 4. tom. 7. Concil. col. 1177. & 1788.* nihil aliud actitatum eſſe in Concilio Aquiſgranenſi, niſi quòd Epiſcopi fuerint in conſilium adhibiti, num liceret ſibi, partem Francici Regni à Lothario relictam regere? Cenſuerintque, id ab ipſis tutâ conſcientiâ fieri poſſe. Quare rem hanc ab Ellieſio *à pag. 524. & ſeqq.* fuſiùs diſcuſſam, relinquo in ſuſpenſo.

ARGUMENTUM I.

Deſumptum ab exemplo Henrici IV. Imperatoris à Gregorio VII. depoſiti.

56. DE hac Gregorij VII. exauthoratione ſic loquitur Author *tract. de libert. Gallic. Eccleſ. lib. 4. cap. 5.* Nempe in Concilio Romano III. ſub Gregorio VII. *Anno 1076.* ſententia depoſitionis contra Henricum IV. Germaniæ Regem pronuntiata fuit, atque ejus ſubditi à juramento fidelitatis abſoluti, rurſuſque in Concilio Romano VII. *Anno 1080.* depoſitio & abſolutio confirmatæ ſunt. *ex pag. 72. n. 1.*

Exceptio Ellieſij.

57. HIc Author *præs. pag. 536.* ſuis contra hanc Imperatoris depoſitionem exceptionibus præmittit *primò* ſequentem rei enarrationem hiſtoricam. Nempe inter Gregorium VII. & Henricum IV. diſſidij cauſa ferebatur, quòd is Epiſcopos & Abbates partim pretio, partim privatâ authoritate, quod inveſtituram vocant, conſtitueret. Hâc de causâ initio Pontificatûs Gregorius eum admonuit, ne deinceps largitione corruptus, Epiſcopatus, & beneficia conferret, alioquin ſe in delinquentes pœnis Eccleſiaſticis uſurum. Sed diſcordia non erupit

pit ante annum 1076. quo Gregorius & Henricus sese mutuò damnationibus appetivêre. Imperator enim Legatione Pontificis (quam Ellieſius ſuperbam vocitat) exaſperatus, Concilium Wormatiæ indixit, in quo Gregorius variorum flagitiorum accuſatus, depoſitus eſt, miſſaque Romam Legatio cum contumelioſis litteris, quibus denuntiabatur, ut ſe Epiſcopatu abdicaret.

58. Econtra verò Gregorius habitâ Romæ Synodo, Epiſcopos hujus ſententiæ authores excommunicat, ipſique Henrico Regnum Teutonum & Italiæ abrogat, omneſque Chriſtianos à vinculo juramenti abſolvit. Hinc varia actitata, quouſque Saxonibus bellum contra Henricum parantibus, Principes Allemaniæ veriti, ne Regno ſpoliarentur, authores Henrico fuerunt, ut cum Gregorio reconciliaretur, quod Canoſſæ intrâ Agrum Regienſem ſitæ factum fuit, Henrico veniam petente, quam *primùm* denegatam, ipſi tandem conceſſiſſe Pontificem, ait Ellieſius mox ſubijciens: Gregorium nihilominùs, quia inclementiâ ſuâ irritatum Cæſaris animum cernebat, clam Rudolphum Ducem Saxoniæ ad Imperium capeſſendum ſollicitâſſe: eumque à Saxonibus electum, Henrico moviſſe bellum. Hinc Gregorius in Concilio Romano *anno 1080.* latam in Henricum ſententiam renovat, Imperiumque confirmat Rudolpho, qui tamen eodem anno prælio commiſſo, eſt occiſus, inutili penes ſuos relictâ victoriâ. Interim novemdecim Epiſcopi Moguntiæ, ac poſteà triginta Brixiæ congregati, Gregorium deponunt, & Guibertum Ravennatem Epiſcopum, dictum Clementem VI. in ejus locum eligunt, quem Imperator cum exercitu Romam veniens, expulſo Gregorio, in Sede Epiſcopali collocavit, & ab eo coronam Imperatoriam accepit.

59. Exinde fœderati Principes Hermanno Lotharingo Regnum deferunt *anno 1082.* qui annis poſt ſeptem extinctus eſt, dum triennio ante, ſcilicet anno 1085. mortuus fuerat Gregorius cui ſucceſſit Victor III. vitâ functus anno 1088; in ſucceſſorem à Cardinalibus delecto Othone Oſtienſi, dicto Urbano II. qui ſententiam in Henricum & Guibertum à Gregorio latam confirmavit, ſed variè vexatus, Romæ mortuus eſt, eique anno 1099. ſucceſſit Paſchalis, adverſùs Guibertum bellum gerens, Guiberto paulò poſt anno 1100. è vivis abeunte: neque tamen ejus morte factionum ſtudia reſciſſa ſunt, Richardo, qui Guiberto faverat, ei ſufficiente Albertum quendam Atellanum, atque poſt hunc Maginulpho apud Ravennam uſurpante Pontificatûs titulum. Nec minùs Imperiũ, quàm Pontificatus prædæ tunc erat, dum adverſùs Henricum Pontifices excitaverunt ejus filium Conradum, & eo mortuo, filium alterum Henricum, à quo pater Imperio ſpoliatus, captus, & in cuſtodiam conjectus eſt, profugus demum anno 1106. decedens. Cui enarrationi poſt aliorum quoque Imperatorum de Inveſtituris varia proximè recenſenda acta, Ellieſius ſubnectit ſequentia, ea nimirum, quæ tum à Pontificibus, tum à Romanis Imperatoribus ejus diſſidij tempore ſunt attentata, aitque, in exemplum trahi minimè poſſe, cùm utrinque multa, præter jura, ac præter æquitatem omnem, crudeliter, & impiè fuerint geſta.

Secundò proinde pergit Ellieſius ulteriorem de Inveſtituris enarrationem ita retexere. Violentiam, inquiens, Henrici IV. in Romanos Pontifices, non imitatus eſt modò, ſed & ſuperavit Henricus V. qui veniens in Italiam, à Paſchali per vim extorſit jura Inveſtiturarum, de quibus tantum erat certamen exortum, & ab eodem ritu ſolito Imperator inauguratus eſt. Sed quamprimùm ille Italiâ diſceſſit, hæc omnia irrita decrevit Paſchalis in Concilio Lateranenſi, anno 1112. Indeque in Concilio Viennenſi, Inveſtituram Epiſcopatuum hæreſim eſſe, declaratum eſt. Sed Gelaſio II. Paſchalis ſucceſſore, Romam rediit Henricus, ut ab eo confirmationem eorum, quæ à Paſchali II. ſibi conceſſa fuerant, extorqueret: ſed cùm ille Româ aufugiſſet, Burdinum, Gregorium VIII. à nonnullis appellatum, Bracarenſem Archiepiſcopum, Antipapam conſtituit. Poſt diſceſſum Henrici Gelaſius Romam rediit: ſed excommunicato Henrico, & Burdino, iterum exulare compulſus, paulò poſt obijt; cui ſucceſſit Calixtus II. ſub quo pax inter Pontificem & Imperatorem inita eſt, ac controverſia de Inveſtituris anno 1122. amicè terminata in Conventu Wormatienſi, in quo Imperator Inveſtituram per annulum & baculum remiſit Canonicamque electionem, & liberam conſecrationem permiſit, ſed ex alia parte Pontifex Imperatori conceſſit, ut electiones Epiſcoporum & Abbatum Regni Teutonici, coram ipſo fierent abſque ſimonia & violentia, electus autem Regalia per ſceptrum acciperet. 60.

Quò jam retrahere, viſum eſt operæpretium, quas Ellieſius deplorat ex illis Pontificem inter, ac Imperatorem controverſijs obortas calamitates. Quot & quantæ, inquiens, Deus bone! ex Inveſtiturarum controverſiâ, & temerariâ Gregorij VII. ſententiâ fluxerunt in Imperio ſeditiones, cædes, rebelliones, bella, parricidia; in Eccleſia mutuæ Epiſcoporum proſcriptiones, Concilia ſibi invicem oppoſita, ſpoliata templa, violatæ aræ, dejecti Pontifices, alij in eorum locum ſuffecti: de Romano Epiſcopatu vi & armis decertatum, longo ac diro ſchiſmate Eccleſia vexata, uno verbo omnia ſive in Imperio, ſive in Eccleſia ſuſque deque verſa. 61.

Hinc *tertiò* pergit Ellieſius in Gregorium VII. invehi. Quamquàm varia, inquiens, fuerint pro varijs affectibus Scriptorum de hoc diſſidio judicia, nihilominùs tamen omnes Gregorij de Imperatore deponendo conatum, novum & antehac inauditum fuiſſe, agnoverunt, & ex his non pauci crudelitatis & ambitionis arguunt Gregorium, ante Pontificatûs adeptionem de tyrannica crudelitate jam notatum à Petro Damiano *Epiſt. 10. lib. 1.* Leone quoque Oſtienſi *lib. 3. cap. 24.* vocante eum elatione turgidum, & *cap. 48.* accuſante ipſum perfidiæ, quòd poſt reconciliatum ſibi 62.

Henri-

Henricum Mathildæ consilijs, quemdam misserit, ad coronam illi auferendam, & adversùs Imperatorem ei suaserit rebellionem: ipsomet etiam Rudolpho, qui in locum Henrici suffectus fuerat, in acie vulnerato, paulò ante mortem fatente, se injustè ex jussione & mandato Pontificis rebellâsse; veluti referat Hemoldus *Chronici Sclavonici lib. 1. cap. 24.* imò ipsomet Gregorio morti proximo, eorum, quæ contra Henricum IV. tentaverat, pœnitente; uti refert Sigebertus *in Chronico.* Unde concludit Ellieſius. Quis ergo non videat, pluris fieri debere morientium Henrici adversariorum verba eo tempore prolata, quo veræ tum demum excutiuntur pectore voces, cessat hiatque persona, atque rei veritas; quam quæ ipsi odijs, & ambitione impulsi, scripserunt, aut gesserunt?

63. *Quarto* proinde Ellieſius Conciliorum, nempe Romani III. & VIII. sub Gregorio VII. Beneventani sub Victore III. Placentini, & Claromontani sub Urbano II. iterumque Romani sub Paschali II. decreta elidere nititur, tum quòd majoris fieri non debeat illorum Conciliorum authoritas, quam ipsorum Pontificum, quorum authoritate convocata sunt, ijsque opponi posse Concilia ab Henrico convocata, quæ in Pontificem sententiam tulerunt; Wormatiense scilicet, Papiense, Moguntinum, Brixiense, & Moguntinum alterum, in quo Brixiensis Concilij sententia est confirmata.

Pari modo pro *quinto* Authoribus, qui
64. Gregorij VII. factum approbârunt, scilicet Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburgensi, Anselmo Cantuariensi, & Lucensi, Gebehardo Salisburgensi, Stephano Alberstadensi, Leoni Ostiensi, Othoni Frisingensi, Dodechino, & Abbati Urspergensi reponit Ellieſius, hos perinde, ac Bellarminus Bennonem Cardinalem, aliosque Scriptores, uti suspectos, rejicit, posse plerosque ex illis, qui Gregorij partes sequebantur, meritò repelli: quippe cùm eo tempore omnes fere Scriptores vel Imperatoris, vel Pontificis partes acriter tutati sint, ut testis est Anonymus *in vita Henrici IV.* Et *primò* quidem Mariani Scoti authoritatem nullius esse momenti, cùm faverit ipse rebellibus Saxonibus, & defectionem eorum probaverit. Pariter Lucensem Anselmum, Gregorij VII Patronum fuisse, uti testantur Sigebertus, & Trithemius, nec adeò ejus authoritatem majoris esse momenti, quàm Gregorij. Gebehardum quoque eodem munere functum esse, ac disputâsse cum Vicetone Moguntino Archiepiscopo: Lambertum quoque Schafnaburgensem, aliosque Scriptores ob Investituras, & tentata in Gregorium, damnâsse Imperatorem, at ejus exauthorationem non omninò approbare, sed historicè tantùm referre. Multos verò Authores Henricum etiam post hanc exauthorationem appellare Imperatorem, inter quos Anonymum *hist. Franciæ* Scriptorem apud Duchesnium *t. 4.* observare, quòd excommunicatio, quæ totum Ecclesiæ statum turbâsset, à Gregorio lata fuerit contra totius pene Concilij voluntatem. Albertum Aquensem *lib. 1. cap. 7.* Guibertum Novigentinum *lib. 3. cap. 2.* Guilielmum Tyrium *lib. 1. cap. 13.* & *lib. 9. cap. 8.* Othonem Bambergensem *epist. ad Paschalem II. anno 1102.* Sugerium *in vita Ludovici VI.* & alios, factum Gregorij, velut novum & inauditum, reprehendere.

Nec pro *sexto*, ait Ellieſius, juvare si reponatur, nonnullos equidem existimâsse, illam adversùs Henricum Gregorij sententiam fuisse injustè latam à Pontifice, nullum tamen fuisse, qui dubitârit, potestatem esse Pontificis, Reges deponere, dum ipse etiam Henricus in epistola quadam, eo tempore, quo Gregorio maximè offensus erat, scriptâ, agnovit, in materia hæreseos id fieri posse. Etenim ex opposito stare quàmplurimos Authores, qui non modò injustam, sed & illicitam existimârint Henrici exauthorationem; veluti sunt Anonymus *in hist. seu apolog. vitæ Henrici.* imò ipsemet Gregorius *in epist. 21. lib. 8.* & *lib. 7. epist. 3.* Nec porrò attendendum esse, quæ Henricus, aut alij Imperatores rerum suarum necessitate locuti, dicere, promittere, aut facere potuerunt; cùm omnes sciant, iniquum omninò esse, ex conditionibus per vim extortis, aliquid Juris assumere. Quòd verò additur, Henricum eo tempore, quo maximè erat Gregorio offensus, agnovisse, *in causa hæreseos Reges & Imperatores deponi posse*: id tantùm dubitanter ab illo dictum esse, aliunde probando, id minimè fieri debere, & in Ecclesia factum non esse: quemadmodùm pateat *ex epistolâ post Synodum Brixiensem* scriptâ, ex qua videre sit, Henricum per concessionem tantùm, ac secundùm principia Gregorij & Romanorum, fateri, ob fidem deponi posse Reges, sed non dicere, à quo deponi possint: imò statim addere, à Deo deponendos esse, idque probare tum exemplo Juliani Apostatæ, quem Patrum traditio soli Deo judicandum reliquerit, tum Beati Petri, Regem honorificandum esse, asseverantis.

Refutatio istarum exceptionum.

PRimò namque ex ipsamet Ellieſij relatione 68.
historicâ manifestum redditur, Henricum IV. de Simoniâ, & immunitatis Ecclesiasticæ temeratione à Gregorio VII. ex correctionis Evangelicæ normâ à Christo institutâ primitus admonitum, si pergeret in Episcopatibus & beneficijs Simoniacè conferendis: Ecclesiasticarum insuper pœnarum comminationibus, exinde graviori etiam legationis Apostolicæ authoritate fuisse absterritum, sed hinc exasperatum, Wormatiæ indixisse Concilium, in quo Gregorius variorum flagitiorum accusatus, fuerit depositus, missâ etiam Romam legatione cum contumeliosis litteris, quibus denuntiabatur, ut se Episcopatu abdicaret. Quibus secundùm ipsius etiam Ellieſii confessionem, ita se habentibus, dum non Ecclesiastica duntaxat jura pertinaciter infringebantur, sed vicaria Christi potestas enormissimè violabatur, num fas erat Gregorio, non vibrare virgam coercitivam *Matth. 18.* Ecclesiæ sanctæ demandatam, sicque non excommunicationis duntaxat ferre sententiam, sed gladium Impe-

ratoriæ potestatis, quem Henricus adversùs sanctam Ecclesiam strinxerat, ex ejus manu rapere, per illam super *Quodcunque in terris Morale*, atque adeò super gladium illum Imperatorium, tantæ nequitiæ *moralitate* in Ecclesiæ ac Religionis publicæ perniciem vergente contaminatum, protendi potentem, Petro, ejusque successori Romano Pontifici à Christo concessam authoritatem; solvendo adeò, sicque perimendo in Henrico jus Imperatoriæ dignitatis? Quod ergo Henricus absque ullo jure, imò contra expressum jus *Divinum*, præsumpserat in exauthorando Gregorio, hoc ille Summus Pontifex, summo Vicariæ Christi authoritatis jure, in perfidum illum Imperatorem meritò retorsit cum Concilio Romano, ipsum non excommunicando duntaxat, sed etiam deponendo à Cæsareæ Majestatis sublimitate.

67. Sed quid vituperio dignum posteà egisse, dicendus est Gregorius, quando Henrico supplici non absque difficultate, veniam quidem concesserat, sed jus Cæsareæ Majestatis ipsi ademptum, necdum restituerat, animadvertens, ex suâ non tam inclementia, quàm justâ ad scelerum enormitatem magis ostendendam, prorsus proficuâ retardatione, Henrici animum (uti Elliesius ait) esse exacerbatum, ut maturè sibi prospiceret, Rudolphum Ducem Saxoniæ sollicitavit ad capessendum Imperium; atque hunc à Saxonibus electum, in altero Romano Concilio confirmavit, renovatâ in Henricum Summi Pontificatûs tam iniquum aggressorem, Ecclesiæque adeò sanctæ publicum hostem sententiâ, dum præcipuè illius fautores tum Moguntiæ, tum Btixiæ congregati Episcopi, Gregorij depositionem iteratò molientes, præsumpserunt eidem opponere Antipapam Guibertum Ravennatem Episcopum, Victori etiam III. posteà infestum, maximæque per Italiam hostilis, stragis manifestum reum, meritoque adeò anno 1088. ab Urbano II. denuò condemnatum, eò quòd ex hoc Antipapa, ejusque posteà successoribus Atellano, & Maginulpho continuatæ fuerint adversùs Romanam Ecclesiam, ejusque legitimum Caput, atrocissimæ hostilitates? Quare iniquissima est, quam Elliesius facere nititur, cladium & calamitatum tum Imperio, tum Ecclesiæ ex Henrici IV. adversùs Gregorium VII. machinationibus imminentium compensationem, prætexendo, utrinque præter jura, ac præter æquitatem omnem, plurima crudeliter, ac impiè gesta esse, cùm tamen ex prætactis manifestè pateat, pro Gregorio stetisse summum jus tam æquitatis, quàm Vicaria Christi authoritatis: cùm econtra in Henrico Ecclesiæ Romanæ, ejusque Pontificatûs hoste publico, tam justitiæ, quàm potestatis, erga Summum Pontificem non nisi arrogatæ, ratio evidenter noscatur defecisse.

68. Hinc ergo pro *secundo* ijs, quæ Elliesius *secundæ exceptionis loco* de investituris opposuit, *ad tertium Operis nostris articulum, undecimam de Regalia disquisitionem*, rejectis, unicè restat examinanda calamitatum, cædum, seditionum, ac rebellionum Gregorij VII. in Henricum IV. sententiæ, ab illo Authore imputatarum deploratio, quam hocce Theologico argumento retorqueimus. Si namque sub formâ per Christum *Matth. 18.* sancitâ, servato seu *Divini*, seu *naturalis*, seu super hisce fundati *Canonici Iuris* debito ordine, Summus Pontifex procedat adversùs Regem, seu Imperatorem, Juris *Divini* temeratorem, eousque progressum, ut Ecclesiam audire contumaciter detrectet, indeque ex Christi jussu Communionis Christianæ jure destituatur, seu excomunicetur, sed necdum correctus, quinimò in sensum reprobum datus, sacræ Religionis ac Ecclesiæ interitum, quantum in se est, perversâ suâ contumaciâ moliatur, sitque adeò in eo statu positus, ut meritò persentiat illam à Christo Apostolis *cit. cap. 18.* commissam, & super *Quocunque in terris seu solvendo, seu ligando* protensam virgam coercitivam: num propterea, si Pastor Ecclesiæ Oecumenicus, in vi illius Apostolicæ authoritatis, & publicum sacræ Religionis, seu Summi Pontificatûs hostem liget censuris, & subditos solvat juramentorum, seu homagiorum vinculis, imò jus Regiæ potestatis tot sceleribus contaminatum, ab homine sibi subjecto adimat, numquid vel Christo, qui taliter procedendi mandatum fecit, vel ejus Vicario, qui potestate sibi Divinitus commissi officij uti compulsus, tali modo processit, imputanda erunt mala inde provenientia? Vel non potiùs, dum Pontifex stringit gladium ad malos extirpandos, communioneque fidelium, ne boni ab ipsis præcipitentur in ruinam, privandos, eosque, ne potestatis temporalis gladio adversùs sanctæ Ecclesiæ pacem, & Religionem publicam liberè abuti possint, exauthorandos, ipsissima hæc justitiæ adversùs Ecclesiæ sanctæ rebelles, publicæque Religionis perturbatores, demonstratio, ex se ipsa est tantum bonum, ut in respectu illius *quoad moralem imputationem*, haudquaquàm prævalere possint mala *per accidens*, & non nisi ex pravorũ Ecclesiæ rebellium contumaciâ provenientia? Hæc igitur, mi Elliesi, expendas, & facilè intelliges, quas Imperij, ac Ecclesiæ calamitates Gregorio VII. imputabas, in ejus Pontificiæ Majestatis temeratores meritò retorqueri.

ex pag. 34. ad 44.

Tertiò proinde conveniens esset, mi Elliesi, ut discerneres illud, quod Gregorius VII. egit 69.
ex Cathedræ Apostolicæ potestate, & ex propriæ affectionis voluntate; quemadmodùm Evangelista in ipso etiam Caipha, cùm esset anni illius Pontifex, actum ex hoc munere per Divinum quoque instinctum moderato promanantem, eatenus discrevit ab illius contra Christum attentatâ nequitiâ, ut etiam prophetizâsse dilatur ab Evangelistâ. Quando igitur *superiùs* ostensum est, ex qua authoritate, Clavium scilicet Regni Cælorum, solvendique super *Quodcunque in terris Morale* protensâ potestate, justitiæ ac Religionis publicæ rationibus exigentibus, sententiam tum excomunicationis, tum depositionis Gregorius VII. protulit adversùs Henricum, cujus nefanda iterum

scelera

scelera *in epistola Ludovici Comitis contra VValtramum* à Baronio *ad annum 1090.* relatâ insigniter descripta cernere licet. Ideo quantumvis verum esset, quod affingis Gregorio, tibi jure merito reponeretur illud S. Augustini adversùs Donatistas effatum. Quid tibi fecit Cathedra Apostolica, ut hujus actus, de Conciliorum quoque legitimorum consilio & comprobatione adversùs Henricum factos, eversos, econtra verò Heinrici pertinaciam & malitiam defensam velis?

70. Verùm si non jam Cathedræ Apostolicæ actus publici, sed ejusdem vita privata in Gregorio expendantur, hujus ab Adversarijs frustra impugnatam innocentiam, egregiè tuetur Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice cap. 13.* ad quem, utpote ne in apice quidem validè confutatum, remitto Lectorem. Cui suffragatur visio Divinitus facta à Leone Ostiensi *lib. 3. cap. 53.* adducta, ex qua reddebatur manifestum, res à Gregorio gestas Divinitus etiam comprobatas fuisse; uti videre licet etiam ex Baronio *ad annum 1084.* Quantumvis proinde verum esset, quod ab Henrici fautoribus, uti Baronius *ad annum 1080.* asserere confingitur, ac si Rudolphum in vitæ suæ exitu pœnituisset, quòd contra Henricum Regem insurrexisset: *Dexteram, quâ ipsi juraverat, dicendo, justo Dei judicio abscissam se pati.* Quantumvis insuper verum esset, ipsum quoque Gregorium morti jam proximum pœnituisse eorum, quæ non tam ex Cathedræ Apostolicæ authoritate, quàm ex subreptione suæ privatæ fortassis personæ aliquando obrepente, poterat ex conscientiæ teneritudine sibi visus fuisse minùs rectè peregisse: ex hisce tamen allegationibus plus non evincitur, nisi quod Gregorius Magnus antehàc scripserat: *Conscientias scilicet timoratas, ubi culpa non est, sibi metuere*: dum cæteroqui præinsinuatus Ludovicus Comes *in suis ad VValtramum litteris* Papam Gregorium, & Regem Rudolphum de odio erga Henricum, ac de pessimo hinc interitu damnatos, eatenus vindicat, ut in ipsis locus fuerit illi Psalmidico effato: *Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*: ac propterea illa de Gregorij & Rudolphi interitu exprobratio, ac de Henrico pro tunc superstite gloriatio, non pluris facienda fuerit, ac si quis Neronem, quia Apostolis Petro & Paulo, aut Herodem, quia Iacobo Apostolo supervixerat, beatum propterea proclamaret.

71. Sed mi Ellieſi, pro *quarto* hinc te convenio, ut ipsemet ad mentem reducas, quò progressus fueris, dum etiam Concilia Romana III. & VIII. sub Gregorio VII. Beneventanum sub Victore III. Beneventanum, Placentinum & Claromontanum sub Urbano II. iterumque Romanum sub Paschali II. non alio prætextu contendis reijcere: *nisi quòd majoris eorum authoritas fieri non debeat, quàm ipsorum Pontificum, quorum authoritate convocata fuerunt?* Oportet, ut sistas hîc, & consideres, si tali ratione liceat non Apostolicam duntaxat tot Pontificum, sed ipsorum etiam Conciliorum ab hisce convocatorum authoritatem elidere, nil jam tutum fore in Ecclesia, ac frustra à Clero Gallicano jam moveri quæstionem de Conciliorum non acephalorum, sed cum Capite Ecclesiæ coadunatorum supra Papam superioritate, si non tantùm Capitis hujus, sed totius etiam Concilij authoritatem tam leviter tractare, imò Concilia hujusmodi comparare liceat Conciliabulis ab Imperatore schismatico, propterea que justè exauthorato, coactis ad obtrudendos, seu fovendos Antipapas? 72a

Nec pro *quinto* æquà est tua *quinta* exceptio, quâ niteris, Authores integerrimos, quorum pro Gregorio assertiones à Bellarmino sunt deductæ, æquiparare cum Bennonis Cardinalis, aliorumque Henrici partes tuentium attestationibus, quamdiu, quod hactenus non feciſti, nec solidè facere unquam poteris, legitimæ adversùs hos exceptionis argumenta tam fortia, per dictum Bellarminum exposita, non efficaciter refutaveris. Quando causaris, omnes ferè Scriptores vel Imperatoris, vel Pontificis partes acriter eo tempore tutatos fuisse, ut vel hinc authoritatem Scriptorum pro Gregorio stantium infringas, oportuit, te causæ vel æquitatem, vel iniquitatem ex una alteráve parte subsistentem, æquiori oculo expendisse, dum ex Gregorij parte authoritas Apostolica, ex parte autem Henrici contra *Divinum, humanúmque* Ius priùs jam arrogata in Summum Pontificem potestas: iterum ex hujus parte tam enormia facinora, & sacrilegia, etiam simoniam cum schismate, ne dicam, hæresi conjuncta: ex illius autem parte virga tantorum scelerum ex Christi præscripto coercitiva noscitur interveniſſe.

Et hinc, quam *sexto loco* Ellieſius extenuat 73a
propriam Henrici Imperatoris de Summi Pontificis ad Reges, ex causa saltem hæreseos, deponendos potestate confessionem, asseverare hanc oportet, ita Juri *Divino* per Christum constituto, consentaneam fuisse, ut consequenter frustraneæ sint, quæ cofinguntur adversùs illam, exceptiones, quemadmodùm ea etiam, quàm idem Ellieſius *præced. cap. 4. §. ult.* opposuit novitatis objectionem, validè à nobis *ibidem* confutata cernitur.

ARGUMENTUM II.

Petitum ex Friderici I. & Friderici II. depositione.

AUthor dicti *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 4. cap. 5.* argumentatur 74a
tum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quod *anno 1168.* Fridericum I. Imperatorem excommunicavit, ejúsque subditos à fidelitatis juramento absolvit. Quæ legitimè præstita fuisse, agnovit Fridericus, quandoquidem Pontifici se humiliter subijciens, sententiam revocari exoraverit. Tum ex Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV. à quo sententia depositionis in Fridericum II. & absolutio subditorum à juramento fidelitatis decreta fuit.

Ex-

Exceptio Ellieſij.

75. PRimò equidem Author iſte nihil reponit adversùs ea, quæ de Friderico I. fuêre adducta; attamen circa Othonem IV. *à pag. 545.* & posteà circa Fridericum II. *à pag. 545.* talem facit relationem, ut præfatum Othonem contendat, nunquam fuisse legitimum Imperatorem, de Friderico autem II. asserat, ubi Investituras contumaciter sibi arrogâsset, & PontificemHonorium III. de his admonentem spreviſſet, anathemate fuerit primùm perculsus, posteaque contumaciâ crescente, privatus Regno & Imperio, universis Imperij & Regnorum suorum subditis absolutis à juramento fidelitatis. Exinde præfatus Ellieſius in Honorij successorem Gregorium IX. duriùs cum eodem Friderico agentem, graviter invehitur, atque istius ex authoritate Imperatoris partes manifestè susciþit. Sed quia ejus historica relatio apertè evanescit ex ijs, quæ Author *Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 7. n. 1.* fusiùs exponit, ad eum ab Ellieſio nullatenus confutatum, remitto Lectorem, ne præter necessitatem longior hic esse debeam, dum præcipuè causam Friderici Concilium Generale Lugdunense sub Innocentio IV. postmodùm condemnavit, latâ in illum sententiâ tenoris *inferiùs* referendi, ex quo manifesta redditur iniqua ejus Imperatoris defensio.

76. Verùm pro *secundo* Ellieſius *à pag. 551.* non veretur excipere, quòd sententia præinsinuata non à Concilio, sed ab Innocentio lata fuerit, Synodo eam neque examinante, neque confirmante: sit autem necessum, ut decretum aliquod Concilij authoritatem obtineat, Conciliariter id examinari, singulis Patrum rogatis ad dicendam sententiam, neq; verò quidquam horum circa illud negotium contigerit in Concilio Lugdunensi. Addit is Author, istud Concilium non immeritò negari fuisse Generale, cùm non omnes Christianitatis Nationes ad id vocatæ fuerint: quinimò, licèt Generale fuisset, dici posse, quòd in præsenti quæstione, utpote non tam *Iuris*, quàm *Facti*, errare potuerit, quippe cùm in ea Synodo non de jure Pontificis, sed hoc præsuppositò, quæsitum sit; *utrùm Fridericus ob crimina ibi allegata diris esset devovendus?*

Refutatio istarum exceptionum.

77. EXordiendo à postrema exceptione, remitto Lectorem ad ea, quæ tum *in præsentis articuli* discussione *antecedenter* dixeramus, tum fusiùs circa *secundum* de Concilij, & *tertium* de infallibilitate Papæ, ex cathedra Apostolica definientis, fusiùs differemus de isthoc quæstionis puncto, quomodò in ijs, quæ *Facti* sunt, ubi cum fidei principijs sub prudentiali non naturalis duntaxat, sed supernaturalis ordinis lumine, per Spiritûs sancti assistentiam, ab ipsomet Christo repromissam, conferuntur, sit in Papa & Concilio infallibilitas *practicæ* decisionis, ab omni *materiali* falsitatis concretione depuratæ per directionem Spiritûs sancti, de quo Christus *Ioannis 16.* dixit Apostolis, fore, ut doceret omnem, adeòque *practicam* etiam, ex *Facto* aliquo cum Divini luminis principijs per prudentiam infusam conferendo, subsistentem veritatem.

Quo jam præsuppositò, dum ex fundamentis *articulo secundo* deducendis, etiam patebit, Oecumenici Concilij character fuisse in præadducta Lugdunensi Synodo, sufficiet pro *primo*; prætactam ejusdem Concilij sententiam, relatam *in Cap. Ad Apostolicæ. De sent. & re judic. in 6.* proferre in medium, ad ostendendum, tum quòd ista decisio verè fuerit non solius Innocentij, sed Concilij: tum quòd præinsinuata Authoris *Regalis Sacerdotij*, non verò Ellieſij relatio historica, nitatur veritate, summæque justitiæ, ac æquitatis ratio efflagitârit eam Decretalem, Friderici condemnatoriam, quæ ita se habet: *Cùm dura guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutiùs afflixisset, nos ad Fridericum præcipuum Principem sæcularem, dissensionis, & tribulationis authorem, à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales Nuntios, & magnæ authoritatis viros duximus destinandos &c. Nos itaque super præmissis, & quàm pluribus alijs ejus nefandis excessibus cum Fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabitâ diligenti* (quomodò autem isthæc cum sacro Concilio deliberatio substitisset, si, uti Ellieſius gratis prætendit, singulorum etiam Patrum suffragia non fuissent postulata?) *Cùm Iesu Christi vices, licèt immeriti, teneamus in terris,* (En Oecumenici Concilij characterem ex vicario Christi nomine subsistentem) *nobisque in Beati Petri personâ dictum sit.* Quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis. *Memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit indignum, omni honore & dignitate privatum à Domino ostendimus, & denuntiamus: & nihilominùs sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes, authoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat. Decernendo, quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere. Illi autem, ad quos Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem.*

Ex qua proinde Decretali pro *secundo* ad intentum nostrum ita licet argumentari. Etenim ex ejus Canonicæ intrâ Concilium Lugdunense editæ sanctionis litterâ clarè constat, ejus fundamentum reduci in hoc fidei principium, quo credimus, Summum Pontificem Christi in terris agere vices, ipsiúque in persona Petri dictum esse: *Quodcunque ligaveris, seu solveris super terram, erit ligatum, vel solutum in cælis.* Quis verò negare ausit, sub isto *quocunque, quod est in terris Morale*, contineri actus *morales* publici quoque à Rege promanantis regiminis: & dignitatis Regiæ ad hanc individuam personam, quâ ex æquitatis ratione faciendam *applicabilitatem*, ejusque in Rege Ecclesiæ sanctæ perseverantiam

ex pag. 83. n. 62.

Moralem? Sub illo adeò fidei principio, per eam sanctionem Synodalem expendebatur Imperatoris ex facinoribus suis indignitas. Cujus judiciaria proinde discussio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà prudentiæ naturalis sphæram non supergrederentur *moralem certitudinem*, attamen hoc Oecumenici Concilij, unà & Summi Pontificis judicium, per Spiritûs sancti gratiam ita depurabatur à *materiali*, falsitatis periculo obnoxiâ concretione, ut altior prudentiæ infusæ commensurata certitudo *practica* omnimodam falsitatem excluderet, utpote per Dei instinctum efformata, & cum illo fidei principio collata, sicque sub formâ *virtualiter* saltem syllogisticâ progrederetur ad concludendam sententiam, adversùs Imperatorem *judicialiter* ferendam sub verâ lumini supernaturali innixâ consequentiâ Theologicâ.

80. His pro *tertio* suppositis, discutienda foret relatio, quâ Ellesius *à pag. 552.* Ludovici Imperatoris exauthorationem improbabat, sed certis de causis malo circa hoc Lectorem remittere ad ea, quæ Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 8.* discussit. Quæ verò idem Ellesius *à pag. 560.* profert circa Bonifacij VIII. Extravagantem *Unam sanctam. De majorit. & obed.* ea à nobis fusiùs expensa cernere licet *in præsent. Summarij cap. 2. §. 4. n. 5. ac seq.*

§. IV.

Quantum ad præsens institutum momenti sit ex Concilij Lateranensis, Constantiensis, & tandem Tridentini sanctionibus mox adducendis?

ARGUMENTUM I.

Petitum ex duplici Concilio Generali Lateranensi.

81. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. cap. 5.* ita pergit argumentari. Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. cui plurimi Galli interfuerunt, *Can. ult.* decernit: *Relaxatos autem se noverint à debito fidelitatis, ac dominij, & totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint* (Domini temporales) *quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi.*

82. Alterum porrò Lateranense Concilium *anno 1215.* celebratum sic decernit *Cap. 3. Si verò Dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæreticâ fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, sinè ulla contradictione possideant. &c.*

Exceptio Ellesij.

83. NIhil contra prius, sed posterius hîc relatum Lateranense Concilium excipit Ellesius. *Primò* nec Ecclesiam, nec Concilium Generale eam repræsentans, quidquam habere juris in temporalia Regum Bona, nec de ijs statuere posse, quippe cùm Regum potestas *immediatè* à Deo sit, nec adeò eam ijs auferre, aut aliquid juris alteri in eam tribuere posse, præter ipsummet Deum.

84. *Secundò.* Illum Canonem non fuisse ab Universali Concilio Conciliariter, sed à solo Papa conditum, Nauclero, Platinâ, Jacobo Muldemportio, & Matthæo Parisiensi attestantibus, in eo Concilio multa consultata, sed pauca esse concluſa: adstipulantibus ejusdem Synodi Canonibus *29. 33. 41. 42. 61. & 66.* utpote qui universi Canones demonstrant, quòd sint opus Innocentij III. partim in ipso Concilio, partim post Concilium, editum. Nec denique Canonem illum esse de dogmate, sed disciplina, neminem verò dubitare, quòd Concilium etiam Generale errare possit in disciplina.

Refutatio istarum exceptionum.

85. PRimò namque Ellesium, qui antehac in Rege Franciæ Childerico deponendo & subrogando Pipino, Statuum Regni authoritatem interveniſſe contendebat, convenio, qualiter sua *prima* hîc opposita exceptio conveniat cum illâ tam solenni assertione suâ? Et quia Romano populo in Imperio Græcis adempto, & in Carolum Magnum translato primas attribuerat partes, rursus ipsum convenio, scisciando, qualiter hoc assertum suum subsistat cum principio proximè tradito, quo nititur inferre ex hoc, quòd Regum æquè ac Imperatorum potestas sit *immediatè* à Deo, neminem, præter ipsummet Deum, posse eam potestatem illis auferre, aut aliquid juris alteri in eam tribuere? Sed hæc in anterioribus multimodè jam discussa fuerunt, quomodò scilicet non tam Regia potestas in se ipsa *formaliter*, quam *concretè*, prout est in hoc sanctæ Ecclesiæ subjacente supposito, *quoad publici etiam regiminis, moralisque in hac individua persona subsistentiæ moralitates*, subsit sanctæ Ecclesiæ tum virgæ coercitivæ, tum Pastoralis officij Oecumenicæ authoritati.

86. Pro *secundo.* Ipsâ Concilij prætacti Acta publica *tom. 3. par. 2. edit. Colon. à pag. 682.* relata, dum decreta sub ejusdem Concilij nomine exhibent, eo ipso probant, esse Conciliariter concluſa. Nec obstat, quòd inter multa, quæ fuerunt consultata, non nisi pauca (ea utique, quæ *dicto loco* recensentur) fuerint concluſa: his namque Concilium suam quoque impertijsse authoritatem, liquet ex *præallegatis* Canonibus; quippe cùm *in 29.* dicatur: *De multa providentia fuisse in Concilio Lateranensi prohibitum.* Et *in 33.* jubeatur *observari mediocritas in Concilio Lateranensi definita.* Item *in 41.* asserat Pontifex: *se judicio Synodali definire.* Rursus *in 46.* voluisse *Lateranense Concilium immunitati Ecclesiasticæ providere.*

87. Tametsi porrò Canon in argumento *superiùs* exposito adductus, loquatur de disciplina: quia tamen hæc *substantialiter* subsistit ex

honestate morum per ipsum fidei lumen nobis traditâ, consequens est, si Concilium Generale in Ecclesiasticâ disciplinâ efformandâ *substantialem* errorem committeret, hunc redundaturum esse contra dogmaticam quoque fidei veritatem; falsissimumque adeò est, quod Ellies. pro indubitato supponit, nempe *Concilium etiam Generale in disciplina Ecclesiastica errare posse.*

88. His ita constitutis, pro *tertio* lubeat præadductam Concilij Lateranensis *cit. cap. 3. De hæreticis.* latam constitutionem ad fidei principia reducere, disquirendo; *An sacrosancta hæc Synodus Generalis eâ sanctione intenderit, præceptum aliquod imponere, præscribendo modũ, quo Papa procedere deberet adversùs Dominos temporales, hæreticorum fautores?* Pro quo elucidando, sequens exhibetur dissertatio. Quandoquidem enim sacro illi Concilio notissimum fuerit fidei principium de Ecclesiæ Clavibus cum *indefinitâ* super *Quocunque, quod in terris est Morale,* protensâ ligandi & solvendi potestate, legitimo Petri Successori competente, ideo nefas foret, dicere, Patres Concilij non tam respexisse ad illam Papæ authoritatem, quàm ex Concilij propriâ authoritate fecisse ipsi jurisdictionis suæ delegationem, decernendo, si Dominus temporalis ob hæreseos fautoriam excommunicatus, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex vasallos ab ejus fidelitate absolutos denuntiet, facto mandato, ut terra illius occupetur à Catholicis. Quare in vi hujus sanctionis dicendum est, Concilium illud Oecumenicum, ipso etiam Vicario Christi nomine, seu authoritate fulcitum, unicè intendisse, ut pro illo incorrigibilitatis casu excitaret Papæ Oecumenicum Pastorale officium, cum ejus *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate, ad eo modo, quo ibi præscribitur, procedendum adversùs Dominum temporalem, de hæreseos fautoriâ convictum. Quare per hoc decretum, Pontificiæ authoritatis excitatorium, redditur manifestum, quòd Concilium illud Oecumenicum agnoverit, & sanxerit, tum suam, tum etiam Papæ authoritatem protendi super Dominos temporales, eosque supremos, nec non super eorum dominia temporalia, ac territorialia, seu Regia, quâ *moralitatis* ratione, Regni cælorum claves respiciente, superveshita, ita ut in vi hujus authoritatis suæ, Concilio ita decernente, conveniat Papæ, facere mandatum, de terris illis per alios occupandis.

ex pag. 83. n. 65.

89. Et hinc rursus patet, quàm inconveniens, in ipsum Regem suum redundans, sit Ellies. cavillatio, dum ait, injustam fuisse Ditionis ad Raymundum Comitem Tolosanum spectantis, ex causa hæreseos, cui iste favebat, à Concilio Lugdunensi decretam translationem in Comitem Montisfortis ex profligatâ Albigensium hæresi, singulari præmio dignum, intervenientè licet ipsius etiam Regis Franciæ beneplacito, & authoritate. Quæ injustitiæ, erga prætactum Concilium, una & Franciæ Regem exprobatio, nullatenus sustineri ex hoc potest, quòd sanctus Ludovicus postmodùm eum Comitatum suo *directo*, ac supremo Domino apertum denuò restituerit Comiti Tolosano, quando ejus filia Alphonso fratri Comiti Pictavien-sium eâ lege, velut is Author dicit, in matrimonium data fuit, ut, si absque filijs ex fratre morereturi, Tolosanus Tractus esset Regum Franciæ. Sic sic adeò in apertum prodit debitæ observantiæ in Ellies. satis detestabilis defectus, dum, ut argumenta suæ Thesi adversantia elidat, in proprium quoq; Regem, ac Generale Concilium tam turpiter invehitur.

ARGUMENTUM II.

Ex Concilij Constantiensis decretis petitum.

QUatuor ad Ecclesiasticæ supra Reges authoritatis probationem, perquàm accommodata exempla trahi possunt ex dicti Concilij, ab ipsomet etiam Ellies. relatis decretis. 90.

Primum desumitur ex *Sessione vigesima*, ubi Fridericus Austriæ Dux *sub anathematis, sacrilegij, & privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesia, seu Imperio obtinet, & inhabilitationis ad feuda, & officia, beneficiáque usque ad secundam generationem, nec non honoris & famæ, atque communionis in consilijs Principum*, pœnis requirebatur ad restitutionem jurium, & Bonorum Episcopatûs Tridentini à se, alijsque occupatorum.

Secundum decretum habetur in *Sessione 39.* ubi ad præcavendum *metum, aut impressionem, quæ Papæ Electoribus fortassis esset inferenda*, cavetur, ut, *cujuscunque statûs, gradûs, aut etiamsi Imperiali, Regali &c. præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ continentur in constitutione Bonifacij VIII. incipiente:* Felicis. Ubi privatio Bonorum, tanquam pœna statuitur. 91.

Tertium decretum extat *in Sess. 17.* Ubi Concilium *pœnam excommunicationis, & depositionis* statuit in eos, qui impedirent Sigismundum Romanorum Regem proficiscentem ad Regem Arragoniæ pro pace Ecclesiæ. 92.

Quartum decretum desumitur ex *Sessione 14.* Ubi in eos, qui Concilium turbaverint, statuitur; *Ut sint perpetuò infames, omnique dignitate, statu, honore, officio, & beneficio, Ecclesiasticis & sæcularibus, etiamsi Imperialis, Regalis &c. dignitatis existant, ipso Iure sint privati.* 93.

Exceptio Ellies.

HIc Author *præs. pag. 577.* excipit *primò*. In *præallegato primo* decreto esse sermonem de feudis, quæ Fridericus ab Ecclesia & Imperio obtinebat: esse verò Ecclesiæ, non quà Ecclesiæ, sed quà Domino *directo*, potestatem privandi feudis, eorumque Bonis; quoad Bona autem, quæ Fridericus ab Imperio in feudum possidebat, Concilij sententiam fuisse tantùm *directivam*, ipsius etiam Imperatoriæ confirmationis adhuc indigam. 94.

Secundò. Constitutionem Bonifacij VIII. in *secundo* decreto adductam in eos, quorum Regna, vel Imperia ab Ecclesia non pendent, unicè statuere pœnam excommunicationis; 95.

cos

eos verò, qui Ecclesiæ Feudatarij sunt, solis Bonis privari.

Tertiò. Concilium in *tertio* decreto non loqui de Regibus, sed de privatis, aut Principibus quibusdam, qui se Sigismundi profectioni & itineri opponerent. Neque depositionis, sed excommunicationis duntaxat sententiam proferre, addendo tantummodò, ut ulteriùs omni honore, & dignitate, officio, & beneficio, Ecclesiastico, vel sæculari sint ipso jure privati: sub quibus verbis nomine beneficij sæcularis, non esse intelligendum aliud, quàm quòd Ecclesiæ deberetur, & uti feudum ab ea teneretur.

96. *Quartò.* Verba *quarti* decreti, lati in eos, qui Concilium turbaverint, esse tantùm comminatoria, nec ullum sortiri effectum, nisi fortè ex consensu Principum, vel ultroneæ subjectionis. Addit tandem Ellesius, hæc omnia, uti etiam Concilij Basileensis *Sess. 39. & 40.* decreta similia esse perperam facta, eo tempore, quo vulgaris inoleverat opinio, Ecclesiam habere aliquid potestatis in Reges, neque Concilia allata quæstionem istam ex professo definijsse, quippe quam haud examinaverant, sed loqui, uti tunc loqui solebant Ecclesiastici. Quare non posse ea decreta pro definitionibus Conciliariter factis haberi.

Refutatio istarum exceptionum.

97. PRimò. Ipsamet Decreti *primi* verba manifestè confutant *primam* Ellesij exceptionem, cùm Fridericus Austriæ Dux, nisi restituat jura, & Bona Tridentinæ Ecclesiæ, privetur etiam feudis Imperij, nec non jure communionis in consilijs Principum, quæ uti temporalia jura sunt, non equidem quà talia, sed quà *moralitate* in Regnum cælorum seu ordinabili, seu deordinabili, superveſtita, spiritualitatis subeunt rationem, ipsomet etiam Ellesio *alibi* fateri compulso, ut sic subesse authoritati Clavium Ecclesiasticarum, prout *in anterioribus* ostensum fuit. Unde is Author hîc etiam compellitur fateri, Concilij potestatem erga illa jura temporalia fuisse *directivam*. Sed quid ni, *coercitivam* quoque agnoscat, dum in vi *directivæ* ejusmodi potestatis, Fridericus Austriæ Dux transgrediendo decretum ejusmodi, contraheret talem *moralitatis* à Regni cælorum ordine desciscentis reatum, ut ex hoc per apertũ Christi mandatum *Matthæi 18.* Ecclesiæ sanctæ factum, hujus virgæ quoque *coercitivæ* subjaceret?

98. *Secundò.* Mi Ellesi, dum circa *secundum* Concilij Constantiensis (constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit: *Felicis*) innovantis, decretum fateris, ibi decerni *pœnas quoque Civiles*, putà *inhabilitationis ad succedendum, ad testandum &c.* Nunquid convinceris, jam profiteri, civiles quoq; pœnas, atque adeò temporalia Christianorum (quid ni & Regum) jura, in quantum præferunt *moralitatem*, Ecclesiæ clavibus esse subjecta.

99. *Tertiò.* Ellesius erroris manifestè convincitur, dum negat, Concilij Constantiensis *Sess. 17.* editum, & *tertio loco* ab ipso reproductum, decretum complecti Reges; contrarium namque apertè docet ejus littera, taliter sonans: *Vt quicunque, cujuscunque Statûs, etiamsi Regalis & c. qui Sigismundum Imperatorem impedierint &c. omni etiam honore, dignitate, officio, beneficio Ecclesiastico & sæculari sit ipso facto privatus.* 100.

Quartò. Dum Ellesius prætendit, verba Concilij *in Sess. 14.* decreto, quatenus inducunt *Regalis quoque dignitatis privationem*, esse duntaxat comminatoria, num fas ipsi erat, Synodo isti impingere, ac si in comminatione pœnarum, potestatis suæ sphæram transgressa fuisset, vel serio non egisset, citra etiam veritatem efficaciæ à se intentatæ, utpote importantis privationem ipso Jure incurrendam? Hæc profectò plùs, quàm ignominiosa sunt erga sacra Concilia, uti etiam istud, quod *in fine* subnectit, ac si ejusmodi sacrosanctæ Synodi nixæ fuissent vulgari duntaxat opinione de Ecclesiæ in Reges potestate, absque ullâ rei hujus maturâ examinatione.

Quidni igitur pro *quinto* sit è contrario dicendum, Patres in Concilijs Generalibus congregatos, sanciendo præadducta decreta, attentos fuisse ad potestatis Oecumenicæ sibi Divinitus concessæ authoritatem? Sicuti ergo decreta illa *effectivè* profluxerunt ex ista authoritate Oecumenicâ, sic eorum resolutio *in actu exercito ac virtualiter* reducenda est, imò sub prima sua constitutione fuit reducta in fidei principium, quo Concilij Oecumenici authoritas habetur Divinitus constituta. Etsi verò ex Christi Domini *Matthæi 18.* exaratis verbis constet, Oecumenici Concilij characterem proprium (ex cujus nempe respectu Christus promisit se in Synodi medio futurum) subsistere *ex Christi nomine* utique *Vicario*, ejusque adeò in terris relictâ Petro, ac ipsius Successori collatâ *Vicariâ authoritate*. Hunc tamen characterem ex Martini V. Conciliaria decreta approbantis authoritate, accessisse Concilio Constantiensi, patet ex ejus fine. Quid ni ergo dixerimus, præallegatorum decretorum resolutiones, quà in fidei principium reducibiles, imò sub ipsa primâ sui constitutione, atque Papæ postmodùm secutâ approbatione, reductas in authoritatem Divinitus constitutam, ac fide Divinâ creditam, ex tunc integram obtinuisse Conciliarium sanctionum firmitatem prorsus certam, ac immobilem, quoad authoritatem Ecclesiasticam (ceu decretorum illorum principium) *in actu exercito*, ac *virtualiter* ijsdem communicatam? 101. ex pag. 83. nn. 63. ibi. 64. 102.

Hinc pro *sexto* lubeat concludere, hunc in modum argumentando. Nempe præallegatorum Generalium Conciliorum decreta, sive reducantur in *primum* illud fidei principium, quo Ecclesiasticarum Clavium super quoscunque Christiano charactere insignitos, & super *Quocunque in terris Morali* protensarum sphæra definitur: sive sanctiones illæ reducantur in *prudentialis* à Spiritu sancto, Concilijs Oecumenicis assistente inspirati dictaminis *supernaturalis*, quasi *secundarium* principium, sub utraque ista reductione fit resolutio in lumen aliquod Divinum, cujus, & hinc derivatæ conclusionis, seu sanctionis certitudo, longè major est naturali, seu *physicâ*, seu *metaphysicâ* certitudine, ad Theologicæ adeò certitudinis sublimitatem sublevanda. 103. pag. 82. n. 61.

ARTICULUS II.

De Superioritate Papæ supra Concilium, vel econtra.

1. Præfatæ Cleri Gallicani declarationis articulus secundus ita se habet: *Sic autem inest Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicariis, rerum spiritualium plena potestas, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolicâ comprobata, itemque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia perpetuâ Religione custodita Decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione quartâ & quintâ continentur. Nec probantur à Gallicanâ Ecclesiâ, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minùs approbatæ, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorquent.*

2. Super cujus declarationis verbis Author *Inextinctæ sacri Concilij Tridentini Veritatis* talem facit reflexionem. Constat ex ipsismet hujus articuli verbis, non esse difficultatem in his, quæ sunt *Iuris*, dum decreta illa dicuntur non aliter immota subsistere, nisi quatenus approbata sunt à Sede Apostolicâ, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata fuêre. Quare tota difficultas versatur in hoc, quod est *Facti*, an scilicet Decreta illa ita se extendant ultra schismatis tempus, ut *quoad hanc extensionem* obtineant robur & approbationem Sedis Apostolicæ, utpote per cujus characterem Christi in Concilio *vicariè* repræsentativum, Synodus Oecumenica, infallibili Spiritûs sancti assistentiâ munita, *formaliter* subsistit. Quanti proinde momenti sit, & in quem finem fiat ista reflexio, ostendetur *in hujus articuli finali Summario.*

3. Interea ad exactiorem præsentis rei examinationem faciendam, progressuris nobis sequentes disquisitiones proponere placuit. 1. *Vtrùm ex naturâ Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatûs essentiâ, hujus difficultatis definitio erui valeat? 2. In quo centro versetur præsentis articuli difficultas? 3. An Superioritas Papæ supra Concilium demonstrari queat ex sacris Litteris? 4. Vtrùm ex testimonijs ipsorum Conciliorum Generalium, variisque Actis historiarum Ecclesiasticarum? 5. An ex eo, quòd à Concilio ad Papam, non econtra à Papa ad Concilium detur appellatio? 6. Quantum pro Concilij erga Papam superioritate probandâ, valeat Concilij Constantiensis decretum Sessione IV. editum? 7. Quantum momenti ad præsens hoc institutum sit in Decreto ejusdem Constantiensis Synodi Sessione V. sancitor? 8. An Constantiensis Concilij Decreta fuerint recepta ab Ecclesia & confirmata à Martino V.?*

DISQUISITIO I.

Vtrùm ex natura Concilij Oecumenici, ac vicissim ex essentiâ Oecumenici Papatûs superioritas seu Papæ, seu Concilij demonstrari possit?

§. I.

1. AUthor *tractatûs de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 1.* egregiè animadvertit, contrarietatem involvi in illo *secundo* declarationis Gallicanæ articulo, quo dicitur, Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium esse plenam potestatem, & tamen subijci Concilio Generali. Quomodò enim inesset *Sedi Apostolicæ plena potestas*, si Concilijs Generalibus subsunt Pontifices in eâ Sedentes, etiam extra tempus schismatis. Scimus, B. Petro, & ejus successoribus commissam pascendarum ovium curam. Sed in quo Scripturarum loco ipse Petrus, ejusque successores legitimi Conciliorum Oecumenicorum jurisdictioni suppositi sunt? Si Romani Pontifices *Christi vicarij* sunt, & quidem proximi, & immediati, ut definivit Concilium Constantiense *Sess. 43. adversùs art. 37. Ioan. VVicleff.*, cui, nisi ei, cujus vices gerunt, subjacent? Quomodò est *plena potestas*, quæ ab alterius arbitrio, vel judicio pendet? Ejus est, qui facultatem confert, facultatis usum præscribere, aut si ab altero præscribi voluerit, id clarè significare. Potestatem Romani Pontificis à Christo collatam fuisse, negare non audent Franci Catholici; eam plenam esse concedunt Episcopi Parisijs congregati. Debuerunt ergo, sicut in *prima* propositione, ita in istâ *secundâ*, Evangelij verba referre, quibus ducti sint, id est, in quibus Christus B. Petri, ejusque successorum potestatem, Divinitus traditam, Conciliorum Jurisdictioni subdidit, quantum ad usum, & exercitium.

2. Plurima è contra sunt, quæ suadent, Concilia, à quibus absit Summus Pontifex legitimus & indubitatus, authoritatem Pontificiâ superiorem non habere, sed potiùs inferiorem. *Primò* quidem, quia secluso Summo Pontifice, difficile est, ut definiatur Concilium Generale. *Secundò*, quia Concilium generale sine assensu Romani Pontificis congregari, vel saltem suis Decretis supremam authoritatem dare non potest. *Tertiò*, quia clarius expri-

exprimitur in Scripturis sacris Summi Pontificis, quàm Concilij generalis authoritas. *Quartò*, quia hanc doctrinam Sanctorum testimonia validiùs confirmant. Sed magis explicanda sunt, atque confirmanda.

3. Quoniam autem potest Concilium generale illud intelligi, aut cui Summus Pontifex cum reliquis Prælatis interfit, aut verò quod sinè Summo Pontifice, reliquis duntaxat Episcopis constet. Satis patet, in declaratione Cleri Gallicani, accipi Summum Pontificem sinè Concilio, illinc Concilium sinè Summo Pontifice: cùm declaratio Decretis Concilij Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non admittunt.

4. Quæ tamen vel in hoc, vel in alijs tractabuntur, ejusmodi erunt, ut sufficiant ad ferendum de illa comparatione judicium. Sunt enim tria maximè, in quibus fieri potest comparatio, veritas fidei, ac morum disciplina, & judicia. Consentiunt Chatholici adversùs Panormitanum *in Cap. Significásti. De elect.* Concilij Oecumenici sententiam de rebus fidei, ac præceptis generalibus morum, infallibili certitudine gaudere. Idem de Summo Pontifice *in libro 7.* probabimus. Nec ex eo, quòd Papa Conciliorum verè generalium definitionibus circa fidem derogare non possit, consequitur; Concilium esse Pontifice superius. Nam perinde sequeretur, unum Concilium omnibus posterioribus præeminere, cùm quæ ab uno definita sunt, nequeant ab alijs immutari, utpote quorum sit firmissima veritas. Collatio circa Decreta de disciplinâ, ex doctrina de dispensationibus colligi potest. Constat enim ex Gallorum praxi, qui plures, & à Canonica Conciliorum disciplinâ magis exorbitantes dispensationes postulant, eos in Summo Pontifice authoritatem super Decretis Conciliorum dispensandi agnoscere. Quot enim mihi numerabis in Gallia Episcopos, qui, vel ad retinenda simul plura Beneficia, vel ad mutandas sedes, vel alijs de causis, dispensatione non egeant? Denique quod spectat ad judicia, ex illa quæstione pendet, an possit à Papa ad Concilium appellari, quam etiam in hoc libro attingemus.

5. Hoc Lectoris æquo judicio relinquentes, unicè monendum duximus, an non sicut in Rege supremo distinguimus Regiam plenam potestatem *formaliter*, & quasi *in abstracto* spectatam, atque *subjectivè* quà homini Christiano applicabilem, sicque quasi *in concreto* consideratam, ita ut illam, utpote *Iuris Divini* negemus equidem, attamen quà *subjectivè* sumptam, sub *concretâ moralitatis* cujuspiam in Regnum cælorum ordinabilis consideratione, in Rege Christiano asseveremus, subesse Romano Pontifici; pari ex ratione distinguere oporteat, inter Sedem Apostolicam *formaliter*, & quasi *in abstracto*, id est, in suâ præcisâ naturâ acceptam, nec non inter Pontificiæ authoritatis ad hoc individuum suppositum applicationem quasi *materialem*, & *in concreto* sumptam, ita ut illa sit plena in spiritualibus potestas, attamen *subjectivè* considerata, quatenus inest huic personæ, quasi *per accidens*, id est, non secundùm suam *intrinsecam* conditionem, sed quoad usum ipsius, ex parte subjecti admittat *moralitates*, Ecclesiæ, adeoque Concilio Oecumenico Ecclesiam Universalem repræsentanti, subjectas? Hoc equidem à meo sensu remotissimum est, ut id asseverare cogitem, sed unicè proponendam duxi hanc difficultatem, ad rei præsentis momentum accuratiùs expendendum.

§. II.

Referuntur Doctorum sententiæ, & argumenta circa statum præsentis disquisitionis, unà cum aliquali superijs reflexione.

ARGUMENTUM I.

De Concilij Oecumenici definitione.

6. AUthor *Regalis Sacerdotij*, *Romano Pontifici asserti lib. 2. §. 1. n. 1.* naturam Concilij Oecumenici describit sub hisce verbis. Concilium, inquit, Generale nihil aliud est, quàm Conventus Ecclesiæ Pastorum, legitimâ authoritate indictus, factus, confirmatusque, ad majora fidei & Religionis finienda negotia. Sicut enim ob publicas, communesque omnium Civium & Reipublicæ necessitates, convocantur à Principe Comitia generalia: sic cùm fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum & bellum imminet, omnium Ecclesiarum Pastores evocantur, communem causam communi voto acturi. Cùm ergo oportuerit, in Ecclesiâ hæreses esse, Pastoribus, & præsertim Vicario Christi, data est cura, ne quid in fide turbaretur. Quemadmodùm verò tota Ecclesia in ijs, quæ ad fidem spectant, errare non potest, ita & multò minùs totius Ecclesiæ Doctores, qui Ecclesiam in Concilio Universali repræsentant, cùm alioquin oporteret, Magistros à discipulis, Pastores ab ovibus, aurigam ab equis regi, corrigi, quo nihil absurdius dici potest, & tamen hoc dicendum esset, datâ Ecclesiæ infallibilitate, & negatâ Pastoribus. Hi tamen, cùm non omnes in Concilium convenire possint (quis enim fideles interea pasceret, Pastoribus procul avocatis?) hoc ipsum non errandi privilegium præsentibus Concilio, à Christo concessum est, dicente: *Vbicumq; fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum Matth. 8.*

Reflexio.

7. EX hac definitione constat, Concilij Generalis infallibilitatem reduci in hoc, quòd sit repræsentativum totius Ecclesiæ. Hinc autē videtur singulari admiratione dignum, quòd sacri Concilij Tridentini Patres passi non sint, huic Oecumenicæ licèt, ac Generali Synodo præfigere titulum, ac *si esset repræsentans Vniversalem Ecclesiam.* Res à Pallavicino *hist. Concil. Trident. lib. 6. cap. 2. n. 8.* exarata, ita se habet: Secuta est alia contentio; quæ, tametsi ex nomine orta, diu Synodum turbavit, nec unquam

quam sedata, sed solùm identidem consopita, rursusque suscitata, importunas procellas penè usque ad extrema Concilij tempora conflavit: cùm sæpe contingat, voces non tanquam signa æstimari, sed quandoque tanquam etiam rerum causas. Ad epigraphen decreti sanciendi de vitæ integritate in ijs, qui aderant, proposuit Baccius Marcellus Episcopus Fesulanus, ut adderentur ad majorem Concilij authoritatem hæc verba: *Vniversalem Ecclesiam repræsentans*, qui titulus, ajebat ille, à Synodis Constantiensi ac Basileensi desumptus, prætermittendus non erat in Tridentinâ, etsi minoris frequentiæ, non tamen minoris æstimationis, atque auctoritatis. In eam sententiam multorum aura conspiravit ex more Communitatis, præsertim recèns coalescentis, quæ speciosis nominibus delectatur. At contra disseruit Augustinus Bonuccius Aretinus, Ordinis Servorum Generalis Præfectus: illum titulum esse recèns inductum, nec antiquis Concilijs usitatum. Addiditque Pighinus, esse pariter supervacaneũ, cùm ex tenore diplomatis Pontificij, & ex decreto inchoandi Concilij, declararetur ea Synodus Universalis & Oecumenica: quæ nomina erant paris significationis, sed majoris authoritatis, & propter consuetudinem minoris invidiæ. Primus Præsidũ utráque sententiâ humaniter laudatâ, ad posteriorẽ se dixit accedere; illum titulum, telum quippe validissimum ad hæresin Lutheranam configendam, non esse tam citò promendum, ne illorum auribus vulnus infligeret, adeoque in furorem ageret, quos ad resipiscendum alliciebant. Exemplum peti non posse a Synodo Basileensi, quæ in schismaticam degeneravit, & in quam ea fastuosa inscriptio Eugenij Quarti odium irritavit. A Synodo Constantiensi eam sibi appellationem ascitam ex peculiari ratione: cùm enim diuturno schismate discinderetur Ecclesia, declarandum erat, eam integram à Concilio repræsentari, adeoque vim habere, quâ per sua decreta rursus ad unitatem ipsam reduceret. Summum potiùs Pontificem imitarentur, qui, cùm sibi liceret per titulorum sublimitatem, cælum petere, mavult tamen in humili manere, & se abjectiori titulo insignire: *Servi servorum Dei.* Primi Legati sententiam Collegæ laudibus excêpere, & cum ijs, quod magni apud Episcopos momenti fuit, Cardinalis Tridentinus eâ epigraphe rejectâ, quippe aptâ inflammandis Lutheranorum odijs, adeoque illi tempori neutiquam opportunâ.

2. Ex quibus constat, illum titulum: *Vniversam Ecclesiam repræsentans*, fuisse rejectum, tum ne ansa præberetur, eum interpretandi in sinistram partem, ac si Universæ Ecclesiæ repræsentatio perinde, ac prætendebatur à Concilio Basileensi, subsisteret in Concilio avulso à Capite, Romano Pontifice Eugenio IV. & hinc prolapso in apertum schisma: tum ob verba eidem titulo in Concilio Constantiensi, dum nullum certum Caput habebatur, adjecta: *Quæ Synodus à Christo immediatam habet potestatem, cui quilibet cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire teneatur.* Quæ licèt efficacissimæ ad eum titulum prætermittendum rationes, non eousque tamen prævalebant, quin postmodùm *in Sessione 23. ejusdem sacri Concilij Tridentini* iterum vocaretur in controversiam ab Hispanis Episcopis sub Pio IV. prout videre licet apud Pallavicinum *dict. hist. lib. 21. cap. 12. n. 4.* At ne tunc quidem evincebatur, sed in suspenso relinquebatur is titulus, quæ creditur esse causa, cur in omnibus *ad 23.* usque Sessionibus, decreto Concilij præfigi soleret iste titulus: *Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata*; sed postmodùm *à Sess. 23.* ederentur decreta absque hoc etiam Oecumenicæ Synodi titulo, ac in ipso etiam fine Concilij prætermitteretur tam iste, quàm alter ab Hispanis, alijsque Episcopis prætensus titulus, uti patebit perlustranti decreta prætacti sacrosancti Concilij. Quandoquidem igitur ex tanti momenti rationibus, Curia Romana sit detestata illum titulum, sub quo Concilium indubitatò Oecumenicum, diceretur *Vniversam Ecclesiam repræsentans*, num istud, ejusque infallibilitatem definire, jam fas est ex hujusmodi universæ Ecclesiæ repræsentatione? Sed ad hoc *infra §. 3.* respondebimus.

ARGUMENTUM II.

OPeræpretium videtur, hîc ex Authore *cit. tractat. de libert. Eccles. Gallic. lib. 5. cap. 2.* ostendere, quàm difficile sit, Concilium Generale sinè Summo Pontifice definire, ejusque authoritatem determinare. Concilium, inquit hic Theologus, Provinciale aliquando perfectum & plenarium dicitur, ut *in Canone 16.* Concilij Antiocheni, ubi sic definitur, *perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Ferrandus pro *perfectum* interpretatus est *plenarium n 144. Breviat. Canon.* quo loco Concilium Africæ vocat etiam Universale. Hæc sunt ejus verba; *Vt Concilium universale non fiat, nisi causa communis, id est, totius Africæ coegerit; ut Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Episcopus Metropolitanus adfuerit.* Concilium Antiochenum *tit. 16.* vocatur etiam Universale, Concilium ex totâ Africâ collectum *cap. 19. Canonum Africanorum, si autem ad Concilium Vniversale accurrere noluerit*, &c. In Gallia simili nomine donatæ sunt Synodi ex pluribus Provincijs congregatæ, ut fidem faciunt Concilium Mantisconense II. ac Tullense apud Saponarias Anno 869. Hujus *Canon 13.* his verbis concipitur: *Placuit omnibus, ut creditur, instinctu Divino, qui ad Vniversale Concilium in Vicimiâ Tullensium confluxerunt*, &c. In Epistola Synodica ad Wenilonem Archiepiscopum hæc etiam leguntur; *Episcopi, qui ad Vniversale Concilium in Suburbano Tullensi convenerunt.* Et in indiculo, quibus de rebus Salomonem commonere debeant. *Placuit Vniversali Concilio.* &c. Concilium autem Suessionense III. Anno 866. *Epistolâ Synodicâ 2. ad Nicolaum I. Papam* sic scripserat: *Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, si quando Apostolatûs vestri authoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus, vel imminentibus negotijs aggregandam decernit, &c.*

Sed

10. Sed in alio sensu intelligitur Concilium generale, dum ei Summus Pontifex subesse dicitur, nimirum pro Concilio verè generali, hoc est, ex universis Orbis Christiani partibus convocatum, quod Ioannes Gersonius to. 1. tract. de potest. Eccles. & de Origine Iuris, & legum edito Constantiæ tempore Concilij generalis, considerat. 12. sic definit, *Concilium generale est congregatio legitimâ authoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nullâ fideli personâ, quæ audiri requirat, exclusâ, ad salubriter tractandum, & ordinandum ea, quæ debitum Regimen eiusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.* Definitionem hanc satis similem tradit Ioannes Major Doctor Parisiensis *in cap. 18. Matth. Concilium*, inquiens, *est congregatio ex omni statu Hierarchico, quorum interest, convocata ab ijs, quibus incumbit, ad tractandum communi intentione de utilitate publicâ Christianâ.*

11. Quocirca plures hinc nascuntur difficultates. Aliqui enim Generales Ordinum, & Abbates, alij alios, necessariò vocandos existimant. *De Episcopis*, inquit Gersonius *loco citato, & superioribus Prælatis non est dubium, sicut juxta prædicta practicatum sæpius invenitur in prioribus Conciliis, sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prælatis, qui sunt Curati, & Hierarchæ, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex Privilegio solo, sed ex statu, & ordinario Iure competit animarum cura, quemadmodùm sunt multi Abbates, Decani, Præpositi, cum similibus.* Et sanè in Concilio Hierosolymitano, quod veluti primum, atque aliorum exemplar proponitur, interfuerunt cum Apostolis Presbyteri, & utrorumque nomine conscripta est Epistola, *Apostoli & seniores fratres, &c. visum est Spiritui sancto, & nobis. &c.*

12. Sed supposito juxta communiorē, & veriorem sententiam, Episcoporum tantùm suffragia in Concilio Generali necessariò requiri; cæteros autem nonnisi ex privilegio, vel ad consilium dumtaxat vocē habere: dubium tamen supererit de numero Episcoporum. Licèt enim juxta communem loquendi modū, *universale*, seu *generale* non appelletur, quod majorem partem non complectitur: tamen aliqua Concilia reputata sunt *generalia*, in quibus pauciores, quàm in nonnullis particularibus interfuerant Episcopi. Exemplum habemus in Concilio Constantinopolitano tempore S. Damasi Papæ, ac Theodosij senioris Imperatoris.

13. Responderi posset, non tam attendi singulorum Episcoporum, quàm Provinciarum numerum: sed recurrit difficultas. Nam in dicto Concilio generali plurimæ Provinciæ, scilicet occidentales, defuerunt. Quid ergo si major Provinciarum pars convenire aut nolit, aut non possit? Sufficiet, inquies, ut omnes vocatæ sint. Sed quis credat, Galliam ita sentire, quæ tam ægrè Concilia Florentinum, Lateranense quintum, imò & Tridentinum tanquam generalia agnovit, ad quæ certè sciebat, vocatos omnes Episcopos Catholicos; quæque constabant ex majori Christianarum Provinciarum parte.

14. Repones. Concilia ex acceptatione Ecclesiæ, generalia censeri: sed hæc explicatio Concilij ideam confundit; hac enim ipsâ ratione non solùm Concilia Nationalia, vel Provincialia, sed etiam Diœcesana possent generalium nomine gaudere, accedente Ecclesiæ acceptatione: ac frustra Conciliorum generalium potestas tantum extolleretur. Omnis enim eorum authoritas in Ecclesiæ universæ consensionem, quæ sola, si adsit, sufficit absque cujusvis Concilij congregatione, resolvetur.

15. Ex ijs, quæ de naturâ Concilij generalis dicta sunt, colligitur, quàm difficile sit, exactam illius definitionem statuere, si ab eo excludatur Summus Pontifex. Quod ideo addo; quia in eâ, quam tuemur, sententiâ, non multi refert, an universi omninò adsint Episcopi, an alij, quàm Episcopi: quinam ex Iure; quinam ex privilegio: an per se, an per Procuratorem; an absint sinè causâ, an cum causâ; an inviti impediantur absentes, an propriâ sponte abstineant; an consentiant omnes, an discrepent: & dum opposita sunt suffragia, an æqualis sit illorum numerus, vel quæ pars major, aut minor, imò an Concilium sit verè generale: cùm enim suprema, & infallibilis sit Summi Pontificis sententia, eam, ceu Regulam semper tutò sequentur fideles.

16. At verò, si penes Concilium solùm sit suprema authoritas & infallibilitas, incerta sunt omnia, quia dubium est, per quos, & quomodò constitui debeat. Primò enim, si opus est, ut omnes Episcopi conveniant, & unaquæque pars Ecclesiæ per suum Pastorem repræsentetur, & per universos Pastores Ecclesia universalis; nullum unquam potuit, aut poterit habere Concilium Oecumenicum, ut evidens est. Imò difficillimum esset, majorem partem congregari, ut dicemus *alibi*. Non repræsentaretur autem Ecclesia, ubi à nemine repræsentaretur pars ejus major.

17. Si vera esset Ioannis Gersonij, Ioannis Majoris, Iacobi Almaini, & Richerij sententia, scilicet Presbyteros omnes Curatos secundùm praxin Concilij Basileensis, cujus meminit testis oculatus Cardinalis à Turrecremata *in Summa de Ecclesiâ lib. 3. cap. 14.* ejusque inconvenientia enumerat, jus habere non solùm præsentiæ, sed etiam voti, & quidem decisivi, quandónam posset tanta Curatorum copia, cum tanta Episcoporum multitudine in eundem locum confluere? Quid ergo, si præterea etiam Abbates, Canonici Ecclesiarū Cathedralium, & alij vocandi sint? Concedit quidem Gersonius Concilio, numerum suffragiorum augendi, vel minuendi, facultatem. Sed hæc cautio difficultatem minimè tollit, quia sciendum inprimis est, quid sit illud Concilium, à quo suffragia ad minorem numerum reducenda sunt. Cumque istud incertum sit, nunquam certi esse possumus, an Concilium verè sit Oecumenicum, nisi ex illis omnibus constet, qui asseruntur Jus habere suffragij.

18. Supponamus autem rerum statum adeò cōmodum, ut convenire facilè possint omnes, quos prædicti scriptores vocandos censent; si, ut incommoda vitentur, ne dicam absurda, quæ in deliberando circa singulas controver-

sias

sias ex immensâ illâ hominum multitudine nascerentur, minuendus sit suffragiorum numerus; cùm longè copiosior sit Curatorum, non ita negligenter sui Ordinis causam illi agent, ut saltem ex qualibet Diœcesi unum superesse non velint, adeoque numero superabunt Episcopos. Vix enim fieri poterit, ut è centum, ducentis, aut multò pluribus Curatis cujuslibet Diœcesis unus adesse non possit, cùm è contra facilè contingat, ut unus Episcopus impediatur. Tunc igitur prævalebit, ut numerus, ita & sententia Presbyterorum, Episcoporum judicio. Licèt enim concedamus, cæteris paribus, præferendum esse Episcoporum suffragium; si Curatorum suffragia consona circa quandam de fide difficultatem longe plura sint, quàm Episcoporum contrarium judicantium: nónne major pars tunc Concilium esse censebitur, quantumvis Episcopalis dignitas longè sit Sacerdotali præstantior? Nam solet in omnibus Cœtibus judicialibus, pro conclusione sententiæ, non qualitas, sed numerus suffragiorum, attendi, saltem si pars una maximo excessu alias superet.

19. Si autem in Concilijs servandum sit, ut non majoris *absolutè*, sed simul majoris, & sanioris partis debeat sententia prævalere, quemadmodùm de alijs Cœtibus insinuat Concilium Lateranense generale sub Alexandro III. *anno 1179.* aut secundùm alios *1180.* & expressè docet Textus Juris *Cap. Ecclesia vestra*, quod est *57. De electi.* cum Glosâ, & Doctoribus *ibi*; quamquàm ex hodiernâ praxi, & omnium Scriptorum interpretatione major pars censeatur etiam sanior; quod inferri videtur ex Concil. Trid. *Sess. 23. de Regul. cap. 6.* an ea erit amplectenda sententia, quam tuebuntur Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, contradicentibus Episcopis multò pluribus? Nequaquam, inquies, quia dignitates sunt istæ, ab Ecclesia institutæ, non a Christo; ita & ipse sentio; secùs tamen alij. Illustrissimus Petrus de Marca, antequam etiam Metropoliticam dignitatem esset adeptus, *lib. 6. de concord. cap. 1. n. 3.* earum institutionem ad Apostolos referendam probare conatus est. Idem etiam statuerat *lib. 1. cap. 3. n. 2.* Arnulphus Rusæus tractatum de Archiepiscopali dignitate orditur ab hac præfatione, in quâ de Jure *Divino* esse, demonstrare nititur *Pro fausto, & felici hujus materiæ initio*, inquiens, *quærendum est, quo Jure instituta, est Archiepiscopalis authoritas, seu dignitas. Et ut exordiamur ab ovo, dicendum videtur, quòd non humanâ adinventione, sed potiùs Divinâ quâdam constitutione ordinati sunt hi Archiepiscopi Metropolitani respectu suorum Suffraganeorum. Hoc probatur jure Divino, Civili, & Canonico.*

20. Denique in sententiâ Gersonij, quo gradu majores Prælati minoribus prælabunt in æstimatione suffragiorum? Quot Curatorum vota unius Episcopi sententiam æquabunt?

21. Ne quis suspicetur, nos animo minuendæ Conciliorum authoritatis, difficultates illas de novo excogitasse, quibus impossibile fermè demonstratur, in Gallorum sententia definire, quid sit Concilium generale: videat Launoium *tom. 8. epist. 11.* quæ est ad Claudium Amelinum Parisiensem Canonicum, & Archidiaconum, magnoperè desudantem, ut numerum Conciliorum generalium hactenus habitorum assignet, varias eorum ex varijs Scriptoribus conditiones exponentem; ac tandem interroganti amico respondere coactum, difficilè rem posse determinari. Quæ igitur erit fidei nostræ regula, in illius Scriptoris, & aliorum Gallorum sententiâ, qui non errandi privilegium Summo Pontifici adimunt; & Concilium generale, apud quod reponunt, certis nequeunt notis designare?

Reflexio.

QUod Theologus iste dixit difficile, censeo prorsus impossibile, ut Concilium Oecumenicum definiri valeat, absque interventu *authoritatis Pontificiæ*. Omnis namque definitio constari debet ex eo, quod in re definitâ est *materiale*, ex quo desumitur ratio *generis*, & *formale*, ex quo petitur ratio *speciei*. In Concilio autem Oecumenico quasi *materiale* est Congregatio Prælulum orbis Christiani, *Formale* autem juxta Domini *Matth. 18.* exarata verba, est *Nomen Christi*. Sed quomodò? An sub sola fidei in Christum, ejusque *Nomen*, invocatione? At hoc modo, ubi duo ex quocunque fidelium genere, ad petendum Veritatis Divinæ lumen, convenirent in fide ac nomine Christi, jam constituerent Synodum Oecumenicam, cùm secundùm *præcitatum* textum Evangelicum, non ex majori, quam duorum, vel trium numero, si congregentur in nomine Christi, constet Concilium Oecumenicum. *Nomen* igitur *Christi*, quâ Synodi Oecumenicæ forma, non præcisam *Christi nominis* Religiosam invocationem, seu Religiosam sub illo nomine ac fide consensionem, sed authoritatem *Christi nomine* contentam significat, cujus etiam authoritatis intra Concilium Oecumenicum interventio debet visibilis esse, ut respectu fidelium possit esse signum, Synodi qua Oecumenicæ, à non Oecumenica distinctivum. At numquid Christi, qui *loco cit.* dixit, se fore in medio duorum sub nomine suo convenientium, authoritas principalis & personalis visibiliter interesse debet Concilio, ut sit Oecumenicum? Quæ ergo alia est, in terris *Christi nomen* præferens authoritas, nisi ejusdem Vicaria, perinde ac Viceregentis potestas præfert nomen & authoritatem Regis, cujus est vicaria? Hæc igitur Christi vicaria authoritas, num de facto in alio reperiri potest, nisi in Summo Pontifice, cui in Petro dictum est: *Pasce oves meas, pasce agnos meos?* Ista proinde Christi Vicaria authoritas ita præfert *Nomen Christi*, ut sit forma constitutiva, sicque distinctiva Concilij Oecumenici, nec adeò sinè illâ potest fieri hujus definitio.

ARGUMENTUM III.

EX præjacto fundamento facile jam est, describere Concilij Oecumenici substantiales conditiones, quas ex communi Doctorum senten-

sententiâ Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 1. n. 2.* optimè deducit. *Prima* nempe est, ut Summi Pontificis mandato, vel approbatione fiat Concilium, ad quod Patres convocentur. *Cap. 1. 2. ac seq. dist. 17.* quod videmus in primis quatuor Concilijs observatum etiam esse, quæ B. Gregorius eâdem veneratione, quâ Evangelia, prosequebatur, ut habetur *in Cap. Sicut. dist. 15.* De Concilio Nicæno *primo* patet ex præfatione ad Canones Concilij Nicæni, & in præfatione ad ipsum Concilium ex S. Isidoro, & Epistola Synodali ad Sylvestrum Papam *lib. 4. Concilij Nicæni*, quæ videri possunt *tom. 1. Concilior. Venetæ editionis.*

24. *Secunda* conditio est, ut Concilio Pontifex per se, vel suos Legatos interfit. *cap. 2. & 6. dist. 17. Primo* Nicæno nomine Sylvestri Papæ interfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Macarius Episcopus Hierosolymitanus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani, ut habetur in epistola Synodali ipsius Concilij. *Nobis fol. 569. tomi 1. Concilior.* Concilio Constantinopolitano *primo* non interfuit quidem, multoque minùs per se, suosque Legatos præsedit Damasus Papa, quòd Patres Romam ad aliud Concilium evocâssent, ut patet ex epistolâ ab ijsdem ad Damasum scriptâ, & actis Concilij Constantinopolitani insertâ: confirmatum tamen à Damaso fuisse, imò ejus jussu, & Theodosij indictum, colligitur ex sexta Synodo Constantinopolitana. *Act. 18. post subscriptiones PP. nobis fol. 362. col. 2.* Et videri potest Baronius ad annum CCCLXXXI. Concilio Ephesino præsedit per suum Legatum S. Cyrillum, Cælestinus Papa, ut constat ex hujus ad Cyrillum epistolâ *tomo 1. Concilij Ephesini cap. 16.* & tres alios Legatos ad Concilium missos, Arcadium videlicet, Projectum & Philippum, qui tempestatibus jactati, sub finem Concilij Ephesum appulerunt, ut habetur *tomo 2. Concilij Ephes. c. 13.* Concilio Chalcedonensi per Legatos Paschasium, Lucentium, Bonifacium & Basilium præfuit Leo Papa, ut videre est in omnibus Concilij actibus, præsertim *actione 3.*

25. *Tertia* conditio est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, nec ullus Episcopus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur; alioqui Concilium non erit generale, sed tantùm provinciale, vel nationale, &c. colligitur etiam *ex cap. 9. dist. 19.* & ratio est præter allegatam, quia ad Concilium Provinciale ab Archiepiscopo omnes Episcopi totius Provinciæ vocandi sunt. *Dist. 18. per totum.* Ergo ad Concilium universale Episcopi totius orbis; cùm Papa dicatur Archiepiscopus orbis. *Dist. 21. in fine.* ejusque Provincia sit totus mundus: accedit, quod omnes tangit, ab omnibus approbandum esse. *De Reg. Iuris. in 6.* Causa verò fidei, & Religionis omnes tangit. Ergo omnibus vocatis, sed non comparentibus, auctoritas definiendi penes præsentes est, juxtà promissum Christi *Matth. 18. Vbi duo, vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum.* Non ergo numerus Episcoporum Concilium generale facit, sed jus omnibus factum, & saltem, ut ex majori parte Christianarum Provinciarum aliqui adveniant, omnes enim convenire, res est impossibilis, nec credi debet, voluisse Christum, authoritatem Ecclesiæ necessariam ad casum, eventumque impossibilem adstringere; & ideo licèt Concilium Carthaginense Nationale tempore D. Augustini Episcopos 217. numeraverit, Concilium verò Constantinopolitanum primum 150. Hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia in Oriente habita pauci Occidentalium, sicut ex adverso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium convenêre, nec minùs tamen consensu omnium universalia habita sunt. Vide S. Antonin. *3. p. 1. 23. §. 7.* & Bellarminum *de Concil. cap. 17.*

Reflexio.

AD istas conditiones stabiliendas, accommodè discernendum est inter Concilij *materialem*, & *formalem* generalitatem. Ad illam equidem requirit Author *præcitatus*, ut evocatio Episcoporum sit generalis, ita, ut nullus ex quacunque orbis parte ad Synodum adveniens, citra causam excludatur. At numquid Concilium Hierosolymitanum, cui authoritate suâ Apostolicâ præerat Petrus, erat Oecumenicum, ad quod tamen haudquaquam vocati sunt universi vel Apostoli, vel etiam Episcopi per orbem tunc dispersi? nisi fortè (quod tamen, præter Paulum & Barnabam, de reliquis Apostolis negant plerique) dixeris, esse Spiritûs sancti instinctu compulsos ad comparendum in eo Hierosolymitano Concilio. Quòd si igitur Concilio huic ita defuisset *materialis* generalitas, an propterea censendum non esset inter generalia Concilia? At cùm denominationes fieri soleant ex forma, non ex materia, numquid Oecumenica nempe Apostolica Petri authoritas, huic Synodo tribuebat suam *formalem* generalitatem, ex quâ meritò dicendum sit generale? 26.

Econtra ultra illud Hierosolymitanum Concilium, constat *ex tom. 1. Concil. circa initium.* plures adhuc celebratas esse ab Apostolis Synodos, quarum uni alterive, præcipuè extra Hierosolymam celebratæ, non potest demonstrativè ostendi, quòd Petrus interfuerit. Anne igitur, si Petri præsentia non intervenisset, sed Pauli, negare fas esset, talem Synodum Apostolicam fuisse Oecumenicam? Numquid enim Paulus *Nomen Christi* ita præferebat coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel, ut ipsius Apostolica authoritas esset Generalis & Oecumenica? Quomodò igitur fieri potuisset, ut Concilio illi non importaret *formalem* generalitatem, absque interventu Apostolicæ Petri authoritatis? Quandoquidem igitur pars adversa prætendat, ea ad Apostolos *Matth. 18.* universim dicta Christi verba: *Quidquid alligaveritis* &c. *quidquid solveritis* &c. ita importare Apostolicam, atque adeò Oecumenicam authoritatem, ut hæc etiamnum perduret in Synodis Generalibus, quomodò generalitas illa *formalis* non æquè, subsisteret in Concilijs generalibus absque interventu Petri per reliquos Apostolos celebratis. In hoc igitur centro stat ex parte adver- 27.

sâ *præsentis articuli* fundamentum, uti *inferiùs* expendetur.

CONCLUSIO I.

28. RAtio quidditativa Concilij Oecumenici optimè reducitur ad hoc punctum, quòd sit *repræsentans universam Ecclesiam.*

Explicatur. Ad intentum nostrum non parum deservit, quod Divus Augustinus *epist. 164.* scripsit: Ordinem Episcoporum Romanorum verè & salubriter numerari ab ipso Petro, eò quòd huic *totius Ecclesiæ figuram gerenti* Dominus dixerit: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Numquid enim per hoc clarè dicitur Petrus, utpote totius Ecclesiæ figuram gerens, esse *repræsentativè tota Ecclesia?* Numquid autem illa Christi verba ad Petrum, cum ordine ad Ecclesiæ portis inferi nunquam superandæ statum perpetuum, prolata contingunt Petri successores, adeò, ut in his, nempe quovis legitimo Romano Pontifice subsistat jam illa prærogativa, secundùm quam sit totius Ecclesiæ figuram gerens, seu repræsentans Universalem Ecclesiam? Num verò hinc venit inferendum, illum Concilij Generalis titulum, quòd *sit repræsentans Universam Ecclesiam*, derivari ex charactere Pontificiæ Christi Vicariæ authoritatis charactere, ceu formâ essentiali Concilij quâ Oecumenici?

29. Verùm ad hoc magis expendendum deservit, sequentem annotare pro rei præsentis statu maximè accommodam distinctionem. Nempe cùm Ecclesia sit unum Corpus Hierarchicum, utique non acephalum, ideo in ejus Capite repræsentatur universa Ecclesia quoad plenitudinem vicariæ à Christo acceptæ potestatis, cujusmodi tamen authoritas derivatur *participativè* in quarumlibet particularium Ecclesiarum, ceu unius Corporis Hierarchici membrorum, Episcopos. Unde in ejusmodi corpore Hierarchico eatenus est repræsentatio totius Ecclesiæ *quoad potestatem gubernativam*, ut in Summo Pontifice sit tanquam in Capite, in reliquis autem Episcopis tanquam membris illi Capiti subordinatis. Si proinde Caput cum membris in Concilio Oecumenico conveniat, tunc *absolutè* dicere licet, ejusmodi Synodum repræsentare Universam Ecclesiam, ceu corpus politicum sive Mysticum, constans ex Capite & membris Hierarchicis huic subordinatis. Si verò (dum præsertim Ecclesiâ est Capite destituta) Episcopi ex universâ Ecclesia congregentur in Concilium, tunc in hoc est Ecclesia *repræsentativè*, non *absolutè*, sed cum addito *Tacitè* saltem subintellecto, nempe *quoad corpus acephalum*: ipse verò Summus Pontifex ita dici potest totius Ecclesiæ figuram gerere, seu repræsentare universam Ecclesiam, ut *Tacitè* subintelligatur, istam repræsentationem convenire Papæ in virtute Capitis, seu vicariæ Christi authoritatis.

30. Hoc jam adaptando Concilijs tum Constantiensi, tum Basileensi, non ineptè fit sequens consideratio, quòd nempe Concilium Constantiense fuerit in statu tendentiæ ad certum aliquod Caput constituendum. Quemadmodùm igitur corpus organicum etiam pro priori, formæ rationalis informationem antecedenti, jam verè dici potest humanum, non equidem *absolutè*, sed cum *tacito* saltem addito *dispositivè* & *materialiter*; sic Synodus conflata ex totius orbis Christiani Episcopis, non adhuc equidem informata charactere Vicarij *Nominis Christi*, subsistens tamen sub tendentia ad Vicariâ Christi authoritatè intrà suum gremium recipiendâ, ut ab eâ, ceu formâ suâ *essentiali*, perficiatur, jam dici potest *materialiter* Oecumenicum, repræsentansque Universam Ecclesiam, cum *intrinsecâ* habitudine ad *formalem* quoque characterem Vicariæ, totam Ecclesiam supereminenter repræsentantis, potestatis Apostolicæ, eatenus recipiendum, ut ex tunc *absolutè* appellanda sit Oecumenica, repræsentans universam Ecclesiam.

Econtra verò Synodus Basileensis, ex quo 31.
legitimus Pontifex Apostolicæ authoritatis suæ characterem ei subtraxit, cùm non tantùm non esset in dispositione ad eum recipiendum, sed per schisma à semet introductum, esset in dispositione contrariâ, ne quidem *materialiter* poterat ex tunc dici repræsentans universam Ecclesiam, quippe cùm de essentiâ materiæ sit aptitudo ad formam sui perfectivam, ejusmodi verò ad Apostolicæ Christi Vicariæ authoritatem recipiendam aptitudinis expers prorsus facta sit illa Basileensis Synodus, ex quo per schisma se avulsit à legitimo Summo Pontifice. Quibus sic constitutis, nullum prorsus dubium esse potest, quòd Concilium Tridentinum *absolutè* fuerit repræsentans Ecclesiam Universam, à quo tamen titulo propter æquivocationem tum ex Basileensis Synodi iniquâ usurpatione, tum ex adjunctâ clausulâ *inferiùs* examinandâ obortam, videbatur pro tunc consultiùs abstineri.

CONCLUSIO II.

COncilium Oecumenicum rectè definitur Conventus Episcoporum ex toto Christiano orbe convocandorum, sed in pauciſſimo licèt numero comparentium Apostolicâ, *Christi nomen* præferente, authoritate informatus. 32.

Explicatur. Sub *Christi Nomine* venire authoritatem Apostolicam, evincitur etiam *ex Act. 9. cap. v. 15.* ubi Dominus de Saulo ad se converso dixit Ananiæ: *Vade, quoniam vas est electionis, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Hisce namque verbis Christus Saulum sibi elegit in Apostolum, qui tanquam Legatus suus portaret nomen suum. Sub hoc igitur Christi nomine intelligebatur authoritas Apostolica Paulo destinata, ut, quemadmodùm Legatus cujuspiam Regis portat hujus nomen, quatenus ex commissione Regiæ authoritatis in se transfusæ peragit negotia sibi à Rege demandata, sic quia Apostoli, ipsomet Paulo attestante, *pro*

Christo

Christo fungebantur legatione, ideo portabant *nomen Christi*: sicque sub ipso Apostolicæ authoritatis charactere præfertur *Christi nomen*. Istud proinde *nomen Christi* Apostolicæ authoritatis charactere denotatum, est forma Concilij Oecumenici per Christum sancita sub illis Christi Domini verbis *Matth. 18.* exaratis. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At verò character authoritatis Apostolicæ, postquam Apostoli ex Ecclesiâ militante sunt translati in triumphantem Ecclesiam, in nullo alio de facto existit, quàm in Romano Pontifice. Quia igitur *nomen Christi*, sub cujus charactere subsistit forma Concilij Oecumenici, importatur in authoritate Apostolicâ, idcircò absque hujus ceu formæ *essentialis* interventu, nequit jam ullum excogitari Concilium Oecumenicum.

33. Dices. Episcopos esse successores Apostolorum, quibus potestas Jurisdictionis data est *immediatè* à Christo, siquidem Christus non ad solum Petrum, sed ad universos Apostolos dixerit *Matth. 18. Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis.* Quòd si ergo Episcopi conveniant in uno Generali Concilio, jam ex se ipsis præferre charactérem illius Apostolicæ authoritatis, atque adeò Concilium ejusmodi fore non *materialiter* duntaxat Generale, sed *formaliter* Oecumenicum.

34. Verùm nefas est, dicere, quòd Episcopi in Apostolatu, seu in Jurisdictione Apostolicâ, ut sic ad universum orbem se extendente, successerint etiam quoad partem duntaxat ejusmodi Jurisdictionis, licèt quoad Ordinem consecrationis meritò dicantur Apostolorum successores, quatenus scilicet eodem cum Apostolis potiuntur Ordinis Episcopalis charactere, importante equidem *radicalem* quandam spiritualis erga Christianos, sibi per Papam designandos jurisdictionis exigentiam, non ineptè dici solitam *radicalem* Jurisdictionem, minimè tamen reducendam in *actualis* jurisdictionis statum, nisi ex Summi Pontificis concessione; veluti Divus Thomas *4. contra Gent. cap. 74. rat. 41.* eleganter nos edocet, *Christum specialiter promisisse Petro: tibi dabo claves Regni Cælorum; ut ostenderetur potestas Clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem.* Unde *in 4. dist. 20. quæst. un. art. 4. quæstiunc. 3.* ait, *quòd Papa habeat plenitudinem potestatis Pontificalis quasi Rex in Regno: Episcopi autem assumantur in partem solicitudinis pastoralis, quasi Iudices singulis civitatibus præpositi.*

35. Nec obstat, quòd Paulus *Act. 20.* dicat, *Episcopos esse positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei.* Unde videtur evinci, ab ipsomet Spiritu sancto, adeoque Divinitus convenire Episcopis potestatem gubernativam in Ecclesia. Nam ea Apostoli sententia eatenus intelligenda est, quatenus in ipsamet Apostolicæ potestatis, quâ ordinariæ in successores transferibilis, non nisi Petro concessæ, collatione ac institutione suberat præceptum Divinum de ordine Hierarchico Ecclesiæ instituendo, atque adeò de creandis Episcopis, vocandisque à Papa in partem suæ pastoralis solicitudinis. Quare ex vi hujus Divinæ institutionis *in actu quasi signato* spectatæ, cujus executio est Papæ Divinitus præcepta, verissimè dicuntur Episcopi Divinitus positi à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei, licèt *in viâ executionis quoad actualem potestatis in Ecclesiâ gubernativæ* exercitè *faciendam collationem*, eatenus dependeant à Papa, ut non nisi ex isto *secundùm viam potestatis ordinariæ*, ex cæteris autem Apostolis *secundùm viam extraordinariæ* duntaxat, *& quasi personalis*, atque adeò cum ipsorum personis extinctæ à Christo sibi *commissæ legationis*, possit in quemquam Episcoporum esse, vel fuisse unquam derivata aliqua Ecclesiastica Jurisdictio. Unde tantum abest, in Episcoporum, quantumvis ex toto orbe Christiano confluentium, *materialiter* generali conventu subsistere *nomen Christi*, sive charactérem Apostolicæ authoritatis, quamdiu non intervenit Summi Pontificis Oecumenica authoritas, ut absque hujus gratiosâ concessione, ne jus quidem obtinere valeant, cum cæteris à Sede Apostolicâ jam confirmatis Episcopis interveniendi Oecumenicæ Synodo.

36. Replicabis. Quandoquidem in cæteris, ultra Petrum, Apostolis, non quidem per viam *ordinariæ* potestatis, sed per viam *extraordinariam* personalis legationis, subsisteret Apostolicæ authoritatis character, in vi cujus intrà Ecclesiam portarent *Christi nomen*, fore consequens, Petro etiam non interveniente, potuisse à reliquis Apostolis celebrari Oecumenicum Concilium, ex *Christi nomine*, seu authoritatis Apostolicæ charactere *formaliter* constitutum.

37. Verùm hoc etiam posito, cùm reliquorum, ultra Petrum, Apostolorum authoritas Apostolica, utpote se habens per modum legationis personalis, expirârit cum ipsorum personis, firmum adhuc subsisteret, saltem pro statu præsenti, impossibile esse, quòd character Concilij Oecumenici *formaliter* constitutivus, absque interventu Petri successoris, intercedere valeret. Haud equidem dubium est, Pauli authoritatem Apostolicam fuisse verè Legislativam, ipsomet *1. ad Thessalonicenses 4.* dicente: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Nec dubium est, quin hic Apostolus habuerit sibi assistentem Spiritum sanctum, ex quo condere valebat fidei dogma de solubilitate matrimonij etiam quoad vinculum, quando viro ad fidem converso, vel econtra, mulier in infidelitate contumaciter persistens, erat illi occasio injuriæ erga Creatorem. Quam proinde Divinitus concessam authoritatem, quia Apostolus ille ex se solo exercuerat, utique potuisset etiam in & cum Concilio aliquo per semet aggregato eam exercerè. Nihilominùs tale Concilium, quantumvis authoritate ejusmodi Apostolicâ, vel etiam speciali quâpiâ Paulo concessâ revelatione Divinâ munitum & informatum fuisset, *strictè loquendo*, haud dicendũ fuisse Oecumenicum, patebit ex sequenti disquisitione, tametsi *æquivalenter*, ac *virtualiter* posset taliter denominari

ex omnimodæ in rebus fidei decernendis, infallibilitatis sibi assistentis charactere.

Corollarium.

38. EX dictis jam facile est, definire sequentes *in nostro primo Inextinctæ veritatis sacri Concilij Tridentini tomo tract. proœminali q. 1. & 2.* fusè discussas disquisitiones. *1. An Ordinaria & perpetua potestas convocandi Concilium Generale & Oecumenicum sit penes solum Romanum Pontificem? 2. Vtrùm in Concilio Generali suffragandi potestas sit penes solos Prælatos majores, hoc est, Episcopos, Archiepiscopos: extraordinariè verò penes Cardinales, Abbates & Generales Ordinum?* Quarum adeò disquisitionum resolutiones eo loco factas, ex parte saltem huc revocare placuit.

39. Infertur igitur 1. Eo ipso, quòd Romano Pontifici sit proprium, præferre *nomen Christi*, seu Vicariam ejus authoritatem, ipsi soli jus est, convocandi Oecumenicum Concilium. Ratio hujus *fundamentaliter* petenda est ex illis Christi Domini *Matth. 16.* ad Petrum prolatis verbis: *Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis &c.* Etenim convocatio Synodi Oecumenicæ ad illum spectat, qui & authoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sanciendis, & potestatem, universos Christi fideles suis præceptis obligandi, in ijs præsertim materijs, quæ fidem ac Religionem, totiusque Ecclesiæ unitatem & conservationem concernunt: hic enim unicus est scopus ac finis Conciliorum universalium, tum fidei Dogmata adversùs hæreses ex sacris Litteris sanciendi, itáque Ecclesiam Orthodoxam servandi immunem ab erroribus fidei contrarijs, tum leges Religioni ac Cultui Divino consentaneas pro Ecclesiasticis præsertim statuendi. Atqui ex prætactis Christi Domini verbis efficaciter demonstratur, potestatem universos Christi fideles in materijs fidem præcipuè ac Religionem, Ecclesiæque adeò unitatem & conservationem concernentibus obligandi, esse penes legitimum Petri successorem, nempe Romanum Pontificem.

40. Minor ista probatur. Nam ad Petrum *demonstrativè* ac *determinatè* diriguntur illa Christi Domini verba, quibus *indefinitè* ac *universaliter* promissa est potestas Clavium, in ordine ad solvendum, ac ligandum, atque adeò ad ferendum leges, itáque hisce medijs, ad obligandum fideles in materijs fidem & Religionem, Ecclesiæque unitatem concernentibus. Illa ipsa autem verba secundùm clarum sacri Textûs tenorem, sunt à Christo Domino prolata cum connexione ad præcedentia: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesiâ per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, adversùs Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeóque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam indefinitam & universalem ligandi ac solvendi potestatem non exspirâsse in Petro per martyrium in cælos sublato, sed perpetuo duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeò perpetua secundùm ipsam rei naturam, ita transit in successores, ut isti cum suo antecessore reputentur una persona, non quidem *materialiter*, sed *formaliter*, quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundùm Christi Domini promissionem, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cujus perpetuò persistat illa Divinitus promissa, indefinita & universalis ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeò respectu Ecclesiæ omnes Christi fideles complectentis, judiciariam & legislativam authoritatem importans. Atqui alibi demonstratur à nobis, istam Petri successionem stare penes Ecclesiam Romanam, sive ejus Pontificem. In hoc igitur ex jure Divino, Christi Domini promissione firmato, stat omnimoda judiciaria ac legislativa ligandi & solvendi potestas, in ordine ad Ecclesiam à Christo fundatam, complectentem universos, qui per Baptisma fidem concipiendo, in Ecclesiæ unitatem sunt aggregati.

Cùm igitur convocatio Concilij ad illum 41.
spectet, qui authoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sanciendis, fideleisque in materijs fidem ac Religionem, Ecclesiæque unitatem concernentibus obligandi, ejusmodi verò authoritas sit penes Romanum Pontificem, idcircò indubitatum est, eam convocandæ Oecumenicæ Synodi potestatem esse penes Pontificem Romanum.

Infertur 2. In Concilio Generali suffragan- 42.
di potestatem *ordinariè* esse penes solos Episcopos & Archiepiscopos, *extraordinariè* verò penes Cardinales & Abbates, ac Generales Ordinum. Ratio est. Hujus namque resolutionis fundamentum desumendum est exipsâmet Divinâ Concilij Oecumeniti institutione à Christo Domino *Matth. 18.* sanctâ, in vi cujus Concilium Ecclesiæ non est legitimnm, nisi congregetur *in nomine Christi*, id est, Vicariâ in terris visibili Christi authoritate. Ex hoc enim principio fit consequens, quòd omnes illi jus suffragij habeant in Oecumenico Concilio, qui *in nomine Christi*, sive hujus vicariâ in solo Romano Pontifice residente authoritate sunt congregati, ad fidei controversias dijudicandas & decidendas, his enim tali authoritate in unum congregatis præstò est assistentia Divina Christi, promittentis, se in *medio eorum* fore. At verò sicuti Episcopi ordinario Hierarchiæ Ecclesiasticæ jure, Cardinales autem ac Abbates extraordinariâ Privilegij Apostolici facultate sunt à Pontifice vocati in partem pastoralis solicitudinis, sic omnes isti jure tum *Ordinario*, tum *Extraordinario* ejusdem Pontificis authoritate Christi vicariâ, atque adeò nomine Christi in Conciliis Oecumenicis ad fidei controversias definiendas, hæreseisque in Ec-

clesiâ

clesiâ obortas damnandas, congregantur ex antiquissimo Ecclesiæ more.

43. Sic enim (Pallavicino *lib. 6. Hist. Concil. Trident. cap. 2. n. 4.* id probante) non in tribus postremis solùm Concilijs, Constantiensi, Florentino, ac Lateranensi Generales Ordinum Religiosorum præfecti, atque Abbates potestate suffragandi usi; sed in Viennensi in Galliâ, in duobus Lugdunensibus, & in alijs quatuor Lateranensibus juxta ac Episcopi habiti sunt. Cujus etiam moris vestigium satis appareret in *septimâ* Orientali Synodo, ubi *in secundâ Actione* Monachi pariter advocantur ad suam sententiam proferendam: & *in Actione quartâ* Archimandritæ & Hegumeni, hoc est, Doctores, unius, vel plurium Monasteriumpræfecturam gerentes, unà cum Episcopis sua nomina decretisFidei subscribebant. Huc accedit, Abbates, cùm inaugurantur, obstringere se jurejurando, itidem ac Episcopi solent, ut Concilio interfint, ubi à Pontifice advocentur. In Romanæ pariter Ecclesiæ Ritualibus connumerantur Abbates inter eos, qui jus suffragij obtinent in Conciliis; additurque, id postea meritò ad Religiosorum summos Præsides inductum.

44. Ex quibus proinde liquet, Episcopos ex *Ordinarij* juris potestate, Abbates verò *ex privilegio veteris consuetudinis*, habere illum characterem, vi cujus obtineant jus suffragandi in Concilijs Oecumenicis: dum in *nomine*, id est, *Vicariâ Christi authoritate* congregantur.

45. Infertur 3. Pontificiam authoritatem in hoc equidem æquiparari cum suprema politicâ Regiâ potestate, quòd utraque *formaliter in se*, ac *in abstracto*, secundùm suæ essentiæ institutionem spectata, sit *Iuris Divini*, attamen discrepare in hoc vel maximè, quòd illius, non istius collatio, atque adeò ad certum individuum suppositum applicatio *subjectiva*, sit etiam *quoad intrinsecam suam rationem Iuris Divini*. Unde fit consequens, Regiam quidem potestatem quoad sui *moralem* applicabilitatem seu *subjectivam*, seu *effectivam*, quâ in Regnum Cælorum ordinabilem, subesse clavibus Ecclesiæ, attamen in ordine ad *subjectivam* Papalis eminentiæ applicabilitatem in terris nullam esse authoritatem, quæ super eâ se possit ingerere, licet quoad modum electionis solùm *accidentariæ*, Ecclesiæ sit potestas, super eo decernendi; prout dicetur *in subsequentibus præcipuè Disquisit.* Ubi exactior exhibebitur resolutio dubij *in præs. disquisit. §. 1. n. 5.* adducti.

DISQUISITIO II.

In quo centro versetur præsentis articuli difficultas?

§. I.

1. COncilium Universale in quadruplici statu considerari potest. 1. Tanquam acephalum, vivente tuam Pontifice, absque ejus authoritate & consensu congregatum. Ut sic autem nullam omninò habet potestatem condendi leges obligantes Ecclesiam, siquidem ista authoritas legatur Petro, ejusque successoribus, non autem universitati Prælatorum Ecclesiasticorum data, quin potiùs istis etiam congregatis tanquam membris non aliter competat, nisi per derivationem ex concessione Pontificiâ. Eo ipso autem, quòd Concilium absque Pontificis authoritate sit congregatum, caret tunc Capite, ex cujus influxu participare possit jurisdictionem.

2. Potest Concilium esse congregatum authoritate Pontificiâ, atque tunc controvertitur inter Doctores, an vi convocationis eo ipso habeat à Pontifice potestatem ferendi leges, quæ antecedenter ad Pontificis approbationem ligarent Ecclesiam. Affirmant enim Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 3. n. 13.* Victoria *in relect. de potestate Papæ q. 1. n. 6.* Econtra Cajetanus *opusc. de comparat. Papæ & Concilij.* Navarrus *lib. Cons. tit. de Concil. cons. 1. n. 2.* Castropalaus *de Legibus. punc. 23. n. 15.* & alij arbitrantur; ex vi illius authoritativæ convocationis summum Pontificem potestatis suæ de universali Ecclesiâ per leges obligandâ delegationem non in tantum facere, quin pro tali obligatione introducendâ, opus adhuc sit approbatione Pontificiâ, eò vel maximè, quòd omnia Concilia Generalia soleant à Summo Pontifice postulare Decretorum suorum confirmationem, veluti à Concilio quoque Tridentino *Sess. 25.* in fine factum constat. Unde videtur evinci, quòd ipsamet etiam Concilia Generalia judicent, leges suas, ad obligationem toti Ecclesiæ inducendam, indigere adhuc approbatione Pontificiâ. 2.

3. De Concilio authoritate Papæ congregato, posset moveri difficultas; *An ipsi per Summum Pontificem posset fieri talis delegatio jurisdictionis suæ Pontificiæ, ut vi talis delegationis leges quæcunque statutæ, eo ipso absque ulteriori Pontificis approbatione ligarent universalem Ecclesiam?* In quo equidem affirmat Salas *de Legib. disp. 8. sect. 19. n. 92.* Econtra negat Suarez *cit. lib. 4. cap. 6. in fine*, eò quòd leges Canonicæ obligantes totam Ecclesiam, proficisci debeant à potestate, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non possit. Hæc autem potestas pendens à speciali Spiritûs sancti directione Pontifici promissâ, æquè non est delegabilis, atque potestas articulos fidei definiendi delegari non possit. Verùm Castropalaus *cit. punc. 23. n. 30.* videtur optimè distinxisse. Aliæ enim sunt leges, quæ non tam sunt *positivæ* constitutiones, quàm definitiones fidei, & conclusiones ex principijs tum revelatis, tum naturalibus deductæ: cujusmodi censetur esse lex prohibens matrimonia evnuchorum, bigamiam, coitum vagum, mutuum dare sub usuris, & fortè præscriptionem rei malâ fide possessæ. At eo ipso, quòd assistentia Spiritûs sancti ad ejusmodi leges requisita delegari nequeat, sequitur, neque potestatem leges ejusmodi ferendi esse à Pontifice delegabilem. Aliæ proinde leges sunt per modum *positivæ* constitutionis, non nisi 3.

remotè ad salutem pertinentes, utpote quibus etiam non existentibus, salus obtineri posset, cujusmodi v. g. sunt leges statuentes peculiaria quædam jejunia, seu beneficia acquirendi modum, vel *accidentarias* missæ sacrificij cæremonias. In his autem, cùm non sit opus infallibili Spiritûs sancti assistentiâ, videtur omninò, potestatem legislativam esse delegabilem.

4. 4. Denique Concilium Generale potest esse congregatum vel deficiente Summo Pontifice, utpote in hæresin lapso, atque adeò authoritate suâ, (quæ non nisi Capiti, atque adeò membro Ecclesiæ per Christum concessa est) destituto, vel schismate, ratione cujus de legitimo Papâ dubitatur, interveniente. In quibus adeò casibus ex ipso jure naturali, ne scilicet Ecclesia omni remedio videatur destituta, posse Concilium taliter congregatum, condere leges Ecclesiæ gubernationi pro illo statu necessarias, non tamen perpetuò, nisi postea per summum Pontificem approbentur, pro universali Ecclesiâ duraturas, Suarez *citatus n. 4.* & ex ipso Castropalaus *n. 16.* probant ex eo, quòd non alia tunc sit Concilio potestas, nisi quæ ex jure Divino naturali in quolibet Corpore Mystico consequitur, ut supremo Capite deficiente, possit se gubernare, ac tueri per particulares in unum Corpus unitos principes: ejusmodi verò potestas sit restricta ad talem necessitatis statum.

5. Quos singulos Concilij Universalis status in subsequentibus pro rei exigentiâ examinabimus, unicè hîc expensuri statûs *secundi* triplicem difficultatem, quæ in eo se tenet; *Vtrùm Concilio Generali per authoritatem Pontificiam legitimè congregato, atque per hujus Pontificij, vicarium Christi nomen præferentis characteris concursum solennizato, competat specialis prærogativa, ex qua obtineat quandam supra Pontificem seu majoritatis, seu superioritatis speciem?* Sive; *An Concilium Romani Pontificis authoritate congregatum, sicq; in primævâ sui apertione Christi Vicario charactere insignitum, ex tunc habeat* immediatam *à Christo authoritatem, in vi cujus ex seipso, absque authoritatis Pontificiæ concursu, reputari possit Oecumenicum, nec adeò ad solius pontificis voluntatem dissolvi amplius valeat?* Vel? *Vtrùm Concilium taliter congregatum, eatenus sit repræsentans universam Ecclesiam, ut Papa non debeat, vel etiam possit dici Caput illius?*

§. II.

Referuntur sententiæ, & argumenta Adversariorum cum congruis Doctorum nobiscum sentientium ad ea responsionibus, & aliquali super istis reflexione.

ARGUMENTUM I.

6. AD rei hujus accuratiorem elucidationem, operæpretium videtur, *primo loco* in partis adversæ favorem proferre in medium, quæ ad præsens institutum agitabantur in sacro Oecumenico Tridentino Concilio; prout videre est apud Pallavicinum *lib. 19. ejusdem hist. cap. 14. n. 5. cap. 15. n. 3.* Nempe pro subsecuturâ *Sessione 23.* inter alios de Ordinis sacramento Canones, *octavus* fuerat in hunc modum efformatus: *Anathema sit, si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vicarium in terra; vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex Petri Successor, eiq; æqualis in authoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos ejus Successores ad hoc usque tempus non habuisse jus Principatûs in in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores, Doctores omnium Christianorum, nec ipsis traditam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam Vniversalem.* In hâc Canonis normâ Episcopi, ac Theologi Galli improbabant, quòd diceretur: *Romanum Pontificem esse Petro æqualem in auctoritate regendi*: quippe cùm Apostolus iste potuerit aliqua conficere, v. g. libros Canonicos dictare, quæ Successoribus ipsius non fuerunt concessa. Vellicabat etiam animos Gallorum, ne ullam sinerent irrepere voculam, quæ officeret propositioni, quam Ferrerius Galliæ Regis Orator coram Legatis Pontificijs quasi pro certissimo principio ponebat: *Concilium* nempe *supra Romanum Pontificem esse*: Religionem & Gallicanam Ecclesiam non modò id sentire, sed profiteri, & jurejurando affirmare tanquam articulum necessarium; idque jure optimo ex Concilij Constantiensis authoritate. Præscribi quidem sibi in mandatis Regijs, ne hujusmodi controversiam excitarent, sed simul, ne sinerent liberum aditum cuilibet verbo, quod illi ipsorum Religioni opponeretur.

Hinc Seripandus Legatus Pontificius ad 7.
Ferrerium conversus, dixit: allatum ab illo fundamentum Synodi Constantiensis haud solidum esse: id temporis certum Pontificem non extitisse, atque hinc ad schisma sedandum, opus fuisse, ut declaratio ad Synodum pertineret, adeóque, ut illa præesset cunctis illis Pontificibus litigiosis. At in præsentia vivere inter Catholicos supremum Pontificem certum, legitimum, atque indubitatum, cui universa Ecclesia subdebatur. Varijs exinde modis per litteras Pontificias Româ allatas propositis, ad componenda cum exteris nationibus dissidia, videbantur cuncta haud difficulter perfici posse, unico excepto, nimirum ne concederetur Pontifici, quod à Florentina Synodo ipsi tribuebatur, hoc est, illi deberi *Vniversalis Ecclesiæ regimen.* Iniquissimè id negari, reponebatur, quando etiam ante eam Synodum in eo cognoverat alia Synodus Oecumenica, in Gallia Lugduni celebrata: & quando apparebat in vetustissimis diplomatibus præsens consuetudo appellandi Romanum Pontificem *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, quod tantum sonat, quantum *Vniversalis*: quin etiam, quando ritus est à Cæsare usurpatus, cùm ad Pontificem scribit, ut apponat inscriptioni: *Ad Romanum Pontificem Vniversalis Ecclesiæ.* Verumtamen addebatur in ijs litteris, ne cum alieni animi duritie decertaretur, posse loco dictarum vocum hanc poni, *Regere universum*

Doctrini

Domini gregem, quo pacto loquitur Innocentius IV. *Cap. 5. De schismate. lib. 6. Decretalium:* aut etiam posse illic relinqui simplicem vocem *Ecclesiæ Dei*, omissâ *Vniversalis*, dummodò alia quæpiam vox mutaretur ex usurpatis à Concilio Florentino, nec in hac tantummodò mutatio deprehenderetur.

8. Multis hanc in rem actitatis, teste Pallavicino *est. historiæ Trid. lib. 21. cap. 12.* propositum fuit, quòd in Pontifice esset potestas *pascendi cunctas Christi oves*: sed vox illa *cunctas* videbatur importare sensum *distributivum*, non *collectivum*, cùm significet unamquamque ovem, non gregem integrum, quà coeuntem in unum. Actum propterea fuit de adjiciendis Canoni *super Summorum Pontificum auctoritate* illis verbis: *Vniversales Ecclesiæ Pastores*, desumptis ex Concilio Lugdunensi, adeoque majoris apud Gallos auctoritatis, maximè, quòd legebatur, hoc ipsum Concilium adductum à Basileensi: & loco particulæ *Oves Christi*, cogitatum est de voce *collectivâ*, hoc est, *Gregem Domini*, quemadmodùm pro locutione Innocentij IV. censuerat Pius, ad Legatos scribens, prætereaque expetens, ut exprimeretur: *Petrum accepisse à Christo plenitudinem potestatis.*

9. Aliud exemplar exhibuerant Præsules Galli, quo volebant, ut Pontifex appellaretur *Rector non Vniversalis Ecclesiæ*, sed *Ecclesiæ Catholicæ*. Quæ vox tametsi videretur idem valere, à compluribus tamen repudiabatur tanquam dubia, quando nomen *Catholici* aptum etiam est ad significandum *fidelem*, adeoque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodò potest Episcopus *Ecclesiæ Catholicæ*, quemadmodùm in *quintâ* Synodo Generali Augustinus dicebatur *Episcopus Ecclesiæ Catholicæ*. Et S. Cyprianus legitur, voluisse, ut hæretici in Ecclesiæ sinum recepti, Cornelium non solùm confiterentur Pastorem *Ecclesiæ Catholicæ*, sed cum ista explicatione, id est, *Vniversalis*, quòd scilicet hoc posterius vocabulum auferret quandam dubitationem prioris. Et ideo videtur in Synodo Lugdunensi attributum Romano Pontifici epitheton *Vniversalis*. Quòd si idem utràque *Catholici* & *Vniversalis* voce significaretur, quemadmodùm Galli dicebant, cur earum utralibet æquè non admitteretur? Tamen existimabatur, posse temperamentum capi, si diceretur *Pontifex totius Ecclesiæ Catholicæ*. Et sanè complures auctores erant, ut etiam absque addito acciperetur vox illa *Catholicæ*, quippe quæ extat in symbolo, quæque propterea usurpatur à Summis Pontificibus in solennibus ipsorum subscriptionibus, adeoque ubi illi voci non acquiescerent, quodammodò se in his detrimentum passos faterentur. Sed contra reponebatur, plus quæri claritatis, postquàm recentes hæreses conatæ sunt perversis interpretationibus obscurare antiquæ Scripturæ, Ecclesiæque vocabula. Hinc namque necessitatem ortam esse, non solùm novas in Concilijs definitiones edendi, sed interdum voces symbolo adjiciendi.

10. Dum omni studio dabatur opera, ut exemplar propositum per voces cunctis acceptâs conficeretur, Nuntius improvisus Cardinalis Lotharingi ad Legatos delatus, ipsos ab opere Lotharingi ad Legatos delatus, ipsos ab opere distraxit: *A se suam illam ideam fuisse propositam Gallis Episcopis, & dum confidebat, eos universè illi assensuros, in pluribus repugnantiam ineluctabilem fuisse offensam, se præstò esse ad eam per se subscribendam, sed absque spe, ut à Synodo comprobaretur.* Hoc Nuntio spes omnis in Legatis evanuit, ut ulla reperiretur ratio, quâ cunctis satisfieret in memoratis quæstionibus de Summi Pontificis præcipuè auctoritate. Quamobrem in privato ipsorum cœtu, mutato proposito actum est de novo ineundo consilio, & in hanc sententiam convenerunt, restrictiores Canones esse formandos, in quibus omitteretur, quidquid ad controversos articulos attinebat, adeò, ut nihil cuiquam recusandum, sed tantummodò desiderandum aliquid appareret. Hâc ratione sperandum communem Patrum consensum, qui post tam diuturnam contentionem neutri sperantes, adversarios aut ad se adductum, aut à se separatum iri, nollent à dubio clarum impediri.

Ex qua Actorum serie videtur pro parte 11a
adversâ sequens concludi posse argumentum; ipsosmet etiam Pontificios Legatos in casu dubij Pontificis concessisse Concilio super eo superioritatem. At hæc, oportet, ut habeant fundamentum ex sacris Litteris; vix autem ostendi potest ex harum verbis, quæ statuunt de Concilio, continere aliquam vocem ad casum dubij Pontificis restrictivam, quò minùs erga Pontificem, præcipuè facinorosum, locus esse posset correctoriæ Concilij virgæ etiam *coercitivæ*. Deinde ipsummet Pontificem Pium II. ejusque Legatos, una cum toto Patrum cœtu, censuisse dissimulandum super illis quæstionibus de superioritate Concilij supra Papam, & an Pontifex dicendus esset *Vniversalis Ecclesiæ*, dum sub hac voce videretur Papæ attribuenda majoritas erga Universalem Ecclesiam, atque adeò erga Concilium, Universam Ecclesiam repræsentans. Hæc autem dissimulatio à motâ illâ quæstione ultra centum jam annos progressa, an non facit argumentum, quòd sententia superioritatem Concilij supra Papam adstruens, saltem non pugnet cum fide, seu sacris Litteris? Quomodò enim aliàs tanto tempore tolerari potuisset? Cur ergo, dum ea propositio hodie asseritur à Clero Gallicano, tantopere commovetur Romana Curia, & non potiùs Patrum Concilij Tridentini amplectitur consilium de eâ dissimulandâ?

Responsio.

QUando Papa est dubius, nempe in schismate creatus, dum constare non potest, quis ex pluribus electis sit legitimus, posse Concilium Generale super eo ferre judicium, est casus expressè definitus in Concilio Constantiensi *Sess. 4. & 5.* Cujus definitionis adfertur ratio, quòd tunc Concilium non exerceat potestatem in Papæ authoritatem, sed in eum, quem credit, non esse Papam; nam dubius Papa, de quo 12a

non

non constat, pro nullo habetur, cùm in Jure sint paria *non esse, & non apparere. Lege Duo sunt Titij. 30. ff. De testament. Tut. Leg. In lege. 77. ff. De contrahenda emptione. Leg. Omnia. 32. §. Species. ff. De legat. 2.*

13. Deinde cur Patres Concilij Tridentini cum Pontificijs Legatis, imò ipsomet Papâ dissimulârint circa eas de Romano Pontifice quæstiones, specialis intervenerat ratio: tum quòd sacra Synodus unicè fuerit pro tunc intenta ad Neotericorum hæreses notandas, fideique adversùs istas decreta & Canones edendos, abstrahendo à quibuscunque inter Catholicos controversijs, fidei etiam materiam, hactenus tamen indecisam, concernentibus: tum quòd Galli seu Præsules, seu Oratores æquè habuerint Regis sui mandatum, abstrahendi à quæstione superioritatis Concilij erga Papam, dum opportunum haud fuerat, tales inter Catholicos moveri contentiones, ex quibus hæretici, quibus eo tempore superabundabat Gallia, plausum sibi adversùs sacram Synodum facilè conciliâssent. Quæ proinde dissimulatio æquè nullum præbet Gallorum sententiæ qualiscunque firmitatis argumentum, atque innumeræ aliæ quæstiones de quapiam fidei veritate inter Catholicos Doctores motæ, dum indecisæ in suo controverso statu relinquuntur ab Ecclesia, ex hujus tolerantiâ nullum prorsus alicujus roboris momentum recipiunt. Quod tantò magis locum habet circa illam Gallorum sententiam, quantò major, ac specialior suberat ratio dissimulandi ad tempus magis opportunum, vel ex variatione circumstantiarum causa magis urgens quæstionis hujusmodi decisionem. Enimverò cùm Clerus Gallicanus, ubi Galliæ Regnum ab hæresi Calviniana, seu Hugonottica se expurgatum cernere cœpit, illam sententiam tantâ cum solennitate in cœtu Episcoporum, sub Regio etiam edicto, firmavit, & promulgari fecit, num tutum jam sit, ex parte sacræ Curiæ Romanæ dissimulare, & non potiùs rei momentum ex solidis fidei fundamentis expendere?

Reflexio.

14. VErum equidem est, quòd Ecclesiæ ratio *substantialis* ex ipsamet Christi Domini, eam ceu corpus quoddam Hierarchicum instituentis ordinatione, exigat Caput visibile, de quo cunctis fidelibus secundùm prudentialem credibilitatis evidentiam constaret, esse legitimum Petri successorem, Christique adeò vicarium, & Pastorem Oecumenicum. Cujus proinde credibilitatis, secundùm supernaturalis prudentiæ evidentiam *practicam* visibilis fundamento, sub statu dubij Papæ intrà Ecclesiam sublato, patitur ista gravissimam violentiam, à qua se meritò vindicare valeat, consulendo sibi de certitudine Pastoris Oecumenici. In quo adeò statu nequaquam agitur adversùs Papæ authoritatem, sed pro hac potiùs intrà Ecclesiam certificandâ, meritò ex toto Christiano orbe convocatur Concilium Generale, quod supra ejusmodi dubium Papam eatenus obtinet authoritatem, quatenus character Pontificiæ præeminentiæ tunc circa ipsius personam respectu Universalis Ecclesiæ est in statu suspensivo & abstractivo, minimè adeò per tale Concilium attingi potente. At dum certus est Pontifex, nequit contrà istum procedi, nisi tangatur ejusdem Oecumenica, cunctis Christi fidelibus supereminens authoritas, perinde ac læsæ Majestatis reus esset quicunque Gallici Regni Conventus judicium sibi arrogans supra personam Regis, cujus est indubitata suprema, nulla adeò Regni sui tribunali subjecta, potestas Regia. Ea igitur inter statum dubij ac certi Pontificis meritò adstruenda est differentia, ut, quando habetur convincens evidentia prudentialis de Petri legitimo successore, ipsæmet sacræ Litteræ ejus supremam præeminentiâ asseverantes prohibeant, ne Concilium possit ullam super ipso prætendere superioritatem; at ubi deficit ea de legitima successione prudentialis credibilitatis evidentia, ex prætactis sacris Litteris nequaquam potest in tali Papa dubio haberi ratio præeminentiæ per Christum sancitæ: sicque adeò Concilio Generali incumbit, super ejus certificatione facere judicium, indeque Ecclesiæ sanctæ prospicere de certo Capite, ac Pastore Oecumenico.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

PRæcipuum pro Concilij supra Papam superioritate fundamentum ex parte adversa desumitur ex *Matthæi 18. capite* ubi sic habetur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ex quo proindo sacro textu tale formatur argumentum. Ecce! Hìc Christus Apostolos, eorumque Successores alloquitur, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denunciari, ab eaque damnatos, ad nullum alium judicem remitti. Vult ergo Christus, ultimum esse tribunal Ecclesiæ, & a Petro ad Ecclesiam, tanquam majoris potestatis judicem provocari. Et ita hunc locum videtur intellexisse S. Gregorius *lib. 4. epist. 38.* Nicolaus 1. *in Cap. Præcipuè. 11. q. 3.* qui duo Summi Pontifices, sibi non obtemperantes, Ecclesiæ se delaturos minantur. Majus ergo Ecclesiæ judicium esse, quàm suum, agnoscunt. 15.

Responsio.

AUthor *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 15. n. 1.* respondet, hoc *Matthæi* loco velut præcipuo fundamento niti Adversarios. Sed tam infirmum esse argumentum inde petitum, ut vel hoc maximè prodant causæ, quam defendunt, imbecillitatem, dum tantæ molis quæstionem imponunt arenæ. Inprimis namque nullus est hìc sermo de Petro, ejusque successoribus, & tamen de his quærimus. Quamvis enim Christus 16.

stus ad Apostolos in communi loquatur, quis nescit, generali locutione casus speciali notâ dignos, & privilegiatos non includi? Deinde nomine Ecclesiæ, cui jubet obstinatos denuntiari, intelligit Christus eos omnes, quibus ligandi & solvendi, puniendique potestas concessa est; uti patet tum ex fine denuntiationis, qui est correctio: tum ex adjunctâ illâ causali: *Quæcunque alligaveritis super terram &c.* Certum est autem, potestatem ligandi, solvendique non tantùm ad Concilium Universale, sed etiam ad Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos pertinere. Si nomine Ecclesiæ Concilium intelligas, oportebit, quoties Christianus furto, adulterio, homicidio peccat, Concilium Generale cogi, ut illic delinquentis causa ventiletur, quo nihil dici potest absurdius, impossibilius, magisque ab omnium Ecclesiarum more alienum; quod tamen dicendum est, si Christus eo loco Concilium intelligat.

17. Sed demus, Concilium Universale intelligi, non tamen sinè suo Capite, nec à Pontifice separatum, de quo solùm disputamus, an supra Pontificem tolli possit? Deinde observandum est, Christum dixisse: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ut ostenderet, sermonem non esse de Summo Ecclesiæ Patre & Pastore, qualis est Romanus Pontifex. Legitimus ergo sensus est: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* ilque secretæ & fraternæ tuæ admonitioni non acquiescat, dic Ecclesiæ, id est, Pastori proprio, qui Ecclesiæ præest; uti explicat S. Chrysostomus *hom. 61. in Matth.* S. Thomas *in 4. dist. 19. & 22. q. 24.* Albertus Magnus *in Matth. 18.* Innocentius III. *in Cap. Novit. De judicijs.* Theophylactus, Euthymius, & alij passim. Ipse enim Prælatus, cùm agit non ut privata, sed publica persona, utiturque potestate Ecclesiasticâ, vulgari, & jam notâ phrasi vocatur Ecclesia, quia hanc repræsentat. Et patuit etiam exemplo Gregorij Magni, qui minatus Ioanni Constantinopolitano, nisi titulo *Universalis Patriarchæ* abstineret, se illum Ecclesiæ Universali denuntiaturum, sinè tamen Concilio universali authoritate Papali compescuit, & censuris obstrinxit *lib. epist. 30. & 31.* malè ergo & contra regulas artis Concilium Papæ anteponunt Adversarij eo Scripturæ textu, qui nec de Concilio loquitur, nec de Papa, sed de casu omninò alio & disparato.

18. Demus tamen, in hoc Evangelij loco esse sermonem de Papa & Concilio universali, etiam ut Papæ oppositio, nihil aliud sequitur, quàm Papam publicè criminosum posse ad Concilium & Ecclesiam deferri, de remedijs illum emendandi, cohibendique agitari: eumque admoneri, rogari, & si Ecclesiæ infestus sit, etiam jure defensionis coërceri: quæ si omnia facta sint, & incassum cedant, Deo tandem res committenda, cui Ecclesiæ cura est, & quam inter tot persequentium procellas, & priora sub persecutionibus malorum Pontificũ exempla agitari quidem permisit, numquam tamen mergi, opprimique: neque enim nobis timendum est, id eventurum, quod nunquam evenit, & quod Christus promisit, numquamne, ut eveniat, passurum: essetque impium, cogitare, Ecclesiam propterea, eoque casu sinè auxilio esse, cùm à solo Deo auxilium exspectat; ibi enim maximè parata est, & velut in procinctu Divina custodia, ubi deficit humana: & hoc maximè verum est in supremis Reipublicæ Capitibus, quorum delicta suæ tantùm virgæ subjecit, nec voluit subditorum arbitrio & pœnis committi, ne pejus esset malo remedium, obtentu justitiæ malevolorum calumnijs, invidiæ, & affectuum impotentiæ expositâ Principis Majestate. Et ita praxis Ecclesiæ semper obtinuit: quam vis enim Marcellini, Sixti III. Symmachi, Leonis III. Damasi, Leonis IV. aliorumque Pontificum delicta fuerint ad Synodos delata, nunquam tamẽ in eos sententiæ dictæ sunt. Imò in Synodo Oecumenica VIII. lato hoc Canone definitum est: *Posse quidem Synodum Universalem cum conventi reverentiâ quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Vide tomum III. Concil. *in Actis VIII. Synodi.* Platinam *in Marcellino, in Sixto III. Symmacho, Leone III. & IV. Damaso &c.* Item *Cap. Nunc autem. dist. 21. Cap. Nos si incompetenter. 2. q. 7. Cap. Auditum. 2. q. 5.* & *Cap. Mandastis. eodem.* Ubi animadvertere licet, Pontifices aliquot innocentiæ suæ purgandæ causâ, & ut calumnias sibi affictas palam detegerent, Synodorum etiam particularium judicio *discretivo*, & velut *arbitrario*, non tamen *coactivo*, quod non poterant, se submisisse.

Reflexio.

19. VErissimum est, sub illo sacro Evangelicæ coercitionis textu, Ecclesiæ nomine intelligi quoscunque habentes characterem Ecclesiæ repræsentativum. Sub hoc namque charactere tum denuntiatio fit Ecclesiæ, tum correctio inde secuta reducitur in Ecclesiam. At ejusmodi character Ecclesiæ repræsentativus in Prælatis eatenus importat partem solicitudinis Pastoralis tum in Episcopali, Sacerdotáli-ve charactere radicatæ, tum in ordine ad actus jurisdictionales, ex Pontificiæ Apostolicæ potestatis plenitudine derivatæ, ut, quidquid intrà sphæram sibi ab Ecclesia præscriptam peragit Prælatus Ecclesiasticus, totum id reducatur in Ecclesiam. A fortiori igitur, illo sacro textu Evangelico continetur Romanus Pontifex, qui secundùm S. Augustinum totius Ecclesiæ figuram gerens, quoad virtutem Capitis, seu vicariæ Christi authoritatis, est supereminenter repræsentativus Ecclesiæ. Quid ni ergo Concilium Oecumenicum ex Capite & membris Hierarchicis, Ecclesiam repræsentantibus coadunatum dixerimus, esse Ecclesiam Universam, de qua Christus *cit. Matth. 18. cap.* pronunciavit: *ut quisquis illam non audierit, instar Ethnici & publicani habendus sit?* Christus Dominus hanc Ecclesiæ authoritatem coërcitivam, vel maximè formidabilem pronunciavit versu subsequenti: *Amen dico vobis*, inquiens, *quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quidquid solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Hoc Christi pronun-

tiatum, numquid Apostolos etiam *distributivè* sumptos attingebat? Et quidem duplici modo, tum quoad Apostolicæ authoritatis delegationem personalem, cum ipsorum in terris peregrinantium vitâ extinctam, tum quoad Episcopalem jurisdictionem in charactere Ordinis radicatam, ac in sui exercitio ex Apostolicæ potestatis in Petri Successore perpetuæ plenitudine dependentem. Numquid verò idem textus Evangelicus Apostolos etiam *collectivè* sumptos, quà Ecclesiam Dei modo altiori repræsentantes, cum ordine etiam ad perpetuum Ecclesiæ statum complectitur? Ea posteriora de illimitatâ ligandi & solvendi potestate ad Apostolos directa Evangelij verba ita combinantur cum præcedentibus, ut ex vi quasi causalis connexionis, illa ipsissima Apostolis promissa ligandi & solvendi authoritas *indefinita* reducatur in Ecclesiam, cujus status noscitur esse perpetuus. Hæc autem perpetuitas non subsistit quoad Apostolicam in cæteris, præter Petrum, Apostolis solummodò delegatam potestatem. Oportet igitur, ut Apostolicæ illius authoritatis cunctis Apostolis repromissæ perpetuitas referatur ad Apostolos *collectivè* sumptos, quà universam Ecclesiam in Concilio Oecumenico repræsentantes. An non igitur dicendum videtur, licèt Episcopi *distributivè* spectati, Apostolorum successores non sint, nisi quoad characterem Episcopalem, Pastoralisque jurisdictionis solummodò radicem, in sui exercitio, actualisque potestatis concessione dependentem ex Papæ concessione, attamen Episcopos *collectivè* sumptos, nempe in Concilio Oecumenico aggregatos, sublimiori quodam modo esse Apostolorum Successores quoad Apostolicæ, nempe illimitatæ, ad ligandum & solvendum potestatis communionem? Hujus igitur quæsiti punctum, cum suis præsentis difficultatis centrum tangentibus consectarijs, per sequentes conclusiones accuratiori stylo discutiendum hîc suscipimus.

CONCLUSIO I.

20. PRo indubitato principio ponendum est, quòd præadductus *Matthæi 18. à versu 17. usque ad versum 20.* exaratus textus Evangelicus accipiendus sit de Concilio Oecumenico.

Explicatur, argumenti exordium desumendo *ex versu 20.* in quo Christus pronuntiavit: *Ubi duo, vel tres in nomine suo fuerint congregati, se in medio eorum sore.* Quis autem Catholicorum neget, hoc Domini verbum procedere de Concilio in nomine Christi, id est, (uti *superiùs* ostensum fuit) vicariâ ejus authoritate aggregato. At versus iste continet *causalem* particulam *Enim*, in vi cujus combinatur cum proximè præcedente versu, quo idem Christus asseveravit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Ipsissimus verò hic versus Evangelicus in vi particulæ *Iterum* refertur ad Apostolos, quibus Christus proximè præcedenti versu 18. dixerat: *Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis, & quæcunque solveritis super terram, erunt vel ligata, vel soluta in cælis.* Hæc verò *indefinita* ligandi & solvendi potestas non potest non esse Apostolica, in uno Petro singulariter spectato, ex vi promissionis Christi *Matthæi 16.* factæ, per successionis ordinem proroganda. Quare hujusmodi Apostolicæ authoritatis *Matthæi 18.* promissa prærogativa, in cæteris Apostolis non nisi *collectivè* sumptis, atque adeò in Concilio aggregandis, dici potest perpetua: quippe cùm isthæc solvendi & ligandi potestas *indefinita*, Apostolis universis per Christum destinata, noscatur ex proximè præcedentis *decimi septimi* versûs sacro contextu habere connexionem cum Ecclesia, quæ ut sic dicit tum collectionem eorum, quibus est à Christo concessa solvendi potestas, tum perpetuitatem statûs ad sæculi usque finem duraturi. Illa proinde Apostolis *universim* ac *collectim*, quà unam Ecclesiam repræsentantibus, atque adeò in Concilio Oecumenico aggregandis promissa potestas, eatenus est perpetua, ut, quoties fit collectio illorum, qui de ea solvendi potestate communicant, in tali congregatione, seu Concilio, per vicariam Christi authoritatem convocato, Christique adeò nominis characterem præferente, ultra Petri, ejusque Successorum propriam solvendi potestatem Apostolicam, sacro ejusmodi Cœtui, quà Universam Ecclesiam plenè repræsentanti, competat insuper peculiaris quæpiam solvendi & ligandi potestas Apostolica, *immediatè* à Christo eidem impertita.

Objectio I.

DIces. Si Apostolis, eorumque hâc in parte Successoribus, nempe Episcopis in Concilio, ex Vicaria Christi authoritate coadunato, indeque Oecumenico, competat *indefinita* solvendi & ligandi potestas, distincta à Petri, ejusque Successorum, solvendi authoritate, ac secundùm Christi verba sit æquè *indefinita*, illi omninò compar, fore consequens, quòd, ubi Concilium fuit nomine Christi Vicario congregatum, possit jam ex seipso decernere ac definire independenter à concursu illius Petro, ejusque Successoribus singulariter concessæ authoritatis Oecumenicæ. Unde rursùs sequitur, quòd oporteat quidem, ut Concilium sit Oecumenicum, esse aggregatum in nomine Christi, nempe vicaria Christi authoritate: qui character antecedenter ad Concilij convocationem in nullo alio, quàm Summo Pontifice, Petri legitimo Successore subsistens, omninò necessarius est, ut Concilium in prima sui aggregatione sit legitimum, ac Oecumenicum: attamen ubi jam existeret Synodus tali modo coadunata, sicque charactere Oecumenico insignita, ex tunc ex se ipsa *immediatè* à Christo eatenus obtineret authoritatem Oecumenicam solvendi ac ligandi, ut authoritate haud minor esset talis Synodus, quam Pontifex Maximus, nec adeò per hunc dissolvi jam posset, dissentiente Concilio, indeque quidquid statueret, habiturum vim & au-

authoritatem decreti Oecumenici. At hoc nullatenus esse concedendum, siquidem hinc sequeretur, Synodum Basileensem non potuisse dissolvi ab Eugenio IV. atque adeò justè, huic talem dissolutionem indicenti, restitisse Synodum, utpote quæ ex seipsa jam obtinuerat illam Apostolis *collectim* sumptis, seu in Synodo legitimè aggregatis, promissam *indefinitam*, adeoque Apostolicam, solvendi & ligandi authoritatem, sub quâ, ceu charactere Oecumenico, Synodus illa jam independenter à concursu Oecumenicæ Petro, ejusque Successori concessæ, authoritatis erat verè Oecumenica. Rursus inde sequi, potuisse Concilium vi illius characteris Apostolici, ubi pro tempore cogitaret sui solutionem, in futurum tempus à se determinatum, ex eadem authoritate Apostolicâ indicere novum Concilium Oecumenicum, quin Papæ authoritas Oecumenica ad talis Concilij convocationem concurrere deberet: quippe cum indictio Synodi taliter facta, atque adeò prima etiam ejusdem coadunatio jam obtineret charactèrem Apostolicum, sub quo, uti *ex Actis cap. 5.* patet, portatur nomen Christi, & in sui tam exordio, quàm progressu insignitum extaret eâ Apostolicâ, cunctis collectis Apostolis pro perpetuo Ecclesiæ statu, adeoque ipsorum quoque Successoribus, per Christum promissâ, & ab eo *immediatè* collatâ authoritate, Vicarium Christi nomen præferente. Hæc igitur, cùm nequaquàm sint consentanea sacræ Ecclesiæ praxi, sintque prorsus aliena à præeminentiâ Sedis Apostolicæ, imò cùm hinc statueretur quasi duplex Sedes Apostolica, altera in Concilio Oecumenico, altera extra Concilium soli Petro, ejusque Successori legitimo concessa. Idcircò principia *superiùs* posita, ex quibus profluunt ejusmodi consequentiæ prorsus execrandæ, nullatenus videntur admittendæ.

Responsio.

22. PRæsupposita principia deduci ex sacris Litteris, si sacrorum contextuum debita inter se collatio fiat, ex *superiùs* dictis manifestum extat. Haudquaquam igitur ab eis recedendum est, sed conandum, ut illorum sacrorum contextuum profundior intelligentia, per argumentationem Theologicam inde eruatur. Pro indubitato igitur principio præsupponendum est, illa Christi Domini verba: *Amen dico vobis: quæcunque ligaveritis, & solveritis super terram, erunt ligata, & soluta in cælis*; connecti cum proximè præcedentibus: *Dic Ecclesiæ, &, si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* At rursus pro certo principio tenendum est, quòd Ecclesia *absolutè* sumpta, importet Ecclesiam Universalem, à Christo elevatam ad statum Corporis Hierarchici, constantis ex Capite, nempe Summo Pontifice Petri Successore, & membris, nempe Apostolis, eorumque successoribus. Quemadmodùm autem Corpus humanum nequit subsistere ex Capite ac membris sigillatim spectatis, sed quà inter se unitis: sic neque istud corpus Hierarchicum, Ecclesiæ Universæ repræsentativum, in suo perfecto statu consideratum, est intelligibile, nisi quatenus Caput cum membris Hierarchicis non jam *divisim*, sed *collectim* sumptis, est unitum. Ex eo quidem, quòd pars, quidquid est, totius est, fit consequens, ordinari ac reduci ad totum, quidquid parti convenit. Et hinc, si peccans denuncietur vel Episcopo, vel etiam Papæ, atque ab hoc fiat correctio, sequitur manifestè, tunc & denuntiationem Ecclesiæ, & correctionem ab Ecclesia fieri: nihilominùs quia in illo sacro textu *absolutè* ac *simpliciter* fit per Christum mentio Ecclesiæ, oportet, sub hac *principaliter* intelligi totum Corpus Ecclesiæ Hierarchicum, quà unitum in Concilio Oecumenico, tametsi sub eodem Ecclesiæ nomine *reductivè* intelligantur & Caput & membra Ecclesiæ etiam *sigillatim* ac *disjunctim* sumpta. At eo ipso, quòd sacer ille contextus, de Apostolicæ solvendi potestatis plenitudine pronuntians, connectatur cum versu proximè præcedenti, in quo est sermo de Ecclesiâ *simpliciter*, & *absolutè* sumptâ, quatenus est Corpus Hierarchicum ex Capite ac membris Hierarchicis non jam *divisim* spectatis, sed quà unitis, atque adeò in Concilio Oecumenico coadunatis *substantialiter* constitutum: idcircò illa *indefinita* ligandi authoritas Apostolica, per Christum promissa cum ordine ad Ecclesiæ statum, ex ipsamet Christi Domini institutione, perpetuum in Apostolorum Successoribus nullatenus locum habere potest, nisi quatenus constituunt unum Corpus Hierarchicum Ecclesiæ, *substantialiter* constans ex Capite Petri Successore, reliquisque Hierarchicis membris, Episcopis ac Ecclesiæ Prælatis, non quà *sigillatim* sumptis, sed quà unitis in uno Concilij Corpore Hierarchico, ut sic perfectè, ac plenè repræsentante universam Ecclesiam, sicque Ecclesiæ Hierarchicæ nomen non *participativè* duntaxat, vel sub præcisâ Capitalis potestatis plenitudine, sed *absolutè*, *perfectè*, ac *simpliciter* obtinente. Est autem indubitatæ veritatis principium, quod Christus promisit Apostolis *collectim* sumptis, & quà Ecclesiam Universalem in uno Corpore Hierarchico repræsentantibus, sicque adeò in Concilio Oecumenico inter se, & cum Capite unitis, id nullatenus habere locum extra statum talis unionis, seu in Concilio Oecumenico coadunationis: quemadmodùm singula quidem humani corporis membra sunt organa diversa ad varias functiones per naturam ordinata, nullam tamen exercere valent operationem vitalem, nisi quà unita manent in uno corpore humano. Cùm igitur prætacta authoritas Apostolica, quà ad perpetuum Ecclesiæ statum relata, ex Christi Domini ordinatione non aliter competat Apostolis, eorumque adeò Successoribus, nisi quatenus constituunt unam Ecclesiam Hierarchicam *absolutè* & *simpliciter* in suo statu perfecto consideratam: hæc verò Ecclesiæ Hierarchicæ substantia requirat unitatem membrorum *collectim* sumptorum inter se, & cum Capite Papâ, non nisi in Concilio Oecumenico coadunandam, consequens est, illam Apostolicæ potestatis, pro perpetuo Ecclesiæ

statu promissæ plenitudinis, pollicitationem Divinam haudquaquam habere posse locum, antequàm fiat talis in Concilio Oecumenico membrorum Hierarchicorum tum inter se, tum cum Capite coadunatio, atque adeò tali unione solutâ, ubi Caput, Romanus scilicet Pontifex, à Concilio, quantumvis primitùs fuisset legitimè congregatum, suum Christi Vicarium nomen, seu Capitalem authoritatem retrahit, non posse tunc verificari, Ecclesiam Hierarchicam in statu perfecto repræsentari à Synodo, nec adeò in ea ex tunc obtinere illam Apostolicæ potestatis, Apostolis, quà unam Ecclesiam Hierarchicam constituentibus, promissæ plenitudinem: nec adeò in vi istius Apostolici, Christi nomen præferentis, characteris, utpote non ampliùs subsistentis, postquàm authoritas Papæ à Synodo legitimè antehac congregatâ, se subtraxit, posset Concilium ex tunc factum acephalum, universam Ecclesiam integrè repræsentare, jàm impotens etiam, pro futuro indicere novum Concilium Oecumenicum, quippe cùm ex tunc in ea Synodo defecisset nomen Christi, seu character Apostolicus, sit autem secundùm Christi institutionem de substantiâ Concilij Oecumenici, esse congregatum *in nomine Christi*, importante characterem Apostolicum.

13. Confirmatur hæc Theologica ratiocinatio. Indubitatæ namque, ac ipso naturæ lumine conspicuæ veritatis est, quod duobus nonnisi *collectim* sumptis convenit, non competere ipsis *seorsim*, ac *divisim* spectatis, sic enim, quia vox *homo* importat complexum seu compositum ex corpore & animâ unitim sumptis, nequeunt prædicata hominis, quà ejusmodi compositi propria, convenire animæ separatæ. At vox *Ecclesia*, præsertim quatenus accipitur in perfecto Corporis Hierarchici statu, est nomen *Collectivum*, significans complexum, seu compositum ex Capite & membris Hierarchicis. Ut sic autem Christus, uti *supra* ostensum est, promisit Apostolis illam solvendi potestatis plenitudinem Apostolicam, cum ordine ad Ecclesiæ statum hierachicum, ejusque perpetuitatem, in successores adeò transferibilem. Nequit ergo illa Christi Apostolis, quà unum perfectum hierarchicum Ecclesiæ statum conficientibus, sicque intrà Concilium Oecumenicum membrorum hierarchicorum cum Ecclesiæ Capite coadunativum, Universalem Ecclesiam plenè repræsentantibus, promissa potestatis plenitudo locum habere, nisi in quantum subsistit talis Apostolorum collectio, & intrà Concilium Oecumenicum ex Apostolico charactere unicè subsistens unio plena & perfecta, ut, si vel solius Capitis character Christi vicarius subtrahatur, prorsus deficiat substratum illud, cui ex Christi ordinatione superstruitur ille alter Apostolorum *collectim* sumptorum, cum potestatis plenitudine character Apostolicus. Et hinc si Apostolicæ potestatis Petro, ejusque successoribus per Christum concessæ plenitudo conferatur cum plenitudine authoritatis, Concilio Oecumenico competentis, non inepte dicitur, se habere ad invicem, sicut se habet anima separata ad totum hominem. Ubi namque anima est in statu separationis, habet plenam potentiam intellectivam & volitivam, quibus equidem potitur etiam in statu unionis, seu contractionis, attamen cum aliquâ à corpore dependentiâ: potestque anima in tali statu exercere operationes sensitivas & vegetativas, cujusmodi actiones vitales in statu separationis nequaquam elicere valet. Sic proinde, quæ universis Apostolis, quà unum Ecclesiæ Universalis Corpus hierarchicum in Concilio Oecumenico repræsentantibus, per Christum promissa fuit *indefinita* solvendi ac ligandi potestas, sub pari incircumscriptâ solvendi ac ligandi universalitate promissæ fuerunt Petro claves regni cælorum, neque hæc Divina Christi promissio ullam importat dependentiam à Concilio Oecumenico, sed *absolutè* ac *illimitatè* facta est Apostolorum Principi, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò cum ordine successionis. Quemadmodùm igitur anima in statu separationis independenter à corporis potentijs, habet plenam ac perfectam intelligendi facultatem, sic potestas ligandi & solvendi Apostolica in Petro, ejusque successore non est alligata ad Concilium Oecumenicum, quin independenter ab isto possit plenissimè exerceri.

14. Nihilominùs Pontificia suprema authoritas Oecumenica nacta est aliquem quasi contractionis & unionis statum, sub quo cum reliquis Ecclesiæ membris hierarchicis, ceu eorundem Caput, eatenus coadunatur in unum integrum Ecclesiæ Universalis plenè repræsentativum Corpus hierarchicum, ut in tali tandem Corpore locum habeat illa Divina *Matthæi 18. à versu 17. usque ad 20. versum* Christi promissio, de tali Apostolicæ ad solvendum, & ligandum authoritatis *indefinitæ* plenitudine, quatenus hæc in sui exercitio debeat esse dependens à toto corpore hierarchico, & quidem in tantum, ut corpus Ecclesiæ hierarchicum cum Capite, & Caput cum membris hierarchicis in Concilio Oecumenico aggregatum, consentire debeat, quò sanctio dici possit *Conciliaris*, seu *Synodalis*. Cujusmodi adeò definitionis Oecumenicæ, quà *Conciliaris* authoritas minimè subsistit, nisi ex duorum, nempe & Capitis, & reliqui hierarchici corporis, ex Apostolorum successoribus Episcopis, ac Ecclesiæ Prælatis coadunati consensu, Christo Domino *ibidem v. 19.* pronuntiante: *Si duo ex vobis* (nempe Corpus Apostolicum Ecclesiæ hierarchicæ quasi *materialiter* repræsentativum, & Caput talis repræsentationis quasi *formaliter* perfectivum) *consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Hæc namque verba ita consonare debent cum suo tam antecedente, quam proximè subsequente sacro contextu, ut, quemadmodùm isti indubitanter sunt de Concilio Apostolico, atque adeò Oecumenico, per Ecclesiæ statum perpetuum prorogando: sic ille textus Evangelicus accipiendus sit de duobus, nempe *collectivè* sumptis, consentientibus, qui duo non *figillatim* spectati, sed quà unum Ecclesiæ Universalis repræsentativum, seu perfectum hierarchi-

rarchicum statum constituentes, non possunt aliquid aliud esse, quàm Caput, una cum reliquo Apostolico, seu hierarchico, Corpore. Quibus adeò consentientibus, ea est per Christum promissa in definiendo infallibilitas, ut, quamcunque rem, atque adeò dogmaticam veritatem à Patre Æterno sibi ex verbo Dei eruendam petierint, ex Christi Domini promissione, ipsis infallibiliter fiat. Quemadmodùm igitur anima in statu unionis & contractionis habet quasdam vitales functiones, quas in statu separationis haudquaquam exercere potest; sic num dicere licebit, potestati Pontificiæ, quâ intrà Concilium suâ vicariâ Christi authoritate coadunatum, & informatum, cum reliquo Ecclesiæ corpore hierarchico coadunatæ, supervenire specialem aliquam prærogativam infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis, à Christo ex tunc promissæ, ubi ex Apostolis duo, nempe Caput cum reliquo Apostolico Corpore, à successoribus intrà Concilium sub vicario Christi nomine coadunati, *collectivè* adeò sumpti consenserint, in petendâ, sicque per Dei gratiam dehinc diendâ dogmaticâ veritate?

Objectio II.

25. INstabis. Esto, hanc Divinæ gratiæ assistentiam ex vi promissionis Christi infallibiliter competere illis duobus Apostolicis ordinibus, tum Capiti, Petri successori, tum reliquo Ecclesiæ hierarchicæ Corpori, intrà Concilium Oecumenicum reliqui Apostolici Collegij successori. Attamen Petro etiam in statu quasi separationis, extra Concilium Oecumenicum in suâ, successoriscque sui individuâ personâ, pro perpetuo Ecclesiæ statu erat *Matth. 16.* dictum à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* At vi istorum verborum, oportere, ut in Petro, ejusque successore sit infallibilitas perpetua ad fidei dogmata etiam extra Concilium definienda, nec adeò in vi prælegatæ Divinæ promissionis, Capiti & reliquo hierarchicæ Ecclesiæ Corpori, ceu duobus *collectim*, in Concilio nempe Oecumenico coadunatis factæ, videtur major adstrui posse infallibilitatis in dogmatibus fidei decidendis prærogativa, quàm Pontificiæ authoritati, etiam soli, extra Concilium conveniat.

Responsio.

26. IN hoc puncto jam videtur subsistere quasi centrum præsentis difficultatis. Hanc ex occasione Neotericorum expendere compulsus Author *Inexstinctæ Concilij Tridentini veritatis*, aliquando sic disseruit. Articulus equidem fidei est, Romano Pontifici ceu Petræ, super quam fundata est Ecclesia, independenter à Concilio esse. (ipsomet etiam Clero Gallicano *ubi suprà* diserte fatente) supremam potestatem in caulis Ecclesiasticis. An verò istâ Divinitus sibi traditâ potestate, cum omnimodâ infallibilitate, in decidendis fidei dogmatibus, uti possit, sine interventu Concilij Oecumenici, Ecclesiam Universalem repræsentantis, non extat de hoc definitus fidei articulus. Unde sententia hujus à Concilio independentis illimitatè decisivæ, Pontifici Romano competentis potestatis assertiva, est quidem inter Pontificios Theologos ferè communis, validisque ex sacrâ Scripturâ petitis argumentis probari solet, tum quòd Petro, ejusque Successori *independenter* à cæteris Apostolis, adeoque Episcopis, sit commissa illimitata Pastoralis erga universas Christi oves officij cura, tum quòd eidem soli à Christo dictum sit, esse Petram, super quam foret ædificanda Ecclesia; tum denique, quòd Christus pro ipso solo rogârit, ut fides ejus non deficeret, cum ordine ad fratres suos confirmandos.

27. Nihilominùs in comperto etiam est, extare aliquos, præsertim Parisienses Doctores, qui consummatam in decernendis fidei dogmatibus infallibilitatem non concedant Papæ, nisi unà cùm Concilio; siquidem Ecclesiæ, in Concilio Oecumenico *repræsentativè* congregatæ, prærogativa singularis sit, quòd ipsi ceu Fidei Columnæ, ac veritatis firmamento, Divinitus promissa sit infallibilis Spiritûs sancti assistentia.

28. Quæ proinde posterior opinio ad sacros, ex Divinis Litteris pro priori sententiâ allegatos, textus respondebit, illam Pastoralis Petro, ejusque Successori illimitatè collati officij, potestatem *Formaliter & subjectivè* esse quidem in solo Papâ, attamen in suo usu habere respectum ad Ecclesiam. At eo ipso, quòd Ecclesia ita sit subjecta Pontificiæ potestati, ut ab ipsomet tamen Christo obtinuerit illam prærogativam infallibilis assistentiæ Spiritûs sancti, idcircò non esse subjectam *quasi Despoticè*, sed (liceat hosce terminos pro regimine alioquin Civili ab Aristotele usurpatos, ad res etiam sacros suo modo applicare) *quasi Politicè*, ita nimirum, ut, quemadmodùm in regno Politico Status, in ordine ad leges Pragmaticas statuendas, habent jus suis votis concurrendi, itaque regulandi Regiam, supremam licèt, potestatem; sic Antistites & Patres, Universam Ecclesiam repræsentantes in Concilio Oecumenico, circa fidei causas habeant jus, suis per Spiritûs sancti Divinitus promissam assistentiam authorizatis votis regulandi, infallibilitateque suâ juvandi, Concilio Oecumenico repromissâ, Pontificiam, de se licèt supremam Ecclesiasticam potestatem.

29. Quemadmodùm proinde domus non solo nititur fundamento, sed etiam columnis, sic Papam esse quidē Petram, seu fundamentū Ecclesiæ: quia tamen hujus forma essentialis sit Fides, Veritati Divinæ unicè innitens, oportere, eam sustentari etiam columnâ Veritatis. Undè cùm Ecclesia ab Apostolo pronuntietur columna & firmamentum Veritatis, esse consequens, quòd Concilij Universam Ecclesiam ex Divinâ institutione repræsentantis authoritas intervenire debeat, ut Ecclesiæ ædificium, ex fidei dogmatibus *Formaliter* constans, sub infallibili Veritatis firmitate subsistere dignoscatur. Quare circa Papæ, ceu supremi Ecclesiæ Capitis, una cum Concilio cum causis Fidei cur-

currentis infallibilitatem, extat definitus Fidei articulus, de authoritate autem Pontificiâ extra Oecumenicum in Fidei dogmatibus sanciendis, ea saltem tenenda est ratio, ut talis Pontificia decisio non nisi temerè cum aperto salutis discrimine, ex proprio spiritûs privati sensu, reijci possit.

Objectio III.

30. VRgebis. Quandoquidem definitus sit fidei articulus, Papam intrà Concilium Oecumenicum concurrendo cum isto, habere infallibilitatem consummatam in decidendis fidei articulis; neque verò sit adhuc definitus articulus; *An Papa extra Concilium Oecumenicum potiatur authoritate omnimodæ & consummatæ infallibilitatis?* Numquid ex hac parte saltem *quoad nos*, si non *in re ipsa*, specialis quæpiam prærogativa videtur, ultra Pontificiæ authoritatis plenitudinem, attribuenda Concilio, non equidem Acephalo, sed quà Oecumenico, nempe coadunato ex Capite, ac reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico?

Responsio.

31. AD hanc quæstionem, fateor, mihi vix constare, quid respondeam. Christi equidem verba nimis clara sunt, quæ *definitè* ad solũ Petrum *Matthæi 16.* proferebantur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quis verò adversùs tam dilucida Christi verba, negare ausit, ijs contineri omnimodam in fidei dogmatibus infallibilitatem, cùm cæteroqui, si Petro, ejusque Successori aliquod fidei dogma definienti, subrepere posset error, quomodò portæ inferi non prævalerent adversùs talem petram, atque adeò Ecclesiam super hâc Petrâ ædificatam? At dum ipsissima hæc Christi Domini verba accuratiùs expendo, animadvertendum offert se mihi, quòd Christus Ecclesiæ à portis inferi haud superandæ, firmitatem eatenus statuerit super Petrâ, quatenus super ipsam esset ædificata Ecclesia. Num verò Ecclesiæ super hanc Petram, cui commissæ sunt claves Regni cælorum, ædificatio locum habet etiam extra Concilium Oecumenicum? In hoc equidem Corpus Ecclesiæ hierarchicum, cum Capite, Petræ prærogativam obtinente, coadunatum assurgit in structuram, universæ Ecclesiæ perfectè ac plenè repræsentativam. An igitur illa Ecclesiæ super Petram ædificatio consummari dicenda est in Concilio Oecumenico, per Petri characterem Apostolicum congregato, & informato, nec substituro, nisi quamdiu cum isthoc vicario Christi charactere perdurat? Quia igitur illa in decidendis fidei articulis infallibilitas, ab inferi portis nunquam superanda, est subsistens, quatenus Ecclesia est super Petram ædificata, ista verò perfecta visibilis, ac militantis Ecclesiæ structura, quoad plenam sui consummationem, substitit in Concilio Oecumenico, quà insignito Petræ illius charactere, Christi nomen vicarium præferente. Idcircò, an ea Ecclesiæ, quà supra Petram ædificatæ, consummata infallibilitas, authoritati Pontificiæ indubitanter annexa, sit in statu ultimatæ suæ perfectionis etiam extra Concilium Oecumenicum, in hoc puncto me totum quantum subijcio sanctæ Ecclesiæ judicio, ne in Tridentino quidem Concilio hactenus manum imponere volenti, ad decidendum hoc summæ difficultatis punctum. Hinc tamen haud dicere fas esse, quòd Concilium habeat alicujus supra Papam superioritatis prærogativam, patebit *ex subsequenti conclusione.*

CONCLUSIO II.

QUantumcunque aliqua specialis prærogativa esset in Concilio Oecumenico, non nisi per characterem Christi vicariam, atque adeò per Pontificiam authoritatem subsistere potente, non esset propterea Concilium, etiam quà Oecumenicum, dicendum, habere præeminentiam superioritatis propriè dictæ. 32.

Explicatur & probatur. Hujus fortè conclusionis explicatio & probatio videri posset peraccommodè desumi ex sequenti similitudine. Nempe animæ, quà formæ: & corporis, quà materiæ, ea est habenda ratio, ut, quidquid perfectionis est huic communicabile, totum sit ex illâ, scilicet formâ. Unde fit, quòd anima & corpus simul sumpta, non dicant plus perfectionis *intensivæ*, quàm anima *præcisè* spectata: quia tamen materia & forma sunt duæ *realiter* distinctæ entitates, ideo *extensivè loquendo*, majus quid est homo constans materiâ & formâ rationali, quàm præcisa anima. Pari proinde ratione Concilium quà Oecumenicum, importans integrum Ecclesiæ plenè repræsentativum Corpus hierarchicum, *formaliter* dicit characterem Pontificiæ potestatis, ceu vicarium Christi nomen præferentem, ac se habẽ instar formæ, Concilij quà Oecumenici, quasi *physicè* constitutivæ, atque ut sic informativæ reliqui hierarchici ex Ecclesiæ Prælatis aggregati Corporis, ceu materiæ quasi *physicæ*, ad Concilij Oecumenici substantiam integrandã *essentialiter* ac *integraliter* concurrentis. Quòd si ergo fiat Capitis, ac reliqui Corporis hierarchici ad Ecclesiam Universalem repræsentandam, inter se uniti quædam comparatio, quoad hunc ordinem hierarchicum, si sacerdotij & Episcopatûs character sacramentalis excipiatur, nihil perfectionis reperiri potest in toto reliquo Corpore ejusmodi hierarchico, quod non derivetur ex Pontificiæ potestatis plenitudine. Cujus adeò supereminentia tanta est, ut *eminenter* contineat Corporis illius hierarchici, quoad jurisdictionis prærogativas, omnimodam & totam perfectionem, nec adeò Corpus hoc hierarchicum, quà cum Capite suo, in Concilio Oecumenico unitũ, dici potest, quoad authoritatem jurisdictionalem, esse quid majus *intensivè*, ac sit præcisa Pontificiæ potestatis supereminentia, licèt ambo simul sumpta sint quid *extensivè* majus.

Verùm quemadmodùm anima cum corpore 33.

pore unita, est susceptiva gratiæ sanctificantis, ceu altioris ac supernaturalis formæ, animam, ac per redundantiam corpus etiam, perficere potentis: ex qua perfectione omninò resultat quid *intensivè* majus, quàm sit anima in puris naturalibus suis considerata. Sic ubi totum Ecclesiæ Corpus hierarchicum, tam quoad membra, quàm quoad Caput in Concilio Oecumenico unitum, & sub vicario Christi nomine, authoritate nempe Pontificiâ, ritè ac legitimè coadunatum fuerit, ex Christi Domini *Matthæi 18. capite versu 18. & 19.* expressâ promissione, duas sortitur adhuc potestatis Apostolicæ maximè perfectivas prærogativas. *Una dicto v. 18.* exposita Concilij Oecumenici præeminentia est ex *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate, quæ non potest esse major, Summi Pastoris, æquè universali ad ligandum & solvendum authoritate, Petro, ejusque Successori *solitariè*, ac *individualiter* spectato, per Christum concessâ. *Altera* Concilij Oecumenici prærogativa est ex infallibili Christi assistentiâ promittentis, se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres in nomine suo, vicariâ nempe authoritate, in terris penes Petrum, ejusque Successorem relictâ, congregarentur. In quo adeò per ejusmodi vicarium Christi characterem insignito Concilio, sicque reddito Oecumenico, dum Duo, Caput scilicet, & Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint, horum de fidei dogmatibus definiendis petitio ab ipsomet etiam Patre Æterno, juxta Christi promissionem, inevitabiliter habebitur rata.

34. Hæc igitur infallibilitatis prorsus certæ ac indubitatæ circa fidei dogmatum decisionem prærogativa, Concilio Oecumenico per Christum promissa; an sit æquè in Summo Pontifice, non extat in Ecclesia definitum, sicque *secundum nos* saltem, minus ponderis habet quoad certitudinis, seu Divinæ, seu Theologicæ omnimodam determinationem: dum disquirere adhuc licet; an Ecclesiæ in rebus fidei decidendis infallibilitas promissa Petro, *consummativè* tunc primùm habeat locum, quando super Oecumenici Pastoris Petrâ extat *actualiter* superstructa Ecclesia hierarchica, non nisi in Oecumenico Concilio perfectè repræsentata? Quæ ratio videtur fuisse, cur ne ipse quidem Petrus se solo decidere voluerit quæstionem dogmaticam de Veteris Testamenti Legalium, à Christianis ex Judaismo præsertim, vel etiam Gentilismo conversis retinendâ observantiâ, sed ad Concilium Apostolicum, adeoque Oecumenicum Hierosolymitanum, retulerit eam definitionem. Et ita observat continua Ecclesiæ sanctæ praxis, quòd ultimatæ adversùs hæreses decisiones dogmaticæ, ab ipsismet etiam Pontificibus omni tempore referentur ad Concilia Oecumenica; manifesto sanè argumento, Ecclesiæ authoritativam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem, per modum ultimatæ sententiæ, sub omnimodâ, & consummatâ certitudinis prorsus indubitatæ perfectione suâ, *secundùm nos* saltem, majori cum pondere subsistere ex parte Concilij Oecumenici, quàm ex parte solius Pontificis extra Concilium scilicet sancientis.

Id ipsum firmatur etiam ex eo, quòd Chri- 35.
stus Dominus, ubi rogâsset pro Petro, ut non deficeret fides ipsius, eidem quidem præceperit, quatenus aliquando conversus, fratres suos Apostolos, eorumque adeò Successores confirmaret. Attamen confirmatio non cadit super re quapiam, nisi quatenus ex alio etiam capite habet aliquod firmitatis pondus, videturque adeò Christus isto loquendi modo alluisse ad hoc, quòd Apostolorum ac successorum in Concilio Oecumenico cum Capite suo, Summo Pontifice aggregatorum, in rebus fidei decernendis omnimoda firmitas, neque ex præciso Petri successore, neque ex Apostolico Collegio, ceu hierarchico Ecclesiæ sanctæ corpore subsisteret, sed unitim ex utroque, ita ut oporteret, huic utrique in unum Corpus Ecclesiæ perfectè repræsentativum coadunato, superstrui specialis infallibilitatis pondus ac firmitas, per quam Petri fratres universi omnimodè confirmarentur. Talis igitur prærogativæ ratio videtur magis supereminere in Concilio Oecumenico, quà Summi Pontificis authoritatem Oecumenicam, cum reliquo hierarchico Ecclesiæ Corpore coadunatam complectente, quàm in solo Papa extra Concilium spectato, hinc tamen nequaquam dicere convenit, Concilium Oecumenicum, quantumvis plenarium, obtinere jus cujuspiam supra Papam superioritatis.

Probatur istud subsumptum. Quantum- 36.
vis enim gratia, erga animæ substantiam comparata, habeat singularis præeminentiæ prærogativam, nequit tamen ex hoc fundamento ipsi attribui quædam superioritatis *strictè* sumptæ, nempe quasi imperativæ præeminentia, eo ipso, quòd sit subordinata ipsius animæ libertati, atque ex hac tam in primâ sui infusione, quam conservatione sit quodammodò dependens, At illa Concilio repromissa infallibilitas eatenus superstruitur authoritati Pontificiæ, ceu characteri, Christi nomen præferenti, atque ut sic Synodi quà Oecumenicæ *formaliter* constitutivæ, ut consequentur sit dependens a Summi Pontificis, hierarchicum Ecclesiæ Corpus convocantis, & una secum coadunantis concursu libero. Nequit ergo infallibilitatis, Concilio Oecumenico propriæ, prærogativa huic impertiri alicujus super Papam superioritatis characterem.

Objectio I.

Dices. Videri quandam Concilij super Pa- 37.
pâ superioritatem evinci ex hoc, quod Abbas Panormitanus *2. par. Consil. q. 1.* & Cardinalis Monilianus *de Concilio Oecumenico cap. 33.* docent. Nempe si in fidei præsertim materiâ solus Pontifex sentiret contra universos Concilij Patres, tunc debere Papam illorum accedere votis. Hoc expendens Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 14. n. 6.* ita ratiocinatur. Si contra omnes Concilij Patres Papa definiret, hæc definitio tanquam temeraria, nec debito examine ac inquisitione veri-

tatis

tatis nixa, doctrinæ Concilij cederet. Pontifex enim extra Concilium, & ut privatus Doctor aliquid docens, errori est obnoxius, multoque magis, si temerariè procedat. Sed quando contra cunctorum Concilio præsentium Patrum sententiam pronunciaret, privatum Doctorem ageret, quia non publicam, sed privatam opinionem sectaretur, & temerariè decideret, plus sibi, quàm omnibus credens. Et hoc est, quod aliqui dicunt, majorem esse authoritatem *directivam* Concilij, quàm Pontificis solius, qui tamen non tenetur illi parti accedere, quæ pluribus suffragijs juvatur, cùm sententia paucorum melior esse possit. *Lege Nemo Iudex. Cod. De sent. & interlocut. Cap. Sanæ.* & passim *dist. 9.*

Responsio.

38. NUm dicere fas est, Papam extra Concilium non nisi uti privatum Doctorem docere, erroriqúe obnoxium esse? Independenter à Concilio competit Summo Pontifici *ex cap. 16. Matthæi* non minùs *indefinita* & *universalis* ligandi & solvendi potestas Apostolica, quam Apostolis *collectim* etiam sumptis, quâ Ecclesiam hierarchicam plenè repræsentantibus, adeoque Concilio Oecumenico *Matthæi 18. cap.* promissa fuerit. Prærogativa equidem infallibilitatis indubitanter per Christi Domini verba impertitur Papæ, sed *quoad nos* saltem major, id est certior, sive magis notificata inest Concilio Oecumenico, quàm soli Papæ. Neque verò Concilium denominari potest Oecumenicum, nisi in eo interveniat ligandi ac solvendi potestas Apostolica & universalis, ipsáque etiam infallibilitatis prærogativa, quæ sublistere nequit absque Summo Pontifice, per suum vicarium Christi characterem *formaliter* constituente Concilium sub ratione Oecumenici, cui ut sic conveniunt illa tam jurisdictionis Apostolicæ, quàm *consummatæ*, & in Ecclesia *ultimatæ* infallibilitatis præeminentia. Quomodò igitur dicere fas est, si omnes Patres Concilij in unum fidei dogma consentiunt, solo Papâ dissentiente, hunc obstringi ad accedendum ipsorum votis, cùm tamen neque infallibilitatis privilegium ipsis ut sic competat, neque jurisdictione Oecumenicâ taliter potiantur?

39. Concilium namque Oecumenicum optimè æquiparatur currui prophetico, ac mysterioso *Ezechielis 1. cap.* descripto, quòd constaret rotis Cherubicis, nisi quòd in isto curru extiterint quatuor rotæ; in Concilio autem Oecumenico sunt duæ duntaxat, veritatis Divinæ faciem præferentes rotæ Cherubicæ. Est igitur Oecumenica Synodus currus, in quo veritas triumphat adversùs portas inferi, cujus rotæ quasi Cherubinæ sunt Primatus Petri, characterem Concilio, quâ Oecumenico primitus impertiens, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Prælatis Ecclesiæ coadunatum. Sicuti ergo totum corpus illius Prophetici currûs in circuitu quatuor rotarum erat plenum oculis, sic totum Corpus Concilij Oecumenici consistens in Corpore hierarchico, Universam Ecclesiam plenè repræsentante, est plenum oculis, id est, Spiritu Dei cum infallibilitatis prærogativâ omnimodâ collustratum, sed quatenus est in circuitu duarum rotarum Cherubinarum, nempe Primatûs Ecclesiæ, ac reliqui Corporis Apostolici, ex membris Ecclesiæ hierarchicis, consistentis. Quemadmodùm porrò in illo Prophetico curru, quocunque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu, pariter elevabantur rotæ sequentes Dei Spiritum: sic in Concilio Oecumenico Spiritus Dei non progreditur ad ullum fidei dogma definiendum, nisi rotæ illæ Cherubicæ, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum pariter eleventur, sequentes Dei Spiritum, quia spiritus vitæ est in rotis illis Cherubicis, ac hierarchicis pariter progredientibus, Christo Domino *Matthæi 18.* asseverante, *si Duo.* nempe Caput, ac reliquum hierarchicum Ecclesiæ Corpus in Concilio Oecumenico, sub Christi vicario nomine coadunata, *consenserint*, tunc quodcunque petierint à Patre luminum, pro veritate fidei ex verbo Divino eruendâ, infallibiliter fieri, ipsis in unum fidei dogma consentientibus. Quòd si ergo casus contingeret, ut omnes Concilij Oecumenici Patres consentirent in definitionem cujuspiam fidei dogmatis, sed Papa dissentiret, nulla adhuc esset sanctio dogmatica cum infallibilitatis prærogativâ, sed esset materia adhuc informis, quæ nonnisi ex superveniente charactere Christi vicario, adeoque ex consensu Summi Pontificis formari valeret in infallibile, ac certum definitum fidei dogma. Hoc probè agnoscentes Concilij Constantiensis Patres, sub hujus finem à Martino V. petierunt confirmationem fidei dogmatum, ex tunc unanimi consensu suo comprobatorum, adjectâ clausulâ, ut, si tunc Pontifex pro tunc confirmare nollet, ad futurum provocarent Concilium utique Oecumenicum, Pontificiæ authoritatis charactere, vicarium Christi nomen præferente, insignitum, ut ex hoc postmodùm per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici consensum perficerentur suæ adhuc informes fidei dogmatum definitiones.

Objectio II.

40. INstabis. Ubi dogmatica quæpiam fidei definitio per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici concordem consensum noscitur esse consummata, ei subijci ipsum quoque Summum Pontificem. Pariter in Conciliaribus decretis morum, universos Christi fideles concernentibus, quatenus Pontificiam majestatem condecet, esse vim constringendi ipsum quoque Papam. Ex hac igitur parte rectè dici, Papam esse subjectum Concilio Oecumenico, ejusque decretis & sanctionibus seu *dogmaticis*, seu *moralibus*.

Responsio.

41. INstantia hæc ferè æquiparatur illi à Theologis moveri solitæ quæstioni; *Quomodò Legislator teneatur suis legibus?* In Concilio namque Oecume-

Oecumenico tota ipsius authoritas legislativa ejusdem propria superstruitur toti hierarchico Ecclesiæ Corpori ex Capite ac membris hierarchicis coadunato, adeoque decisiones seu fidei, seu morum, quà Conciliares, respiciunt Pontificem cum Patribus inibi congregatis indivisibiliter concurrentem, ceu authorem ac legislatorem suum. Illius igitur quæsiti resolutio hunc in modum fieri solet, quòd nempe obligatio legum à summo Principe latarum, ex efficacia legis Æternæ quoad vim *directivam*, non autem *coactivam* afficiat illum, sub ipsissimo eo virtutis motivo, quod per legem, quà subditorum obligatoriam est intentum. Quia igitur vis sub fidei motivo constringens in dogmatibus à Concilio Oecumenico definitis reducitur in authoritatem infallibilem Divinitus impertitam Generali Synodo, ceu ultimatum fidei *directivum* principium, evidenter patet, dogmaticæ ejusmodi sanctionis energiâ obstringi Summum quoque Pontificem, ut hæc tamen obligatio non in Concilij, quà ex præciso Corpore Ecclesiæ hierarchico constitentis, congregationem quasi *materialem*, sed quà Spiritu Dei, ejusque infallibilitate animatam, sicque adeò in principium à Deo *immediatè* constitutum reduci debeat.

41. Quoad leges *morales* in Concilio Oecumenico sancitas, non minor in Pontifice extra, quàm intrà Synodum est authoritas legislativa per Christũ repromissa. Nequit ergo Pontifex constringi legibus *moralibus* à semet etiã comprobatis, nisi in vi altioris principij, quod suam tunc vim exerere, ad ipsummet etiam Legislatorem ac Pontificem Maximum peculiari quâpiam, ac sublimiori ratione obligandum, mox aperitur. Quemadmodùm enim causæ secundæ operari nullatenus possunt, nisi sub Primæ Causæ influxu tam prævio, quàm concomitante: sic quævis à Deo communicata hominibus potestas legislativa, per sui a lege Æternâ dependentiam *essentialem*, non potest imponere ullam obligationem, nisi ipsâmet lege Æternâ ad illam *actualiter* concurrente. Ex hoc autem *actuali* legis Æternæ concursu accipit lex humana vim, *in conscientiæ* etiam *foro* sub culpâ mortali & pœnâ æternâ obligatoriam. At verò sicuti lex humana *essentialiter* debet esse ordinativa in Bonum communitatis, sic consequenter lex Æterna legi humanæ se insinuans, eique in conscientiâ obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tanquam unius corporis Politici ac Mystici membrorum, est *executivè* curare Bonum publicum vi legis intentum. At verò Principis, utpote Reipublicæ *primarij* membri est, non tantùm *gubernativè* & *architectonicè*; sed *executivè*, & quoad viam executionis *exemplativè* procurare Bonum publicum. Ergo lex Æterna legi humanæ vim, & efficaciam *in conscientiâ* obligatoriam imprimens, ut sic afficit ipsum etiam Principem. At quatenus lex Æterna efficaciam, conscientiæ obligatoriam, imprimit legi humanæ, ut sic ista habet *formaliter* vim obligatoriam conscientiæ sub illo ipso virtutis motivo, quod per legem est *per se immediatè* intentum ac definitum. Ergo sub hoc etiam motivo, & non tantùm sub generali alicujus tum Republicâ conformabilitatis ratione, lex à Principe lata obligat ipsum in conscientiâ. Hinc autem fit manifestum, quòd, si materia sub tali virtutis motivo sit gravis, illa obligatio teneat sub mortali. Sicut ergo subditi, sic princeps in materiâ secundùm se gravi v. g. auditionis Missæ, jejunij &c. obligatur sub mortali ad legis à se latæ observantiam. Eo ipso autem, quòd talis obligatio sit præcisè ex legis Æternæ legi humanæ *intrinsecè* se insinuantis concursu ac efficaciâ, non autem ex lege, quà *Formaliter* emanante à Principe, oportet, ipsam tenere solummodò quoad vim *Directivam* fori *conscientiæ* propriam, non autem quoad vim *Coactivam*, foro *externo* eatenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est *formaliter* emanans a legislatore humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi legis æternæ in materiâ de se gravi obligare suum legislatorem in foro duntaxat *conscientiæ*, atque adeò secundùm vim *Directivam*, non *Coactivam*. Et hinc Imperator *§. ult. Instit. Quibus modis Testamenta infirmentur* 3 ait 3 *Licèt legibus soluti simus*, in foro scilicet *externo* 3 *attamen legibus vivimus*, in foro scilicet *conscientiæ*.

Objectio III.

URgebis. Papæ erga Concilium subjectionem videri evincendam sequentibus argumentis. Si namque Papa quoad suam personam fiat hæreticus, posse à Concilio judicari, ac deponi, uti patet ab exemplo Honorij I. relati in VIII. Synodo *Act. 7.* Et *in Cap. Audivimus. 24. q. 1. Cap. Si Papa. dist. 40. Cap. Novatianus. 7. q. 1. Cap. Didicimus. Cap. Achatius. 24. q. 1. Cap. Oves. 2. q. 7.* extat hoc definitum. Deinde si Papa intrusus, id est, non electus juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi *Can. 1.* & Bullâ Gregorij XV. quæ incipit: *Æterni Patris.* sive aliquis error juris *Divini*, seu *naturalis* electioni interveniat, vel electio fuerit simoniaca, uti decernitur in Bulla Julij II. quæ incipit: *Cùm tam Divino.* vel etiam, si electio facta sit per metum gravem ac injustum. Ex Concilio Constantiensi *Sess. 39.* Tunc eatenus nulla erit Papæ electio, ut propterea arguatur ex hoc argumento, subesse Juris Canonici dispositionibus. 43

Adhæc si Pontifex aut vi, aut legibus injustè latis, alióve modo Ecclesiam destruere nitatur, aut aliorum jura & bona injustè invadat, atque monitus non resipiscat, posse bello & armis coerceri, omnique ratione, ad jus naturalis defensionis spectante, compesci, probant Turrecremata *lib. 2. cap. 106.* Bellarminus *de Concilior. authoritate lib. 2. cap. ult. ad 2. argument.* Quod equidem Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 14. n. 4.* comprobat sequenti ratione, quòd nempe in casu ejusmodi non resistatur Papæ, sed injustæ ipsius invasioni, nec in illum exerceatur jurisdictio, sed tantùm jure defensionis agatur, quod jus non in jurisdictione & authoritate fundatur, sed 44

in facultate naturalis juris, cui noscitur ipse quoque Pontifex subjectus esse. *Ex tota causa 25. q. 1.* Sed si hoc defensionis jus competat alicui Laico, præcipuè Regi, quantò magis convenit Concilio alicui, ex totius Christiani orbis Episcopis conscripto? Hoc verò numquid, priusquàm decernat, super injustis Papæ aggressionibus faciet processum *juridicum*, sicque adeò judiciariâ authoritate formabit sententiam super injustitiâ aggressionum? Hoc namque *judiciario* procedendi modo utebatur Concilium Constantiense ad certum Ecclesiæ Caput obtinendum, super Papâ dubio instituendo processum *judiciarium*, ut fine illo potiri valeret. An non igitur ejusmodi processus redarguit Papæ erga Concilium subjectionem aliquam?

45. Denique cùm gravior, fidei præsertim causâ, non nisi in Concilio Universali videatur decidi posse, Pontifex tenetur ad hoc adhibendum, uti Patres passim supponunt; rationemque hujus adfert *præcitatus* Author *Regalis Sacerdotij n. 5.* quòd, licèt Summo Pontifici sit promissa Spiritûs S. assistentia in rebus fidei decidendis, hæc tamen promissio supponit omnem diligentiam, & quantum causæ dignitas desiderat, discussionem, conformiter Synodo Hierosolymitanæ *Act. 15.* descriptæ. Nunquid verò hinc jam elucescit aliqua Concilij supra Papam majoritas, in vi cujus judicium super causâ ad se primitus delatâ, sed posteà ad Concilium Oecumenicum relatâ, videatur esse quodammodò reformabile?

Responsio.

46. EX *primo* casu evincitur equidem, Concilio etiam acephalo esse aliquam non super Papâ, sed super privatâ personâ à Papatu jam remotâ veram *judiciariam*, & *authoritativè* declaratoriam potestatem, de Papatûs amissione per ipsummet jus *Divinum* sanctâ, ac secundùm se jam prævie suum effectum sortitâ, non per aliam tamen viam, quàm per Generale Concilium cunctis fidelibus *authoritativè* manifestandâ, sicque executioni publicæ demandandâ conformiter Canoni: *Si Papa. dist. 40.* ubi sic habetur: *Culpas Pontificis, redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Ex hoc namque Canone evincitur, cùm Papa, quamdiu est in hoc statu, à nemine sit judicandus, pro casu autem hæreseos, seu à fide deviationis subjiciatur judicio Ecclesiæ, in Concilio Generali saltem *imperfectè*, & sub *intrinseco* ad alium Pontificem ordine, *dispositivè* & *materialiter* Generali repræsentata, oportere, in ipso non ampliùs subsistere Pastoris Oecumenici characterem, ex quo scilicet *cunctos judicaturus à nemine est judicandus.* Unde redditur consequens, ex tunc expoliatum tali charactere non jam judicari tanquam Papam, sed suponi depositum à Papatu, sicque adeò non tam *formaliter* deponi à Concilio, quàm ab Ecclesia declarari ex Jure *Divino* depositum. Cujus ratio est. Quia ex charactere Pastoris Oecumenici Papa est Caput Ecclesiæ. Nequit verò Caput esse Ecclesiæ, nisi sit ejusdem membrum. Hujus verò *quidditativa* forma est per fidem. Quando igitur Papa per hæresin *formalem* excidit à fide Divinâ, ita desinit esse membrum Ecclesiæ, ut ex Jure *Divino* jam non sit ipsius Caput, seu Pastor Oecumenicus. Ergo Ecclesia super Papâ facto hæretico, quoad suam privatam personam, exercendo *judiciariam authoritativè* declaratoriam de Papatu per Jus *Divinum* amisso potestatem, non prætendit superioritatem super Pontifice, sed super homine, qui desinit esse Papa.

Neque ex *secundo* casu evinci Ecclesiæ aliquam super Papa superioritatem, demonstratur sequenti fundamento. Etenim Papa non est antecedenter ad legitimam Papatûs collationem. Hæc equidem subsistit ex ipso jure *Divino* eo ipso, quòd Christus Oecumenici Pastoris officium pro perpetuo Ecclesiæ statu sanxerit, Petro promittens, & post Resurrectionem *actualiter* conferens Claves Regni cælorum, cum ordine ad talem Ecclesiæ statum, ut portæ inferi adversùs eam non prævalerent. In quo diversa est ratio successionis circa *ordinarium* Petri Apostolatum, & *delegatum*, Judæ inprimis, atque in ejus locum subrogato Mathiæ commissum Apostolatum, cùm ille, utpote perpetuus, ex primâ sui origine esset transferibilis in successorem: hic verò, utpote personalis, non haberet successionem, nisi quæ speciali sortis Divinæ signo fuerat designata, cum novæ delegationis Apostolicæ per sortem, quæ *Act. 1.* cadebat in Mathiam, Divinitus collatæ plenitudine: cujusmodi specialis delegatio, per singularem revelationem Divinam non soli Paulo, sed etiam Barnabæ erat Divinitus collata, juxta illud *Act. 3. Dixit illis Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos.* Cujusmodi proinde Apostolatûs delegatione, utpote personali, cum propriis Apostolorum personis exspirante, ita pro perpetuo Ecclesiæ statu manet superstes Petri Apostolatus, ut ejus collatio sit ipso Jure *Divino* constituta, nec adeò penes Ecclesiam alia sit electio, quàm *designativa* personæ, adeò, ut hâc designatione post Summi Pontificis obitum peractâ, in hanc derivetur Apostolicæ potestatis plenitudo ex ipsissimo illo jure *Divino*, quo per Christum sancita fuit Oecumenici Ecclesiæ Pastoris perpetuitas. Super Papatûs igitur collatione, cùm sit juris *Divini*, nulla potest esse Ecclesiæ superioritas: bene tamen super electione *designativâ* personæ, Petro successuræ, sicque adeò illo *Divino* collationis jure potituræ. At sicuti hæc electio *activè* sumpta, non afficit Papam, sed eligentes, *passivè* verò spectata, noscitur antecedens Papatûs collationem, estque actus ab hac distinctus: sic quatenus Ecclesiæ authoritas super eam *designativam*, seu *activè*, seu *passivè* spectatam electionem prætenditur, nullatenus importat aliquam super Papâ superioritatem, sed super personas tum eligentium, tum electi pro statu, quo necdum Papa est, sed primùm pro posteriori redditur particeps illius juris Divini, per quod constituitur Summus Pontifex. 47.

48. Circa *tertium* casum tota difficultas est; *An, si defensionis Jus adversùs injustum alienorum jurium aggressorem, seu etiam dubium Papam à Concilio aliquo Generali juridicè declaretur, ac processu judiciario contra talem Pontificem procedatur, possit hinc vedargui aliqua Concilij Generalis super Papam superioritas?* In illo statu, quo Papa denunciatur Ecclesiæ, seu Concilio Generali, esse jurium alienorum injustus aggressor, minimè oportet, judicium ferri super Papæ personâ, ejusque actibus, quà intrà ipsum consistentibus, sed super juribus cuique fidelium inexistentibus, atque horum violationibus passivis, horum personam contingentibus, nec nisi quà effectibus extra Papæ suppositum, & intrà alios fideles *moraliter*, vel *physicè* receptis. Quorum adeò judiciariâ præhabitâ cognitione, si Papa præmonitus, Ecclesiæ, seu Concilio Generali deferre nolit, non potest equidem *judicialiter* contra ipsum decerni, potest tamen *authoritativè* declarari jus defensionis, fidelibus iniquè læsis per naturalem æquitatem competens ad armatam usque resistentiam, & violentam etiam jurium taliter læsorum reparationem, seu vindicationem, quin ulla hinc coargui possit Concilij super Papam superioritas.

49. Dum insuper subest dubietas de valore electionis Pontificiæ, vel dum Ecclesia certificari non potest de legitimo Pontifice, exemplo Synodi Constantiensis, eatenus licet Ecclesiæ processus *judiciarius* adversùs Papam dubium, ut hinc minimè evincatur Concilij super Papam dubium superioritas, sed super ejus personam, quà in judicio Ecclesiæ, non Papam, authoritatis adeò Pontificiæ pro ultimato ejus judicij statu, iniquum aggressorem; uti mox exponetur. Nam Pontificis Oecumenici receptio per Ecclesiam reduci debet in fidem Divinam, quâ Pastoris Oecumenici munus noscitur à Christo sancitum pro perpetuo Ecclesiæ statu. At stante illa dubietate, haud subsistit evidentia credibilitatis, per quam sub illo fidei principio credi debeat, hic in individuo esse legitimus Petri successor, atque adeò verus Papa. In tali ergo casu Ecclesia non tenetur talem personam recipere in Summum Pontificem: sicque *quoad nos* (id est, quoad certitudinem pro istâ personâ in Summum Pontificem recipiendâ, constringentem) in judicio Ecclesiæ, manet Papa quasi *Negativè* depositus, id est, sub tali conditione constitutus, ut non sit habendus pro certo Papâ. In quo proinde statu Ecclesiæ jus est, tum inquirendi super argumentis, per quæ vel perveniatur ad evidentiam credibilitatis, in lineâ prudentiali certificantem de legitimo Petri successore, vel si hæc certificatio obtineri non valeat, per aliam viam sibi providendi, quoúsque pertingatur ad talem certitudinē: unde si aliud, quàm ex Papæ dubij depositione, medium non suppetat, ex illo jure fas est Ecclesiæ, eoúsque progredi; nec illa, quæ sanctæ Ecclesiæ Divinitus repromissa est, Spiritûs sancti assistentia in hoc deficiet, ut judicium illud Ecclesiæ fallum sit, sed omnia ita disponet suaviter, ut, si fortè Pontifex, de cujus legitimitate dubietas superari non potest, sit re ipsâ verus Papa, per ejusdem Spiritûs sancti impulsum resignet, atque adeò certæ in Pontificem deresignationi locum concedat, vel, si ad talem resolutionem disponi nequeat, ex illo de Ecclesiæ infallibilitate fidei principio legitimum formari possit judicium super nullitate Papatûs ab illo pertinaciter prætensi, contra suæ dictamen conscientiæ in tantum obstrictæ erga Ecclesiam, ut hinc in certo habendo Christi Vicario Capite, ex jure quasi naturali deferre meritò deberet.

Ex *quarto* denique casu evincitur quidem 50.
aliqua Concilij Oecumenici, quà ipsum Papam complectentis, ejusque charactere, & authoritate, ceu vicario Christi nomine, insigniti majoritas, saltem *quoad nos*, sive quoad omnimodam nobis perspectam certitudinem, præeminens Summo Pontifici solitariè extrà Concilium spectato: hanc tamen majoritatem nullatenus præferre aliquem superioritatis characterem, constat ex dictis *præced. concl.* 2. Quibus ita constitutis, unum hîc superest indagandum; *Quam Papa dubio abstractio Papalis dignitatis in tantum operatur, ut Ecclesia possit super tali dubio Pontifice judiciarium processum formare, an non pariter in vero, ac certo, facinoroso & scandaloso, Ecclesiæque pernicioso Papâ, possit eatenus facere abstractionem à Papatûs prærogativâ, utpote cum facinorosis ejusmodi actibus nullam habente connexionem, ut sub tali abstractione possit Concilium Generale erga ipsius personam authoritativè exercere virgam correctoriam à Christo Matthæi 18. indefinitè erga quoscunque fideles sanctam?*

CONCLUSIO III.

EO ipso, quòd in judicio Ecclesiæ, se- 51.
cundùm credibilitatis authoritativam in fidei principia reducibilem evidentiam, habeatur quis pro vero, certo ac legitimo Papâ, nequit ex tunc Ecclesia, seu Concilium Generale super ipsò ullum *strictè*, ac *propriè* sumptæ superioritatis jus exercere.

Explicatur & probatur expendendo *versum 17. & 18. cap. 18. Matth.* Ubi Christus imperavit: *Si peccavit in te frater tuus, corripe eum &c.* Numquid enim Summus Pontifex frater nominandus est, quatenus cum universis fidelibus participat in communicatione gratiæ, & beatitudinis, secundùm quam homo est adoptivus filius Dei, atque cohæres Christi? Numquid cum ipso, quà hierarchici Corporis Capite, secundùm Pastoralis solicitudinis partem communicant reliqua hierarchica Ecclesiæ membra Episcopi, ac Prælati Ecclesiastici, sicque adeò istos vocare solet Frattes. Anne igitur fas est, ipsū excludere ab illo correctionis *fraternæ*, ac *Evangelicæ* præcepto? Quando correctionis secretæ impatiens est, num illum nefas erit, denunciare Ecclesiæ? At Ecclesia Corporis Christi hierarchici perfectè repræsentativa, dum Caput cum ipsâ non concurrit, minimè subsistere poterit; sed Concilium acephalum, dun-

taxat, uti tunc poterit illo salubri adversùs Papam correctionis Evangelicæ remedio. Quòd si ergo deventum fuerit ad virgam correctoriam, secundùm quam Papa facinorosus & contumax, Ethnico & publicano, Ecclesiam audire detrectanti compar pronunciandus sit, quid jam potestatis erit in Concilio? Quæ namque ligandi & solvendi potestas Apostolica Concilio Oecumenico per Christum fuit repromissa, ea superstruitur plenæ, ac Generali Synodo, ex hierarchicæ Ecclesiæ, & Corpore & Capite sub vicario Christi charactere aggregatæ: quæ tamen hierarchici Corporis plenitudo, ac perfectio, ob Capitis cum eo concurrentis defectum, haud intercedere posset, ubi ageretur contra ipsum Ecclesiæ Caput Summum Pontificem. Et verò ipse Papa etiam *solitariè* sumptus, ex *Matthæi 16. cap.* habet æquè plenam, ac *indefinitam* solvendi ligandique in Ecclesia authoritatem. Quid ergo contra ipsum agere poterit Concilij Corpus acephalum, Synodi Oecumenicæ, per vicarium Christi nomen Summi Pontificis proprium, unicè subsistentis charactere tunc destitutum? In aperto igitur est, ubi etiam per viam correctionis Evangelicæ agendum esset contra Papam facinorosum, nihil cum eo actum iri ex authoritate, quamdiu maneret in statu certo & indubitato Papatûs, qui, ubi sub convincente prudentia & credibilitatis evidentiâ semel est receptus ab Ecclesia, à nemine jam relevari poterit, præter causam consummatæ hæreseos, sub quo statu, uti desinit esse Christi membrum, sic Papatûs prærogativâ destituitur. Ex illo igitur Evangelico correctionis, virgæque censoriæ decretorio sacro textu nequaquam evinci potest Ecclesiæ, seu Concilij Generalis supra Papam authoritas, seu superioritas.

Objectio I.

52. Dices. Quomodò igitur Concilij acephali, utpote Christi vicario charactere, Pontificiæ præeminentiæ proprio, destituti, supra Papam dubium superioritas prætendi poterit? Etenim tam illa *indefinitæ* ad solvendum & ligandum potestatis prærogativa Apostolica, quàm omnimodæ & consummatæ in dogmatibus fidei decidendis infallibilitatis supereminentia Concilij Oecumenici propria, superstrui debet Concilio, quà Oecumenico, ceu Corpori hierarchico sub Capitis, vicarium Christi munus agentis, charactere, totam & universam Ecclesiam plenè repræsentanti. At ubi Papa dubius est, atque contra ipsum agit Concilium jam acephalum, pro tunc evidenter deficit ille Ecclesiæ hierarchicæ status, super quo illa tum *indefinita* solvendi & ligandi potestas, tum illa consummatæ infallibilitatis authoritas Oecumenica superstruitur. Quæ ergo tali Concilio acephalo potest esse authoritas, contra Papam dubium procedendi usque ad ipsius depositionem?

Responsio.

53. In tali equidem Concilij acephali statu locum non habent præinsinuatæ Concilij, quà Oecumenici propriæ prærogativæ. Nihilominùs universi Episcopi, quà possibile est, ex orbe Christiano aggregati in unum, comportant authoritatem suam Ecclesiæ cuique designatæ gubernativam, quæ *collectim* sumptæ extendunt se *virtualiter* ad universam Ecclesiam, quatenus scilicet omnibus, & singulis Episcopis hujusmodi incumbit, eatenus prospicere suæ Diœceseos spirituali incolumitati, ut, quia singulorum Episcopatuum Religio ex *intrinsecâ* suæ institutionis conditione ordinatur ad bonum Universalis Ecclesiæ, ijs jam in uno acephalo Concilio unitis potestas, & obligatio sit, prospiciendi de certo Ecclesiæ Universalis Capite. Ex alterâ autem, Papæ scilicet dubij, parte, dum Papatûs ejusmodi ob defectum prudentialis de legitimo ad hanc dignitatem ingressu evidentiæ, nulla est habenda ratio, redditur inde consequens, in judicio Ecclesiæ, talem Papam perinde habendum esse, ac si vacaret Sedes Apostolica. Unde Papatus, dum post Concilij, licèt acephali in hunc finem aggregati, diligentem discussionem, non est probatu possibilis, inconcussa & firma manet illa Episcoporum in unum collata jurisdictio, procedendi adversùs Papam dubium usque ad sententiam, de Papatûs ipsius nullitate *authoritativè* declaratoriam. Quæ secùs se habent in Papa certo, quantumvis facinoroso, quippe cum in isto semper præemineat Papatûs ab Ecclesiæ recepti possessio & prærogativa, nullam Concilij, præsertim acephali, superioritatem *judiciariam* admittens.

Objectio II.

54. Instabis. Papam habere subjectionem in foro Sacramentalis confessionis, ad cujus tamen valorem requiritur jurisdictio ab ipsomet etiam Summo Pontifice saltem *mediatè* derivata. Quantumvis ergo Concilium Oecumenicum non subsistat, nisi quà informatum vicario Christi nomine, ut sic Pontificiæ authoritati proprio, neque illa Concilio Oecumenico repromissa Apostolicæ potestatis ad solvendum plenitudo infallibilitatis, in fidei dogmatibus decidendis prærogativa subsistat, nisi qua superstructa plenæ Synodo, ex Capite, & hierarchicis Ecclesiæ membris coadunatæ, ut sic Universæ Ecclesiæ repræsentativæ, nequaquam hinc evincitur, non posse Concilio Oecumenico competere aliquam super Papa superioritatem.

Responsio.

55. In foro Sacramentalis confessionis ita concurrere debet jurisdictio ab ipsomet Papa *mediatè* saltem derivata, ut hæc tamen sit *voluntaria*, in vi cujus nemo, nisi volens subjiciatur illi foro. Sic proinde, si Papa propter delictum aliquod publicum, seipsum, sponte velit subjicere alicui Concilio, quantumvis acepha-

acephalo, respectu istius sortiretur subjectionem, sed meré *voluntariam*, ex seipso scilicet dependentem, non verò ex Concilij etiam, quâ Oecumenici naturâ, Divinaque institutione dependentem. Quòd si equidem Papa seipsum volens subjecerit foro confessionali, adeoque jurisdictioni à semet erga se prorogatæ, tunc supervenit characteris sacerdotalis potestas, à solo Christo tam in sui infusione, quàm in sui exercitio per sacerdotem, quâ Christi instrumentum in absolutione Sacramentali perficienda. Sub cujusmodi proinde absolutionis Sacramentalis actu ipsemet etiam Papa perfectam erga Confessarium, quâ Christi jam ministrum, imò erga ipsum Christum habet subjectionem, debetque adeò pro tali foro profiteri aliquam supra se, quâ Christiano homine, superioritatem, quæ tamen sit *principaliter* in Christo, *instrumentaliter* autem in sacerdote Sacramentaliter absolvente.

56. Pari igitur ratione quoad fidei dogmatum in Concilio Oecumenico definitiones, Papa *plenè* & *absolutè* est subjectus tali definitioni ex vi authoritatis, *instrumentaliter* Concilio Oecumenico, quâ suæ quoque vicariæ Christi authoritatis characterem præferenti, *principaliter* autem ipsimet Spiritui sancto, Synodo quâ Oecumenicæ, secundùm Christi promissionem, assistenti, ineluctabiliter competentis. Nihilominùs hæc Papæ erga dogmaticas Concilij Oecumenici definitiones subjectio respicit quidem perfectam Spiritûs sancti ac Christi, respectu Papæ superioritatem: at quia Concilium quâ Oecumenicum ipsamet Papæ præeminentiam, ceu sui characteristicam formam *essentialiter* constitutivam includit, idcircò non tam superioritatis *strictæ*, quàm majoritatis cujuspiam præcellentiam importat; uti *suprà* expositum fuit.

Corollarium.

57. EX dictis infertur decisio quadruplicis circa Concilium Generale difficultatis. Inprimis quoad Concilium quantumvis Generale, si acephalum sit, pro *primo* & *quarto* circa hujus disquisitionis initium exposito statu, prorsus asseverandum est, nihil habere specialis potestatis, præcipuè erga Papam, nisi in quantum singulorum Episcoporum in unum collatæ jurisdictioni accrescit quædam *extensiva* plenitudo erga dubium præcipuè Papam, uti *proximè* expositum fuit, singularem obtinens vim ac energiam.

58. Deinde quoad *secundum* statum dicere oportet, quòd Concilium Oecumenicum, vicario Christi nomine insignitum, sicque adeò Papam ipsum, ceu Ecclesiæ Caput cum reliquo ejusdem hierarchico, ex orbis Christiani Episcopis conflato Corpore complectens, præter hanc soli Summo Pontifici propriam authoritatem, sit à Christo Domino *immediatè* dotatum duplici prærogativâ, alterâ *indefinitæ* ad ligandum & solvendum potestatis, alterâ omnimodæ & consummatæ infallibilitatis.

59. Pro *tertio* insuper quæstionis circa Concilium Generale statu asseverandum est, duplicem illam prærogativam, cùm non conveniat Concilio, nisi quà Oecumenico, minimè competere Generali Synodo, quantumvis ex Patrum, seu Episcoporum numerosissimo concursu quasi *materialiter loquendo*, plenissimæ, atque Legatorum Pontificiorum præsentiâ solennizatæ, nisi cum isthoc hierarchico Concilij Corpore in fidei dogmate aliquo sanciendo consentiat Summus Pontifex, neque hanc potestatem ex parte Papæ esse delegabilem, sed oportere, consensum personaliter præstari à Pontifice Maximo, ut robur infallibilitatis consummatæ adijciatur ejusmodi dogmaticis sanctionibus.

DISQUISITIO III.

An superioritas Papæ supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Litteris?

§. I.

CONsultò restringitur hæc disquisitio ad Concilium acephalum, etiam quando legitimâ Papæ authoritate congregatum præsentes ac præsidentes habet Legatos, seu Nuntios Apostolicos, necdum tamen obtinuit consensum Summi Pontificis, Decretorũ inibi sancitorum confirmatorium. Etenim *ex præcedenti Disquisitione* constat, omnimodæ infallibilitatis authoritatem, ex Christi Domini institutione non competere Concilio, nisi quatenus Duo, Caput scilicet, ac reliquum Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint in fidei dogmatibus, ac morum decretis quoad *formale* honestatis motivum, & rationem in fidei principia reducendis. Et ideo Concilium quantumvis Generale, priusquàm ipsorum sanctionibus accedat personalis Papæ consensus, necdum est in statu consummatæ Synodi, quà *formaliter* Oecumenicæ, sed hanc ultimatam sui perfectionem recipit ex Pontificiæ authoritatis decretorum confirmatoriæ consensu.

Non equidem negaverim, ubi per Summum Pontificem facta est indictio Concilij Generalis, mandato ad universos Christiani orbis Episcopos, Ecclesiæque Prælatos directo, atque in vi mandati convenerint Ecclesiæ Præsules, præsidentibus præcipuè Legatis Apostolicis, Concilium jam in statu esse Oecumenicæ Synodi, quatenus ex tunc verificatur, Vicario Christi nomine, seu authoritatis Apostolicæ, Vicarium Christi nomen præferentis, charactere insignitum existere Antistitum tali modo coadunatorum Conventum, Ecclesiæ Universalis ex hierarchico Capitis, ac reliquorum, in partem solicitudinis pastoralis assumptorum Præsulum ordine consistentis repræsentativum: nec interest, sive pauci, sive plures sub tali charactere fuerint coadunati ex orbe Christiano Præsules Christo Domino *Matthæi 18.* pronuntiante, se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres congregati nimodam in fidei dogmatibus decidendis infuerint. Hæc tamen assistentia Christi, omnifalli-

fallibilitatem adferens, eatenus requirit Duorum, scilicet Capitis, ac reliqui hierarchici Corporis in unum consentientium personalem, Legatis Apostolicis haud delegabilem, concursum, ut, antequàm hic utrinque fuerit personaliter præstitus, Concilium quantumvis Generale ac Oecumenicum, non sit adhuc in statu perfecto, seu ultimatè consummato: tametsi haud negaverim, Apostolicam ligandi & solvendi potestatem *indefinitam* Concilio Oecumenico, quà Collegij Apostolici successori à Christo *immediatè* concessam, antecedenter ad illam consummatam, ex personali Pontificij consensûs concursu subsistentem, omnimodæ infallibilitatis perfectionem, jam locum habere, ex quo in Christi Vicario nomine sub Sedis Apostolicæ Legatorum præsidentiâ aggregari, & continuari cœpit.

In cujusmodi proinde statu, cùm Concilij Oecumenici ad ligandum & solvendum authoritas coæquetur cum Pontificiâ potestate, in 3.
vi cujus Synodus ex Capite, per Legatos præsidente, & reliquo Ecclesiæ hierarchicæ Corpore coadunata, meritò jàm dicenda sit Oecumenica, licèt ultimatam, & consummatam sui perfectionem tandem receptura ex personalis Pontificij consensûs ad sanctiones dogmaticas à Patribus definitas accessu. Idcircò sicuti in *præcedente Disquisit.* dicebamus, Concilium Oecumenicum ex ejusmodi rationis fundamento dici haud posse Papâ superius, sic vicissim neque Papa est dicendus supra Concilium plenè Oecumenicũ habere strictam superioritatem. Secùs est de Concilio necdum plenè, sed quasi *dispositivè* Oecumenico, in casu dubij Papæ aggregato, ad certum Ecclesiæ Caput inquirendum ac designandum. Tunc enim tali Synodo, quantumvis *materialiter* dici possit Generalis, deficit *formalis* character, quoúsque veri, ac certi Pontificis authoritas Apostolica eidem tandem accesserit: dum interea in tali Concilio acephalo non alia, quàm universorum ex Christiano orbe ibi aggregatorum Ecclesiæ Antistitum in unum collata intervenit jurisdictio, cum aliquo adeò singulis accrescente *extensivo*, ut sic ad publicum Ecclesiæ Bonum efficaciùs referibili augmento. Cujusmodi adeò Concilio acephalo Pontificia authoritas prorsus supereminet; veluti ex sacris Litteris pro utraque parte adducendis demonstrare conabimur.

§. II.

His taliter præsuppositis, operæpretium duximus, alios quoque Theologos super præsentis disquisitionis puncto consulere, ac singulariter audire Authorem *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 10.* concludentem: *In sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sinè Concilio, quàm Concilij sinè Pontifice auctoritatem.*

4. Tria igitur præcipuè citantur loca pro authoritate Conciliorum. *Primus* locus est Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Sed *primò* Launojus *par. 6. epist. 1.* notat, hunc locum de Conciliorum quovis genere intelligi posse, & à nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subindè intelligi. *Secundò* quinque sanctorum Patrum interpretationes refert; qui locum illum neque de Concilijs generalibus, neque de Provincialibus intellexerunt. Et sanè videtur magis ad obedientiam in causis Criminalibus præstandam, quàm ad fidem declarandam, aut Canones condendos pertinere. Præmittitur enim; *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* quæ præscribunt ordinem judiciarium in ferenda excommunicatione servandum; vel ad orationis efficaciam. Cùm enim dixisset Christus: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint; fiet illis à Patre meo, qui in cælis est*; immediatè subjungit verba illa; *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Accedit, quòd illa verba Concilium Provinciale, aut adhuc Provinciali minus, potiùs significant, quàm universale. Nam duo, vel tres Concilium fortasse Provinciale, non autem universale constituerent.

Alter locus est Ioannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Sed ea promissio non solùm in omnibus Apostolis *collectivè*, sed etiam in singulis erat implenda. Accepto enim Spiritu sancto in die Pentecostes, factum est illud, quod prædixerat Propheta Isaias *cap. 45. v. 13.* à Christo allegatus *Ioan. 6. Et erunt omnes docibiles Dei.* In hunc sensum B. Petrus ipso Pentecostes die locum illum Prophetæ Ioelis adduxit; *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.* 5.

Tertius locus est *Act. 15.* ibi enim primum Concilium, quod est cæterorum norma, scripsit; *Visum est Spiritui sancto, & nobis*; quæ verba de assistentiâ Spiritûs sancti dubitare non sinunt. Sed illa Spiritûs sancti assistentia Apostolos inspirantis Apostolorum gratiæ, non Concilij generalitati tribuenda est. Nec enim generale erat, siquidem ex Apostolis & Senioribus Ierosolymis consistentibus duntaxat constabat; uti probat Cardinalis Baronius *ad annum 51. num 9.* adfuisse tunc tantùm ex Apostolis Petrum, Iacobum, & Ioannem cum Paulo, & Barnaba. Erant autem in multis mundi partibus Episcopi jam constituti, quos, certum est, ab eo Concilio abfuisse, ut *universale dici non possit.* Adde, quòd Cœtui aderat B. Petrus, ut nihil hinc ad propositum concludi, cùm agamus de Concilio, à quo absit Petri successor, possit. 6.

Probatur etiam authoritas Conciliorum in omnibus Scripturæ locis, quibus, Ecclesiam circa fidem errare non posse, demonstratur. Cùm enim Concilium Ecclesiam repræsentet, necesse est, ut sicut Ecclesia, ita Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. Sed Summus Pontifex meliùs Ecclesiam repræsentat, quàm reliqui Episcopi sinè ipso. 7.

Statuitur autem evidentiùs ejus, quàm Conciliorum authoritas in sacris Scripturis. Etenim dum *Matth. 16.* Petrus fundamentum Ecclesiæ constituitur à Christo dicente; *Tu es* 8.

Petrus,

Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, manifestè declaratur, cum, ejusque successorem Romanum Pontificem, ita se habere ad reliquorum fidelium cœtum, sicut fundamenta ad ædificium. Atqui ratione, & experientiâ compertissimum est, firmitatem ædificij a fundamento, non autem fundamenti ab ædificio pendêre. In eundem ergo modum firmitas in Fide, ac Religione, non à reliquis fidelibus in Summum Pontificem, sed a Summo Pontifice in reliquos fideles provenit.

9. Petro datæ sunt claves Regni Cælorum, & per ipsum Apostolorum Collegio, non autem primò Apostolorum Collegio, ac per illud, seu in illo, B. Petro. Prosequitur enim Christus *loco citato*; *Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatuum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Certum est autem, per claves potestatem significari.

10. *Tertiò*, Episcopi etiam congregati non desinunt esse fratres successoris Petri; ergo ab eo debent confirmari; pro ipso enim Christus oravit, ne deficeret Fides ejus, ut posset deficientes, aut titubantes suffulcire: quod in Petri, & aliorum Apostolorum successoribus potiùs locum habet, quàm inter ipsosmet Apostolos. Nam post adventum Spiritûs sancti Apostoli omnes fuerunt in gratia confirmati, ut B. Petri confirmatione non ita indigerent. Antea verò non legimus, B. Petrum tantùm suos fratres juvisse, ut necessarium eis fuerit indeficientis illius fidei præsidium.

11. *Quartò*, dum Christus *Ioan. ult.* oves suas pascendas Petro, & in ejus personâ Romanis Pontificibus, tradidit, apertè significavit, Summum Pontificem esse Pastorem, reliquos autem fideles gregem. Quis autem gregi Pastorem præponendum dubitet? Num monstruosa foret ordinis perturbatio, si pastor à grege, non grex à pastore regeretur? Nec responderi potest, intelligenda illa esse de ovibus seorsim sumptis, non autem de toto grege. Nam nullum est in Christi verbis hujus distinctionis vestigium. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.

12. Ex collatione illorum Scripturæ sacræ locorum perspicitur, clariùs expressam esse Petri, quàm aliorum sine ipso, authoritatem. Sed aliqui Scriptores Gallicani Catholici contendunt, prærogativas illas B. Petro datas esse tanquam Ecclesiam repræsentanti, atque adeò toti Ecclesiæ in ipso; ipsum quidem, ejusque successores singulis membris præeminere tanquam Caput, non autem toti Ecclesiæ *formaliter* acceptæ, vel per Concilium repræsentatæ. Videndum igitur est, quam personam gesserit Petrus, cùm ei Christus authoritatem contulit locis Scripturæ *suprà* relatis expressam; & utrùm ad singulos fideles tantùm referatur, non ad omnes simul? Et adhuc an descenderit ad Romanos Pontifices? Id enim Hæretici negant omninò, & aliqui Catholici, ex parte.

Verùm ultra progressuri, conabimur in 13.
hac disquisitione ostendere, quòd ex sacris Litteris haud probetur Concilij supra Papam superioritas, sed econtra Papæ supra Concilium, quà acephalum authoritas.

§. III.

Adversariorum argumenta ex sacrosanctæ Scripturæ verbis petita, referuntur cum responsionibus, & aliquali super ijs reflexione.

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

FOrma posteriorum Conciliorum Oecumenicorum petenda est ex norma Concilij Hierosolymitani *Act. 15. à versu 6.* descripti. Ubi patet ex *versu 17. & 18.* Jacobum Apostolum, postquàm Prophetica, ad disquisitionis tunc de Legalibus propositæ decisionem faciendi, adduxisset oracula, postmodùm *versu 19. & 20. definitivam* & *judiciariâ* protulisse sententiam: *Propter quod*, inquiens, *ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* In quam proinde Jacobi sententiam *versu 23.* scribentes Apostoli & seniores fratres, talem efformârunt epistolam Synodalem: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione.* Neque igitur in definitivâ Concilij sententiâ, neque in hâc Synodali epistolâ videtur ulla fuisse habita ratio Petri præeminentiæ, quod meritò faciendum fuisset, si Petro conveniisset aliqua supra Concilium superioritas. 14.

Responsio.

AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 15. n. 3.* ad posteriorem illius argumenti partem respondet; hunc esse morem & stylum, etiam quando Summus Pontifex cum supremâ præest potestate, ut nomine Concilij decreta expediantur, quod patêre, omnia Concilia, etiam ultimum Tridentinum legenti, nec propterea excludi authoritatem Pontificiam, quæ primas in Concilio partes agit; sicut cùm dicimus: *Petrus scribit*, quamvis de Capite nihil dicatur, non tamen hujus influxus excluditur, sed semper velut necessarius & principalis subintelligitur. Imò in illo ipso Conventu Apostolico, ubi omnes à Spiritu sancto gubernabantur, nec errori patebant, multa Petrum Primatûs sui argumenta reliquisse, dum primus sententiam dicit, dum, quid definiri debeat, præscribit, dum calentem priùs disputationem, & vota discordantia componit: quæ omnia eum locum legenti patêre. 15.

Reflexio.

EX illo Concilio Hierosolymitano mirificè elucet, quam diversa sit conditio Petri, ac eoque 16.

eoque Summi Pontificis extra Concilium ex suâ privatâ sententiâ procedentis, vel in Concilio authoritativam proferentis sententiam. Petrus antehac Gentilibus ad fidem conversis in favorem illorum, qui ex Judaismo Christi religionē amplexi fuerant, Veteris Testamenti Legalia aliqua obtrudebat, reprehensus proinde à Paulo; uti 2. *ad Galatas cap.* habetur. At in Synodo illâ Apostolicâ proferens sententiam ex Divinis Oraculis ita pronunciabat: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere. Et qui novit Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis. Et nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodùm & illi.* In quo sacro textu occurrit notatu dignum, quòd Petrus in Concilio præferre volens authoritatem uni suæ personæ propriam, dixerit in singulari: *Quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegerit, per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere.* Ex quibus sanè verbis infertur, authoritatem credibilitatis specialem substitisse ex ore Petri in Concilio loquentis verbum Evangelij, ac eatenus declarantis, seu definientis, ut exinde præferretur ratio authoritativæ credibilitatis. At ex hoc jam elucet Petri in fidei dogmatibus decidendis præ cæteris Apostolis præeminentia ac primatus, sub illâ ipsâ definitivâ Conciliari sententiâ, singularis authoritatis proferens characterem.

17. Unum observatione dignum est, quòd, ubi Petrus protulit illam sententiam, subdatur *versu 12. Tacuisse omnem multitudinem* Concilio adstantem. Quæ taciturnitas *tomo 1. Concilior. circa tertiam Apostolorum Synodum* dicitur æquiparari consensui. Quem proinde consensum subsecuta est promulgatio Decreti Synodalis facta per Iacobum Apostolum, de quo ex verbis *supra n. 14.* adductis constat, judicâsse, ut scriberetur Fratribus Antiochiæ consistentibus, ne ex Legalium observantiâ inquietarentur ij, qui ex Gentibus ad Deum essent conversi. Ipsissima enim hujus à Iacobo prolati judicij verba significant, non tam definitivum, quàm executivum decretum: sicque adeò Synodalis ad Antiochenos epistola hunc in modum est formata: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria* &c. Quare hinc patet, Petrum proferendo suam sententiam, fuisse quidem usum suâ propriâ authoritate, quâ sibi singulariter competeret illa prærogativa, secundùm quam fuerat à Deo electus, ut *per os suum audirent Gentes verbum Evangelij, & crederent*: attamen in finali decreti Conciliaris conclusione conjunxisse consensum suum, cum reliquis Apostolis ac Senoribus Concilij ejusdem Assessoribus, ut sic servaretur forma Oecumenicæ Synodi per Christum *Matthæi 18.* constituta, secundùm quam Duo, Caput scilicet cum reliquis hierarchicis Ecclesiæ membris, oportet, consentire, quò omnimoda sanctionis dogmaticæ infallibilitas subsistat. Et hinc sub hoc Capitis, unà & reliqui Ecclesiæ Hierarchicæ Corporis consensu, subsistere equidem quandam infallibilitatis eminentiorem majoritatem, non verò *strictam* Concilij super Papa superioritatem, constat ex dictis *præced. Disquis.*

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

ETenim *Act. 20.* Paulus sic alloquebatur Episcopos: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quibus sanè verbis Apostolus agnoscit in Episcopis jurisdictionem super universo Christi grege protensam, quod procedit de Episcopis saltem *collectivè* sumptis, atque adeò, quà aggregatis in Concilio præsertim Generali. Et hinc concludit Paulus, Episcopos esse à Spiritu sancto positos ad regendam Ecclesiam *indefinitè*, adeoque *universaliter* acceptam. Quare intrà authoritatis Episcopalis saltem ex universi Christiani orbis Hierarchis in Synodo Generali aggregatis in unum collatæ sphæram continetur etiam ratio Boni publici ad Ecclesiam universalem spectantis. Sicut autem ex hoc, quòd Pontificia authoritas tota quanta meniurari debeat ex ratione Boni publici, Ecclesiæ universali proprij, atque adeò Pontificis Summi cura pastoralis obstringitur ad observandum publicum Ecclesiæ universalis Bonum, sic quatenus istud ab Episcopis in unum collectis determinatur, ejus observandi debito tenetur Summus Pontifex, itaque subjacet Episcoporum Concilio, præsertim Generali. 18.

Responsio.

AUthor *Regalis sacerdotij cit. §. 15. n. 5.* respondet ad illum Apostoli textum, Episcopum quemlibet, dum propriam, & particularem Ecclesiam regit, hoc ipso & *mediatè* regere Ecclesiæ membrum, Bono & regimine partium cedente in Bonum ac regimen totius: sicuti bonum & malum unius membri est etiam bonum & malum totius corporis: & tamen omnium membrorum, ipsiusque corporis motus & directio à Capite pendent, unde & influxum & spiritus, motumque accipiunt. Ergo & Papam & Episcopos regere Ecclesiam, sed istos ut membra, illum uti Caput: istos regere particulares Ecclesias, illum totam & universalem Ecclesiam. 19.

Reflexio.

ALia habenda est ratio Boni publici universalem Ecclesiam complectentis, sub quadam *extensivâ* in unum collatæ jurisdictionis Episcopalis universalitate, coalescente vel ex Christiani orbis Episcopis intrà Generale Concilium aggregatis, vel ex ijsdem, quà unius Corporis mystici, nempe Ecclesiæ sanctæ Hierarchis *collectim* sumptis, vel ex eisdem sub muneris sui *intrinseco* fine, universale Ecclesiæ Bonum respiciente, ad se invicem comparatis. 20.

Sub

Sub cujusmodi adeò consideratione, si universi ex orbe Christiano Episcopi conspirent in aliquo decreto, quod uniformiter judicant, esse de Bono necessario Universalis Ecclesiæ, teneatur ipsemet quoque Summus Pontifex illi se conformare, non equidem in vi jurisdictionis Episcopalis, ex toto Christiano orbe in unum collatæ, atque ad unum Ecclesiæ Universalis Bonum, quà necessarium sibi visum conspirantis, sed ex altiori *Divini* Juris obligatione, sui muneris Oecumenici curæ pastorali incumbente; sicque adeò potest ex hoc Papa quidem dici subjectus Juri ejusmodi *Divino*, non autem illi Episcoporum, quantumvis Generali Concilio. Nam ut isti esset quædam super Papam superioritas, oporteret, eidem inexistere non illam duntaxat *extensivam* jurisdictionis universalitatem, sed deberet habere supereminentiorem *intensivè* majorem authoritatem, super ipsum etiam Ecclesiæ Caput protensam, in vi cujus ita posset obstringi Papa, ut ex ejusdem præcepto *specifico*, non ex *transcendente* duntaxat *Divini* Juris obligatione altiori teneretur obedire, se conformando rei præceptæ. At quia Christus *Ioannis 21.* dixit Petro, ejusque Successori: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, ipsos adeò Episcopos, sequitur, non his erga Papam, sed isti erga illos esse authoritatem præceptivam. Ex illâ igitur *extensivâ* Episcoporum, ex toto Christiano orbe suas universas jurisdictiones, pro Communi Ecclesiæ Bono, in unum conferentium universalitate, nulla resultare potest majoritas superioritatis supra Papam protensæ.

CONCLUSIO.

21. CConcilio Generali, quà acephalo, id est, sinè Papa considerato, nulla est supra Papam superioritas, sed huic econtra est authoritas superioritatis erga tale Concilium.

Explicatur. Ad hoc perspicaciùs intelligendum, lubeat corpus humanum à suo capite præscindere non *physicâ* separatione, sed *mentali* abstractione. Sub ejusmodi igitur præcisione *mentali*, multas in humano corpore vitales seu vegetativas, seu sensitivas tum cordis, tum hepatis, aliorúmve membrorum functiones deprehendimus, quæ non sunt in capite, sicque adeò cum isto collatæ, faciunt quandam *extensivam* majoritatem ultra proprias functiones, à quibus istæ quoque vel maximè, & ut plurimùm necessariò dependent. Quæ tamen capitis quoad sui conservationem, & in ordine ad functiones sibi proprias, à reliquis humani corporis membris, corde præcipuè ac hepate dependentia, nullam in ejusmodi humano corpore, præcisè spectato, super caput importat superioritatis quasi gubernativæ rationem, quin potiùs regimen quoddam teneat super totum corpus humanum, ejusque membra, ac functiones istorum, saltem quoad *mediatum* aliqualis directionis ac moderationis in eas influxum. Sic proinde, si Ecclesiæ Corpus hierarchicum consideremus secundùm quandam Capitis ac reliqui Corporis hierarchici in Concilio Generali coadunati præcisionem, & secundùm aliquam inter se collationem, verificatur equidem, quòd Summus Pontifex Ecclesiæ Caput indigeat membris hierarchicis, Episcopis à Spiritu sancto positis, ut regerent Ecclesiam Dei. Quæ indigentia spectat tum Episcopos *sigillatim* spectatos, quà diversarum Diœceseon Rectores, quas impossibile foret ab uno Pastore ad sufficientiam gubernari; tum Episcopos *collectim* in unum Generale Concilium coadunatos, quorum Episcopales jurisdictiones jam faciunt aliquam *superiùs* expositam generalitatem *extensivam*. Quæ etiam *extensiva* Corporis hierarchici universalitas est necessaria, ut Caput ipsum, Summus Pontifex, potiri possit prærogativâ ultimatæ & consummatæ infallibilitatis, per Christum repromissæ, & annexæ Capitis, unà ac reliqui Corporis hierarchici intrà Concilium Oecumenicum coadunati consensui. Ex qua etiam infallibilitatis prærogativâ Capiti Ecclesiæ accrescit majoritas quædam *intensiva*, quam tamen *superiùs* demonstravimus, non importare *propriè* dictam superioritatem, neque Concilio, quà acephalo, id est, sinè Capite considerato, sed utrique *collectivè* sumpto esse Divinitus repromissam. Quemadmodùm igitur corpus humanum secundùm abstractionem *mentalem* à Capite præcisum, nihil habet super istud superioritatis, sed capitis econtra est quædam super reliquum corpus gubernativa superioritas: sic rem se habere in Capite collato ad Ecclesiæ hierarchicum Corpus, seu Concilium Generale, quà acephalum sinè Capite consideratum, ostendemus *in subsequentibus*; hîc equidem per retorsionem argumentorum ex parte adversa allatorum, posteà verò *in §§. subsequentibus* per *directas* ex sacris Litteris probationes.

PROBATIO I.

In qua fit retorsio *primi* Adversariorum argumenti.

22. ETenim Concilium Hierosolymitanum, de quo fit mentio in præinsinuato Adversariorum argumento: quantumvis non fuisset *materialiter* Generale, extitisse tamen Oecumenicum, & *formaliter* universale, ex eo evincitur, quòd vicario Christi nomine, Pontificiæ authoritatis proprio, fuerit coadunatum: Christus autem *Matthæi 18. cap.* Concilium *formaliter* Oecumenicum asseverârit, subsistere, ubi duo, vel tres in nomine suo, nempe vicariâ suâ authoritate Apostolicâ congregarentur. In hoc igitur Concilio Oecumenico, quis Catholicorum negabit, Petrum ibi præsentem, extitisse Caput Ecclesiæ? Hoc autem supposito, quis Catholicorum negare ausit, Capiti Ecclesiæ intrà Concilium Oecumenicum convenire officium præsidentis? Hoc igitur præsidentiæ munus in eo Concilio à Petro exercitum, præter ea, quæ *in præcedentis §. n. 16.* deducta sunt, demonstratur. Etenim is ex Apostolis sanè Præsidis munus in Concilio subit, qui quæstio-

nis ibidem definiendæ, conquisitione magnâ à Cœtu factâ, primus taliter definit, ut cæteri Apostoli in ejus sententiam uniformiter condescendant. At legenti sacrum textum *cit. cap. 15. Actor.* perspicuè constabit, magnâ priùs conquisitione circa propositam controversiam factâ, Petrum surrexisse primum, & taliter definijsse quæstionem, ut cæteri Apostoli (ibi præsentes) omnes in ejus sententiam descenderent. Et hinc, etsi Petrus, quamdiu conquisitio fiebat, non fuerit primus locutus, secùs tamen, ubi deventum est ad definitionem, in qua Primæ debentur Præsidi: neque huic muneri derogatur, licèt Paulus, Barnabas, & Iacobus post Petrum locuti fuerint non aliter, quàm à Petro jam *definitivè* pronunciatum erat, sicque à Iacobo Petri sententiam ex Divinis Oraculis comprobante, ad Antiochenam Ecclesiam scribendum, adeoque executioni demandatum fuerit.

23. Quemadmodùm igitur Regis in Comitijs Regni sui generalibus præsidentiæ nihil derogat, quòd, ubi Ordinum consilia & vota sunt collecta, decernat ex Regiæ Majestatis authoritate, indeque verò Regni primus Cancellarius Decretum scribendum demandet, sic neque præsidentiæ Petri officere potuit: quòd Iacobus Apostolus Urbis Hierosolymitanæ, in qua celebrabatur illud Oecumenicum Concilium, Antistes *in via executionis* judicârit, non esse per Legalia (conformiter definitioni jam factæ) inquietandos, qui ex Gentibus converterentur ad Deum, sicque ad eos scriberetur. Quia igitur neque Corporis *physici*, neque hierarchici, à Capite seorsim spectati, potest aliqua supra Caput, in Concilio Oecumenico præsidis munus subire consuetum, esse superioritas, idcircò ex prælegatâ Concilij Hierosolymitani normâ evincitur, non Synodum præcisè sinè Capite spectatam, supra Papam Petri Successorem, sed hunc erga Concilium, qua acephalum habere superioritatem.

PROBATIO II.

In qua fit retorsio *secundi* Adversariorum argumenti.

24. SI namque in publici Regni alicujus, cujus Rex est Caput Monarchicum, Comitijs conveniant Status universi, in certos distincti Ordines, tunc equidem in unum conferuntur universæ Regni gubernativæ, ex ipso Rege seu *mediatè*, seu *immediatè* derivatæ potestates, in ordine ad consulendum publico Regni Bono, ad quod ex *intrinseco* suo fine *transcendentali* ordinantur cunctæ particularium regiminum jurisdictiones civiles, ac politicæ. Et hinc ad Regiæ Majestatis supereminentem dignitatem fit quædam *extensivæ* cujuspiam, Bono publico perquàm proficuæ, majoritatis accessio, quæ tamen *supereminenter*, quoad *intensivæ* alicujus majoritatis superiorem excellentiam, contineatur universim in ipsâ Regiæ Majestatis præcellentiâ: nec adeò dicere fas est, Comitia Regni esse supra Regem, si hic sit Monarcha, sed hunc esse supra Comitia.

Pari proinde ratione, si universæ, cunctorum etiam totius orbis Christiani Episcoporum, jurisdictiones intrà Concilium Generale aggregarentur in unum, cum suo ad Universale Ecclesiæ Bonum ordine *transcendentali*, inde quidem resultaret *extensiva* quædam majoritas, publicæ Ecclesiæ utilitati, ac regimini universali accommoda, & utilis, ut propterea Pastor Oecumenicus in publicæ Ecclesiæ necessitatibus obstringatur ad talem Generalem convocationem, authoritate Christi Vicariâ indicendam. Nihilominùs tota illa ex jurisdictionibus Ecclesiasticis in unum collatis resultans *extensiva* majoritas, *supereminenter* contineretur in Oecumenica Papæ authoritate, ex qua cunctæ reliquæ inter Episcopos dispertitæ jurisdictiones eatenus derivantur, ut earundem consortes, ceu Agni Christi, etiam *collectim* spectati, semper subdantur Oecumenico Summi Pontificis Pastorali officio, atque adeò universorum Episcoporum jurisdictiones sic in unum collatæ, secundùm *intensivam* majoritatem, ac superioris ordinis, Capitis scilicet propriam præeminentiam, superexcedantur à Pontificiâ authoritate, utpote cui *super quocunque in terris* ad regnum cælorum seu militans, seu triumphans ordinabili *Morali* competat *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Et licèt Concilio Generali, quà *formaliter* Oecumenico, unà cum Capite spectato, *ex Matthæi 18.* peculiaris adhuc promittatur ligandi & solvendi authoritas universalis, hæc tamen nequit major & universalior esse, ac illa, quæ soli Petro, ejusque adeò Successori Pontifici Romano Divinitus competit, nec adeò Concilium etiam qua Oecumenicum, unà cum Capite spectatum, potest habere majoritatem jurisdictionis, seu superioritatis erga Papam. 25.

Objectio.

DIces. Authoritatem Conciliorum probari peculiariter ijs omnibus Scripturæ locis, quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse, demonstratur. Cùm enim Concilium repræsentet Ecclesiam, necessum esse, ut, sicut Ecclesia, ita & Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. In quâ adeò infallibilitatis omnimodæ & consummatæ prærogativâ Concilium supereminere Papæ solitariè spectato. 26.

Responsio.

TAnto equidem honore dignatus est Christus suam Ecclesiam, atque adeò Concilium ejusdem repræsentativum, ut tali consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis prærogativâ supereminear. Attamè sicuti Ecclesia *absolutè* sumpta, nequit intelligi sinè Capite, sic neque Concilium, quà Universalem Ecclesiam hierarchicè repræsentans, est intelligibile, quin informatum sit Oecumenico Christi Vicario charactere, Summi Pontificis proprio, cujus proinde per suum personalem consensum ad Concilij dogmaticas sanctiones accessio est prorsus necessaria, ut istæ 27.

obtine-

tineant omnimodæ & consummatæ infallibilitatis prærogativam; veluti multis dictum est *in antecedentibus*. Et hinc Concilium, quà ipsum Papam, ejusque ex Apostolicæ authoritatis charactere profluentem consensum *substantialiter* includens, habet quidem aliquam majoritatem consummatæ & ultimatæ in Ecclesia circa fidei dogmata infallibilitatis, attamen ista majoritas non est jurisdictionis, sed præeminentiæ cujuspiam super Spiritûs sancti, ac Christi infallibili assistentiâ fundatæ, nec adeò exinde quædam Concilij non jam acephali, sed quà plenè etiam Oecumenici superioritas, seu jurisdictionis majoritas est adstruenda; uti *in præcedentibus* ostensum fuit.

§. IV.

Nostratis sententiæ argumenta,

ex Antiqui Testamenti sacris Litteris petita, cum aliquali super ijs reflexione referuntur.

ARGUMENTUM I.

Ex Deut. 17. capite.

28. IN hoc namque sacro textu decernitur, ut causæ difficiles ex Veteris Testamenti legibus judicialibus decidendæ, in quibus variabant portæ seu tribunalia sæcularia, deferrentur ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui judicarent judicij veritatem interpretando, & ad causæ controversiæ statum applicando jus, Divinâ judiciali lege contentum. Hi ergo sacerdotes cum Iudice, nempe Summo Pontifice in loco Sanctuarij congregati, conficiebant Ecclesiasticum Veteris Testamenti Concilium, in quo præsidebat Summus Sacerdos, sive ejus vicarius. At in hoc Concilio sententiam definitivam spectâsse ad Summum Sacerdotem, evincitur ex *cit. Deut. 17. cap. v. 12.* ubi sic habetur. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat, & Iudicis decreto, morte moriatur.* Pari ergo ratione in Concilijs Novæ Legis spectat ad Summum Pontificem, ejusve Legatum, proferre definitivam sententiam. Atqui in Concilijs Oecumenicis hæc ipsa prærogativa in Summo Pontifice præsidentiæ, ac potestatis in Concilio Oecumenico sententiam definitivam proferendi, importat quandam superioritatis supra Concilium majoritatem. Ergo Papa dicendus est, esse potiùs supra Concilium, quàm ut istud dicatur esse supra Papam.

Exceptio partis Adversæ.

29. EXcipient fortassis Adversarij. Quemadmodùm, teste Abulensi *q. 4. in cit. cap. 17. Deut.* Veteris Testamenti Sacerdos Summus, tanquam Præses, nomine & consensu Concilij proferebat sententiam, sic in Novi Testamenti Concilijs Oecumenicis seu Papam, seu Legatos Summi Pontificis nomine totius Concilij ex suffragijs Patrum definire ac decernere; uti praxis docet, conformiter praxi Concilij Hierosolymitani *Act. 15.* descripti, ubi non Petri solius, sed totius Synodi Oecumenicæ nomine noscitur fuisse latum decretum sub hoc tenore: *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* At quemadmodùm inepta foret consequentia, quâ Dux v. g. Venetorum ex eo, quòd nomine totius Senatûs proferat sententiam definitivam, inferretur, esse superior toto Senatu, quin potiùs hic dicendus sit illo major, sic ex illo argumento haud concludi, Papæ supra Concilium, sed hujus potiùs supra Papam superioritatem, seu majoritatem, cùm reverà quisque minor dicendus sit illo, ex cujus nomine & authoritate exercet judicium, seu profert sententiam judiciariam. Quamvis proinde *Deut. 17.* proclametur reus mortis, *qui non obedierit Sacerdotis* (non Concilij) *imperio*: hoc ipsum tamen imperium nomine ac vice totius Concilij Ecclesiastici à Summo Sacerdote latum, non reducebatur in istum, nisi quatenus erat repræsentans totum Concilium, sicque adeò hujus præeminentia debebat in ipso fuisse repræsentata. Pari igitur ratione Concilio Oecumenico per se, vel per Legatos suos præsidens, ita nomine Concilij profert definitivam sententiam, ut istud sit repræsentans, Divo etiam Augustino inculcante, quòd Papæ summa prærogativa competat ipsi, quà repræsentanti Ecclesiam.

Responsio.

AD præadductam exceptionem confutandam, apprimè conducit, explicare, quo modo Petrus, ejusve Successor dici possit repræsentâsse Ecclesiam. In hunc finem Author *tract. de libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ lib. 1. cap. 11. n. 4.* distinguit tria repræsentationis genera. *Primò* enim unum repræsentat aliud tanquam nudum signum, rem significatam nequaquam continens, quales sunt v. g. picturæ, aut quæ metaphoricè de alijs dicuntur. *Secundò*, aliquando, quod repræsentat, cum eo, quod repræsentatur, communicat, sed pro suâ tantùm ratâ portione: ut dum particulare Communitatis membrum, totius Communitatis nomine pecuniæ summam in singulos cives distribuendam, accipit, ita totam Communitatem repræsentat, ut beneficij universitati concessi, tanquam unum ex ejus membris, particeps etiam sit. *Tertiò*, aliquando unum aliud repræsentat tanquam illud sub se habens, ut Princeps, Dux, Paterfamilias, Pastor, aut alterius generis superior, Regnum, exercitum, familiam, aliósve inferiores, quibus communicant aliquod bonum dispensationi suæ commissum; ut cùm Dux totum exercitum repræsentans, accipit à Rege in præmium reportatæ insignis victoriæ, cujus ipse pars maxima fuerit, ditissimum aliquod munus, cujus tamen participes futuri sint reliqui, tum Officiales, tum milites, prout ipse, pensatis cujusque meritis, judicaverit, aut prout Princeps ipse ordinaverit. 30.

Primo duntaxat modo Ecclesiam à B. Petro repræsentatam fuisse, nemo dixerit. Quis enim ita desipiat, ut Apostolum illum nullam 31.

sibi, sed Ecclesiæ tantùm, accepisse potestatem sentiat. *Secundo* igitur saltem modo B. Petrum Ecclesiam repræsentâsse, fatendum est, ut parem ad minus cum cæteris dignitatem adeptus sit. Sed Catholicis necessariò concedendum est, *tertio* etiam modo repræsentatam à B. Petro Ecclesiam. Cùm enim hæreticum sit, negare, B. Petri successores habere Primatum jurisdictionis in Episcopos, nec illum Primatum B. Petro datum legamus, nisi in illis locis, in quibus Ecclesiam repræsentâsse dicitur, necessariò sequitur, B. Petrum alios repræsentâsse tanquam existens, vel exinde futurus illorum superior, illosque in sua potestate, atque, ut alias ex S. Ioanne Chrysostomo dicemus, velut in sua manu habens.

32. Et sanè convenit illi omninò, quod de Duce mox dicebamus. Illi enim promissum est, ædificandam super eo, tanquam super fundamento Ecclesiam Christi; tradendas claves Regni cælorum, & potestatem ligandi atque solvendi, in præmium confessionis, quam, interrogatis omnibus, solus ipse respondens edidit his verbis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, cujus quidem confessionis laudem, & præmij promissionem statim audivit à Christo dicente; *Beatus es Simon Barjona, &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Matth. 16. v. 18. & 19.* & præmium ipsum accipit, cùm ei Christus ovile suum commisit his verbis *Ioannis ult. Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Accedamus etiam ad sancti Augustini loca.

33. S. Augustinus *tract. 50. in Ioannem.* B. Petrum cum Iuda comparat, ejusque comparationis occasione, pluries repetit, B. Petrum Ecclesiam repræsentâsse. *Quia non unus est Iudas*, inquit; *unus malus corpus malorum significat, quomodò Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claves Regni cælorum, quæcumque solveris in terrâ, soluta erunt & in cælo, & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in cælo.* Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; *si autem in Ecclesia sit, ut, quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in cælo, quia, cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia sit, Petrus, quando claves accepit*, Ecclesiam sanctam significavit. Hæc verba; *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia, &c.* explicant, quo in sensu S. Augustinus Petrum dicat, Ecclesiam repræsentâsse, cùm ei traditæ sunt claves, quia neque in sui solius favorem, neque ut ipsis solus uteretur, sed in universæ Ecclesiæ bonum, & ab alijs etiam Ecclesiæ Ministris adhibendæ, à Christo ipsi datæ sunt. Alium sensum non admittit ratiocinatio S. Doctoris. Nam ex hoc antecedente; *hoc Petro tantùm dictum est*, non sequitur; *Ergo non facit hoc Ecclesia*, nisi supponatur, nullum alium Ecclesiæ Ministrum, potestatis clavium esse quoquo modo participem. Dummodò enim alij eâdem potestate gaudeant, quandocumque, vel à quocumque illam acceperint, non potest dici; *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia.* Potuit enim *hoc Petro tantùm dici*; & nihilominùs *potest hoc facere Ecclesia*; si alij Ministri potestatis Petro traditæ participes efficiantur.

Tract. 118. in Ioan. unitatem, & charitatem, occasione tunicæ inconsutilis Christi, commendans, in uno Petro duodecim Apostolos repræsentatos affirmat. *Inconsutilis autem* (inquit, Ecclesiam cum tunicâ conferens) *ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati*, solus Petrus respondit, *Tu es Christus Filius Dei vivi: & ei dicitur; Tibi dabo claves Regni cælorum, tanquam ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit.* Ideo unus pro omnibus, *quia unitas est in omnibus.* Quocirca sicut B. Petrus, interrogatis omnibus, solus respondens, etiam non expectatâ aliorum sententiâ, ut docet S. Ioannes Chrysostomus *homil. 55. in Matthæum* super hæc verba *capitis 16. Vos verò, quem me esse dicitis &c.* pro omnibus respondere censetur, quia ipsi Pater Cœlestis pro reliquis omnibus Christi Divinitatem revelavit; non quia alij, quid respondendum esset, ipsum docuerunt. Ita ipse fundamentum Ecclesiæ statuitur, ut eam sustentet, non ut sustentetur ab ea, claves accipit ab ipso, cum Ecclesia communicandas, non ab ea iterum recipiendas. 34.

Nôrunt, qui B. Augustinum diligenter legerunt, sanctum illum Doctorem sæpe res verè, atque historicè gestas, ad alias significandas transferre, sed ferè ubique, qui ejus erat pro Ecclesia amor, & contra hæreticos, & schismaticos zelus, Ecclesiam vidisse. Quamobrem non est existimandum, ex positionibus illis allegoricis sensûs litteralis authoritatem ullo pacto imminui. Itaque nihil officit propriæ B. Petri dignitati, aut potestati in Ecclesiam, quòd Ecclesiæ personam gessisse dicatur: præsertim cùm Regnum nemo meliùs, quàm Rex ipse, cui subijcitur, repræsentet. 35.

ARGUMENTUM II.

IN Antiquo Testamento Divina proferebantur Oracula tum ex Sanctuario, in quod Summo duntaxat Sacerdoti patebat aditus, juxta *16. cap. Levitici*: tum ex Rationali *Vrim & Tummim*, ornamento Summi Sacerdotis, quo pectus ipsius tegebatur, & cui inscripta erant ista verba: *Doctrina & veritas.* Quamvis proinde ultimata & consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas subsistat ex Papæ, ceu Capitis Ecclesiæ, & Concilij Generalis, ceu Hierarchici Ecclesiæ Corporis consensu, eo ipso tamen, quòd in solum Papam, quâ unicum Ecclesiæ Caput reducatur, sub hac etiam infallibilitatis Concilio Oecumenico propriæ, prærogativâ, eatenus patet aliqua Papæ supra Concilium majoritas seu superioritas, quatenus caput est præeminens reliquo corpori. 36.

Exceptio partis adversæ.

37. EXcipient fortassis Adversarij. Illam ipsam consummatæ in Ecclesia circa res fidei decidendas infallibilitatis prærogativam non competere Papæ, nisi dependenter à Concilio. Hanc verò à Concilio dependentiam arguere hujus supra Papam superioritatem, in eo se tenentem, quòd Concilium sit repræsentans universalem Ecclesiam; veluti Concilium Constantiense adhuc acephalum, suis decretis præfixum esse voluit hunc titulum.

Responsio.

38. QUantumvis illa consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas subsistat ex Papæ, atque Concilij concordi consensu, atque Papa quoad istam infallibilitatis omnimodæ & absolutæ consummationem, sit dependens à Concilio Generali: quemadmodùm etiam anima quoad functiones sensitivas, ac vegetativas est dependens à corpore, ex ejusmodi dependentiâ æquè non infertur Concilij supra Papam majoritas, quàm ex illâ animæ erga corpus dependentiâ concludatur corporis supra animam præeminentia. Sed neque ex eo, quòd Concilium Generale sit repræsentans universam Ecclesiam, evinci Concilij supra Papam authoritatem, constat ex dictis *supra à n. 30.* firmaturque ulteriùs ex ijs, quæ *præcitatus* Author *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ à n. 10.* deducit: Aliquando, inquiens, à S. Augustino verbis propriis, ac perspicuis, singularis dignitas Petri à Christo accepta commendatur; velut *serm. 29. de Sanctis*: Petrus, ait, *in illa cælestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore susciperet, per Evangely potestatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret; interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator: & ideo* solus inter Apostolos meruit audire: *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis* lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.

39. In *sermone* quoque *13. de verbis Domini* plurima sunt, quæ B. Petri authoritatem supra cæteros omnes Apostolos, & Ecclesiam ipsam insinuant; qualia sunt ista; *Esse Petrum Ecclesiæ unicæ typum. Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe unus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Iesu Christo requirente, quémnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursúsque Domino interrogante, & dicente: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Petrus; Tu es Christus Filius Dei vivi, unum pro multis dedit responsum. Vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait; Beatus es Simon Barjona, quia non revelavit tibi caro, & sanguis, sed Pater meus, qui est in cælis. Deinde addidit; Et ego dico tibi, tanquam diceret; Quia tu dixisti mihi; Tu es Christus Filius Dei vivi: & ego dico tibi; Tu es Petrus.* Et inferiùs. *In illo ergo uno Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuo,* in quo figurabatur Ecclesia, *utrumque genus significandum fuit, id est, firmi & infirmi, quia siue utroque non est Ecclesia.* Et *serm. 49. cap. 3. dicit Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondit, Domine amo. Pasce oves meas.*

Sermone autem *108. de diversis ait; Inter hos* 40.
penè ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. *Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit; Tibi dabo claves Regni cælorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur,* Quia ei sius universitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit: *quando ei dictum est. Tibi dabo. quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis, Ecclesiam accepisse claves Regni Cælorum, audite, in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis; Accipite Spiritum sanctum. Et continuò, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cujus tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, quæ solveritis in terra, erunt soluta & in cælo, & quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cælo. Sed hoc dixit Petro, ut scias,* quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat ..... *Columba ligat, columba solvit, ædificium supra Petram ligat, & solvit.* Et infra. *Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos solus meruit pascere Dominicas oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petrus primitus, quia in Apostolis Petrus est primus ..... Attendite fratres mei. Pasce, inquit, oviculas meas, pasce agnos meos, pasce oves meas.*

Si Concilium generale sine Papa Ecclesiam 41.
meliùs, quàm Papa solus repræsentat, toti Collegio, non soli Petro tradendæ erant claves, commendandæ oves, &c. Non ergo ut simplex Procurator, sed ut Monarcha visibilis claves Regni cælorum accepit Petrus; non ut deferendas ad Ecclesiam, & ab illa rursus accipiendas, sed in illius utilitatem usurpandas, & ministris inferioribus communicandas. Certò si Petrus nuda fuisset Ecclesiæ figura, seu simplex Procurator, hinc *Petri excellentia* non prædicaretur, ut dicit S. Augustinus.

CONCLUSIO.

EX Veteris Testamenti præadductis 42.
sacris textibus cum Christi sancto Evangelio collatis, efficaciter ostenditur Summi Pontificis supra Concilium, quà acephalicè spectatum, sicque *materialiter* duntaxat Generale, seu superioritas, seu majoritas.

Explicatur. Nam uti sæpe dictum est, duæ sunt Concilij Oecumenici prærogativæ, *una absolutæ* jurisdictionis, seu *indefinitæ* ad solvendum, & ligandum potestatis, Apostolis, eorumque successoribus, quà in nomine Christi, atque adeò hujus vicariâ authoritate congregatis *Matthæi 18* concessæ: quæ Concilio Oecumenico non aliter, quam Christi nomine, seu authoritate ejus vicariâ informato competens

præeminentia, ita comparatur ad Concilium & Papam, ut hujus character se habeat uti *Formale*, reliquum verò Hierarchicum Ecclesiæ Corpus, sub isto charactere aggregatum, sit quasi *Materiale*, cui superstruatur illa Apostolica Oecumenica jurisdictio, præterquàm quòd Papæ etiam *solitariè* spectato, pariter *indefinita* gandi & solvendi potestas conveniat. Quemliadmodùm igitur anima, se habens tanquam principium *formale* respectu potentiarum ex ea prômanantium in corpus, nequit inferior, sed potiùs superior dici debet isto, utpote quod in ordine ad illas se habet tanquam *Materiale*, subiens rationem principij organici erga operationes animæ seu sensibiles, seu vegetativas, seu rationales, quà ex phantasia dependentes. Sic in Concilio Oecumenico, quà jurisdictionis illius universalis, per Christi Domini verbum susceptivo, *Formale* quasi principium ejusdem est character Papæ, præferens Christi nomen vicarium, Synodi quà Oecumenicæ *formaliter* constitutivum: *materiale* verò est reliquum Corpus Ecclesiæ hierarchicum, ex Christiano orbe convocatis Episcopis aggregatum. Num igitur fas est, dicere, istud corpus, si acephalicè spectetur, esse Papâ superius, vel potiùs Summus Pontifex respectu Concilij major &
43. superior nominandus est?

Altera Concilij Oecumenici prærogativa consistit ex omnimodâ & consummatâ in dogmaticis sanctionibus infallibilitate. Hæc verò competit Concilio non acephalo, sed pleno ac Oecumenico, ut sic composito ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Corpore per vicarium Christi nomen aggregato, quà ambobus in unum veritatis Divinæ sensum consentientibus. Quemadmodùm verò hominis Christi sanguine redempti ad gratiam sanctificantem susciendam capacitas nequit convenire animæ separatæ, sed quà unitæ corpori; ita tamen, ut hæc aptitudo *per se primò* conveniat homini ratione animæ, corpore per hanc informato, per modum conditionis quasi *materialis*, Divinitus ordinatæ ad statum gratiæ susceptivum se habente. Sic equidem consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas neque soli Papæ, neque Concilio acephalicè considerato, sed pleno Oecumenico Concilio competit, ita tamen, ut authoritas Pontificia sit quasi *Formale*, reliquum verò ex Episcopis aggregatum Ecclesiæ Corpus hierarchicum sit *materiale* constitutivum Concilij, quà susceptivum illius consummatæ in rebus fidei definiendis infallibilitatis. In quantum ergo anima, in ordine ad gratiam sanctificantem, homini, quà in statu viatoris constituto, Divinitus destinatam recipiendam, supereminet corpori, ejusdem gratiæ in tantum participi, in quantum est pars hominis ad hunc Divinæ amicitiæ statum elevati: sic Papæ authoritas, ceu Concilij Oecumenici forma, prævalet reliquo Ecclesiæ intrà Synodum Generalem aggregatæ Corpori hierarchico, etiam in ordine ad illam consummatæ in sanctionibus dogmaticis infallibilitatis prærogativam; uti magis elucidabitur *ex sequentibus probationibus*.

PROBATIO I.

Ex Deut. 17. cap. petita.

IN illo namque sacro textu consideratione 44.
præcipuâ dignum est, quòd, licèt judicium causæ ad Concilium sacerdotale delatæ, spectârit & ad Iudicem, qui fuisset illo tempore, & ad totum Conventum Sacerdotum, qui cum Summo Sacerdote conjuncti, deberent judicare judicij veritatem; uti sacer textus *v. 9. & 10.* habet. Nihilominùs obedientia tali judicio, ac decreto *judiciario* debita *sequenti versu 12.* reducitur in unum Sacerdotem Pontificem Maximum: quatenus *ibidem* dicitur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ex quo manifestum jam redditur, in Veteri Testamento Concilium illud sacerdotale non fuisse potitum suprema illâ *judiciariâ* authoritate, nisi quà conjunctum cum Summo Sacerdote. Sub hac verò coadunatione consistebat suprema judicij authoritas, ut hæc equidem non spectaret ad solum Summum Sacerdotem, sed conjunctim, quà concurrentem cum Concilio, ad ferendam sententiam. Cujus nihilominùs sententiæ vis ac energia à *præcitato* sacro textu adscribitur præciso Sacerdotis imperio. Cur hoc, nisi quia sub istius tanquam Capitis ac Præsidis charactere, ceu quasi formâ Concilij consistebat hujus authoritas, quæ, ubi Concilio accessisset, vim obtinebat sub mortis etiam reatu obstringendi ad decreti, seu imperij taliter lati obedientiam. Quemadmodùm igitur corporis humani forma huic eatenus præeminet, quatenus in se *eminenter* continet cunctas etiam corporales seu sensitivas, seu vegetativas potentias, & hinc, licèt anima secundùm se præcisè spectata, non habeat vim eliciendi tales functiones corporales, sed ad eas præstandas opus habeat corpore, ac membris ipsius, ceu organis ad hoc à natura destinatis. Sic in Veteri Testamento ex ordinatione Divinâ, *judiciaria* suprema Ecclesiastica potestas, ipsarum etiam Dei legum Iudicialium interpretativa, & ad causas seu *Civiles*, seu *Criminales authoritativè* applicativa, non competebat quidem Summo Sacerdoti, nisi quà concurrenti cum Concilio, eo ipso tamen, quòd hujus sententia esset quasi informis, quamdiu non informabatur Summi Sacerdotis consensu, ideo istius imperium ita quidem fuerat dependens à Concilio, ut tamen se haberet tanquam forma in tantum supereminens, in quantum anima in ordine ad functiones etiam corporales supereminet corpori, à quo, ceu organo est dependens: ob cujusmodi adeò præeminentiam sacer textus præciso sacerdotis imperio attribuit vim reatûs mortiferi inflictivam, quatenus scilicet Concilij vota in Sacerdotis tandem consensum reduci debebant, ut ab hoc, ceu formâ, reciperent vim authoritativam, sicque proinde vis imperij reducatur in sacerdotem, quà Concilio consensu suo accedentem, atque adeò iste Concilio præeminuisse sit meritò dicendus.

Pari igitur ratione intrà Novum Testamen- 45.
tum

tum in expendendâ authoritate Oecumenicâ Concilij Generalis res ita debet tractari, ut, si Synodus, quantumvis *materialiter* Generalis, sit *realiter* acephala, id est, absque Capite Summo Pontifice, non nisi Episcopalium jurisdictionum in unum aggregatarum, & sub ista aggregatione in universale Ecclesiæ Bonum naturæ suæ conformiter coördinatarum, Cœtum Ecclesiasticum conficiat, sitque adeò destituta charactere authoritatis Oecumenicæ. Quòd si verò Concilium Generale sub vicario quidem Christi charactere sit coadunatum, sicque Oecumenicâ Papæ authoritate insignitû, nec adeò dici possit *realiter* acephalum, sed tamen qua *abstractivè* acephalû comparetur cum Summo Pontifice, tunc iste se habet ad illud tanquam forma, nec in sui primâ duntaxat coadunatione, quæ fieri debet in nomine Christi, seu vicariâ hujus authoritate, sed sub ipsâ etiam dogmaticâ definitione, eatenus debet Concilio accedere Summi Pontificis cum illius sensu consonans consensus, ut antecedenter ad istum, sanctio Conciliaris sit adhuc informis, indigens authorizativo Papæ accessu, ceu forma decreti, qua dogmatici perfectivâ & consummativâ. Quantumvis ergo pro isthâc Oecumenici Synodalis decreti vi authoritativâ Papa sit dependens à Concilio, tanquam ipsius etiam Spiritûs sancti organo; quemadmodùm etiam anima in ordine ad corporales functiones est dependens à corpore, ceu organo per sui informationem actuato, eo ipso tamen, quòd Papæ Oecumenica authoritas ad Concilium *abstractivè* acephalum comparata, se habeat tanquam forma, reliquum verò hierarchicum in Synodo Generali aggregatum Ecclesiæ Corpus se habeat per modum organi quasi *materialis*, à quo per Christi institutionem pro ultimatâ dogmaticâ sanctione dependere debeat Summus Pontifex, idcircò hic meritò dicendus est præeminere Concilio *abstractivè* acephalo.

Objectio.

46. DIces. Quòd Concilium sit Papâ superius, probari ab Abulensi *in defensorij sui par. 2. cap. 72. & 73.* ex his Christi ad Petrum etiam prolatis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ.* Etenim Christus hoc dicebat Petro, dum quidem non erat adhuc Papa, illa ipsa tamen verba referebantur ad tempus, quo Petrus erat futurus Papa. At verò ex ijsdem Christi Domini verbis constat, Petrum etiam remitti ad peccatorem aliàs incorrigibilem denuntiandum Ecclesiæ. Sub hac verò Ecclesia intelligi Concilium Generale, constat ex *præcitati* Abulensis *cap. 70.* Ea autem est natura judiciorum, ut de inferiori Judice fiat recursus ad superiorem. Quòd si ergo Petrus, quà Papa, esset major, quàm Ecclesia, vel saltem ei æqualis, non remitteretur ad eam, quà in Concilio Generali repræsentatam, sed sufficeret, quòd sibi tanquam Papæ de delicto fieret denuntiatio, sicque id puniret: cùm Judex superior numquam litiget coram inferiore, nec appelletur à superiore ad inferiorem, sed è contrario.

Responsio.

DEmus, illa Christi Domini verba: *Dic Ecclesiæ*, referri ad Petrum pro eo tempore, quo erat futurus Papa, attamen, si sacer ille textus conferatur cum suo contextu, evincitur, Ecclesiæ nomine ibi venire Concilium Generale, quà in nomine Christi, adeoque vicariâ hujus authoritate, Papæ inexistente coadunatum. Ut sic autem, si peccator publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sanctamque unitatem & pacem perturbet, in Papam, cui, ceu Oecumenico Pastori, incumbit Ecclesiæ Universalis cura, peccatur. Dum Papa igitur tanto malo nequit se solo efficaciter remederi, ipsius utique officio incumbit, ut dicat, seu denuntiet Ecclesiæ, seu Concilio Ecclesiam Universalem repræsentanti, minimè tamen subsistenti absque characteris sui, vicarium Christi nomen importantis, concursu. Quæ nihilominùs denuntiatio tunc minimè fit à Papa, quà inferiore, quemadmodùm etiam in processu capitalis sententiæ juxta Imperij Romani normam fit accusatio nomine Principis territorialis, qui tamen minime dicendus est inferior suis subditis judicij *criminalis* Assessoribus, quà *collectim* etiam spectatis, seu in commune concilium ad *criminale* judicium perficiendum coadunatis. Ea igitur denuntiatio Concilio Generali facienda per Papam, huic competit, quà supremo Ecclesiæ Principi. Et licet in ultimatâ dogmatis sanciendi sententiâ Papa non procedat, nisi unà cum Concilio, ita ut Duos, nempe Caput, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicû Corpus, oporteat juxta sacrum contextum, consentiendo, in unum concurrere, ut omnimoda & consummata fiet Dogmatis universam Ecclesiam constringens infallibilitas, sicque adeò Oecumenicum, quà ex Capite simul, ac reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico indivisim subsistens Concilium, quoad illam infallibilitatis consummatæ prærogativam obtineat aliquam majoritatis excellentiam, de qua non æquè certum ac definitum fidei dogma est, consistere in solo Papa, nihilominùs ista majoritas ipsam etiam Papæ authoritatem, ceu *formale* Concilij, quà Oecumenici constitutivum complectens, non importat *strictam* Concilij super Papâ superioritatem; velut *in antecedentibus* ostensum fuit. 47.

PROBATIO II.

Desumpta ex comparatione Veteris ac Novi Testamenti.

48. IN Veteri equidem Testamento ea erat Summi Sacerdotis prærogativa, ut Divina oracula referre posset tum ex Sanctuario, tum ex Rationali *Vrim & Thummim*, etiam independenter à Concilio. Cujusmodi in fidei dogmatibus definiendis oraculum Divinum præstò esse Novi Testamenti Summo Pontifici, constat ex eo, quòd sit Petra, super quam fundata est Ecclesia, cui portæ inferi non prævalebunt, quodque Christus pro Petro, ejúsve Successore rogâ-

rogârit, ne fides ipsius deficeret, sed in fidei veritatibus confratres suos confirmandi authoritatem obtineret. Nihilominùs hæc consummata fidei saltem *quoad nos*, omninò irrefragabilis infallibilitatis indefectibilitas subsistit in Papa, quâ consentiente cum Generali Oecumenico Concilio. Unde sicut Sacerdotis Summi in Antiquo Testamento de consulendis Divinis Oraculis prærogativa non habebat in ipso locum, nisi quâ ingresso Sanctuarium, vel quâ consulente Deum per Rationale *Vrim* & *Thummim*: sic ea consummatæ circa fidei dogmaticas sanctiones infallibilitatis omnimodæ prærogativa competit Papæ intrà Sanctuarium Concilij Oecumenici, quatenus scilicet cum isto consentit. Qui consensus, seu Papæ ad Concilium sub vicariâ Christi authoritate suâ aggregatum accessus, est mysticum Rationale *Vrim* & *Thummim*, ex quo Deus ipse loquitur, faciens, quodcunque petierint Duo, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus taliter consentientia, adeoque infallibiliter inspirans ipsis, ac edocens veritatem dogmatis, pro quâ firmandâ in unum sunt coadunati.

49. Quamvis proinde Papæ intrà Concilium sit infallibilitatis consummatæ præeminentia major, quàm *secundùm nos* saltem, sit in solo Papa extra Concilium constituto: quia tamen hæc ipsa prærogativa eatenus competit Concilio Oecumenico, quatenus in hoc quasi *formale* est Papæ authoritas, reliquum verò hierarchicum Ecclesiæ Corpus est quasi *materiale*. Idcircò sicuti anima non nisi, quâ unita humano corpori, est capax gratiæ sanctificantis, ex meritis Christi suscipiendæ, nequit tamen dici, quòd anima, utpote *formale* hominis constitutivum, in ordine ad istam gratiæ sanctificantis capacitatem sit corpore inferior, vel quòd corpori, seu toti homini competat aliqua super animam superioritas: sic licèt Papa nonnisi quâ conjunctus cum Concilio obtineat consummatam omnimodæ saltem *quoad nos* infallibilitatis prærogativam, quia tamen Papæ suprema authoritas est quasi *formale* Concilij, quâ Oecumenici constitutivum, nequit Concilium dici, habere *strictam* respectu Papæ superioritatem.

Objectio.

50. REplicabis ex Abulensi *cit. cap. 72.* Ipsummet Petrum actibus suis ostendisse, quòd Concilium Generale ipso esset majus, quia subibat mandata Generalis Concilij, dum scilicet Apostoli & Seniores, qui erant congregati in Ierusalem, & faciebant Generale Concilium, audientes, quòd Samaria recipiebat verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Unde manifestè patet, Concilium putâsse, quòd sibi liceret, mandare Apostolis illis, neque hi resistebant, sed suscepto mandato Congregationis, mox iverunt illuc; veluti patet ex *Act. 8.*

51. Deinde, quando Petrus se subtrahebat à Gentibus, & cum ipsis non manducabat de cibis communibus, sed cœperat observare Legalia propter quosdam, qui erant de circumcisione, Gentilesque propter hanc dissimulationem scandalizabantur, putantes, quòd etiam tenerentur, observare Legalia; Paulus increpuit Petrum, tunc hic tacendo, non se opposuit tali increpationi: sed ubi per Concilium Generale fuit factum decretum de conversis Gentilibus non adstringendis ad Legalium observantiam, prorsus acquievit Petrus, credens, se subditum Concilij determinationi ac statuto.

Responsio.

NUm ex eo, quòd Pater in mundum miserit 52.
Filium suum Unigenitum, coarguere præsumes, Patrem esse Filio majorem ac superiorem? Hæc missio importat æternam Filij à Patre processionem, una cum connotato temporaneæ ad extra transeuntis actionis, personæ Filij *hypostaticè* unitivæ cum humanâ naturâ. Respectu cujus equidem in missione illa *connotativè* ac *terminativè* importatæ actionis temporalis, nempe Incarnationis, est aliqua *effectivi* principij majoritas, attamen indivisibiliter una, & communis Patri ac Filio. Quia proinde illa Filij missio non respicit præcisam Christi humanitatem, sed ejusdem personam in æternitate genitam à Patre, & in tempore vi causalitatis effectricis à Patre & Filio ac Spiritu sancto indivisibiliter prodeuntis incarnatam, humanitati personaliter unitam, nequit ullo modo ex illa missione coargui aliqua personæ mittentis supra personam missam superioritas. Quare nec ex eo, quòd *Act. 8.* Petrus sit à Concilio Hierosolymitano missus Samariam, inferre licet hujus supra Petrum superioritatem, seu majoritatem. Numquid enim inter ipsos etiam homines, quâ in unum seu politicum, seu hierarchicum Corpus aduna-tos datur *alia* missio *authoritativa* & *præceptiva*: *alia* verò *excitativa* duntaxat vel officij in majore etiam existentis, vel charitatis inter superiores & subditos, nec non in communicatione præcipuè supernaturali coæquales vigentis? Utrovis igitur isto modo Petrus mitti potuit à Concilio, quin hujus supra ipsum majoritas, seu superioritas evinci valeat.

Quoad Petrum ratione Legalium à Paulo increpatum, prorsus negandum est, egisse quidquam adversùs Concilij Hierosolymitani Decretum, ut propterea reducendus esset à Paulo ad hujus observantiam, ex sui erga Concilium Oecumenicum subjectione; sed illud Petri factum, & Pauli increpatio erat antecedens Synodum Hierosolymitanam. Imò ipsissimum illud Decretum ex Oecumenicâ Petri authoritate Apostolicâ ordinariâ, ceu sui formâ, habebat firmitatem, cui ipsemet etiam Apostolorum Princeps meritò se conformaret ob Divinæ comprobationis ex Concilij, unâ & Oecumenicæ Petri authoritatis consensione subsistentis, ab omnibus Christi fidelibus, ipsomet etiam Ecclesiæ Capite religiosè observandæ reverentiam; unis hæc universa patent *ex antecedentibus*. Ejus porrò à Paulo erga Petrum factæ increpationis causam nec quidquam facere ad rem

piæ-

præsentem, videre licet etiam *in Vindiciis nostris Baronij ad annum Christi 59. n. 2. & 3.*

§. V.

Nostratis sententiæ argumenta expenduntur.

ARGUMENTUM I.

Petitum *ex Matthæi 16. cap. à v. 18. usque ad 20.*

54. ETenim Concilij non acephali, etiam non *realiter* separati a Capite, sed *abstractivè* spectati absque Capite, sed plenè Oecumenici per characterem Christi vicarium Papæ proprium aggregati, atque Summi Pontificis consensu roborati, duæ sunt prærogativæ *Matthæi 18.* traditæ, quarum *una* est omnimoda & consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas: *altera* est *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Atqui *ex Matthæi 16. v. 18.* constat, Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò ejus Successori esse promissam perfectam indecretis fidei infallibilitatem, Christo compellante Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quomodò enim Ecclesia, cujus forma *essentialiter* constitutiva est fides, esset fundata supra Petram cui portæ inferi prævalere haud possent, si ipsa Petra, super quam est ædificata, non omnimoda in fidei dogmatibus decidendis infallibilitate polleret? *Altera* deinde Concilij, quà Oecumenici, ex Capite simul ac reliquo Ecclesiæ hierarchico Corpore constitutis prærogativa cit. *Matthæi 18.* traditur sub hisce verbis: *Amen dico vobis, quidquid alligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quidquid solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* At *Matthæi 16 v. 18.* Petro *determinatè*, ac *individualiter*, seu *personaliter*, atque adeò, quà discreto à reliquis Apostolis, dictum est a Christo: *Tibi dabo claves Regni cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quomodò igitur hâc Petri, ejusque Successoris propriâ ligandi & solvendi potestate omninò *indefinitâ* dici possit superior seu major Concilij, etiam quà Oecumenici, æquè licèt *indefinita* ligandi & solvendi authoritas?

Objectio.

55. EXcipient fortassis Adversarij. Esto, in vi præductorum textuum inter se collatorum, non probari Concilij Oecumenici super Papâ superioritatem: at ex ijsdem Divinis Oraculis neque Papæ super Concilio superioritatem evinci. Adhæc Divo Augustino teste *lib. 1. Retract. cap. 21.* Petram, super quâ Christus dixit ædificatum iri suam Ecclesiam, esse fidem & confessionem Petri profitentis, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Super quâ proinde fide, ejusque confessione eatenus est fundata Ecclesia, ut adversùs istam prævalere haud possint portæ inferi. At in vi istorum verborum infallibilitatem fidei, super quâ, ceu Petrâ est fundata Ecclesia, non tam Petro secundùm se præcisè spectato, quam Ecclesiæ Divinitus repromissam evinci. Et hinc S. Augustinum asseverare: *Petro* (non in sua præcisa persona) sed quà *totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominum dixisse: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Responsio.

56. SI Concilium spectetur quà plenè Oecumenicum, in quo Papa seu qua *Formale* quasi constitutivum, seu qua hierarchici Ecclesiæ Corporis Caput, *essentialiter* importatur, nulla equidem adstrui potest Papæ super illud seu majoritas, seu superioritas. At eo ipso, quòd præinsinuatæ Concilij Oecumenici prærogativæ huic non competant, nisi quà Papam cum suo Christi vicario charactere complectenti, ideo neutra earum attribui potest acephalo, quantumvis Generali Concilio, sed huic *realiter* acephalo nulla inest, nisi Episcopalium jurisdictionum in unum Cœtum pro publico Ecclesiæ Bono collatarum authoritas, cui ex prædductis sacris Litteris clarè constat, supereminere Papæ potestatem Oecumenicam. Quòd si verò in ipso Oecumenico Concilio, quà vicariû Christi characterem Papæ proprium importante, per *abstractivam* quandam separationem fiat quædam inter Papam & Concilium *abstractivè* acephalum collatio, tunc in ordine ad illam duplicem Concilij Oecumenici prærogativam, ita debent Papa & Concilium consentire in unum; ut Papa tamen sit quasi anima, Concilium verò *acephalicè* consideratum sit quasi corpus respectu totius Ecclesiam Universam perfectè repræsentativi Concilij, quà Oecumenici. Cùm igitur Papæ etiam *solitariè* spectato, sit Divinitus repromissa Petræ in fide firmitas, unà cum *indefinitâ* solvendi ac ligandi potestate, quarum neutra tamen, juxta fundamentum ex præallegatis sacris textibus deductum, competit Concilio *acephalicè* spectato, sed quà plenè Oecumenico, ideo secundùm hanc considerationem rectè dicitur Papa Concilio major ac superior.

57. Neque relevant, quæ in contrarium adducta fuerunt, quasi illa Petræ firmitas, sicque fidei infallibilitas, unà cum Regni cælorum clavibus non Petro *solitariè* spectato, sed Ecclesiæ, sive etiam Petro, quà Ecclesiæ figuram gerenti, fuisset à Christo repromissa.

58. Nam sub hoc ipso effato venit considerâtu dignissimum, quid importetur per istum loquendi modum, quo illa Divina repromissio dicitur facta Petro, quà totius Ecclesiæ figuram gerenti? Numquid enim Capitis, seu Principis est proprium, ita gerere figuram Regni, ut istud sit in ipso *repræsentativè*? Quia igitur illa Christi verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claves Regni cælorum*: sunt dicta Petro, quà Ecclesiæ figuram gerenti, profectò hinc evincitur, Petro

ijsdem verbis fuisse à Christo promissum Ecclesiæ Principatum, vi cujus in ipso esset *repræsentativè* tota Ecclesia; Divo Augustino *tract. 124. in Ioannem circa medium* ita differente: *Ecclesiæ Petrus Apostolûs, propter Apostolatûs sui Primatum, gerebat figuratâ generalitate personam.* Quantumvis ergo S. Augustinus sub Petrâ illâ, super quam ædificata est Ecclesia, intelligat Petri de Christo, ceu Ecclesiæ fundamento editam fidei confessionem, nullatenus tamen intelligi hoc potest de isthâc fidei confessione *in abstracto* sumptâ, sed quâ spectatâ *in concreto*, seu quâ per Divinam promissionem fundatâ in Petro, ejusque adeò Successore, quod proinde fidei fundamentum, cùm sit adeò firmatum in Petro, ut portæ inferi adversùs fidei à Petro editæ, & quâ in Petro firmatæ, Petram prævalere haud possint, manifestè hinc evincitur, ex præductâ S. Augustini *lib. 2. Retract. cap. 21.* factâ expositione non minùs firmam stare in Petro, ejusque Successore circa fidei dogmata infallibilitatis prærogativam, ac si dixisset, ea Christi verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, respicere Petrum, ejusque successorem. Quia igitur Concilio quantumvis Generali *acephalicè* spectato, non competit talis infallibilitatis prærogativa, sed hæc repromissa est Concilio, quâ Oecumenico, seu quâ per authoritatis Pontificiæ accessum animato, & firmato, consequens est, hâc etiam in parte Papam Concilio *acephalicè* sumpto quantumvis cæteroqui Generali, esse majorem ac superiorem.

ARGUMENTUM II.

Ex Ioannis 21. desumptum.

59. UBi Christus Oecumenicum pastorale officium erga suam Ecclesiam *actualiter* contulit Petro hisce verbis: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Sub hisce namque verbis *Tò Pascere* perinde sonare, ac *Tò regere*, ostensum est *in antecedentibus.* Quare Oecumenicum Pastorale munus Petro commissum, importat authoritatem gubernativam, protensam super universis Christi ovibus, & agnis. At in Concilio quantumvis Generali, sed *acephalicè* spectato, qui, nisi oves, seu agni Christi conveniunt, nempe Episcopi ex universo Christiano orbe convocati? Hi verò secundùm *mentalem* à Capite suo Petri Successore quandam præcisionem, sub quâ intelliguntur conficere Concilium *abstractivè* acephalum, nullâ potiuntur authoritate, nisi Episcopali in unum collatâ, ad curandum publicum Ecclesiæ Bonum. Atqui Episcopalis jurisdictio ab ipsomet Summo Pontifice in Episcopos, ad suæ Pastoralis solicitudinis partem vocatos, derivata, non potest non semper manere subjecta Pontificiæ Oecumenicæ authoritati, sicut ipsi etiam Episcopi, quâ Christi oves, seu agni extrahi haudquaquam possunt à sphæra Oecumenici Petro, ejusque Successori commissi Pastoralis officij. Quia igitur in ejusmodi quantumvis Generali Episcoporum Concilio *acephalicè* spectato, sive in Episcopalibus ex toto Christiano orbe in unum collatis jurisdictionibus, etiam *collectim* sumptis, per sacras Scripturas nulla est assignabilis præeminentia alicujus supra Papam majoritatis: è contrario autem præductus sacer textus confert Papæ prærogativam supereminentem omnimodæ jurisdictioni Episcopali, atque suâ gubernativâ authoritate Oecumenicâ complectentem cunctos totius orbis Episcopos, manifesta hinc redditur Papæ supra Generale *acephalicè* spectatum Concilium superioritas.

Objectio.

60. DIcent Adversarij. Ex Concilij Tridentini Actis per nos *superiùs* descriptis elucere, non esse adhuc definitum dogma; An sub istis Christi verbis: *Pasce oves, seu agnos meos*, isti *collectim* etiam sumpti, non verò in sensu duntaxat *distributivo* sint contenti sub Oecumenici Papæ officij Pastoralis sphærâ gubernativâ: nec adeò ex illo sacro textu evinci, quòd Episcopi ex Christiano orbe in unum collecti, ut sic Concilium Generale saltem *abstractivè* acephalum conficientes, subdantur Papæ authoritati Oecumenicæ, ut propterea adstruenda sit papæ supra Concilium ejusmodi superioritas.

Responsio.

61. ETenim Christus sub illis ad Petrum prolatis verbis: *Pasce agnos meos.* nullam fecit exceptionem *sensûs collectivi.* Quomodò igitur nobis fas erit, hujus *collectivi* sensûs ab illis verbis exceptionem facere, absque aliquâ in sacris Litteris fundatâ solidâ ratione? Hæc fortassis exceptio fundabitur in hoc, quòd *Concilium Generale sit repræsentans Vniversam Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis.* At quia Ecclesia quoad statum perfectè hierarchicum non potest repræsentari in Corporo avulso à Capite, sed quâ integrato ex Capite, ac reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico, nequit ad Concilium Generale, quà *acephalum* spectare illa prærogativa, secundùm quam sit columna & firmamentum veritatis, ex quâ præeminentiâ prætendi posset illa agnorum Christi *collectivè* sumptorum, ab Oecumenicâ Papæ authoritate exceptio. Est autem ipso lumine naturæ notum, si Comitia Generalia coalescant ex subditis, neque huic Cœtui, ex Regni Ordinibus coadunato, altior quæpiam præeminentia, in comparatione cujus potestas Regia non esset jam suprema, convenire dignosceretur, nefas fore, talibus Comitijs alicujus supra Regem superioritatis præeminentiam asserere. At res ita se habet cum Episcoporum, quantumvis Generali Concilio *acephalicè* sumpto, ut, quæ Concilio Oecumenico sunt Divinitus promissæ prærogativæ, eidem non competant, nisi quà consentienti cum Capite ejusdem quasi informativo, & *formaliter* perfectivo. Cùm igitur omnes ac singuli Episcopi inter Christi agnos computati, secundùm se, & omnimodam jurisdictionem subjaceant Pastorali Papæ officio, ejusque authoritati Oecumenicæ, neque verò tali Cœtui *acephalicè* spectato, ex sacris Litteris noscatur concessa alicujus

altioris prærogativæ supereminentia, nequit jam Episcoporum Generalis coadunatio, sive jurisdictionum Episcopalium collatio *collectiva*, vi talis collectionis extrahi è sphæra Oecumenicæ Pastoralis, seu gubernativæ, Papæ propriæ authoritatis, atque adeò hujus per Christum assertæ universalitas, nullatenus admittit illam ovium seu agnorum Christi *collectim* sumptorum à Papæ superioritate exceptionem.

CONCLUSIO.

62. EX prædadductis textibus Evangelicis efficaciter demonstratur Papæ supra Concilium, quà *acephalicè* spectatum, superioritas.

Explicatur. Hujus conclusionis centrum ad hoc punctum videtur reduci, quòd Papæ Oecumenica authoritas habeat jus superioritatis erga omnimodam Episcopalem non *divisim* tantummodò, sed etiam *collectim* sumptam jurisdictionem: quod tamen principium videtur non esse certum, cùm ne Tridentinum quidē Concilium sustinuerit definire quæstionem multoties in eo motam; *An Episcoporum, reliquis, præter Petrum, Apostolis in Episcopali munere succedentium jurisdictio sit* immediatè *à Christo, sitque adeò juris* Divini immediati? Quæ proinde quæstio, cùm ab illo sacrosancto Concilio non fuerit definita, num vitio vertendum esset, si quispiam pro ejus parte *affirmativâ* stare vellet? Hoc autem posito, foret consequens, quòd in Episcopis ex orbe Christiano collectis, Capite licèt non interveniente, jam in unum conferretur Apostolorum, quibus Episcopi succedunt, jurisdictio: sub qua proinde collectione Apostolico charactere insignitâ jam locus esset prærogativis illis, quæ *Matthæi 18.* Apostolis in unum Concilium Christi nomine, id est, Apostolicâ authoritate condecoratum, aggregatis sunt promissæ. Sub cujusmodi etiam prærogativis nequit jam Concilium, licèt *acephalicè* spectatum, subesse Papæ superioritati. Quare ut conclusionis prætactæ centrum firmum maneat, oportet, per Theologicam demonstrationem ostendere, præmotæ quæstionis statum nec quidquam habere momenti ac ponderis, ad Papæ super Episcopos totius orbis Christiani, etiam *collectim* sumptos, superioritatem enervandam; velut *ex præsentis conclusionis* decursu patebit.

PROBATIO I.

Quâ ex *Matthæi 16.* firmatur Petri, atque adeò Papæ supra Concilium Generale *acephalicè* sumptum supereminentia quoad infallibilitatis in fidei rebus prærogativam.

63. ETenim sub istis Christi Domini verbis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, manifestè comprehenditur Ecclesiæ in fide indefectibilitas, atque adeò in rebus fidei decidendis aliqua intrà Ecclesiam consistens infallibilitas. Atqui ea verba esse accipienda de Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò cum ordine successionis, probat unanimis consensus Patrum. Tertullianus namque *de præscrip. cap. 22.* sic ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum?* Origenes *in Matth. de canone novi Testamenti: Petrus*, inquit, *super quem Dominus fundavit Ecclesiam, &c.* Cyprianus *de Unit. Ecclesiæ* sic ait: *Probatio est ad fidem facilis compendio Veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cælorum.* Et *infra: Eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.* Basilius Magnus *ad cap. 2. Isaiæ. Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit propter maximam fidei firmitatem.* Et *infra: Super quam petram promisit ædificare Ecclesiam.* Ambrosius *Serm. 47. Petrus pro soliditate durationis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo &c.* Epiphanius *in Ancorato: Ipse Dominus constituit Petrum principem Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, &c.* Hieronymus *Epist. 54. ad Marcellum: Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam.* Et *in cap. 16. Matth. Prudens lector inquirat, quomodò post tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Barjona, nec audiat: Vadè retrò Sathana &c. Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. Ædificabo, inquit Christus, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum.* Cyrillus Alexandrinus *lib 2. in Ioan. cap. 12. Christus, cùm se esse, qui cuncta, antequàm fiant, novit, nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè significans, quòd in eo tanquam petrâ, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Augustinus *Serm. 5. in Festo Petri & Pauli: Solus inter Apostolos meruit audire, tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique soli dictum est: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* At Petrus dictus est petra propter soliditatem durationis ex sancto Ambrosio *citato.* Ergo super Petrum tanquam petram cum soliditate durationis ædificata est Ecclesia, quatenus Christus ipsi dixit: *Pasce oves meas.* Ex Cypriano *supra.*

Objectio I.

64. DIces. Si Petrus, ejusque Successor est Petra, super quam ædificata, seu fundata est Ecclesia, quomodò verificari jam potest illud Apostoli *1. Corinth. 3. v. 2.* dicentis: *Non posse aliud statui fundamentum, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus?*

Responsio.

65. COngruentissimè ac solidissimè responderi solet ad eam objectionem, Petrum, ejusque Successorem, quâ Ecclesiæ clavibus, ac in definiendis rebus fidei infallibilitatis prærogativâ Divinitus dotatum, esse *secundarium* duntaxat, seu Vicarium, ac Christo subordinatum Ecclesiæ fundamentum, Divo Augustino *serm. 5. in festo Petri & Pauli* ita differente de Petro: *Solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, dignus certè, qui ædificandis populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.* Quare sacræ Scripturæ authoritatem eatenus solum Christum statuere fundamentum ac lapidem Ecclesiæ, ut tamen super hoc fundamento detur aliud seu fundamentum, seu lapis fundamenti superstruatur, cui conveniat, esse Petram seu fundamentum Ecclesiæ non *primarium*, & *absolutè* instar Christi, sed *vicariè* duntaxat, ac *secundariò*, seu *participativè*. In vi cujus adeò Divinitus participatæ præeminentiæ subsistere Papæ supra Concilio quâ *acephalicè* spectato majoritatem, seu superioritatem.

Objectio II.

66. INstabis. Ut ex hujusmodi prærogativâ evincatur Papæ supra Concilium Generale, *acephalicè* licèt spectatum seu majoritas, seu superioritas, oportere, tali Concilio non esse Divinitus concessam parem præeminentiam. At Synodum ejusmodi Generalem nihil aliud esse, quàm Universalem Cœtum Episcoporum, qui sunt Apostolorum Successores, eorumque adeò potestas est *immediate* à Deo. Ad quos proinde in unum congregatos pertinet etiam illa Christi Domini promissio *Matthæi 18.* facta sub hisce verbis: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Et iterum: *Si duo consenserint in quacunque re super terram, fiet eis.* Quamvis enim hæc Christi verba sint conexa cum facto contextu, quo Synodi Apostolicæ, cui ea promissio facta est, character in hoc statuitur à Christo, ut nempe fiat aggregatio in nomine suo: eo ipso tamen, quòd Episcopi sint Apostolorum Successores, jam portant nomen Christi. Unde quia Episcoporum Apostolis succedentium in Concilio etiam *acephalo* aggregatorum coadunatio habet verum Synodi Oecumenicæ ex Christi nomine vicario subsistentem characterem, consequens est, ei ut sic competere illam *indefinitæ* ad solvendum & ligandum potestatis authoritatem, una cum infallibilitatis in rebus fidei definiendis repromissæ prærogativâ.

Responsio.

67. IN Apostolis *sigillatim* spectatis duplex erat potestas, nempe Ordinis Episcopalis, & jurisdictionis à Christo sibi delegatæ erga universum orbem. Num verò dicere fas est, Episcopos hujus Apostolicæ ad universum orbem protensæ ac *indefinitæ*, licèt delegatæ, authoritatis hæredes esse, & quoad plenam ejusdem participationem à Christo, præter Petrum, Apostolis per modum duntaxat delegationis personalis concessam, esse horum successores? In Episcopis igitur est talis successio quoad Ordinis duntaxat Episcopalis characterem, ac potestatem, adeoque *radicalem* solummodò pastoralis officij propriam jurisdictionem, non verò quoad *actualis* jurisdictionis potestatem *proximam*: sed hanc accipiunt à Summo Pontifice in partem pastoralis solicitudinis eos vocante: quemadmodùm in Sacerdotibus etiam simplicibus est quidem potestas absolvendi à peccatis quoad characterem Ordinis Sacerdotalis, & *radicalem* in hoc importatam super peccatis, ac peccatoribus suum confessionis sacræ tribunal accedentibus jurisdictionem, quæ non aliter subire valet *proximæ*, & *actualis* à peccatis absolvendi potestatis denominationem, nisi *actualiter* per facultatem Episcopi, seu ex concessione Papæ promanantem.

Quemadmodùm igitur Sacerdotes quoad 68.
istam à peccatis absolvendi potestatem, quâ in charactere Sacerdotali radicatam, sunt quidem ipsorum etiam Apostolorum, quâ Sacerdotum Successores non *absolutè*, sed *limitatè* ac *restrictivè*, sic Episcopi quoad illam regendæ Ecclesiæ potestatem *radicalem*, quâ scilicet radicatam in Episcopali charactere, non *absolutè*, sed cum isthac limitatione dici queunt Apostolorum Successores, nec adeò præferunt characterem Oecumenicæ Apostolicæ jurisdictionis erga universam Ecclesiam protensæ, qui ut sic character Concilij Generalis quâ Oecumenici *formaliter* est constitutivus. Qui proinde character, cùm deficiat in Concilio quâ *acephalico*, ex meris jurisdictionibus Episcopalibus coacervato, ideo ad tale Concilium haud pertinent Christi promissiones factæ de *indefinitâ* solvendi ac ligandi super terram potestate, eique connexâ in rebus fidei infallibilitate. Cùm igitur econtra tales præeminentiæ sint in Papa, cujus Oecumenica proinde authoritas protenditur super universas Episcoporum in pastoralis solicitudinis partem vocatorum jurisdictiones, manifestè hinc evincitur Papæ supra Concilium *acephalum*, nullâ altiori, præter jurisdictionum Episcopalium pro universali Ecclesiæ Bono in unum coalescentium coacervationem, præeminentiâ dotatum, majoritas ac superioritas.

PROBATIO II.

Desumpta ex Oecumenicâ *indefinitâ Matthæi 16.* repromissâ ligandi ac solvendi authoritate.

ETenim hæc authoritas protenditur *super* 69.
quocunque in terris subsistente *Morali*, ad regnum cælorum, Ecclesiam scilicet militantem, & triumphantem ordinabili. At sub isto *quocunque* continetur utique omnimoda Episcopalis jurisdictio tum quoad *actualem* sui collatio-

sationem, & *proximæ* ad regendam certam Diœcesin potestatis actuationem, tum quoad sui *morale* omnimodum exercitium. Nequit ergo in Concilio acephalo, præter characteres Episcopales *immediatè* à Christo promanantes, & in hisce radicatas, adeoque *radicales* duntaxat, ad regendum Dei populum jurisdictiones, non nisi per Summum Pontificem in statum *actualis* & *proximæ* potentiæ reducibiles, quidquam reperiri, quod sub illo *quocunque* ad regnum cælorum ordinabili *Morali* non sit contentum, super quo adeò emineat Papæ Oecumenica authoritas & superioritas.

Objectio I.

70. Dices. Ista verba: *Tibi dabo claves regni cælorum*, non ad solum Petrum, sed ad Apostolos universos dicta esse, sive respicere Petrum non in se solo spectatum, sed quà totius Ecclesiæ figuram gerentem; uti passim tradit S. Augustinus. Ergo illam potestatem attribuendam esse toti potiùs Ecclesiæ, quàm Petro *solitariè* sumpto. Unde in Decreto Gratiani *causâ 24. q. 1. cap. 6.* sic haberi: *Quando Petrus accepit claves, Ecclesiam sanctam significavit.*

Responsio.

71. Quæ sanctus Augustinus *tract. 124. in Ioann. in circa medium.* hanc in rem eleganter disseruit, ad hanc reduci possunt formam syllogisticam. Nempe id, quod per proprietatem in Christo est Ecclesia, hoc per significationem est Petrus in Petra: atque adeò sub isthâ significatione intelligitur Christus ita esse Petra Ecclesiæ, ut hæc sit in Christo per proprietatem Capitis *absoluti*, ac *primarij*, Petrus autem sit Ecclesia per significationem, seu figuratam duntaxat Capitis Vicarij repræsentationem. At istis ad Petrum prolatis Christi verbis: *Tibi dabo claves Regni cælorum*: Ecclesia in Christo fundata, ab hoc claves Regni eatenus accepit in Petro, quatenus per hunc significatur, sive repræsentatur Ecclesia propter Apostolatûs sui primatum; uti *præcitatus* S. Augustinus loquitur. Quia igitur Ecclesia accepit claves regni cælorum in Petro, propter Apostolatûs sui primatum, manifestè sequitur, claves Regni cælorum in Petro ita esse datas Ecclesiæ, ut in Petro esset talis potestas tanquam in Principe, seu Capite, sive Præposito universæ Ecclesiæ; uti apertis verbis loquitur is S. Doctor *lib. quæst. Veteris & Novi Testamenti.* item *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1.* Quandoquidem ergo Concilium acephalum, quantumvis Generale, sit destitutum tali Capitali præeminentiâ, cui annexæ sunt claves Regni cælorum, Ecclesiæ in Petro, ceu Principe suo concessæ, harum verò *indefinita* authoritas protendatur super *quocunque* ad Regnum cælorum in terris ordinabili *Morali*, neque verò Episcopi in Concilium acephalum quidquam, præter characterem Episcopalem congerant, quod non sit contentum sub illo *quocunque*, manifestum hinc redditur, Papæ ceu Capiti & Principi Ecclesiæ, competere Oecumenicæ authoritatis super tali Concilio superioritatem.

Objectio II.

72. Instabis. Nullibi haberi in sacris Litteris expressum, quòd illa *indefinita* super *quocunque* in terris *Morali* Ecclesiæ in Petro concessâ clavium potestas transierit in Petri Successores, Romanos Pontifices, nec adeò horum super Concilijs, acephalis etiam, superioritatem evinci posse ex illo sacro textu.

Responsio.

73. Esto namque, sub ijs formalibus verbis non habeatur expressa Romanorum Pontificum in ea clavium potestate successio, sub ijs tamen eatenus continetur *virtualiter*, ut per Theologicam demonstrationem efficaciter, ac ineluctabiliter inde eruatur. Etenim illa Christi verba: *Tibi dabo claves Regni cælorum, determinatè* ac *demonstrativè* diriguntur ad Petrum. Illa ipsa autem verba secundùm clarum sacri contextûs tenorem sunt à Christo prolata sub connexione ad præcedentia: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam eum Ecclesiâ per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, adversùs Ecclesiam a se fundandam portas inferi non fore prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeóque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam indefinitam & universalem ligandi ac solvendi potestatem non exspirâsse in Petro per Martyrium in cœlos sublato, sed perpetuò duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeò perpetua, secundùm ipsam rei naturam, ita transit in successores, ut isti cum suo Antecessore reputentur una persona, non quidem *materialiter*, sed *formaliter* quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundùm Christi Domini promissionem, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cujus perpetuò persistat illa Divinitus promissa, indefinita & universalis ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeò respectu Ecclesiæ, omnes Christi fideles complectentis, judiciariam & legislativam authoritatem importans.

Objectio III.

74. Replicabis. Saltem non constare ex jure *Divino*, seu fidei principijs, quòd Romanus Pontifex sit Petri Successor, nec adeò Papæ super Concilio acephalo superioritatem esse omninò certam.

Responsio.

75. ETenim discernere, oportet, tum inter illum de authoritate *indefinitâ* solvendi ac ligandi, cum Ecclesiæ statu perpetuò connexâ potestate articulum, ipsius Christi Domini promissione firmatum, atque adeò fidei dogma complectentem; tum inter prudentiale credibilitatis judicium, quo statuitur, quis in illâ per Christi Domini promissionem firmatâ authoritate sit legitimus Petri successor. Atqui ex consensu Ecclesiæ, successionem à Petro in Romanis Pontificibus enumerantis, desumunt sancti Patres argumentum prudentialis credibilitatis, ex quo legitimum in principatu Petri successorem statuant Romanum Pontificem. Ea verò natura est argumenti, prudentialem in dogmatibus fidei credibilitatem fundantis, ut istud non sit quidem ex sui naturâ sufficiens ad specificandum, seu movendum, ac terminandum actum fidei, sit tamen inducens ad Veritatem Divinam taliter applicandam, ut ex reverentia erga hanc Veritatem voluntas se inclinet, intellectumque imperio suo captivet in fidei obsequium. In quo exemplo suo ita præivit sanctus Augustinus *cap. 4. contra epist. fundam.* ut ex illâ Romanorum Pontificum à Petro numeratâ successione, tanquam prudentiali credibilitatis argumento, dixerit, *se justissimè teneri in Ecclesiâ*, per fidem nimirum Divinam.

76. Hoc igitur sancti Augustini exemplum sequi, oportet, cunctos fideles, ac exinde taliter argumentari. Patres antiqui ex Romanorum Pontificum à Petro numeratâ successione desumpserunt prudentiale credibilitatis fundamentum, ex quo concludebant, in illâ ipsâ Ecclesiâ stare Veritatem Dei, in quâ subsisteret ista successio. At ista Veritas Dei pronunciavit *indefinitam* ligandi ac solvendi potestatem Petro taliter promissam, ut deberet esse connexa cum Ecclesiâ per Christum fundatâ, deberetque adeò cum hujus statu perpetua esse. Unde cùm ista Veritas Divina perpetuetur in Ecclesiâ, Romanorum Pontificum à Petro successionem enumerante, oportet, illam *indefinitam* ligandi ac solvendi potestatem perpetuari in Romano Pontifice, ceu Petri secundùm sanctos Patres successore, super quocunque *Morali* in terris, adeoque super Episcoporum quoque in Concilio acephalo aggregatorum *actualibus* iurisdictionibus, earumque exercitijs, & actibus universis superioritatem obtinente.

Objectio IV.

77. URgebis. Christum Dominum *Matthæi 18.* universis Apostolis promisisse: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hisce namque verbis æquè cæteris Apostolis videtur promissa fuisse *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Atqui hanc ipsam promissam potestatem Deus actu contulit Apostolis *Ioan. 20.* dicens: *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto vos.* Hanc ipsam verò potestatem fuisse respectu totius orbis, patet ex illo *Matthæi ult. Euntes ergo, docete omnes gentes &c.* Quomodò ergo plus authoritatis convenire potuit Petro, quàm cæteris Apostolis? Et quia ista authoritas non transijt in successores Apostolorum, cur soli Petri successori competeret illa universalis authoritatis prærogativa?

Responsio.

EX antecedenter dictis multoties jam constabat, illam solvendi ac ligandi universalem à Christo promissam potestatem fuisse Apostolis universis collatam per modum legationis, seu missionis, juxta præducta verba, *Mitto vos.* Unde & Paulus *2. Corinth. 5. v. 20.* ait: *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Et specialiter de se ipso Paulus *ad Ephes. 6. v. 20.* ait: *Pro quo* (scilicet Evangelij mysterio) *legatione fungor.* Atqui ex ipsâ naturâ legationis constat, ipsam non esse perpetuam, seu ad successores transferibilem, sed industriam personæ, cum qua cohæreat, atque adeò expiret, esse in ea electam. 71.

Econtra verò Christus Dominus *Matth. 16.* ita promisit Petro claves regni cælorum, cum indefinita & universali potestate ligandi ac solvendi, ut apertis verbis suis statuerit hujus cum Ecclesiâ suâ super petram inviolabiliter, ac perpetuò fundandâ connexionem. At verò authoritas cum perpetuo Ecclesiæ statu connexa non potest non perpetua, atque adeò in successores transferibilis esse. Hanc ipsam verò indefinitam authoritatem Christus post resurrectionem *actualiter* contulit Petro dicens *Ioan. 21. v. 15. 16. & 17. Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* At hisce verbis significatur Pastoralis officij potestas, *indefinitè* complectens omnes Christi fideles, atque adeò ipsos etiam Apostolos ceu Christi agnos. 73.

In quo iterum elucet discrimen potestatis Petro, ac cæteris Apostolis commissæ, cùm istis nullibi dictum sit, ut essent Christi ovium & agnorum *indefinitè* Pastores, sed ut per modum missionis seu legationis euntes docerent omnes gentes. Unde concluditur, soli Petro esse commissum pastorale in omnes Christi fideles officium, quâ connexum cum perpetuo Ecclesiæ statu. Cùm igitur officium pastorale cum tali perpetuo Ecclesiæ statu connexum, Petro commissum, oporteat, esse perpetuum, econtrà verò potestas ligandi ac solvendi cæteris Apostolis per modum legationis concessa, de sua natura sit restricta ad personam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apostolorum jurisdictionis authoritas transierit in successores. 74.

Quandoquidem igitur Petri, ejusque Successoris Oecumenica pastoralis officij super cunctos Christi agnos, atque adeò Episcopos etiam protensa potestas, sit ipsissima clavium Ecclesiæ prorsus *indefinita* ad *quodcunque* super terris *Morale*, adeoque super Episcopales jurisdictiones, earumque intrà Concilium acephalum exercitia, & actus potestativos se so extendens authoritas, nequit Concilium, 81.

quan-

quantumvis Generale *acephalicè* spectatum, quoad universa in eo agitanda, non subesse superioritati Romani Pontificis.

Corollarium.

12. EX dictis infertur. In ea quæstione; *An Papa sit Concilio superior?* semper esse circumspectè distinguendum inter Concilium quà *formaliter* etiam Oecumenicum, & *abstractivè* saltem acephalum, atque solùm *materialiter* universale, ac generale. Sub priori namque consideratione duæ sunt Concili *formaliter* etiam Oecumenici prærogativæ, quarum una est consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas, quam Papæ extra Concilium definientis infallibilitate *secundum nos* (id est, in quantum ex Ecclesiæ definitione nobis constat) esse majorem, sæpe jam dicebamus, quamquam nullam involvat superioritatem respectu Papæ, utpote Capitis tali Concilio præsidentis, à cujus etiam charactere & concursu dependet illa omnimodæ ac consummatæ infallibilitatis præeminentia.

13. Etsi porrò tali Concilio, quà Oecumenico, competat illa *Matthæi 18.* promissa *indefinita* ligandi & solvendi potestas, omnimodaque adeò legislativa & judiciaria authoritas, per hanc tamen nihil unquam statui potest, quod sub *indefinito* illo in Regnum cælorum ordinabili *quocunque Morali* non comprehendatur, atque adeò per authoritatem Papæ semper sit solubile, nisi quatenus altioris principij ratio talem solutionem, seu variationem vetat, quemadmodùm fit in decretis fidei, ex quorum sanctionibus supra candelabrum Ecclesiæ sanctæ ita ponitur Primæ Veritatis revelantis authoritas, ut ex hujus respectu neque Papa, neque Concilium ullum Oecumenicum possit in eis aliquam facere mutationem. Quare ad fidei decreta obligatur quidem Papa, non tamen in vi superioritatis Concilio super se competentis, sed in vi illius altioris principij, nempe Primæ Veritatis, mediante tali per Concilium, unà & Papam firmato decreto, sub omnimodæ infallibilitatis certitudine applicatæ. At verò in ordine ad morum decreta à Concilio Oecumenico firmata semper integra manet *indefinita* & Oecumenica super *quocunque Morali* potestas Summi Pontificis propria, ligandi & solvendi authoritas, quamquam in vi hujus nequeat Papa dici superior Concilio Oecumenico, utpote quod parem secum ad Concilium tale concurrente, jurisdictionem obtinet. Secùs autem est de Concilio *acephalicè* spectato, cui ut sic, quà secundùm præcisionem vel *realem*, vel *mentalem* avulso à Capite, neutra illarum Concilio quà *formaliter*, ac *perfectè* etiam *integraliter* Oecumenico, solummodò promissarum præeminentiarum convenit, manetque adeò in statu subjectionis erga Oecumenicam Papæ authoritatem.

DISQUISITIO IV.

An Papæ supra Concilium acephalicè *spectatum superioritas ex ipsismet Oecumenicis Synodis Generalibus, historiisque Ecclesiasticis demonstrari valeat?*

§. I.

1. EGregia in hanc rem argumenta producere licet ac lubet ex Authore *tract. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. lib. 5. cap. 13.* Consentiunt, inquiunte, Catholici, Summum Pontificem esse visibile Caput Ecclesiæ. Visibile, inquam; nam invisibile, ac primum, ac præcipuum solus Christus est. Caput autem non solùm pars corporis præcipua est; sed & in eo solo vigent omnes sensus, ut, si discindi sinè interitu corpus posset, Caput cæteris omnibus membris, etiam simul sumptis, præstantius foret. Frequentissimum est in tota vita civili, præsertim apud Iurisconsultos, ut caput pro persona ipsa accipiatur, quod de reliquo corpore vix aliquod reperias exemplum.

2. Cùm nunquam contigerit (neque futurum sit unquam) ut Summus Pontifex legitimus, & indubitatus magnum, vel majorem Episcoporum numerum, à sua parte stantem non habeat: nónne Ecclesiæ Corpus per Caput cum multis alijs membris præcipuis meliùs repræsentabitur, quàm per alia membra sinè capite? Quid igitur aliud efficiunt, qui Concilium sinè Pontifice cum Pontifice solo comparant, eique præferunt, quàm ut periculoso schismati viam aperiant?

3. Ipsi etiam Episcopi non solùm seorsim, sed etiam in Concilio congregati, Romanum Pontificem Caput, ac Patrem habent. Hoc inter alia profitetur Concilium Chalcedonense *in Epistola, seu relatione ad S. Leonem sub finem: Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honorà judicium, sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas Tua filijs, quod decet, adimpleat.* Caput autem Concilij dicitur Pontifex, non tantùm, quòd primo, ac præcipuo loco sit, sed quia, ut ait idem S. Leo alibi *citatus*; *Christus ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffundit.* Sicut ergo quilibet Episcopus, quia est Ecclesiæ particularis Caput, ipsamet Ecclesia particularis censetur, ejusque Pastor, & Doctor, quem audire, ac sequi tenentur non solùm singuli, sed etiam omnes illius Diœcesis homines; nec ad eos de illius doctrinâ & regimine spectat judicare, sed ad superiorem extra Diœcesim, ita Summus Pontifex, Ecclesiæ universæ Caput, ipsam solus meliùs, quàm cætera membra sinè ipso, videtur exhibere; ejusque Pastor, & Doctor est, cui tenentur obedire tùm Laici, tùm Clerici, tùm seorsim, tùm conjunctim, quotquot intrà Ecclesiam sunt.

4. Adeò difficilis, ac ferè impossibilis est Conciliorum generalium congregatio, ut vetisimile non sit, Christum *principalem* eis Ecclesiæ

clesiæ regendæ potestatem contulisse. Etenim per tria prima sæcula, cùm Imperatores, alijque Principes, Infideles essent, & ad Ecclesiam persequendam, quàm juvandam paratiores; nullum haberi potuit hujusmodi Concilium: omnesque tum temporis hæreses studio, & authoritate Romanorum Pontificũ potissimùm extinctæ sunt. Posset autem contingere, quod tamen, disponente Divinâ providentiâ, nunquam futurum sperandum est, ut per totidem sæcula, vel plura idem impedimentum obstaret.

5. Incommodorum in convocandis Concilijs occurrere solitorum partem recenset S. Ambrosius *Epist. 9. lib. 1.* his verbis; *Vexabuntur Sacerdotes Senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta Altaria deserentur, ut in longinqua proficiscantur, iterum pauperum turbæ Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, externæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certè vitium inopum itineris usurpare.* Præterea tam diversa sunt Principum Christianorum studia; tam frequentes bellorum perturbationes; tot circa præcedentiam, & alia capita contentiones; ut ob varias illas difficultates, quarum aliquæ posteriora Concilia tamdiu produxerunt, scriptores dixerint, esse ferè impossibilem Conciliorum generalium congregationem.

6. Præstantia hîc præcipuè propter certitudinem attenditur. At infallibilitatem sententiæ Concilij Oecumenici authoritati Summi Pontificis potiùs, quàm aliorum Episcoporum numero, adscribendam, ipsâ experientiâ constat. Nam aliqua Concilia valde numerosa erraverunt, ac per Summos Pontifices, & per alia Concilia emendata sunt; ut patet de Concilio II. Ephesino, & de Concilio Ariminensi. Anno 754. habitum est Constantinopoli Concilium, quod sanctæ, magnæ, & universalis Synodi titulo se insignivit, 338. Episcopis constans, quorum omnium suffragio definitum est, cultum imaginum esse idololatriam: hunc errorem correxit, seu damnavit Stephanus IV. Papa in Concilio Romano anno 769. deinde Hadrianus primus, & juxta ejus definitionem, *septima* Synodus generalis.

7. Declarat autem, quæ sit in convocandis, ac dirigendis Concilijs sanctæ Sedis authoritas, *Epistola Hadriani ad Tarasium Constantinopolitanum*, lecta *in 7. Synod. act. 2. Quòd si autem non perspecta mihi esset, & probè cognita erga sacras Synodicas sex constitutiones, & venerandas imagines, vestra sinceritas, & Orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam assentiremus ..... Inprimis autem vestra Sanctitas pijssimus, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sinè trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sinè consensu, ac præsentiâ Apostolicæ Sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, sinè ordine, & debitâ convocatione, factam exercetur, & anathematizatam præsentibus aprocrisarijs nostris, cognoscat; quò omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & IesuChristi Domini nostri verbum impleatur, cùm ait: Et portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam & alibi; Tues Petrus, &c.*

Eandem authoritatem exponunt Gelasius 8.
Epist. 13. & Nicolaus 1. *Epist. 8. Sanctæ memoriæ Flavianum*, inquit Gelasius, *Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiùsque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem suâ authoritate damnavit, & impiam Synodum, non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret*, sola decrevit &c. Et Nicolaus primus; *Non ergo dicatis, non egisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ authoritate firmat, suâ moderatione custodit. Vnde quædam eorum*, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. *Quomodò non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino latrocinio, cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est, vicit Leo de Tribu Iuda, Divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corruisset.*

Nec cogites, Concilia illa duntaxat, quæ 9.
sinè ullâ Summi Pontificis authoritate congregata fuerant, vel in proferendâ sententiâ libera non fuerunt, per eos, quibus dictum in persona Petri; *Confirma fratres tuos*, fuisse confirmanda. Etenim in Concilio Chalcedonensi *Act 5.* propositæ ab Asclepiade fidei definitioni vel periculosæ, vel imperfectæ consenserant omnes Episcopi, eamque cum applausu exceperant, præter aliquos Orientales, & sanctæ Sedis Legatos, qui recessuros se à Concilio, protestati sunt, nisi epistola S. Leonis integrè suscriberetur, suppressâ illâ definitione, in qua sub verbis ambiguis, & æquivocationi obnoxijs, Dioscori virus latêre suspicabantur; quæque adeò rectæ fidei nocere potuisset.

Concilia Oecumenica, nisi Summi Pontifi- 10.
cis authoritatem superiorem esse, cognovissent, quomodò ejus, non suo nomine, Decreta communi consensu constituta, edi passa essent, ut authoritatem à Pontifice mutuari, approbationem tantùm à Concilio habere intelligerentur? Quod in ijs duntaxat Concilijs observatum legimus, quibus interfuit ipsemet Papa, quò expressiùs significaretur, personæ ipsi Summi Pontificis, quatenus Petri successoris, hanc competere prærogativam. Unde in Concilijs tantùm Occidentalibus ea forma servata est, eò quòd in Orientalibus nunquam adesse voluerint Summi Pontifices, licèt rogati, & aliquando facilè, vel sinè magno incommodo adesse potuissent.

Quamquàm extant etiam illius prærogati- 11.
væ vestigia in Concilijs Orientalibus. Nam condemnatio Dioscori in Concilio Chalcedonensi sub nomine S. Leonis, quamvis absentis, cum approbatione, & subscriptione Episcoporum à Paschasino Legato edita est; *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus Magnæ, & senioris Romæ Leo*, per nos, & per præsentem S. Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, *qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamen-*

mentum, mudavit eum (Dioscorum) tam Episcopatûs dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Magna est energia verborum illorum; *Leo per nos, & per præsentem sacram Synodum, quibus denotatur Papæ authoritas*; & sequentium, *nuà cum ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro*, quibus significatur authoritatis origo, scilicet privilegium Romanis Pontificibus in persona Beati Petri à Christo collatum. Nec illam sibi authoritatem vindicaverunt Apostolicæ Sedis Legati, nisi postquàm eis dictum fuit; *Petimus vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis sententiæ.* Concilium Chalcedonense *Act. 3.* In qua lecti sunt etiam, nemine reclamante, plurimi libelli, in quorum titulo distinguebatur sanctus Leo à Concilio, eique anteponebatur, nec non Patriarcha, vel Archiepiscopus universalis appellabatur.

12. Quamvis Reges, alijque Principes à populo plerumque suam authoritatem acceperint, non à Deo, nisi mediatè; tamen Regem Galliæ Comitijs generalibus superiorem esse, qui revocaret in dubium, puto tanquam læsæ Majestatis reum habendum; eamque superioritatem omnes intelligunt in eo significatam, quòd, quæ in Comitijs deliberata sunt, Regis nomine inscribuntur, & authoritate promulgantur. Cùm in Comitijs generalibus Galliæ sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiati sunt tanquam Regiæ Majestati injurioli: & jure merito, inquit *Dupleix* ista recitans, nam Rex non esset, si ei à Comitiorum sententiâ recedere non liceret. Porrò quomodò Summus Pontifex Ecclesiæ subjacebit, à qua suam non est mutuatus potestatem, & cui potiùs jure Divino, tanquam Christi Vicarius, ex Constantiensi Concilio *Sess. 8.* tanquam Caput corpori, juxta Concilium Chalcedonense *Act. 3.* & *in Epistola ad S. Leonem*; tanquam Pastor gregi, ut canit Ecclesia, præpositus est.

§. II.

Referuntur ac expenduntur partis adversæ argumenta per Tostatum, Abulensem Episcopum 2. *par. Defensorij cap. 75. & 76.* deducta ex illa authoritate: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ.*

ARGUMENTUM I.

13. EX hac namque authoritate Author ille argumentatur 1. Inde elici, quòd non solùm in pertinentibus ad fidem Concilium judicet de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad mores & crimina. Nam quando dicitur Papa esse subjectus Ecclesiæ universali matri suæ, cujus vicem plenè tenet sacrum Generale Concilium, aliqui non secundùm Deum, sed secundùm hominem favere volentes Pontificibus, quasi constituentes eos Deos impeccabiles, dicunt, verum esse, quòd Papa in his, quæ sunt fidei, sit Concilio subjectus, quia de hoc ex presse continetur *in Cap. Si Papa. 19. dist.* ubi habetur, quòd pro causa fidei Papa accusari, & deponi posset. Verùm pro alijs delictis asserunt, Papam soli Divino relictum esse arbitrio, neminemque mortalium, ne quidem Concilium Generale posse judicare Papam; juxta *cit. Cap. Si Papa. & alia Jura.* Hi tamen minimè advertunt ad præinsinuatam Christi Domini authoritatem, quæ major est quibuscunque epistolis Summorum Pontificum, ex qua necessum est, accipi, Papam subjectum fore judicio Generalis Concilij non solùm in pertinentibus ad fidem, sed etiam in tangentibus actiones *morales*: quia in ea lege de correctione fraternâ Christus subjecit beatum Petrum Ecclesiæ, quæ est Concilium Generale, & tamen lex de correctione non solùm habet locum in peccatò hæresis, sed etiam in omnibus alijs, sicut totâ Ecclesia observat.

Responsio.

CUr, si Papa deficiat à fide, subjiciatur Concilio, ex solis etiam Episcopalibus jurisdictionibus aggregato, in promptu est ratio, quòd utpote ab Ecclesia avulsus, jam nequeat hujus esse Caput, nec adeò processui adversùs ipsum faciendo obsistere possit character Pontificius, ex quo est ejusdem supra Concilium præeminentia. Imò si vel Papa dubius sit, dum talis character Episcopalibus jurisdictionibus supereminens, secundùm prudentialem credibilitatis evidentiam non patet, atque adeò constare non potest, esse exemptus a jurisdictionibus Episcopalibus in unum acephalum Concilium collatis, jam præsumendus est, hisce jubesse, atque adeò contra ipsum procedi potest in tantum, ut pro Ecclesiæ Bono de ipso decerni queat, ac si nulla prætensi Papatûs in ipso habenda esset ratio. Verùm si certa sit Pontificia dignitas, quomodò adversùs ipsam ratione cujuscunque sceleris procedere fas erit eóusque, ut, dum Caput est Ecclesiæ, perinde tamen ac Ethnicus, id est, ab Ecclesia avulsus, habendus ex correctionis fraternæ censurâ *authoritativè* decernatur? Quomodò enim inter se cohærere possunt, esse verum adhuc Ecclesiæ Caput, & tamen reputandum esse ad instar membri à corpore Ecclesiæ abscissi? 14.

ARGVMENTVM II.

ABulensis *præcitatus*, postquàm multis *ibidem* ostendisset, illum de correctione fraterna textum Evangelicum non de peccatis fidei duntaxat, sed vel maximè de alijs peccatorum generibus intelligendum esse, sic argumentatur 2. Secundùm hanc correctionis fraternæ regulam, remittitur Papa ad Concilium, denunciando peccata cujuslibet alterius. Sed & quilibet alius mittitur ad Concilium, de- 15.

nunciando peccata Papæ, cùm ipse sit frater omnium. Ergo etiam peccata actionum *moralium* Papæ possunt judicari per Generale Concilium. Et sic factum est sæpe antiquitus, ut patet in B. Damaso Papa, qui accusatus fuit de adulterio, & coram Concilio Generali se purgavit cum quadraginta quinque Episcopis. Sic etiam Symmachus Papa tempore Regis Theodorici regnantis in Italia, coram sancta Synodo purgatus est: & ita de multis alijs Summis Pontificibus, uti legitur in gestis Summorum Pontificum, & in historia B. Damasi, & sæpe *in Decretis 2. q. 5.* Ad quod facit etiam *Cap. 11. octavæ* Synodi Oecumenicæ: ubi sic habetur: *Universalis Synodus cum convenienti reverentiâ quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere: non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.*

Responsio.

16. Consideratu dignissimum est, quomodò ex Christi circa correctionem fraternam præscripto, Papa remittatur ad contumacem Ecclesiæ, id est, Concilio Generali denunciandum? An hæc remissio fiat in vi *indefinitæ* Concilio Generali, quâ Oecumenico, sicque per Papæ characterem informato, competentis *Matthæi 18.* descriptæ ad ligandum & solvendum potestatis? At non minùs universalis, ac incircumscripta noscitur ex *Matthæi 16. capite* ligandi & solvendi potestas Papæ convenire. Quid ergo ex hac parte specialis inesset utilitatis illi ad Concilium Generale contumacis denuntiationi, dum solitaria etiam Papæ authoritas, æquè ac Concilij Generalis authoritas illa prævalere potest ad contumacem avellendum ab Ecclesiæ communione, ut instar Ethnici ac publicani sit propterea habendus? An rursus ea contumacis ad Concilium Generale remissio per Papam facienda, est tanquam ad tribunal superius in causa *facti*, ut scilicet delicti veritas per processum judiciarium indagetur, sicque pœnæ condignæ subijcienda, ulteriùs devolvi non valeat? At quid utilitatis in hac quoque remissione interveniret, dum quæ Concilio Generali, quâ Oecumenico, sicque ipsummet Papam ceu Ecclesiæ Caput involventi, est concessa judiciaria suprema potestas, unicè fundatur in illâ *indefinitâ* ligandi & solvendi authoritate, cui ex paritate verborum noscitur compar Papæ etiam solitariè spectato, competens æquè universalis ligandi ac solvendi potestas? An ergo, ubi peccator Papæ correctioni, ejusque decreto contumaciter resistendo, vel apertæ, vel plusquàm probabilis hæreseos, ne in Ecclesiæ, ac Religionis sanctæ publicum detrimentum cedat, censurâ condignâ reprimendæ dignoscitur reus, hoc delictum non tam *quoad processum Facti*, quàm *quoad decisionem Iuris*, fidem ipsam contingentis, sicque dogmaticam ex fide definitionem publicam & authoritativam effiagitantis, per Papam est referendũ ad Generale Oecumenicum Concilium, non ideo, quòd ipse Papa, ceu Petra, super quam ædificata est Ecclesia, non habeat etiam dogmatis ex fidei principijs *authoritativè* decisivam potestatem, sed quòd certior adhuc *secundùm nos* sit fidei regula ex definitione Generalis, quâ per Papam informati, ejusque consensum firmati Concilij, consummatam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis authoritatem omnimodam obtinentis? Ex qua proinde Concilij, quâ Oecumenici, sicque Papam ceu *formale* suum constitutivum, & principium suo consensu cooperans, seu confirmans includentis, *secundùm nos* certiori infallibilitatis prorsus consummatæ prærogativâ subsistit equidem Synodi Generalis, quâ Oecumenicæ, & quâ per Papam confirmatæ majoritas quædam, nulla verò supra Papam propriè dicta superioritas; velut *in antecedentibus* habetur declaratum.

17. Quando porrò Abulensis in suo præsenti argumento ex Christi de correctione fraternâ verbis prætendit: *Papam eatenus remitti ad Concilium Generale, quatenus ipsius, utpote fratris peccata, hæresin licèt non redolentia, possint deferri ad ejusmodi Synodum.*

18. Ad hoc responsio in promptu est. Dum enim nullum Papæ peccatum est intelligibile, quod sub peccati reatu sit profluens ex Papali authoritate per Christum institutâ, sed ex persona hujus potestatis per Christi ordinationem participe, ut sic communicante cum fidelibus universis tam in gratiæ & charitatis sanctæ, quàm in Religionis ac Ecclesiæ sanctæ, Boni etiam publici communione, quis neget, Papam ut sic esse fratrem Christi fidelium, adeoque non jam ut Papam, sed quâ Christianum hominem subesse correctioni fraternæ per Christum *Matthæi 18.* institutæ? Quid ergo? Si Papa, quâ peccator, sicque adeò quâ homo privatus secretè, vel etiam coram testibus privatim à viro ad hoc idoneo secundùm præceptum Evangelicum correctus, se non emendet, sed Ecclesiam suam publicis peccatis suis scandalizare protervè pergat; an nefas erit, ipsum deferri ad Concilium etiam acephalum, ut ab eo acriori verborum reprehensione castigatus, ad melioris vitæ frugem reducatur? Sed ubi nec ista reprehensio & correctio verbalis profecerit, dum in fide non defecit, adeoque Ecclesiæ membum & Caput permanet, *indefinitâ* adeò ligandi & solvendi, super *quocunque* ad regnum cælorum ordinabili *morali* protensâ, præfulgens potestate, quomodò jam Concilium Generale (cui equidem non nisi quâ Oecumenico, adeoque Papam ipsum involuenti pariter *indefinita* solvendi seu ligandi authoritas competit) adversùs ipsum stringere poterit virgam coercitivam? Hoc ipsissimum est, quod ex *Cap. 11. Octavæ* Oecumenicæ Synodi *superiùs* adducto habetur, quòd scilicet Generalis Synodus audacter (qualis audacia prorsus interveniret, si virga coercitiva stringeretur adversùs potestatem æquè *indefinitâ* ligandi & solvendi authoritate dotatam) sententiam in Romanum Pontificem proferre haudquaquam posset.

Si

19. Si equidem Pontifex sponte suâ & voluntariè se uti peccatorem, atque adeò quà hominem privatum, uti fit etiam in foro Confessionali, se subijciat Concilio, meritò istud procederet ad quævis salubria, ac emendationi procurandæ congrua remedia, absque ullâ tamen judiciariâ coercitivâ fori *externi* propriâ authoritate, utpote haud potente constringere illum, cui, quamdiu hæreticus non est, inamissibiliter ineſt *absoluta* & *indefinita* ligandi potestas. Et hinc à fortiori potest Papa uti subsidio Concilij Generalis ad famam iniquè sibi ereptam, Ecclesiæ Bono, ac regimini perquàm necessariam reparandam: in quo tamen actu nulla erga Papam, sed hoc ipsomet etiam concurrente, suamque authoritatem Synodo pariter impertiente, erga ejus iniquos diffamatores exercetur jurisdictio.

CONCLUSIO.

20. EX regulâ fraternæ correctionis per Christum *Matthæi 18.* institutâ nequit ulla Concilij Generalis supra Papam superioritas evinci.

EXplicatur. Ipso namque naturæ lumine conspicuum est, superioritatem prætendi haud posse erga alterum, nisi ex authoritate, hunc suis seu mandatis, seu sententijs judiciarijs constringere prævalente: quorum neutrum in Concilio, quantumvis Generali quà acephalo, posse locum habere, multis jam habetur ostensum *in præcedentibus*, & aliquantò magis firmabitur *ex subsequentibus*.

PROBATIO I.

Refutatoria *primi* & *secundi* per Abulensem *suprà* allati argumenti.

21. FIngamus enim, Concilium aliquod Generale, quod eo ipso, dum est acephalum, nequit *formaliter* Oecumenicum esse, adversùs Papam non hæreticum, adeoque Iure *Divino* non depositum, vel etiam non dubium, nec Episcopalibus ex orbe Christiano ob Ecclesiæ Bonum publicum in unum congestis jurisdictionibus subditum, eòúsque procedere, ut in ipsum, ab Ecclesia agnitum verum Papam, stringat excommunicationis censuram, Ethnici adeò & publicani statu condignum eum decernens: quid efficaciæ, seu vis constringentis poterit in tali sententiâ reperiri, dum ipsemet Papa talis sententiæ vim evacuare, imò omni prorsus efficaciâ constringente destitutam, adeoque nullam ex suâ Oecumenicâ authoritate declarare, ac *juridicè* procurare valeret? At eo ipso, quòd de fide sit, Papæ ab Ecclesia recepto competere claves Regni cælorum cum *indefinitâ*, super *quocunque* in Regnum cælorum ordinabili *Morali* protensâ, solvendi- & ligandi potestate, evidenter redditur manifestum, quamcunque Concilij adversùs Papam quomodocunque latam sententiam, posse ex vi illius Oecumenicæ authoritatis enervari à Papâ, imò omni prorsus constringente efficaciâ destitutam, seu nullam *juridicè* ac *judicialiter* pronuntiari. Sicuti ergo ex fidei principijs evincitur, nullam esse Concilio Generali vim & authoritatem, suis sententijs constringendi Papam, sic ex eisdem principijs confutatur Concilij Generalis erga Papam authoritas. In quo proinde principio & Concilia, & Summos Pontifices, & sanctos Patres ac Theologos conspirare, constat ex ijs, quæ Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 11.* singulari industriâ suâ congessit: Patres, inquiens, Concilij Romani sub Sylvestro Pontifice, & Constantino Imperatore n. 244. docent: *Romanam sedem à nemine, ne quidem toto Clero judicari posse; ab ipsa verò judicari omnes.* Tomo 1. Concil. *post Concilium Nicænum.* Et ipsum Concilium Romanum *Can. ult.*

Patres Concilij Nicæni I. numero 318. *Papam esse vicarium Christi super omnes populos, & universam Ecclesiam Christianam.* Habetur *in Act. Concilij Can. 39. Tom. 1. Concilior.*

Patres Concilij Sinuessani, numero 180. *Non posse alterius ore, sed suo tantùm Papam judicari: illum reum, illum judicem sui esse.* Acta Concilij Sinuessani *Tom. 1. Concilior.* & Nicolaus I. *in Epist. ad Michaelem Imperatorem.*

Patres Concilij Romani sub Symmacho Papa, & Theoderico Italiæ Rege, num. 115. *Papam esse summum Pastorem, nullius, extra casum hæresis, judicio subjectum.* Tomo 1. Concilior. & Anastasius *in Symmacho.*

Patres Synodi Romanæ sub Leone III. & Carolo M. ex Alemannia, Gallia, Italiaque quàm plurimi. *Rem inauditam esse, Romanum Pontificem Concilio reum fisti, qui nunquam alium, quàm se judicem habuerit.* Anastasius *in Leone III.* Æmilius *de rebus Francor. in Carolo M.* Baronius *ad Annum* DCCC.

Patres *octavæ* Oecumenicæ Synodi sub Hadriano II. Pontifice, numero 202. *Ne quidem à Concilio Generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici.* Can. 21. & habetur *to. 4. Concilior.*

Patres Concilij Lateranensis sub Leone X. numero 114. *Papæ auctoritatem Concilio præcellere.* Sess. 11. Et Rex Christianissimus per suos Oratores Lateranensi Concilio se adhærere professus est. *Sess. 8.*

S. Anacletus Papa & Martyr: *Depositionem Summi Pontificis soli Deo reservatam esse.* Epist. 1. Anacl. quæ habetur *Tom. 1. Concil.*

Iulius Papa: *Papam à nullo posse judicari: majores causas ad eundem referendas esse, & extra ejus sententiam, nihil posse definiri.* Epist. 1. ad Episcopos Orientales; & habetur *Tom. 1. Concilior.*

S. Bonifacius Martyr. *Papæ judicio omnes subjacere, ipsum nullius, exceptâ hæresi.* Cap. Si Papa. dist. 50.

S. Gelasius Papa: *Ex præscripto Canonum ab omnibus posse Romanam Sedem appellari, sed ab ista nullam esse provocationem: ejúsque sententias nullius examini, aut judicio submitti.* Tom. 1 Concilior. & cap. Nemo. cap. Cuncta. 9. q. 3.

S. Symmachus apud Ennodium: *Successores B. Petri cælo tantùm suam debere innocentiam, & præter Deum sinè judice esse.* Tom. 1. Concilior. *in Symmacho.*

S. Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem: *Papæ judicium ultimum & peremptorium esse; nec majorem Pontificiâ auctoritate in mundo dari.* Tom. 3. Concilior. & cap. Patet. 9. q. 3.

Paschalis II. *Romanum Pontificem nullis Conciliorum legibus constringi posse.* In Epist. ad Archiepisc. Panormit. & cap. Significâsti. 4. De elect.

S. Cyrillus: *Sicut Christo à Patre omnis potestas & nulli alteri data est; sic Petro, ejusq; successoribus supremam Ecclesiæ curam, nullique alteri commissam.* l. Thesaurorum tom. 2.

S. Cyprianus: *Hæreses & schismata ex eo nasci, quòd non unus sacerdotio, qui vice Christi judicem agit, universa fraternitas obtemperet.* lib. 1. Epist. 3. sub init.

Stephanus Archiepiscopus, omnesque Africæ Episcopi: *Ad Romanam Sedem omnia, è longinquis etiam, remotissimisq; locis negotia majoris momenti deferenda esse, ejusque arbitrio finiri oportere.* In Epist. ad Damasum Papam. & habetur Tom. 1. Concilior.

S. Damasus Papa: *Nullo Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non præbuit, & hujus ante omnia exspectandam sententiam esse: nec ulla unquam rata Concilia legi, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate.* Epist. ad Episcop. Illyriæ apud Theodoret. lib. 2. cap. 22. & Epist. 2. ad Stephanum, & Concilia Afric.

S. Athanasius: *Majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eámque quasi ad Matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos: Canonibus quippe sanctum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Epist. ad Felicem II. Papam.

Patres Concilij Oecumenici Sardicensis sub Iulio Papa, numero 300. *A Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitrio sedere, an velit ipsa causam cognoscere, an judices in partibus delegare.* Ex actis Concilij c. 4. & 7.

Patres Concilij Chalcedonensis Oecumenici sub Leone Papa, numero 630. *Imperari sibi à Pontifice Romano, legesq; dari, & fidei formam præscribi patiuntur, & parent.* Ex actis Concilij Act. 1. 3. 16.

Anastasius Patriarcha Hierosolymitanus: *Antiquis regulis sanctum esse, ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis ageretur, non prius tractandum esse, quàm ad notitiam Almæ Sedis esset deductum: ut juxta ejus auctoritatem aut firmaretur, aut infirmaretur.* Epist. ad Felicem Papam.

Patres Concilij Nicæni II. numero 350. sub Adriano I. Papa. *Execrabilem, profanam, & adulterinam esse septimam Synodum Constantinopolitanam, quia non habuit cooperatorem Romanum Pontificem, neque illius sacerdotes, neque per Vicarium, neque per Provinciales litteras, quemadmodùm fieri in Synodis debet.* Ex actis Concilij Act. 6.

S. Isidorus Hispalensis: *Epistolas Romanorum Pontificum, eorumque decreta pro culmine Sedis Apostolicæ, nec imparis esse cum Conciliis auctoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit auctoritate Apostolicæ Sedis congregata, vel fulta.* Præfat. in opus Conciliorum.

Ivo Carnotensis: *Iudicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari posse; & si quis aliquando hujus Ecclesiæ auctoritate gravatum se sentiat, non debere in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen.* Epist. 83.

Ioannes Sarisberiensis: *Quis præsumat Summum judicare Pontificem, cujus causa Dei solius reservatur examini? utique quisquis hoc attentaverit, laborare quidem, sed proficere nequaquam potest.* In Polycr. lib. 8. c. 24.

B. Augustinus Triumphus: *Sententia Papæ, & sententia Dei, est una sententia; sicut una sententia Papæ & sententia Auditoris ejus. Cùm igitur appellatio semper fiat à minori ad majorem, sicut nullus est major seipso, ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum.* De potest. eod. q. 6. a. 1.

B. Ioannes Capistranus: *Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & nullum malum, est enim quasi Deus in terra major homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis.* Lib. de auctoritate Papæ & Concilior.

S. Bernardus: *Quis mihi faciet justitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi; sed absit, ut ad illud appellem: itaque recurro ad eum, cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos: vos appello ad vos, judicate inter me & vos.* Epist. 113. & lib. 3. de Considerat. cap. 2.

S. Thomas Aquinas jam supra *cit. quæst. de Pont. 10. a. 4. in solut. ad 13. & in 4. dist. 19. & 2. 2. q. 2. a. 3. & Tract. contra impugnantes Religionem.*

S. Antoninus *T. 22. p. 3. c. 6. §. 19.* S. Bonaventura *in 4. dist. 19. & expresiè de cælest. Hierarch. p. 2. c. 1.* Alexander Alensis *p. 3. q. 40. membro 2.*

S. Bernardinus Senensis *in Mariali p. 3. serm. 3.* Cùm *Papa*, inquit, *sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ex quo sequitur, quòd habet plenitudinem potestatis, & illud, quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei: ideo ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus. Imò ipsius sententiæ est magis standum, quàm sententiæ totius mundi.*

Denique Ecclesia & Natio Gallicana hanc ipsam veritatem de Pontificis auctoritate Concilijs superiore, aliquoties, totoque audiente orbe Christiano, amplexa palàm & professa est, ut *infrà* dicetur. Videatur interim Raynaldus *ad Annum 1441. n. 10.* & Acta Concilij Lateranensis ultimi *Sess. 8.*

PROBATIO II.

Prioris continuativa.

VIderi equidem posset, Concilij super Papa superioritatem evinci *ex Cap. Confidimus. Cap. Contra. Cap. Prima salus. Cap. Ideo. 25. q. 1.* quatenus hisce Canonibus habetur sancitum: Summum Pontificem Universalium Synodorum decretis & sanctionibus Canonicis alligari, decerneque apprimè sanctam Sedem, ut constitutiones ejusmodi curet observari. Quò faciunt etiam, quod Gregorius Magnus *in Cap. Sicut. dist. 15.* relatus dixerat: *Ne quidem à Summo Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligârunt, aut ligata, quos illa solverunt.* Et quod S. Antoninus *3. p. tit. 23.* 22.

cap.

cap. 2. §. 6. asseruit: *In ijs, quæ ad fidem pertinent, majorem esse Concilij authoritatem, quàm Summi Pontificis.* Item. *In ijs, quæ Universalis Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra Concilium aliquid statuere.*

23. Verùm ad solidam super hisce reflexionem faciendam, lubeat ex Adversarijs scisciatari, cujusnam authoritatis jure ac efficaciâ constringantur Summi Pontifices ad Synodorum Universalium decreta, seu Canonicas sanctiones, in rebus fidei præcipuè, vel Universalis Ecclesiæ concernentibus statum, observanda? In fidei equidem sanctionibus à Concilio Oecumenico latis, & per Papam firmatis, ex hoc Capitis una & Hierarchici Ecclesiæ Corporis consensu eatenus stat omnimoda & consummata veritatis infallibilitas, ut Papa etiam debeat ei se subjectum profiteri, tum ex fidei virtute propter Primæ Veritatis superimmensam authoritatem, tum ex virtute prudentiæ infusæ, propter credibilitatis prudentialem evidentiam supernaturalem dogmaticæ veritatis, non tantùm sufficienter, sed convincenter, sub omnimodâ scilicet infallibilitatis moralitate applicatoriam.

24. In ijs porrò, quæ statum Ecclesiæ concernunt, Summus Pontifex se conformare & accommodare tenetur Oecumenicorum Conciliorum decretis, ex ipsa justitiæ *Legalis*, à Religionis supernaturali haud distinctæ obligatione, Papam eò impensiùs constringente, quòd tanquam Oecumenicus Ecclesiæ Pastor hujus universale Bonum magis, quàm cæteri promovere teneatur. In his statutis Synodalibus autem fideles quosque, etiam singulariter spectatos, concernentibus, quoad materias, quæ Papalem dignitatem non dedecent, eorum secundùm vim *directivam* obligatio stringit etiam Papam, ut quâ Ecclesiæ sanctæ membrum, reliquo mystico, cujus est Caput, Corpori se conformet, idque in vi Æternæ legis, atque ex hac derivatæ naturalis etiam supernaturalizatæ legis, omni mandato humano sese insinuantis, suamque *transcendentalem* obligationem in id transfundentis. Quia tamen ejusmodi à Concilio, quantumvis etiam Oecumenico, sanciti decreti vis & efficacia non potest non computari in censu *moralis* ad Regnum cælorum in terris ordinabilis vinculi, quomodò extrahi valeret ab *indefinitâ*, super quamcunque in terris ad Regnum cælorum ordinabilem *moralitatem* protensâ, ligandi & solvendi Papæ, etiam *solitariè* spectati, potestate? Quare tantum abest, ut hæc sit illi subjecta, sed tota potiùs decreti Synodalis secundùm se *specificè* spectati, obligatio subjacet Summi Pontificis authoritati. Quam ob rationem nulla etiam est excogitabilis in terris judiciariæ potestatis sententia, cui non supereminet Papæ suprema potestas Oecumenica.

25. Hoc totum dilucidis verbis profitebantur sacra Concilia, asseverando, Summum Pontificem à nemine, præter solum Deum, judicari posse; veluti industriâ præcipuis laudibus dignâ Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 6. à n. 2.* nostros ob oculos ponit exempla sequentia, quorum *primum* est Anni 303. de Marcellino Pontifice, Imperatorum Diocletiani, & Maximiani seu minis, seu blanditijs ad thus Vestæ adolendum permoto, sed mox pœnitente ad Synodum Sinuessæ in Crypta Cleopatrensi celebratam revertente, ex qua hanc retulit sententiam: *Synodus universa dixit: cunctorum judicio tu eris judex, ex te damnaberis & justificaberis, tu enim judex, tu reus*; veluti fusiùs habetur *to. 1. Concilior.* & *in epist.* Nicolai 1. *ad Michaelem Imperatorem*, relatâ in Synodo Oecumenicâ VIII. *Act. 6.*

Secundum anni 324. exemplum est desumptum ex Concilio post baptizatum Constantinum Imperatorem in Thermis Trajani per B. Sylvestrum cum ducentis octoginta quatuor Episcopis celebrato, in quo Valentiniana & Sabelliana hæresis damnata est, ubi juxta *tom. 1. Concil. 20. cap.* ita habetur: *Nemo dijudicet primam Sedem, quoniam omnes Sedes à Prima Sede justitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.* 26.

Tertium anni 433. exemplum est Concilij celebrati in Atrio Sessoriano ob Sixtum III. Pontificem de stupro accusatum; ubi præsente Imperatore Valentiniano, cùm dictum esset: *Non licere adversùs Pontificem dare sententiam*, surrexit protinus Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare judicium suum; uti habetur in dictâ Nicolai Papæ *ad Michaelem Imperatorem* epistolâ, relatâ *tom. 3. Concil.* 27.

Quartum anni 502. exemplum est ex Synodo Romanâ, celebratâ sub Symmacho Papa, ubi in Apologiâ ex mandato Concilij adversùs schismaticorum erga Symmachum criminationes scriptâ ab Ennodio sic habetur: *Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare, sed Sedis istius* (scilicet Romanæ) *Præsulis suo sinè quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli Successores cælo tantùm debere innocentiam, subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Cujus asserti mox subjicitur ratio, quòd *uni dictum sit: Tues Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Ex Ennodio *to. 2. Concil. libello Ennodij.* 28.

Quintum anni 800. exemplum est ex Synodo Romanâ sub Leone III. & Carolo Magno celebratâ, ubi cùm Carolus infensissimorum Leonis hostium audacias sacrilegas vindicaturus jussisset, ut Synodus in Leonem, ejusque objecta inquireret, Patres unanimi voce exclamârunt: *Nos Sedem apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus, nam ab ipsa nos, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodùm antiquitus mos fuit.* Ex Anastasio *in vita Leonis*, & Æmilio *de gestis Francorum sub Carolo Magno.* 29.

Sextum anni 968. exemplum est iterum ex Romanâ Synodo sub Hadriano II. habitâ in casu Photij, ubi Pontifex sic fuit præfatus, *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse legimus, de eo verò quemquam judicâsse non legimus, licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus &c.* Quæ ver- 30.

ba lecta & approbata sunt in VIII. Synodo Oecumenicâ *Act. 7.*

§. III.

Nostratis de Papæ suprà Concilium superioritate sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex Papæ per se, vel Legatos suos in Concilijs Oecumenicis præsidentiâ.

31. FIngunt equidem hæretici moderni, in nullo Universali Concilio ante Synodum Constantinopolitanam, pro *Octavâ* Oecumenicâ habitam, vel per se, vel per Legatos suos præsedisse Romanum Pontificem.

32. Verùm hujus manifesti commenti manifesta sit confutatio ab inductione Conciliorum Oecumenicorum. Nam 1. ex Actis Nicæni Concilij constat, huic Synodo, una cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præsedisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam in Præfatione Concilij Sardicensis.

33. Insuper sanctus Athanasius *in Epist. ad vitam solitariam agentes* scribit, Hosium in illo Concilio principem egisse: testanturque acta Concilij, Hosium prætactum una cum Presbyteris Romanis Vito & Vincentio primo loco subscripsisse. At quis credat, Hosio simplici Episcopo Cordubensi præ Patriarchis illi Concilio præsentibus permissum fuisse, ut primo loco subscriberet, nisi Romani omnibus Patriarchis superioris Pontificis Legatum egisset? Unde Cedrenus *in Compendio historiarum*, & Photius *lib. 1. de septem Synodis* scribunt, *Sylvestrum per suos Legatos Nicæno Concilio authoritatem intulisse.*

34. 2. Verum quidem est, Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico II. neque per se, neque per suos Legatos interfuisse Damasum Papam, eò quòd Episcopos Orientis Constantinopolim convocatos, volebat Romam ad plenissimam Episcoporum Occidentalium ibi congregatam Synodum vocare, nisi isti justas ob causas se excusando, contra Macedonianos ac Eunomianos sententijs & animis se conjunctos probâssent cum Episcopis Occidentalibus. Nihilominùs illa Constantinopolitana Synodus in tantum cœpit esse Oecumenica, in quantum, teste Photio *in libello de septem Synodis* à Damaso Papâ confirmata fuit, in ijs nimirum, quæ ad Macedonianæ ac Eunomianæ hæreseos condemnationem, fideique Nicænæ confirmationem spectant, ex sancto Gregorio *lib. 6. epist. 125.*

35. 3. Quòd sanctus Cyrillus in Ephesino Oecumenico III. Concilio habuerit authoritatem Legati à Cælestino Papâ constituti, expresse evincitur ex epistolâ Cælestini ad Cyrillum relatâ *tomo 1. Concil. edit. Colonien. pag. 737. & alibi*, testanturque Evagrius *lib. 1. cap. 4.* Photius *in lib. de septem Synodis.* Prosper *in Chronico*, Nicephorus *lib. 14. cap. 34.* Liberatus Abbas *in Breviario.* Justinianus *in Edicto*, & Nicolaus I. *in Epist. ad Michaelem.*

36. 4. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonense *epist. 47.* apertè constat, Legatos ipsius fuisse ad istam *quartam* Oecumenicam Synodum taliter directos, ut ipsemet Papa in ijs præsideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, constat ex hujus ad Leonem *Act. 3. in quibusdam exemplaribus*, in alijs verò *circa finem Concilij* relatâ epistolâ; ubi habentur sequentia: *Quibus* (Episcopis nimirum Concilij) *tu sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* Unde apertè falsum est, quòd, uti Neoterici ajunt, illi legati Pontificij non egerint munus Iudicis, sed accusatoris. Nam oppositum evincitur tum ex eo, quòd in omnibus actionibus primi nominentur, primi sedeant, primi subscribant, sententiamque definitivam nomine Papæ, & totius Concilij proferant in Dioscorum his verbis: *Sanctissimus ac beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos, Legatos suos, sanctâ Synodo consentiente, Petri Apostoli prædictus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & cœlestis regni Ianitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, & ab omni opere sacerdotali fecit extorrem.* Nec est, cur Neoterici officium Iudicis ac Directoris in prætacto Concilio referant ad viros Consulares ab Imperatore Martiano constitutos. Hi enim erant destinati duntaxat ad reprimendam violentiam, si quæ, ut Dioscorus in Concilio Ephesino II. moliebatur, esset inferenda; ipse enim *in Orat. ad Synodum* fassus erat, *se non alio fine venisse, nisi ad confirmationem, seu defensionem fidei, non verò ad jurisdictionis Ecclesiæ usurpationem.*

37. 5. Circa Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum est, Eutychium, Patriarcham Constantinopolitanum, agnovisse, quòd præsidentia sit debita Romano Pontifici; sic enim in *Epist. ad Vigilium in fine 1. collat. S. Synodi* relatâ scripsit: *Petimus, præsidente nobis vestrâ Beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri.* Unde Zonaras *in vitâ Iustiniani. Sub hoc*, ait, *quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius, Papa Romanus.*

38. 6. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præsides fuisse Legatos Agathonis Romani Pontificis, Petrum & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, testatur Zonaras *in vitâ Constantini IV.* patetque ex ipsâ Synodo, ubi in omnibus actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur, ac subscribunt. Neque Imperatorem, licèt primo loco sederit, egisse munus Iudicis, vel Præsidis, constat ex eo, quòd ultimo loco subscripserit, nec adeò definierit, sed decretis ac subscriptionibus Episcoporum consenserit.

39. 7. Concilium Nicænum II. non pseudo-œcumenicum (à Genio Calvinistico sic vocatum, quòd damnârit eos, qui sacras Christi, & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant)

bant) sed legitimum Præsides habuisse Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem sancti Sabæ, constat ex actis Concilij, in quibus isti primi nominantur & primi subscribunt.

40. 8. Denique Synodus Constantinopolitana II. inter Oecumenicas *octava*, celebrata sub Adriano Papâ, præsidentes habuisse hujus Legatos Donatum & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quòd primi nominentur & subscribant, tum quòd in primâ ejus actione rogati à Concilio, ut ostenderent litteras Papæ, præsidentiam eis concedentes, exhibuerint; tum denique quòd ad finem Concilij primus ex illis ita subscripserit: *Ego Donatus, Dei gratiâ Episcopus Hostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani universalis Papæ, huic sanctæ & universali Synodo præsidens, omnia, quæ superiùs leguntur, promulgavi, & manu propriâ subscripsi.* Quandoquidem ergo tam apertè extet probatum Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis jus præsidendi, hoc verò præsidentiæ jus importet superioritatem, prorsus dicendum videtur, quòd *Papa sit super Concilium.*

Exceptio.

41. EXcipent fortassis Adversarij, præsidentiam in Concilio non tam arguere jus superioritatis erga totum Concilium, quàm erga singulos reliquos in Synodum aggregatos Antistites: exemplo Comitiorum imperialium, quibus Cæsar quidem præsidet, ceu superior singulorum Statuum, ac Principum, nullatenus tamen obtinere superioritatem supra Comitia, constare potest ex his, quæ Hermannus Hermes *in suo publici Iuris fasciculo cap 40. à n. 79.* adfert. Quinimò in Senatu Venetæ Reipublicæ Dux, seu Senatorum singulorum superior, obtinet quidem præeminentiam, cùm tamen totus Senatus super ipsum habeat jus superioritatis. Quidni ergo dicatur, ex Papæ in Concilijs Oecumenicis præsidentiâ, rectè concludi ejus super cunctos sigillatim spectatos Antistites superioritatem, hinc tamen minimè evinci superioritatis jus erga totum Concilium, imò ne hujus quidem supra Papam superioritatis jus efficaciter excludi ex illo jure præsidendi.

Responsio.

42. VErùm quidquid sit de jure præsidendi in Comitijs Imperialibus competente Cæsari, vel de præsidentia Ducis Veneti in suæ Reipublicæ Senatu, oportet, Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidendi jus expendere ex ipsissimo illo Divinitus constitutæ authoritatis fundamento, cujus intuitu ipsæ quoque Generales Synodi manifesta superioritatis testimonia Papæ detulerunt, quæ in unum fasciculum præcipuâ quâdam diligentiâ collegit Author *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 5.* Nam 1. Nicænam Synodum à Sylvestro Summo Pontifice in altero Romæ coacto Concilio fuisse confirmatam, anathemate in eos, qui aliter crederent, prolato, constat *ex to. 1. Concilior. & epist. Synodali 4.* Felicis Papæ III. ubi sic habetur, *Domino ad B. Petrum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, eam vocem sequentes trecenti, decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque authoritatem sacræ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

43. *Secundò.* In fine Concilij 1. Constantinopolitani, sed Oecumenici II. ita habetur: *Damasus ad examinanda Synodi Constantinopolitanæ acta, pro Ecclesiæ Romanæ more, & authoritate Romæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales vocati, Legatos cum purgatione miserunt. Id sequenti anno frequentissimum celebratum est, Concilium Constantinopolitanum confirmatum, & omnes hæreses condemnatæ.*

44. *Tertiò.* In Concilio Ephesino Oecumenico III. præter alia argumenta, notat udignissimum occurrit, quòd Romanus Pontifex Caput sit Concilij, Patres autem in ea Generali Synodo congregati Ecclesiæ membra acclamarentur: dum Legatus Pontificius Patribus in hæc verba egerat gratias: *Quòd sanctis suis vocibus, pijsq; præconijs sancta Ecclesiæ membra sancto suo Capiti se exhibuerint.*

45. *Quartò* In Concilio Chalcedonensi *quarto* Oecumenicâ Synodo III. Leo Pontifex passim vocatur *Ecclesiæ Vniversalis Pontifex, Caput Vniversalis Ecclesiæ, Vniversæ vineæ custos &c.*

46. *Quintò.* Ex *secundo* Constantinopolitano Concilio notatu dignum occurrit, quod *Act. 4.* habetur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

47. *Sextò.* In *tertiâ* Constantinopolitanâ VI. Oecumenicâ Synodo habetur *18. Act.* & *Synodali Epist. quòd primæ Sedis Antistes dicatur Vniversalis Ecclesiæ, stans supra firmam fidei petram*, qui proinde authoritate suâ etiam Apostolicâ confirmavit istam Synodum; uti constat *ex Epistolâ Leonis II. relatâ post Acta Concilij.*

48. *Septimò.* In Oecumenicâ *Septimâ* Synodo Constantinopoli celebratâ *Act. 2.* Legatis Apostolicis interrogantibus; num sacra Synodus recipiat sanctissimi Papæ Veteris Romæ litteras, sacrarum scilicet imaginum cultum sancientes? Respondit sacra Synodus: Ita *sequimur, recipimus, & probamus*; manifesto sanè argumento subjectionis erga authoritatem Apostolicam.

49. *Octavò.* In *octavâ* Oecumenicâ Synodo itidem Constantinopoli celebratâ habetur præter alia *Act. 4. 10. & ultimâ*, nec non *Canone 21.* quòd Concilio non liceat *audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.*

Nonò. In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. prout refertur *in Cap. De elect.* extat sancitum: *In Romana Ecclesia debere aliquid speciale quoad electionem constitui, cùm non possit recursus ad Seniorem haberi.*

50. *Decimò.* In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. contra Græcorum errores celebrato ita habetur inter alia: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super Vniversam Ecclesiam Catholicam obtinet:*

timet: *quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, sive Vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit.*

52. *Vndecimò.* Concilium Florentinum *in litteris Vnionis circa finem* ita habet: *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem in universum terrarum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Magistrum existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniversalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

53. *Duodecimò.* Ex Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. relatu dignissima, ac æternæ memoriæ commendanda sunt, quæ ceu universorum Conciliorũ intento præsenti deservientia Suũaria quæpiam *Sess. 10.* habentur sub hisce verbis exarata: *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta fuerunt, cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi conciliabulo (quod post talem translationem Concilium amplius appellari non merebatur) facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam soluus Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum inducendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, necdum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorum Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, utpote notoria præterire. In Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam Leonem Pontificem Ephesinam II. Synodum ad Chalcedonem transtulisse. Martinum etiam Papam V. Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nullâ consensûs ipsius Concilij mentione habitâ, dedisse. Ephesinam quoque* primam *Synodum Cælestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni,* sextam *Agathoni,* septimam *Hadriano,* octavam *Nicolao,* octavam *etiam Constantinopolitanam Hadriano Romano Pontifici, Prædecessoribus nostris maximam reverenti m exhibuisse, eorundemque Pontificum institutionibus, & mandatis in sacris codicillis per eos editis & factis reverenter, & humiliter obtemperâsse. Vnde Damasus Papa, & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi in Illyrico constituto, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non posse testantur, quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum: eundémque Leonem Pontificem, universis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse, apparet. Consueverúntque Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione à Romano Pontifice subscriptionem, approbationémque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicænâ, & Ephesinâ ac Chalcedonensi hujusmodi, & sextâ Constantinopolitanâ, & septimâ eâdem Nicænâ, & Romanâ sub Symmacho habitis Synodis, earundemq; gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quod etiam maximè Patres Constantienses fecisse, constat: quam laudabilem consuetudinem, si Bituricensis, & Basileensis secuti fuissent, hujusmodi molestiâ proculdubio careremus.* Ex quibus proinde universis liquidò constat, Papæ in Concilijs Oecumenicis jus præsidendi, ac ultimatè definiendi non fundari super superioritate erga Antistites *figillatim* duntaxat spectatos, sed niti authoritate erga universam Ecclesiam, totumque Concilium, atque adeò importare strictam super Synodo, quantumvis Generali, superioritatem.

ARGUMENTUM II.

Petitum ex hoc, quòd Concilio nulla sit infallibilitatis authoritas, nisi accedat eidem Papæ consensus & confirmatio.

54. AVthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 18.* egregiè argumentatur hunc in modum. Qui primas Concilio tribuunt, hoc ipso, & necessariò quidem inferre debent, ultimâ ac peremptoriam sententiam penes Concilium esse, quæ nec censuram, nec correctionem admittat, & consequenter ab omni errore sit libera: si enim errori & correctioni subjaceat, jam non erit ultima, sed superiorem aliquam, tutamque regulam, & erroris immunem habebit, ad quã exigatur: quemadmodùm linea recta est regula, & judex omnis obliqui, quia sola, & necessariò non exorbitat, & proximo tramite in centrum pergit.

Si ergo probatum fuerit, Concilium errâsse, eâdem operâ probatum erit, alteri subjectum esse, qui errores emendet, omni ipse errandi periculo liber, nisi velimus, in Ecclesia esse omnia incerta, & ludibrijs opinionum exposita. Age jam ergo, & ostendemus, nihil fixum ratumque in Concilijs esse, quando Romanam Cynosuram præ oculis non habent.

55. Anno Domini CCCLIX. sub Liberio Pontifice erravit Synodus Ariminensis, cui & Legati Apostolici (quorum unus Vincentius fuit Capuanus Episcopus) & Episcopi supra 400. interfuerunt; quando specioso componendæ pacis obtentu, sic enim blandiebantur Ariani, expunctâ voce consubstantiali, Filium Patri similem dixerunt; tunc enim, teste Divo Hieronymo, dedita velut arce fidei & Religionis Catholicæ, Nicænæ Synodi damnatio est conclamata, totusque ingemiscens orbis se Arianum esse, miratus est. Negavit Liberius Papa Ariminensi formulæ & symbolo suffragium, & ideo in exilium deportatus est. Audi epistolam Damasi, & Synodi Romanæ apud Theodoretum *lib. 2. cap. 22.*

Numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicij vim habere non debere, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus erat ex-

exspectanda, neque Vincentio, neque alijs, ei consentientibus, cùmque illi ipsi, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi essent, pòst ad meliorem mentem denuò traducti, planè testarentur, hanc formulam sibi magnoperè displicere. Idem narrat Sozomenus *lib. 4. cap. 18.* Si dicas, non esse in hoc Concilio legitimè progressum, nec liberas Episcoporum voces fuisse, partim videlicet Arianorum fraudibus, partim metu, tædióque expressas. Id equidem haud negamus, sed vel ex hoc ipso apparet, Concilium aut metu, aut ignorantiâ, aut odio, aut quâlibet aliâ ratione, nec enim interest quali, corrumpi posse, à vero flectere, & de legitimo illegitimum fieri, nisi approbatione & testimonio Romani Pontificis, sinè quo affectibus & perturbationibus agi potest, nec à Spiritu sancto certò tutoque ducitur; & quod Ariminense metu, dolóque fecit; aliud ambitione, aliud cupiditate, aliud amore, aliud ignorantiâ faciet; verbo errare potest, nec interest, quo diverticulo, si viâ excedat. Quæ pro alijs etiam Concilijs advertenda sunt.

56. Anno CCCLXXXI. erravit *secunda* Synodus Oecumenica Constantinopolitana 150. Patrum, quando contra præscriptum Nicæni Concilij, & jura Ecclesiæ Alexandrinæ, Patriarchæ Constantinopolitano primas à Romano Pontifice detulit, absente, nec audito Timotheo Alexandrino, quem canonem Romana Sedes numquam ratum habuit, utpote & cum Nicæno Concilio pugnantem, (cujus decreta à Pontifice probata, sinè hujus assensu solvi non poterant) & cum alterius injuriâ conjunctum, cui nolenti auferri sua non poterant. Vide SS. Leonem *epist. 51. ad Anatol.* Gregorium M. *l. 16. ind. 15. epist. 51.* & Maymb. *lib. 1. de schism. Græcorum.* Et quamvis hic error non fuerit in materia & puncto fidei, fuit tamen in materia justitiæ, gravique reprehensione dignus, & à Summis Pontificibus emendatus, quod satis eorum ostendit supremam judicandi potestatem, cùm in nullâ seu fidei, seu justitiæ causâ inferior superiori jus dicat.

57. Anno CCCCLI. erravit Synodus *quarta* Oecumenica, Chalcedone habita sub Leone 1. Pontifice M. & Marciano Imperatore, quando *Act. 15. Can. 28.* Archiepiscopo Constantinopolitano Primatum in Oriente detulit, qui canon à Sedis Apostolicæ Legatis continuò expungi jussus, ut habetur *Actione 16. & in epist. D. Leonis 59.* & *epist. ad Anatol. 51.* & B. Gregorij M. *l. 6. indict. 15. ep. 51.* Vide P. Maymb. *l. 1. de schism. Græcorum.* In eadem Synodo Chalcedonensi *Sess. 6.* cùm à Patribus formula & Symbolum fidei conceptum esset, quod propter omissas quasdam voces hæreticorum instinctu, non satis contra Eutychetem sententiam Catholicam exprimere videbatur, simili ferè cum Ariminensi Concilio errore; Legati Pontificij nunquam passi sunt eam formulam actis Concilij inscribi, & quamvis importunè Patres occlamarent, aliam conscribi fecerunt, ut habetur *Act. 5. Tomo 2. Conciliorum.*

58. Anno DCXCII. Constantinopoli celebrata est Synodus Quinisexta sub Sergio Pontifice, & Iustiniano Juniore Augusto, cui, testis est Balsamon *in Nomocanone*, Legatos Apostolicos interfuisse, séque ipsam, in Actis Concilij, universalem appellat; ejúsque Canones; præsertim *82.* Adrianus Papa *in Epist. ad Tharasium* valde commendat. Erravit tamen hæc Synodus, & graviter quidem quoad cœlibatum Sacerdotum, & Sabbathi jejunium, ut patet *ex can. 13. & 55.* & propterea à Patribus *Erraticæ* nomen tulit, nec unquam Sergius; alijque Pontifices, ut eam reciperent, adduci potuerunt, teste Anastasio *in Sergio*, & Bedâ Venerab. *de 6. ætatibus in Iustiniano Minore.*

59. Anno CDXLIX. sub Leone Pontifice Maximo, & Theodosio juniore erravit Synodus 2. Ephesina Episcoporum 128. cui & Legati Apostolici interfuerunt. In ea Eutyches absolutus, damnati verò sanctissimus Flavianus, alijque Catholici Episcopi; ut proindè optimo jure fuerit à majoribus latrocinalis & prædatoria appellata, ejúsque memoriam Leo Papa abolitam, damnatámque voluerit.

60. Anno MCDXXXI. erravit Concilium Basileense à Martino V. & Eugenio IV. indictum, & posteà ab eodem Eugenio, & Leone X. in Concilio Lateranensi damnatum assensu Ludovici Regis Christianissimi, qui Basileensi Concilio renuntiavit, promisitque Regio diplomate per suos Oratores in publico Conventu recitato, se Lateranensi Concilio adhæsurum.

61. En tibi, in quos errores Concilia inciderint, ubi à Romani Pontificis directione flexerunt: quæ causa, ut sacris Canonibus sancitum sæpe fuerit, nullam esse Conciliorum auctoritatem, quæ à Romano Pontifice non fuerint confirmata, hæc enim confirmatio necessaria non esset, si Concilia falli non possent; cur enim ab alio tam necessariò ducantur; reganturque ipsa erroris tuta, & falli nescia? Quod necessariò calidum est, alio non eget, à quo calorem accipiat; ita quod necessariò certum, & verum est, aliâ confirmatione, per quam certum fiat, opus non habet.

Exceptio.

62. EXcipient fortassis Adversarij, priusquam ad dogmaticas Concilij sanctiones accedat Papæ consensus, se haud diffiteri, errori obnoxiam esse Synodum, quem tamen Papæ cum Concilio consentientis accessum decreti Synodalis approbatorium, non fieri in vi authoritativæ supra Synodum Generalem superioritatis, sed in vi quasi contractûs, quomodò Hermannus Hermes *in Iuris publici fasciculo præcitato 40. capite à n. 80.* scribit: Jurisperitorum quorundam esse sententiam, quòd in Comitijs Imperialibus quidquid agitur, & concluditur, contractûs & transactionis instar, esse inter Imperatorem ex unâ, & Status Imperij ex alterâ partibus, ita ut in tali contractu una pars transigens sit Imperator, & altera ipsi Imperij Ordines *conjunctim.* Unde infert is Author, qualis in contractibus duarum partium paciscentium, vel transigentium requiritur consensus, talem etiam in Co-

mitijs requiri, ideoque sicut in alijs contractibus alter alterum non obligat invitum, cùm omnis contractus ab initio voluntatis sit, & mutuum Synnallagma ab utraque parte intervenire debeat. *Lege Labeo. 14. ff. De V. S.* Sic in Comitijs Imperij nec uni, nempe Cæsari, majorem, nec alteri, nempe Statibus *collectim* sumptis, minorem in decernendo competere authoritatem, sed sicut invitum obligari, ita etiam obligare alterum invitum nequire. Quid ni ergo pari ratione discurrere liceat de Concilio Oecumenico, ita ut in hoc sit una pars Summus Pontifex, altera verò pars sit reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus ex Præsulibus Ecclesiasticis coalescens, maximè, cùm Christus *cit. cap. 18. Matthæi* infallibilitatem Concilij Oecumenici visus sit ex hoc determinâsse, quòd, ubi Duo, nempe Papa & Concilium consenserint, adeoque quasi transigendo convenerint in unum fidei dogma definiendum, Pater Æternus sit eis quamcunque rem, adeoque veritatem in Synodo quæsitam, ex Christi Domini promisso infallibili impertiturus. An non igitur hi Duo, nempe Papa & Concilium, consentiendo in unum fidei dogma, sicque inter se de veritate dogmatis quasi transigendo, atque in hujus consensionis infallibilitatem à Christo promissam, & à Patre Æterno adimplendam certissimè obtinendo, eatenus inter se comparari debent, quatenus neuter sit major, seu superior, quemadmodùm de Imperij Statibus ac de Cæsare inter Comitia in unum aliquod statutum consentientibus *superius* dicebatur?

Responsio.

63. HUnc Papæ ad Concilium in definiendo fidei dogmate accessum authoritativum non esse in vi quasi contractûs, seu transactionis duntaxat, sequentis conclusionis probationibus demonstrabimus. Interea iubeat audire, quæ *præcitatus* Author *Regalis Sacerdotij ubi supra post n.* 8. ad præsens institutum adfert. S. Iulius Pontifex Maximus *epist. 1. to. 1. Conciliorum.* relatâ ita disserit: *Ipsa verò primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum Generalium Synodorum jura, & Episcoporum judicia, singulari privilegio Evangelicis & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest major à minori judicari. Ipsa namque omnibus major, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus &c. Porrò dudum à sanctis Apostolis, successoribúsque eorum, in privatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta & universalis tenet Ecclesia, non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt: & sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque justâ sententiâ terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.*

S. Nicolaus Papa I. *epist. ad Mediolanenses*, quæ habetur, *in Cap. Omnes. dist. 22. Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur; & cùm ille vocetur injustus, hic est proculdubio vocandus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversùs illam agit, quæ est mater fidei: & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur. Unde & ipse sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.*

CONCLUSIO.

PRæadducta historiarum Ecclesiasticarum, & Conciliorum sacrorum fundamenta, cum fidei sacris Litteris traditæ principijs, quibus nituntur, collata, Theologicè demonstrant Papæ supra Concilium, quantumvis Generale, quà *abstractivè* saltem acephalum authoritativam superioritatem.

Explicatur & probatur. Si ipsam nam- 64.
que primævam Concilij Oecumenici aggregationem expenderis, *ex Matthæi 18.* pernosces, oportere, fieri in nomine Christi, nempe vicariâ hujus authoritate Apostolicâ, præferente Christi nomen, non enim, nisi sub hoc nomine aggregatis promisit Christus, se fore in medio eorum *ex versu 20.* Ubi in Concilio sic aggregato perventum fuerit ad sententiam definitivam, oportet, hanc consistere ex consensu duorum, nempe Capitis, nomen Christi vicarium præferentis, & reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici, ut sic hisce *duobus* (quorum ambo Apostolorum, Caput equidem Petri, reliquum verò hierarchicum Corpus Apostolici in unum aggregati Collegij sunt successores) *in unum consentientibus, de re, quam petierint*, dogmatis nempe definiendi veritate, ex Christi promisso, adeoque infallibiliter *fiat eis à Patre, qui in cælis est.* Ex *versu 19.* Cum quo illorum duorum consensu sacer contextus connectit verba *præcedentis versûs 18.* de *indefinitâ* ligandi, & solvendi potestate, Apostolis, quâ Ecclesiam, de qua *in præcedenti versu 17.* fit sermo, repræsentantibus, sicque in Christi nomine aggregatis promissa, nec adeò hæc præeminentia competere potest Concilio, quâ etiam *abstractivè* acephalo, sed quâ per vicarium Christi characterem *formaliter* Oecumenico. Quare in Concilio acephalicè spectato nihil est authoritatis, nisi quam Episcopi ex orbe Christiano convocati pro Ecclesiæ Universalis Bono (ad quod jurisdictio Ecclesiastica *ex intrinsecâ* naturâ suâ *transcendentalem* habet ordinem) in unum conferunt. Nequit autem jurisdictio Episcopalis, tum quâ derivata ex Papalis potestatis plenitudine, tum quoad sui *morale* exercitium omnimodum, non esse de illo *quocunque* ad regnum cælorum ordinabili, super quo Christus Petro, ejusque Successori contulit clavium potestatem cum *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate. Constat igitur, in Concilio *acephalicè* spectato, præter Episcopalem

palem characterem, & *radicalem* in hoc contentam jurisdictionem Ecclesiæ gubernativam, non nisi Papæ authoritate actuabilem, nihil moralitatis esse intelligibile, super quo Papa non habeat superioritatem à Christo sibi concessam, sed universæ præeminentiæ Concilio per Christum promissæ respiciunt Synodum quâ junctam cum Capite Christi vicario; veluti ex sacrorum Conciliorum sententijs *à n. 42.* adductis mox demonstrabitur.

PROBATIO I.

In qua ad Theologicæ argumentationis formam reducuntur *præallegatæ* Oecumenicarum Synodorum sententiæ.

65. ETenim *prima* Nicæna Synodus Oecumenica confirmationem dogmatum Concilij suffragio sanciendorum, profitetur, subjectam esse confirmationi atque authoritati sacræ Romanæ Ecclesiæ, non alio ex principio, quàm quòd B. Petro, ejusque adeò Successori dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex dictis *n. 42.* Ex quo fundamento constat insuper, Acta Synodi Constantinopolitanæ esse à Damaso Papa revocata ad Concilium Romæ indictum, ut post eorundem examinationem, suâ authoritate firmaret decreta ac sententias hæresum condemnatorias, sancitas in præfatâ Synodo Constantinopoli priùs celebratâ, cujus Patres non attento, quòd Conciliariter aggregati eas tulissent sententias, obedienter se submiserunt Romano Pontifici, suos Legatos cum purgatione ad hunc mittendo. Ex dictis *n. 43.* Et hinc quando Ephesini Concilij Patres se tanquam Ecclesiæ membra sancto suo Capiti Romano Pontifici devotos acclamârunt, oportet, hanc acclamationem intelligere de Ecclesiæ membris hierarchicis, quà *collectim* sumptis, nempe in Concilio Oecumenico aggregatis, atque ut sic Capiti, Nestorianæ hæresis condemnationem præfinienti, sese coadunantibus; uti patet ex actis ejusdem Concilij *cap. 15.* & *nostrate n. 44.* Quod clarioribus verbis professa est IV. Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Papam Romanum vocitans Ecclesiæ Universalis Pontificem, nec non Caput Universalis Ecclesiæ. *Ex n. 45.* Ex quo adeò principio, in præadductis Christi ad Petrum *Matthæi 18.* prolatis verbis fundato, Concilium V. Oecumenicum, II. Constantinopolitanum profitebatur, quòd sequeretur Apostolicam Sedem, cujus etiam essent communicatores, ei obediendo, & ab ipsa condemnatos condemnando. *Ex n. 46.* Cui principio inhærens *sexta* quoque Oecumenica Synodus, Constantinopolitana *tertia*, Romanum Pontificem appellavit Primæ Sedis Antistitem Universalis Ecclesiæ, stantem super fidei petram, cujus etiam authoritati Apostolicæ submisit decretorum suorum confirmationem. *Ex n. 47.*

66. Unde liquidum prorsus evadit, & clarè demonstratum, præsidentiam Romani Pontificis unà cum authoritate Concilij confirmatoriâ, fundari in ejus præeminentiâ non erga singulos duntaxat Synodi Patres, sed erga Universam Ecclesiam, atque adeò erga Universale quoque Ecclesiæ Universæ repræsentans Concilium. Illa ipsa verò definitiva, & Conciliarium sanctionum confirmatoria authoritas, secundùm præadductas Synodos Oecumenicas, fundatur in verbis Christi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* At ex sacri contextûs connexione noscuntur verba etiam posteriora: *Tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcunque solveris* &c. æquè ac priora verba habere respectum ad Universalem Ecclesiam. Illa verò clavium potestas, & *indefinita* ligandi & solvendi authoritas per *intrinsecam* naturæ suæ conditionem noscitur importare superioritatis præeminentiam. Quia igitur clavium ejusmodi potestas, unà cum Petræ, super quam ædificanda esset Ecclesia, prærogativâ per Christi verba, secundùm præallegatorum Conciliorum Oecumenicorum intelligentiam, noscitur protendi super Universam Ecclesiam, in Concilio Generali repræsentatam, imò juxta vocum à prætactis Concilijs adhibitarum claritatem, super Universale Concilium, Ecclesiæque sanctæ in Synodo Generali cum Capite coadunata membra, in aperto jam extat probata Papæ super Generali, quà ex membris Ecclesiæ hierarchicis in unum aggregatis consistente Concilio, superioritas.

Atque hæc est ratio, cur *septima* Generalis Synodus tam promptè receperit Papæ super sacrarum imaginum cultu litteras Apostolicas. *Ex n. 48.* Cur etiam *octavum* Generale Concilium pronunciârit, sibi non licere contra Summum Pontificem sententiam dicere. *Ex n. 49.* Cur Concilium Lateranense sub Alexandro III. edixerit, à Papa non posse recursum haberi ad superiorem. *Ex n. 50.* Cur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. plenus primatus & principatus super Universam Ecclesiam fuerit agnitus in Petri Successore Romano Pontifice. *Ex n. 51.* Cur Concilium Florentinum definierit, Romanum Pontificem in universum terrarum orbem tenere primatum, ac Pontificem Romanum Petri Successorem esse totius Ecclesiæ Caput. *Ex n. 52.* Cur denique Concilium Lateranense sub Leone X. à Rege Galliarum comprobatum ac receptum, rejecerit, & nullitatis damnârit acta Synodi Basileensis superioritatem Concilij supra Papam adstruentis, adstruendo econtra per inductionem prærogativas Papæ supra Concilium in antiquioribus Oecumenicis Synodis agnitas & approbatas. 67.

PROBATIO II.

In qua Papæ supra Concilium *abstractivè* acephalum præeminentia vindicatur ex sanctionum dogmaticarum illius suffragio editarum confirmatoriâ authoritate.

68. EXplicatur. Quantumvis enim Papa per suos Legatos, vel etiam per seipsum sit præsidens in Concilio Generali, in hoc tamen claritatis gratiâ discernere oportet, tum quæ Concilij quasi *acephalicè* spectati, quæque Capitis,

pitis, nempe Summi Pontificis, sunt munera, tum pro isto discrimine meliùs dignoscendo expedit, signum temporis antecedens Papæ consensum, suffragij à Concilio Universo lati approbatorium, distinguere à signo, in quo *actualiter* fit accessus Papæ, authoritate suâ ultimatè definitivâ confirmantis dogma per majora saltem Concilij suffragia sancitum. In signo igitur Papæ consensum, seu ultimatæ definitionis accessum authoritativum antecedente, noscitur equidem Concilium legitimè congregatum in Christi vicario nomine, cui tamen pro tunc deficit adhuc infallibilitas in definiendis fidei dogmatibus. Nam licèt Christus promiserit, se in medio eorum fore, qui in nomine Christi, sub authoritatis adeò Christi vicariæ, uni Romano Pontifici competentis, charactere sunt congregati: hujus tamen assistentiæ, Christi infallibilitatem adferentis effectus, secundùm sacrum Evangelij contextum, alligatur duorum, nempe Corporis hierarchici, & Capitis Ecclesiæ consensu. Quantumvis ergo Concilij Patres in ferendis suis suffragijs legitimè procedant, quantumvis etiam suffragiorum majoritas in unum collata, jam præferat Concilij Oecumenici consensum, pro signo tamen antecedente Summi Pontificis consensum ultimatè definitivum, atque Conciliaris dogmaticæ sanctionis *authoritativè* confirmatorium, nondum subsistit infallibilitas per Christi assistentiam tunc fortitura effectum, quando Duobus illis, Ecclesiæ scilicet Capite, & Corpore hierarchico per Concilium Oecumenicum repræsentato, inter se consentientibus, quamcunque petierint dogmaticæ sanctionis veritatem, certissimè impertiturus est Pater cælestis. Quandoquidem igitur antecedenter ad hoc signum Papalis ultimatè definitivi, & *authoritativè* confirmatorij consensûs, in decretis Concilij, quantumvis Generalis, necdum subsistat illa omnimodæ infallibilitatis prærogativa, sed absque accessu talis consensûs Pontificij Concilium subjaceat errabilitati; veluti demonstrant exempla in argumento *secundo* latiùs expositæ: idcircò ex hoc etiam fundamento manifestè extat demonstrata Papæ super Concilium quasi *acephalicè* spectatum præeminentia.

§. IV.

Corollarium.

69. EX dictis jam facilè infertur; quantum momenti sit in rationibus, quibus Theologi nonnulli nituntur Papæ supra Concilium superioritatem ostendere. Ejusmodi namque rationum vis & energia tota quanta est petenda ex earundem collatione cum fidei principijs, sub Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus conformiter applicatis ad Theologicam aliquam ratiocinationem. *Prima* igitur ratio ejusmodi desumitur ex hoc, quòd, cùm Christus Ecclesiam suam maximè dilexerit, sicque ipsi præcipuè voluerit, esse consultum, optimam utique gubernandi formam in ea instituerit, qualis censetur esse Monarchica. Hæc autem subsistit ex uno supremo Principe, cui totum Regnum, oporteat, esse subjectum. Quandoquidem igitur Ecclesiæ sanctæ Regnum conveniat, esse optimum, oportet, eatenus esse Monarchicum, ut ejus Princeps, Summus Pontifex neutiquam subjacere debeat Concilio, Ecclesiæ militantis Regnum in terra repræsentanti, sed super hoc, oporteat, illum habere superioritatis præeminentiam.

70. Verùm alij econtra Theologi, dum regimen Monarchicum Aristocratico mixtum, censent puræ Monarchiæ præcellere, talem Ecclesiastici regiminis statum non inconvenienter probant ex eo, quòd Christus *Matthæi 18.* dicendo: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, hujus indefectibilitatem, atque adeò in decidendis fidei dogmatibus infallibilitatem non aliter sanxerit, nisi cum respectu ad Ecclesiam, cujus Concilium Oecumenicum est repræsentativum. Unde in ordine ad dogmaticas ejusmodi sanctiones Christus etiam *Matthæi 18.* consummatæ infallibilitatis, saltem *secundùm nos* (quatenus scilicet nobis ex sanctæ Ecclesiæ definitionibus hactenus innotuit) præeminentiam non vel soli Petro, vel soli Generali licèt Concilio, sed Duobus in unum consentientibus pollicitus est. Sub qua proinde & Capitis, extra Concilium etiam Regni cælorum claves obtinentis, & Concilij hierarchicum Ecclesiæ Universalis Corpus repræsentantis conjunctione, videtur Christus consummatum Ecclesiæ regimen ad fidei dogmata sancienda procedere potens, constituisse sub mixtâ Monarchici, & Aristocratici regiminis norma: ita tamen, ut, si hierarchicum in Concilio Generali Aristocratiæ normam præferens Ecclesiæ Corpus spectetur quasi *acephalicè*, per Christi Domini institutionem *superiùs* probatam, omninò dici debeat Papa esse Concilio major ac superior.

71. *Secunda* ratio petitur à causa potestatis Ecclesiasticæ *Efficiente*, quæ est ipsemet Christus conferens claves Regni cælorum, non Concilio *acephalicè* spectato, sed vel plenæ, quâ Caput etiam complectenti, ac *formaliter* Oecumenicæ Synodo Universali, vel etiam soli Petro cum perpetuæ successionis ordine, dicens *Matthæi 16. Tibi dabo claves Regni cælorum*: quod ex hoc etiam capite erat permaximè conveniens, imò necessarium, cùm propter difficultates in aggregando Oecumenico Concilio, in immensum excrescerent controversiæ Ecclesiasticæ, si his ab uno Capite ac judice supremo nullus imponi posset finis.

DIS-

DISQUISITIO V.

Utrùm ex appellatione à Concilio ad Papam, vel econtra à Papa ad universalem Synodum validè demonstretur Summi Pontificis supra Concilium superioritas?

§. I.

1. HOc punctum cum Authoribus à se allegatis nervosè tractat Author *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 14.* Adstruitur, inquiens, etiam Papæ superioritas ijs omnibus argumentis, quæ probant, supremum esse Romani Pontificis Tribunal, nec ab illo licere appellare; *Aliorum fortè hominum causas* (inquit Ennodius Diaconus, cujus doctrinam recepit, & approbavit, tanquam sua Decreta, Concilium Romanum V. sub Symmacho Papâ, quemque aliâ occasione jam *supra* citavimus) *Deus voluit per homines terminari: Sedis istius Præsulem suo sinè quæstione reservavit arbitrio; voluit B. Petri Successores cælo tantùm debere innocentiam.* Præmiserat autem, Concilio potestatem, quam aliàs non habuisset, ad judicandum Papam, ab ipsomet Pontifice concessam: *Judicia & iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est: & , quòd posset fidelium corda doloris justi aculeis excitare, venerando Concilio authoritatem, etiam contra se, si mereretur, indulsit.*

2. Concilium Lateranense sub Alexandro III. majorem vult adhiberi cautelam in eligendo Romano Pontifice, quia Episcoporum quidem reliquorum electio, vel electus Episcopus, emendari poterunt, sed quoad Romanam Ecclesiam *non poterit ad superiorem haberi recursus.* Concilij Lateranensis sub Leone X. testimonium protulimus *suprà.*

3. Cæterùm si in propria causa Romani Pontifices audiri debent (fieret autem illis magna injuria, præsertim sanctitate, doctrinâ, & prudentiâ conspicuis, si non auditentur) plurimi sunt, qui hanc suæ Sedi authoritatem vindicârunt. In collectione Lucæ Holstenij in Synodo Romana *num. 8.* Bonifacius Ruso Thessalonicensi scribit. *Talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primò convenire te citra conscientiam minimè debuisse: deinde de nostro non esse judicio retractandum.* Nunquam etenim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.

4. S. Gelasius *in Epist. 3.* jam *citatâ*, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; *Cuncta*, inquit, *per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd* de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: *Si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Deinde varijs exemplis confirmat authoritatem Summi Pontificis supra Concilia; *Sed nec illa, præterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sinè ullâ Synodo præcedente, & absolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem: sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit; itémque sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiúsque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, suâ authoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, &c.* Idem scribit *Epist. 4.* seu *commonitorio ad Faustum. Nobis opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipsò venire se produnt, quòd Sanctæ Sedi sana, rectáque suadenti parêre fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluêre deferri; ab ipsa verò nusquam prorsus appellari sanxerunt, ac per hoc* illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. *Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiámque illius constituerunt, non oportere dissolvi, cujus potiùs sequenda decreta mandárunt.*

5. Gelasium secutus & imitatus est Nicolaus I. *epist. 8.* etiam *suprà citatâ*, quæ est *ad Imperatorem Michaelem: Quoniam*, inquit *cùm secundùm Canones, uti est major authoritas, judicium inferiorum sit adverendum ad dissolvendum, scilicet, vel ad roborandum, patet profectò, Sedis Apostolicæ, cujus authoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Iuxta quod & Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi Præsules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudines non ignorantes, dicunt.*

6. Non minùs perspicua est Paschalis II. sententia *Epistolâ ad Archiepiscopum Poloniæ*, relatâ à Baronio è Codice Vaticano *ad annum 1102. Ajunt, in Concilijs statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint*, cùm omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ authoritatem, & facta sint, & robur acceperint, *& in eorum statutis Romana patenter authoritas excipiatur.*

7. Denique nec ipsi Antesignani authoritatis Conciliaris ausi sunt indiscriminatim asserere, à Summo Pontifice posse ad Concilium provocare in quolibet casu. *Non est fas* (inquit Ioannes Gersonius *Tractatu, quomodò, & an liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare à Papa, vel ejus judicium in causis fidei declinare*) *appellare à Papa, vel ejus judicium in causis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni casu, sed quando facit id, quod in se est, & quando non apparet devius à fide, sed ambulat rectè ad veritatem Evangelij sinè personarum acceptione.* (Ecce quibus in casibus secundùm Gersonium à Summo Pontifice non licet appellare) *Porrò Dominus noster tollere poterit efficaciter suspicionem sinistram, quæ contra Sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compensèt: hoc est, si sponte, nullo requirente, damnet illam doctrinam pestiferam, & crudelem contra Polonos cum similibus alijs, cum*

tali celeritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in scandalum, & perniciem Reipublicæ postulat, & requirit, procul abjectâ quâvis acceptione personarum.

8. Materiam istam egregiè tractat Franciscus Victoria *relectione 4. proposit. 20.* ubi appellationes istas reijciens, post alias solidas probationes addit; *Præterea hoc probatur experientiâ, & exemplis, quæ in moralibus faciunt magnam probationem.* Omnes enim appellationes hactenus factæ ad Concilium, malè cesserunt, & tandè devenerunt in schisma aliquod, vel etiam hæresim. 3. *Quia hoc esset magna occasio perturbationis in Ecclesia: quia si Papa timeret, ne facta ejus deberent rescindi in Concilio, nunquam vellet congregare Concilium, cum magnâ jacturâ profectò rerum Ecclesiasticarum; & congregare sinè illo, vel non licet, vel esset valde difficile. Semper enim erunt aliqui, imò major pars, qui velint sequi partes Pontificis, & unus Princeps faveret Concilio, alius Pontifici; & sic nihil pacificè, nec ad utilitatem Ecclesiæ fieri posset: imò essent multò majores perturbationes, ut experientiâ compertum est.* Nec minùs acriter illas appellationes impugnat Nauclerus *de Monarch. Eccles. lib. 3. cap. 10. Quintum denique,* inquit, *ac postremum de præcipuis privilegium illud est, de quo hic quæstio vertitur, quod suprà tetigimus, contra quod ridiculæ fiunt à quibusdam Schismaticorum partes suâ partim malitiâ, partim imperitiâ soventibus, objectiones, nonnulláque ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur, quæ à doctissimo nostræ ætatis Theologo viro sanctissimæ vitæ Valeo, eruditè refutata, & explosa studiosius Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiæ Decretis, Canonibúsque veluti Divini sancti Spiritûs oraculis ritè consideratis, justóque ratiocinio, Theologicæque sapientiæ trutinatis examine, quàm justè spiritualem anathematis gladium contra provocantes à Pontificij Monarchæ judicio ad futurum Concilium, à sanctissimis Sedis Apostolicæ Præsulibus evaginatum fuisse, credere debemus.*

9. Testatur libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensor Dominus Petrus de Marca, usum illum esse novum. Sic enim inchoat *cap. 17. lib. 4. Superiore capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam invectam ab ijs, qui se Romanæ Curiæ censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papæ Decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium. Numero autem 4.* originem notat his verbis; *Primus omnium, qui appellatione ad Concilium usus est, prodit se apud Historicos Fridericus II. Imperator.* Sed ut refert Matthæus Parisius in verbis à Marca relatis, Legatus Friderici appellavit à Concilio ipso generali, quod tunc scilicet anno 1245. Lugduni celebratum erat, ad aliud generalius. *Appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati, vel Principum Procuratores apparent hîc impræsentiarum.*

10. Itaque appellationum illarum origo, ut alibi videbimus, ad Gallos referenda erit, qui anno 1303. nomine Philippi, dicti Pulchri, Franciæ Regis appellârunt à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium. *Primo* loco illam refert, qui probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ collegit, *cap. 13.* cujus titulus est de hujusmodi appellationibus. Verùm tunc allegabatur, aut fingebatur, Bonifacium non esse legitimum Pontificem, & perinde appellabatur ad futurum legitimum Pontificem, ut ad Concilium generale.

Nec nisi post schisma invenietur interposita 11.
appellatio absoluta à Summo Pontifice pro vero accepto, ad futurum Concilium. Itaque cùm Concilium Papæ præponi cœpit, aperta est via ad appellandum ab illo ad istud. Multùm autem verendum est, neillæ appellationes eo fine assumantur, ut obtegatur inobedientia prætextu Concilij, quod vel impossibile, vel difficillimè haberi posse, compertum est.

Cæterùm antiquorum Scriptorum in Gal- 12.
lia, tum in alijs provincijs Christianis doctrina erat, à Papæ sententiâ non posse provocari: ita Hincmarus Episcopus Rhemensis *tom. 2. epist. 44.* quæ est ad Episcopos Diœcesis Rhemensis *n. 25.* Ivo Carnotensis *in Decreto par. 5. cap. 9. & 10. & epist. 233. & 236.* Protho Presbyter Prumiensis *de statu domûs Dei lib. 3.* S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis *epist. 73.* S. Antoninus, & alij etiam ex recentioribus sanctæ Sedi minùs æquis, ut Carolus Feuretus *lib. 9. de abusu cap. 3. num. 5.*

Denique cùm Summo Pontifici vineæ 13.
custodia à Salvatore commissa sit, ut confessa est Synodus Chalcedonensis in relatione ad S. Leonem; id est, cùm *Petro totius Ecclesiæ cura commissa sit*, ut scribit S. Gregorius *lib. 4. Epist. 32.* cùm idem officium ad singulos Petri successores transierit, & singulis cum S. Fulberto Episcopo Carnotensi *epist. 22.* dici possit; *Dilectissime pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est:* cùm eis Gregis sit commissa custodia, ut docet S. Epiphanius de B. Petro *Anchoratûs cap. 4.* Cùm Summus Pontifex alijs quàm pluribus titulis à sanctis Patribus insigniatur, quibus significatur, *unum Papam esse super Ecclesiam totius mundi*, ut Episcopi Patarensis *apud Liberatum Brev. cap. 22.* verbis utar, quomodò illi præferendum esset Concilium generale, licèt totam Ecclesiam sinè Pontifice repræsentaret? Quomodò successor ejus, cui *totius Ecclesiæ gubernacula tradita sunt*, ut prædicat sanctus Maximus Episcopus Taurinensis *homil. 3. in Natal. Beatissimorum Petri & Pauli*, gubernandus ipse esset ab Ecclesiæ parte quantumvis præcipuâ? Sanior videtur sententia Ioannis de Selva in Senatu Parisiensi Præsidis *tract. de Benefic. par. 3. q. 8. num. 32. Papa*, inquit, *præfertur toti Concilio.*

§. II.

Referuntur, ac expenduntur argumenta Adversariorum.

ARGUMENTUM

Oppositum à Tostato Abulensi Episcopo *Defensor. par. 2. cap. 76.*

APparere, ait hic Author, ex fundamentis 14.
Evangelicis *Matthæi 18.* traditis, Christum reli-

reliquisse in Ecclesia unum tribunal supremum, quod de omni homine haberet judicare, & illud esse Concilium Generale, Universalem Ecclesiam sufficienter repræsentans. Et illud tribunal esse impeccabile, nec ullatenus errare posse in his, quæ sunt de necessitate salutis. Et ob hoc pertinere ad ipsum, judicare & determinare ultimatè de omnibus dubijs, tam in fide, quàm in actionibus *moralibus*, & post ejus determinationem non licere alicui fidelium resistere, quia manifestè Divino judicio resisteret. Ad hoc intentum faciunt exempla quàm plurima collecta ab Authore libri *De Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus cap. 13.* Nempe ad futurum Concilium adversùs Bonifacium VIII. appellavit Philippus Pulcher anno 133. Cui appellationi accesserunt Prælati Galliæ, unà cum Universitate Parisiensi. *Ex dicto cap. 13. n. 2. & 3.* Regius item Procurator Caroli VII. contra Pium II. ad futurum Concilium appellavit anno 1460. *ibi n. 10.* Pariter appellavit Ludovicus XI. contra Sixtum IV. anno 1478. Item Universitas Parisiensis adversùs Innocentium VIII. anno 1491. Et postea contra Leonem X. anno 1517. *ibid n. 15. & 18.*

15. In *præcitato libro de Gallicanæ Ecclesiæ immunitatibus* ex variis Authoribus inducuntur à Papa ad futurum Concilium appellasse, tum Legatus Friderici II. contra Innocentium IV. anno 1246. Tum Ecclesia Anglicana adversùs eundem Pontificem anno 1246. Tum Clerus & Nobilitas ejusdem Regni adversùs Urbanum IV. anno 1264. Tum Ludovicus Imperator ex Domo Bavarica adversùs Ioannem XII. anno 1323. Tum Generalis Ordinis Minorum contra eundem anno 1331. Tum Respublica Veneta contra Iulium II. anno 1509. Tum Respublica Florentina adversùs eundem Iulium anno 1526. Tum Carolus V. contra Clementem VII. anno 1526. Tum Cardinalis Columnensis cum sua familia adversùs eundem Clementem anno 1527.

Responsio.

16. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 8. n. 4.* respondet. Hujusmodi appellationes fuisse ad Concilium factas non tanquam ad majus tribunal, & Iudicem Papæ, à quo videlicet Papales sententiæ rescindi possent, sed ad melius pleniùsque informandum ipsum Papam: posse namque quæstiones in materia fidei, aut morum adeò graves, tantæque deliberationis nasci, ut Concilium Universale omnium Nationum sit necessarium, sinè quo nempe Papa non censeatur sufficienter informari posse, ac instrui, ut procedere queat ad definitivam sententiam. Atque pro casu ejusmodi sanctos Patres, quando Concilium Universale dicunt necessarium, esse intelligendos; speciatim S. Augustinum *lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 12.* & *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & cap. 18.* item *lib. 2. cap. 4.* adstipulante etiam formâ Philippi Francorum, & Parisiensis Universitatis, aliorúmve ad futurum Concilium appellantium sub hoc tenore: *A sanctissimo Domino nostro minùs debitè consulto ad seipsum melius consulendum, & ad S. Sedem Apostolicam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum celebrandam, illúmque, vel illos, ad quem, sive ad quos de jure provocare, vel appellare licet &c.* Unde patet, appellationem hujusmodi non interpositam fuisse ad Concilium, seu Papæ oppositum, sed ad Concilium authoritate Papali fultum, & ad Papam in Concilio melius informandum.

Exceptio.

17. EXcipi potest ex parte adversa. In Sessione *ultima* Concilij Constantiensis fuisse Papæ Martino V. supplicatum: *Vt hæreticos, ac errores, seu hæreses per sacram Synodum damnatos pariter damnaret, atque damnatos publicè pronunciaret, antequàm Concilium dissolveretur; alioqui protestari de gravamine, de appellando ad futurum Concilium. Quibus sic factis, Papam dixisse ad prædicta respondendo, quòd omnia & singula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: itaque sic Conciliariter facta approbabat, & ratificabat, & non aliter, nec alio modo.* Hæc igitur ad futurum Concilium provocatio & appellatio adversùs Papam, ubi suam approbationem decretis Conciliariter factis noluisset impertire, quid continuisset vel rationis, vel utilitatis, si in Concilio futuro non fuisset vis & authoritas compellendi Papam ad talem confirmationem?

Responsio.

18. SCiscitari lubeat è contrario, si Concilio fuisset authoritas compellendi Papam, ut suam pro confirmandis decretis illis adijceret authoritatem, cur non ipsamet Synodus Constantiensis fuerit usa tali erga Papam authoritate? Ad quid ergo conducere poterat ea ad futurum Concilium provocatio & appellatio, si ipsi Generali Constantiensi Synodo, utpote quæ non minoris cum futuro Concilio authoritatis fuerat, non erat vis, ad Papam pro dicta approbatione compellendum? Ipsissima hæc ratio sanè evincit, altiorem subesse appellationis hujusmodi rationem, ex qua nullatenus probari valeat Concilij supra Papam superioritas. Nempe appellatio ejusmodi *impropriè* dicta in eo se tenebat, quòd nempe ipsum Concilium profiteri debuerit, in se *acephalicè* sumpto, absque Capitis interventu non esse consummatam authoritatem pro fidei decretis, à se Conciliariter licèt factis, sub omnimoda infallibilitate firmandis, sed ad hanc obtinendam indigere adhuc Papæ confirmatione & approbatione authoritativâ; conformiter Christi ordinationi, secundùm quam *Matthæi 18.* consummata in fidei sanctionibus, Conciliariter licèt factis, infallibilitas promittitur ex consensu Duorum, Capitis scilicet ac una hierarchici Ecclesiæ Corporis ex Prælatis Ecclesiasticis consistentis. Quare illa ad Concilium futurum appellatio non habebat rationem *strictè* ac *propriè* dictæ appellationis, cujus natura est, esse provocationem

tionem ab inferiore ad superiorem, sed erat provocatio à Papa tanquam Ecclesiæ Capite per suæ Oecumenicæ authoritatis accessum consummare omnimodam fidei decretorum à Christo promissam infallibilitatem potente ad Synodum non quà *acephalicam*, sed quà *completè* ac *formaliter* Oecumenicam, ut sic Papam ipsum, ceu Concilij Caput taliter importantem, ut Papa respectu Concilij quà *acephali* esset major ac superior, attamen Concilium, quà plenè Oecumenicum, præmineret Papæ solitariè accepto quoad consummatæ saltem *quoad nos* infallibilitatis prærogativam, absque ulla tamen erga Papam superioritate, utpote quod totam hanc præeminentiam, unà cum *indefinitâ* solvendi & ligandi potestate authoritati Papali compare non aliter obtineret, nisi qua *completè* Oecumenicum, ut sic involvens ipsum etiam Pontificem, quà Ecclesiæ Caput; veluti hæc patent tum ex *antecedentibus*, tum elucescent ex *proximè subsequentibus*.

CONCLUSIO.

19. QUamvis ad Concilium *formaliter* & *completè* Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, in rebus præcipuè fidei spectet ultimatum judicium ex Papæ simul & Synodi consensu consummandum, hinc tamen minimè infertur, à Papa posse *strictè* ac *propriè loquendo*, appellari ad Concilium Oecumenicum.

Explicatur & probatur. Ponamus, in Veteri Testamento super causâ aliquâ ex portis, seu tribunalibus Regijs ad Sacerdotium, magnumque Concilium, cui præsidebat Summus Pontifex, delatâ, fuisse ab hoc ex ipsismet Divinis judicialibus legibus pronunciatam judicij veritatem: attamen Regem ejus temporis non acquievisse, sed interpellâsse Pontificem, ut ingressus Sanctuarium, Dominum consuleret super ejusdem judicij veritate, vel ex *Thummim* & *Vrim* super tali judicio majorem adhuc Divini Oraculi requireret certitudinem: num dicere fas est, talem à Rege factam Summi Pontificis interpellationem habuisse rationem *strictè* appellationis? In tali causa ab ipsomet Sacerdote Maximo, unà & Magno Concilio fiebat recursus ad eundem Summum Pontificem, quatenus ipsi soli erat Divinitus concessum, ut semel in anno ingressus Sanctuarium, posset consulere Dominum, vel ex *Thummim* & *Vrim* reportare Divinum Oraculum. Qui proinde ad Summum Pontificem recursus non erat de uno Iudice inferiori ad alium superiorem Iudicem, sed ad eundem, quà diversis à Deo dotatum prærogativis, nec adeò *strictè loquendo*, poterat dici appellatio.

20. Pari proportionaliter ratione contingere potest, imò de facto contigit circa hæresin à Luthero excitatam, cujus falsa dogmata primitus erant Romæ damnata à Leone X. Pontifice Maximo, at cùm ista condemnatio haud proficeret, sed hæresis latiùs diffunderetur, à Regibus & Principibus facta est instantia, ut Papa congregaret Concilium Oecumenicum. Cur hoc? Non eâ quidem ratione, ut Concilium sinè Papa, ceu Capite definiret, & ultimatam proferret sententiam, sed quia Summus Pontifex, per cujus authoritatem unicè stat Concilium *formaliter* & *completè* Oecumenicum, est quidem Petra, cui superstruitur ædificium Ecclesiæ, habetque sibi à Christo collatas claves Regni cælorum cum *indefinitâ* ligandi & solvendi in terris potestate: in vi cujus potest *authoritativè* super fidei dogmatibus pronunciare Iudicij veritatem. Attamen præter istam prærogativam est ipsi Divinitus concessum privilegium, ut in nomine Christi, adeoque hujus vicariâ sibi propriâ authoritate, possit cogere Concilium Oecumenicum, in eoque munus Præsidis ac Iudicis exercere, ita tamen, ut ultimata, omnimodam & consummatam in sanctionibus fidei infallibilitatẽ obtentura sententia judicaria, neque ex solius Concilij suffragiorum majoritate, vel etiam uniformitate, neque ex solius Papæ arbitrio, sed ex utriusque consensu subsistere debeat. Quod adeò Concilij Oecumenici Sanctuarium ingrediendi, indeque prorsus infallibile, & consummatum super fidei quæstionibus judicium reportandi, privilegium singulare est Summi Pontificis præeminentia Divinitus constituta, non absimilis illi prærogativæ, quam Veteris Testamenti Pontifex habebat in Divino oraculo ex *Vrim* & *Thummim* reportando: ille ipse namque Summi Pontificis ad Concilij suffragia accessus & consensus est instar *Vrim* & *Thummim*, obtinens ex Christi Domini promisso consummatæ infallibilitatis omnimodam judicij certitudinem ac veritatem. Quando igitur à Summo Pontifice, ex suæ licet Apostolicæ authoritatis Cathedrâ, extra Concilium tamen pronuntiante, ad Concilium Oecumenicum, quà ipsummet Papam includens, atque adeò ad Papam ipsum, quà consentiendo Concilij suffragio, ultimatum omnimodæ & consummatæ ex Christi promisso infallibilitatis certitudine nixum judicium proferentem fit appellatio, nequit talis à Pontifice extra Concilium pronuntiante, ad Papam in & cum Concilio ex consensu utrinque præstito, ultimatè definientem recursus, *propriè loquendo* dici appellatio, cùm sit ab uno ad eundem, sub diverso tamen statu constitutum, & secundùm diversas à Christo constitutas prærogativas consideratum Iudicem.

PROBATIO I.

In qua refutatur Abulensis argumentum cum exemplis *ibidem* productis.

21. LIbenter equidem damus, Concilium Generale, quà *formaliter* & *completè* Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, esse ultimatum in Ecclesia tribunal circa fidei, aut morum sanctiones dogmaticas pronunciare potens. At in hoc sacro tribunali plerumque incipit judicium à quæstionibus *Facti*, quà conferendis cum quæstionibus *Iuris*, fidem, aut mores concernentibus. Id etiam, quod *Facti* est,

est, ejus quandoque conditionis est, ut importet statum causæ quoad personas, vel ipsam etiam substantiam suam spectatæ, duntaxat particularem, quandoque verò habet respectum ad Universalis Ecclesiæ statum publicum. Sub priori equidem causæ quâ particularis statu nefas prorsus foret, à sententiâ Summi Pontificis *juridicè* latâ provocare ad Concilium, quamvis illi, qui se læsum probare potest, facultas supersit, à Papæ judicio recurrere ad Papam meliùs informandum, qui tamen recursus nequit habere rationem appellationis eo ipso, quòd de uno minùs bene, uti prætenditur, informato ludice fiat recursus ad eundem meliùs informandum.

22. Quòd si *Facti* quæstio concerneret totius Ecclesiæ Bonum publicum, tunc equidem videri potest, à Papa minùs bene informato circa causam concernentem publicum Ecclesiæ statum, licere provocare ad Concilium *formaliter* & *completè* Oecumenicum, ceu ultimatum Ecclesiæ sanctæ tribunal, eo ipso tamen, quòd hujus sancti tribunalis quasi anima & forma sit Papæ authoritas Oecumenica, neque illius judicium definitivum, seu sententia ultimatè decisoria subsistat, nisi ex Papæ cum Concilij suffragiis majoribus consensu authoritativo, Conciliarisque adeò decreti authorizativo accessu, nequit talis à Papa extra Concilium statuente, ad *completè* Oecumenicum, ipsummet Papam ut sic *formaliter* includens Concilium, provocatio subire rationem *strictæ*, ac *propriè* dictæ appellationis.

PROBATIO II.

In qua discutitur vis oppositæ exceptionis, & super hac repositæ responsionis.

23. IN quæstionibus fidei, ubi Papa ex suæ Apostolicæ authoritatis cathedrâ protulit sententiam hæresis alicujus condemnatoriam, sed hâc non attentâ, malum hoc publicam perturbans Religionem serpit latiùs, non in Summo duntaxat Pontifice est obligatio recurrendi ad ultimum Ecclesiæ sanctæ tribunal, & Concilium Oecumenicum, pro adhibendo remedio adversùs sanctæ Ecclesiæ pacis perturbatores: sed insuper in ejusdem sanctæ Ecclesiæ Præsulibus, uti etiam in Christianis Principibus, præsertim Regibus ad Ecclesiæ universale Bonum procurandum, vel ex Christiano charactere, vel ex juramento, vel etiam ex muneris & characteris Episcopalis *intrinsecâ* ratione stat jus & obligatio urgendi Papam ad celebrandum Concilium Oecumenicum. Quæ proinde erga Papam pro Synodo Oecumenicâ instantia, licèt in vi præinsinuati luris fiat, sicque interponi fortassis contingat quædam à Papa extra Concilium decernente provocatio ad Concilium Oecumenicum, quâ ipsummet etiam Papam *formaliter* includens, attamen *ex antecedenter* dictis constat, nullatenus subire posse *strictæ* appellationis rationem.

24. Pari adeò modo ad finem Concilij Constantiensis fuit interposita appellatio à Papa ad futurum Concilium, casu, quo Pontifex Maximus noluisset decreta fidei *Conciliariter* concluſa suæ authoritatis accessu, & consensu approbare, & authorizativè confirmare. Ubi namque decreta fuerant *Conciliariter* concluſa, ad sui firmitatem & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto, itaindigebant Papæ consensu authorizativo, ut ad hunc à Papa exigendum jus esset tum Concilio *acephalicè* adhuc spectato, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus universis. Quòd si proinde Papa hunc decretorum Conciliarium authoritativum consensum suum non tantùm denegâsset, sed, si quæ à fidei veritate fuissent discordantia, *positivè* reprobâsset, tunc decreta ejusmodi prorsus nulla & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consensum sanctionum Synodalium authorizativum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspenso, quamdiu non esset eisdem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio, quamdiu hæc non accederet, *acephalico*, tum Præsulibus Ecclesiæ jus erat semper integrum, apud Papam instandi pro tali consensu: & dum iterum iterumque suspenderetur, causam pertrahendi ad futurum Concilium, ut in eo caperetur experimentum, vel de conjungendo utriusque Concilij & Papæ consensu, vel de hujus *positivâ*, sicque decretorum annullativâ reprobatione. Iuxta quem adeò modũ illa sub Constantiensis Concilij finem interposita hypothetica, à Papæ gravamine, dum scilicet nollet suum authorizativum consensum decretis *Conciliariter* factis adjungere, ad futurum Concilium appellatio nihil aliud importabat, quam instantiam recursûs ad futurum Concilium, ad efflagitandum mutuam & Concilij & Papæ super Conciliaribus decretis consensionem, ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cujus adeò appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij, præsertim *acephali*, super Papa superioritatem.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur.

ARGUMENTUM I.

In quo per sacrorum Canonum, ac Theologorum authoritates ostenditur, ita esse Papæ authoritatem judicandi de omnibus, ut nulli, nec adeò Concilio *acephalo*, liceat judicare de ejus judicio.

25. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 7. n. 1.* ad hoc probandum, inducit sacros Canones ex Gelasij rescripto *in Cap. Cuncta. 9. q. 3.* & *Cap. Ipsi. 9. q. 3.* Item ex S. Bonifacij Martyris litteris *Cap. Si Papa. dist. 40.* Nec non ex Concilij Sinuessani ad Marcellinum Pontificem responso, per quod idololatriæ à Summo Pontifice patratæ, & ad illius Concilij judicium

delatæ punitio non arrogabatur à Synodo, sed ad ipsius Pontificis arbitrium referebatur.

26. Adjungit idem Author Theologorum in hanc rem sententias, inter quos facilè princeps S. Thomas *lib. de Pot. q. 10. art. 4. ad 13.* ita disserit: *Ex Gestis Chalcedonensis Concilij habetur primò, quòd sententia Synodi à Papa confirmatur: secundò, quòd à Synodo appellatur ad Papam: tertiò, quod à Papa ad Synodum non appellatur, ut habetur ex gestis Concilij Ephesini.* Similia fusiori quodam stylo tradunt B. Augustinus Triumphus *de potestate Ecclesiastica q. 6. art. 1.* B. Antoninus *in Sum. tit. 23. cap. 3. §. 3.* item Duvalius Doctor, & Theologus Sorbonicus *lib. 4. q. post.* Nec non S. Bernardus *epist. 213.* quorum verba videre licet apud *præcitatum* Authorem *Regalis Sacerdotij.* Quandoquidem igitur Papæ judicium ejus sit authoritatis, ut ab eo nefas sit, appellare ad Concilium præcipuè *acephalum*, consequens est, huic nullam esse super Papâ superioritatem, sed è contrario cùm à Synodo appelletur ad Papam, huic esse super Concilio superioritatem.

Exceptio.

27. Excipi potest ex parte adversâ. Si pro casûs etiam præsentis statu Summus Pontifex super ipsissimâ hâc Papæ supra Concilium *acephalum* superioritate ferret sententiâ decisoriam, Clerus verò Gallicanus se gravatum prætendens, appellaret ad futurum Concilium, numquid illa Papæ sententia subijcienda foret judicio Generalis Synodi eapropter congregandæ, ad ultimatum judicium super illâ Papæ sententiâ ferendum? At numquid ex hoc aliqua Concilij super Papam, ejúsve judicium superioritas videretur evincenda?

Responsio.

28. Casu, quo appellatio fieret ad Concilium *acephalum*, non esset in hoc reperibilis ulla præeminentia, nisi quæ subsisteret ex jurisdictionum Episcopalium ad universale etiam Ecclesiæ Bonum ex natura sua *intrinsecè* coordinatarum in unum collatione. At verò sicuti Papa super singulis Episcopalibus jurisdictionibus habet authoritatẽ superioritatis, sic quia hisce in unum collectis, quamdiu eisdem non accedit Oecumenica Papæ authoritas, nulla ex Dei verbo noscitur supervenire altior quædam prærogativa *Divino jure* sancita, superexcedens Papæ authoritatem Oecumenicam, ideo appellatio à sententia Papæ ad tale Concilium *acephalum* esset à superiore ad inferiorem, nullius adeò valoris, quinimò sacræ Pontificiæ Majestatis aperta temeratio.

29. Nec juvaret, etiamsi supponeretur, quod tamen verum non est, *illas Episcopales jurisdictiones in unam Synodum Generalem acephalam collatas, esse* immediatè *a Christo in singulis etiam Episcopis, essèque adeò Iuris* Divini, *super quas nulla proinde Summo Pontifici competere posset authoritas.*

30. Hoc, inquam, posito, sed minimè dato, dicendum adhuc foret, saltem *moraliter* jurisdictionum ejusmodi Episcopalium usum contineri adhuc sub illo quocunque ad regnum cælorum in terris ordinabili *morali*, super quo Christus Petro, ejusque Successori contulit superioritatis præeminentiam, nec adeò talium jurisdictionum in unum etiam Concilium *acephalum* collatarum usus *moralis*, atque adeò quodcunque ex tali Concilio promanans judicium prævalere posset Papæ judicio, sed hujus tanquam Superioris sententiæ deberet prorsus subjacere. Quare ex hoc etiam capite Concilij *acephali* super Papæ sententiam prætensum judicium, in vi supereminentis Pontificiæ authoritatis esset nullum & invalidum. Si equidem pro casu præsuppositio, Clerus Gallicanus à Summi Pontificis sententiâ provocaret ad Generale *completè*, ac *formaliter* Oecumenicum Concilium, tunc equidem Papa, cui est commissa universalis cura, ex vi sui officij obstringeretur ad procurandum consummatum ex Concilij quâ *formaliter* Oecumenici definitivâ sententiâ causæ ultimatè determinativum judicium, quia tamen hæc consummati & ultimati judicij ratio, secundùm Christi præscriptum, non subsisteret, nisi ex Papæ consensu Conciliaris sententiæ authorizativo, ideo in tali casu non esset dicendus fieri recursus ab inferiore judice ad superiorem, sed à Papa extra Concilium statuente ad eundem Papam, quâ in Concilio Oecumenico vi sui authoritativi consensûs authorizare potentem Conciliare judicium; veluti patet *ex antecedentibus.*

ARGUMENTUM II.

Quo ostenditur ex antiquo Ecclesiæ usu & praxi, non à Papa ad Concilium, sed à Concilio ad Papam fuisse interpositas appellationes.

AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 1.* probat, à Concilio Universali ad Papam appellari tum *ex Cap. Ipsi sunt.* & *Cap. Patet. 9. q. 3.* & Gelasij 1. *epist. 13.* Nec non Synodi Sardicensis, ejusque Oecumenicæ sub Iulio Pontifice, & Imperatoribus Constante, atque Constantino, anno 346. in causa Athanasij celebratæ *Can. 3. & 4.* aliàs 7. Tum ex Synodi Nicænæ *Can. 18.* sancientis: *Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus causis criminantur, liberè Apostolicam Sedem appellent &c.* Tum ex B. Leonis *epistola 87. ad Episcopos Galliæ*, nec non ejusdem *epistolâ 23. ad Theodosium Augustum*, ubi hic Pontifex Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino II. Generali appellantem ad Sedem Apostolicam recipit &c. Tum ex sententijs Patrum ac Summorum Pontificum. S. Antonini *3. par. tit. 22. cap. 6. §. 20.* Sixti Papæ *Canone Si quis. 2. q. 6.* Marcelli Papæ relati *in Cap. Ad Romanam. 2. q. 6.* Zephyrini Papæ *Canone Ad Romanam. ibi. 6.* Iulij Papæ *epist. Ad Eleutherium* relatâ *Cap. Qui se sit. ibi.* & Nicolai Papæ relati *in Cap. Regula. ibidem.* Nec non S. Bernardi *lib. de consid. cap 2.*

Ex-

Exceptio.

32. EXcipi potest ex parte adversâ. Hunc ad Papam appellandi morem, vel Papæ erga Ecclesias procedendi modum authoritativum, non fuisse semper probatum Antiquitati. Sic enim cùm Victor Papa Ecclesias Asiaticas, ob decimam quartam lunam, & non diem Dominicam Paschatis celebrationi destinatam, à Communione excludendas duceret, eidem obstitisse Episcopos Gallicanos: sic Concilium Carthaginense anno 419. cùm Romanus Pontifex per suos Legatos prætenderet transmarinas ad Sedem Apostolicam appellationes, producto Sardicensi Canone, Concilij Nicæni nomen præferente, obstitisse hujus prætensioni, rejecto etiam illo, qua Synodo Nicænæ appropriato Canone, atque ad Pontificem in hæc rescripsisse verba: *Itaque ne velitis permittere, ut fumosum mundi fastum* (prætendendo appellationis ultimatum tribunal) *in Christi Ecclesiam inducere videamini.*

Responsio.

33. DIstinguere inprimis, oportet, circa hoc, quòd Pontifex Romanus aliquando redargueretur vel de errore *Facti*, vel de imprudentia ac indiscretione, & inter istud, quòd Antiquitas, attamen Orthodoxa, falsò prætendatur aliquando redarguisse Papam de prætenso jure appellationis ab alijs Ecclesijs, vel etiam Concilijs Generalibus, sed qua *acephalus*, ad suam Apostolicam Sedem interponendæ. Constat namque ex Eusebio *cap. 25. & 26.* neque Irenæum, neque alios Episcopos Gallicanos arguisse Victorem de usurpatione jurisdictionis sibi non competentis. Quinimò Irenæus illam Victoris sententiam, ceu indiscretam, & commodis Ecclesiæ minùs convenientem asserendo, præsupponebat in ipso legitimam jurisdictionis authoritatem. Etsi verò Pauli Petro in faciem ex aliquo *Facti*, non autem *Iuris* errore venialiter culpabili resistentis exemplum secuti Episcopi Gallicani, Victorem, quasi excommunicationis gladium consilio minùs maturo imprudentiùs strinxisset, litteris objurgarint, in hoc ipso tamen fuisse deceptos, tempus postea revelavit, quo compertum est, sub illo Paschatis decimâ quintâ luna celebrandi ritu latuisse Iudaismum à Blasto latenter introductum, uti patet ex Tertulliano *de præscript. in fine.*

34. Deinde quando Legati Pontificij in Concilio Carthaginensi Canonem Synodi Sardicensis allegabant sub nomine Concilij Nicæni, id optimo jure faciebant. Etenim Sardicense trecentorum, septuaginta sex ex triginta sex Provincijs universi orbis Christiani congregatorum Episcoporum Concilium, æquè ac Nicænum, fuisse Oecumenicum ac legitimum, constat ex sancto Athanasio *in princ. Apol. 2.* Augustino *Epist. 162.* Sulpitio *lib. 2. sacræ hist.* Socrate *lib. 2. cap. 16. hist. Eccles.* ac ex actis Concilij *præsertim in fine*: nec adeò aliquis authoritatis majoris fucus fieri potuisset, etiamsi Canon à Sardicensi Concilio editus sub nomine Nicæni Concilij esset allegatus.

35. Et verò Concilium Sardicense nullibi ponitur seperatim à Concilio Nicæno, sed post illud *secundo* loco statim numeratur Constantinopolitanum. Quæ igitur hujus est ratio? nisi quia Sardicensis Synodus cum Nicænâ censetur una & eadem, partim quia utrique interfuerint ijdem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicensi Concilio constituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmârint, ejusque Canones duntaxat explicârint; partim quia Canones utriusque Concilij Sardicensis nimirum ac Nicæni in Romanâ Bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco convertit, quodque etiamnum adhuc Atrebati in Monasterio Sancti Vedasti extat, ita conjuncti habeantur, quasi unius Concilij Canones essent, *ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.*

36. Falsum porrò est, quòd Concilium Carthaginense anno 419. celebratum, appellationes transmarinas ad Sedem Romanam simpliciter improbârit, seu rejecerit. Nam appellationes Episcoporum à Concilio Provinciali ad Sedem Romanam fuisse illo etiam tempore ab Ecclesiâ Africanâ ratas habitas, constat ex sancto Augustino *Epist. 162. & 261.* In quorum priori dicitur, jus fuisse Carthaginensi Episcopo, ad Romanam Ecclesiam, *in quâ semper viguerit Apostolicæ Cathedræ principatus*, provocare, causamque suam ibi dicere. In posteriori autem recensentur aliquot exempla appellationum ab Episcopis Africanis ad Sedem Romanam interpositarum, & ab hac sanctâ Sede judicante, vel judicia primæ instantiæ (uti Augustinus *citatus* loquitur) firmante terminatarum. In quâ porrò epistolâ hic sanctus Ecclesiæ Doctor apertis verbis defert appellationis causæ ad Sedem Romanam interpositæ.

37. Fucus præterea fit, ac si Concilium Carthaginense suas ad Papam litteras ita concludendo: *Itaque ne velitis permittere, ut fumosum mundi fastum in Christi Ecclesiam inducere videamur*, per hoc prætenderit, talem *mundi fumosum fastum* sub ipso ad Sedem Apostolicam appellationis asserto jure contineri. Ex sancti namque Augustini *epistolâ 161.* constat, quòd, ubi Antonius Fussatensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellâsset, causamque suam ibi egisset, rumor sparsus fuerit, de ipso per publicam militaris manûs à Pontifice submittendæ potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumosum (ut Concilium Carthaginense ad Cœlestinum Papam scripsit) sive tanquam violentum (uti Augustinus *citatus* scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ex hoc ipso clarè constat, jus appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicabat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

38. Verum quidem est, Patres Africanos apud Concilium Carthaginense *c. 105. ad Cœlestinum Papam* sic scripsisse: *Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia (sicut te dignum est) repellat Sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc derogatum est Africanæ Ecclesiæ.* In quibus adeò verbis videtur alludisse ad Canones 14. Sardicensis, 15. Antiocheni Concilij.

39. In quibus proinde Canonibus non interdicitur appellatio Episcoporum ad Romanam Sedem, sed inferiorum duntaxat Clericorum. At eo ipso, quòd Episcoporum appellatio ad istam Sedem semper obtinuerit, eatenus hinc concluditur Romani Pontificis principatus, ut ipso tamen contentiente, ob incommoda ex quorumvis, etiam inferiorum ad sanctam Sedem recursu in provincijs transmarinis facilè oritura, fuerit permissum, ut Presbyterorum, ac reliquorum Clericorum causæ, salvo tamen jure Pontificio, ultimatè terminarentur a Metropolitanis, vel Synodis Episcoporum.

CONCLUSIO.

40. NOn à Papa ad Concilium, sed à Concilio *acephalo* ad Papam appellandi jus, atque adeò Romani Pontificis supra Synodum *acephalicè* sumptam superioritas ex ipsismet fidei principijs demonstrari potest.

Explicatur & probatur. Sixtus IV. equidem Pij II. constitutioni (de qua *infrà* dicetur) insistens, excommunicationis sententiam protulit in illos, qui a Papa appellarent ad futurum Concilium, sequentibus innixus fundamentis. Tum *quòd de minoribus ad majores judices duntaxat appellare permittat authoritas, & propterea inhibeat, ab Imperiali, & Prætorio judicio appellari*: tum *quòd non homo, sed is solùm, qui solo verbo fecit cælum & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulerit universis etiam Concilijs, quæ ab ea robur accepisse, sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium Fausto Legato scribens, diem ait; Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nunquam appellari debere, & ipsam de tota Ecclesia judicare, de ipsius autem judicio nunquam judicari senserunt &c.* Unde inferebat idem Pontifex: *Omnes qualitercunque appellantes à Romano Pontifice &c. ad non indictum, nec congregatum Concilium appellare præsumentes, aliud Caput in Ecclesia Dei constituere, ac imaginarium majus, sublimiusq; tribunal confingere contra Apostolum dicentem*: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod Christus instituit, *sicque sanctæ Sedis primatum negare, Ecclesiæ unitatem dividere, non unum solum privilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuam & principalem dictæ Sedis authoritatem, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum sulcit authoritas, penitus subvertere &c.*

41. Quæ proinde fundamenta in formam syllogisticam reducendo, hanc conficiunt argumentationem Theologicam. Nempe appellatio secundùm naturam suam est provocatio à minori ad majorem Judicem. At Sedes Apostolica ex institutione illius, qui solo verbo fecit cælum & terram, habet jus prælationis super universis Concilijs, utpote quæ ab ea robur accipiunt, suosque Canones ad ejusdem Sedis examen deferri voluerunt. Ergo præsumentes appellare à Romano Pontifice ad Concilium non indictum, nec congregatum, constituunt aliud Caput in Ecclesia Dei, majusque ac sublimius fundamento per Christum posito confingunt tribunal, sicque negant Sedis sanctæ primatum, adeoque dividunt Ecclesiæ unitatem, penitusque subvertunt principalem Sedis Apostolicæ authoritatem, quam & vox Christi, & majorum traditio, Canonumque fulcit authoritas.

In hisce Bullæ Sixtinæ verbis apprimè videtur 42.
considerationedignum, quòd, si appellatio a Romano Pontifice fiat ad non indictum, neque congregatum Concilium, videatur aliud præter Summum Pontificem præsumptuosè in Ecclesia Dei constitui Caput, atque confingi tribunal majus Petri cathedrâ, sicque subverti Sedis Apostolicæ principalis authoritas. Quid ergo specialis energiæ est in hoc, quòd *appellatio hujuscemodi interponatur ad non indictum, neque congregatum Concilium?* An si hoc fuerit de præsenti coadunatum, fas erit, à Summo Pontifice ad illud appellari? An non, si hoc saltem liceret, sublimius jam Sede Apostolicâ tribunal prætenderetur?

Verùm si vel indictum, vel aggregatum sit 43.
Concilium Oecumenicum, jam intervenit Apostolica authoritas, ceu forma & anima Synodi quà *formaliter* Oecumenicæ. Quòd si ergo ad Concilium tali modo indictum provocetur à Papa, non jam ab inferiori fit appellatio ad majorem, sed Papæ expostulatur authoritas, quà forma Oecumenici Concilij, nec aliud in hoc agitur, nisi, ut quæ Papæ authoritas extra Concilium decrevit, eadem sub altiori Divinitus constitutâ præeminentiâ, Papæ unà & Concilij consensioni authorizativæ annexâ, imploretur ad effectum omnimodæ & consummatæ per Christi promissum infallibilitatis in fidei dogmatibus obtinendum. Num igitur dicere fas erit, quòd solennissima illa singulis annis in Bulla Cœnæ promulgari solita excommunicatio adversùs illos, qui à Papa appellant ad futurum Concilium, locum habere posset in eo, qui post Papæ super controverso fidei articulo decisionem extra Concilium factam, non aliâ intentione, ac verborum expressione provocaret ad futurum non *acephalum*, sed authoritate Papæ indicendum ac celebrandum, continuandumque Concilium, quà *plenè & formaliter* Oecumenicum, quàm ut per Papæ cum Synodo ejusmodi Generali consensionem authorizativam obtineretur ultimata & consummata veritatis circa dogma definitum infallibilitas? In hoc sanè statu, sicuti non interveniret propriè dicta à Papa ad futurum Concilium appellatio, sic difficile foret asserere, talem provocationem subesse prætactæ excommunicationis censuræ, dum præ-

præsertim fieret debitâ cum submissione, vel cum expressione infallibilitatis consummatæ sic obtinendæ, vel sub allegatione publicæ pro Religionis sanctæ pace utilitatis, seu necessitatis.

PROBATIO I.

In hac ostenditur, ex quo sacræ Scripturæ fundamento *appellationes à Papa ad futurum Concilium* à Pio II. in Bulla *Execrabilis* condemnentur tanquam erroneæ, ac detestabiles.

44. Hic Pontifex Maximus in dicta Bulla *Execrabilis* dicit, spiritu rebellionis imbutos esse, qui à Papa ad futurũ Concilium appellare præsumunt. Hujus autem dicti sui rationẽ profert ex hoc, quòd Romano Pontifici Christi Vicario dictum sit in persona B. Petri: *Pasce oves meas, &c. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ex quo adeò Christi verbo elucescit, nihil esse super terram *morale* in regnum cælorum ordinabile, quod non subsit superioritati Romani Pontificis. Quamvis proinde character Episcopalis, unà cum vi Corporis & Sanguinis Christi consecratoriâ, nec non unà cum *radicali* jurisdictione Pastorali in eo charactere contentâ, utpote qui sit *immediatè* à Christo, non sit de illo quocunque super terram Summi Pontificis superioritati subjecto *Morali*, attamen ejusdem usus, quà *moralis*, superinduit conditionem superioritati illi subjacentem. A fortiori autem talis subjectionis conditionem subit omnimoda Episcopalis jurisdictio *formalis* & *actualis*, utpote derivata à Papa, & multò magis ejus etiam *collectim* sumptæ, & ab universi Christiani orbis Episcopis in unum collectæ in Concilio *acephalicè* spectato exercitium *morale*, utpote quod nullatenus dici potest esse *immediatè* à Christo, sed evidenter continetur sub illo quocunque super terram in Regnum cælorum ordinabili *Morali*, supra quod protenditur illa Romani Pontificis ad ligandum & solvendum potestas *indefinita*.

45. Quamvis porrò consummatæ infallibilitatis præeminentia Concilio *formaliter* atque *completè* Oecumenico per Christum asserta, sit *immediatè* à Christo, nec adeò possit ut sic subesse Romani Pontificis superioritati, eo ipso tamen, quòd ea infallibilitas nonnisi Duobus, nempe Capiti & Corpori Ecclesiæ hierarchico, quà intrà Concilium Oecumenicum consentientibus sit promissa, ex parte sui subsistrati jam involvit illam Papæ superioritatem. Quamvis insuper Concilio Oecumenico etiam Divinitus competat *indefinita* ligandi, & solvendi potestas, compar Papali Oecumenicæ authoritati, attamen decreta Conciliaria *moralia* inde promanantia, sicuti sunt de illo quocunque in Regnum cælorum ordinabili *Morali*: sic subjacent etiam Pontificis Maximi superioritati in tantum, ut ejusmodi morum decreta solus etiam Pontifex secundùm rerum exigentiam mutare, dispensare, vel etiam abolere valeat: sicuti etiam Pontificiæ leges *morales* ex vi illius universalis Concilio, quà Oecumenico per Christum collatæ authoritatis possunt quidem immutari, eo ipso tamen, quòd hæc etiam Concilij Oecumenici, non nisi ex Capite & hierarchico Ecclesiæ Corpore subsistentis authoritas, ex parte sui substantialis substrati involvat Papæ super omne in terris *Morale* superioritatem, illi Concilij quà Oecumenici potestati *indefinitæ* comparem, nequit jam Concilio, quà *completè* etiam ac *formaliter* Oecumenico attribui *strictè* sumpta erga Papam superioritas. Quare ejusmodi quoad superioritatis præeminentiam inter Papam & Concilium comparatio, nequit habere locum respectu Concilij *completè* Oecumenici, sed quà *abstractivè* saltem *acephali*. Ut sic autem nihil est assignabile in Concilio ejusmodi, quod *immediatè* sit à Christo, præter characteres Episcopales cum vi eisdem congenitâ, sed quæcunque *actualis* jurisdictio, & à fortiori quodcunque Synodale decretum, sunt de illo quocunque *Morali*, super quo protenditur Papæ superioritas, clarè ac liquidè asserta Christi verbis per Pium II. pro suæ constitutionis fundamento positis. Adversùs hæc igitur Christi verba, & hisce assertam Papæ superioritatem meritò dixit Pius exeri spiritum rebellionis ab illo, qui à Pontifice Romano appellat ad futurum Concilium.

PROBATIO II.

Dèsumpta ex hoc, quòd Papa sit *immediatus & proximus* Christi Vicarius.

46. IN ipso namque Concilio Constantiensi *Sess. art. 37.* inter alios Wiclefi errores damnatur iste quoque articulus: *Papa non est immediatus Vicarius Christi.* In quo Synodus ista consonat cum Nicæni Concilij *Canone 59.* inter octoginta Arabicos relato *to. 1. Concilior. post Acta Nicænæ Synodi.* ubi excommunicationis censurâ notatur, qui negaverit, *Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam.* Ex quo proinde fidei principio ita licet argumentari. Quòd potestas Ecclesiastica est propinquior Christo, eò noscitur esse superior. At eo ipso, quòd Romanus Pontifex sit *immediatus & proximus* Christi Vicarius, nequit ulla dari in terris authoritas Ecclesiastica, quæ sit Christo propinquior, neque adeò ulla in terris potestas potest esse superior Apostolicâ Papæ authoritate, sed fateri, oportet, eam, sicuti est *immediatè* à Christo, atque hujus Vicaria, sic esse supremam. Atqui appellationis natura est, esse provocationem ab inferiori Judice ad superiorem. Quia igitur Christi Vicaria in Papa potestas est *immediata & proxima* Christo, sic ab ea non datur ulla appellatio *strictè & propriè* sumpta, ad ipsam verò à quocunque in terris constituto Judice Ecclesiastico appellationem admittere, oportet.

Corollarium.

47. EX dictis infertur 1. Concilium Constantiense principio per semetipsum sancito *de Vicaria Christi erga hunc proximâ & immediatâ Papæ assertâ authoritate*, haud conformiter acturum fuisse, si, quam Concilij, præsertim *acephali*, prout se habebat in eo statu, super Papa superioritatem adstruere videbatur, intelligendam voluisset non de dubio duntaxat, sed etiam certo ac indubitato Papa, utpote de quo, juxta fidei articulum ab eadem Constantiensi Synodo sancitum, oporteret credere, esse Christi Vicarium *immediatum*, nulliqúe adeò, qui Christo posset propinquior esse, superiori subordinatum. Ne proinde Constantiense Concilium sibimet contrariari videatur, accuratiùs expendenda sunt ejusdem decreta, quibus Concilij super Papam superioritas adstruitur; prout sequentibus disquisitionibus enitemur hoc punctum enodare.

48. Interea *pro secundo* visum est operæpretium, hîc præmittere, quæ Author *tract. de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 15.* ad præsentis operis nostri institutum solidè exposuit. Duplici, inquiens, præcipuè ratione impugnabat Eugenius IV. hujus Synodi de Conciliorum generalium authoritate Decreta. *Primâ*, quòd dubia esset eorum authoritas. *Secundâ*, quòd ad tempus schismatis restringenda essent. Utramque improbant Illustrissimi Præsules Comitiorum Parisiensium his verbis; *Nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint authoritatis, ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorqueant.* Sed nunquid etiam Comitijs Cleri Gallicani inferior est authoritas Papæ, ac illorum potiùs, quàm Summi Pontificis sequenda sententia?

49. Eugenius igitur Decreta, de quibus est quæstio, hâc inprimis ratione non valere, contendebat, quòd ab una tantùm obedientiâ fuissent facta, id est, à Prælatis Joanni XXIII. obedientibus, quod affirmat etiam Cardinalis à Turrecremata, de rei veritate optimè instructus, ac gestorum ex parte oculatus testis, & pro suo merito fide dignus. Rem narrat his verbis, *Summâ de Eccles. lib. 2. cap. 99. Notandum, quòd Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit.* Primum *fuit, in quo sola obedientia præfati Joannis Balthasar Constantiæ convenerat.* Secundum *tempus fuit; in quo Angelus Corrarius vocatus, in obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens, præfatæ Congregationi se sub certis modo, & formis conjunxit.* Tertium *tempus est, in quo Reges, & Principes, & Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato, in obedientia sua per suos Oratores, novâ convocatione Concilij, se unierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentes in Minoribus constituti, pro quo solo tempore convenientibus omnibus simul tribus obedientijs, fuit certum dicere, quòd universalis Ecclesia repræsentativè congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quòd sola obedientia Joannis faceret Concilium universale, universalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, & scandalosum alijs duabus obedientijs. Tertiò ea, quæ inducuntur de Decretis Concilij Constantiensis, non militant: quoniam authoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorij, & Benedicti apertissimè contradictione in plenâ Congregatione se opposuerunt, & eorum contradictio fuit accepta.* Subjungit *infrà* idem Cardinalis; *In illorum determinatione non modò non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantùm, scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ, illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipsâ in suâ obedientiâ vocatus Joannes XXIII. quoniam cùm post recessum suum à Constantia, Scaphusæ constitutus, audiret præfatam declarationem conclusam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de Colavilla, alijsque eorum collegis, amaro animo conqueſtus est, falsa quædam, & erronea adversùs authoritatem Summi Pontificis Romani decreta per æmulos suos post recessum ejus esse conclusa, &c.* Quæ omnia confirmantur ab alijs Scriptoribus, & ab actis ipsius Concilij Constantiensis, in Bibliotheca Vaticana extantibus, quorum summam in lucem nuper emisit doctissimus vir Emanuel Scheistrate.

Cæterùm quoniam Illustrissimi Antistites 50.
Parisienes hæc decreta à Sede Apostolica comprobata dicunt, quod præcipuè de Martino V. intelligendum videtur, qui depositis à Concilio Constantiensi tribus Pontificibus, inter se de Pontificatu contendentibus, Pontifex creatus est, & ab omni Ecclesia pro vero, & legitimo acceptus; videndum est, quæ fuerit ejus de his decretis mens. Sed priùs observandum est, etiamsi Concilium Constantiense legitimum non foret, Martinum nihilominùs legitimum fore Pontificem, quippe cùm Joannes, & Gregorius Papatui renunciârint, ut patet ex Actis Concilij Constantiensis *Sess. 12. & 14.* & Gregorius ante decesserit, quam Martinus V. deligeretur, ac deinde Clemens VIII. Benedicti Successor eidem Martino cesserit. Præterquàm quòd ex authoritate Concilij ad tollendum schisma, non ritè, cùm sit exceptio regulæ generalis, infertur authoritas *indefinita* supra Papam in omnibus casibus.

Ut autem ad Martinum V. redeamus, pro- 51.
hibuit ille appellationes ab Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, ut testatur Joannes Gersonius tractatu, *Quando, & an liceat à Summo Pontifice in causis fidei appellare, seu ejus judicium declinare.* Quæ sanè prohibitio absona fuisset, si Concilij judicium judicio Papæ superius existimasset. Quis enim judicem non derideat, à suâ sententiâ ad judicem superiorem appellari vetantem in ijs causis, in quibus alius est re verâ judex superior. Fuit autem promulgata illa Martini V. Constitutio in Consistorio generali celebrato Constantiæ sexto Idus Martij, anno primo, id est, ante finem Concilij, quòd terminatum est 10. Kalendas Maij anno 1418. etiam Pontificatûs primo, & à Pontifice approbatum: quæ confirmatio

in

in actis refertur his verbis; *Sanctissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta* (scilicet de condemnatione libelli Joannis Falkemberg) *quòd omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere, & observare inviolabiliter volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsáque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo, & illud idem iteratò fecit dici per organum Domini Augustini de Pisis Fiscalis, & sacri Consistorij Advocati prædicti, qui nomine Papæ à Prothonotarijs, & Notarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis, & deputatis petijt instrumenta publica fieri.* Quorsum autem verba illa, *& non aliter, nec alio modo*, nisiut Decreta, illa, quæ, ut *suprà* vidimus, à sotis Prælatis obedientiæ Joannis XXIII. nec etiam ab illis omnibus, edita fuerant, probare non videretur?

52. Verùm licèt illa Concilio generali adscriberentur, & quæ à Martino V. aut Eugenio IV. in genere dicta sunt, ad hæc, de quibus specialis, imò specialissima facienda fuisset mentio, referri possent; non tamen extra casum schismatis, de quo tunc erat quæstio, aut hæresum, de quibus accusabantur Pontifices contendentes, ad alios casus essent detorquenda; quæ altera erat Eugenij ratio. Nec enim ibi generaliter statuitur, omne Concilium generale in omni casu supra Pontificem authoritatem habere, sed tantùm Concilium Constantiense, & alia generalia, quæ ob eandem causam congregari opus esset. Hæc enim sunt verba Concilij Constantiensis. *Sess. 5. In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & unione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & membris, ad laudem Omnipotentis Dei, & in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs unionem, & reformationem Ecclesiæ, ordinat, diffinit, decernit, & declarat, ut sequitur. Et primò declarat, quòd* Ipsa *in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscumque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur* in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, *& reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris.*

53. *Item declarat, quòdquicumque, cujuscunque conditionis, statûs, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut* præceptis hujus sacræ Synodi, *& cujuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati* super præmissis, sive ad ea pertinentibus, *factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.* Idem ijsdem ferè verbis statuitur *Sess.* 4. Notanda sunt illa verba *ipsa* (scilicet Synodus Constantiensis) *in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis: Præceptis hujus sacræ Synodi: super præmissis, sive ad ea pertinentibus*, quæ Decreta illa circumscribunt, ac sinè limitatione intelligere vetant.

54. Testis est ipsemet Joannes Gersonius, tantùm ad Conciliorum generalium authoritatem constituendam fervens, sententiam de superioritate Papæ ad Concilium, non solùm ante, sed etiam post Decreta Concilij Constantiensis à multis fuisse propugnatam, quod evidens signum est, decreta illa, vel non esse Concilij verè generalis (alioquin enim à nemine Catholico revocarentur in dubium) vel in certo duntaxat casu locum habere. Si enim generalia essent, quis supereresset disputandi locus apud eos, qui à Concilio verè generali statuta crederent? *Fallor*, inquit Gersonius *de potest. Eccles. considerat. 12. si non ante celebrationem sacrosanctæ hujus Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum litterarum magis, quàm litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Hujus rei signum accipe, quia post declarationem, & quod urgentius est, post determinationem, & practicationem ejusdem sanctæ Synodi inveniuntur, qui talia passim asserere non paveant.* Rationem autem, cur huic sententiæ tantùm esset infensus; hanc insinuat *considerat. 10.* Quia scilicet, ut ipse arbitrabatur, eâ semper manente, perseverâsset semper schisma ab ea nutritum.

55. Ex quo conijcitur, de hoc tollendo malo cogitâsse, quotquot rectâ intentione Concilium Papæ anteferre studuerint. Cæterùm enim non solùm ante Concilium Constantiense, sed etiam posteà extiterunt magni nominis Authores, qui sententiam illam, Summum Pontificem Concilio subijcientem erroneam judicârunt. Non solus Cardinalis Bellarminus, qui *de Concilijs lib. 2. cap. 11.* hæc habet; *Concilium Basileense cum Legato Pontificis communi consensu statuit, Concilium esse supra Papam; quod certè nunc judicatur erroneum*; sed & alij quàm plures; ex quibus Franciscus de Sylvestris, vulgò Ferrarienſis, à patria nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Generalis, super S. Thomam *lib. 4. contra Gentes cap. 76. in fine* sic scribit; *Ex prædictis constat, vanam esse, & à fide Christianâ alienam opinionem dicentium, Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ecclesia authoritatem habere tanquam ab ipsa institutum*; quæ censura non solam ultimam propositionem afficit, ut patet ex probationibus; sequitur enim; *Nam manifestum est ex prædictis, quòd Christus ipse regimen Ecclesiæ instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quòd in Ecclesia Petrum, suum Vicarium, & Successores ejus instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros. Unde cùm dixit Petro*; Pasce oves meas; *præmisit interrogationem*: Simon Joannis diligis me plus his? *Vt ostenderet, se authoritatem Petro dare, ut distincto ab alijs discipulis præsentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba, ait, præterieus alios*, Petro loquitur, &c.

56. Doctrinâ, pietate, ac miraculis clarissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eandem doctrinam validè defendit *part. 3. Summæ tit. 23. de appellatione Papæ cap. 3. §. 3 fin. Sed nec ad Concilium generale à Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est: nec re-*

bur

bur habet, quidquid agitur, nisi authoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sentire ergo, quòd ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sic autem superiùs argumentatur; *Quicumque privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum auferre conatur, est hæreticus: Sed dicens, & tenens, quòd licet appellare à Romano Pontifice ad Successorem ejus, aufert privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum; ergo talis manifestè est hæreticus.* Et sic probat Minorem; *Quicumque sentit, Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & unicum Caput totius Ecclesiæ, auferre conatur privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum: sed quicunque à Papa appellandum sentit, sentit, Papam non esse summum, & unicum Caput Ecclesiæ, ergo, &c. Vnde sequitur quòd, quicumque hoc sentit: sentit contra articulum Nicænæ Synodi, ubi dicitur unam Sanctam Ecclesiam, quia Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Vnde &* Joan. 10. *dicit Christus.* Fiet unum ovile, & unus Pastor. *Si licitum esset appellare à Papa, & ille, ad quem appellatur, esset Caput. Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.*

DISQUISITIO VI.

An Concilij super Papam superioritas evinci possit ex Concilij Constantiensis decreto Sessione quartâ *edito?*

§. I.

1. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 16. n. 1.* sequentia ad præsens institutum consideratu digna ex Concilio Constantiensi profert decreta. *Primum* est ex *Sessione 4. & 5.* ubi definitum extat, Concilium Universale potestatem *immediatam* à Christo habere, cui quilibet, cujuscunque dignitatis, & conditionis sit, etiamsi Papalis, obedire teneatur. *Secundum* est ex *Sessione 15.* ubi Concilium variis honoribus afficit Gregorium XIII. eò quòd sponte renuntiasset Papatui, declaratque, eum gratijs & privilegijs à Concilio acceptis, nec à futuro Papa, nec à Concilio privari posse. *Tertium* est ex *sessione 39.* ubi Synodus præcipit futuris Summis Pontificibus, ut singulis decennijs Concilium generale cogant: &, si contingat, duos insignia Pontificalia induere, jubet sub interminatione Divinæ maledictionis, ut continuò renuntient, & nisi faciant, eos privat omni jure, quod ad Papatum haberent, inhabilesque reddit ad omnes in futurum dignitates. *Quartum* denique est ex *Sessione 45. sub initium.* ubi Oratores Regis Poloniæ, & magni Ducis Lithuaniæ Martino V. Pontifici supplicant, velit libellum quendam & opiniones Joannis de Falchenberg hæreticas, & in Concilio publicè damnatas declarare, nisi faciat, suorum Principum nomine se ad futurum Concilium appellaturos.

2. Hisce opponit *præcitatus* Author plura ex Concilio Constantiensi argumenta, ex quibus ostendi valeat, Synodum istam stetisse pro superioritate Papæ certi ac indubitati. Tum quòd Concilium istud, electo Martino V. nihil ampliùs, uti ante electionem, statuerit, definiverit, seu prohibuerit, sed omnia nomine electi Pontificis, ab eoque deinceps, sacro approbante Concilio, sint constituta, certo sanè argumento, Concilij potestatem, electo jam Pontifice, cessasse, & consequenter Concilium non esse supra Papam; cùm potestas superior, præsente minori, non cesset, sed hæc potiùs illi cedat. Tum quia *Sess. 15. & 17.* Pontifici futuro & indubitato reservatur potestas dispensandi in ijs, quæ à Concilio statuta sunt, relaxandique censuras ab eodem fulminatas. Et *Sess. ult.* expressè definitur, supremam in Ecclesia potestatem non esse penes Concilium, sed Papam, quod omninò foret falsum, si Papæ præferretur Concilium.

3. Exinde idem Author validè confutat, quæ in contrarium adducebantur, argumenta, ostendens allata *ex Sess. 4. & 5. ac 15.* non aliter accipienda esse, nisi *de casu schismatis, & Pontificis dubij*, quippe cùm Synodus, quoties de potestate Concilij supra Papam loquitur, semper restringat ad præsens Concilium quà processuum ad schismatis tunc grassantis extirpationem. Sic enim habetur *in Sess. 4. Hæc sancta Synodus Constantiensis, & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris fiendâ.* Et paulò post. *Et primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.* Et *in Sessione* 5. ita habetur: *Declarat Synodus, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite & in membris.*

Item declarat, quòd quicunque, cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjaciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris remedia, si opus fuerit, recurrendo. Vult ergo Concilium apertè innuere, se in casu tantùm schismatis, & Papæ incerti potestatem habere, cur enim aliàs toties, & tam constanter adjecit illam restrictionem: *In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis*, si extra casum schismatis, dubijque Pontificis, eam potestatem sibi vendicabat? Nec enim ignorabant Patres, inclusionem unius exclusionem esse alterius ex vulgatissimâ Juris regulâ. Videtur planè laborâsse Concilium, ut sæpius repetitâ eâdem restrictione, intel-

intelligeretur de superioritate in Papam non absolutâ, sed tantùm in casu excepto. Hinc in Bullâ Martini V. sacro approbante Concilio factâ, quæ habetur *Sess. ult.* inter alias propositiones, quæ suspectum aliquem hæresis Hussiticæ faciunt, etiam hæc ponitur: *Papa canonicè electus, non est successor Petri, nec habet in Ecclesia Dei supremam auctoritatem.* Agnoscit ergo Concilium supremam in Pontifice authoritatem, non autem suprema esset, si aliam haberet, cui subesset: tunc enim suprema potestas non Papæ, sed Concilij foret: sicut enim cælum Empyreum supremum dicitur, & ignis supremum elementum, & tectum suprema pars domûs; quia supra se aliud in genere suo superius non habent, ideo & suprema potestas in Papa, quia nulli subest: sicut etiam in Republica, qualis erat olim Romana, & statu Democratico, nemo dixerit, supremam potestatem esse penes Consules, aut Senatum, sed penes populum: in Aristocratia verò penes Senatum & Magnates.

4. Ad ea porrò, quæ ex dictæ Constantiensis Synodi *Sess. 39. & 45.* fuerunt in contrarium allata, prælegatus Author *in dicto §. 16.* respondet in hunc modum, statuisse quidem Concilium, singulis decennijs Concilia Universalia indici, sed nullo modo id futuro Pontifici imperare aut voluisse, aut potuisse: quamquàm in Concilio sit potestas, statuendi leges, quæ etiam Pontificem quoad vim *directivam* obligent; maximè cùm ordinantur ad observantiam Divini & naturalis juris, earumque transgressio pacem, quietemque publicam offendit: quâ ratione, quamvis nemo sibi subjectus sit, seque ipso inferior, communis tamen sententia habet, Principem suis legibus obligari. S. Thomas *1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.* Suarez *l. 3. cap. 35. de leg.* S. Ambros. *lib. 5. ep. 32.* & sumitur *ex Matthæi c. 23. Cap. Quæ contra. d. 8. Cap. Iustum. d. 9. Cap. Cùm omnes. De constitut. ff. Quod quisque juris. L. Digna vox. C. de leg. l. 23. De Legat. 3.* Ad appellationem à Papa ad futurum Concilium, nomine Regis Poloniæ factam, non potest melius responderi, quàm ipse Martinus V. responderit, ut habetur in Actis Concilij *Sess. 45.* cùm enim animadverteret, Legatos Poloniæ, & Lithuaniæ ex Synodi Constantiensis doctrinâ animos sic appellandi sumpsisse, ut ad ipsas radices securim poneret, continuò respondit: *Se, quæ in puncto fidei contra Wiclessum & Hussum à Patribus essent Conciliariter decreta, sanctè observaturum, & rata & confirmata habere: non verò, quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non Conciliariter, hoc est, cum debito examine, discussione, initisque suffragijs, essent definita.* Nec contentus Papa hæc appellantibus Legatis, & Concilio præsentibus respondisse, voluit insuper hanc suam protestationem, & responsionem in Acta publica Concilij referri, & ab ejusdem Concilij Notarijs, & Actuarijs solennia, & authentica instrumenta confici: & re ipsâ in Bullâ, Concilij confirmatoriâ, quæ ad calcem *ult Sess.* habetur, Martinus V. ex Actis in Concilio Constantiensi nihil aliud confirmavit, quàm damnationem errorum Wicleffi & Hussi à Patribus *Synodaliter* factam. In quo Martinus V. suorum Prædecessorum exempla imitatus est; nam & Leo sanctissimus Papa, & tot encomijs à Patribus Chalcedonensibus cumulatus, noluit Concilium Chalcedonense, nisi quoad illa, quæ in materia fidei sancita fuerant, confirmare, ut videre est in epistola ejusdem B. Leonis circulàri ad Patres Concilij 61. & ad Anatolium 45. quæ habentur *to. 2. Concilior.* Verùm, ut ex verbis ipsius Concilij Constantiensis res meliùs intelligatur, credaturque, placuit ea hîc attexere. Sic ergo *Sess. 45.* & *ult.* sub initium habent: *Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dicit, respondendo ad prædicta, quòd omnia, & singula determinata, concluſa & decreta in materia fidei per præsens Concilium*, Conciliariter *tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: ipsáque sic* Conciliariter *facta approbat, ratificat, & non aliter; nec alio modo. Et illud iteratò fecit dici per organum D. Augustini de Pisis, Fiscalis, & sacri Consistorij Advocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis, & deputatis, petijt instrumenta publica fieri.*

§. His taliter constitutis, idem Author tandem concludit in hæc verba. Cùm igitur ea sententia, quæ Concilium Pontifici præponit, non tantùm de fide non sit, sed etiam à communi Doctorum, praxi Ecclesiæ, testimonijs Patrum, sacræque Scripturæ plurimùm aliena sit, imò à sanctis etiam Patribus graviter perstricta, & à Concilio licèt asserta, nunquam tamen confirmata fuerit à Martino V. qui expressè professus est, sibi animum non esse, Concilium confirmandi, nisi quoad illa, quæ fidei sunt. Idcircò non videri, quâ ratione Patres Conventûs Parisiensis inducti fuerint, ut dicerent: *Non probari ab Ecclesia, quæ Decreta Concilij Constantiensis* Sess. 4. & 5. *ad casum schismatis detorquent, eorúmque robur confringunt, tanquam sint dubiæ authoritatis, minúsque approbata.* Quasi verò nos Decreta Concilij ad casum schismatis restringamus; & non ipsum Concilium, tot tam claris, tamque repetitis verbis restringat, ut planè vim Concilio faciat, qui ad hunc casum schismatis non restringit: aut Concilium illi detorqueant, qui nihil Concilio addi volunt, nihil detrahi, sed ipsum eo sensu intelligi, quo loquitur. Verba Concilij sunt *Sess. 4. Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata disponit, statuit, decernit, declarat, ut sequitur: & primò quòd quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & membris.* Eadem repetuntur *Sess. 5.* ubi videmus, Concilium ipsum suam definitionem limitare ad casum & statum, in quo tunc temporis Ecclesia versabatur; si enim limitare noluisset, poterat tot verbis parcere, & *absolutè* dicere: *Teneri Papam Concilio Universali obedire.*

Quibus ita se habentibus, duo præcipua hîc veniunt discutienda. 1. *An vi primi in Constantiensis Synodi* Sessione quartâ *editi decreti*

fuerit acephalo huic Concilio potestas à Christo immediatè proveniens, ad procedendum adversùs Papam dubium? 2. Vtrùm decretum Constantiensis Synodi in quarta *Sessione editum de Concilij superioritate supra Papam, sit restrictum ad statum Papæ dubij & incerti, ac tempus durantis schismatis?*

§. II.

Referuntur argumenta circa *quartæ* Sessionis Constantiensis Concilij *primum* decretum.

6. HUjus difficultatis status singulariter dependet ex ijs, quæ inter Maymbourgum ex parte Gallicani Conventûs Ecclesiastici, & Emanuelem à Schelstrate ex parte sacræ Vaticanæ Bibliothecæ, sive ex hujus Manuscriptis fuerunt in certamen deducta. Hic nempe Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus anno 1683, ediderat dissertationem, in qua ex indubitatæ fidei manuscriptis codicibus ostendebat, tantum abesse, quòd decreta Constantiensia ab Oecumenica Synodo fuerint edita, & comprobata à Sede Apostolica, ut potiùs constet, quòd decretũ *primum* Sessionis *quartæ* ex compilatione Basileensium corruptum, ad manus nostras pervenerit sub hoc tenore: *Primò declarat, quòd Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo* immediatè *habet, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Ipsissimum hoc decretum renovatur in *Sess. V.* dictæ Synodi, eidemque subijcitur alterum, cujus juxta Basileensium compilationem, tenor *præcit. §. 1. n. 5.* refertur. De quibus proinde Sessionis *quintæ* duobus decretis, *præcitatus* à Schelstrate ostendit, edita fuisse, contra protestantibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus, omniaque insuper à Concilio nondum Universali fuisse pronuntiata, quæ proinde ab ipsius Constantiensis Concilij Patribus post trium obedientiarum unionem non sint recepta, & ab ipso etiam Martino V. infirmata.

7. Hanc Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti dissertationem oppugnandam suscepit anno 1685. Maymbourgus in suo historico *de Romana Ecclesia* tractatu *à cap. 22.* usque ad *cap. 26.* illum coarguens, quòd in ea destruere voluerit, quidquid à Galliæ Clero de decretis Constantiensibus erat statutum, adjungens deinde, quòd acta authentica Concilij Constantiensis, & Basileensis perperàm traducat. Hujus igitur inter Maymbourgum & Emanuelem à Schelstrate concertationis argumenta, & responsiones sub formam methodicam aliqualiter reducta, priùs audire placeat, ut propositæ difficultatis status ex solidis fundamentis tandem valeat determinari.

* *
*

ARGUMENTUM

Ex parte Maymbourgi *ubi supra* oppositum.

8. HIc igitur Gallicus Author argumentatur in hunc modum. Quamvis gesta & acta authentica, quæ Concilijs Constantiensi & Basileensi continentur, omnium manibus terantur, ac plùs, quàm à ducentis sexaginta annis pro verissimis habita sint, nec quisquam toto illo tempore se unquam ijs opponere somniaverit, voluisse tamen Emanuelem à Schelstrate sibi disputare hanc legitimam pacificam possessionem.

Responsio.

9. AD hanc objectionem respondet præno-minatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, rectè animadvertendo, præsentis concertationis statum reduci ad hoc punctum; *An scilicet Constantiensis Concilij decretum Sessione 4. factum, & ex Basileensium compilatione editum, fuerit adulteratum?* Maymbourgus ex rationibus *inferiùs* deducendis contendit, non solùm Basileenses sincerâ fide usos, nihil addidisse, nihilque detraxisse de verbis illius Decreti, sed & genuinam esse lectionem, quæ ex ipsorum compilatione posterorum memoriæ consecrata fuit. Econtrario Emanuel à Schelstrate *in tract. de Decretis Constantiensibus dissert. 1. cap. 1.* duo in se suscepit, quorum *primum* est, quòd *Acta Constantiensia ex Basileensium compilatione primùm ad manus nostras pervenerint.* Cùm enim Basileenses post electionem Felicis V. in locum Eugenij IV. per ipsos assumpti vidissent, auctoritatem suam contemni, & toto orbe Catholico diminui cœpisse, eam Actis Constantiensibus restituendam esse crediderunt, & illorum compilationem septem é suis ad id specialiter deputatis mandârunt. Compilatione itaque à Deputatis factâ, pauci, qui Basileæ permanserant, illam authoritate suâ roborârunt, & speciali Bullâ eidem partim præfixâ, partim postpositâ præceperunt, compilationi suæ eandem fidem adhibendam esse, ac si ab ipsis Patribus Constantiensibus facta, & eorundem Bullâ authenticâ munita esset: *Statuimus,* inquiunt, *ac decernimus, & mandamus, quatenus præfatis decretis, Gestis superiùs insertis in judicijs & extra ubicunque producta, exhibitáque fuerint, vel ostensa, in omnibus, & per omnia stetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac si Bullâ ejusdem Constantiensis Synodi bullata forent, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur.... Datum Basileæ pridie Nonas Februarij Anno à Nativitate Domini 1442.*

10. Ita Basileenses in ea parte Bullæ, quæ compilationi Actorum Constantiensium à Deputatis suis factæ subjungitur. Cùm autem Actorum istius compilationis exemplar authenticum cum Bullâ plumbeâ in cordula serici pendente asservatum fuisset in Germania usque ad annum 1490. eo ipso anno Joannes Huober ex Inderdorff, Artium Liberalium Magister, & sacræ Theologiæ Baccalaureus,

illud propriâ manu descripsit, ejusque copiam cum Originali convenire, testatus est Mathias Strinbach publicus authoritate Apostolicâ Notarius, ut patet ex hoc ejus testimonio: *Concordant Sessiones & Decreta suprascripta sacri Generalis Concilij Constantiensis cum exemplari de pergameno Bullâ plumbeâ sacræ Generalis Synodi Basileensis modo, formâ, & Notario, quibus supra, bullato & auscultato, factâ unà cum præfato Magistro Joanne infrascriptorum Scriptore collatione diligenti per me Mathiam Strinbach Clericum Eistetensis Diœcesis, publicum sacrâ Apostolicâ authoritate Notarium subscriptum, rogatum, & requisitum, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum redacta in 123. foliis præsenti in numero computato, quod protestor manu, & signeto solito meis propriis.* Extat hoc testimonium in Constantiensis Concilij editione, quæ anno 1500. in Imperiali oppido Hagenovv ad fidem suprædictæ copiæ cum Originali fideliter collatæ typis prodijt.

II. Atque hæc est omninò prima Actorum Constantiensium editio, quæ ut ex compilatione Basileensium primùm typis descripta apparuit, ità & in sequentibus editionibus servata fuit, ut post diligentem earum collationem cuique constabit. Prima enim editio nullo verbo addito, nullo detracto, anno 1511. opera Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, annis 1524. & 1535. Parisijs curâ Jacobi Merlini Doctoris Sorbonici, uti & anno 1530. Coloniæ typis Quentelianis iterum excusa fuit. Petrus Crabbe, qui post has Actorum Constantiensium editiones anno 1538. novam Conciliorum collectionem duobus Tomis in folio edidit, eandem planè compilationem Actorum Constantiensium servavit, sed addito ad Decretum *primum* Sessionis *quartæ* verbo *Ad fidem*, quod in præcedentibus editionibus deerat, & adjunctis per modum Appendicis plurimis alijs, quæ in manuscripto Codice Coloniensi invenerat, cum quibus à cæteris Conciliorum Collectoribus Synodi Constantiensis Acta subinde typis descripta fuerunt. Hoc tamen diligenter posteriores observârunt, quòd Acta, quæ Petrus Crabbe ex manuscripto Codice Coloniensi in Appendicem retulerat, illi juxta textum suis locis diverso charactere inseruerint. Compilationem enim Actorum Constantiensium à Basileensibus factam semper integram, & intactam servare voluerunt Conciliorum Collectores, qui, licèt priorem partem Bullæ Basileensium abstulerint, in hujus tamen veritatis confirmationem posteriorem partem retinuerunt. Videri possunt collectio Conciliorum, quæ anno 1588. Venetijs prodijt apud Nicolinum: Collectio Conciliorum, quæ Romæ anno 1628. typis Rever. Cameræ Apostolicæ quatuor Tomis in folio excusa fuit: Editiones Conciliorum Colonienses, quas Severinus Binius post Romanam adornavit: Collectio Conciliorum Luparea, quæ triginta septem ingentibus Tomis ex Typographia Regia Parisijs edita fuit: Labbejana demum, quæ quartâ parte auctior publicam lucem aspexit: manifestumque fiet, in his omnibus editionibus posteriorem partem Bullæ Basileensium, & testimonium Notarij Apostolici *suprà* relatum nunquam omissa fuisse, sicque verum esse, quòd in dissertatione meâ nuper annotavi, Decreta Constantiensia, prout ad manus nostras pervenerunt, à Basileensibus compilata fuisse.

Alterum proinde, quod dictus Emanuel à Schelstrate probandum suscepit, in eo se tenet, quòd in *primum* Constantiensis Concilij Sessionis IV. decretum ex primâ per Basileensium *superiùs* relatam compilationem anno 1500. factâ editione duo irrepserint errores, quorum *primus* consistit in omissione vocis *Ad fidem*, quam adesse debere, ex manuscriptis Constantiensis Concilij codicibus indicaverat ille Vaticanæ Bibliothecæ præfectus. *Secundus* verò error consistit in additione illorum verborum: *Et ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.* Quæ abesse debere, sic ostenditur. 12.

Tres nempe codices manuscripti, continentes Acta Constantiensis Concilij à Notarijs ipsius conscripta, ex quibus Basileenses decreta compilârunt, non habent illa verba in *primo* decreto Sessionis *quartæ*: *Et ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Codices quatuor manuscripti, continentes Gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti sunt, licèt habeant multò plura, quam hactenus edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis *quartæ de reformatione Ecclesiæ in Capite & membris.* Quinimò in uno ex illis Codicibus post hæc Decreti verba: *Ad fidem, & extirpationem dicti schismatis*, notatum erat: *Iste* (nimirum articulus) *imperfectè fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti.* Quibus indicatur, clausulam *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, abesse debere à Decreto *primo* Sessionis *quartæ*, ideoque illud Decretum renovatum fuisse in Sessione *quintâ*, in quâ solummodò clausula illa adjungenda est, ut statim videbimus. Duo demum Codices, continentes Regestum Actorum Constantiensis Concilij, quorum unus circa tempus ipsius Concilij scriptus, spectavit ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum, alius antiquo charactere Italico conscriptus est, licèt omnia Acta contineant à *prima* Sessione usque ad electionem Martini V. nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis *quartæ de reformatione in Capite & in membris.* Cæteros, quos vidi, Codices recentiores præterea, in quibus tamen omnibus prædicta verba desiderantur, ut indubitatum sit, à Basileensibus erroneè Decreto Sessionis *quartæ* adjuncta, & à Collectoribus Conciliorum errore Basileensium deceptis, typis fuisse edita. 13.

Exceptio Maymbourgi.

EXcipit hic Author *cap. 23. suæ hist. pag. 235.* non quidem *primum* negando errorem, sed *secundum*, atque verba illa *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* decreto Sessionis *quartæ* adesse debere, tam pertinaciter 14.

contendendo, ut codices ab illo de Schelstrate citatos pro nihilo ducens, errorem Basileensibus ab ipso tributum, verterit eidē in crimen. *Unde*, inquiens, *ipse habet, quòd codex manuscriptus, quo pro compilatione Actorum usi sunt Basileenses, non continuerit ista verba. Quare sinè certâ causâ accusat illos impostura? Nónne quotidiè videmus, quòd plures manuscripti codices ejusdem operis differant, sic ut reperiatur in uno, quod omissum erat in alio, &, quòd hâc ratione corrigantur.*

Responsio.

15. EManuel à Schelstrate *cit. cap. 1. pag. 21.* reponit, totum hoc posse objici etiam de voce *Fidei*, cujus tamen omissionem à Maymbourgo tribui potiùs tabellario, quàm Basileensibus. Unde enim hic Author accepit, quòd codex manuscriptus Basileensium, ex quo prima editio Actorum Constantiensis Synodi prodijt in Imperiali oppido Hagenovv, habuerit vocem *Fidei*? Quare sinè certa scientia accusat tabellarium erroris? An ignorat forsan, quòd copiam ex manuscripto ipsorum Basileensium manu Joannis Huober ex Inderdorst sacræ Theologiæ Baccalaurei extractam, cum suo Originali concordare testatus sit Mathias Strinbach publicus auctoritate Apostolicâ Notarius? Cur sinè firmo fundamento Notarij Apostolici fidem non solùm in dubium revocat, sed apertè fugillat, eumque, qui pro veritate ex officio testimonium tulit, falsitatis arguit? An ignorat quoque, post decem annos *à prima* editione Acta Constantiensis Concilij ex Basileensium compilatione venisse ad manus Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, quódque ipse in editione Mediolanensi anni 1511. non solùm omiserit vocem *Fidei* in *primo* Decreto Sessionis *quartæ*, sed & illud ipsum in compendium redigens, his verbis retulerit: *Quòd Constantiense Concilium potestatem habet immediatè à Christo, & eidem quicunque, etiam Papalis dignitatis, subjicitur in pertinentibus ad extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & membris.* Hîc D. Maymbourg videre poterat, Abbatem Ferrerium non magis in compilatione Basileensium vocem *Fidei* inveniſſe, quàm Mathiam Strinbach publicum authoritate Apostolicâ Notarium. Nónne legit Merlinum Doctorem Parisiensem, quòd eodem modo juxta Basileensium compilationtm omiserit vocem *Fidei* in collectione Conciliorum editionis Parisiensis anni 1524. apud Galliotum à Pratis, Colonienſis anni 1530. ex Ædibus Quentelianis, & Parisiensis anni 1535. apud Franciscum Regnavit?

16. Hi autem omnes, cùm Acta Constantiensis Concilij juxta Basileensium compilationem ediderint, quid respondebit D. Maymbourg, si ab ipso petatur, undénam habeat, Tabellarium potiùs, quàm ipsos Basileenses vocem *Fidei* in Decreto *primo* Sessionis *quartæ* omisisse? Nónne fateri debuit, hoc gratis, & sinè ullo fundamento ab ipso assertum esse? Numquid negare poterit, me rectiùs eorum, qui compilationem Basileensium viderunt, testimonio innixum dicere potuisse, in ea perperàm omissam esse vocem *Fidei*, quam in Manuscriptis Constantiensis Concilij codicibus ante tempora Basileensium conscriptis extare constat; proindeque à Petro Crabbe anno 1538. in editione Conciliorum non immeritò adjunctam fuisse?

Sicut autem quoad omissionem vocis *Fidei*, ita quoad clausulam: *De reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, Decreto *primo* Sessionis *quartæ* à Basileensibus adjunctum errorem irrepsisse, ex ijsdem manuscriptis codicibus Constantiensis Concilij, nisi mea me fallat opinio, ostendere licuit. Neque percipere potui, quid sibi velit D. Maymbourg, dum mihi varias Codicum lectiones objicit, ac si negâssem, reperiri posse in uno, quod deest in alio: quasi verò ego ipse non ostendissem, in Actis Constantiensis Concilij reperiri vocem *Fidei*, quæ omittitur in compilatione Basileensium, & econtra in Actis Constantiensibus non reperiri clausulam *De reformatione*, quæ in compilatione Basileensium adjungitur. An fortè credit, manuscriptos codices reperiri posse, in quibus aliquid deest, quod ex alijs suppleri debeat: & reperiri non posse, in quibus aliquid adjunctum fuit, quod omitti debuerat? Ultimum circa clausulam *de reformatione* in compilatione Basileensium contigisse, ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus, Acta Concilij Constantiensis continentibus, clariùs monstraveram, quàm ut negari potuerit. Jam enim non modò ostenderam, illa verba in ijs deesse, sed *positivè* probaveram, ea planè excludi debere. 17.

Replicatio Maymbourgi.

PErgit hic Author *loco proximè citato.* Cùm varia sint Acta Constantiensis Concilij, omnesque codices manuscripti non eandem Actorum collectionem contineant, petendo ab eodem Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto: *Unde habeat, quòd codex manuscriptus, quo pro compilatione Actorum Constantiensium usi sunt Basileenses, non continuerit illa verba, quæ primo decreto quartæ Sessionis indebitè adjecta fuisse prætendantur?* 18.

Responsio.

EManuel à Schelstrate *pag. 24.* huic objectioni reponit, hoc evinci ex eo, quòd tres codices manuscripti continentes Acta Constantiensis Concilij à Norarijs conscripta, ex quibus Basileenses decreta compilârunt, non habeant illa verba, in illo *primo* Sessionis *quartæ* decreto ita sonantia: *Et ad reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Num enim potuisset clarius quid asseri, ad probandum, *unde habeatur*, verba illa, quibus Basileenses usi sunt, deesse? Basileenses namque usi sunt Actis à quatuor Protonotarijs Constantiensis Synodi collectis, ut in titulo suæ compilationis ipsimet fatentur: in Actis autem, quæ ab ipsa Constantiensi Sy- 19.

si Synodo per Protonotarios ad id deputatos collecta fuerunt, verba illa deesse, ex tribus ejusdem collectionis manuscriptis codicibus probavi: neque quidquam, ut puto, ad confirmandam rem nostram expressius dici, vel afferri potuit. Ne autem quisquam suspicetur, codices à me *suprà* allatos dubiæ fidei censendos esse, monere placuit, illos antiquissimos esse, & inter eos reperiri, qui ante tempora Basileensis Concilij scripti fuerunt, contra quos ne unum quidem antiquum codicem manuscriptum, Acta à quatuor Notarijs Constantiensis Concilij scripta continentem, D. Maymbourg attulit, sed nec unquam adferre poterit, in quo Decretum *primum* Sessionis *quartæ* cum clausula *De reformatione* exhibetur.

22. Quamvis autem vel sola Acta Notariorum Constantiensium sufficere debuissent, ad Basileensium compilationem erroris convincendam, volui tamen in Dissertatione mea alios manuscriptos codices adferre: prioribus namque tribus adjunxi quatuor alios indubitatæ fidei, Gesta Constantiensia continentes, quorum duos circa tempus ipsius Concilij scriptos fuisse, constat. Citavi insuper duos Codices antiquissimos, Regestum Constantiensis Synodi continentes, quorum unus circa tempus Constantiensis Concilij scriptus, ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum spectavit, alter antiquo charactere Italico exaratus est, in quibus eadem verba desunt in Decreto *primo* Sessionis *quartæ*. Quòd si hi non sufficiant, adjungere possum celeberrimum codicem Capranicensem, qui ad usum Cardinalis de Capranica Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & quo Philippus Labbeus sæpius usus est in Appendice ad Synodum Constantiensem: in hoc enim, ut in reliquis omnibus *supra citatis* deest clausula: *De reformatione Ecclesiæ in Capite & membris*. Accedit alius codex plane antiquissimus, qui ex Bibliotheca Eminentissimi quondam Cardinalis Ludovisij in Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Ottoboni migraverat, ejusdemque Romanæ Ecclesiæ Principis liberalitate in Bibliotheca Vaticana repositus fuit, in quo eadem omninò desiderantur. Demum omissis alijs, testari possum, quòd inter omnes manuscriptos codices Constantiensis Synodi, quos magno numero me vidisse contigit, nullum repererim, in quo verba illa habentur, præterquàm unum recentiori manu ex Sirleti codice transcriptum, in quo Tabellarius, cùm Originale difficili charactere exaratum esset, Acta ex editis codicibus descripsit, & verba illa contra fidem Originalis manuscripti Decreto *primo* Sessione *quartâ* adjunxit.

Instantia Maymbourgi.

21. AUthor iste *pag.* 236. instat, se reperisse in Gallia codicem manuscriptum Constantiensis Concilij, qui verba illa, *ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, habeat adjecta ad finem decreti Sessionis *quartæ*. *Hoc ipso momento*, inquit, *quo hæc scribo, in mea commoratione apud S. Victorem Parisijs, ubi annuentibus Dominis Canonicis Regularibus hujus Regalis Monasterij, mihi delegi secessum honestum, & professioni ac modo vivendi conformem, præ oculis habeo celebre illud Manuscriptum famosæ ipsorum Bibliothecæ, ex quo D. Spondanus desumpsit variora historiæ suæ de Constantiensi Concilio, de quo procul dubio pulcherrimus est magni sui Operis locus. In hoc itaque manuscripto, quod est antiquissimum eorum, quæ haberi possunt, lego hoc Decretum de verbo ad verbum, sicut est in Actis typis descriptis, & in ultimis editionibus, quæ exactiores sunt, & correctiores. Sed ecce, quod magis urget. Habemus in istis manuscriptis sancti Victoris extractum Sessionum, quas, ut celebrabantur, illi, qui pro parte Nationis Gallicæ Concilio aderant, Lutetiam mittebant. Et Decretum hoc Sessionis* quartæ *affertur ibi eodem modo, quo illud habemus. D. Schelstrate dicétne, Concilium Basileense, quod pluribus annis post Constantiense habitum fuit, hæc extracta corrupisse? Quid ad ista respondere poterit?*

Responsio.

EManuel à Schelstrate *præs. pag.* 29. reponit in hæc verba: Quid respondere possim, inquirit Maymbourgus, ac si duorum Manuscriptorum suorum testimonia irrefragabilia essent, & posterioris authoritati nihil opponi valeat, cùm tamen faciliter ei satisfiat. Si enim verum est, quod observat, quosdam pro Natione Gallica Constantiæ existentes, Acta Sessionum eo modo Lutetiam misisse, quo in illo codice continentur. Respondeo, à Natione Gallicana præcipitanter conclusum fuisse, ut Decretum cum istis verbis Sessione *quartâ* publicaretur, & Decretum illud eo modo in ipsa Sessione Cardinali Florentino, ut publicè ab eo legeretur, oblatum fuisse. Cardinalem tamen, cùm inter legendum ad illa verba: *De reformatione* venisset, substitisse, &, ut testatur Panormitanus in tractatu, cui titulus est: *Sententia finalis*, noluisse illa verba legere, tanquam præter communem deliberationem addita: Decretum autem ab ijs, qui pro Natione Gallicanâ Constantiæ erant, Parisios missum fuisse, prout in Natione suâ conclusum erat, & ita facilè auctorem codicis S. Victoris Parisijs commorantem decipi potuisse, qui ipsemet conqueritur de inverso quandoque ordine eorum, quæ de Actis Constantiensis Concilij in Codice suo delictipserat. Quod ultimum, si D. Maymbourg quærat, unde habuerim, id à fidissimo, & oculato teste me accepisse, reponam, & si necesse sit, nomen ejus adducam. Ipse interim codicem suum revidere poterit, ad cujus authoritatem confirmandam *pag.* 237. ita contra Manuscripta à me allata subjungit: *Ne demum nobis opponendam putet multitudinem suorum Manuscriptorum, numerat enim usque ad novem, dicam ipsi, Parisijs plus quàm decem reperiri, quæ consonant huic codici sancti Victoris, qui vel solus pluris valet, quàm omnes sui.* Verùm fallitur D. Maymbourg, & de re sibi incompertâ loquitur: licèt enim codicem sancti Victoris meritò cæteris Manuscriptis Parisijs asservatis, quæ se vidisse

asserit, præferre potuerit, immeritò tamen codicibus manuscriptis à me citatis, quos nunquam vidit, præponi debere contendit, cùm vix ullum codicem manuscriptum citaverim, qui non præstet codici sancti Victoris ab ipso allato, nec mihi solùm, sed & alijs notissimo.

23. Cæterùm hæc responderi possunt, supposito, quòd D. Maymbourg verum dicat de clausulâ in codice sancti Victoris adjunctâ, quod ideo repeto, non quia dubito de ejus fide, ac si nos decipere voluisset, sed quia suspicari licet de non adhibitâ sufficienti diligentiâ, cujus defectu ipse deceptus fuit, & Sessionem *quartam* cum *quinta* confudit. Ut enim mentem meam clarè exponam, vix credere possum, verba *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, reperiri Sessione *quartâ* in codice sancti Victoris, vel alio quopiam antiquiori ex omnibus ijs, quos Auctor se vidisse, & Parisijs asservari, testatus est. Neque mihi imputare debet D. Maymbourg, quòd ita de scriptis suis sentiam, sed sibi, quando tam asseveranter pro se citat Joannem Gersonium Universitatis Parisiensis Cancellarium, cujus verba, tanquam oculati testis, putat esse irrefragabilia.

Objectio iterata Maymbourgi.

24. Hic igitur Author ubi *suprà pag. 238.* objicit, quòd Ioannes Gersonius, Universitatis Parisiensis Cancellarius, de cujus fide dubitare non liceat, & cujus Manuscripta penes se existant, pluribus in locis referat illud *primum quartæ* Constantiensis Sessionis decretum, prout habetur in Manuscripto sancti Victoris, & Actis editis, retuleritque illud in sermone facto coram toto Concilio *pro Viaggio Regis Romanorum*, ubi cùm integrum recitâsset cum hac clausula: *Ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, immediatè dixit ad Patres Concilij, exponens opinionem suam his verbis omninò efficacibus: *Conscribenda prorsus mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, vel regula &c.* Rogo nunc D. Schelstrate, ut mihi sincerè dicat, an audeat credere, Cancellarium Parisiensem tam impudentem fuisse, ut recitâsset in sermone coram Patribus Concilij Decretum Sessionis *quartæ* aliter, quàm ipsimet illud fecerant? Ut adjunxisset impudenter hæc verba: *Ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, quæ Concilium ipsum non adjunxerat, & ad ipsos subinde locutus fuisset eo modo, quo jam retuli. Habeo illum pro viro nimis honesto & prudenti, quàm ut unico momento hæc cogitet. Et nullatenus dubito, quin Deo gloriam tribuat, admittendo, quòd, cùm Gersonius coram toto Concilio recitârit hoc Decretum, sicut est in Actis editis, omninò evidens sit, ita à Concilio factum fuisse, neque ullatenus falsificatum esse, cùm Concilium alioquin illum impudentem falsificatorem explosisset.

25. Hæc D. Maymbourg, qui jam dicta putat testimonio inniti, cui nihil omninò opponi potest: adeò certò namque supponit, Ioannem Gersonium Cancellarium Universitatis Parisiensis citâsse Decretum *primum* Sessionis *quartæ*, ut ne dubitari quidem ea de re sinat, meque planè victum existimet: prosequitur proinde argumentum, & adjungit alium locum ejusdem Gersonij ex sermone, quem habuit coram Concilio *secundâ Dominicâ post Epiphaniam* ad hunc textum Evangelij: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ubi post alia dicit: *Nunquid non ideo sacra hujus Synodi Constantiensis impugnantur judicia, quæ sic habent, Primò declarat &c.* Et adducit hîc integrè Decretum Sessionis *quartæ* cum hac clausula: *Ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris. Ecce*, inquit subinde ad Patres Concilij, *Decretum, quod fecistis.* Post hæc autem D. Schelstrate audebitne adhuc dicere, quòd Basileenses falsificârunt hoc Decretum, adjungendo illi hæc verba? Citaverat in margine *pag. 239.* ultra loca allata ex eodem Gersone tractatum *De potestate Ecclesiastica*, & tractatum, *An, & quomodò liceat appellare.* Et subjungit *pag. 245.* Et ne D. Schelstrate dicat, hujus Doctoris textum falsificatum esse, adjunctis ei his verbis: *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*: declaro ipsi, quòd tractatus *De potestate Ecclesiastica*, ubi magnus ille vir hoc Decretum affert, collatus sit cum quatuor Manuscriptis, duobus Bibliothecæ sancti Victoris NN. S. & MM. II. uno Collegio Navarræ, & altero Bibliothecæ D. Colbert sub numero 99. Quòd tractatus; *An, & quomodò appellare liceat à Summo Pontifice*, ubi idem Decretum reperitur, omninò consonet duobus Manuscriptis, uni sancti Victoris signato NN. 9. & alteri Bibliothecæ Navarricæ. Quòd sermo *pro viaggio Regis Romanorum* fuerit pariter collatus cum Manuscripto S. Victoris signato in antiquis catalogis NN. II. alio Bibliothecæ Navarricæ, & uno Bibliothecæ D. Colbert sub *num. 99.* Quòd demum id, quod legitur in serm. super Evangelium *Nuptiæ factæ sunt*, ubi Gerson coram Patribus Concilij recitavit Decretum Sessionis *quartæ*, reperiatur in antiquissimo Manuscripto sancti Victoris signato NN. 19. de verbo ad verbum, sicut editum est... Et hæc mihi sufficere videntur, ut D. Schelstrate cedere cogatur.

Responsio.

Emanuel à Schelstrate *præcitati operis sui pag.* 361 35. reponit sequentia. Cùm in toto tractatu Maymbourgi nihil invenerim toties repetitum, ac tanto labore cum manuscriptis codicibus collatum, quàm quod nunc præ manibus habemus ex Joannis Gersonij locis desumptum, operæpretium judicavi, loca cum tanto verborum apparatu propósita ex Gersonis operibus adducere, eaque cum verbis anterioribus à D. Maymbourg omissis in medium afferre. Primus itaque Gersonis locus ex sermone ejus *pro Viaggio Regis Romanorum* desumptus est, ubi sic loquitur: *Prima lex, sive directio liberans iter nostrum à primo scandalo, quæ*

lo, quæ data est in Sessione publica sexto Aprilis, anni præsentis: Concilium Generale potestatem immediatè à Deo habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac generalem reformationē Ecclesiæ Dei in Capite & in membris: conscribenda prorsus esse mihi videretur &c. Ex tractatu De potestate Ecclesiastica desumptum est aliud Gersonis testimonium sequens: Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc sacro Constantiensi Concilio, præsertim 6. Aprilis anni 1415. in Sessione publica, cujus inter alia sunt hæc decreta duo prima: & primò declarat, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata &c. Item declarat, quòd quicunque, cujuscunque status, vel dignitatis &c. Eadem omninò duo Decreta retulit sermone habito Dominicâ secundâ post Epiphaniam, & demum in tractatu; An, & quomodò appellare licet à Summo Pontifice, ubi Gerson agit de determinatione Concilij, quæ multipliciter facta est, & practicata, & specialiter in Sessione publicâ celebrata die 6. Aprilis, anno 1415. quæ sic habet inter cætera: & primò declarat, quòd sancta Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata &c. Item declarat, quòd quicunque &c.

17. Hæc sunt loca Ioannis Gersonis à D. Maymbourg allata, quorum priora verba omisit, quòd forsan ea nihil ad rem facere crediderit, cùm tamen ex ijs quæstio nostra decidenda sit. Agimus enim de Decreto Sessionis *quartæ*, quæ celebrata fuit Anno 1415. die 30. Martij, qui tunc incidebat in Sabbatum sanctum, seu Vigiliam Paschæ, ut fidem faciunt omnia Acta Constantiensis Concilij tam edita, quàm inedita, tam in Gallijs, quàm in Italia conservata. Gersonius autem *locis suprà allatis* loquitur expresè de Decreto, quod anno 1415. die 6. Aprilis in Sessione publica editum fuit. Dies autem sextus Aprilis non fuit Vigilia Paschæ, sed *Sabbatum post Pascha*, ut habent Gesta Constantiensis Concilij: Sessio quoque publica sexti Aprilis non fuit Sessio *quarta*, sed *quinta*, de qua sola Ioannes Gersonius loquitur, ut cognosci poterat ex *secundo* Decreto de auctoritate *coactivâ* priori subjuncto. Cùm namque Ioannes Gersonius ex eadem Sessione duo Decreta allegârit, & *secundum* non nisi Sessione *quintâ* publicatum fuerit, nimis manifestum erat, Gersonium citâsse Decretum Sessionis *quintæ*, quàm ut id ipsum à quopiam ignorari potuerit.

28. Iam triumphum canat D. Maymbourg, qui se victorem asseruit, antequàm pugnavit, meque cedere oportere credidit, priusquàm in arena constitutum aspexit: *Voila*, inquit, *ce me semble, de quoy obliger M. Schelstrate à se rendre.* Poteratne cum majori certitudine factum aliquod proponi, cum firmiori de victoriâ securitate urgeri, cum plurium verborum apparatu plebi inculcari, quàm illud de Decreto Sessionis *quartæ* ex locis Ioannis Gersonis desumptum? Quid alij de eo judicaturi sint, nolim conijcere, id unum fateor, me, ubi primò errorem hunc notaveram, satis mirari non potuisse, quomodò factum sit, quòd Author ille scribens de re gravissimâ, tam visibiliter lapsus fuerit, neminemque Parisijs invenerit, qui in conferendis locis Gersonis cum manuscriptis codicibus errorem animadverterit. Cùm autem vel ex hoc constet, D. Maymbourg Sessionem *quartam* cum *quintâ* confudisse, sibi imputare debet, quòd non ita facilè ipsi fides habeatur asserenti, clausulam *de reformatione* in cæteris Manuscriptis S. Victoris ab eo citatis reperiri in Decreto *primo* Sessionis *quartæ*. Quinimò, dum fatetur, eo modo reperiri in Manuscriptis S. Victoris, alijsque codicibus, quo à Ioanne Gersone citatur; Decretum autem cum clausula: *De reformatione* ab ipso Gersone citetur tànquam Sessionis *quintæ*; consequitur profectò ex ipsius Auctoris verbis, etiam in codicibus suis manuscriptis reperiri Sessione *quintâ* potiùs, quàm *quartâ*; quod ipsum testati sunt illi, qui plures ex illis codicibus manuscriptis Parisijs viderunt, eosque Decretum *primum* Sessionis *quartæ* sinè mentione: *De reformatione* continere, asseverârunt: ut nihil sit, quod me cedere cogat, nihil, quod Manuscripta à me allata defectuosa ostendat; sed plurimum, vnde D. Maymbourg errorem suum hæc legendo agnoscat, & agnoscendo corrigat.

Iterata replicatio Maymbourgi:

COnqueritur iste Author tractatûs sui *pag. 234.* Emanuelem à Schelstrate argumento *negativo* traduxisse Basileensium fidem. 29.

Responsio:

PRæfatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus *1. dissertat. suæ cap. 2. à pag. 40.* ita reponit. Quamvis argumentum *negativum* censendum non sit, quod ex codicibus, manuscripta Acta Constantiensis Synodi continentibus desumpsi, cùm in illis clausula controversa debuisset reperiri, si Decreto *primo* Sessionis *quartæ* à Patribus Constantiensis Synodi adjuncta fuisset. Videamus tamen, an aliud protulerim, ex quo de rei veritate constare poterat. 30.

Notaveram *in Dissertatione cap. 1. articulo 1.* quòd in codice Manuscripto Constantiensis Concilij post hæc Decreti verba: *Ad fidem, & extirpationem dicti schismatis*, adjunctum erat: *Iste* (nimirum articulus) *imperfectè fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti*: quibus verbis, ut *ibidem* notavi, indicatur, clausulam: *De reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & membris*, abesse debere à Decreto Sessionis *quartæ*, ideoque illud Decretum renovatum fuisse Sessione *quintâ*, in qua solummodò clausula adjungenda est. Et ne D. Maymbourg hujus codicis testimonium in dubium revocet, adjungendum est aliud Authoris celeberrimi, qui tempore Constantiensis Concilij vivebat, & prout Patres Constantiæ Acta publicabant, ea ipsa ad posterorū memoriam litteris mandabat. Hic ergo de Decreto Sessionis IV. ita ad annum 1415. notat: *Penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paschæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minùs suf-* 31.

fici-

ficienter: quapropter 6. die mensis Aprilis ijdem articuli per unum alium de Concilio, Rege præsente, pronuntiati sunt reformati. Primus *hic erat: Synodus in Spiritu sancto congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediatè habet à Christo, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, tenetur obedire in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Tertius *articulus, dimissis cæteris; fuit de irritatione gratiarum per Joannem Papam factarum per recessum suum à Concilio &c.* Qui hoc testimonium posteris reliquit, est Gobelinus Persona Decanus Bilsfeldiensis, & Officialis Paderbornensis, qui testatur circa finem operis, illud à se *sub Bonifacio IX. inchoatum, & sub Martino Papa V. anno Pontificatûs ejus primo, die primâ mensis Iunij anno Dominicæ Nativitatis 1418. Illustrissimo Sigismundo Romanorum, Teutoniæ, & Vngariæ Regnorum in sceptris agente, consummatum fuisse.*

32. Hìc jam rogo D. Maymbourg, an clarius testimonium desiderare posset pro confirmandis illis, quæ ex Manuscripto codice nostro *suprà* retulimus? Gobelinus, qui Constantiensis Concilij Acta eo ipso tempore, quo statuebantur, habuit, & cum fine Constantiensis Concilij scribendi finem fecit, testatur, penultimâ die Martij, quæ fuit Vigilia Paschæ, quosdam articulos pronuntiatos fuisse per unum de Cardinalibus *minùs sufficienter*; quod ipsum testatur codex Manuscriptus à me *citatus*, qui eâdem Vigiliâ Paschæ, quâ Sessio IV. celebrata fuit, refert de articulo 1. eum imperfectum pronuntiatum fuisse, sinè illis nimirum verbis: *Et ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Addit Gobelinus, quia articuli *minùs sufficienter* pronuntiati fuerant per unum de Cardinalibus in Sessione IV. ideo *6. die Aprilis* eosdem *per unum alium de Concilio pronuntiatos fuisse reformatos*: quod idem codex Manuscriptus à me *citatus* his verbis affirmat: *Imperfectè fuit factus, ideo suppletur in Sessione sequenti.* An manifestiùs convenire poterat Manuscriptus codex cum Gobelino? Quid ad hæc respondere poterit D. Maymbourg?

33. Quòd si plura desideret, erit, quo abundè ei satisfiat: Concilium enim Basileense, cujus authoritatem tanti facit, refert ex Gestis Constantiensis Concilij, quòd *ob diversas opiniones de potestate Concilij Generalis in his, quæ ad reformationem Ecclesiæ, super primâ definitione præscriptus omissus fuerat articulus de hoc faciens mentionem, & sequens, qui ex primo dependet.* Quid clarius? Quid manifestius? Quid in rem nostram expressius scribi, vel afferri potuit? Probavimus ex Manuscripto codice, & Gobelino Personâ, in Decreto 1. Sessionis IV. non reperiri clausulam: *De reformatione.* Gesta ipsius Constantiensis Synodi testantur, id mirum videri non debere, quia ob varias opiniones de authoritate Concilij circa reformationem Ecclesiæ Sessione IV. *super primâ definitione præscriptus fuerat omissus articulus de hoc faciens mentionem*: adduntque, ob omissum Sessione V. articulum illum, Decretum ex integro aliâ Sessione pronuntiatum fuisse, quòd & omninò dicendum esset, licèt ex testimonijs à nobis allatis minimè constaret. Cur enim Decretum illud Sessione V. repetitum fuisset, si illi nihil omninò in Sessione IV. defuisset?

Iterata instantia Maymbourgi.

URget hic Author *pag. 248.* in Manuscripto ipsius Schelstrate legi *in Præfatione decreti*, sicut in Actis penes se extantibus: *Hæc sancta Synodus Constantiensis, legitimè congregata pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris, ad consequendam facilius, securius, uberius, ac liberius unionem, ac reformationem Ecclesiæ, ordinat, definit, & declarat, ut sequitur, quòd scilicet quilibet, cujuscunque dignitatis sit, etiam Papalis, obedire tenetur Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis.* Et quis non videt, pro sensu integro, juxta intentionem & expressa Concilij verba, non ibi hærendum esse, sed necessariò adjungi debere. *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris?* Et hoc est in codicibus nostris, qui sunt veri, & deest in codicibus suis: quæ omissio, cùm nullo modo sustineri queat, eos defectuosos esse, ostendit. 34.

Responsio.

IDem Schelstrate *cit. cap. 2. pag. 46.* replicat. Hæc irrito conatu sibi opponi. Si enim verum esset, quod Maymbourgus ex illa præfatione deducit, sequeretur, à Decreto 1. Sessionis IV. abesse debere vocem *Fidei*, utpote de qua in Præfatione per ipsum allatâ nulla mentio facta est. Cùm autem ex voce *Fidei*, quæ in Decreto adest, & in Præfatione non extat, omninò sequatur, Decretum Præfationi in omnibus correspondere non debere; videat, quæso, cui fundamento argumenta sua innitantur, & quàm debili ratione concludat, codices meos defectuosos esse. Non solùm à manuscriptis codicibus verba: *De reformatione* abesse, sed & abesse debere, ijs testimonijs comprobavi, quæ nemo prudens contempserit. Et quamvis sequatur, quòd 1. Decretum Sessionis IV. non fuerit integrè pronuntiatum, id nihil obstabit, cùm id factum esse, testentur Gesta ipsius Concilij, & confirmet Gobelinus. Unde constat, quòd omnes manuscripti codices, qui articulum *De reformatione* adjunctum habent, defectuosi sint, illíque veri, ac genuini, qui nullam ejus articuli mentionem faciunt. 35.

Et hæc sufficiant de corruptione 1. Decreti Sessionis IV. prout ex compilatione Basileensium ad manus nostras pervenit, quod emendatione indigere, nimis clarum, & manifestum est, quàm ut in dubium revocari possit. Quod enim D. Maymbourg adijcit de Concilio Basileensi, & ejus Præside Juliano Cardinali, ac si Decretum 1. Sessionis IV. Constantiensis citâssent cum clausula: *De reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, eodem vitio laborat, quo cætera loca *superiùs* examinata 36.

ta: citant enim Basileenses, eorumque Præses Julianus Cardinalis Decretum *primum* non Sessionis IV. sed V. quas, cùm Author noster confuderit, mirum videri non debet, quòd manuscriptos codices nobis objecerit: mirum tamen videbitur, si, postquàm eos cum editis contulerit, & quandónam Sessio IV. habita sit, diligenter notaverit, eos objicere perrexerit: tunc enim non solùm codices suos erràsse, sed (quod longè ab ipsius mente alienum puto) eum quoque errare velle, & ex prædictis constabit, & ex codicibus Gallicis, quorum auctoritatem infringere non audebit, confirmari poterit.

37. Neque enim desunt manuscripti codices Gallici, in quibus Decretum *primum* Sessionis IV. sinè clausula: *De reformatione*, exhibetur: præterquàm enim, quòd plures ex illis, quos ipse D. Maymbourg vidit, clausulam illam non continere, sciam, notum est, Parisijs asservari Manuscripta Authoris gravissimi, qui tum vivebat, cùm Synodus Constantiæ celebrabatur, in quibus Decreta ex speciali Galliæ Legatorum relatione exhibentur, & sinè mentione istius clausulæ posterorum memoriæ consecrantur. Cùm enim Auctor Decretum illud descripsisset, aliaque ad annum 1415. spectantia attulisset, subjungit: *Redeo ad Concilium Generale Constantiæ celebratum pro pace & unione Ecclesiæ, ut indicem res notatu digniores hujus anni, de quibus cum certitudine instructus fui per hujus Coronæ Legatos.* Ita Author in opere manuscripto, quod ante aliquot annos ex Bibliotheca Thuana Parisijs prodijt, & non semel, sed centies à D. Maymbourg in scriptis suis citatum fuit: adeoque, si dubium aliquod ex codicibus à me deductis hucusque habuerit, ex Manuscriptis, & editis codicibus Gallicanis dubium suum auferre poterit, quinimò, nisi Legatorum Galliæ, qui Concilio Constantiensi adfuerunt, testimonium in dubium revocare velit, auferre debebit.

38. Ex quibus jam facile est, respondere ad exprobrationem illam, quæ in præsentis argumenti initio à Maymbourgo fuit opposita; quasi Emanuel à Schelstrate Acta Concilij Constantiensis & Basileensis, quæ plusquàm à ducentis sexaginta annis pro verissimis habita sunt, incusando de sui depravatione, atque adulteratione, perperàm niteretur in controversiam trahere eorundem legitimam & pacificam possessionem trium ferè sæculorum auctoritate firmatam.

39. Ad hanc, inquam, exprobrationem parata est responsio ab eodem Schelstrate *sui de decretis Constantiensibus tractatûs pag. 8.* reposita, quòd nempe Acta & gesta Constantiensis Synodi, quæ ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus adduxisset, veritatem contineant, quæ, Tertulliano *lib. de præscript.* teste, *sempiterna quædam res est, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum ei præjudicare possunt.* Imò Acta, ex quibus Basileenses suam collectionem compilárant, nullibi repugnant cum ijs, quæ Schelstrate ex manuscriptis codicibus attulit, licque confirmant potiùs, quòd errores in Acta, prout ex compilatione Basileensium posteritati tradita sunt, irrepserint: sicque cum S. Augustino *enarrat. in Psal. 61.* dicere licet, quòd *veritas quidem latere potuerit, vinci non potuerit.* Quare juxta aliam Tertulliani regulam *de præscript.* dici oportet, in hoc etiam rei statu, *id esse verum, quod est priùs traditum, id verò extraneum & falsum esse, quod est posteriùs immissum.*

Quâ de causâ illud *primum* Sessionis *quartæ* 40.
Constantiense decretum sub hac verborum formula accipiendum est. *Primò declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo* immediatè *habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis.* In quo adeò decreto expendendo, discussione singulari dignum occurrit; *Quomodò Synodus illa,* cùm non fuerit convocata per aliquem certum Papam, dici potuerit *in Spiritu sancto congregata legitimè?* Quomodò iterum *esset Generale Concilium, Ecclesiam militantem repræsentans?* Quomodò asseverare potuerit, *sibi esse potestatem immediatè à Christo?* Quomodò *quilibet, etiamsi Papalis existeret potestatis, in his, quæ ad fidem & extirpationem schismatis pertinent, ipsi obedire teneretur?* Quæ universa tum *in proxima conclusione,* tum *in subsequentibus §§.* discutiemus.

CONCLUSIO.

COnstantiensis Synodus in statu *acephali* licèt Concilij adhuc constituta, habebat potestatem *immediatam* à Christo, ad statuendum, quæ ad fidem ac extirpationem schismatis pertinebant. 41.

Explicatur. Hæc equidem conclusio non caret difficultate propter ea, quæ *in antecedentibus* dixeramus de statu *acephali* Concilij, quòd nempe tota ejus authoritas consistat ex jurisdictionibus Episcopalibus pro publico Ecclesiæ Bono in unum collatis, ex *intrinsecâ* tamen ratione suâ *transcendentali* coordinatis ad universale Bonum, adeoque pacem, ac tranquillitatem Ecclesiæ. Quandoquidem igitur jurisdictio Episcopalis *formalis, & actualis immediatè* derivetur ex Papalis potestatis plenitudine, Episcopos in Pastoralis solicitudinis partem vocantis. Quomodò jam verificari potest, Concilij Constantiensis adhuc *acephali* potestatem in his, quæ ad fidem, ac extirpationem schismatis pertinebant, fuisse *immediatè* à Christo?

Difficultatem augere videtur, quod Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 9. post medium n. 2.* disserit: *Si,* inquiens, *objiciatur, Concilium Papæ oppositum, adhuc pollere authoritate quasi Papali sibi à Christo* immediatè *collatâ, sicq; adeò non esse corpus truncum, seu* acephalum, *cùm habeat plenam, integrámq; potestatem.* Responderi debere; *hæc utique dici, repetiq;, sed nunquam probari, nec unquam fore probanda; quippe cùm nec unus quidem sacræ Scripturæ apex adferri possit,* 42.

quòd hanc plenitudinem potestatis acceperit Concilium acephalicè *sumptum*; *veluti pateat ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus, & ex Concilijs, ipsámet quoque Constantiensi Synodo Sess. 8.* ubi *apicem potestatis à Christo in Papam, non in Concilium* immediatè *collatum legi*: Petro namque, ejusque Successori, non Concilio dictum esse: *Tibi dabo claves Regni cælorum: super te ædificabo Ecclesiam meam: confirma fratres tuos: si amas me, pasce oves meas.* Quandoquidem igitur Jura nolint, *Principis delegato fidem haberi, nisi suæ delegationis tabulas ostendat*; cùm delegatio sit *Facti. Cap. Cùm in Iure. 31. ff. De offic. Deleg.* Idcircò nobis credendum non esse, *quòd Concilio sit plena in Ecclesiam potestas à Christo delegata, nisi tabulas & chirographum Principis, verbum sacræ Scripturæ exhibeat*: & ideo *nullum Concilium, sedente legitimo Papâ, hanc potestatem sibi usurpâsse.*

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quomodò potestas Concilij Constantiensis in statu Papæ dubij fuerit *immediatè* à Christo.

43. INdubitatum namque est, potestatem Episcopalis characteris esse *immediatè* à Christo, in eoque radicatam esse jurisdictionem Pastoralem, nuncupari solitam *radicalem* in Corpus Christi mysticum, nempe Ecclesiam, ejusque fideles potestatem spiritualem, seu Ecclesiasticam: ad quam Paulus Apostolus *Actor. 20.* volebat, intentos esse universos Ecclesiæ Præsules, dicendo: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* In quantum ergo character Episcopalis *immediatè* à Christo, seu *principali* causa collatus, *intrinsecum*, ac *essentialem* habet ordinem ad Corpus Christi mysticum, in tantum Spiritus sanctus in vi ipsius Episcopalis characteris posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quemadmodùm etiam vi characteris Sacerdotalis, quâ protensi super Corpus Christi mysticum, ut sic importat fori pœnitentialis propriam, potestatem absolvendi à peccatis. At verò hæc ipsa Sacerdotalis à peccatis absolvendi potestas, in ordine ad peccata mortalia, ut sortiri valeat suum effectum, indiget quidem *actuali*, seu *formali* per Episcopum seu Papam concedendâ jurisdictione, & tamen absque hujus delegatione, seu collatione *specificâ* pro casu necessitatis prodire potest in effectum validæ absolutionis moribundo impendendæ. Sic proinde Pastoralis in charactere Episcopali radicata potestas, ex *intrinsecâ* naturâ suâ eatenus respicit Corpus Christi mysticum, Sanguine Christi redemptam Ecclesiam, ut in ordine ad *actuale* sui exercitium secundùm viam ordinariam indigeat aliquâ sui *morali* actuatione, per jurisdictionem *formalem* & *proximam* à Papa derivabilem faciendâ. Nihilominùs vi ejusdem characteris Episcopalis ex naturâ suâ *intrinsecâ* respicientis Corpus Christi mysticum, sicque ex substantiali suâ habitudine ordinati ad Universalis Ecclesiæ Bonum publicum, in casu extraordinariæ necessitatis, quæ maximè urget, dum nullum noscitur Ecclesiæ sanctæ Caput Oecumenicum, pro tunc resultat obligatio providendi publico Ecclesiæ Bono, estque adeò vi ejusdem characteris Episcopalis, & in hoc radicatæ gubernativæ erga Christi Ecclesiam potestatis libera & expedita Episcoporum, ut sicà Spiritu sancta pro Ecclesiastico regimine ordinatorum facultas, ad prospiciendum fidelibus, Ecclesiæque sanctæ in ijs, quæ fidem, ac extirpationem schismatis, atque Capitis certi provisionem concernunt. Quia proinde generalis quædam Episcoporum illo Christi charactere insignitorum, & in hujus à Spiritu sancto ad Ecclesiæ sanctæ regimen ordinatorum congregatio præsentabatur in Synodo Constantiensi, ad schismatis, fideique errorum extirpationem coadunata, rectè dicitur fuisse congregata legitimè in Spiritu sancto, à quo scilicet omnes illi Episcopi ad Ecclesiæ regimen, ejusque Bonum publicum erant ordinati, eratque proinde Synodi illius potestas *immediatè* à Christo, utpote coalescens ex Episcoporum ibi aggregatorum pro publico Ecclesiæ sanctæ Bono, nempe hæresum ac schismatis extirpatione in unum collatis à Christo ceu causâ *primariâ*, unà & Spiritu sancto *immediatè* promanantibus characteribus.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, quanta ex vi characteris Episcopalis à Christo *immediatè* competat potestas ad publicum Ecclesiæ regimen, & hujus Bonum universale, pro casu Papæ certi ac indubitati, suo tamen Pastorali munere debitè non fungentis.

44. EO ipso, quòd Episcopi vi characteris à Christo *immediatè* accepti, sint à Spiritu sancto positi ad regendam Ecclesiam, ideoque pro casu necessitatis urgeat ipsos stricta & gravis obligatio ad providendum publico Ecclesiæ Bono, in gravissimum discrimen conjici solito ex hæresibus præcipuè, dum Papa vel in his refellendis, seu perversis tranquillitatis publicæ turbatoribus coercendis, esset negligens, vel pravis suis exemplis alios facilè traheret in perniciem tum animarum, tum cujusvis generis pravarum machinationum. Idcircò pro eo etiam Ecclesiæ statu, quo certus ac indubitatus noscitur Papa, urgente præinsinuatâ, vel simili Ecclesiæ necessitate, obstringuntur Episcopi tam *figillatim*, quàm *collectim* ad quævis remedia non equidem *coactiva*, utpote sphæram inferioris authoritatis excedentia, sed *directiva* ad excitandum Papæ officium, instando etiam, ubi opus fuerit, pro Concilij Oecumenici à Papa indicendi convocatione, aliaque opportunè præstando, quæ conducere videri possint ad Ecclesiæ mala averten
da, ejusque pacem & unitatem seu
conservandam, seu restituendam.

§. III.

§. III.

In quo examinatur Synodi Constantiensis Sessione *quartâ* editum *primum* decretum, quòd scilicet de Concilij super Papam superioritate non aliter statuat, nisi subrestrictione ad statum Papæ dubij & incerti, ac tempus schismatis.

45. AUdiamus hâc de re Emanuelem à Schelstrate *præcitati Tractatûs de sensu & authoritate decretorum Concilij Constantiensis differt. 1. cap. 3.* ita disserentem. Notaveram, inquit, in dissertatione mea *cap. 1. art. 2. pag. 41. 42. & 43.* quòd post fugam Joannis Papæ XXIII. tres nationes credentes, solâ viâ coactionis schisma extirpari posse, tumultuosè concluserant, celebrandam esse Sessionem IV. tumque designaverant duo Decreta eâdem Sessione publicanda, quorum *primum* agit de authoritate Constantiensis Concilij, cui quilibet, cujuscunque authoritatis, licèt Papalis, obedire deberet in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem præsentis schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & membris. *Secundum* verò, quòd quicunque, licèt Papalis authoritatis existat, hujus, sive alterius Concilij Generalis statutis quoad prædicta obedire contumaciter contempserit, à Concilio puniri possit, & legitimæ pœnitentiæ subijci. Observavi insuper, his Decretis sese opposuisse Cardinales, alioscque, qui tam constanter restiterunt eorum publicationi, ut consentientibus Nationibus, à *primo* Decreto ablata sit illa clausula: *Et ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*; & *secundum* Decretum de authoritate *coactivâ* Conciliorum omninò omissum fuerit.

46. Neque hæc desumpseram ex suppositijs scriptis, seu dubijs quorundam testimonijs, sed ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus, Acta Constantiensis Concilij hactenus inedita continentibus. ex quibus quisque colligere poterat, Cardinales Capitulis Sessione IV. publicandis noluisse subscribere, quinimò die 29. Martij apertè declarâsse Regi Romanorum, quòd nolebant ad Sessionem IV. die sequenti celebrandam venire, nisi sub conditione: *Quòd non fierent, neque statuerentur alia capitula, nisi capitula infrà scripta*: cumque die 30. Martij horâ septimâ ante meridiem, *convenientibus in Palatio Episcopali Constantiensi, Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuisset plurimùm super infrascriptis, & alijs capitulis altercatum*, tandem horâ circiter decimâ ante meridiem, inchoatâ jam Sessione, mediante Rege Romanorum, convenisse inter Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum: *Divino flamine inspirante, in unam sententiam convenerunt, quòd tantùm capitula infrascripta in dictâ Sessione statuerentur.* Inter capitula autem inferiùs relata, est *primum* Sessionis IV. sinè mentione: *De reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, & non reperitur *secundum* de authoritate *coactivâ* Conciliorum, quo Pontifices quoad prædicta obedire detrectantes, legitimæ pœnitentiæ subjici possint.

Quod ex Regesto, hoc etiàm constat ex Gestis Constantiensis Concilij, quæ referunt, non Cardinales tantùm, sed Legatos quoque Regis Galliæ unum, idemque sensisse, nam inquiunt Gesta illa, quia die 30. Martij ante initium Sessionis *Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Sessione, nec etiam Ambassiatoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales, & Ambassiatores erant deliberati, non interesse in Sessione, & licèt Rex multùm instaret apud Cardinales, quòd interessent, tandem cùm Prælati sederent in Concilio cum Mitris & Pluvialibus, Rex tractavit cum Cardinalibus, & per ejus medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illa Sessione, Cardinales consenserunt interesse, & fecerunt, quòd etiam interfuerint Ambassiatores Regis Francorum, cum quibus Cardinales se conjunxerunt, & illi cum Cardinalibus.* Ita Gesta ipsa Constantiensis Concilij, in quibus refertur, omissum fuisse tam articulum: *De reformatione*, quàm *secundum* Decretum *de authoritate coactivâ*, prout & duo ista inter Decreta Sessionis IV. in ijsdem Gestis relata desiderantur. 47.

Quibus præsuppositis, iterum descendere placeat in arenam certaminis inter dictum Schelstrate & Maymbourgum condicti.

Argumentum Maymbourgi.

AUthor hic *præf. hist. suæ pag. 250.* ex præinsinuato per Regem Romanorum adhibito moderamine, argumentatur in hunc modum. Nempe quatuor articuli examinandi erant quoad dictum decretum. *Primus*; An Concilium recepisset *immediatè* à Jesu Christo potestatem, cui Pontifex ipse obedire tenetur in his, quæ spectant ad fidem, & extirpationem schismatis? *Secundus*; An in decreto poni deberet, *quod spectat ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris? Tertius*; An, quando Pontifex nollet obedire, puniri posset? *Quartus*; An hæc omnia æquè bene intelligi deberent de omni alio Concilio Universali, ac de Constantiensi, quod tempore schismatis celebrabatur? Quantum ad *primum* omnes Nationes facilè convenerunt, sed quantum ad alios tres, aliqui, & præcipuè Cardinales, qui volebant quoad hoc saltem Papæ gratificari, sese opposuerunt. Moderamen autem ab Imperatore Sigismundo repertum pro uniendis omnibus fuit, quòd Decreto 1. Sessionis IV. non declararentur alij, quàm duo primi articuli, & quoad duos alios, de illis videretur posteà, quid sequenti Sessione faciendum esset. Hoc manifestum fit ex Actis manuscriptis nostris, & Manuscripto ipsius D. Schelstrate, &c. 48.

Responsio.

EManuel à Schelstrate *cit. cap. 3. à pag. 54.* reponit in hunc modum. Ponamus, Maymbourgum ex Manuscripto meo rectè deduxisse, quòd moderamen à Rege Romanorum adhibitum in eo constiterit, ut in Decreto 1. Sessionis IV. statueretur, Concilium Constantiense à Deo potestatem accepisse, cui 49.

quilibet, licèt Papalis authoritatis, obedire teneatur quoad fidem, & extirpationem schismatis: ponamus quoque, duos ultimos articulos de potestate *coactivâ*, & de authoritate Constantiensis Concilij aliis etiam Synodis Generalibus adjudicandâ, pro Sessione sequenti relictos fuisse. Ponamus demum, hæc planè constare ex Actis editis & ineditis, Manuscriptis Gallicis & Italicis. Hæccine placitis Illustrissimi Cleri Gallicani convenient, & ad confirmationem declarationis ipsius facient?

50. Dicat, obsecro, D. Maymbourg, si Decretum Sessionis IV. solùm restringatur ad Concilium Constantiense, cujus tempore tres de Papatu contenebant, quomodò salvabitur articulus *secundus* à præfato Clero anno 1682. Parisijs editus, & *suprà* à nobis allatus, in quo dicitur, quòd de authoritate aliorum Conciliorum Generalium intelligendum sit Decretum Sessionis IV. neque ab Ecclesiâ Gallicanâ probetur sententia eorum, qui illud ad solum schismatis tempus referunt? Si omnia Acta Constantiensis Concilij tam edita, quàm inedita, tam Romæ, quàm Parisijs asservata, à quatuor Protonotarijs Concilij Constantiensis conscripta, quam à Basilienſibus compilata innuant, Decretum IV. solummodò agere de authoritate Constantiensis Concilij tempore schismatis celebrati; quâ ratione, quo fundamento improbari poterit sententia illorum, qui illud ad solum schismatis tempus retulerunt? Quid hîc aget D. Maymbourg? Quibus verbis articulum *suprà* dictum quoad Decretum Sessionis IV. salvabit? Ego sanè in dissertatione mea solùm monstraveram, Decretum 1. Sessionis IV. corruptum, ad manus nostras perveniſſe, unde ad summum deduci poterat, ab Ecclesiâ Gallicanâ improbari non posse, qui illud, prout hucusque typis descriptum fuit, dubiæ authoritatis esse, judicant. At nunc ex omnium Manuscriptorum, & editorum codicum fide etiam constare dicitur, Concilium Constantiense *primo* suo Decreto Sessionis IV. non egisse de Conciliorum extra tempus schismatis celebratorum auctoritate, unde sequitur, neque à Gallicana Ecclesia improbari potuisse eos, qui illud ad solum schismatis tempus referunt.

51. Quamvis autem vix dubitem, quin hisce perpensis, D. Maymbourg facilè agnoscet, quòd Acta à me allata causæ suæ minimè faveant, non tamen sibi persuadere debet, quòd ab omni difficultate sese extricaverit, dicendo: quòd, etiamsi verba illa: *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, non fuissent posita in Decreto 1. Sessionis IV. id tamen nihil faceret ad punctum difficultatis, quandoquidem re ipsâ sint in Decreto Sessionis V. cùm nihil referat ad validitatem Decreti, quânam Sessione statutum sit. Huic enim objectioni facilè satisfieri potest, cùm plurimùm faciat pro confirmatione Decreti Constantiensis, quòd Sessione V. potiùs, quàm IV. editum sit; licèt enim duæ illæ Sessiones ab una tantùm ex tribus Obedientijs factæ sint, & in eo conveniant, quòd plenum robur habere non possint; in eo tamen Sessio V. differt à IV. quòd V. contradicentibus gravioribus de Obedientia Ioannis XXIII. Patribus, celebrata sit, ubi IV. consentientibus omnibus, habita fuit, ut *dissertatione sequenti* fusiùs ostendemus.

52. Nec quemquam posthàc reperiendum puto, quin plurimùm interesse judicet, quòd Decretum cum clausula *De reformatione* solùm Sessione V. publicatum fuerit. Cùm enim non agatur de Decreto Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, sed de Decreto Concilij non Generalis, quod ob varias rationes in dubium revocatur, quò plures rationes militant contra illud, eò magis infirmari, necesse est. Ultra rationes autem, ob quas Decretum Sessionis IV. in dubium revocatur, reperitur contrà Decretum Sessionis V. & illa de plurium Patrum contradictione: sicque Decretum, quia solùm Sessione V. cum clausula *De reformatione* publicatum fuit, minimè firmum & dici potest, & dici debebit. Itaque non parum interest, quâ Sessione Decretum cum clausulâ supradictâ editum fuerit.

53. Ex ijs, quæ à Schelstrate hactenus dicta fuerunt de decreto *primo* Sessionis *quartæ*, jam facilè patet, quàm malè concluserit Maymbourgus *pag. 253.* quòd scilicet *ipse non debeat corrigere Concilium Constantiense juxta ea, quæ in Manuscriptis à dicto Schelstrate allatis reperiuntur, sed hunc econtra debere textum juxta sua Manuscripta corrigere.* Hoc namque Maymbourgi dictum quàm remotum est a vero, tam alienum est ab æquo, quippe Schelstrate ostenderit ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus, & æqualium Scriptorum testimonijs, non solùm dubium esse decretum *primum* Sessionis *quartæ*, sed etiam corruptum ad manus nostras perveniſſe, adeò ut emendatione omninò indigeat, & quòd factâ istâ emendatione, nihil planè ad Conciliorum Generalium, sed solùm ad auctoritatem Concilij Constantiensis, tempore schismatis celebrati faciat.

CONCLUSIO.

54. DEcreta Constantiensia *quartæ* & *quintæ* Sessionis de superioritate Concilij, uti re verâ sunt restricta ad tempus schismatis, & erga Papam dubium, ita si eorundem ulterior extensio prætenderetur, excipi posset; non esse decreta Oecumenici Concilij, ac Synodo Constantiensi nullam fuisse authoritatem decernendi super Oecumenicæ Synodi, vel Papæ authoritate.

Explicatur. Quid enim interest, ut ex fundamentis solidis à Schelstrate hactenus deductis firmum ac fixum teneatur, *primum quartæ* Sessionis Constantiensis (nam de *quintæ* Sessionis decretis examinandis *seq. disquis.* majora adhuc argumenta proferentur) coarctari ad tempus schismatis, atque ad statum Papæ incerti ac dubij, satis constat *ex antecedentibus.* Hoc enim principio firmato, Cleri Gallicani articulus *secundus* eo etiam ex capite

corruet.

corruet, quòd super illis Synodi Constantiensis decretis fundet authoritatem Conciliorum Generalium, quam tamen Vicario Christi nomine, Papæ proprio, non interveniente, minimè dici posse Oecumenicâ, *superiùs* est probatum; atque adeò ex ipsis terminis redditur evidens, si decretum illud Constantiense sit restrictum ad tempus schismatis, sub quo nullus noscitur certus & indubitatus Papa, qui Concilio Generali impertiat suam Apostolicam authoritatem Christi Vicariam, & Oecumenicam, nullatenus habere locum circa Concilia *completè* Generalia, ac *formaliter* Oecumenica. Quam etiam ob rationem meritò improbatur in dicto Cleri Gallicani articulo *secundo*, quòd Synodum Constantiensem *absolutè* & *simpliciter* vocet Oecumenicam, utpote quæ sub illis præsertim IV. & V. Sessionis decretis eatenus destituebatur charactere Papali, nomen Christi Vicarium in terris præferente, ut ex hujus ceu animæ Concilij, quâ Oecumenici *formaliter* constitutivæ defectu, ad summum quasi *materialiter*, vel etiam *dispositivè* denominari potuerit seu Generalis, seu etiam Oecumenica, nec adeò, dum eidem non accessit authoritas Pontificia, eorum confirmatoria, vim habere pollunt sanctionis Oecumenicæ.

PROBATIO I.

In quâ ostenditur, etiam præscindendo à manuscriptis codicibus ex Schelstrate adductis, & insistendo Basileensium de Synodi Constantiensis Actis compilationi, nec non Cleri Gallicani verbis *secundo* suo articulo expressis, adhuc evinci, quòd decreta IV. & V. ejus Concilij Sessionis sint restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij.

55. ETenim præfatæ Sessionis IV. proloquium extat hisce verbis conceptum: *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fiendâ, ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius, & uberius unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur.*

56. Sub quâ verborum formulâ disquirere inprimis lubeat, cùm Sessionis *Quartæ* ac *Quintæ* Decreta sint concepta, postquam Ioannes Papa suam Papatûs cessionem jam fecerat, sed pœnitentiâ ductus, Constantiâ clam recesserat, nec adeò quisquam seu certum, seu etiam dubium Apostolici Pontificatûs characterem Christi Vicarium præferens intervenerat, quomodò ea Synodus pro tali statu in *Cleri Gallicani Declaratione* dici potuerit Oecumenica, quippe cùm istius forma sit ex nomine seu charactere Christi non *per se corporaliter*, sed *per Vicarium suum* interris visibilem præsidentis? Verùm istius dubij resolutio est in promptu, si expendatur, Synodum illam Constantiensem in præfato proloquio in tantum dicere, se pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris facere Generale Concilium; ut per hoc manifestè supponat, Synodum ejusmodi pro tali statu substitisse absque certo Capite, imò ad certum Ecclesiæ Caput constituendum, in Spiritu Sancto legitimè congregatam esse. In aperto igitur est, Decreta ejus Synodi pro tali statu condita, non habere locum, nisi in casu schismatis, seu de Ecclesiæ legitimo Capite dubietatis statu. In qua adeò rerum peristasi Synodus Constantiensis faciebat Generale Concilium non in *statu consummato ac perfecto*, utpote Vicarium Christi characterem exigente, sed in *statu tendentiæ* ad consequendam unionem ac reformationem Ecclesiæ in membris, & Capite primùm constituendo: sub quâ proinde tendentiâ ita erat Synodus illa legitimè in Spiritu sancto congregata, ut ejus tamen quâ Concilij Oecumenici perfectio, & omnimoda infallibilitas minimè subsisteret, quousque tandem supervenisset Vicarius Christi character, Decreta ab ea Synodo condita approbans, suaque muniens authoritate.

57. Neque verò ista Pontificiæ Christi Vicariæ authoritatis adjectio latiùs extendenda est, quàm ipsa Decretorum formula disertis verbis præ se ferat. Sic igitur se habet istius *Quartæ* Sessionis præinsinuatum Decretum: *Ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.*

58. Circa quod proinde Decretum liquidò constat, esse editum pro statu, in quo non erat certum Ecclesiæ Caput. Quomodò igitur Ecclesiam Catholicam non ex membris duntaxat, sed etiam ex Capite visibili, quo Ecclesia Militans, *quoad certitudinem saltem*, destituebatur, constantem pro tunc repræsentabat? At sicuti Synodus illa non erat in *perfecto* Concilij Oecumenici *statu*, sed erat in *statu tendentiæ* ad hujus ex Capite Christi Vicario characteris perfectionem; suique cum legitimo tandem Capite unionem consequendam, sic universalis Ecclesiæ repræsentatio nondum erat *consummata*, sed ejus consummatio quærebatur ex schismatis extirpatione, generalique Ecclesiæ Dei in certo Capite & membris reformatione. In quo proinde statu, clarum est, loqui Decretum: unde sicut nullus dignitatis Papalis characterem *cum certitudine saltem* præferens tunc existebat, sic Decretum illud nequit intelligi, quòd afficiat verum ac certum Papam, quippe cùm dicatur, omnem cujuscunque, etiamsi Papalis existat, dignitatis, teneri ad obediendum in his, quæ ad extirpationem schismatis, & generalem in Capite & membris Ecclesiæ reformationem etiam pertinent. Cujusmodi adeò restrictiones aliud non respiciunt, nisi perturbatum illud ex Capitis incertitudine resultans tempus.

59. Et licèt fidei dogmatum in Synodo illâ Constantiensi sanciendorum obedientia sub sub eo Decreto exigatur etiam à Papa, uti tamen Synodus illa, sic ejus quoque sanctiones Dogmaticæ pro tunc erant in statu tendentiæ, per characterem Christi Vicarium in terris, haud certò tunc subsistentem, sed ipsiusmet Concilij in hunc finem legitimè in Spiritu sancto congregati authoritate, tandè consequendum, quo superveniente, in his, quæ ad fidem pertinent, eatenus succedebat sanctionis dogmaticæ consummatio, ut omni, etiamsi Papalis existat dignitatis, sit in eis obediendum. Cujus tenoris sunt etiam Decreta *Quintæ* Sessionis, uti clarè patet legenti, diserteque in horum proloquio dicitur: *Synodus Constantiensis, Generale Concilium* (tunc *inchoativè*, postea autem per certi Vicarij Christi characteris accessum *consummativè*) *faciens, legitimè in Spiritu sancto congregata pro extirpatione schismatis ac unione, & reformatione Ecclesiæ in membris & in Capite*: ad quem etiam finem, *ibidem* asseritur, ordinari subsequentia Decreta, ut hinc prorsus manifestum evadat, istas ordinationes esse ad hujus finis mensuram restrictas, ac ordinatas ad eam Oecumenicæ sanctionis *consummationem*, quæ non nisi ex Summi Pontificis, ad quem constituendum collimabat ea Synodus, mediante Vicario Christi charactere obtinenda esset. Iuxta quem adeò sensum accipi quoque debere dictum Cleri Gallicani Declarationis articulum *secundum*, liquidò constat ex ejusdem verbis proprijs, utpote quibus Synodi Constantiensis Decreta non aliter, quam ex Sedis Apostolicæ, atque adeò Summi Pontificis postea subsecuti comprobatione dicuntur, valere tanquam Oecumenica, sicque immota subsistere.

PROBATIO II.

In quâ ostenditur, Concilium Constantiense pro statu IV. ac V. Sessionis non fuisse *strictè*, ac *formaliter* Oecumenicum, seu Generale, nisi cum addito diminutivo *materialiter*, ac *dispositivè*.

60. EX dictis superiùs constat, quomodò Concilium dici possit Generale secundùm denominationem generalitatis tum *formalis*, tum *materialis*. Generalitas *materialis* importat quandam coacervationem Episcoporum ex universo Christiano orbe convocatorum, quorum character Episcopalis importat quidem aliquid etiam de *formali* erga universale Ecclesiæ sanctæ regimen ordine quasi *radicali* & *transcendentali* in Ecclesiæ publicâ necessitate, sub schismatis præcipuè tempus ad debitam provisionem universos Episcopos tam *figillatim*, quàm *collectim* constringente, ita tamen, ut ejusmodi regiminis Ecclesiastici ordo hierarchicus in charactere Episcopali fundatus, nullatenus protendi valeat super Papæ authoritate Oecumenicâ, quin potiùs ista super illius tam actuatione, quàm exercitio *morali* extendatur. Quamdiu ergo Concilium constat ex solis Episcopis, quantumvis ex toto Christiano orbe essent convocati, nequit dici perfectè Oecumenicum, vel Generale, nisi vel *materialiter* duntaxat, vel secundùm quandam adhuc incompletam *formalis* generalitatis, quâ characteri Episcopali inexistentis, sed quoad sui actuationem & moralitatem omnimodam supremo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici subordinatæ denominationem: siquidem ex *Matth. 18. capite* sæpius jam fuerit à nobis ostensum, quomodò neque prima Concilij Oecumenici ratio subsistat, nisi ex Vicario Christi nomine, Papæ in terris proprio, neque præeminentia consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis locum habeat, nisi ad hierarchici Ecclesiæ Corporis Decretum Conciliare accedat Capitis consensus: neque *indefinita* Papali authoritati compar ligandi & solvendi authoritas Apostolis *collectivè* sumptis pro perpetuo Ecclesiæ statu promissa, competere possit Concilio, nisi quâ indivisibiliter & Papam, & Apostolorum in Episcopali charactere successores *collectim*, & in unam Synodum aggregatos complectenti. Quàm parum ergo corpus organicum hominis dici potest humanũ, nisi *materialiter* & *dispositivè*, quamdiu ipsi deest anima, seu forma in Esse humani corporis *essentialiter*, ac *formaliter* constitutiva: sic neque Concilium potest *completè*, ac *formaliter* Oecumenicum, seu generale denominari, nisi Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Episcopis ac Præsulibus Ecclesiæ in Synodo aggregatis consistens, sit unitum Romano Pontifici seu suo, & sanctæ Ecclesiæ Capiti Universali ac Oecumenico. Quandoquidem igitur Concilium Constantiense pro statu schismatis, & Papæ dubij perinde habendum fuerit, ac si nullus eidem interesset verus Papa, Capitis Oecumenici characterem præferens in facie sanctæ Ecclesiæ, in ò tempore IV. & V. Sessionis ne dubij quidem Papæ character intervenerit, quinimò, ne quidem Episcopi dubiorum Paparum obedientijs diversimodè addicti, universi ibi adhuc præsentes extiterint, meritò jam scisciari licet, quomodò pro tali statu Synodus illa uti potuerit titulo Generalis Concilij, nisi quoad generalitatem quasi *materialem*, & *incompletè* duntaxat *formalem*, qua Episcopali characteri inditam, subsistentem pro tunc sub statu tendentiæ, tum ad omnimodam *materialem* ex duorum Paparum obedientijs coacervandam, tum ad perfectam ex Papa certo sufficiendo, suisque Conciliaribus Decretis accessuro substituram *formalem* generalitatem. Sub cujusmodi adeò restrictione poterat eadem Synodus pro eo statu dici repræsentans Ecclesiam Catholicam militantem, quatenus scilicet Ecclesiæ hierarchicum, sed incompletum & Capite certo destitutum corpus repræsentabat sub ordine tendentiæ ad istam sui ex Capite integritatem recuperandam.

§. IV.

Corollarium.

61. OPeræpretium duco, ut coronidis loco hîc examinetur, quòd Maymbourgus *pag. 217. &*

217. & 254. scripsit de Concilio Pisano, ac si quæstionem *de authoritate Synodi Generalis supra Pontificem* decidisset pro Concilio. Ita enim iste Author *tract. sui hist. cap. 21. cit. pag. 217.* scribit de Concilio Pisano. Celebris Doctor Petrus Plaoust unus ex Deputatis Universitatis Parisiensis, quæ tunc maximi apud omnes fiebat, habuit in plena Congregatione longam & doctam orationem, in qua pluribus rationibus probabat, Ecclesiam universalem, & consequenter Concilium generale ipsam repræsentans, esse supra Papam, adjungendo, hanc esse sententiam Universitatis Parisiensis, & cæterarum omnium Universitatum Galliæ. Vix è cathedra descenderat, cùm Episcopus Novariensis eam ascendit, & legit altâ voce scriptum, quo declarabatur, centum & tres Doctores, & Licentiatos in Theologia ex ijs, qui Deputati erant ab Universitatibus, convenisse de mandato Cardinalium, ut deliberarent super hâc materiâ, quodque omnes communi voto amplexi essent sententiam Universitatis Parisiensis. Asseverabat enim, quòd præter Universitates Galliæ, ita quoque sentiret celebris Universitas Bononiensis, cujus litteræ habebantur, & Universitas Florentina, quæ sententiam suam dederat in scripto a 120. Doctoribus subsignato. Hæc D. Maymbourg ex Actis Pisani Concilij; prout edita fuerunt tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei, & tomo VI. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, quorum Authorum editiones citat *pag. 216. in margine.*

62. Cui proinde Maymbourgi oppositioni solidis rationibus occurrit Schelstrate; priùs tamen, quam de re ipsa judicet, adferens illas Concilij Pisani editiones inter se plurimùm discrepantes. Nam prior minùs correcta, à Philippo Labbeo ex alia anteriori editione Parisiensi exhibita, refert de Petro Plaoust, quòd anno 1409. die 29. Maij orationem habuerit, quâ mentem suam de supremâ authoritate Ecclesiæ in publicâ Congregatione exposuit, sed addit, quòd post orationem attulerit opinionem Universitatis Parisiensis: *Et postmodùm posuit opinionem Vniversitatis Parisiensis, videlicet, quòd Petrus de Luna est schismaticus pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè & strictè, præcisúsq; ab Ecclesia Dei, ejectus à jure Papatûs, & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus & privandus, & hæc declaravit pluribus rationibus. Et subjunxit, quòd de eadem opinione erant Vniversitates, Andegavensis, & Tholosana. Ipso autem descendente de Cathedra, ascendit quidam Episcopus Italus, qui opinionem tredecim Magistrorum, & plurium Licentiatorum, & Baccalaureorum Formatorum, ac Vniversitatis Bononiensis in quadam schedula publicavit, quæ est conformis opinioni Vniversitatis Parisiensis.* Ita Acta Pisana prioris editionis, quæ Lucas D'Acherius his verbis to. VI. Spicilegiorum integriora reddidit ex tribus codicibus Bibliothecæ Gemmeticensis.

63. *Decima tertia Sessio fuit die Mercurij 29. Maij, quæ fuit in septimana Pentecostes, in qua post Missam & Intantias Magister Petrus Plaoust pro Vniversitate Parisiensi dixit, & declaravit, opinionem Vniversitatis esse, istos duos contendentes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans authoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos, & eos, quantum opus est, abjiciendos &c. sumens thema suum*: Congregabuntur filij Juda & Hierusalem, & ponent sibi caput unum.... *Posteà immediatè unus Episcopus Italus, dictus Novariensis, legit quandam schedulam facientem mentionem, qualiter secundùm ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia, & Licentiati, & Baccalaurei Formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Vniversitatibus convenerunt, & inter eos fuerat plena deliberatio super istâ materiâ, & posteà in eandem opinionem convenerant, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos ambos contendentes tenent schismaticos & hæreticos pertinaces &c. ut suprà. Et omnium & singulorum nomina recitavit, quorum multi sunt Episcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item posteà dixit, quòd in eadem opinione fuit Vniversitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti Magistri subscripti. Idem etiam deliberavit Vniversitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras. Idem Vniversitates, sive studia, Aurelianensis, & Andegavensis & Tholosana per suos Ambassiatores ibidem.* Hæc omninò sunt Acta Pisana, quibus usus est D. Maymbourg, ut probaret, Universitatem Parisiensem, juxta Petrum Plaoust, sententiam tulisse pro auctoritate Concilij supra Pontificem, ejusdemque opinionis fuisse alias Universitates ab Episcopo Novariensi allatas.

Illatio.

64. EX Concilij Pisani Actis *prælegatis* nullatenus constat, Universitatem Parisiensem egisse de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem, sed solùm de tempore schismatis statuisse; velut ostendere pergit *præcitatus* Schelstrate *cit. cap. 1. à pag. 69.* Id Acta, inquit, prioris editionis expressè innuunt, dum his verbis referunt Universitatis Parisiensis opinionem: *Quòd videlicet Petrus de Luna est schismaticus, pertinax, & hæreticus præcisus ab Ecclesia Dei, & ejectus à jure Papatûs, ac per Concilium de facto privandus.* Acta correctiora per Lucam D'Acherium edita testantur non solùm de Petro de Luna, sed de duobus contendentibus Universitatem Parisiensem sensisse: *Debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces.* Hæc & non alia in Actis Pisani Concilij dicitur Parisiensis Universitatis sententia per Petrum Plaoust allata, ut videre non possim, undenam D. Maymbourg habuerit, Universitatem Parisiensem egisse de authoritate Concilij supra verum, & indubitatum Pontificem. Quo loco enim id habent Acta Pisana? Quibus verbis id testantur? A quo tempore id memoriæ prodiderunt? Quandonam id in illis legi cœpit?

65. Ante paucos sanè annos nondum id habebant, neque id in ijs legerat Auctor ille, dum libro de magno schismate Occidentis, historiam

riam Pisani Concilij exponendo retulit de Petro Plaoust. *Declarabat & confirmabat opinionem Vniversitatis, quòd nimirum duo contendentes haberi deberent pro veris schismaticis, qui nutriebant infortunatum illud schisma; quin & pro hæreticis, destruendo, quantum poterant, articulum Symboli, quo unitas Ecclesiæ creditur; & concluſit demum, quòd Concilium illos pro talibus habere, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per schisma & hæresin jam exciderant.* Hæc tunc D. Maymbourg, quæ cum ipsis Actis conveniunt, & ex adverso pugnant cum ijs, quæ in recentiori suo tractatu de sensu Universitatis Parisiensis adduxit. Unde patet profectò, Auctorem illum contra fidem Actorum Pisani Concilij scripsisse, quòd inter cæteras Galliæ & Italiæ Universitates de illa quæstione convenerit, cùm de ea ab illis tunc actum non fuerit.

66. Neque ad rem facit, quod Concilium Pisanum de duobus contendentibus sententiam tulerit, prout D. Maymbourg ex Joanne Launoio, quem ubique in tractatu suo historico secutus est, objcit. Quamvis enim notet ex ejusdem Launoij Epistolâ ad Henricum Barillonium, Concilium Pisanum sententiam tulisse conformiter ad Decretum, quo antea definiverat, sese repræsentare Universalem Ecclesiam, & supremum, ac unicum in terris Judicem habendum esse, ad quem hujus causæ judicium spectabat, sicque depositi fuerint duo de Papatu contendentes, quorum unus verus Pontifex erat: negari tamen non potest, quin de singulorum Pontificatu plures dubitarent, indeque neuter contendentium pro certo à totâ Ecclesiâ agnosceretur. Et hoc est, quod Universitas Parisiensis in datis anno 1394. ad Carolum Francorum Regem litteris respondit ijs, qui partium studio ducti, unum pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus haberi volebant, eoque modo Pontificem suum à judicio Synodi eximere studebant: *Si certum*, inquit Universitas, *videte, ne verbo abutamini, qui id certum appelletis, de cujus obscuritate, atq; ambiguitate tanta semper fuit, & est apud tantam fidelium portionem contentio.* Ponamus itaque, Pontifices, quos tempore schismatis Romana Ecclesia secuta est, fuisse veros Pontifices, non tamen apud omnes de ijs constabat, & aliæ obedientiæ illos non agnoscebant, unde certi & indubitati tunc dici non poterant: quod etiam in causa fuit, quòd plures Orbis Catholici Provinciæ cum Collegio Cardinalium, & Patribus Pisani Concilij, tam ei, cui Romana Ecclesia tunc parebat, quàm ejus Competitori obedientiam subtraxerint, & ipsum Pisanum Concilium de duobus contendentibus, tanquam de dubijs Pontificibus sententiam tulerint.

67. Falsum itaque est, in Synodo Pisanâ actum fuisse de indubitato Pontifice: falsum, quæstionem de superioritate Concilij supra certum & indubitatum Pontificem ibidem decisam fuisse, & de ea Parisiensem Universitatem tunc egisse. Utriusque sanè Obedientiæ Cardinales in illis litteris, quibus anno 1408. Gregorium XII. ad Concilium Pisanum convocarunt, adducunt conclusiones Universitatum Parisiensis & Bononiensis, in quibus solummodò mentio fit quæstionis de auctoritate Concilij supra duos de Papatu contendentes, de quibus *propter dubia Facti & Iuris* ignorabatur, uter verus Pontifex censendus erat. Unde *quinta* illarum Vniversitatum conclusio fuit: *Quòd stante dubio Papatûs inextricabili propter dubium Facti & Iuris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuò cum tanto scandalo, & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium & Ecclesiam Vniversalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit à Papatu ejicere.* Ita Vniversitates Parisiensis & Bononiensis in conclusionibus, quæ ad unam usque agunt de casu duorum contendentium tempore schismatis, ut videre licet in Cardinalium litteris apud Lucam D'Acherium tomo. V. Spicilegiorum editis, & à Philippo Labbeo iterum excusis.

Quamvis autem nunc communiter admit- 68.
tatur in scholis, Concilium tempore inveterati schismatis judicare posse de Pontificibus dubijs, & in tempore Concilij Pisani in sententiam illam Italiæ & Galliæ Vniversitates propenderint; voluit tamen Concilium Pisanum ulteriùs inquiri, an duo contendentes non solùm tempore schismatis viverent, sed ipsius schismatis nutritores, & veri hæretici censendi essent? Cùm enim quisque propter hæresin extra Ecclesiam, vel, ut cum Paulo loquar, *foris constituatur*, & inter omnes conveniret, hæreticum ipso facto ab Ecclesia præscindi; voluit Concilium Pisanum inquiri, an dubij illi Pontifices hæretici reputandi essent, ut sub illo etiam titulo tantò certiùs à Papatûs regimine ejicerentur, quantò magis inter omnes constabat, Pontifices à fide devios omni jure Papatûs destitui, & re ipsâ privatos censeri.

Tantæ molis erat, tempore Pisani Con- 69.
cilij sententiam ferre in dubios Pontifices, quos tanquam de Papatu colludentes, & articulum fidei de unitate Ecclesiæ non quidem dogmatizando, sed operando, destruentes, ab omni dignitate Ecclesiasticâ excidisse, Synodus judicavit; cujus tamen judicio non acquievit totus Orbis Catholicus, cùm plures Provinciæ Gregorium & Benedictum sequi perrexerint, & viri doctissimi sententiam hujus Synodi revocârint. Nolim hic repetere, quæ Salmanticensis Vniversitas cum Hispaniarum Ecclesijs pro Benedicto XIII. allegârit, neque quid alij ex Obedientia Gregorij XII. contra Synodum Pisanam scriptum reliquerint. Videri potest Divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui *parte 3. Chronicorum titulo 22. cap. 5. §. 2.* uti & in alijs locis omninò contendit, Gregorium malè hæreseos accusatum fuisse, & ideo non immeritò ab illo Ioannem Dominicum missum fuisse ad Sigismundum Imperatorem: *ut cum eo secretè tractaret de modo tenendo in congregando Concilium aliud: ubi ex toto auferretur schisma, quod ob & per Pisanum Concilium, vel Conciliabulum (cum hoc non esset auctoritate alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, congregatum) non erat ablatum*

tum ipsum schisma, sed augmentatum, ex duobus, tribus jam pro Papa se gerentibus.

65. Dicit D. Antoninus, per Pisanum Concilium schisma non extinctum, sed adauctum fuisse, eò quòd, ubi ante illud duo duntaxat de Papatu contendebant, post electum in eorum locum Alexandrum V. tres de Papatu contendentes apparuerint: ita ut de Occidente tunc dici potuerit, quod Magnus Hieronymus *epistolâ ad Damasum* olim de schismate Orientali scriptum reliquit: *Vetusto Occidentem populorum furore collisum, indiscissam Domini tunicam minutatim per frusta discerpsisse.* Dici potuit, post Pisanum Concilium minùs inter multos constitisse, apud quem incorrupta Petri servaretur successio: licèt namque Benedictus, Gregorius, & Ioannes cathedram Petri suam esse dicerent, & unaquæque Obedientia se Petri Successorem sequi assereret, *ob dubium tamen Facti & Iuris* super Papatu, plures Catholici de tribus contendentibus ancipites fuerunt. Vnde ipsum Constantiense Concilium nunquam induci potuit, ut unum ex illis tanquam indubitatum Pontificem toti Ecclesiæ proponeret, sicut ex Actis & Gestis ipsius statim citandis constabit.

DISQUISITIO VII.

Quantum pro Concilij supra Papam superioritate probandâ, valeat, decretum Concilij Constantiensis Sessione V. editum?

§. I.

1. AD *præsentis* ac *præcedentis* disquisitionis statum meliùs intelligendum, haud parum conducit, nôsse historicam rei seriem, quæ decretis tum IV. tum V. Sessionis in Concilio Constantiensi ansa & occasio fuit, ex authenticis manuscriptis codicibus descripta à Schelstrate *in sui de eisdem decretis tractatûs compendio Chronologico.* Nempe Clemens V. in Romanum Pontificem electus, Sedem Apostolicam anno 1305. transtulerat Avenionem: sed Gregorius XI. anno 1378. rediit ad Urbem, ubi cùm fatis functus esset, Cardinales ad instantiam plebis, Papam Italum petentis elegerunt Archiepiscopum Barensem, qui se Urbanum VI. nominavit, Cardinales verò Galli, cum tribus Italis, prætexendo, ac si ille fuisset per metum electus, Fundis congregati elegerunt Robertum ex Comitibus Gebenensibus, qui Clementis VII. nomen assumpsit, Cathedramque rursus Avenionem transferre conatus est. Ex pluribus M. SS. Codd. Bibliothecæ Vaticanæ, & Actis Pisani Concilij editis *tom. 6. Spicilegiorum* Lucæ d' Acherij, & tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei.

2. Ex horum duorum electione ortum habuit magnum & horrendum schisma, cui nullum simile fuit neque temporis diuturnitate, neque causæ & rei dubietate, neque Regnorum & Provinciarum divisione. Clementi enim VII. adhæserunt omnes Galliæ ab Alpibus inclusivè, usque ad Belgium, & Oceanum Britannicum, Scotia, Hispania cum Insulis eidem subditis, Cyprus, Rhodus, & Ianua. Urbano autem paruerunt reliqua Regna & Provinciæ, Italia nimirum cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia, & Anglia. *Ex Appendice ad Constantiense Concilium tomo XI. Philippi Labbei, & plusquàm sex manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ codicibus.*

3. Mortuo Romæ Urbano VI. à Cardinalibus istius Obedientiæ quarto Nonas Novembris electus est in ejus locum Bonifacius IX. cui anno 1404. successit Innocentius VII. qui, una cũ Cardinalibus in Conclavi existentibus, se se juramento adstrinxerat ad cedendum Papatui, quoties alterius Obedientiæ Pontifex idem faceret. Quòd juramentum præstitit quoque Innocentij Successor Gregorius XII. Anno 1406. mense Decembris in Pontificem electus, sicut & præstiterat Avenione Petrus de Luna Benedictus XIII. in Clementis VII. Successorem anno 1394. substitutus. Ex Actis Pisani Concilij, Leonardo Aretino, & Theodorico Niem Scriptoribus contemporaneis.

4. Gregorio XII. & Benedicto XIII. promissionem cedendi Pontificatui non adimplentibus, Cardinales utriusque Obedientiæ ab ijs recesserunt, & duos illos de Papatu contendentes ad Concilium pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ anno sequenti habendum evocârunt. Ex Actis Pisani Concilij *tom. 6. Spicilegij* Lucæ d' Acherij, & *tomo XI. Conciliorum* Labbei editis, ubi ipsæ Cardinalium epistolæ hâc de re Liburni hoc anno editæ exhibentur.

5. Benedictus XIII. post subtractam sibi per Galliæ Regem obedientiam fugit in Arragoniam ad Perpignianum, & se se Concilij judicio subjectum non esse, respondit. Gregorius verò XII. Senas retrocessit, ad se Concilij convocationem spectare constanter asseruit, ipsosque Cardinales ad aliud Concilium in Provincia Aquilejensi evocavit. D. Antoninus *par. 3. Chron. tit. 22. §. 3.* & hujus *Tract. Dissert. 2. cap. 2.*

6. Celebratur ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisanum Concilium, in quo tantum abest, decisam fuisse quæstionem de superioritate Concilij, ut ne quidem decisa fuerit quæstio de authoritate Concilij supra Papam tempore schismatis. Licèt enim Universitatum Parisiensis, & Bononiensis sententia esset, quòd, *stante dubio Papatûs inextricabili propter dubium Facti & Iuris*, provisio spectet ad Concilium, & Ecclesiam universalem; Patres tamen Pisani non ausi fuerunt hoc titulo duos de Papatu contendentes deponere, sed voluerunt primùm probari, Gregorium & Benedictum ad invicem colludere, & non quidem docendo, sed operando contra articulum Symboli de una Ecclesia Catholica, schisma fovere, eosque proinde tanquam schismatis nutritores, & veros hæreticos censeri debere. Ex Actis Pisani Concilij à Notarijs conscriptis hactenus

non editis ; uti ex Actis *tom. 6. Spicilegiorum* Lucæ p. Acherij, ac *tomo XI. Conciliorum* à Philippo Labbeo editis, ex quibus ultimis id ipsum traditur ab Auctore magni schismatis Occidentis ad hunc annum. Vide *Dissertationem nostram 2. cap. 1. art. 1.*

7. Die 5. Junij Sessione 15. Patres Pisani *visis, & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitatis in præsenti causa, habitâque prius inter se ipsos, & demum cum copiosa multitudine Magistrorum in S. Theologia, atque utriusque Iuris Doctorum pluries diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in prædictos tanquam de Papatu colludentes, schismaticos, & veros hæreticos sententiam depositionis* pronuntiant, & die 26. Junij Cardinales in eorum locum eligunt Petrum de Candia, Ordinis Minorum, qui se Alexandrum V. nominavit. Ex Actis Pisani Concilij editis & ineditis.

8. Depositis in Concilio duobus contendentibus, & in eorum locum suffecto Alexandro V. schisma non extinctum, sed adauctum fuit, nihilque aliud Patres Pisani assecuti sunt, quàm ut duobus de Papatu contendentibus tertium adjecerint. Non obstante enim dictâ depositione, Benedicto adhæserunt Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ & Arragonum cum Sardinia, Majorica, & Canarijs Insulis, alijsque terris tam Regi Arragonum, quàm Comitibus Fuxi, & Armeniaci subjectis : Gregorio verò XII. dudum post Pisanum Concilium paruerunt Regnum Siciliæ, & Regnum Neapolitanum, & usque ad Sessionem XIV. Constantiensis Concilij in ipsius obedientia fuerunt Carolus de Malatestis cum Romandiola, Duces Bavariæ, cum pluribus Episcopis Germaniæ, ultra plures timoratos, qui Gregorium usque ad cessionem Papatûs pro vero Pontifice habuerunt ; ut testis est D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *par. 3. Chron. tit. 22.* ubi affirmat, Gregorium XII. non collusisse, nec schismaticum, aut hæreticum fuisse. Vide *Dissertationem 2. cap. 1. art. 1. infra.*

9. Mortuo Alexandro V. ab ejus Obedientiæ Cardinalibus in Pontificem eligitur Balthassar Cossa Legatus Bononiensis, qui Ioannis XXIII. nomen assumpsit, & cum Imperatore Sigismundo Laudam anno 1413 convenit, ubi pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ Concilium Constantiense ad annum sequentem convocavit. Ex Bulla convocationis Sessione 1. Constantiensis Concilij.

10. Ioannes die 28. Octobris publicè Constantiam intravit, & 16. Mensis Novembris primam Sessionem habuit, in qua nihil omninò actum est de materia unionis, sicut nec post illam Sessionem usque ad finem Ianuarij anni sequentis, *quia apud aliquos erat morbus : Noli me tangere*, ut testantur Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, quibus consonant ea, quæ edita sunt à Philippo Labbeo *in Appendice.*

11. Die 19. Novembris ante valvas Conventûs Augustinianorum, qui pro habitatione Legatorum Gregorij XII. parabatur, affiguntûr insignia, vulgò Arma, ejusdem Pontificis, quæ sequenti nocte de mandato forlan Ioannis XXIII. amota fuerunt, ob quod gravis quæstio exorta est inter Patres Concilij, quorum aliqui arma prædicta à Legatis apponi non potuisse, alij rectè apposita fuisse, existimârunt : omnes autem in eo convenerunt, quòd Gregorius ipse, si personaliter Constantiam advenisset, Arma Pontificia, non obstante Ioannis XXIII. præsentiâ, potuisset affigere. Ex Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus. Vide *Dissertationem III. cap. 2.*

12. Legati Gregorij petunt salvum conductum à Rege Romanorum, & Ioannes Dominici cum capello rubeo, tanquam Cardinalis, publicè Constantiam ingredi cupit. Variæ hanc in rem inter Patres exortæ sunt disceptationes, & quamvis Ioannes XXIII. indubitatus Pontifex haberi volens, Gregorium instar Pseudopontificis ob hæresim Pisis damnati, ejusque Legatos minimè audiendos putaverit, Concilium tamen Ioannis mentem in hoc minimè secutum fuit, & quæstionem de jure Pontificatûs intactam relinquens, Ioanni Dominico in habitu Cardinalitio Constantiam die 21. Ianuarii ingredi permisit. Ex Regesto *suprà*, & Actis Constantiensis Concilij in Bibliotheca S. Victoris Lutetiæ Parisiorum asservatis. Vide *Dissertationem III. cap. 2.*

13. Cùm Ludovicus Bavariæ Dux pro Obedientia Gregorij XII. obtulisset Patribus Concilij, quòd ipse uniret, & Gregorius ipse personaliter ad Concilium accederet, si Ioannes XXIII. à præsidentia ipsius amoveretur, nonnulli Patres exinde ansam arripuerunt agendi de materia unionis. Circa initium itaque Mensis Februarij cùm Cardinalis S. Marci schedulam publicâsset, quâ de varijs vijs, quibus ad unionem perveniri potest, mentem suam exponebat, & de via coactionis nonnulla conscripsisset, quæ Ioannis XXIII. authoritatem lædere videbantur, pro authoritate ejusdem Pontificis tres schedulæ editæ sunt, in quibus pro hæretico habendus esse dicebatur, qui indubitatum Pontificem, de nullo hæresis crimine diffamatum, ad Pontificatui cedendum cogi posse, tuetur. Quibus schedulis per nonnullos privatim Constantiæ editis, aliam schedulam vulgavit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, in qua per modum conclusionum de aliorum opinionibus mentem suam exposuit. Ac *primâ* quidem conclusione supponit, agi de Pontificatu, quem licèt Obedientia Ioannis XXIII. eidem canonicè competere existimabat, aliæ tamen duæ Obedientiæ probabiliter contrarium tenebant ; quodque in ea opinionum diversitate non essent minores difficultates *Iuris* & *Facti*, quàm erant ante Pisanum Concilium. Statuit autem conclusione VI. quòd attentâ perplexitate casûs præsentis, contendentes pro pace Ecclesiæ accelerandâ, possint compelli, & nolentes cedere, deponi ; eamque Cardinalis Cameracensis opinionem Concilium postea secutum fuisse, ex *infrà* dicendis constabit. Ex Gestis Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, & Appendice ejusdem Synodi apud Labbeum *to. XI. Conciliorum.*

Con-

Concilium, prætermisso tunc supradictorum examine, solam viam cessionis tentandam esse credidit, & pro ea apud Ioannem XXIII. instare cœpit, qui die 2. mensis Martij in Sessione publica obtulit, se Papatui cessurum pro unione Ecclesiæ, casu, quo alij duo de Papatu contendentes per se, vel per Procuratores suos cederent. Ex Gestis manuscriptis, Regesto, & Actis editis. M.

Die II. Martij cœpit Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ, & Angliæ instare apud Ioannem XXIII. quòd vellet constituere Procuratores ad cedendum Papatui, ubi, & quando Concilio videretur expedire. Quod, cùm Ioannes animadverteret, excogitatum ad ipsum ante duos alios Pontifices contendentes Pontificatu privandum, nihil intentatum reliquit, ut hoc telum à se averteret, obtulitque die 15. ejusdem Mensis, se Papatui cessurum pro Unione Ecclesiæ; & casu, quo per ipsum staret, quò minùs Unio fieret, tunc ab omnibus haberi vellet pro non Papa, & perinde, ac Papatui expresè renuntiâsset. Verùm persistentibus Germaniæ & Angliæ Nationibus in petendo Procuratorio, & die 19. Martij accedente ad earum conclusionem majori parte Nationis Gallicanæ, Papa hoc sentiens, post mediam noctem inter diem Mercurij & Iovis 21. Martij fugam arripuit, Duce Frederico illum conduci faciente, & Schaffusam quatuor milliaribus Germanicis à Civitate Constantiensi distantem pervenit. Ex Gestis Concilij hucusque non editis, quibus consonant cætera Acta, & monumenta istius temporis. 15.

Magna animorum turbatio oritur Constantiæ ex discessu Papæ, & ex ejus mandato, quod statim post suam fugam misit Constantiam affigi valvis Ecclesiæ, quo omnes Romanæ Curiæ Officiales, suosque familiares Schaffusam evocabat. Unde Collegium Cardinalium die 22. Martij nominavit tres Cardinales Legatos ad Papam, ne Concilium dissolveret, sed Procuratores ad renunciandum Papatui constitueret. Legatis autem die sequenti ad iter se parantibus, monentur omnes Cardinales pro parte Regis Romanorum, & Nationum, ut vellent interesse Missæ S. Spiritûs pro unione Ecclesiæ, & extirpatione schismatis. Post quam Missam habuit sermonem Ioannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius in derogationem jurisdictionis Apostolicæ, ut fidem facit Regestum Actorum Constantiensium in tribus manuscriptis codicibus, & fusiùs ostenditur *Dissert. II. cap. 1. art. 2. hujus Tractatûs.* 16.

Occasione hujus sermonis à Ioanne Gersonio die 23. Martij coram Patribus habiti orta est quæstio tam Schaffusæ, quàm Constantiæ de potestate Ecclesiastica. Cùm enim tres Cardinales Legati eodem die 23. Constantiâ discessissent, & unà cum illis Archiepiscopus Rhemensis, Ludovicus Bavariæ Dux, & Nicolaus de Calvilla Regis Galliæ Oratores ad Ioannem pervenissent, ac de sero cum eodem locuti fuissent, Papa amaro animo conquestus est cum Oratoribus prædictis, quòd Ioannes Gersonius unus ex ipsorum Collegis quædam contra Sedis Apostolicæ authoritatem effutire ausus fuisset, alioquè Patres ad falsa & erronea contra Romanum Pontificem concludenda incitâsset. Hæc autem querela apud Oratores Christianissimi Regis interposita effecit, quòd eâ de re cum Cardinalibus egerint, & sese cum ijs conjunxerint, ac Decretis contra Apostolicæ Sedis authoritatem edendis obstiterint. Ioannes verò eodem die 23. Martij datis ad Uladislaum Poloniæ Regem, alioquè Principes litteris, conquestus est inter alia, quòd suffragia Patrum neque libera essent, neque singulorum vota in Sessionibus audirentur, sed quatuor suffragia Nationum per earum Præsides lata, totam authoritatem Concilij repræsentarent. Ex Regesto, & Manuscriptis Constantiensis Concilij Romæ asservatis; uti ex Actis Parisijs in Bibliotheca S. Victoris custoditis: item ex Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia*, cujus testimonium vide *Dissert. 2. cap. 2.* 17.

Archiepiscopus Rhemensis Constantiam redux, frustra offert Regi Romanorum, & Nationibus Procuratorium nomine Ioannis XXIII. Exacerbatis enim ob ipsius fugam Patrum animis, cuncta, quæ pro illo offerebantur, figmentorum instar habita sunt. Et feriâ tertiâ post Palmas, quæ fuit 26. Martij, celebrata est ante meridiem *Tertia* Sessio, cui non interfuêre, nisi duo Cardinales, Cameracensis nimirum & Florentinus, reliquis omnibus aut Schaffusæ constitutis, aut indecorum reputantibus eidem assistere, ut fidem faciunt Acta Victorina Parisijs asservata. Statutum fuit in illa Sessione, Concilium Constantiense per recessum Ioannis XXIII. dissolutum non fuisse, sed nec dissolvi debere ante extirpationem schismatis, nec ad alium locum sinè consensu Concilij transferri posse; nemini demum sinè justa causâ ante finem Concilij discedere licere. Quæ omnia Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, & Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus non aliâ ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione, quòd Ioannes XXIII. ea ratificaret. Omissam hâc de re à Basileensibus in compilatione Actorum Constantiensium protestationem habes in Regesto ejusdem Constantiensis Concilij, & in manuscripto codice Capranicensi, ex quo eam edidit Philippus Labbeus in Appendice ejusdem Synodi *Tomo XI. Conciliorum.* 18.

Post III. Sessionem eodem die 26. Martij Constantiam reversi sunt tres Cardinales Legati cum duobus alijs, qui de sero coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus agere cœperunt de authoritate Ioannis XXIII. qui sibi tanquam vero & indubitato Pontifici authoritatem dissolvendi Concilium competere existimabat, eâque occasione locuti sunt contra ipsum Concilium, scilicet, quòd dissolutum esset propter absentiam, & discessum Papæ. Cùm verò nonnulli Patres sese acriter opponerent, suscitato contra Cardinales clamore, Cardinales, insalutato hospite, abierunt. Theodoricus Niem *in vita Ioannis XXIII. Francofurti anno 1620. editâ.* 19.

Die Mercurij post Palmas, Cardinales & 20.

Ambassiatores Regis Francorum volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiaverant, retulerunt Nationibus, & Regi in congregatione publicâ, quòd Ioannem induxerant ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodò ipsi præstaretur securitas. Quæ parum accepta fuêre Nationibus, & Regi; omnia enim tanquam ludicra & fictè pro parte Ioannis oblata credebantur. Unde multæ altercationes tam ipsâ die 27. quàm 28. sequenti fuerunt inter Dominos Cardinales & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: *His non obstantibus, fiat Sessio, fiat Sessio.* Gesta Concilij in 4. manuscriptis codicibus, & Regestum ejusdem Synodi in tribus Manuscriptis.

21. Die Veneris sancto Ioannes à Schaffusa de novo aufugit: unde turbatis contra ipsum cunctorum animis, plures ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicanâ deliberârunt, in crastinum celebrare Sessionem IV. & in ea statuere *primò*, quòd Concilium Constantiense potestatem habeat *immediatè* à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris. *Secundò*, quòd cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. *Tertiò* alia complura. Quæ omnia, contradicentibus pluribus Patribus, apud Nationes conclusa sunt. Cùm autem non solùm Nationi Italicæ displicerent, sed & sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuissent, noluerunt dicti Cardinales, & Ambassiatores Regis Galliæ ad Sessionem venire, nisi inter alia Capitula *secundum* omitteretur, & in 1. Decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris. Ex manuscriptis Gestis, & Regesto Constantiensis Concilij, Eugenio IV. *in sua Apologia contra Basileenses*, Turrecremata *lib. 2. De Ecclesia cap. 99.* & Roderico Calaguritano *in Dialogo de authoritate Romani Pontificis*; quorum testimonia vide *Dissert. 2. cap. 2. hujus Tract.*

22. Sabbato in Vigilia Paschæ, cùm Patres jam parati essent cum Mitris & Pluvialibus ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum, *adhibitum est quoddam moderamen in expediendis in illa Sessione*, quòd nimirum inter cætera Decreta omitteretur *secundum* de potestate *coactivâ* Concilij, & in 1. Decreto nulla fieret mentio de reformatione Ecclesiæ, sicut re ipsâ observatum fuisse, testantur contra Maymbourg omnes codices manuscripti Romæ reperti, quorum Catalogum hoc tractatu reperies præter alios omnes in Bibliotheca Cæsarea Viennæ, & alios in Bibliotheca Salemitana propè Constantiam, ac in reliqua Germania, & ipsamet Gallia Lutetiæ Parisiorum asservatos, quibus consonant Authores contemporanei, quos videre licet *Dissert. 1. cap. 2. & 3. infra.*

23. Cùm Cardinalis Florentinus, ad quem tanquam ultimum Cardinalem spectabat pronuntiare Decreta in Sessionibus publicis, venisset ad verba *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, quæ Nationes in schedula delere omiserant, *substitit, eaq; falsa esse, & præter communem deliberationem addita* asseruit. Unde non solùm tunc omissa fuit clausula *de reformatione*, sed eâdem Sessione IV. Cardinales monuerunt Nationes, *quòd suspenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.* Abbas Panormitanus *in sententia finali*, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Post IV. Sessionem Patres Constantienses 24.
non instituunt de articulis, & Decretis controversis examen publicum, neque statuunt, coram Concilio ipso habendum, sed quasi de re parvi momenti ageretur, nominârunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino desuper agerent: ubi tamen inter eos aliqualiter disputatum est, Deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa statuerunt, *quòd proximâ Sessione omnes articuli & clausulæ concordatæ per Nationes in ultimâ Sessione prætermissæ expediantur.* Regestum Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Cùm Cardinales nullatenus Nationibus 25.
consentirent quoad articulos & clausulas Sessione IV. prætermissas, ealque, se invitis, Sessione V. publicandas esse percepissent, statuerunt *primùm*, non venire ad Sessionem, sicut & quatuor Cardinales ad eam venire noluerunt: ubi autem alij animadverterunt, omnes sinè publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilij, abesse non posse, statuerunt, ad Sessionem venire, præmissâ tamen protestatione secretâ in Camerâ Paramentorum Palatij Constantiensis, *quòd propter scandalum evitendum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ea statu debere.* Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ, qui sese quàm strictissimè cum Cardinalibus conjunxerant: adeò, ut non solùm contra mentem Joannis XXIII. sed & contra sententiam totius sacri Cardinalium Collegij, & ipsorum Galliæ Legatorum publicata sint Decreta de potestate Ecclesiastica, quæ D. Maymbourg de superioritate Concilij intellecta, non solùm indubitatæ authoritatis, sed instar dogmatum fidei habenda esse credebat. Ex Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Præmissâ protestatione, ad Sessionem V. 26.
venerunt Cardinales, & inter eos Cardinalis Florentinus Canonistarum sui temporis facilè princeps, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, qui rogatus, ut Decreta legeret munus illud exequi recusavit: electus itaque Poznaniensis legit *Decreta per modum Constitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit.* Postquàm autem Decreta per modum Constitutionum recitasset, idem electus Poznaniensis legit alia *in materia fidei* contra hæreses Wicleffi, Hus, & Hieronymi de Praga. Ita Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, Acta Protonotariorum in tribus manuscriptis, & alia in editis. Vide *Dissert. 1. cap. 2. & Dissert. III. cap 3.*

Lectis Decretis *tanquam priùs* (ante Sessi- 27.
onem IV.) *apud Nationes deliberatis & conclusis*, dicere quidem potuerunt quatuor Præsides, quòd illorum publicatio placeret majori parti

Natio-

Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales post fugã Ioannis XXIII. frustra petijssent pro sacro Collegio suffragium à Nationum suffragijs distinctum, separârunt se à Nationibus, earumque Congregationibus interesse noluerunt. Unde factum est, quòd Nationes sinè Cardinalibus deliberârint, & concluserint; sicque à III. Sessione usque ad VII. inclusivè, *penè in omnibus Decretis Concilij factum est Cardinalibus, quòd tam arcto, & brevi tempore ostensa sint Decreta jam concluſa in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint.* Acta manuscripta Constantiensis Concilij in Bibliotheca Regis Christianissimi Parisijs asservata. Item Gesta ejusdem Concilij in quatuor manuscriptis codicibus Romæ reperta.

Quibus ita se habentibus, cùm præsens disquisitio se teneat in examinandis Decretis V. Constantiensis Sessionis, duo hîc expendemus. I. *An ista Decreta, consentientibus omnibus, quorum intererat, publicata sint?* Cui quæstioni subjungetur conclusio, in qua videbimus, *qualiter Conciliares congregationes haud dici possint celebrari à Spiritu sancto, quando receditur à formâ Concilij per Christum præscriptâ, sicque adeò locus aperiatur tumultuosis concertationibus.* 2. *An Patres Constantienses in Sessione V. sufficienter repræsentârint Ecclesiam, ut eorum Decretis esset ab omnibus parendum?* Cui quæstioni subnectetur conclusio, in qua iterum fiet discussio quædam *illius characteris, sub quo Concilia dici queant repræsentare universam Ecclesiam.*

§. II.

Referuntur argumenta Maymbourgi cum eorundem responsionibus circa Decreta V. Sessionis.

28. EManuel à Schelstrate *in sua Dissert. Antuerpiensi cap. 1. art. 2.* ostenderat ex Regesto Constantiensis Concilij, tam tumultuosè apud Nationes Decreta prætactæ V. Sessionis fuisse concluſa die 27. Martij, ut non solùm magna animorum concertatio inter Patres orta fuerit, sed & Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus noluerint venire ad Sessionem IV. die 30. Martij celebrandam, nisi sub conditione, quòd authoritatem Pontificiam spectantia in ea omitterentur, prout consentientibus Nationibus, omissa fuerunt. Monstravi insuper ex Gestis Constantiensis Concilij, quòd Cardinales, una cum Regis Galliæ Ambassiatoribus iterum *difficultatem fecerint intereſſendi Sessioni V.* in qua Nationes sinè matura deliberatione, & novo examine *Decreta priùs concluſa* publicare volebant: & licèt postea ad Sessionẽ venerint, ostendi ex Regesto, quòd ante Sessionem illam in Camera Paramentorum secretam protestationem fecerint, *quòd propter ſcandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiverant, in ipſa ſtatui debere.*

Hisce igitur dicto modo, vel etiam per æqualium Scriptorum testimonia à Schelstrate comprobatis, sequentia opposuit Maymbourgus *tract. sui hist. pag. 254.* quæ unà cum oppositis responsionibus deinceps proferemus.

Argumentum Maymbourgi.

29. HIc igitur Author *loco cit.* ita argumentatur. Scio equidem, quòd super decretis illis magnæ contentiones habitæ fuerint, & quòd Cardinales sese opposuerint. Concedo quoque ipsi id, quod invenit in suo Manuscripto, & quod asserit, nunquam anteà notum fuisse, & forsan verum non est, Cardinales, & ipsos Galliæ Oratores in camera paramentorum fecisse protestationem secretam: *Quòd propter ſcandalum evitandum, ad Sessionem ibant, & non animo conſentiendi his, quæ audiverant, in ipſa ſtatui debere.* Quid potest inde concludere? Hæc ibi Author ille, petens subinde, numquamne legerim historiam de aliquo conclavi, vel pervolverim librum famosum Pauli Suavis de Concilio Tridentino, in quibus refertur, quòd post magnam animorum contentionem omnes convenerint de certo Pontifice eligendo, vel Decreto in Sessionibus publicando: sic, inquit, factum est in Constantiensi Synodo: ponamus, fuisse magnas oppositiones, contestationes, protestationes secretas, & omne id, quod placuerit D. Schelstrate nos ex Manuscripto suo docere. Post hoc Cardinales, alijque omnes, qui contestati, & secretè protestati sunt, venerunt ad Sessionem V. Et sicut Spiritus sanctus unit omnium animos in Concilio, ut dici possit: *Visum est Spiritui ſancto, & nobis*, sic postmodùm duo Decreta hujus Sessionis communi sensu statuta fuerunt; prout referunt Acta, quibus D. Schelstrate nihil habet, quod ex Manuscriptis suis opponat. Sic enim in Actis legitur: *Quibus articulis, ſive conſtitutionibus lectis, Concilium eos, & eas uniformiter approbavit, & concluſit.*

Responsio.

30. EManuel Schelstrate *ſui præcitati tractatûs Diſſert. 2. cap. 2. à pag. 94.* respondet in hunc modum. Apparet ex prætacto discursu, quòd D. Maymbourg non solùm Basileensium sententiam deconfirmandâ decretorum illorum authoritate, sed & artem eorum in eâ contra objectiones propugnandâ, imitari voluerit. Quod, ut clariùs constet, animo repetenda sunt, quæ dissertatione meâ de Basileensibus notaveram: cùm enim illi Orbi Catholico obtrudere conarentur, quòd Decreta Constantiensis Concilij summo animorum consensu, nemineque penitus discrepante, publicata fuerint, Eugenio IV. contrarium asserenti, Gesta ejusdem Synodi hâc arte objecerunt, ut verba pro se facientia afferrent, causæ verò suæ minimè faventia omitterent. Verba, quæ Basileenses pro se facientia attulerunt, indicavi, fuisse sequentia: *Licèt iterum major pars Cardinalium faciebat difficultatem intereſſendi, omnes tamen, præter infirmos, venerunt ad Sessionem, præſente Rege Romanorum in Imperialibus inſignys,*

præsidente Cardinali de Vrsinis Episcopo Albanensi, & celebravit Missam de Dominica Raynaldus Archiepiscopus Rhemensis. Verba autem causæ suæ minimè faventia, quæ omiserant, ostendi, esse illa superioribus immediatè subjuncta: *Fuerunt pronuntiatæ diffinitiones sequentes per electum Poznaniensem, quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.* De quibus ultimis verbis cùm sedulò inquisivissem rationem, cur à Basileensibus omissa essent, aliam non inveni, quàm quia instituto suo minimè faverent: ubi enim ex verbis per ipsos citatis colligi poterat, omnes consensisse, ibi ex verbis subsequentibus constabat de oppositione Cardinalis Florentini, & omnium ipsi adhærentium, ex quibus planè colligebatur contrarium.

31. His præmissis, videndum est, quàm manifestè D. Maymbourg vestigia Basileensium insecutus fuerit. Admittit Auctor ille verba Gestorum Constantiensium, quibus asseritur, quòd, non obstantibus Patrum contradictionibus, & Cardinalium protestationibus secretè factis, omnes tamen ad Sessionem V. venerint: omittit verò, quæ de Cardinali Florentino, ejusque sequacium oppositione ex ijsdem gestis adjunxeram: & tunc asserit, de communi omnium consensu Decreta fuisse publicata, nihilque in manuscriptis codicibus reperiri, quod his Actorum verbis opponere potuerim: *Concilium ea uniformiter approbavit, & concluſit.* Manifestiùs, ut puto, Auctor ille sequi non poterat artem Basileensium in referendis ijs, quæ pro se faciunt, & silentio prætereundis, quæ menti ipsius contradicunt: nullibi tamen incautiùs, quàm hìc egit, cùm eundem errorem, quem in Basileensibus notaveram, ipse committere voluerit. Neque mirari satis possum, quòd tam asseveranter scripserit, me nihil habere, quod ex manuscriptis codicibus opponam: cùm ex illis, & æqualium Scriptorum testimonijs expresè ostenderim, Cardinalem Florentinum cum sequacibus, ac ipso inprimis Ioanne XXIII. repugnâsse. Quæ ut clariùs constent, fusiùs comprobanda sunt.

32. Et de Ioanne quidem constat ex Appendice Constantiensis Concilij *tomo XI.* collectionis Philippi Labbei, quòd sese pro certo, & indubitato Pontifice haberi volens, nunquam probarit eorum sententiam, qui Concilio authoritatem aliquam super ipsum tribuebant. Notæ sunt cedulæ ex parte Ioannis XXIII. initio Constantiensis Concilij publicatæ, in quibus per modum conclusionis quærebatur: *An Papa verus & Canonicus, de hæresi non infamatus, nec inspectus possit contra ea, quæ sunt sui juris, ab aliquo compelli, vel arctari: cùmq; non hæreticum condemnantes, hæretica sint censenda?* Et responsum ad hoc *conclusione 3.* datum: *Hoc fore manus ponere in Christum Dominum*, neque immeritò dubitari, an ille, qui talia pijs auribus ingerere ausus erat, *bonus Catholicus censeri poterat.* Cùmque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in casu schismatis, ut tum erat, de Ioanne judicari posse contenderet, fatetur *in Tractatu de authoritate Cardinalium*, se hanc ob rem, *grave, & periculosum dicti Ioannis Papæ vidium incurrisse*: quòd Ioannes semper existimârit, se pro indubitato Pontifice haberi debere, proindeque à Concilio cogi non posse. Unde cùm post II. Sessionem tres Nationes concluſissent, quòd ipse ad cessionem Pontificatûs ob schismatis extirpationem cogi posset, factum est, quòd ab ijs, qui Concilio interfuerunt, sese audiviſse testatur Rodericus Calaguritanus Episcopus *Dialogo de authoritate Pontificis*, Ioannem XXIII. ea de causa infeliciter fugam arripuisse.

Post fugam autem illius contigit, quod 33.
Cardinalis Turrecremata, qui in minoribus constitutus, Concilio Constantiensi interfuit, de gravi Ioannis XXIII. querelâ memoriæ prodidit. Cùm enim post fugam ejusdem Ioannis Cancellarius Parisiensis unus ex Galliæ Oratoribus sermonem coram Patribus *in diminutionem jurisdictionis Apostolicæ* habuisset, idéque Cardinales à sacro Collegio ad Papam Schaffusæ constitutum missi retuliſſent: *Dominis Oratoribus Regis Franciæ visitantibus eum*, inquit Turrecremata, *amaro animo conquestus est Ioannes, falsa quædam, & erronea adversùs authoritatem Romani Pontificis Decreta per æmulos suos post recessum ejus esse concluſa.* Ita Scriptor ille, qui occasione Decretorum querelam illam interpositam putavit, cùm tamen occasione sermonis Gersonij interpositа fuerit, ideóque cum Collegis Gersonij potiùs, quàm cum alijs conquestus fuerit. Neque hæc à Ioannis XXIII. mente aliena, sed eidem omninò consona esse, firmatur ex testimonio Niemi, *in vita ejusdem Papæ* referentis de Cardinalibus Schaffusâ Constantiam reversis, quòd Concilium ex mandato Ioannis dissolvere voluerint, & authoritatem dissolvendi eidem competere propugnârint.

Verùm de Cardinalibus postèa, redeamus 34.
ad Ioannem, qui 24. Mensis Martij in epistola ad Poloniæ Regem inter varias rationes, quibus fugam suam à Concilio excusat, hanc ponit: *Quòd quorumdam cæca, & inconsulta temeritas usque adeò ab ipso Concilij principio ita omnia perverterе, ita omnia perturbare concupivit, ut non concordiam, sed dissensionem, non unionem, & pacem Ecclesiæ, sed schismata, & scandala quærere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum ritu observato, non publicè, sed sparsim, & privatim de rebus Ecclesiæ Conciliabula celebrabant in contemptum Sedis Apostolicæ, & in vilipendium nostrum sellas, dissensiones q; adversùs nos seminantes, at non per viam sanctis Spiritûs, ut decet, sed per vim & strepitum, & contumelias in rebus singulis adversùs nos moliebantur, multa machinabantur indigna relatu contra decus Apostolicæ Sedis, & honorem nostrum.* Ita immediatè post sermonem Gersonij Ioannes XXIII. in litteris ad Ladislaum Poloniæ Regem, juxta quam formam, & ad alios Reges de Constantiensi Concilio scripsisse creditur.

Clariùs mentem suam expoſuit in articu- 35.
lis, quos unà cum litteris ad Ducem Biturigum Schaffusâ Parisios misit. Eorum unus erat, quòd, licèt in Concilijs Generalibus non debeat fieri Nationum differentia, sed omnes & singulos sententiam suam publicè aperire

oportet

oporteat, ut unius instructione informentur alij: hoc tamen Constantiæ non fuerit permissum, quinimò statutum, quamlibet Nationem unam tantummodò vocem, sive suffragium habituram, etiamsi in Natione Gallica essent trecentæ voces notabiles, & in Italica totidem, quoniam erant ex duabus illis Nationibus ducenti Prælati personaliter ibi comparentes; & de Anglicanâ essent tantùm tres Prælati, ac cæteri Clerici novem numero. Alter verò erat, quòd, cùm in Concilijs Generalibus secundùm statuta Canonum jus suffragij non competeret, nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in Sessionibus publicis, & non privatis consilijs, nihilominùs quicunque ad ejusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia, etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragijs, recepta sint utcunque etiam Prælatis contradicentibus. Alius demum articulus, ut cæteros omittam, erat, quòd, licet in Concilijs suffragia debeant esse libera, nihilominùs multæ exiterint cavillationes, & subornationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes.

35. Scripsit hæc omnia de prioribus Constantiensis Concilij Actis Ioannes XXIII. quæ reperiuntur in duobus manuscriptis codicibus Victorinis, ubi D. Maymbourg ea legere potuerit: à me autem hoc loco allata sunt, quia Parisijs in publica Universitatis Congregatione lecta dicuntur, & non parum conferunt ad monstrandum, quòd Ioannes XXIII. obstiterit his, quæ Constantiæ contra Sedis Apostolicæ authoritatem acta putantur, & nunquam à sententia suâ hac in re discesserit, ut in altercatione Antuerpiæ ecclâ indicavi. Meminit Ioannes dissensionum, cavillationum, & contradictionum, quæ si ubi, procul dubio quoad Decreta Sessionum IV & V. locum habuerunt: Sic enim testatur *in Apologia sua contra Basileenses* Romanæ Ecclesiæ Pontifex Eugenius IV. quòd contra Decreta de authoritate Conciliorum *nonnulli reclamaverint graviores, qui strepente multitudine superati, sicut his novissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse, manifestum est, audiri nequiverunt.* Eadem refert Rodericus Calagurritanus Episcopus *in Dialogo de authoritate, & potestate Romani Pontificis*, sese nimirum audivisse à magnæ authoritatis viris, qui Concilio Constantiensi interfuêre, quod contra Decreta Sessionis V *reclamaverint complures Prælati & Doctores*: de utrisque etiam affirmat Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 99.* quòd plures Patres doctissimi non præstiterint consensum, aut assensum suum. Quæ ultima verba notanda sunt, quia ex Ioannis XXIII. articulis confirmationem accipiunt, ubi dicitur: privatis consilijs suffragia etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragijs, recepta fuisse, neque in Sessionibus publicis vota singulorum, sed quatuor duntaxat Nationum audiri consuevisse. Quod ad perpetuum Cardinalium assensum probandum, quampluribus conferre, ex Actis & Gestis hucusque ineditis clariùs ostendemus, quàm ut à quoquam in dubium revocari possit.

Refertur in manuscripto codice Bibliothecæ Regis Christianissimi, quòd post recessum Ioannis XXIII. Romanæ Ecclesiæ Cardinales à Nationibus petiverint, ut ipsorum Collegium quoad suffragia unum votum cum ipsis haberet in Sessionibus publicis, eorumque mentio fieret in litteris, & subscriptionibus Synodicis. Illustrissimus Apameensis Episcopus Spondanus, qui hunc codicem Regium vidit, testatur, Cardinales repulsam passos fuisse, putatque, id solùm intelligendum de mentione ipsorum in litteris, & subscriptionibus Synodicis, non autem quoad suffragium in Sessionibus publicis. Fallitur tamen vir eruditus existimans, Cardinalem Prælidem in prioribus Sessionibus pro se & collegio Cardinalium per verbum *Placet* suffragium tulisse. Tantum enim abest, id factum fuisse in Sessionibus post recessum Ioannis XXIII. ut Gesta Concilij hactenus inedita ad Sessionem VII. notent, quòd Cardinalibus vix unquam communicata fuerint Decreta publicanda in Sessionibus, ut deluper deliberarent. *Nam* inquiunt, *penè in omnibus Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sunt Decreta in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti sunt. Plures conquesti sunt Cardinales de contemptu. Et finaliter petiverunt, quòd, cùm essent in Concilio quatuor Nationes, una Angliæ, in qua non erant viginti Capita, de quibus tres solùm Prælati, & Cardinales essent sexaginta, & alij futuri, de quibus plures magni & insignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent vocem, & authoritatem tantam, sicut Natio Anglicana. Quod fuit recusatum, & dictum, quòd venirent ad suas Nationes. Ita quòd nullam habent authoritatem.*

Magni omninò faciendum est hoc Gestorum indubitatæ fidei testimonium, quòd hucusque latuit Orbem Catholicum: ex eo enim non solùm confirmantur, quæ superiori capite notavimus de Decretis Sessionis V. præcipitanter, & sine matura deliberatione publicatis, sed & monstratur, rationibus destitutum non fuisse, quod contra Nationes de inæqualitate suffragiorum scripsit Ioannes XXIII. ac patet, verissimum esse, quod contra Spondanum probandum suscepi, Cardinales repulsam passos fuisse quoad suffragium in Sessionibus publicis. Idem confirmatur ex Actis Constantiensis Concilij tam editis, quam ineditis, in quibus ante Sessionem XI. nullibi reperitur, Cardinalem Præsidem pro se, & sacro Collegio suffragium tulisse, id, quod primùm Sessione XI. factum fuit; quamvis non sinè mysterio Gesta Constantiensis Concilij id primùm Sessione IV. contigisse referant. Affirmant enim, quòd pro unione Gregorij XII. admissa fuerit nova Concilij convocatio, ac de ea responderint *quatuor Prælati pro quatuor Nationibus Placet, & Cardinalis Ostiensis pro Collegio Cardinalium Placet: & hoc*, inquiunt, *nunc primum responsum est ex parte Cardinalium.* Quæ ultima verba notanda sunt, non enim e-or

37.

38.

iste ad diminuendam, sed augendam potiùs Gestorum fidem facit, sicut latiùs, ubi, & quando necessitas urgebit, exponemus.

39. Hisce ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus præmissis, redeundum est ad Decreta, de quibus sicut de ullis alijs, intelligenda sunt, quæ habent Gesta *superiùs* allata. De nullis enim alijs Decretis æquè, ac de istis referunt, quòd præcipitanter à Nationibus sint conclusa, & constanter à Cardinalibus eorum publicationi contradictum fuerit. Testantur itaque, quòd Cardinales noluerint ad Sessionem IV. venire, in qua Nationes ea publicare decreverant, *quia super illis non fuerant habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum.* Additur in Regesto, quòd, postquàm Cardinales effecerant, ut illorum Decretorum publicatio tunc omitteretur, Sessione IV. publicè monuerint: *Vt omitterentur illæ materiæ, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem.* Cumque animadvertissent, consilium suum à Nationibus negligi, & sinè communi examine, ac nova deliberatione Decreta Sessione V. publicanda fore, testatur idem Regestum, quòd Cardinales eodem die, quo Sessio illa habenda erat, protestationem secretè fecerint in camera Paramentorum Palatij Constantiensis: *Quòd propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ipsa statui debere.* Adjungunt Gesta Constantiensis Concilij, Decreta per ultimum Cardinalem in Sessionibus publicis pronuntiari consueviisse, idque tunc spectâsse ad Franciscum Zabarellam Cardinalem Florentinum, omnium sui temporis Canonistarum facilè principem; Decreta tamen Sessionis V. pronuntiata fuisse per electum Poznaniensem: *Quia Cardinalis Florentinus ea noluit pronuntiare.*

40. Scribat jam D. Maymbourg, Decreta Sessionis V. consentientibus omnibus obedientiæ Ioannis XXIII. Patribus, publicata fuisse, meque nihil habere, quod ex manuscriptis codicibus opponam. Dicat, omnes illos, qui unquà contradixerunt, Sessione V. in unam, eandemque convenisse sententiam, idque etiam de Cardinalibus constare ex eo, quòd Concilium dicatur, Decreta post eorum publicationem approbâsse. Nónne ex jam dictis manifestè constat, approbationem Actorum per quatuor Prælatos ex parte Nationum fieri consuevisse, & Præsidem pro solis Nationibus votum tulisse? Nónne testatur codex manuscriptus Regis Christianissimi, quòd post recessum Ioannis XXIII. Cardinalibus negatum sit votum speciale in Sessionibus publicis? Nónne ex septem codicibus manuscriptis, Gesta & Regestum Actorum Constantiensium continentibus, manifestum fit, Cardinales noluisse sese Nationibus conjungere quoad conclusionem Decretorum Sessionis V. sed separatim egisse, & totis viribus eorum publicationi obstitisse? Nónne ex tribus manuscriptis codicibus patet, Cardinales Sessioni V. interesse noluisse, nisi præmissâ protestatione secretà, quòd consentire nolint ijs, quæ audierant, in ea statui debere? Nónne ex Gestis Concilij habetur, Cardinalem Florentinum, ad quem de more spectabat, Decreta pronuntiare, dissensum Cardinalium sufficienter indicâsse, dum in Sessione V. à Nationibus rogatus, ea legere publicè recusavit? Nónne eadem Concilij Constantiensis Gesta perhibent, Cardinalem Præsidem Sessione V. pro Cardinalium Collegio nullum votum tulisse, adeoque, licèt quatuor Prælati juxta morem Constantiæ introductum, pro majori parte eorum, qui in quatuor Nationibus erant, per verbum *Placet* Decreta admiserint, neminem fuisse, qui pro Cardinalibus suffragium ferret? Nónne ex his omnibus clarissimè constat, non solùm gravissimos Patres à contraclamante multitudine in Congregationibus Nationum superatos, per se nullum votum tulisse, sed nec Cardinales per alios consensum præbuisse?

Quid ad hæc respondere poterit D. Maymbourg? Quâ arte perget adstruere communem Patrum circa Decreta consensum? Quo fuco errorem illum posthæc promovebit? Conabantur quondam Basileenses Orbi Catholico obtrudere Decreta Sessionis V. ac si unanimi omnium Patrum consensu statuta, nemineque penitus discrepante, publicata fuissent: sed arte usi sunt, omittendo ea Gestorum verba, ex quibus de constanti gravissimorum Patrum dissensu constabat, ut ante biennium in dissertatione mea ostendi, & hoc capite contra D. Maymbourg ex manuscriptis codicibus Gallicis æquè, ac Italicis iterum monstravi. Quibus ex quatuor manuscriptis codicibus, Gesta Constantiensis Synodi continentibus, adjungi pro coronide potest, quòd Cardinalibus Decreta Sessionis V. improbantibus sese conjunxerint Oratores Regis Christianissimi, Ludovicus nimirum Dux Bavariæ, Frater Reginæ Franciæ, Raynaudus Archiepiscopus Rhemensis, cæterique per Monachum Sandionysianum, & alios relati. Cùm enim Gersonius unus ex Galliæ Oratoribus die 23. Martij sermonem *in diminutionem jurisdictionis Apostolicæ* habuisset, & posteà Ludovicus Bavariæ Dux cum Raynuado Archiepiscopo Rhemensi, & Nicolao de Calavilla ad Joannem XXIII. Schaffusam pervenisset, idem Joannes *Oratoribus Regis Franciæ visitantibus cum amaro animo conquestus est*, teste Turrecremată, *falsa quædam & erronea adversùs authoritatem Romani Pontificis* post suum discessum Constantiæ proposita fuisse. Quæ Joannis verba tantum valuerunt apud dictos Oratores, ut Constantiam reversi sese conjunxerint Cardinalibus, & non solùm difficultatem fecerint veniendi ad Sessionem IV. sed etiam ad Sessionem V. venire noluerint, ut fidem faciunt Gesta Constantiensis Concilij. 41.

Nec refert, quòd posteà ad Sessionem V. iverint: nam eos præmisisse protestationem, testatur Regestum Actorum Constantiensium; quòd idem de Regis Christianissimi Oratoribus affirmat, utpote qui una cum Cardinalibus in camera Paramentorum Constantiensis Palatij fecerunt protestationem secretam, *quòd propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ea statui debere.* Præclariora autem sunt 42.

hæc

hæc verba, quàm ut illa tanquam parum ad rem facientia missa faciamus. Agunt enim de protestatione contra Decreta Sessionis V. factâ ab ipsius Regis Christianissimi Oratoribus, quorum sententiam, si contra ulla Conciliorum, Decreta quidquam valere posse, existimetur, contra indeliberata & tumultuosa Decreta Sessionis V. Constantiensis Concilij ab unâ Obedientiâ, eaque non integrâ statuta facere, Galli inprimis fateri deberent. Et hæc sufficiant de Decretis Sessionis V. ut Orbi Catholico constet, non solùm sinè communi deliberatione tantæ rei debitâ, sed nec ab omnibus unius Obedientiæ Patribus, quin potiùs reclamantibus gravioribus, & contradicentibus Regis Galliæ Oratoribus, statuta fuisse, adeoque verissimum esse, quod in Dissertatione Antuerpiæ editâ notaveram, dubiæ saltem authoritatis ex hoc capite, & à nobis & à Gallis inprimis censenda esse.

CONCLUSIO.

43. NOn mirum est, tam tumultuosè fuisse edita illa Sessionis V. decreta Constantiensia, dum in ijs recedebatur à formâ veri Concilij per Christum præscriptâ, ex cujus jam defectu, non poterat ejusmodi Congregatio in Spiritu sancto celebrata esse.

Explicatur. Ponamus, illos, qui decretis Sessionis V. intervenerant, sub hisce prætendisse, definire Concilij super Papâ non dubio solùm, ac pro tempore schismatis tunc intervenientis, sed *absolutè* super Papâ in futurum etiam certo ac indubitato superioritatem. Ex hoc ipso tamen noscerentur in tantum recessisse à Concilij Generalis, cui Spiritus sanctus assistit, formâ per Christum præscriptâ, ut congregatio ejusmodi ne quidem *dispositivè* & quasi *materialiter* dici posset Oecumenica, seu esse etiam in via tendentiæ ad Synodum *formaliter* Oecumenicam redintegrandam; prout patebit ex subsequentibus probationibus.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quænam sit à Christo constituta forma Concilij, ut ipse unà cum Spiritu sancto ei noscatur assistere.

44. ETenim Christus *Matthæi 28.* Apostolos missurus ad docendas omnes gentes *v. 20.* eisdem promisit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: Hæc igitur assistentiæ Christi promissio noscitur esse annexa characteri Apostolico usque ad consummationem sæculi in Ecclesia permansuro. At ea Christi promissio est ipsissima illa, quâ Christus iturus ad mortem *Ioannis 14. v. 16.* fecerat eisdem Apostolis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ista igitur Spiritûs sancti assistentia ex Christi orationis efficaciâ in æternum persistit eatenus in Apostolis, quatenus semper est annexus characteri Apostolico. At verò iste character Apostolicus non consistit in præciso charactere Episcopali, sed in *indefinitâ* ligandi & solvendi authoritate; prout patet ex *Matthæi 18.* Neque verò iste Apostolicus *indefinitæ* ad ligandum & solvendum potestatis character, juxta *dicti cap. 18.* sacrum contextum, reperitur in aliquo Ecclesiastico Concilio, nisi sit aggregatum in nomine Christi, quod scilicet Apostolica ceu Christi Vicaria authoritas præfert. Atqui sublatis Apostolis, cùm solius Petri Apostolica authoritas antecedenter saltem ad Concilij Oecumenici aggregationem, reperiatur in ejus Successore, evidenter notum est, non posse Oecumenicum Concilium, cui Christi ac Spiritûs sancti assistentia sit Divinitus repromissa, ullatenus intelligi, nisi Petri, ejúsve Successoris Apostolica interveniat authoritas. Quandoquidem igitur Sessionis V. Congregatio Constantiensis sibi vendicârit pro tunc authoritatem ejusmodi Apostolicam absque ullius Papæ interventu, atque adeò cum exclusione characteris Apolici, prætendendo scilicet Concilij *acephali* super Papâ superioritatem, nequit pro tunc habuisse illam à Christo promissam sui ac Spiritûs sancti assistentiam, cùm re verâ ex nullo Evangelij apice possit vel umbram adferre, ad probandum, quòd character Apostolicus, *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem erga totum Christianum orbem præferens, conveniat Synodo, Christi Vicario soli Petri Successori proprio nomine non insignitæ. Et hinc mirum non est, tot tumultibus agitatam fuisse illam Sessionem, dum contrariam se gerebat erga characterem Apostolicum, sub quo noscitur Concilio Ecclesiastico promissus Spiritus sanctus, una cum Christi, ejusque Patris Æterni assistentiâ.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, illam Sessionis V. Congregationem Constantiensem in eo se posuisse statu, ut ne quidem *materialiter* & *dispositivè* dici posset Generalis ac Oecumenica Synodus.

COnstiterat ab initio hæc Synodus ex Epis- 45.
copis Joannis Papæ dubij XXIII. obedientiæ addictis, ad providendum Ecclesiæ de certo Capite. Sub hoc statu ipsimet characteres Episcopales in unum collati, ex *intrinsecâ* naturâ suâ faciebant Synodo potestatem super Papis dubijs, ubi ad schismatis extinctionem id opus foret, etiam deponendis, & prosciciendo de unius indubitati Pontificis suffectione; uti *ex antecedentibus* constat. Quæ nihilominùs Synodus intenta erat de Papis dubijs removendis per spontaneam renuntiationem, sicque erat in statu tendentiæ ad characterem Apostolicum ex Papæ certi electione sibimet conjungendum, poteratque adeò tunc dici *dispositivè*, & *materialiter* Generalis, utpote habens aptitudinem ad Concilij Oecumenici *formalem* ex Papa posteà eligendo cha-

racterem obtinendum. Verùm ubi Joannes XXIII. Constantiâ aufugerat Schaffusium, non attento, quòd iteratò promisisset renuntiationem, ad authoritativum processum descendit, non contra istum duntaxat dubium Papam, sed, uti ex parte adversa prætenditur, etiam ad decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum. In quo adeò statu Synodus illa se posuit in statu contrario erga characterem Concilij quà Oecumenici *formaliter* constitutivum.

46. Probatur istud subsumptum. Si namque Adversarij totum evolvant Evangelium, non poterunt ullum assignare apicem, qui secùs ac *Matthæi 18.* est traditum, statuat Concilij Oecumenici characterem ex alio, quàm Christi nomine Vicario consistentem. Neque verò dicere fas est, Apostolicam authoritatem, Christi nomen præferentem, ac sub *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate consistentem, ex illo Apostolorum, si *divisim* spectentur, transisse in aliquem Successorem, excepto unico Petro, cui claves regni cœlestis cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque cum jure successionis sunt collatæ. Quæ verò *indefinita* ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectim* sumptis, quà Ecclesiam Universalem repræsentantibus *cit. 18. Matth.* est promissa, noscitur ex sacro contextu non aliter subsistere, nisi Concilium fuerit congregatum in nomine Christi Vicario, antecedenter se habente ad Concilium, quippe cùm istud debeat per hoc convocari, opusque adeò est ad illum Apostolicæ plenitudinis characterem, Synodi, quà Oecumenicæ, *formaliter* constitutivum, Apostolis *collectim*, quà Ecclesiam repræsentantibus promissum *effectivè* obtinendum, ut Concilium fuerit convocatum sub nomine Christi Vicario, extra Concilium jam priùs competente Petri Successori. Quia igitur Congregatio illa Constantiensis adversùs istum Petri Successoris proprium characterem se opposuit, ei, qui est Christo *immediatus* & *proximus* Vicarius, superponendo characterem Christo immediatiorem, indeque adeò superiorem, dum Concilij super Papâ superioritatem statuit, nequit pro tunc permansisse in statu etiam *materialiter* duntaxat Generalis, ac *dispositivè* Oecumenici Concilij, quamvis postea non ad istum solummodò statum redierit, sed tandem ex accessu Martini V. ad Synodi *completè* ac *formaliter* Oecumenicæ statum ex Vicario Christi charactere, illi tunc certo Papæ inexistente, pervenerit.

§. III.

An Patres Constantienses in Sessione V. Ecclesiam Universalem sufficienter, aut perfectè repræsentaverint?

47. Emanuel à Schelstrate in suæ Antuerpianæ Dissertationis *cap. 1. art. 1.* probaverat, Patres Constantienses Sessione V. non sufficienter repræsentâsse Universalem Ecclesiam, ut eorum decretis omnes ubique fideles parêre debuerint. Quid ergo huic probationi oppositi fuerit Maymbourgus *tractatûs sui historici pag. 256.* in præsenti, una cum dicti Schelstrate responsionibus *præs. tract. Dissert. 2. cap. 3.* repositis, hîc proferre, animus est.

Argumentum Maymbourgi.

Hic Author *loco proximè citato* sic arguit. 48.
Tertium demum argumentum, quo Emanuel Schelstrate utitur ad infirmandam authoritatem decretorum Sessionis IV. & V. consistit in eo, quòd in Concilio tunc duntaxat una Obedientia Joannis XXIII. fuerit, quæ Ecclesiam Universalem repræsentare nequivit. Ut autem demonstretur nullitas hujus argumenti, quod procul dubio omnium pessimum est, duobus verbis ipsi dicam, id, quod supponit post Bellarminum (qui infirmas illas objectiones ei commodavit) esse falsissimum.

Responsio.

Præallegatus igitur Schelstrate *dict. tract.* 49.
pag. 113. ac seq. ita respondet. In pluribus errat Maymbourgus: ac *primò* quidem in eo, quòd argumentum nullitatis arguere præsumpserit, quod est longè validissimum. *Secundò* falsissimum dixerit, quod est verissimum. *Tertiò* demum, objectiones mihi a Bellarmino commodatas somniârit, quas ex solis Actis & Gestis Constantiensis Concilij, ac æqualium Scriptorum testimonijs desumpseram, ut sequentia legenti constabit. *Primum* enim testimonium, cui argumentum innititur, desumpseram ex duobus Auctoribus gravissimis, qui Constantiensi Concilio interfuerunt, & tredecim prioribus Sessionibus non nisi unam Joannis XXIII. Obedientiam adfuisse notârunt. Congregationem istius Obedientiæ noluerunt aliæ duæ pro Generali Ecclesiæ conventu agnoscere, ut fidem faciunt Turrecremata, & Summus Ecclesiæ Pontifex Eugenius IV. quorum primus eâ de re testatur his verbis: *Nullus dubitat, quòd asserere, quòd sola Obedientia Ioannis faceret Concilium Vniversale Vniversalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium ac scandalosum alijs duabus Obedientijs.* Secundus verò *in Apologia contra Basileenses* asserens: *Non dixit Obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Christianitatis pars non modica erat, ante tempus conventionis plenarium fuisse Concilium, nec priùs actitata quasi Synodi Generalis plenariâ authoritate suscepit. Itaque oportuit, ipsis convenientibus, primò ab Obedientia Gregorij, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari; hinc, universâ Ecclesiâ concurrente, plenariæ Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipsis à Patribus ibi considentibus actum est, Vniversæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantùm, qui ibidem considebant, & unius tantùm Obedientiæ Synodū faciebant.*

Secundum testimonium desumptum fuit ex 50.
Gestis Constantiensis Concilij hucusque ineditis, ex quibus ostendi, rem novam non esse, quòd Concilium Constantiense ante trium Obedientiarum unionem Universale fuisse negetur, cùm in ipso Concilio coram Patribus

Con-

Constantiensibus publicè dixerint Legati Regis Arragoniæ: *Quòd quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare, esse Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Regis Castellæ.* Ita in Gestis Constantiensis Concilij ad mensem Octobris anni 1416. in quibus referuntur quoque litteræ scriptæ à Rege & Regina Castellæ *ad Congregationem quatuor Nationum in Constantia.* Quæ litteræ cum hac inscriptione coram Patribus Concilij lectæ fuerunt, qui nullam sibi injuriam ex omisso titulo Generalis Concilij fieri existimârunt, nihilque ad illud responderunt: quin potiùs ante Unionem duarum Obedientiarum sese universam Ecclesiam non repræsentâsse, *tacitè* admiserunt.

51. Ostendi namque *tertio loco* ex Regesto Constantiensis Concilij, Gregorium XII. cum sua Obedientia noluisse Sessione XIV. unionem inire, nisi improbatâ convocatione per Joannem XXIII. factâ, & novâ Concilij convocatione admissâ. Extant ea de re Bullæ Gregorij XII. quarum *prima* inscribitur, *De potestate authorizandi istud Concilium. Secunda* directa fuit ad Carolum de Malatestis, ut convocato de novo & authorizato Concilio, suo nomine de Pontificatu cederet. Quibus omnibus adjunxi ex Sessione XXII. Actorum Constantiensium, quòd Concilium ipsum juxta concordata Narbonæ cum Obedientia Benedicti XIII. inita, non solùm tertiam convocationem admiserit, sed in litteris, quibus Patres istius Obedientiæ ad Concilium vocabat, à titulo Universalis, seu Oecumenici abstinuerit, & Patrum Hispanorum litteras receperit, ac receptas in publica Sessione legi, Actisque suis inseri jusserit, licèt nulla Generalis Synodi mentio in ijs fieret.

52. Hæc ergo in Dissertatione mea Antuerpiensi non quidem ex Bellarmino, ut putavit D. Maymbourg, sed ex Actis Constantiensis Concilij editis & ineditis, ac æqualium Scriptorum testimonijs, quæ clariora sunt, quàm ut hic Author ea attingere, ne dum refutare ausus sit: maluit namque cuncta *superiùs* allata sub silentio præterire, quàm ea in memoriam revocando, præjudicium aliquod opinioni suæ afferre. Quamvis autem illud palliandæ malæ ipsius causæ prodesse possit, à me nullatenus tacendum fuit, cùm ex ijs clarissimè constet, Concilium Constantiense à duabus Obedientijs Gregorij XII. & Benedicti XIII. pro Universali habitum non fuisse.

53. Ne tamen D. Maymbourg nimis harum Obedientiarum terminos restringat, memoriâ repetendum est; illas *non modicam*, ut cum Eugenio IV. loquar, *Christianitatis partem* constituisse; in obedientia enim Gregorij, constat, fuisse non ignobiles Italiæ Urbes cum totâ Romaniâ, ejusque Principe Carolo de Malatestis; celebres insuper Episcopatus Germaniæ, Wormatiensem nimirum, Spirensem, ac Werdensem, qui omnes cum Duce Bavariæ, alijsque paruerunt Gregorio usque ad cessionem Pontificatûs. In obedientia verò Benedicti XIII. patet, fuisse quatuor integra Regna, Scotiæ nimirum, Navarræ, Castellæ, & Arragonum, quorum Reges, unà cum celeberrimis totius Hispaniæ Ecclesijs, & Universitatibus, Concilium usque ad Sessionem XXXVII. noluerunt pro Generali agnoscere, prout in ipso Constantiensi Concilio coram Patribus, nemine eorum contradicente, non semel, sed pluries exposuerunt. His autem, si adjungas Dominum de Fuxo & Armenico, cum populis Bearnæ ipsi subjectis, Insulas Majoricarum, Sardiniæ, & Corsicæ de Obedientia Benedicti; Joannem Dominicum Archiepiscopum Ragusinum cum alijs de Obedientia Gregorij: patebit profectò, eorum judicium contemnendum non esse.

Exceptio per Maymbourgum opposita.

54. HIc enim Author *pag. 257.* denuò objicit, omnes Cardinales duarum illarum Obedientiarum, qui sese univerant in Concilio Pisano, & duobus contendentibus depositis, Alexandrum VI. in eorum locum elegerant, sub ejus Successore Joanne XXIII. Concilium Constantiense continuâsse.

Responsio.

55. VErùm dictus Schelstrate *ibi à pag. 119.* reponit, se nescire, cur Maymbourgus duarum Obedientiarum Cardinales objiciat pro firmanda authoritate Constantiensis Concilij, cùm illos prorsus Decretis Sessionis IV. & V. refragatos fuisse, in Dissertatione Antuerpiensi ex Gestis Concilij ostenderim; id quod *capite superiori* rursùs probavi. Complures enim Cardinales, quos nobis ex Obedientia Joannis XXIII. objicit, ipsi sunt, qui conclusioni Decretorum obstiterunt ante Sessionem IV. & contra eorum publicationem protestati sunt ante Sessionem V. Illi sunt, qui in camera Paramentorum, unà cum Oratoribus Regis Franciæ, declarârunt, quòd *ad Sessionem ibant ob scandalum evitandum, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in ea statui debere.* Illi sunt, qui Sessione V. coram Patribus ipsis recusârunt, ejus publicationi annuere. Acta enim typis edita referunt, per electum Poznaniensem pronuntiata fuisse, *quia Cardinalis Florentinus*, ut Manuscripta Gesta testantur, *ea noluit pronuntiare.*

56. Quòd si pro cognoscendo sensu Cardinalium mens Cardinalis Florentini non sufficere videatur, audiendus est Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis apud Gallos celeberrimus, qui non anno 1415. ut putavit Illustrissimus Apamearum Episcopus Spondanus, sed anno 1417. ante adventum Legatorum Regis Castellæ scripsit Tractatum *de Ecclesiæ, & Cardinalium authoritate, & p. 1. cap. 4.* aliqua dubia proposuit, *quæ dicebat, apud nonnullos magnam perplexitatem inducere.* Primum *dubium, an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ, videlicet Italica, Gallica, Germanica, & Anglicana, excluso dicto Cardinalium Collegio, faciunt Generale Concilium, cùm sint plura Concilia particularia valde inæqualiter, & improportionaliter divisa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclu-*

sâ deliberatione dicti Collegij, & non factâ in communi Sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij Conciliariter facta. Secundum *dubium, an dictæ Nationes, quæ sunt nova Collegia particularia, quæ multis videntur contra, vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licèt ex rationabili causâ, & sub debitis circumstantijs ita instituti potuerint, habuerint à jure Divino, vel humano authoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium ipsam repræsentans (quod est antiquum Collegium, & antiquo jure, & in sacris Generalibus Concilijs, & in sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi, inquam, jure suo, habendi scilicet vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi?* Hæc ibi Petrus de Alliaco affirmans, ista dubia à se proposita fuisse, ut super his Concilium deliberaret, ne in futurum Acta reprobarentur: quod sanè nunquam Cardinalis Cameracensis monuisset, nisi authoritatem Constantiensis Concilij quoad aliqua decreta in dubium revocari posse, prævidisset.

57. Neque hæc singularis opinio Petri de Alliaco, sed communis totius sacri Collegij fuit, ut occasione Decreti de non eligendo sinè Concilij assensu Pontifice, sufficienter constitit: cùm enim Sessione XIV. editum eâ de re fuisset Decretum, non solùm Cardinales sese ad illud minimè teneri, existimârunt, sed unanimi totius sacri Collegij consensu contra illud protestati sunt, ut fidem faciunt Gesta Constantiensis Concilij hactenus inedita, quæ notant post Sessionem XXXVIII. *quòd Cardinales attenderint constitutionem.* Ubi periculum majus. De elect. in 6. *& alia jura, & etiam Decreta Concilij super electione Papæ hâc vice, per quæ Concilium decrevit electionem fiendam modo, & formâ, loco, tempore, & materiâ per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, suspenditque omnia jura positiva in illa materia.* Addunt, *dictos Cardinales non reputâsse, illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium.* Et licèt publicè ea impugnare noluerint, ne electio futuri Pontificis impediretur; Acta tamen affirmant, eos noluisse *tacitè*, vel *expresè* juri scripto renuntiare, ideoq; protestationem minoribus terminis feciſse, quibus concipi poterat, eamq́ue coram singulis Nationibus de sacri Collegij mandato prælegi feciſse.

58. Jam videre incipiet D. Maymbourg, nisi mea me fallat opinio, Cardinales, quos ex Obedientia Joannis XXIII. adduxit, suo instituto non favere, cùm Decreta Sessionis XIV. ipsimet in dubium revocârint, seleq́ue illis non teneri, publicè coram singulis Nationibus exposuerint. Clariùs autem infirmitatem Decretorum illorum videre poterit ex alia protestatione Cardinalium postea contra Regem Romanorum, & Nationem Germanicam edita, in qua non solùm fatentur: *Quòd Clerus & populus nonnullorum Regnorum, & Provinciarum nondum solidè & clarè Concilio adhæserant, sed, ut communiter fatebantur, expectarent fiendæ electionis Summi Pontificis eventum, ut, si electus foret Canonicè, illi obedirent, aliàs non. Nec non etiam, quòd quorundam, qui eidem Concilio adhæserant, propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiebant, fidem jam de eodem Concilio vacillare: ideòque scriptum, & relatum tunc fuisse à pluribus Magnatibus, & alijs Zelatoribus pacis, & unionis Ecclesiæ, in Italia plurimùm dubitari, ne in Vrbe Romanâ, prætextu rumorum, & dilationis, prædictorum aliquis pro Summo Pontifice assumeretur, cui forsan, præmissis attentis, tota Italia obediret.* Hæc ferè in terminis Cardinales ante Sessionem XXXIX. ex quibus patet, quænam tunc esset plurium fidelium de Concilio Constantiensi opinio, quænam de admittendis ejus Decretis non Cardinalium duntaxat, sed totius fermè Italiæ sententia, pro qua Nationem quoque Hispanicam adducere possumus, quòd illa publicè cum Cardinalibus admiserit, ad electionem Pontificis procedi posse: *Non obstantibus quibusdam hujus Concilij Decretis, quibus,* inquit, *Nos Hispanica Natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligamur.* Quo nihil clarius dici à Natione Hispanica potuit, nihil manifestius de authoritate Constantiensis Concilij, ante trium Obedientiarum unionem, in edendis de electione Pontificis Decretis posterorum memoriæ consecrari valuit.

Statuerat Concilium Constantiense ante 59.
unionem Hispanorum, à Cardinalibus procedi non posse ad electionem Romani Pontificis, nisi de consensu Concilij, quod Decretum non solùm, tanquam invalidum, Cardinales impugnârunt, sed à tota Natione Hispanica rejectum hâc ratione fuit, quod *etiamsi aliàs validum existeret,* se illo minimè ligari, existimaret. Hæc post Sessionem XXXVIII. Natio Hispanica in publico Instrumento, quod nomine sacri Cardinalium Collegij, & duarum aliarum Nationum in Ecclesia Constantiensi Regi Romanorum, & Nationi Germanicæ prælectum fuit, & ab ipsâ Natione Gallicana negari non poterit, utpote, quæ una ex duabus illis Nationibus fuit, & non solùm hanc Hispanorum sententiam protestationi suæ inseri, sed & per Archiepiscopum suum Bituricensem publicè legi permisit. Quæ omnia hîc annotare placuit, ut videat D. Maymbourg, quàm longè à vero aberret, dum Decreta Sessionis V. tanquam Concilij Generalis statuta, ab omnibus accipienda esse voluit. Si enim, fatentibus in Constantiensi Concilio Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis, Natio Hispanica non tenebatur Decreto Sessionis XIV. quia eidem non adfuerat, multò minùs tenebitur Decreto Sessionis V. Sedes Apostolica, quæ non solùm ei non interfuit, sed per tres sese pro Pontificibus Romanis gerentes, ac per plures de sacro Cardinalium Collegio, Romanam Ecclesiam repræsentante, manifestè contradixit.

Neque responsum meretur, quod D. 60.
Maymbourg de Concilijs Generalibus, & signanter Tridentino, objicit, ac si eorum authoritas in discrimen vocaretur, vacillante authoritate Constantiensis Synodi. Non sufficit enim ad Concilium Universale, quòd omnes Episcopi convocati sint, prout falsò supponit Author iste; sed requiritur, quòd legitimâ

timâ authoritate convocentur. De illa namque, si dubium exurgat, & variæ Catholicarum Regionum sententiæ reperiantur, quibusdam volentibus, ab illegitima authoritate Concilium convocatum esse, ideoque sese non teneri, nec velle ad illud accedere, sicut magna Italiæ & Germaniæ pars cum Gregorio XII. & quatuor integra Scotiæ, & Hispaniarum Regna, multæque aliæ Regiones cum Benedicto XIII. sentiebant de Constantiensi Concilio; tunc authoritas Concilij ex plurimorum Catholicorum absentiâ & contradictione infirmatur. Et hoc est, quod in Constantiensi Synodo à duabus Obedientijs non semel, sed sæpius dictum fuit, & ab ipsa Obedientia Joannis XXIII. negari non potuit, utpote quæ novam Concilij convocationem admisit, & in litteris, quibus Benedicti XIII. Obedientiam evocavit Constantiam, à Generalis Concilij titulo de communi quatuor Nationum suarum consensu abstinuit. Quòd si Patres Constantienses, ipsaque Natio Gallicana morem gesserint Hispanis, Concilium ante trium Obedientiarum unionem pro particulari, & non Generali tenentibus: quid, quæso, nunc D. Maymbourg æquiparat hoc Concilium Universalibus, de quorum legitima convocatione nemo Catholicorum unquam dubitavit?

Iterata Maymbourgi instantia.

61. AUthor iste *pag. 258.* rursus instat. Si non sufficiat, convocari omnes ad Concilium, quemadmodùm per Joannem XXIII. ad Synodum Constantiensem convocati fuerant Episcopi aliarum duarum Obedientiarum, tunc hæreticos objicere posse, præcipuè contra Tridentinum Concilium, quòd ibi neque adfuerint Episcopi Ecclesiæ Anglicanæ, neque Daniæ, neque Norvegiæ, neque Sueciæ, neque ex ea Germaniæ parte, quæ sequebatur Confessionem Augustanam: (dicere possent) non adfuisse Græciæ Antistites, non Orientis, neque Ægypti, qui omnes tempore Tridentini Concilij non magis dici poterant de Obedientia Pontificis, Concilium convocantis, quàm erant tempore Constantiensis Synodi illi, qui Petrum de Luna, vel Angelum Corarium sequebantur.

Responsio.

61. PRæallegatus Schelstrate *sui tract. pag. 128.* respondet; Concilio quidem necessariam non esse præsentiam eorum, qui foris sunt. Angliæ, Græciæ, Orientis, & Ægypti Regiones in schisma, & hæresim prolapsæ erant, ut illarum Episcopi æquè, ac Germani Lutheranam hæresin sequentes, extra Ecclesiam constituti essent. Potuit itaque sine illis tota Ecclesia per Concilium Tridentinum repræsentari, prout reipsâ repræsentata fuit. Sed aliud erat de Constantiensi Concilio, à quo Catholici ipsi ex rationibus *suprà* citatis aberant, quibus Concilio contradicentibus, & repugnantibus, tota Ecclesia Constantiæ repræsentari non poterat. Accedit, Caput defuisse Ecclesiæ, sinè cujus consensu Decreta similia, qualia Sessione V. publicata feruntur, robore suo carere dicenda sunt: sicut Concilij II. canon pro Primatûs honore Constantinopolitanæ Ecclesiæ tribuendo, nullius roboris fuit, quia Sedes Apostolica neque per Legatos Concilio adfuit, neque per se Canonem probare voluit.

Replicatio Maymbourgi.

Hic Author *pag. 260.* iterum objicit, si de- 63.
creta Constantiensis Concilij authoritate suâ destituantur, quia abfuerunt duæ Obedientiæ, & Pontifex non interfuit, sequerentur exinde terribilia quædam: ac *primò* quidem, quòd condemnatio errorum Wicleffi & Hus foret invalida, quia condemnati fuerunt Sessione XV. ante unionem reliquarum Obedientiarum, & cùm nondum Pontifex Concilio adesset. *Secundò*, quòd detestabilis illa propositio Joannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & imponit occidere tyrannum, quocunque modo possit, non esset legitimè condemnata hæreseos. Et demum, quòd sententia condemnationis, & depositionis Joannis XXIII. quæ dudum lata fuit ante unionem duarum illarum Obedientiarum, sinè ulla authoritate facta fuisset; juxta illud Cardinalis Juliani ad Eugenium IV. *Nam si quis dixerit, Decreta illius Concily non esse valida, necesse habet fateri, privationem olim Ioannis factam vigore illorum Decretorum, non valuisse. Si illa non valent, nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illo superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas Vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est.*

Responsio.

PRæfatus Schelstrate *à pag. 130.* respondet; 64.
primum objectionis punctum non majoris momenti esse, quàm præcedentia, cùm facillima sit illius solutio. Licèt enim propositiones Wicleffi & Hus à Concilio nondum Universali condemnatæ fuerint, à quatuor tamen Nationibus cum deliberatione debita, & de communi omnium Nationum ac Cardinalium consensu condemnatæ sunt, quorum sententiam Martinus V. authoritate Apostolicâ confirmavit, prout speciali constitutione: *Ad perpetuam rei memoriam*: quæ incipit: *In eminentis Apostolicæ dignitatis speculo*, omnibus manifestum facit; ut *infrà* latiùs videbimus.

Quoad *secundum* de detestabili illa propo- 65.
sitione Joannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & imponit occidere tyrannum; nescio, quâ ratione Author iste invidiam mihi creare voluerit: habet enim de propositione illa Concilium Constantiense Sessione XV. *Præhabitâ deliberatione maturâ, declarat, decernit, & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsámque tanquam hæreticam, scandalosam, &c. reprobat, & condemnat: declarat insuper, decernit, & diffinit, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſissimam asserentes sint hæreti-*

ei, & tanquam tales juxta Canonicas sanctiones puniendi. Cùm enim ex his constet, Concilium Constantiense, præhabitâ maturâ deliberatione, de communi omnium Patrum consensu propositionem illam tanquam erroneam in fide damnâsse, ipseque D. Maymbourg fateatur, hæreticam judicatam fuisse, nónne videt, Decretum de illa tanquam in materia fidei *Conciliariter* factum, à Martino V. probatum fuisse, adeoque authoritate Pontificiâ confirmatum, juxta principia à me posita, plenum robur obtinere? Quòd si dubitet hâc de re, legat Sessionem XLV. in qua Martinus V. professus est, *se omnia & singula determinata, concluſa & decreta in materijs fidei per Concilium Constantiense, Conciliariter tenere velle, ipsáque sic Conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.*

66. Vanæ itaque sunt terribiles sequelæ, & somniorum instar habendæ, utpote quæ nec menti meæ conveniunt, nec ex principijs à me positis deduci possunt, sicut nec deduci potest, quòd Joannis XXIII. depositio, aut Martini V. electio in dubium revocandæ sint; prout D. Maymbourg pro *tertiâ* terribili sequelâ sententiæ meæ opponit. Supponit namque Author iste, me voluisse in Dissertatione Antuerpiæ edita, quòd solùm confirmata fuerint Synodi Constantiensis Decreta contra Joannem Wicleff, & Hus in materia fidei *Conciliariter* statuta, unde *cap. 24.* mihi objicit: *Quid erit igitur de alijs Decretis, quæ facta sunt pro extirpatione schismatis, & reformatione Ecclesiæ.... Dicat mihi, an hæc Decreta approbata sint, nec ne? Si approbata non sunt, debet juxta sua principia admittere, quòd depositio & condemnatio Ioannis XXIII. sit nulla, & quidquid eam subsecutum est, subsistere nequeat....Si approbata sunt, dubitari non potest, quin etiam confirmata sint Decreta Sessionis IV. & V. quandoquidem præcipuè pro extirpatione schismatis facta sint.* En objectionem, quæ huic fallæ suppositioni innititur, quòd ego dixerim, nulla alia Decreta Constantiensis Concilij confirmata fuisse, quàm illa contra Joannem Hus & Wicleff edita. Ubinam ego id scripsi in Dissertatione mea Antuerpiensi? Quibus verbis id asserui? Legat D. Maymbourg, & pervolvat dissertationem meam Antuerpiæ editam, & inveniet, me quidem admisisse, quòd Martinus V. Sessione XLV. ex Decretis in illa materia fidei Constantiæ editis solùm illa authoritate Apostolicâ confirmavit, quæ *Conciliariter* facta erant: non verò negâsse, ómnia alia Decreta confirmatione caruisse. Licèt enim vi confirmationis *explicitæ*, quam Martinus V. Sessione XLV. fecit, solùm confirmata sint Decreta, quæ in materia fidei *Conciliariter* statuta fuerant, aliunde tamen constare potest de speciali approbatione, vel acceptatione aliorum Decretorum Constantiensium, sicut specialiter constat de tribus Decretis, de quibus ex libro primo de diversis formis anno primo Pontificatûs Martini notatum est in manuscripto codice 6951. Bibliothecæ Vaticanæ. *Ad perpetuam rei memoriam. Confirmat quædam Decreta Concilij Constantiensis, videlicet* primum *circa honores, loca, prærogativas & excellentias ab antiquo debita, & consueta singulis Regibus, & Principibus Orthodoxis, ac eorum Ambassiatoribus, & Nuntijs tam in præsentia Summi Pontificis, quàm alibi, &c.* Secundum *circa annullationem & cassationem privationum & pœnarum à certa die per Benedictum XIII. in sua Obedientia nuncupatum, factarum, promulgatarum, fulminatarum, &c. ex quacunque causa contra quascunque personas, &c. provisionum, promotionum & translationum Ecclesiarum, &c. & generalium omnium concessionum, beneficiorum, dignitatum, &c. gratiarum, dispensationum, matrimoniorum, beneficiorum, &c.* Tertium *circa representandas & habendas voces Prælatorum, & aliorum absentium in Concilio per Reges Arragoniæ, Legionis, Castellæ, Navarræ, Portugalliæ, eorúmq; Ambassiatores, & Nuntios computandos in Natione Hispanica, &c. juxta capitula Narbonæ concordata, &c. Datum Gebennis IV. Kal. Iulij anno primo.*

Sunt itaque Constitutiones quædam Constantiensis Synodi, quas Martinus V. post illius finem specialiter confirmavit. Sunt & aliæ, quas, durante Concilio, particulari Bullâ probavit, ut cuique Concilij Acta pervolventi constabit. Sunt demum & alia, quæ tres Obedientiæ, & Martinus V. ac tota Ecclesia ipsomet facto acceptârunt, sicut Joannis XXIII. depositionem, quæ locum habere potuit, quamvis Decreta Sessionis IV. & V. in sensu Basileensium intellecta, robore caruerint. Ad hoc enim, ut depositio Joannis subsistat, non requiritur, quòd Concilium supra unicum & indubitatum Pontificem authoritatem habeat, sed sufficit, quòd tempore schismatis vigebat, quo tres simul de Papatu contendebant, de quibus, ut nunc communiter admittitur, Concilium sententiam ferre poterat. 67.

Quamvis autem ad deponendum Joannem XXIII. supradicta authoritas Concilio sufficiat, ita ut Martini electio ex hoc capite in dubium revocari nequeat, tamen ipsius etiam Joannis XXIII. consensus accessit, ut testatur Leonardus Aretinus *in Commentario rerum sui temporis in Italia gestarum*, bis de Pontificatu cessit, semel Cellæ, antequàm deponeretur, & semel Florentiæ, postquàm depositus, & in ejus locum Martinus V. electus fuerat. Quod enim D. Maymbourg ex Aretino objicit, Joannem ultimâ vice de Pontificatu cessisse, quia cognoverat, se aliàs jussu Martini Mantuæ perpetuo carcere includendum, ex verbis ipsius Aretini refutari potest, qui expressè testatur, Joannem eo Martini consilio cognito, antequàm Mantuam veniret, aufugisse, & in Ligures abijsse. Et ibi *cùm esset liber, & sui juris, sive conscientiâ ductus, sive quòd desperabat, aliquid efficere posse, sponte suâ Florentiam venit: & sese pedibus Martini subijciens, eum, ut Pontificem verum, & unicum recognovit. In adventu ejus tota Civitas obviàm profusa multis lacrymis, & incredibili commiseratione respexit hominem tantæ dignitatis fastigio in tantas calamitates prolapsum. Ipse quoque miserabili propè habitu incedebat. His omnibus commiseratio populi augebatur. Susceptus à Martino tandem intercessione Civitatis, primus* 68.

Cardi-

Cardinalis efficitur, nec annum integrum superstes è vita migravit.

69. Hæc ibi Aretinus, ex quibus D. Maymbourg discere potuit, Joannem non metu perpetui carceris, quando à militibus Mantuam ducebatur, sed cùm manibus militum elapsus erat, & in Liguribus liber, ac sui juris existebat, nihilque sibi timere debebat, sponte suâ Florentiam venisse, pedibusque Martini sese subijciendo, eum ut verum & unicum Pontificem agnovisse. Quod idem Aretinus Martino V. de Civitate Florentina conquerenti his verbis sese dixisse, testatur: *Ioannes Pontifex, de cujus depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, & scrupulus quidam relinquebatur in mentibus, securitate atque fiduciâ hujus loci Florentiam venit, tibique se sponte suâ subjecit, ac Dominum, & Pontificem verissimum recognovit, quo facto omnis est penitus scrupulus, ambiguitásque sublata, neque enim de ullâ vi adhibitâ sollicitus esse quisquam potest, cùm ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subjectio.* Quæ Aretini verba adeò Martino placuêre, ut Florentinæ Civitati pro hac etiam cessione *ibidem* factâ, se plurimùm obstringi, confessus sit. Unde manifestum fit, si quis scrupulus de legitimâ electione Martini supereſſet in nonnullorum animis, hunc sublatum fuisse per spontaneam Joannis renuntiationem, quamvis re verâ hâc renuntiatione Martini electio minimè indiguerit, utpote quæ legitimè à tribus Obedientijs facta, & consensu totius Orbis Catholici confirmata fuit. Quæ omnia de Decretis Sessionis V. dici non posse, & hâc Dissertatione ostendimus, & sequenti adhuc pluribus demonstrabimus.

CONCLUSIO.

70. PRo statu V. præsertim Sessionis ultra schismatis statum sese protendentis, ad decernendam Concilij super Papâ etiam certo superioritatem, non potuit in Synodo Constantiensi Ecclesia Universalis sufficienter ac perfectè repræsentata fuisse.

Explicatur. Ecclesia namque quoad statum suum hierarchicum *complete* non subsistit ex corpore *acephalo*, sed *substantialiter* importat tum Caput, Oecumenicâ Apostolicâ authoritate præpollens, tum Corpus hierarchicum, ex Præsulibus Ecclesiasticis in Pastoralis solicitudinis partem vocatis coalescens. Dum ergo neque Caput Ecclesiæ, neque integrum Corpus illud hierarchicum intererat Concilio Constantiensi, non potest istud sufficienter repræsentâsse Universam Ecclesiam; uti patet tum ex *antecedentibus*, tum ex *subsequentibus* magis elucidabitur.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, ne *materialem* quidem generalitatem pro statu V. Sessionis habuisse locum in Concilio Constantiensi, quod proinde haud fuisse sufficienter repræsentativum Ecclesiæ Universalis, etiam quoad *acephalum* illius Corpus hierarchicum.

71. CUm Christus *Matthæi 18.* disertis verbis sit contestatus, *se in medio eorum fore, ubi duo, vel tres in nomine suo congregati fuerint*; clarè hinc evincitur, Concilij Oecumenici generalitatem constare posse ex paucioribus etiam Præsulibus Ecclesiasticis, modò isti congregati fuerint in nomine Christi ad totum Christianum orbem se protendente, in vi indictionis per authoritatem Apostolicam convocantis cunctos Christianæ Ecclesiæ Antistites, licèt pauciores ex his postea compareant. At neque ista convocatio, neque aggregatio Præsulum Ecclesiasticorum pro Synodo Constantiensi prætendi potest esse facta sub certo Christi Vicario charactere, qui eo ipso, quòd incertus sit, nequit Ecclesiam certificare de statu Oecumenici Concilij, nec adeò in facie Ecclesiæ haberi potest talis Synodus quà Generalis, nisi *dispositivè* fortassis & *materialiter*, non aliter tamen, quàm sub respectu ad indubitatum Christi Vicarium characterem, soli Papæ certo, secundùm prudentialis credibilitatis evidentiam, inexistere possibilem.

72. Etsi verò ipsorum etiam Præsulum characteres Episcopales in unam Synodum Constantiensem collati, ex suo *transcendentali* ad Ecclesiæ regimen ordine, atque adeò ex suâ connatâ ad certum Ecclesiæ Caput providendum, habitudine & ordinatione *intrinsecâ*, jam fundârint *materialem* quandam Concilij generalitatem, sub statu tendentiæ ad certi Papæ characterem obtinendum positæ, hæc ipsa tamen generalitas *materialis* pro eo etiam statu, quo Synodus Constantiensis supra Papam certum contendebat se efferre, necdum complectebatur Episcopos ac Præsules Benedicti XIII. & Gregorij XII. obedientiam professos. Quæ integritas *materialis* in Concilij Constantiensis V. præcipuè Sessione tantò magis decrescebat, quòd ex ipsa etiam Joannis XXIII. Obedientia quamplures Patres in contrarium protestati fuerint, imò dum congregatio ejusmodi à charactere Concilij Oecumenici *formaliter* constitutivo, Vicario scilicet Christi nomine se alienum ostendebat, ex tunc prorsus deficiebat Conventûs illius ordo & habitudo ad characterem Christi Vicarium, siquidem iste per essentiam suam non admittat authoritatem Christo immediatiorem, atque adeò se majorem, sicque adeò sancitâ Concilij super Papam authoritate, jam abjiciebatur ille Vicarius Christi character. Unde quando Sessionis illius V. Congregatio neque reliquarum duarum Obedientiarum Patres, neque plures ex Joannis XXIII. Obedientiâ Præsules, utpote in contrarium protestantes, complexa est, sed insuper desijt esse in tendentia ad

sui

sui complementum *formale & substantificum*, ex *immediato* Christi Vicario charactere, solius Papæ proprio sibi adsciscendum, omninò consequens est, tunc ne quoad *materialem* quidem hierarchici Corporis generalitatem fuisse illam Synodum Ecclesiæ Universæ sufficienter repræsentativam.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur pro illo statu, longè magis defuisse Concilio *formalem* generalitatem, atque adeò vim Ecclesiæ Universalis sufficienter & *completè* repræsentativam.

73. COncilium Oecumenicum venire nomine Ecclesiæ, dicere debent illi universi, qui asseverant, ipsi appropriari posse illud *Matthæi 18. Dic Ecclesiæ.* Et; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Num verò sub isto Ecclesiæ vocabulo in hoc sacri Evangelij textu dicere fas est, intelligi Corpus Ecclesiæ hierarchicum *acephalicè* sumptum, an verò quà Capiti suo Summo Pontifici unitum? Certè Ecclesiam illam, quam quis non audierit, esse à Christo condecoratam *indefinitâ* ligandi & solvendi Apostolicâ authoritate, constat ex sacro Evangelico contextu. Constat insuper ex hoc, Ecclesiam illam eâ pollere præeminentiâ, ut, si Duo inibi aggregati consenserint, super quacunque re, quam petierint, ipsis fore impertiendam à Patre Cælesti. Constat præterea ex ejusdem Evangelij contextu, istos Duos esse, tum qui congregantur in nomine Christi, tum consequenter illum, qui præfert hunc Christi Vicarium charactérem. Nequit ergo illa in Concilio Oecumenico *repræsentativè* consistens Ecclesia sufficienter ac integraliter subsistere, nisi illi Duo, nempe Corpus Ecclesiæ hierarchicum nomine Christi aggregatum, & Caput Vicarium Christi charactérem præferens, conjungantur in Generali Concilio. Quia igitur in Concilio Constantiensi pro statu præsertim V. Sessionis erat defectus tum ex parte Corporis hierarchici, tum ex parte Capitis, imò quia hujus authoritas suprema, quà Christi Vicarium nomen *immediatè* præferens, tollebatur è medio, consequens est, Concilium Constantiense pro illo statu non fuisse Ecclesiæ Universalis sufficienter repræsentativum, ita ut in ejus medio Christus unà cum Patre suo Æterno, ac Spiritu sancto adstitisse dici potuerit.

§. IV.

Corollarium.

74. EX dictis facilè patet, quàm ruinoso nitatur fundamento articulus *secundus* Cleri Gallicani, Sessionis IV. & V. decretis Constantiensis Synodi innitens. Ad cujus illationis nostræ majorem elucidationem videre hîc placeat, an verum sit, quod Maymbourgus *pag. 223.* prætendit, nullam unquam quæstionem esse meliùs examinatam, quàm illam de authoritate Conciliorum discussam Constantiæ; cùm enim & post sermonem Gersonis in Congregationibus Nationum, juxta ordinem à Concilio statutum, esset examinata, exinde relatum de ea fuisse in Sessione IV.

Verùm Emanuel a Schelstrate *dicti tract. sui Dissert 2. cap. 1. art. 2.* reponit, ea verba non solùm cum anterioribus pugnare, sed etiam Actis Constantiensis Concilij contradicere. Etenim hic ipse Author *lib. 5. de schismate Occidentali anno 1415.* tradidit, solùm post sermonem Ioannis Gersonis de quæstione illa Constantiæ agi cœpisse. Cùm enim nactasset de Ioanne XXIII. quod 21. Martij fugam arripuisset, & Ioannes Gersonius post biduum sermonem habuisset coram Patribus Concilij de authoritate Ecclesiæ supra Pontificem: *En*, inquit, *occasionem, quæ tunc peperit celebrem illam quæstionem, quæ nunquam antea agitata erat in Ecclesia;* An nimirum Concilium sit supra Papam, aut Papa supra Concilium? Sicut enim sermo Cancellarij Parisiensis magnum rumorem excitaverat tam Constantiæ, quam Scaffusæ, ubi plures Cardinales, & alij Concilij Patres ad Papam pervenerant, non omiserunt ea de re disputare cum magno fervore immediatè post Sessionem III. quæ cœpit die 25. Martij, & die sequenti continuata fuit. Hæc ibi D. Maymbourg, citans in margine Acta Constantiensis Concilij, & Authores contemporaneos, ut eorum testimonio probaret, quæstionem de superioritate Concilij ex sermone Gersonis ortum Constantiæ & Scaffusæ duxisse: unde Author ille nullatenus sibi constat, dum *in tractatu historico* scripsit, ante eundem sermonem à Nationibus quæstionem illam agitatam fuisse. 75.

Neque minùs dissonat Actis Concilij, in quibus refertur, quòd post fugam Ioannis XXIII. tres Cardinales deputati fuerint, ut ad Papam Scaffusæ commorantem accederent, & ad Procuratorium super cessione Pontificatûs constituendum, Concilium que continuandum inducerent: quodque 23. Martij dicti tres Legati Cardinales, dum ex mandato sacri Collegij ad iter se parabant, summâ animorum admiratione exceperint novum de audienda Missa sancti Spiritûs pro unione & extirpatione schismatis. *Propter quod*, inquit Regestum, *Cardinales valde admirati sunt, timentes, ne Concilium aliquid furiosè attentaret contra Dominum nostrum Papam, propter quod deliberaverunt, Missæ non interesse. Infrà tamen Missam, accersito Domino Rege Romanorum, in quadam Capella Ecclesiæ Constantiensis secum locuti sunt. Finitâ itaque Missâ celebratâ per D. Patriarcham Antiochenum, recitatoque sermone per quendam Doctorem de Universitate Parisiensi, in confirmationem Concilij, & derogationem jurisdictionis Apostolicæ, nulloque alio actu ibidem facto, prædicti tres Cardinales Legati iter arripuerunt versùs Dominum nostrum Papam.* 76.

Doctor Parisiensis, cujus hîc, tacito nomine, meminit Regestum, est Ioannes Gersonius, qui modum, quo sermonem hunc composuerat, his verbis indicavit: *Iussit*, inquit de Universitate Parisiensi, *hesterno Vesperi per Ambassiatores, & Nuntios suos hîc præsentes, quatenus hoc matutino tempore essem habiturus orationem* 77.

nomine

nomine suo pro veritatis elucidatione circa ea, quæ per hoc sacrum Concilium agenda videntur occurrere. Nullus, opinor, mirabitur, si ad hanc jussionem ego fragilitatis meæ conscius, & temporis arctatione pressus expavi. Ita ipse Gersonius de sermone suo unicâ nocte composito, quo Constantiæ coram Patribus publicè agere cœpit pro confirmandâ superioritate Concilij, idque adeò inconsultè, ut Regestum significet, eum *in derogationem jurisdictionis Apostolicæ* sermonem habuisse, post quem tamen, teste eodem Regesto, contra authoritatem Pontificiam nihil aliud in Concilio actum, nihil omninò à Nationibus deliberatum, nihil planè à Patribus decisum fuit.

78. Prima, quam D. Maymbourg *in tract. de schismate Occidentali* superioritatis mentionem reperit, est illa apud Niemum *in vita Ioannis XXIII.* quæ post reditum trium Cardinalium coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus privatim facta est die 26. Martij: *Redierunt huc*, inquit Niemus, *scilicet ad Constantiam de Scassina quatuor Cardinales, & illâ die fuit Congregatio illorum, qui erant de Concilio, & interfuit Rex, & ad illum accesserunt sex Cardinales, & amplè multùm locuti fuerunt contra ipsum Concilium, scilicet quòd dissolutum esset propter absentiam, & recessum dicti Balthasaris. Et eis responsum fuit acriter per plures de ipso Concilio, viros magnæ authoritatis & scientificos, scilicet quòd Papa non esset supra Concilium, sed esset sub Concilio. Facta illinc contentio magna hinc inde.* Ultima hæc Niemi verba repetit D. Maymbourg *in tract. Historico cap. 21. pag. 222.* & loco *Acriter* malè legit *Alacriter*. Quòd enim *Acriter* legendum sit, non solùm testantur Spondanus, & Odoricus Raynaldus ad hunc annum, sed ex ipso Niemo patet, qui nihil nisi cum acerbitate & contentione hinc inde dictum fuisse, notat, adjungens, quòd *subscitato majori clamore contra Cardinales in Congregatione præfata, ipsi, insalutato hospite, abierunt.*

79. Nolim hîc inquirere, an quæstio, cujus meminit Niemus, versaretur circa authoritatem Concilij supra indubitatum Pontificem, an potiùs circa authoritatem Ioannis XXIII. dissolventis Concilium: quamvis enim supponamus, de authoritate Concilij supra indubitatum Pontificem actum fuisse, ut voluit D. Maymbourg, inde tamen nihil consequetur pro matura deliberatione, cùm ex verbis ipsius Niemi deducatur, nihil deliberatè, sed contentiosè potiùs, & cum clamore ſtrepitantium in privato illo congressu assertum fuisse. Eodem modo dicendum est de contentione super Decretis die 27. Martij habitâ. Cùm enim Cardinales, & Regis Galliæ Legati illo die coram Nationibus publicè referre deberent, quæcunque Ioannes XXIII. pro cessione Pontificatûs, & continuatione Concilij offerebat, *Hæc omnia*, inquit Regestum, *tanquam ludicra, & fictè pro parte Domini nostri Papæ oblata per Regem Romanorum, & alios ibidem astantes reputata fuerunt, fuitque ibidem unanimiter vociferatum: his non obstantibus, fiat Sessio, fiat Sessio.* Post hanc enim vociferationem, concitatis contra Ioannem Papam Patrum animis, à tribus Nationibus conclusa sunt Decreta de authoritate Conciliorum *superiùs* allata, idque tam præcipitanter & inconsultè, ut Cardinales, qui nihil sciebant de agendis in Sessione, unà cum Ambassiatoribus Regis Franciæ, ad eam venire reculârint, & re ipsâ nunquam venissent, nisi obtinuissent, mediante Rege Romanorum, quòd *primum* Decretum sinè mentione reformationis Ecclesiæ publicaretur; *secundum* verò de authoritate *coactivâ* Conciliorum omninò omitteretur, ut ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus *dissertatione præcedenti* probavimus.

Notandum verò ex ijsdem Manuscriptis, 80.
quòd Cardinales ideo Sessioni IV. interesse noluerint, quia super illis diffinitionibus non fuerant habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum. Ex quibus verbis apertè constat, quòd, licèt ante Sessionem IV. apud Nationes actum fuisset de superioritate Concilij, non tamen sufficienter & plenè: quam ob rem semper addidi, non fuisse cum matura, sufficienti, & debitâ deliberatione discussa ea Decreta, ut ipsi Cardinales verbis *suprà citatis* attestantur. Neque vide e possum, ex quibus monumentis D. Maymbourg supponens, Decretum Sessionis IV. ad superioritatem Concilij spectare, tam asseveranter tradiderit, quæstionem illâ de re ante Sessionem IV. debitè examinatam fuisse. Non solùm enim constat ex Gestis Constantiensis Concilij, paulò ante Sessionem IV. convenisse inter Cardinales & Deputatos Nationum, quòd in illa nulla mentio fieret de alio, quàm Constantiensi Concilio tempore schismatis celebrato, sed ex Regesto Actorum Constantiensium hactenus inedito etiam clarissimè patet, quòd à Cardinalibus Sessione IV. monitæ sint Nationes: *Ut suspenderent ad tempus materias, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.*

Auro contrà æstimanda est prudentissima 81.
illa Cardinalium admonitio, quâ Deceta majori deliberatione indiguisse, testantur. Si enim conclusio Nationum de Decretis facta fuerit ante Sessionem IV. & in ipsa Sessione IV. sacrum Cardinalium Collegium publicè Nationes monuerit, materiam illis contentam *habere magnas difficultates, & maturam exigere deliberationem*, dubium esse non potest, quin sinè debita deliberatione, & cum insufficienti examine factum putaverit, quidquid circa illa ante Sessionem IV. à Nationibus actum fuit. Nec est, quòd quisquam contra hoc gravissimum testimonium opponat cum D. Maymbourg, id à Bellarmino ante centum annos excogitatum fuisse, non enim agimus hîc de sententia unius Cardinalis Bellarmini, qui constare, dixit, quòd Decretum Constantiense de authoritate Conciliorum sinè examine factum fuerit, sed agimus de integro Cardinalium Collegio, quod Concilio Constantiensi interfuit, & non solùm ante Sessionem IV. Decreta ob defectum sufficientis deliberationis constanter rejecit, sed in ipsa quoque Sessione Nationes publicè admonuit, quòd *pluribus difficultatibus obnoxia essent, & maturiori deliberatione indigerent.*

Memoriâ repetebant Romanæ Ecclesiæ 82.

Principes, quid antiquitus fieri consueverat, quando in aliquo Concilio de re majoris momenti, & varijs difficultatibus obnoxiâ, statuendum erat. Sciebant, quàm magno examine, ut cætera omittam, de cultu imaginum in Synodo Nicæna Generali VII. actum fuerat. Extant etiamnum Gesta istius Concilij, ex quibus manifestum fit, istius Synodi Patres, habito inter se communi consilio non semel, sed sæpius, Ecclesiæ traditionem de illo consuluisse. Unde in Actis etiamnum reperiuntur centena antiquorum de cultu Imaginum testimonia, quæ omnia coram Patribus in Sessionibus publicis recitata fuerunt, antequàm res illa contra Iconoclastas decisa, & Decreto Synodico firmata fuit. Et hoc est, quod Cardinales à Nationibus in statuendis de authoritate Conciliorum Decretis omissum fuisse Sessione IV. admonere potuerunt, cùm in re tanti momenti, ut in cæteris omnibus fieri semper consueverat, expendenda fuissent antiquorum Patrum scripta, Summorum Pontificum Decreta, & Conciliorum Generalium monumenta, ex quibus de traditione circa authoritatem Pontificiam constare debebat.

83. Ex his enim patuisset, quam authoritatem veneranda Antiquitas Sedi Apostolicæ competere, tradiderat, quam jurisdictionem ipsius Pontifices, tanquam ovilis Dominici Pastores, exercuerant in Ecclesiâ, & quantâ cum veneratione de supremâ Petri, ejusque Successorum potestate Concilia ipsa egerant. Constitisset, quòd Concilium Chalcedonense IV. omnium Oecumenicorum Conciliorum numerosissimum, in epistola Synodica Leonem I. *Summitatis* titulo nominârit, eâque Canonem suum XXVIII. de tribuendo Sedi Constantinopolitanæ secundo honoris loco ad Leonem I. ut ejus authoritate confirmaretur, miserit, & quia judicio ipsius firmatus non fuit, robore suo caruerit. Innotuisset, Cælestinum suis Legatis ad Concilium Ephesinum Generale III. proficiscentibus in mandatis dedisse, quòd ipsius nomine in Concilio judicare, non verò à Concilio judicari deberent, quod his verbis legitur in Cælestini Commonitorio: *Authoritatem Sedis Apostolicæ custodire debere; siquidem & institutiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquantur, ut interesse Conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de earum sententijs judicare debeatis, non subire examen.* Constitisset, juxta hæc mandata coram Patribus Concilij Philippum Cælestini Legatum cum Collegis sententiâ tulisse in Nestorium, asserendo: *Quòd nulli dubium sit, sed potiùs sæculis omnibus notum, sanctum Petrum Apostolorum Principem & Caput, fideique columnam, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo claves Regni cælestis accepisse,* & non solùm *in suis Successorbus vivere,* sed & *judicium exercere.* Quod judicium etiam de Actis Synodalibus intelligendum esse, demonstrat Gelasius I. scribens in tomo de anathematis vinculo, hoc robur obtinuisse, *quod in Synodo firmavit Sedis Apostolicæ authoritas*, quod refutavit, firmitatem habere non potuisse.

84. Et hæc procul dubio, ac centena alia Antiquorum testimonia consuli voluerunt Cardinales Sessione IV. antequam de re tanti momenti quidquam statueretur, indicantes, nullum debitum examen à Nationibus de authoritate Pontificum institutum, nullam maturam deliberationem ante Decretorum conclusionem habitam fuisse. Quæ cùm ex Actis ipsius Constantiensis Concilij clariùs constent, quam ut à quoquam negare possint; undenam D. Maymbourg probabit, quòd nulla unquam quæstio meliùs examinata fuerit, quàm illa de authoritate Conciliorum Generalium in Constantiensi fuit? Tantum sanè abest, quòd illud monstrare possit ex Actis, ut Gesta Constantiensis Concilij hactenus inedita habeant, quòd *post illam Sessionem fuit per Cardinalem Florentinum super hoc cum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum*: ubi notandum est, ideo dici, post Sessionem IV. *aliqualiter* disputatum fuisse, ut indicetur, *non sufficienter.* Refertur quoque, per Cardinalem Florentinum, & quoldam deputatos, aliqualem istam disputationem factâ, ut innuatur, neque à Nationibus, neque coram omnibus Concilij Patribus communi consilio eâ de re actum fuisse. Pro quâ re facit quoque Regestum Constantiensis Concilij, in quo habetur, solos Deputatos post aliqualem illam disputationem statuisse: *quòd in proxima Sessione omnes articuli & clausulæ concordatæ per Nationes in ultima Sessione prætermissæ expedirentur.* Ubi & notanda sunt illa verba: *clausulæ concordatæ per Nationes in ultima Sessione prætermissæ.* Ex illis enim rursus colligitur, Deputatos conclusioni die 27. Martij sinè maturâ deliberatione factæ inhæsisse, sicque sinè novâ Nationum deliberatione, sinè novo Concilij examine Sessione V. Decreta publicata fuisse. Confirmant id Acta manuscripta Constantiensis Concilij à quatuor ejus Protonotarijs collecta, & in tribus codicibus, quos videre licuit, servata, dum referunt, publicata fuisse Decreta, *tanquam priùs concluſa, & deliberata.* Quæ verba ex manuscripto codice Colonienſi edidit primùm Petrus Crabbe, & posteriores Conciliorum collectores retinuerunt. Quod ideo annotare placuit, ut certò constet, Decreta, de quacunque authoritate Conciliorum Generalium apud Patres Constantienses controversâ intelligantur, Sessione V. sinè novâ deliberatione publicata fuisse, cùm enim expresè dicantur *priùs concluſa, & deliberata*, innuitur profectò, Concilium inhæsisse priori conclusioni, quam Nationes die 27. Martij cum minùs sufficienti deliberatione posuerant, & cui Cardinales non solùm ante, sed etiam post Sessionem IV. contradixerant, nolentes Decretorum publicationi in ipsa Sessione V. faciendæ consentire.

DISQUISITIO VIII.

Utrùm Sessionis IV. & V. Constantiensis Synodi decreta fuerint recepta ab Ecclesia, & confirmata à Martino V. Summo Pontifice?

§. I.

1. AD præsentis Disquisitionis intentum singulariter deservire potest, si ob oculos ponatur varietas opinionum, quæ tempore Constantiensis Synodi viguerat circa supremam Concilij Generalis authoritatem. Hanc rem optimè exponit sæpe fatus Emanuel à Schelstrate *tract. præcit. dissert. 3. cap. 1.* Inter varias (inquiens) opiniones, quæ temporibus Constantiensis Concilij de authoritate Synodorum Generalium circumferebantur, *una* erat à pluribus Doctoribus propugnata, quam Benedictus XIII. sustinuit, Romanum scilicet Pontificem in nullo casu subijci Concilij judicio. Cùm enim à Cardinalibus anno 1408. ad Concilium Pisanum pro sopiendo schismate evocaretur, *eorum operam deriſit*, inquit D. Antoninus *to. 3. Chron. tit. 22 §. 3.* dixitque: *Controversiam fore de jure Papatûs inter se, & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa.* Idem sustinuit post sententiam contra se latam, asserens: *Cardinales potestatem & authoritatem convocandi Generale Concilium, à tempore Apostolorum solis Romanis Pontificibus reservatam*, temerè usurpâsse, & *non considerantes, quòd inferior superiorem non potest solvere, vel ligare, jurisdictionem & potestatem judicandi Sedem ipsam, sibi temeritate sacrilegâ vendicâsse.* Ita Benedictus in Conventu Barcinonensi, cujus sententiam propugnâsse plures viros doctos, notat Odoricus Raynaldus ad annum 1409. ubi ex manuscriptis codicibus adfert, hanc eorum conclusionem pluribus rationibus, & Antiquorum authoritatibus comprobatam: *Quòd propter nullum crimen Papa potest deponi à Papatu per aliquem purum hominem, vel per aliquos alios homines mundi, sive sint Cardinales, sive Archiepiscopi, sive Primates, sive Patriarchæ, nec etiam à Concilio Generali, imò nec à tota Ecclesia Universali.* De quâ sententia intelligendus videtur Joannes Gersonius *lib. de potest. Ecclesiast. considerat. 12.* dum scripsit: *Fallor, si non ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum litteralium magis, quam litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.*

2. *Secunda* sententia fuit, Pontificem etiam tempore schismatis viventem, deponi non posse, nisi ob crimen hæresis, quam ipsum Pisanum Concilium sequi voluit in deponendis Benedicto XIII. & Gregorio XII. Hos quidem ne quidem dubios Pontifices deposuisset, nisi hæreseos crimini obnoxios, & contra articulum fidei de unitate Ecclesiæ ambos pugnâsse existimâsset, ut latè probavimus ex Actis editis ipsius Concilij, quibus in hujus veritatis confirmationem alia addi possunt hucusque inedita. Acta enim à Notarijs ipsius Synodi conscripta, & hactenus inedita referunt, omnes Magistros in Theologia tam Episcopos, quàm Abbates, & Generales Ordinum Mendicantium anno 1419. die 28. Mensis Maij ad requisitionem sacri Cardinalium Collegij congregatos fuisse in Sacristiâ Conventûs Fratrũ Minorum de Pisis, ut deliberarent de his duobus articulis: Primò; *An duo de Papatu contendentes, essent schismatici & hæretici reputandi?* Secundò; *Dato, quòd sic, utrùm sub titulo hæresis ab Universali Ecclesia, & Papatûs regimine ejiciendi?* Additurque in Actis: *Ad has quæstiones habitâ pluries ad invicem maturâ deliberatione, concorditer & unanimiter* responsum fuisse, prædictos contendentes hæreticos censeri, & ut tales per sententiam Concilij declarari, ac Pontificatu ejici posse, prout ejectos fuisse, ex sententia ipsius Synodi, ostendimus *suprà*. Atque hæc est sententia, quam adeò veram putavit Joannes XXIII. ut, dum aliquis initio Constantiensis Concilij per cedulam publicasset, eum invitum cogi posse ad cedendum de Papatu, in aliâ cedulâ quæstionem proponi fecerit: *Si verus, & Canonicus Papa, non suspectus de hæresi possit ab aliquo compelli, vel arctari?* Et rursus in alia responderi curaverit: *Quòd hoc esset manus ponere in Christum Domini*, & qui contrarium publicaverat, *si fuisset bonus Christianus, & intellexisset Scripturas, nullatenus talia pys auribus suggessisset.* Hæc itaque est *secunda* sententia de authoritate Concilij illis temporibus ubique ferè recepta, quòd ob solam hæresim de Romano Pontifice judicare liceret.

Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui tenuit, Pontificem tempore schismatis, pro pace Ecclesiæ celeriùs procurandâ, ab Universali Ecclesia, seu Concilio Generali compelli posse. Extat ejus sententia in cedulâ quâdam initio Constantiensis Concilij publicata, in quâ reperiuntur variæ conclusiones de facto Joannis XXIII. quibus statuit, Joannem, attentâ perplexitate schismatis, cedere debuisse, & nolentem potuisse tanquam schismaticum, & de fautoria schismaticæ pravitatis suspectum legitimè condemnari: illos autem, qui in casu prædicto Papam tanquam hæreticum, vel schismaticum condemnarent, & dictam condemnationem justam, & canonicam assererent, nullatenus hæreticos censeri posse. Ex qua cedula lucem accipit ejusdem Cardinalis Cameracensis sententia, quam in eodem Concilio Constantiensi anno 1417. exposuit *3. par. tract. de authorit. Eccles. cap. 2.* ubi asserit, Papam subijci Concilij Generalis judicio in casu, quo accusatur de crimine hæresis propriè dictæ, *& quibusdam alijs, quæ possent quodammodò ad hæresim reduci.* 3.

Quarta autem sententia fuit de authoritate Concilij tempore schismatis, quòd nimirum illa sese non extenderet ad reformationem Ecclesiæ, utpote quam non nisi post electionem Pontificis, eodem consentiente, fieri posse, sustinuit Franciscus Zabarella Cardinalis 4.

Florentinus omnium Canonistarum sui temporis facilè princeps. Adduximus ejus sententiam *dissert. 1. præs. tract.* in qua ex Gestis manuscriptis Constantiensis Synodi ostendimus, eum cum suis sequacibus noluisse admittere articulum de reformatione, *quia non erat verus de jure*, ideoque omissum fuisse in Decreto 1. Sessionis IV. in qua Sessione prætermissum quoque fuit Decretum II. de authoritate Concilij *coactivâ* supra Pontificem, ut abundè *suprà* monstravimus.

5. *Quinta* sententia fuit plurium Patrum Constantiensium, quòd nimirum Concilium, Generalem Ecclesiam repræsentans, habeat authoritatem tempore schismatis non solùm ad procurandam unionem, deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad judicandum de materia fidei, damnando eos, qui contra illam hæreses seminant, sed etiam ad reformandam Ecclesiam circa ea, in quibus tam membra, quàm Caput ipsum reformatione indigent: & hoc modo Decretum 1. Sessionis IV. interpretatur Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 99.* asserens de sola Constantiensi Synodo actum fuisse: *Falsum est*, inquit Turrecremata, *quòd Constantiæ declaratum sit, sive Decretum de Universali Synodo, in Spiritu sancto legitimè congregata; planè nunquam in Constantia sub hac forma legitur Decretum factum: declaratio autem facta per Patres illos sub Obedientia Ioannis XXIII. congregatâ, emanavit sub hac forma: Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fiendâ, declarat, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, &c.* Quibus verbis indicat de solo Constantiensi Concilio tempore schismatis celebrato intelligendum esse I. Decretum, de quo omninò tempore etiam plures intelligunt Decretum II. *Quòd quicunque, cujuscunque dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjeciatur, & debitè puniatur, &c.* Ad nihil enim aliud huic Decreto adjuncta putant hæc verba: *Super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis*, nisi ut II. Decretum referretur ad I. de solo schismatis tempore statutum, quo Patres Constantienses contra opinionem Cardinalis Zabarellæ, & sequacium declarabant, Concilium Generale non solùm fidei, & schismatis causas decidere, sed & Ecclesiam in Capite & in membris reformare posse, & cunctos eidem etiam de Papatu contendentes, Decretis desuper faciendis obedire debere, ita ut obedire nolentes deponi possint, & legitimæ pœnitentiæ subjici.

6. *Sexta* demum sententia fuit Joannis Gersonij, qui tenuit, Concilium Generale esse supra Pontificem, adeoque Pontificem Concilij Generalis judicio subijci, quo sensu interpretatus est Decreta Constantiensis Concilij, quæ non de solis Synodis tempore schismatis, sed de Oecumenicis Conciliis quocunque tandem tempore celebratis intelligenda esse, putavit. Patet id ex duobus sermonibus ejusdem Gersonij, quorum unum *Domicellæ II. post Epiphaniam*, & alterum *pro Viaggio Regis Romanorum* coram Patribus ipsius Constantiensis Concilij habuit, in quibus Decreta Sessionis V. interpretatus est de superioritate Concilij, quæ interpretatio adeò firmiter menti ejus inhæserat, ut à Romano Pontifice ad Concilium Generale appellari posse, nullatenus dubitaret. Unde Martino V. Decreta Sessionis V. illo sensu minimè recipienti, & appellationem à Pontifice ad Concilium Universale reprobanti, verumque & indubitatum Pontificem pro supremo in causis fidei judice habendum esse, statuenti, opposuit Gersonius Tractatum sub hoc titulo: *An, & quomodò appellare liceat?* In quo ostendere conatur, declarationem Martini pugnare cum determinatione Sessionis V. *quæ*, inquit, *multipliciter facta est, & practicata.* Respicit his verbis ad ea, quæ Constantiæ facta erant in causa Joannis XXIII. quem juxta Decreta Constantiensia de superioritate Concilij intellecta, judicatum, & depositum fuisse, existimabat, & illam Joannis Gersonij sententiam pluribus propugnârunt Edmundus Richerius, Joannes Launoius, D. Maymbourg: quorum opinio *sequenti §.* examinabitur, ubi expendemus; *Quo sensu Patres Constantienses ante & post trium Obedientiarum unionem Decreta* Sessionis V. *susceperint.*

§. II.

Referuntur ac examinantur argumenta circa susceptionem prætactorum *Sessionis V.* decretorum. 7.

QUàmplures fuisse de authoritate Concilij opiniones, propter quas in IV. & V. Sessione fuerunt motæ difficultates, ex actis & gestis Constantiensis Concilij hactenus indicatæ. At *sextam* duntaxat opinionem placuisse Concilio, fuisseque multipliciter prædicatam, asseruit olim Joannes Gerson, cujus vestigijs posteà inhærebat Edmundus Richerius *lib. 2. hist. Concil. Generalium cap. 3.* prout mox dicetur.

ARGUMENTUM

Richerij *præcitati* de Concilij supra Papam authoritate prætensâ in Concilio Constantiensi.

HIc Author *loc. cit.* ita argumentatur. *De causa Ioannis XXIII. ijsdem Sessionibus IV. & V. Patres cavent, ne Joannes XXIII. quem pro vero, & indubitato Pontifice agnoscebant, totum Concilium, vel partem Concilij, hoc est, personas eidem Concilio adhærentes interturbet, vel aliò traducat, ipso invito Concilio, hócque est primum exemplum praxeos, Decretorum de Concily authoritate supra Papam... Die 2. Maij in VII. Actione formulæ citationis contra Ioannem Papam, Concilio parére, detrectantem, & contra Hieronymum Pragensem instruuntur. Hócque est secundum exemplum praxeos Decretorum IV. & V. Sessionis contra Pontificem... X. Actione die 14. Maij pronuntiatur sententia suspensionis ab officio Papalis contra Ioannem XXIII.* 1.

XXIII. Hòcque est tertium *exemplum praxeos authoritatis Concilij supra Papam... XII. Sessione die 25. Maij Patres sententiam diffinitivam adversùs Ioannem pronuntiant, illúmque velut notorium simoniacum, Bonorum Ecclesiæ dilapidatorem, & notoriè scandalizantem Ecclesiam suis detestabilibus, atque inhonestis vitâ, moribus, &c. condemnant, & à Papatu, atque omni ejus administratione Spirituali & temporali privant, atque deponunt... Et hìc occurrit* quartum *monimentum praxeos authoritatis Concilij supra Papam.*

Hucusque Richerius, clarè supponens, Joannem XXIII. à Patribus Constantiensis Concilij pro certo, & indubitato Pontifice habitum fuisse, & consequenter, quidquid Constantiense Concilium contra eum statuit, pro superioritate Concilij facere. Idem omninò supponit Joannes Launoius in varijs litteris de Constantiensi Concilio scriptis, cujus vestigia hìc, ut ubique *in tractatu suo historico* solet, insectus est D. Maymbourg, qui finit *caput* 23. non semel, sed sæpius affirmans, quòd Concilium Constantiense nunquam dubitârit, quin Joannes XXIII. esset verus Papa. 9.

Responsio.

EManuel Schelstrate *tract. sui dissert. 3. cap. 2. à pag. 152.* ita respondet, *Primò.* Quamvis Concilium Constantiense initio Joannem pro Pontifice habuisset, non tamen judicasse, quòd deberet pro certo & indubitato Papa haberi ab alijs Obedientijs. Si enim Concilium Constantiense Ioannem XXIII. pro certo, & indubitato Pontifice ab omnibus habendum esse, duxisset, cur igitur quibusdam eum pro tali initio ejusdem Concilij habentibus, & à nemine judicari posse, asserentibus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in cedulâ per Philippum Labbeum ex manuscripto codice Capranicensi in Appendice Constantiensis Concilij publicatâ, opposuit hanc primam conclusionem? *Licèt Concilium Pisanum fuerit legitimè ac Canonicè convocatum, ritè & Canonicè celebratum, & duo olim contendentes justè & Canonicè condemnati, & electio D. Alexandri V. fuerit Canonicè & ritè facta, & dicta electio ab illis, qui fuerunt in illo Concilio, fuerit legitimè & canonicè accepta, prout hæc omnia tenet Obedientia Domini nostri Papæ Ioannis XXIII. tamen duæ Obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diversâ, & adversâ veritate non sunt minores difficultates Juris & Facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de justitia duorum contendentium.* 10.

Secundò. Si nemo dubitare potuit de Joanne XXIII. quin certus & indubitatus Papa existeret, cur igitur Joannes Cardinalis Ragusinus arma Gregorij XII. cujus Nuntius existebat, in valvis Monasterij Augustinianorum Constantiæ publicè appendisset, & Joannis XXIII. sequacibus ea de nocte auferentibus, magna illa animorum contentio exorta fuisset inter Patres Concilij, de qua testatur Regestum Actorum Constantiensium in duobus codicibus manuscriptis: *Cúmque super affixione, & appensione dictorum armorum, & deletione, sive amotione eorundem inter congregatos in Concilio oriretur disceptatio, mandatum est, Prælatos, & alios, qui ad Concilium venerunt, congregari super hoc. Die Martis 20. Mensis Novembris congregatis Reverendissimis in Christo Patribus Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus numero decem & octo, Prælatis, Procuratoribus Dominorum, Magistris, & alijs in sacro Constantiensi Concilio existentibus in Aula inferiori Palatij Apostolici pro causa suprà dicta, cùm super ea per unum ex Dominis Cardinalibus propositio fieret, variæ inter eos fuêre sententiæ, alijs asserentibus, arma prædicta appendi, sive affigi potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi debere. Et hujus sententiæ fuerat Dominus Feltrensis. & Concordiensis Episcopi, & plures alij: alijs verò asserentibus, suprà dicta arma in locis prædictis in Obedientia Domini nostri Ioannis Papæ XXIII. constitutis appendi, sive affigi non potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus sententiæ fuit D. Patriarcha Gradensis, & alij, cui plures, quàm alteri sententiæ adhæserunt, dicentes, nisi Angelus Corrario personaliter veniat, ipsius arma ibidem non debere depingi.* Verum quidem est, nihil tunc à Concilio desuper statutum fuisse: notanda tamen sunt verba Regesti Constantiensis Concilij, ex quibus habemus, nullatenus dubitatum fuisse, quin Gregorius XII. arma Pontificia affigere potuisset in valvis Monasterij, si personaliter Constantiam venisset, & quæstionem solummodò fuisse de Joanne ejus Nuntio. Quinimò plures Patres rectè à Nuntio appendi potuisse, sustinuerunt. Unde manifestò constat, Joannem XXIII. pro certo & indubitato Pontifice ab omnibus agnosci non debuisse, cùm Gregorij arma Pontificia in Diœcesi & præsentia Joannis XXIII. à Gregorio, vel ejus Nuntio, juxtà communem sententiam, appendi potuerint. 11.

Tertiò. Si nunquam Constantiæ dubitatum fuit de Pontificatu Joannis XXIII. cur igitur Joanni Dominici Nuntio Gregorij supradicto publicum ingressum cum pileo rubeo facere cupienti in plena Congregatione anno 1415. die 4. Januarij coram Joanne XXIII. aliqui licentiam illam concedendam esse asseruerunt? Alij quidem *asseruerunt*, inquit Regestum Constantiense, *licentiam Fratri Ioanni Dominici concedendam, cum capello rubeo ingrediendi; & hujus sententiæ fuit Reverendissimus D.D. Petrus Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Cameracensis, & quidam alij.* Et cur igitur sententia ista Petri de Alliaco prævaluit, & juxta eam, dicto Joanni permissum fuit, tanquam Cardinali, cum pileo rubro Constantiam ingredi? *Die namque Martis 22. Mensis Ianuarij*, teste Regesto, *D. Frater Ioannes Dominici tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis Ragusinus ut Cardinalis, & cum capello rubeo medius inter Dominos Bavariæ, & Ducem Bigæ, ac D. Ioannes electus Constantinopolitanus in habitu Prælati cum capello nigro sic in Obedientia Gregorij nominati, sequentibus eos Dominis Wormatiensi, Spirensi & Werdensi Episcopis, in Obedientia dicti Gregorij persistentes, qui omnes prædictis Legatis dicti Gregorij extra Constantiam obviaverunt, Civitatem Constantiæ sunt ingressi, in Conventúque Eremitarum S. Augustini, qui pro habitatione Gregorij, & suorum* 12.

assignatus fuerat, collocati sunt. Ita Regestum de Joanne Dominico, quem Gregorius XII. primò Archiepiscopum Ragusinum, postea anno 1408. 2. Junij Cardinalem creaverat, in quo gradu nunquam receptus fuit à Pisano Concilio, vel ab electo ibidem Alexandro V. ejusque Successore Joanne XXIII. qui ultimus omni conatu impedire tentabat, ne Constantiam tanquam Cardinalis ingrederetur; quod dum Synodus Constantiensis permisit, indicavit, se Joannem XXIII. pro unico, certo, & indubitato Pontifice non habuisse. Ne autem, quæ de pileo rubro hucusque dicta sunt, D. Maymbourg in dubium revocet, consulere potest codices suos manuscriptos Bibliothecæ Victorinæ, quos huic veritati testimonium perhibere, reperiet.

13. Plura adjungi possent de mente Patrum Constantiensium, nisi de ea ex Actis Sessionis XIV. clariùs constaret, quàm ut in dubium revocari posset. Cùm enim Gregorius XII. sese pro Pontifice gereret, & antequàm de Pontificatu cederet, remotâ à Concilio Joannis præsidentiâ, novam convocationem Concilij fieri debere, contenderet, non dixit Concilium, Gregorium pro Pseudopontifice habendum esse. Sed quomodò, si dubius Pontifex esset, & Concilij convocatio ad ipsum spectare non potuisset, Patres in publica Sessione, *dictam convocationem, authorizationem, & confirmationem; in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet eis, admiserunt*, & cessionem Pontificatûs communi omnium consensu acceptârunt; ut manifestum sit, eos Joannem pro unico, & indubitato Pontifice non habuisse, sed potiùs pro dubio, quem licèt, juxta sententiam nunc communiter receptam, Concilium Generale judicare potuerit, tunc tamen Patres Constantienses illo solo titulo judicare ausi non sunt, quòd plures tenerent sententiam, quæ Pontificem etiam dubium à Concilio Generali ob solam hæresis causam judicari posse, sustinebat.

14. Neque id negare potest D. Maymbourg, cùm ipsemet admiserit ad finem *cap. 23. Tractatûs historici pag. 364.* plures negare, quòd Concilium Universale potestatem habeat judicandi de Pontifice, qualiscumque ille sit, nisi in causa hæresis. Hoc enim loco cùm Author iste loquatur de dubio Pontifice, eum fateri necesse est, sustinuisse plures Theologos, vel Scriptores Ecclesiasticos, quòd Concilium Generale ne quidem dubium Pontificem judicare possit. Illam sententiam ego *dissertatione 2.* Patribus Concilij Pisani placuisse, ostendi: probavi namque ex Actis illius Concilij, non suffecisse Patribus, quòd ob dubia *Facti* & *Iuris* ignoraretur, quis ex duobus contendentibus pro vero Papa habendus esset; sed insuper discuti fecisse, an schismatis nutritores, verique hæretici censeri deberent, ut eos illo titulo Papatu excidisse, sententiâ Synodicâ declararent. Vestigia autem Pisanorum insequi voluerunt Patres Constantienses Concilij, de quibus referunt Gesta hucusque inedita, quòd inter alios articulos accusationis Joannis XXIII. inseruerint & illum, quòd fovisset, foveretque schisma, & hæresim, ut sic manifestum fieret, etiam plures istius sententiæ fuisse in Constantiensi Concilio, quòd ne quidem tempore schismatis de Papa dubio judicari posset, nisi hæreseos crimen accederet.

15. Additur quidem in Gestis Constantiensis Concilij, quòd post lectionem *suprà* dicti articuli in publico Patrum congressu surrexerit Cardinalis sancti Marci, & expressè monuerit: *Quòd attenderet Concilium, quod Procurator Concilij proposuerat, ut in citatione proponebatur, crimen hæresis, & fautoriæ schismatis, & alia quædam, de quibus non constabat.* Quodque ex ea Cardinalis admonitione articulus hæreseos omissus fuerit in sententiâ contra Joannem XXIII. à Concilio Constantiensi latâ: hoc tamen nihil facit ad probandam superioritatem Concilij supra certum & indubitatum Pontificem: cùm enim Concilium Joannem pro indubitato & certo Pontifice non haberet, ipseque de Papatu cum duobus alijs, ut *suprà* monstravimus, contenderet, eum tamen invitum, & reluctantem deponere ausum non fuit Constantiense Concilium, sed postquam à Cardinale sancti Marci notatum fuerat, non constare de hæreseos crimine, statim *Rex Romanorum, Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractaverunt materiam, quòd Papa consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundanti renuntiaret.* Ita Gesta Constantiensis Concilij hucusque inedita, in quibus adjungitur, ordinatum fuisse, *quòd Cardinales de Ursinis, Cameracensis, de Thalanco, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam,* ad persuadendum suprà dicta, eosque iviſse, & Papam consensisse in forma cedulæ sibi oblatæ, quâ sese determinationi Concilij subijciebat, ejusque sententiam sese ratificaturum, comprobaturum, & acceptaturum promittebat. Neque latit fuis Concilio, quòd ante sententiam Joannes XXIII. prædicta promiserat, seque de Papatu cessurum obtulerat, sed & post sententiam *Concilium misit ad Papam* (inquiunt Gesta *suprà* laudata) *& Papa sententiæ acquievit, & ex abundanti renuntiavit in forma prædictæ cedulæ suprà scriptæ.*

16. Et ex his videre potest D. Maymbourg, quid Patres Constantienses post Sessionem V. senserint de potestate *coactivâ* Concilij supra Pontificem. Si enim Papam dubium tempore schismatis deponere ausi non fuerint, nisi ipso consentiente, approbante, & de jure suo cedente, dicendine sunt, unicum, verum, & indubitatum Pontificem *coactivæ* Synodorum potestati subijcere, & hoc sensu II. Sessionis V. Decretum firmare voluisse? Affirmat quidem D. Maymbourg, qui *capite 25.* id probare conatur argumentis Basileensium, quæ hîc refutarem, nisi mentem Patrum Constantiensium ex solis ijs, quæ in Synodo ipsorum facta sunt, investigandam suscepissem. Relictis itaque argumentis Basileensium, quibus Eugenius IV. pluresque illorum temporum Viri graviſſimi responderunt, ad Concilium Constantiense redeo, quod post trium Obedientiarum unionem, nunquam ausum fuit, Decretum II. Sessionis V. de unico, vero, & indubitato Pontifice interpretari.

17. Unum ex præcipuis fundamentis, quo hanc

hanc veritatem comprobavi, desumptum erat ex Gestis Constantiensis Concilij hucusque inéditis, in quibus refertur, quòd post trium Obedientiarum unionem, magna animorum contentio exorta fuerit de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris. Natione Germanicâ, & Rege Romanorum volentibus, eam fieri ante electionem unius, veri, & indubitati Pontificis; reliquis verò Nationibus cum sacro Cardinalium Collegio volentibus, fieri post electionem ejusdem. Additur in ijsdem Gestis, Nationem Germanicam tandem consensum præbuisse de eligendo ante reformationem Pontifice, dummodò à Concilio expediretur *assecuratio & cautio per Decretum irritans, quòd post electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & administrationem aliquam.* Cùmque ad hanc Nationis Germanicæ petitionem fuissent factæ diversæ formæ Decreti, *ess finaliter responsum fuit, quòd Papa electus ligari non potest.* Ex quibus omnibus ultima præsertim verba notanda duxi, quòd ex illis non difficilè colligeretur, longè aliam tunc fuisse mentem Patrum Constantiensium de authoritate veri, & indubitati Pontificis, quàm orbi Catholico obtrudere conati sunt nonnulli Basileensium sequaces.

18. Enimverò, inquiebam, si Concilium seorsim sumptum, sit supra unicum, & legitimum Pontificem, & de legitimo Pontifice intelligenda sint Decreta Sessionis V *superiùs* allata, ut Basileenses voluerunt, cur, quæso, Concilium Constantiense hæc Decreta in præsenti locum habere noluit? Cur non renovavit, Pontificem obedire debere Concilij Decretis adeò, ut, qui obedire contempserit, debitè puniatur? Cur his fundamentis innixum, non judicavit, electionem Pontificis in casu contumaciæ irritandam? Nihil horum tentavit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Constantiensium, unde responsum est: *Papa electus ligari non potest.* Quando Decreta Sessionis V. ab unâ Obedientia edita fuerunt, tres erant de Papatu contendentes, & illa ad liberiùs obtinendam unionem statuta sunt, quando verò agebatur post Sessionem XXXVIII. de Decreto irritante, sermo erat de unico, & indubitato Pontifice, quem etiam ante coronationem ligari non posse, responsum est. Memoriâ scilicet repetebant Patres Constantienses Concilij illud Antiquorum effatum, quòd, qui summam potestatem ligandi, & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita à lios judicet, ut de illo nemo mortalium sententiam ferat, ideoque *Papa electus ligari non possit.* Hoc à Patribus Constantiensibus datum responsum, nemo in hunc usque diem typis edidit, & quia illud, aliaque plura ignoravit Orbis Catholicus, opinio Basileensium apud nonnullos prævaluit, ad quam evertendam vel hoc solum testimonium sufficit.

Objectio Maymbourgi.

19. Hic Author *pag. 293.* instat, ut Emanuel Schelstrate explicet illud mysterium, quod in dissertatione proximè expositâ contentum, ajebat, verbis Patrum Constantiensium Nationi Germanicæ petenti, *ut ante electionem Papæ fieret reformatio, non post ipsius electionem*, respondentium, *quòd Papa electus ligari non possit.* Maymbourgus igitur scisciatur ex Schelstrate, an putet, ex hoc responso deduci, quòd credendum sit, Papam legitimè electum, ut erat S. Sylvester, non teneri subscribere Decretis Concilij Oecumenici, sicut fuit Concilium Nicænum? Tumque adjungit: Nónne videt, quòd pro eruendo vero sensu horum verborum, illa referenda sint ad quæstionem, de quaagebatur. An nimirum poneretur in Decreto, quòd Papa proximè futurus teneretur reformare Ecclesiam ante suam coronationem, & administrationem aliquam, & deberet dari bona cautio, prout Natio Germanica petebat? De quibus meritò responsum fuit, quòd Pontifex adstringi non poterat ad rem tam indignam Majestate Papali, neque taliter ligandus erat, ut ipsi auferretur potestas gubernandi Ecclesiam, quam habet *Iure Divino* ratione sui Primatûs eo ipso momento, quo canonicè electus est Petri Successor.

Responsio.

EManuel à Schelstrate *præs. 3. dissert. pag. 165.* respondet, Maymbourgum in illo suo discursu dubitare de mente sua, quam clarè tamen priùs expresserit, & de qua proinde dubitandum non fuisset, & objicere Nicæni Concilij exemplum, quod nihil omninò ad rem faceret. Non enim *hoc loco* agitur de authoritate *directivâ* Conciliorum, Generalium, an nimirum Concilium, cui Pontifex per se, vel per Legatos præest, ut S. Sylvester per Osium Cordubensem Episcopum, & Vitum & Vincentium præfuit Nicæno, habeat authoritatem statuendi leges, illisque, si ad Bonum Ecclesiæ necessariæ sint, non solùm in conscientiâ subscribere, sed & eas exequi teneatur Summus Pontifex? Sed agitur de authoritate *coactivâ* Conciliorum Generalium, & quæritur, an illa judicium assumere possint supra verum, & indubitatum Pontificem, & casu, quo reus judicetur, ab ijs corrigi possit, & deponi? Hoc enim est, quod Concilijs Generalibus non competere, ex hac Antiquorum regulâ indicavi. Quòd, qui summam potestatem ligandi & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium judicium ferat. Non agitur itaque hoc loco de potestate *directivâ*, sed *coactivâ*, quam Natio Germanica ipsi Constantiensi Concilio supra futurum Pontificem tribuere volebat: non solùm enim petebant Germani, ut ederetur Decretum, quo futurus Pontifex reformare deberet Ecclesiam ante coronationem suam & administrationem aliquam, sed etiam, quòd à Concilio daretur cautio per Decretum irritans, quo Pontifex in casu inobedientiæ Papatu privaretur. Et de hoc ultimo præsertim responsum fuisse, indicavi: *quòd Papa electus ligari non poterat.* Cùm enim responsum hoc datum fuisse, perhibeatur, 20.

post-

postquàm non una forma Decreti, quâ Pontifex noviter eligendus ad reformandam Ecclesiam teneretur ante administrationem aliquam, sed plures formæ Decreti factæ essent, quibus Pontifex teneretur sub pœnâ depositionis reformare Ecclesiam in Capite & in membris, nullum dubium esse potest, quin Patres Constantienses ideo responderint, Papam electum ligari non posse, quia Decreto irritante, quod Natio Germanica per modum cautionis petierat, Romanum Pontificem post electionem ligari non posse, judicabant.

21. Neque obest, quod hoc responsum datum fuerit in particularibus Nationum congregationibus: quamvis enim putet D. Maymbourg, prædicto Nationum responso satisfieri posse, si dicatur, inhærendum non esse ijs, quæ apud Nationes acta sunt, sed illis, quæ in Sessionibus *Conciliariter* definita fuerunt: tali tamen responsione dicta mea potiùs confirmantur, quàm convelluntur. Præterquàm enim, quòd pleraque in Sessionibus publicis statuta ex ijs, quæ in Congregationibus ante acta sunt, interpretationem accipiant, supradicta in Nationum Congregationibus quoad Decretum irritans responsa ex ipsis Decretis, quæ in Sessionibus publicis *conciliatiter* definita sunt, confirmari possunt. Morem itaque D. Maymbourg geramus & à particularibus Nationũ congregationibus ad Sessionem XL. progrediamur.

22. Extat Sessione XL. Constantiensis Concilij Decretum à quinque Nationibus *Conciliariter* editum his verbis: *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, Vniversalem Ecclesiam repræsentans, statuit, & decrevit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in Capite & membris, & Curiam Romanam secundùm æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, antequàm hoc Concilium dissolvatur.* Quòd hoc Decretum occasione eorum, quæ gesta fuisse, diximus, editum fuerit, adeò certum est, ut D. Maymbourg *in Tract. suo histor.* id negare nequiverit. *In Decreto*, inquit, *quod hâc de re* Conciliariter *factum est Sessione XL. Papa eo modo non ligatus fuit, quo Germani proposuerant.* In quibus verbis duo sunt, quæ Author iste fatetur. *Primum*, quòd memoratum Decretum sit illud ipsum, de quo ante Sessionem XL. à Natione Germanica actum erat. *Secundum*, quòd Papa a Concilio eligendus, eo modo ligatus non fuit, quo Natio illa proposuerat. Quod ultimum ex Decreti verbis patet, cùm in eo non reperiatur pœna depositionis, quam futuro Pontifici, Ecclesiam reformare detrectanti, Natio Germanica imponi volebat. Quòd si D. Maymbourg petat, cur hâc saltem in parte Patres Constantienses Concilij non satisfecerint Nationi Germanicæ, & juxta II. Decretum Sessionis V. de potestate *coactivâ* Conciliorum non statuerint, quòd Pontifex proximè eligendus deberet reformare Ecclesiam ante finem Concilij, & casu, quo statutum hâc de re adimplere contemneret, legitimæ pœnitentiæ subijceretur, & Pontificatu privaretur, seu debitè puniretur? Nónne admittere debebit, quòd Decretum Sessionis V. hîc locum non habere, judicaverint Patres Constantienses, quia agebatur de unico, vero, & indubitato Pontifice, qui cogi non poterat, ideoque Sessione XL. Decretum ediderint sinè ulla coactionis mentione suprà allatum?

Quòd autem hæc fuerat sententia Patrum 23.
Constantiensium, ex pluribus alijs locis constat, ac præsertim *ex Capitulo Frequens* Sessione XXXIX. in quo pro veris, & indubitatis Pontificibus Concilia Generalia, statuto tempore convocare nolentibus, nullam pœnam imponunt, nullam omninò mentionem coactionis faciunt, prout tamen faciunt in *secunda* parte ejusdem Decreti, quæ de schismatis tempore agit, in qua circa Pontifices illo tempore viventes pœnam etiam privationis Papatûs constituunt. Hæc totidem ferè verbis *in Dissertatione mea* notaveram, quæ ex Actis ab ipsis Basileensibus compilatis, & ex Conciliorum collectionibus ubique terrarum editis constant, ex quibus nunquam probari poterit, quòd Patres Constantienses post trium Obedientiarum unionem pro legitimo Pontifice, extra tempus schismatis Ecclesiam gubernante, pœnam aliquam statuerint, quamvis ad hoc non semel, sed pluries incitati fuerint.

CONCLUSIO

COncilij Constantiensis decretum de 24.
Concilij super Papam superioritate, in sensu ad certum & indubitatum Papam protensò, nunquam fuit receptum, & comprobatum à sancta Ecclesia.

Explicatur. Quemadmodùm decreta dogmatica sanciuntur à sanctâ Ecclesiâ repræsentata in Concilio Oecumenico, sic firmantur ex immoto consensu Ecclesiæ, quæ tam in definiendis, quàm recipiendis & immobiliter asservandis fidei dogmatibus est columna & firmamentum veritatis, ita ut, quod in Spiritu sancto à legitimo Concilio Oecumenico est semel sancitum pro indubitato dogmate, immobiliter teneatur à sancta Ecclesia: unde firmum deduci potest argumentum, si quod dogma in Ecclesia non teneatur tanquam omninò certum & indubitatum, sed *positivè* etiam ab eo recedatur, non fuisse unquam à legitimo Concilio Oecumenico constitutum. At rem ita se habere circa Concilij Constantiensis Decretum de Synodi supra Papam authoritate Sessione IV. & V. editum, quatenus sensus ipsius ultra dubium & incertum Papam foret extendendum, patet *ex antecedenti* Emanuelis à Schelstrate dissertatione, quòd scilicet ejusmodi erga Papam certum quoad vim *coactivam* extensio sub ipsa adhuc durante Synodo Constantiensi minimè fuerit comprobata à Patribus.

Prætendi equidem solet, in Basileensi Con- 25.
cilio fuisse postea illam de Papâ etiam certo extensionem ratam habitam, & practicatam: hæc namque Synodus *Sess. 11.* expresè definierat, Concilium esse supra Papam, nec adeò, nisi Patres consentiant, posse Concilium a Pontifice

alio

aliò transferri, aut dissolvi. *Et Sess. III.* monitorium adversùs Eugenium IV. pœnasque non obtemperanti decrevit. Insuper *Sess. IV.* interdixit Papæ, ne durante Concilio, ad promotionem novorum Cardinalium procederet. Item *Sessione VII.* sanciebat, non posse Papam de Beneficijs Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Et *Sess. VIII.* Eugenium *auctoritativè*, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Et *Sess. IX.* rescindit omnia Acta & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Wilhelmum Concilij Protectorem factos. Et *Sess. XII.* acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definitque, & olim in Romanos Pontifices a Concilio animadversum esse, & deinceps animadverti posse. Et *Sess. XIV.* conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ, à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et *Sess. XVI.* Eugenius Papa, ut ibi habetur, *citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilij plenariè satisfacit.* Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse, declarat; ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitimèque continuatum: quo videtur Eugenius omnia in superioribus Sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmâsse, & Concilij auctoritatem supra legitimum Papam agnovisse. Et *Sess. XVII.* admittit, ut præfidean̄t, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne ullam in Concilium exerceant jurisdictionem *coactivam.* Et *Sess. XVIII.* expresse definit, majorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hunc, nisi obediat, posse à Concilio puniri. Et *Sess. XXI.* tollit Concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœnâ simoniacis decretâ punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc decretum moliatur, jubet Concilio deferri. Et *Sess. XXVI.* iterum definit, Papam notorie criminolum jurisdictioni Concilij subjacere, ipsumque Eugenium Papam in jus vocat. Et *Sess. XXIX. circa medium*, clarissimè iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. Et *Sess. XXXI.* Eugenium suspendit. Et *Sess. XXXIII.* etiam deponit. Et *Sess. XXXVIII.* Concilium Generale supra Papam esse, definit, idque ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. Et *Sess. XXXIX.* Amadæum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

26. In Appendice *ad Sess. XVII.* quæ habetur post Acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, *jurant, fideliter laborare pro statu & honore Concilij Basileensis, ejusque decreta defendere & manutenere, & specialiter decretum Concilij Constantiensis de subjectione Pontificis. Et aliud Synodi Basileensis decretum, quòd Papa Concilio Universali obedire teneatur.* Idem habet Platina *in vita Eugenij IV.*

27. Ex quibus proinde Concilij Basileensis Actis videtur eatenus firmata fuisse Synodi Generalis supra Papam authoritas, ut ex tunc videri posset recepta ab Ecclesia, dum præsertim Eugenius IV. licèt ex metu schismatis, néve spes pacis cum Græcorum Ecclesia ineundæ dissiparetur, condescenderat Basileensium postulatis, instaurando eam Synodum, ac refigendo Bullas, atque censuras, quas in Patres tulerat, admittendoque alias conditiones, quas tamen Pontificiam dignitatem dedecere, postea fuit compertum. De his ergo Synodi Basileensis Actis in præsenti oritur quæstio; *An aliquid roboris adjecerint Decretis Constantiensis Concilij ad firmandam eam extensionem, in vi cujus prætenditur Concilij authoritas esse supra Papam etiam certum & indubitatum?*

PROBATIO I.

In qua ostenditur illa de Concilij supra Papam certum authoritate protensio nihil firmitatis ac roboris accepisse ex Actis Concilij Basileensis.

28. HOc equidem Concilium sub prima sui aggregatione erat legitimum, ac Oecumenicum, utpote convocatum in nomine Christi, nempe authoritate ipsius vicariâ penes Eugenium IV. tunc indubitatum Summum Pontificem subsistente. Verùm istè Concilij Oecumenici character proprius ab illa Synodo cœpit esse remotus, ubi à Capite suo Romano Pontifice divisa est, ex eo, quòd Eugenius Concilij dissolutionem, ac in fines Italiæ translationem decrevisset suâ Bullâ, quæ incipit: *Postquàm Divina providentia*, relata *in Append. ad Acta Concilij Basileensis.* Ex tunc enim Patres, negantes Concilium semel legitimè convocatum, dissolvi posse, aliòve transferri; Eugenio in contrarium suis decretis agente, devenerant ad præinsinuata adversùs Pontificem attentata. Sub quo proinde statu Synodus desijt esse congregata in nomine Christi, prorsusque cœpit esse destituta charactere vicariæ Christi authoritatis, juxta Christi Domini *Matthæi 18.* sancitam ordinationem, prorsus requisitæ ad Concilium Oecumenicum. Quare enumerata à Sessione II. usque ad Sessionem XXXIX. decreta Synodi in eo jam erant statu, ut prorsus essent incapacia illius authoritativi per Summum Pontificem accessûs, de quo Christus *ibidem v. 19.* dixit: *Si duo* (in Concilio nempe Oecumenico, de quo *ibi* sermonem esse, facet contextus probat) *ex vobis* (quorum unus nempe Capitis in Ecclesia vicem agebat, alter verò hierarchicum Ecclesiæ Corpus ex Apostolis reliquis, eorumque Successoribus consistens repræsentabat) *consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

29. Quandoquidem igitur Concilium Basileense, ex quo Pontificiâ authoritate fuit dissolutum, cœperit esse destitutum charactere Christi Vicario, sub quo stat forma Synodi, quâ Oecumenicæ, ut sic repræsentativæ hierarchici Ecclesiæ Corporis, omninò redditur consequens, ejus Decreta non fuisse in eo statu, ut capacia esse possent consensûs illius à Summo Pontifice faciendi, ut sic eorundem taliter authorizativi, ut per mutuam & Capitis, & hierarchici Ecclesiæ Corporis in dogmate aliquo consensionem, decretis sub illius à charactere

Christi Vicario, authoritatéve Pontificiâ avulsionis statu editis, accedere valeret consummata per Christum promissa infallibilitas. Quare decreta illa, inter mera Synodi jam *acephalæ*, imò Capiti suo refractariè oppositæ, adversùs *immediatum* Christi in terris Vicarium attentata, sunt in tantum recensenda, ut ipsius etiam Christi institutioni eatenus repugnarent, quatenus *immediatæ* Christi Vicariæ authoritati superponebant aliquam Christo immediatiorem, nempe Concilij super Papa superioritatem; quippe cùm ex principijs fidei sit indubitatum, quò major est in Ecclesia superioritas, eò esse Christo immediatiorem, sicque soli Christo, nulli verò in terris subijcibilem, atque adeò, ubi Synodus esset Papâ superior, eò ipso haberet propinquiorem respectu Christi immediationem, sicque proinde Papam non fore *immediatum* Christi Vicarium, quod à fidei principijs hactenus traditis prorsus alienum est.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur, illa decreta Basileensia nedum aliquid roboris adjecisse decretis Constantiensibus, sed illa, ceu nulla, & in suis *intrinsecis* principijs invalida, ac inania, fuisse deinceps *positivè* reprobata in sancta Ecclesia.

30. PRætermissis alijs, nempe S. Antonino *3. part. tract. 22. cap. 10. §. 4.* Ioanne Capistrano *de Papæ & Concilij authorit. par. 3.* Joanne de Turrecremata, qui Basileensium factiolas machinationes gravi censurâ solummodò notant, duo reprobatæ illius Synodi argumenta hîc proferre placet. *Vnum* est ex Bulla Pij II. retractatoriâ eorum, quæ priùs tanquam consors egerat in Basileensi, à Capite divulso, Concilio. *In minoribus*, inquit, *agentes, nondum sacris Ordinibus initiati, cùm Basileæ inter eos versaremur, qui se Generale Concilium facere, & Vniversalem Ecclesiam repræsentare, ajebant, Dialogorum quendam libellum scripsimus, in quo ignorantes (ut Paulus) persecuti fuimus Romanam, Primámque Sedem. Vnde in Domino commonemus, ne fidem ullam præstetis prioribus illis scriptis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quovis modo elidunt. Nec eum Pontificatu hæc nobis opinio advenit. Sed cùm Iulianus S. Angeli, & Ioannes S. Petri, Cardinales, quibus plurimùm credebamus, ad Eugenium defecissent: cùm paucissimi in fide Basileensi remansissent: cùm Fridericus Romanorum Rex Felici V. in Eugenij locum suffecto, honorem tanquam Pontifici Romano exhibere nollet, cùm in Friderici Aulâ agentes, Eugenium in multis falsò accusatum invenissemus: cùm Iulianus Cardinalis post unionem Græcorum & Latinorum Ferrariæ, Florentiæque conclusam, in Vngaria legatione functus, Viennæ nobis occurrisset, dixissetque, unam vocem Græcorum & Latinorum hanc esse, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non teneret unitatem: cùm Ioannes Cardinalis Apostolici Palatij Auditor, aliique docti viri multùm nobis frequentibus colloquijs suis profuissent: cúmque Cæsar Basileenses induceret, ut Ecclesiasticæ pacis causâ, se ad novum Concilium, quod Constantiæ indiceretur, transferrent: illi verò id primò recusarent, ob eamque rem multi doctissimi viri, & opinione sanctitatis illustres, scire se dicerent; Basileenses Spiritum sanctum non habere ductorem: his omnibus consideratis, recognovimus errorem nostrum, Basileense Dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submissimus, illud Hieronymi diximus: Cathedræ Petri communione consocior, super illam fundatam Ecclesiam scio. Eramúsque adhuc Clericali tantùm charactere insigniti, quando ad Eugenij obedientiam redivimus.*

31. *Alterum* Basileensis Synodi ab Ecclesia reprobatæ argumentum est ex Concilio Lateranensi, quod Julius II. & posteà Leo X. oppositum Concilio Pisano circà annum 1509. authoritate Maximiliani Imperatoris, & Ludovici Galliarum Regis dicto Iulio II. infensorum celebrato, tandemque reprobato a præfato Ludovico Rege, Synodum illam Lateranensem recipiente tanquam veram & legitimam, in quâ tamen reprobatum fuerat Basileense Concilium, seu potiùs Conciliabulum. Ad firmandum istud argumentum audire inprimis lubeat verba mandati Regij, *initio Sessionis 8.* relata in hunc modum: *Cùm intellexerit præfatus Rex, Sanctitatem suam insequendo in hac parte gesta dicti Iulij, dictum prætensum Concilium Pisanum, tanquàm minùs legitimum, & à non habentibus potestatem, indictum, nec non omnia in eo gesta damnásse, & improbásse, & dictum Concilium Lateranense tanquam ritè & legitimè indictum, ejúsque omnia gesta & decreta approbásse, fueritque postmodùm per suam Sanctitatem, tam per litteras in forma brevi, quàm aliàs diversimodè paternè admonitus, ut à dicto prætenso Concilio tanquam minùs ritè, & à non habentibus potestatem indicto, recederet, & dicto Lateranensi tanquam vero, indubitato, unico, & Oecumenico Concilio adhæreret, ipséque Rex solo Religionis zelo atque instinctu adductus, sperans desideratam universalem Christi fidelium pacem auspicijs præfati Sanctissimi D. N. Leonis præstò affuturam, ac propediem (favente Domino) unanimi Christianorum Principum & populorum consensu, arma in Orthodoxæ fidei, communésque hostes convertenda esse: considerans insuper, quanti sit in his & cæteris rebus omnibus Summi Pontificis auctoritas, quam præsertim vitæ munditia, atque innocentia comitatur, quæ sunt in præfato Sanctissimo D. N. perspicua, paternis suæ Sanctitatis monitis & suasionibus abundè permotus, quippe qui illius authoritati & sententiæ potiùs, quàm alterius cujusque mortalium, sanctiùs & severiùs semper stare judicavit, præsertim ubi scandalum Ecclesiæ imminet & scissura, prosingulari, quam erga præfatum Sanctissimum D. N. & sanctam Sedem Apostolicam gerit, devotione, vestigia Christianorum Franciæ Regum prædecessorum suorum non solùm imitari, verùm etiam (si fieri potest) anteire cupiens, animadvertens præsertim, quia per mortem præfati Iulij, omnis ody & suspicionis materia est extincta, & quòd nonnulli ex prænominatis Cardinalibus, nec non Imperator electus, qui dictum prætensum Concilium Pisanum induxerant, jam illi renuntiárunt, & dicto Lateranensi adhæserunt. Hinc est, quòd in præsentia præfati Sanctissimi D. N. Leonis X. coram nobis Notarijs & testibus infrascriptis, personaliter con-*

constituti Reverendissimus in Christo D. Fridericus S. Theodori Diaconus Cardinalis de S. Severino vulgariter nuncupatus, nec non Reverendus in Christo Pater D. Claudius de Seyssello electus Massilienſis, ac magnificus & generosus Ludovicus Forbini Dominus de Solerijs, præfati Christianissimi Ludovici Francorum Regis Procuratores, ad omnia & singula infrà scripta peragenda specialiter deputati, constantibus litteris patentibus dicti Christianissimi Regis suâ manu subscriptis, & sigillo suo sigillatis ejusdem Regis nomine & mandato, cum eâ, quâ decuit, reverentiâ atque humilitate à dicto prætenso Pisano Concilio penitùs discesserunt, illique plenariè renuntiaverunt, ac purè, liberè & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio prædicto, tanquam vero, unico, & legitimo adhæserunt. Et insuper procuratorio nomine, quo suprà, promiserunt, quòd præfatus Rex Christianissimus nullum deinceps favorem, nullámque assistentiam dicto prætenso Concilio Pisano quoquo pacto præstabit, quinimò quoscumque in civitate Lugduni, aut alibi in Regno, terris & dominijs suis, sub nomine dicti prætensi Concily Pisani persistentes, infrà unum mensem proximè futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes, cujuscumque status, gradûs, dignitatis, aut conditionis fuerint, Ecclesiasticì, vel secularis, de facto ejiciet & expellet, ac pro schismaticis habebit, ac contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati Sanctissimi D. N. etiam manu armatâ (si opus fuerit) procedet. Et ulteriùs promiserunt præfati Procuratores nomine, quo suprà, prænominatum Christianissimum Regem facturum & curaturum cum effectu, quòd sex Prælati, & quatuor Doctores seu Graduati ex honoratioribus, ex numero eorum, qui prædicto prætenso Concilio Pisano interverunt, destinabuntur ad eundem Sanctissimum D. N. Papam, nomine dicti prætensi Concilij Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore repræsentantes, tam eorum, quàm aliorum omnium, qui dicto Concilio adhæserunt, nomine facto. Qui Prælati & Doctores, seu Graduati infrà Kalendas Ianuarij proximè futuri coram suæ Sanctitate personaliter comparebunt, dictóque Concilio Pisano purè & simpliciter renuntiabunt, illúdque abjurabunt, & veniam atque absolutionem à sua Sanctitate humiliter in formâ conveniente, & suæ Sanctitati accepta, postulabunt: & ulteriùs dicto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, indubitatoque tam suo, quàm aliorum adhærentium prædictorum nomine, adhærebunt, & se incorporabunt. Quódque si præmissa facta non fuerint, præfatus Rex nulli eorum, qui dicto prætenso Concilio Pisano interfuerunt, aut favent, opem, auxilium, aut favorem dabit adversùs sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, quinimò præfati Sanctissimi D. N. sententias, decreta & censuras contra eos exequi faciet pro posse, etiam manu forti & armatâ (si opus sit) absque ulla simulatione, vel fraude. Et ulteriùs promiserunt præfati Procuratores, quo suprà nomine, quòd quamprimùm commodè fieri poterit, venient aliqui Prælati & insignes viri nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhærebunt & assistent, quemadmodùm cæteræ Nationes.

32. Lubeat deinde hîc ex parte repetere, quæ ex ejusdem Lateranensis Concilij à præfato Christianissimo Galliarum Rege pro legitimo habiti Sessione decimâ superiùs adferebamus, præcipuè cùm dictus Rex ei se inhæsurum solenniter promiserit. Ita igitur se habent sanctionis illius Synodicæ verba: *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt; cùm ea omnia post translationem Basileensis Concilij, per Eugenium quartum, etiam Prædecessorem nostrum factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conventiculo, præsertim post hujusmodi translationem, Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, necdum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumq; Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet;* prout referebamus *in præsentis art. nostri præcitata disquisit. 4. §. 3. an. 53. videre est.*

PROBATIO III.

In quâ exhibentur Acta Eugenij IV. adversùs Basileense Concilium, ad ostendendam Papæ supra Synodo, à suo præcipuè Capite divulsâ, superioritatem.

33. ETenim Eugenium IV. decreta Basileensis Synodi, quibus authoritas Pontificia impugnabatur, contrarijs decretis oppugnâsse, manifestum redditur ex ejusdem Concilij Actis. Nam & Archiepiscopos Colocensem, & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi Decretis Concilium prohiberent, cujus egregia ad Patres oratio extat *in App. Concily*: & per Jacobum Ebrodunensem acta Concilij rescidit, *ex ead. App.* Et fautores Concilij gravissimis pœnis affecit. *Act. Concilij Sess. 9.* Et quidquid contra Pontificiam authoritatem decreverant, nulla & irrita esse declaravit, quique ea tuerentur, dignitatibus ejecit. *Act. Concily Sess. 16.* Et denique, ut testatur Cardinalis Turrecremata, qui Concilio assedit *l. 2. de Eccles. c. 100. Nunquam Eugenius adduci potuit, Concilio licèt omnia movente, ut ea confirmaret.*

34. In quem finem inserviunt etiam, quæ Ioannes Turrecremata *libro 2. de Eccles. cap. 100.* qui & Concilio Basileensi interfuerat, super decreto, quo Synodum Pontifici præferendam contendebant, disserit: *Licèt Basileenses*, inquiens, *cum maximo studio, repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt, & requisiverunt per Oratores suos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem, aut confirmationem ab eo habere potuerunt. Et meritò, quia Sedes Apostolica, in quâ Religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Evangelicâ veritate, & sanctorum Patrum doctrinâ aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.*

Et infrà: *Non parum admirandum est, adversarios Basileenses, tantâ caligine mentis involu-*

tos, & excæcatos malitiâ, ut in materijs fidei definiendis & declarandis, maluerint sequi homines, ab Ecclesia Dei in Doctrina sua damnatos; sicut fuit Marsilius de Padua, Guillelmus Ockam, & aliquorum Fraticellorum opiniones erroneas renovantes; quàm Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia, ut sol & luna. Contra quos, ait Augustinus, & habetur *in Canone* Non afferamus. 24. q. 1. *Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus, quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est: sed afferamus Divinam stateram ex Scripturis sacris, tanquam thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius, appendamus.*

35. Quare Gallicanus Clerus meritò expendat, quæ Meldensis Episcopus legationis a Carolo VII. Galliarum Rege destinatæ Princeps in sacro Purpuratorum Senatu disseruit; pro. ut videre est apud Raynaldum ad annum Christi 1541. & Ganguinum in Carolo VII. *Nimio fervore*, inquiens, *resistendi* (Basileenses) *ad hanc vesaniam devenerunt, quòd supremam potestatem in uno supposito consistere, denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & pulcherrimam Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem ceremonijs divini cultûs, atq; pacem & tranquillitatem asseruit, abolere & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet prosine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes, & ulteriùs in malis procedendo, unum sibi in Capite assumpserunt, qui non eis præfertur, & sic schisma factum est nedum in obedientia Capitis, sed & in doctrina Evangelij, quod omnibus Christicolis est abominandum. Et hoc animadvertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ, vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, remedia ubique perquirit, ac deniq; consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientium Regni sui, videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc schisma extirpandum, quàm evellere, aut disperdere duas prædictas extremitates, ad quod faciendum necessarium est generale Concilium. Porrò Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit, nihilq; locutum est.*

36. Expendat iterum Clerus Gallicanus, quòd *citato* Raynaldo teste, idem Meldensis Episcopus in Concilio Florentino Regis Christianissimi & Gallorum nomine supremam potestatem in uno supposito sit professus, detestando illos, qui eam collocant in Concilio, sicque Catholicam scindunt unitatem.

37. Expendat denique Clerus Gallicanus, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Severini, Claudius Electus Episcopus Massilienlis, & Ludovicus Dominus de Soterijs, Legati Regis Christianissimi, suo & Regio nomine coram Notarijs & testibus, in litteris patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusdemque sigillo munitis, purè, liberè, & simpliciter sacrosancto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, & legitimo adhæserint, in quo Concilio *Sess. 10.* expressè definitum est, Papam esse supra Concilium generale.

§. III.

Referuntur ac expenduntur argumenta circa *V. Constantiensis Sessionis* decretorum confirmationem à Martino V. vel concessam, vel denegatam.

DEcreta Synodi Constantiensis *Sessione V.* 38.
de Concilij supra Papam (præcipuè si extensio fiat erga certum Pontificem) authoritate non fuisse confirmata a Martino V. nec adeò habere vim Oecumenicæ *Conciliaris* sanctionis, tum *ex antecedenter* dictis, tum ex proximè dicendis, redditur manifestum ex concertatione circa hoc punctum interveniente inter Maymbourgum & Emanuelem à Schelstrate.

Argumentum Maymbourgi.

HIc Author *tractatûs sui historici cap. 21. &* 39.
24. pag. 265. contendit, Martinum V. bis confirmâsse *Sessionis V.* Constantiensis decreta, in prætacto *cap. 24. circa initium* ita scribens: *Iam ostendi, quòd Martinus V. bis solenniter approbaverit Decreta. Semel quando statuit peti ab illis, qui ab hæresi convertuntur, num probent sinè exceptione omne illud, quod probat Concilium, & num condemnent omne illud, quod damnat?* Et rursus *Sessione ultimâ, ubi declarat, se approbare, & inviolabiliter observare velle omnia Decreta, quæ in hoc Concilio edita sunt circa materiam fidei, &, sicut se exponit novo vocabulo,* Concilii rite.

Quæ Author iste hoc loco objicit de interro- 40.
gandis ijs, qui ab hæresi convertuntur, *cap. 21.* probat ex eo articulo: *Vtrùm credant, quod sacrum Concilium Constantiense, Vniversalem Ecclesiam repræsentans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnavit, & condemnat esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.*

Responsio.

PRæinsinuatus Schelstrate *sui tractatûs differt.* 41.
3. cap. 3. pag. 172. reponit, disquirendo, ubinam *loco* per Maymbourgum *citato* habeatur, quod ipse dixit, ab hæreticis, qui revertuntur ad Religionem Catholicam, petendum esse: *Num probent sinè exceptione omne illud, quod probat Concilium?* Agitur supradicto articulo de statutis Concilij in favorem fidei ad salutem animarum, adeoque non de omnibus Decretis Concilij, multò minùs de Decretis *Sessionis V.* quæ ad materiam fidei non spectant. Deinde etiamsi supponeremus tanquam ad fidem spectantia per unam Obedientiam decisa fuisse, quæ de authoritate Conciliorum *Sessione V.* statuta sunt, non sequeretur, illa hoc articulo per Martinum confirmata fuisse. Non solùm enim dicitur, quæ Concilium *approbavit*, sed additur *& approbat*, ut constaret, non

agi

agi de omnibus Decretis, quocunque tempore editis, sed de solis illis Decretis, quæ post trium Obedientiarum unionem, sive tunc, cùm hoc interrogatorium emanabat, à Concilio approbabantur, qualia non erant Decreta *Sessionis V.* in sensu Basileensium, utpote quæ Concilium tunc non probâsse constat.

42. Plura sunt, quæ pro hujus veritatis elucidatione *superiori capite* adduximus; sed contemnendum non est, quod ex Capitulis Reformationis ad instantiam Nationis Germanicæ propositis, & ex responso à Martino V. & alijs Nationibus ad ea dato desumitur. Cùm enim Natio Germanica frustra petijsset *Decretum irritans in forma*, vidisset què Decretum II. *Sessionis V.* de potestate *coactivâ*, non intelligi de unico, vero, & indubitato Pontifice, statutum Concilij de reformanda Ecclesia adimplere nolente, curavit, inter octodecim articulos reformationis à Concilio, unà cum futuro Pontifice decidendos, hunc quoque apponi: *Propter quæ, & quomodò Papa possit corrigi, & deponi.* Ad quem articulum rectè observarunt Cardinales ab Eugenio IV. deputati, dum Galliæ Legatis Decretum II. Constantiense *Sessionis V.* in sensu Basileensium objicientibus responderunt: *Quòd Patres de Constantia non videntur habuisse illum erroneum sensum de potestate Conciliorum, quem habuerunt Basileenses, & practicaverunt.* Rationem adjungunt: *Quòd cùm omnes Obedientiæ simul Constantiæ convenirent, decreverunt in Sessione XXXVI.* (in Manuscriptis, est XL. in editis) *quòd Papa cum Concilio haberet declarare, propter quæ, & quomodò ipse posset corrigi.* Ac si dixissent Cardinales, ex prædicto articulo de Nationum consensu futuri Pontificis judicio reservato constare, quòd post trium Obedientiarum unionem Concilium non inhæserit Decreto II. *Sessionis V.* in sensu Basileensium, ac si toties Pontifex corrigi & deponi potuisset, quoties Generalis Concilij Decretis obedire contemneret.

43. Manifestiùs constat de plurium Nationum sententiâ ex responso ad prædictum articulum post Martini V. electionem dato. Quamvis enim inter edita à Philippo Labbeo ex codice Capranicensi quindecim Reformationis capita nullum reperiatur, quod huic articulo correspondet; nullatenus tamen dubitandum est, quin inter Reformationis capita reperiri debeat. Cùm enim ad omnes fermè articulos Reformationis responsum datum reperiatur in capitibus à Philippo Labbeo editis, cur, quæso, ad maximi momenti articulum de correctione Pontificia responsum omissum fuisset? An fortè, quòd Martinus V. dignatus non sit ad articulum Sedis Apostolicæ authoritati à Germanis oppositum vel verbum respondere? Sic tamen est, quòd Natione Germanicâ post electionem Martini V. in advisamentis de Reformatione hactenus ineditis urgente hunc articulum, Martino V. integrum non fuerit, eum sub silentio præterire, ideoque responderit: *Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod statui, vel decerni.* Extat hoc Martini responsum in duobus codicibus manuscriptis antiquis, quorum unus in Bibliotheca Vaticanâ, alter in Palatinâ servantur, ut duo variarum Regionum Manuscripta hâc in re conveniant, & veritati testimonium perhibeant. Hæc autem, si Richerius vidisset, nunquam ex articulo: *Propter quæ, & quomodò Papa possit corrigi, & deponi*, argumentum pro sensu Patrum de superioritate Concilij deduxisset.

Tàm certò autem hoc testimonium sensui illi adversatur, ut, cùm *in Dissertatione Antuerpiensi* id proposuissem D. Maymbourg, in *Tractatu suo historico* illud prætermittere maluerit, quàm referendo, præjudicium aliquod causæ suæ afferre. Omissâ proinde hâc de re mentione, ad alia confugit, & responsum Martini V. quo Sessione XLV. Concilij Decreta in materia fidei *Conciliariter* facta approbat, urgere voluit. Dicit itaque Martinum V. etiam Decreta *Sessionis V.* confirmâsse, dum Sessione XLV. omnia, & singula in materia fidei *Conciliariter* facta, his verbis probavit: *Quòd omnia & singula determinata, conclusa, decretata in materia fidei, per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense*, Conciliariter *tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contravenire quoquo modo, ipsâque sic* Conciliariter *facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* En verba Martini ex Sessione XLV. Constantiensis Concilij, quibus innititur *secundum* argumentum D. Maymbourg ad monstrandum, quòd ab eodem Pontifice probata, seu confirmata fuerint Decreta Constantiensis Synodi *Sessionis IV. & V.* circa authoritatem Conciliorum edita. Verùm nónne videt Author iste, Martinum V. ibi tolummodò agere de Decretis ad materiam fidei spectantibus, seu de articulis Ioannis Wicleff, Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, & Bohemorum, qui in Sessionibus publicis *Conciliariter* damnati erant tanquam hæretici? Hos enim Martinus V. sese pro damnatis habere, significat confirmans, & probans Decreta in materia fidei Constantiæ edita, non verò Decreta *Sessionis IV. & V.* de potestate Ecclesiastica, quòd illa sub materia fidei non comprehenderentur, & à Patribus Constantiensibus pro articulis fidei edita non fuerint. Et hoc est, quod *in Dissertatione Antuerpiensi* editâ non ex infirmis, aut suppositijs monimentis, sed ex Actis ipsius Constantiensis Concilij probaveram: in ijs enim *Sessione V.* refertur, quòd electus Poznaniensis publicaverit Decreta *suprà dicta per modum Constitutionum Synodalium.* Et post illorum, aliorumque Decretorum publicationem adjungitur, quòd idem Poznaniensis legerit *quædam advisamenta in materia fidei, & super materia Ioannis Hus detenti per Concilium, & quedam Ioanne Wicleff ibidem subjuncta.* Appellabam hîc oculos eruditorum, sicut & iterum appello, ut Acta Constantiensis Concilij typis descripta pervolvant, mecumque observent, ipsâ *Sessione V.* in qua Decreta publicata sunt, differentiam factam fuisse inter nonnulla, quæ *per modum Constitutionum Synodalium* publicata sunt, ac alia, quæ *ad materiam fidei* spectabant, & publicanda dicebantur. Quæ sub nomine *Constitutionum Synodalium* intelligenda erant, dicuntur duo

44.

priora Decreta, de quibus in præsenti agimus. Quæ ad *materiam fidei* spectabant, dicuntur articuli Joannis Wicleff, & Hus. Ex quibus certò constat, quòd ipsum Constantiense Concilium Decreta *Sessionis V.* sub materia fidei non comprehenderit, & consequenter Martinus V. Sessione XLV. probando *omnia & singula in materijs fidei* Conciliariter *determinata, concluſa, & decreta*, non confirmârit Decreta *Sessionis V.* de potestate Ecclesiastica *per modum Constitutionum Synodalium* duntaxat edita.

45. Possem pluribus rationibus hanc veritatem confirmare, & in quonam constitutiones Synodales à Decretis fidei differant, ostendere, nisi in comperto esset, constitutiones nihil aliud esse, quàm leges, quarum publicatio spectat ad Legislatorem; Decreta verò fidei esse dogmata, quorum decisio pertinet ad Doctorem. Concilium autem *Sessione V.* non publicavit duo priora Decreta per modum dogmatum in materia fidei, sed per modum Constitutionum Synodalium, ut Acta Constantiensis Concilij in terminis astruunt, & ipse Joannes Gersonius negare non potuit, utpote qui in sermone *pro Viaggio Regis Romanorum* coram Patribus Concilij de Decretis illis opinionem suam hoc modo retulit: *Conscribenda*, inquit, *prorsus esse mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, & regula.* Quibus verbis Decreta per modum legum statuta fuisse, Gersonius ipse agnovisse videtur.

46. Quando igitur Martinus V. Sessione XLV. declaravit, se probare omnia, & singula in materia fidei *Conciliariter* determinata, concluſa, & decreta, non intendit probare Decreta *Sessionis V.* sed omnia, & singula circa articulos Wicleffi, Hus, Hieronymi Pragensis, & Bohemorum Constantiæ in Sessionibus publicis statuta; imò si rem funditus examinemus, articulum quoque Joannis Parvi de occidendo tyranno Sessione XVII. publicatum confirmavit, utpote quem solùm in Bullâ suâ confirmatoriâ, sicuti posteà videbimus, ex Decretis ad fidem pertinentibus omiserat.

47. Cùm enim Legati Regis Poloniæ Sessione XLV. instituissent pro damnatione famosi cujusdam libelli Joannis à Falckenberg, quem, teste Martino Cromero Warmiensi Episcopo *lib. 18. de rebus gestis Polonorum*: dictus Ioannes *à Cruciferis subornatus, in Vladislaum Regem, & in omne Polonum nomen scripserat, & in quo*, teste Ioanne Gersonio *in Dialogo Apologetico pro Constantiensi Concilio* hactenus inedito, *agebatur de occisione omnium Polonorum faciendâ absque lege, vel ordine, ipsis nec auditis, nec defensis*: Martinus V. videns, tumultum inter plures exortum fuisse, quia librum illum Sessione ultimâ *Conciliariter* damnare nolebat, *cùm multi varia dicerent*, & aliqui damnatum à Patribus Ioannis Parvi errorem renovandum fore, nisi Pontifex libellum Ioannis à Falckenberg censurâ publicâ proscriberet, assererent, Martinus *respondendo ad prædicta* declaravit, *se omnia & singula in materia fidei per Constantiense Concilium* Conciliariter *tenere, & inviolabiliter observare velle, ipsâque sic* Conciliariter *facta approbavit & ratificavit*, ut constaret, à se quoquè confirmari Decretum Constantiense circa propositionem Ioannis Parvi de non occidendo tyranno, quod Decretum, quia Martinus specialiter anteà non approbaverat, aliqui ab eo non confirmari, credebant. Et hæc quidem de ijs, quæ Martinus V. Sessione XLV. authoritate Apostolicâ ex Concilij Constantiensis Decretis, in materia fidei editis approbavit, & ratificavit.

Addidit autem idem Pontifex eâdem Ses- 48.
sione XLV. hanc clausulam: *Et non aliter, nec alio modo*, quâ significavit, à se quædam Decreta improbari, de quibus nunc inquirendum est, quænam illa esse possint. Ut autem ingenuè fatear, nullum unquam mihi dubium fuit, quin aliqui Scriptores hîc verè annotâverint, à Martino inprimis hoc loco rejectum fuisse Nationum, & Cardinalium Decretum de damnando in Sessione publica libello Ioannis à Falckenberg, utpote quod licèt in materia fidei esset, non tamen *Conciliariter* in Sessione publica confirmatum erat. Non tamen placet, quod post Richerium D. Maymbourg voluit, hanc clausulam solummodò ad reijciendâ damnationem libelli Ioannis à Falckenberg per Martinum V. adjectam fuisse. Sicut enim occasione libelli Ioañes à Falckenberg prudentissimus ille Pontifex non solùm confirmavit Decretum Constantiense contra articulum Ioannis Parvi, quem prædictus libellus renovare videbatur, sed omnia & singula in materia fidei *Conciliariter* facta à se approbari, significavit: ita occasione ejusdem libelli idem Martinus non solùm rejecit statutum à Nationibus & Collegio Cardinalium de damnando in Sessione publica libello Ioannis à Falckenberg, sed terminis generalioribus usus est, & alia quædam vel ad materiam fidei non spectantia, vel non *Conciliariter* edita sese reprobare, indicavit. Unde Illustrissimus Apameensis Episcopus Spondanus scribit, Martinum V. non solùm respondisse ad petitionem Legatorum Poloniæ, sed eâ occasione significâsse, quæ Concilij Decreta authoritate Apostolicâ confirmaret, quænam verò reprobanda duceret. Audiendus est Author ille ad annum 1418. ubi agens de petitione Legatorum Regis Poloniæ, & Martini ad eam responso: *Putamus*, inquit, *prædictorum Nuntiorum petitionem de industria Martini nutu ad Sessionem ultimam reservatam, ut eâ occasione significaret, quæ Concilij decreta ipse authoritate Apostolicâ, ac suprema probaret, quæ verò non, si anteà quidquam de ijs agere voluisset, murmur aliquod, tumultúmve in Patribus excitaret, ob ea, quæ ambiguè decreta fuissent de authoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in Capite, quàm in membris: quas* absolutè, *ut sonare videntur, sumptas (de quo dictum est superiùs) nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, ejúsque Successoribus authoritati ac potestati, ipsíq; demum naturæ rei, quâ Caput debet membra regere, non regi à membris.*

Hæc eruditissimus Apameensis ipſi Gallia 49.
Epis-

Episcopus, qui manuscriptos Constantiensis Concilij codices Parisijs in Bibliothecis Christianissimi Regis, & sancti Victoris asservatos sedulò pervolvit, ex quibus indicia aliqua habere potuit de ijs, quæ hoc loco de infirmatis à Martino V. Decretis memoriæ tradidit. Unum autem præ cæteris observandum est, quòd Author ille in historiâ Constantiensis Concilij tantopere à Maymbourg laudatâ notârit, quòd non solùm Decretum II. *Sessionis V.* de authoritate *coactivâ* Conciliorum, sed & clausula I. Decreti de reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris, à Martino V. improbata fuerint. Hæc enim mirum in modum consonant manuscriptis codicibus à me repertis, quos D. Maymbourg, tanquam vitiosos, aspernandos esse, contendebat.

50. Non ignorabat Martinus V. quantâ animi constantiâ Franciscus Cardinalis Zabarella sese opposuerat articulo, quo Constantiensi Concilio tribuebatur authoritas reformandi Ecclesiam in Capite & in membris. Memoriâ retinebat, quàm graviter plerique Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus contra Decreta *V. Sessionis* protestati erant. Optimè noverat, quot contentiones post trium Obedientiarum unionem in Concilio excitatæ fuerant, ne fieret reformatio Ecclesiæ ante electionem unius, veri, & indubitati Pontificis. Oculatus testis extiterat jurgiorum, rixarum, & periculorum, quæ Cardinales subierant, ut materiam reformationis futuri Pontificis judicio reservarent. Oblitus non erat responsi, quod Nationi Germanicæ, petenti Decretum irritans per modum cautionis de fiendâ per Pontificem reformatione, datum fuerat, *quòd Papa electus ligari non potest*. Præsens fuerat, quando Concilium authoritate *coactivâ* abstinuerat in Decretis suis, legitimum Pontificem spectantibus. Non multum temporis transiverat, quo ante Sessionem XLIII. ad articulum secundum *De reformationibus Sedis Apostolicæ*, & articulum octavum *De officijs Cancellariæ, ac Pœnitentiariæ* reformandis, ne verbum quidem Nationibus, & Patribus Concilij responderat, quia ad ipsos reformationem in Capite, seu Curia Romana spectare non credebat. Mente tenebat datum eodem tempore à se, & pluribus Nationibus responsum ad articulum Germanorum: *Propter quæ, & quomodò Papa possit corrigi, & deponi.* Quòd nimirum nihil ea de re, quia novitatem sapiebat, statui deberet. Et ne quisquam sequentibus temporibus ex Decretis *sessionis V.* probandum susciperet, legitimum Pontificem corrigi, vel deponi posse, Sessione XLV. ex petitione Legatorum Regis Poloniæ occasionem cœpit, ut observat Spondanus, exponendi mentem suam de eorum invaliditate, dixitque, se authoritate Pontificiâ tunc non probare, quæ aliter, quàm in materia fidei *Conciliariter* acta erant, ut indicaret, Decretum I. *Sessionis* V. de reformatione, & Decretum II. de potestate *coactivâ* tanquam aliter, & alio modo facta, à se neque probari, neque in authoritatem recipi.

CONCLUSIO.

EO ipso, quòd Martinus V. non tantùm non confirmârit, sed, uti *sequenti Corollario* dicetur, reprobârit Constantiense de Concilij super Papam certum superioritate decretum, nequit hoc dici Oecumenicum, neque habet aliquid roboris *authoritativè* obstringentis, sed censeri potiùs debet inter reprobata dogmata. 51.

EXplicatur. Supponamus ex physicis principijs, quòd in homine duplex consisteret forma substantialis, una corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Ex formâ equidem corporeitatis denominaretur corpus organizatum, necdum tamen *formaliter* humanum, sed *materialiter* duntaxat, quod ex unione formæ rationalis constituendum esset sub ratione hominis, seu corporis quà *formaliter* humani. Sic adeò Ecclesia dupliciter considerari potest, vel quà corpus hierarchicum in Synodo aliqua Generali absque Capite repræsentatum, vel quà corpus animatum formâ authoritatis Oecumenicæ, Vicarium Christi characterem solius Papæ proprium præferentis. In priori statu nequit adhuc Concilium *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat & *dispositivè* dici Oecumenicum, nec adeò ejus decreta habent vim authoritatis Oecumenicæ. Quare ad hanc obtinendam, opus fuisse authorizativâ Papæ confirmatione, ceu formâ Synodi in Esse Oecumenicæ *essentialiter* constitutivâ, liquet *ex antecedentibus*, patebitque insuper *ex sequenti* probatione.

PROBATIO.

In qua ostenditur, ut Concilij *acephali* decretum obtineat eam firmitatem, quæ sacris dogmatibus advenit ex Ecclesia, ceu columnâ & firmamento veritatis, oportere, eidem accedere authorizativam Papæ approbationem.

DUm enim Spiritus sanctus per os Apostoli *1. Timoth. 3.* Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis, num dicere fas est, hoc de Ecclesiâ hierarchicâ solùm *incompletè* ac *imperfectè* sumptâ intelligendum esse? Constat autem ex fidei principijs, hierarchicum Ecclesiæ statum *substantialiter* componi ex Capite & Corpore hierarchico, Ecclesiasticos Præsules complectente. Num igitur isti Corpori *acephalo*, cum exclusione Summi Pontificis, attribuere fas est, illam præeminentiam Ecclesiæ appropriatam, quòd sit columna & firmamentum veritatis? Hoc prædicatum nulli alteri subjecto est attribuendum, quàm illi, quod textu illo Apostolico habetur expressum, nempe Ecclesiæ. Quia igitur Ecclesia, secundùm quòd est Hierarchia in terris Divinitus instituta, *substantialiter* dicit Corpus hierarchicum, quà unitum Capiti Supremo Pontifici, nequit illud prædicatum, quòd sit 52.

colum-

columna & firmamentum veritatis, attribui *acephalico* Ecclesiæ Corpori hierarchico, neque adeò decretum emanans à tali hierarchico Corpore *acephalico* ullatenus dici potest Oecumenicum, ac munitum infallibilitatis charactere. Quandoquidem ergo Summus Pontifex Martinus V. Constantiensis *V. Sessioni* decretis non solùm non accesserit, per authorizativam eorundem confirmationem, sed hæc, uti *sequenti Corollario* ostendetur, *implicitè* saltem, ac *virtualiter* reprobârit, ideo prorsus dicendum, ea Constantiensia decreta nullius esse roboris ac valoris.

§. IV.

Corollarium præsentis VIII. Disquisitionis.

In quo ostenditur, Martinum V. confirmando decreta Constantiensia, & declarando, quòd à Romano Pontifice appellare non liceat, *positivè* propugnâsse superioritatem Pontificiam.

53. EManuel Schelstrate *præced. cap. 3.* ostenderat, quòd Martinus V. nunquam in auctoritatem recipere voluerit decreta Constantiensia *V. Sessionis*, quâ intellecta de superioritate Concilij, sed potiùs ea rejecerit, & quoties mentio de ijs facta est, ea à sese improbari, significaverit: nunc videndum est, an authoritatem suam supra Concilium aliquo expresso testimonio comprobatam esse, voluerit? In Dissertatione sua Antuerpiensi *cap. 3. circa finem* paucis verbis indicaverat Schelstrate, Martinum V. bis ostendisse, supremum sibi in rebus fidei judicium competere. *Primò*, dum à Concilio Constantiensi in publicis Sessionibus Decreta confirmatione suâ indigere, monstravit. *Secundò*, dum in Consistorio publico de non appellando à supremo Judice Romano Pontifice, Jesu Christi in terris Vicario, constitutionem edidit. Cùm autem D. Maymbourg aliqua hisce objicere voluerit, & quædam monumenta huc spectantia, & nondum edita, toriqúe Orbi Catholico hoc nostro tempore ignota ad manus meas pervenerint, rem eruditis gratissimam me facturum existimavi, si de singulis fusiùs agerem, & quàm clatè Martinus V. authoritatem supra Concilia exercuerit, exponerem.

54. Ut autem à confirmatione Martini V. incipiam, cùm ex ea validissimum argumentum desumi possit pro superioritate Pontificiâ, id ipsum debilitare conatus est D. Maymbourg *cap. 24.* asserens. *Quòd nunquam antiqua Ecclesia cognoverit aliam approbationem, aut confirmationem Conciliorum à Romanis Pontificibus factam, quàm consensum ipsorum, quem illi æquè ac alij (nimirum Episcopi) dare tenebantur.* Dicit, sed alibi monstrâsse, *cap. nimirum 17. ejusdem Tractatûs historici*, ubi S. Sylvestri, Leonis Magni, & Martini I. verba adducit, ut probet, confirmationem nihil aliud esse, quàm subscriptionem, aut suffragium à Romano Episcopo æquè, ac alijs Episcopis præbendum, ità ut in Martini V. potestate situm non fuerit, Decretis Constantiensibus assensum, seu suffragium suum denegare. Aliud quid addit Richerius *in historia Conciliorum Generalium lib. 2. cap. 4. §. 26.* ex Bulla Martini V. contra errores Joannis Wicleff. *Quæ*, inquit, *decimum tertium monimentum præceps authoritatis Concilij supra Papam nobis exhibet, quoniam Martinus omnia & singula de Concilij consensa & approbatione gerit.*

55. Loquitur Richerius de Bulla Martini V. quæ incipit: *Inter cunctas Pastoralis officij sollicitudines*, quam Basileenses in sua compilatione Actis Constantiensibus subjecerunt, & reliqui subinde Conciliorum Collectores eodem modo post Sessionem XLV. ediderunt; unde plurimorum, & communis error irrepsit, quòd hæc sit Bulla confirmatoria Martini V. de articulis Joannis Hus, & Hieronymi de Pragâ à Concilio Constantiensi damnatis. Verùm cùm sedulò hanc Martini Bullam pervolvissem, eamque pro hæreticæ pravitatis Inquisitoribus à Martino V. sacro approbante Concilio, editam fuisse, notâssem, censui, Bullam illam confirmatoriam non esse, nec post Acta Sessionis XLV. edi debuisse. Extat Bulla illa non solùm *omnibus Inquisitoribus inscripta*, ut eam exhibet Philippus Labbeus in sua collectione, sed & alijs particularibus; ut habet *Tomus VIII. Diversorum Martini V.* qui in Archivo Apostolico asservatur, in quo eadem illa Bulla reperitur cum hoc titulo & subnotatione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Salzeburgensi, Gneznensi, & Pragensi Archiepiscopis, ac Olomucensi, Luthomuslensi, Bambergensi, Misnensi, Pataviensi, Wratislaviensi, Ratisponensi, Cracoviensi, Poznaniensi, & Nitricensi Episcopis, nec non dilectis filijs electis, ac Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, per Salzeburgensem, Gneznensem, Pragensem, Olomucensem, Luthomuslensem, Bambergensem, Misnensem, Pataviensem, Wratislaviensem, Ratisponensem, Cracoviensem, Poznaniensem, & Nitricensem Civitates & Diœceses, & alibi ubilibet constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem, &c. Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines, quibus, &c. Datum Constantiæ octavo Kal. Martij anno primo.* Reperitur quoque ibidem cum sequenti inscriptione: *Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Cantuariensi, Eboracensi Archiepiscopis, ac Londoniensi, Rossensi, Cicestrensi, Wintoniensi, Oxoniensi, Lincolniensi, Bathoniensi, Wellensi, Salesberiensi, Wyngermensi, Herfordensi, Conventiensi, Lichefeldensi, Norwicensi, Clicnsi, Menevensi, Assavensi, Landavensi, Bavigorensi, Dunelmensi, Carleolensi, & Candidetasæ Episcopis, nec non dilectis filijs Inquisitoribus hæreticæ pravitatis per Cantuariensem, & Eboracensem provincias, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem, &c. Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines, &c. Datum Constantiæ octavo Kal. Martij anno primo.*

56. Ex varijs hujus Bullæ titulis constat *in primis*, eam factam fuisse pro Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Polonia, Anglia, aliisque locis, ubi Wicleffi, & Hus, ac Hieronymi

mi Pragensis hæreses tanquam venena serpebant: ut mirum non sit, quòd Bulla, cùm executoria esset, *sacro approbante Concilio*, à Martino V. edita dicatur. Constat *secundò*, editam fuisse non post finem Concilij, ut communiter ex eo creditur, quòd post Sessionem XLV. legatur, sed 8. Kal. Martij, anno Pontificatûs Martini primo, dum Concilium nondum Sessionem XLIII. celebrârat, ut inter Sessionem XLII. quæ 28. Decembris anno 1417. & Sessionem XLIII. 21. Martij anno 1418. celebratæ sunt, collocanda sit: 8. enim Kalendæ Martij, quæ in diem 22. Februarij incidunt, inter utrumque diem, quibus Sessiones XLII. & XLIII. habitæ fuerunt, mediæ sunt.

57. Cùm autem ex hac observatione manifestum fiat, Bullam Martini V. confirmatoriam in Actis desiderari, opportunè omninò accidit, quòd pervolvens proximis hisce diebus Regestum Variorum Martini, aliud quærendo, aliud repererim. Incidi namque præter spem omnem in Bullam Martini longè à superiori diversam, utpote quæ incipit: *Martinus &c. Ad perpetuam rei memoriam. In eminentis Apostolicæ dignitatis speculâ superni dispositione consilij constituti, inter sollicitudines alias innumerabiles nostris humeris incumbentes, assiduâ curâ revolvimus, & in votis nostris gerimus desiderantes, ut fides Catholica, quæ Christianæ Religionis firmissimum est fundamentum, nostris prospereetur temporibus, ac à contagiosis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quasi tenebrosi fumi caligine obfuscare satagunt, conservetur, hæreticáque pravitas de finibus fidelium extirpetur, &c.* Præmittit in illâ Bullâ Martinus V. quæ contra errores Ioannis Wicleff, & Hus, ac Hieronymi de Praga à Ioanne XXIII. in Concilio Romano anno Pontificatûs ejus tertio decreta fuerant, duasque constitutiones ejusdem Ioannis, quarum una à Labbeo edita est *Tomo XI. Conciliorum*, altera hucusque lucem non vidit, exhibet: deinde statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wicleffi & Hus, nec non errorem Bohemorum de communione sub duplici specie de verbo ad verbum inserit: *Nos igitur declarationes, decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, nec non & condemnationes, & sententias suprascripta rata habentes, & grata, illáque authoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ tenore præsentium confirmantes, & præsentis scripti patrocinio communientes, supplentes quoque omnes defectus, si qui forsan, propter solennitates Iuris in procedendo non servatas, intervenerint in eisdem, volumus etiam, & eadem authoritate decernimus, quòd declarationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, nec non condemnationes, & sententiæ, præinserta plenam vim, plenúmque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hæ nostræ litteræ plenè sufficiant, quandocunque eas sive in judicio, sive alibi exhiberi contigerit, vel ostendi. Nulli ergo, &c. Nostræ approbationis, ratificationis, communitionis, suppletionis, voluntatis, & institutionis infringere, &c. Si quis, &c. Datum Constantiæ 8. Kal. Martij, anno primo.*

58. Atque hæc est Bulla Martini V. confirmatoria, quæ hactenus typis descripta non fuit, omnesque nostri sæculi peritos in hunc usque diem latuit, ex qua non solùm refutantur, quæ Richerius objecit, sed quæ & ipse D. Maymbourg *superius* de confirmatione Pontificiâ scripsit. Ut enim à Richerio incipiam, edita est hæc Bulla à Martino V. octavo Kal. Martij, dum litteras executoriales ad Inquisitores hæreticæ pravitatis *suprà* memoratas eodem die transmitteret. Edidit autem Martinus hanc Bullam nomine proprio, nullâ Concilij mentione factâ, quòd per illam Romani, & Constantiensis Conciliorum contra hæreticos statuta authoritate Apostolicâ confirmaret, adeò, ut ex verâ Bullâ confirmatoriâ non habeatur monumentum præxeos authoritatis Concilij supra Papam, sed potiùs contrarium, authoritatis nimirum Pontificiæ supra Concilium: ad Superiorem enim spectat *approbare, ratificare, confirmare, communire Decreta, & supplere defectus* inferiorum, prout Martinus V. hâc Bullâ se de Decretis Patrum Constantiensium facere, in terminis asserit. Et hinc quoque patet, quid dicendum sit de observatione D. Maymbourg, quâ confirmationem Pontificiam cæterorum Episcoporum subscriptionibus æquiparare non dubitavit, & huic antiquorum traditionem consonam esse, asserere ausus fui.

59. Quàm injuriosa namque sit Sedi Apostolicæ authoritatis ejus interpretatio; quàm aliena à mente Ecclesiæ hæc suprema Pontificiæ confirmationis enervatio; non ex uno, sed ex pluribus antiquitatis monumentis, quæ ab ipso D. Maymbourg adferuntur, probari possent. Non sic enim judicârunt Episcopi Concilij Arelatensis *primi*, quando statutum de uno Paschatis die ubique terrarum observando ad Sylvestrum I. Romanum Pontificem retulerunt, ut judicio ipsius probatum *per majores Romani Imperij Diœceses* publicaretur. Non sic tenuerunt sexcenti triginta Orientales Episcopi Chalcedone congregati, quando *Canonem 28.* de secundo honoris gradu Sedi Constantinopolitanæ tribuendo ad Leonem I. retulerunt, ut illum authoritate Apostolicâ probaret, & tanquam *Caput membrorum statutâ* confirmaret, ac roboraret. Neque sic de authoritate sua judicavit Leo, & re, & nomine Magnus, dum solus *Canoni 28.* Chalcedonensi obstitit, eumque, quia authoritate Apostolicâ statutus non fuerat, rejecit, & nullius roboris esse, monstravit. Hæc erat de authoritate Sedis Apostolicæ circa Synodicorum Decretorum confirmationem traditio venerandæ Antiquitatis, hæc constans & indubitata sententia religiosæ posteritatis.

60. Ut enim omittam sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod *Antiquorum vestigijs* insistens, Acta sua ad Romanum Pontificem tanquam supremum Ecclesiæ Iudicem retulit, ad ipsum Constantiense Concilium accedo, quod post trium Obedientiarum unionem significavit, Romanum Pontificem adstringi non potuisse Decretis in materia fidei à se editis, nisi postquàm illa suprema suæ Sedis au-

thoritate approbâsset. Cùm enim Patres Constantienses *Sessione XL.* ederent professionem fidei, quam Romani Pontifices, juxta antiquam consuetudinem, ante coronationem emitterent, inter omnia Concilia Generalia, quæ Decreta in materia fidei per totam Ecclesiam recepta ediderant, unum Constantiense omiserunt, cùm tamen plura de fide, quàm ullum aliud Concilium statuisset: quâ re Patres Constantienses innuere voluerunt, se futurum Pontificem astringere non potuisse ad Decreta fidei in Concilio statuta, nisi Sedis Apostolicæ judicio fuissent priùs confirmata. Ne autem quisquam de Decretis Constantiensibus in materia fidei editis dubitaret, electus à tribus Obedientijs in Summum Pontificem Martinus V. voluit post Sessionem XLII. Decreta fidei authoritate suâ Apostolicâ comprobare; prout fecit Bullâ confirmatoriâ *superiùs* memoratâ. *Illa*, inquit, *authoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ præsentium tenore confirmantes, & præsentis scripti patrocinio communientes, supplentes quoque omnes defectus, si qui forsan propter solennitates Iuris in procedendo non servatas, intervenerint in eisdem.* Et postquàm Martinus solâ authoritate Pontificiâ hoc modo Decreta Constantiensia in materia fidei probaverat, tunc nomine suo, consentiente Concilio, Decreta à Concilio edita, & à se probata ad cunctos hæreticæ pravitatis Inquisitores transmisit, ut juxta illorum tenorem, contra Wicleffistas, & Hussitas agerent: quod nihil planè contra superioritatem Pontificiam facit.

61. Ne autem ullum omninò dubium resset de mente Martini V. circa authoritatem Pontificis supra Concilium, adjungenda sunt, quæ occasione Polonorum in Consistorio publico de non appellando à Sedis Apostolicæ judicio, statuit. Utque res tota à sua origine repetatur, cùm Concilium Sessione XIII. elegisset Commissarios tam ex Collegio Cardinalium, quàm ex Nationibus *ad audiendum & examinandum causas hæresum, & errorum in fide Catholica, & moribus, undecumque habuissent, & haberent originem*; accidit, quòd Regis Poloniæ Legatus Nicolaus Gneznensis Archiepiscopus acceptum à Doctoribus, & Studiosis Parisiensibus libellum famosum, *quem Ioannes à Falckenberg in Wladislaum Regem, & in omne Polonum nomen conscripserat*, ad deputatos Judices detulerit, Authorem in tetrum carcerem includi fecerit, & à Iudicibus Constantiensis Concilij libellum cum omni debita solennitate, & maturitate damnari curaverit. Antequàm itaque Martinus V. in Pontificem eligeretur, singulæ Nationes, & sacrum Cardinalium Collegium seorsim concluserant, ordinaverantque, quòd dictus libellus, tanquam hæreticus in Sessione publica per sacrosanctum Concilium Constantiense publicè damnaretur, seu damnatus nuntiaretur, unde post electionem Martini V. aliquoties institerunt pro publica istius libelli condemnatione. Ubi autem viderunt, à Martino V. 8. Kal. Martij, seu die 22. Februarij anno 1418. hæreses Ioannis Wicleff, & Ioannis Hus, ac Bohemorum de communione sub duplici specie proscriptas, ac de ijs duntaxat ad Episcopos Poloniæ, aliosque hæreticæ pravitatis Inquisitores litteras datas fuisse, verisimile est, eos nondum quidem appellâsse, sed de appellando ad futurum Concilium cum pluribus locutos fuisse, idque ad Martini V. aures pervenisse. Hâc autem occasione idem Pontifex Decretum edidit de non appellando à Romano Pontifice, de quo audiendus est Ioannis Gersonius *in Dialogo Apologetico pro Constantiensi Concilio*, qui appellationis Polonorum meminit, quasi jam interjecta fuisset: *Pro parte Dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium. Cui appellationi cùm respondendum esset, lata est, ut dicitur, in Consistorio Generali & publico, quod ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub forma Bullæ.... continebátque, in nullo casu licere, appellationem à Papa facere, nec ejus judicium in causa fidei declinare.* Quæ hîc adfert Ioannes Gersonius ex aliorum relatione in Tractatu suo; *Quomodò, & an liceat à Summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare?* tanquam rem sibi compertam, & indubitatam exhibet. *Absolutè* enim affirmat, quòd Martinus V. in suâ constitutione: *Ad perpetuam rei memoriam*, factâ, & promulgatâ in Consistorio generali celebrato Constantiæ 6. Idûs Martij, Pontificatûs sui anno primo decreverit: *Nulli fas est, à supremo Iudice, videlicet Apostolicâ Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in caulis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* 61.

Testatur Joannes Gersonius in eodem illo tractatu, Decretum hoc occasione Polonorum editum fuisse, & ipse D. Maymbourg *cap. 24.* illud occasione Appellationis ab ijdem Oratoribus interpositæ, prodijsse affirmat, ut Martinus V. neque clariùs, neque expressiùs mentem suam de Sedis Apostolicæ supra Concilium authoritate exponere potuerit: id quod adeò manifestum sit ex verbis Martini V. à Gersonio allatis, ut hîc Authori nostro aqua hæserit, & cùm ad pleraque à me allata respondere conatus fuerit, ad Decretum illud se nihil habere, quod opponeret, re ipsâ significârit. Quamvis enim Auctor noster fingat, facilem esse responsionem, dicatque: *Facillimè responderi potest, dicendo id, quod centies responsum est; & cui contradici nequit, quòd hæc, & similia verba intelligi debeant de omnibus Ecclesijs particulariter sumptis, de omnibus Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis, à quorum judicio ad Romanum Pontificem appellare licet, ita, ut nemini appellare permissum sit ad judicium alicujus ex ipsis à sententia Romani Pontificis, qui ipsorum superior est, non quidem, quando adunati sunt in Concilio, Universalem Ecclesiam repræsentante, sed quando particulariter sumuntur.* Hæc tamen responsio adeò infirma est, ut Lector nonnisi oculis indigeat, ad falsitatem illius ex Actis Concilij detegendam. Non enim agebatur à Legatis Poloniæ de Episcopis particulatim sumptis, sed in Concilio adunatis. Appellare volebant non ad Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos toto orbe dispersos, sed in Concilio Universali

sali congregatos. Cùm autem horum occasione editum fuerit à Martino V. Decretum de non appellando à Romani Pontificis judicio, ut ipse D. Maymbourg fatetur, quâ ratione negare potest, supradicto Martini Decreto prohibitam fuisse appellationem ad Generale Concilium?

Verba illius Pontificis nimis manifesta sunt, quàm ut in dubium revocari possint: *Nulli fas est, à supremo judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare.* Appellationem à Romano Pontifice interdicit Martinus V. & rationem quoque adjungit, quòd nimirum Pontifex sit Jesu Christi in terris Vicarius, adeoque Divinitus ovili Ecclesiæ præpositus, & *supremus*, ut vocat ibidem, *Judex* constitutus. Hæc sunt verba, quibus clariora desiderari non possunt, & quæ adeò Joannis Gersonij scriptis adversa sunt, ut erroris ea convicerint, ac Authorem in interpretandis *Sessionis V.* Decretis longè à Martini V. mente hucusque alienum fuisse, monstrârint. Neque id latuit Gersonium, qui Tractatum: *Quomodò, & an liceat à Summo Pontifice appellare?* contra Martini constitutionem edidit, & Decretum illud Pontificium ex adverso cum Synodalibus constitutionibus anno 1415. sexto Aprilis Constantiæ editis pugnare, totis viribus probare contendit.

Cùm autem Synodales constitutiones illæ, sint ipsa duo priora Decreta *Sess. V.* de potestate Ecclesiastica sinè communi deliberatione, contra protestantibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus, edita, & Ioannes Gersonius ea de superioritate Concilij intellecta, per Martini V. constitutionem infirmata fuisse, clariùs probaverit, quàm ut ipse D. Maymbourg id pertinaciter negare ausus sit, adjungit Author iste: *Quòd si D. Schelstrate, his non obstantibus, velit, quòd Martinus V. hâc constitutione condemnet, & absolutè prohibeat omnem appellationem ad Universale Concilium, respondebitur ipsi sinè ulla difficultate, quòd etiamsi ita esset, constitutio illa nullam vim sortiretur, quia facta non fuit Conciliariter, neque sacro approbante Concilio, neque cum consensu Ecclesiæ, quæ nunquam voluit, in omni casu prohibitam esse appellationem à Papa ad Concilium.* Verùm quàm vanum sit hoc effugium, vel me tacente, quisque facilè percipiet. *Constitutio illa*, inquit D. Maymbourg, *facta non est Conciliariter, neque sacro approbante Concilio.* Sed quid inde? Sequitúrne ex eo, constitutionem illam à Martino V. factam non fuisse, vel Decreta *Sessionis V.* ab eo non fuisse reprobata? Constitutio in Consistorio publico die 2. Martij anno 1418. præsentibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, à Martino V. Constantiæ edita fuit, cùm omnes Patres in eadem Civitate aderant, qui in nulla ex sequentibus Sessionibus se Martini Decreto opposuerunt, quin potiùs illud ipsum Actis *Sessionis XLV.* inseri passi sunt. Cùm enim *Sessione XLV.* finis imponendus esset Concilio, & Oratores vidissent, nihil circa damnationem libri Ioannis à Falckenberg ibidem publicandum fore, *rem novam Legati Regis ausi sunt*, inquit Martinus Cromerus Warmiensis Episcopus *lib. 18. de gestis Polonorum, ad futurum Concilium, quod in decimum annum indicetur, provocárunt.* Agunt de hâc appellatione Acta Concilij tam edita, quàm inedita, omnium autem fusissimè Protonotarij Constantiensis Concilij in compilatione à se factâ, in qua referunt, quòd, cùm *nonnulli multum dicerent, & tumultum facerent*, Martinus V. impositio omnibus silentio, dixerit *respondendo ad prædicta, quòd omnia, & singula Decreta Constantiensis Concilij approbabat, & ratificabat, quæ in materia fidei* Conciliariter *statuta erant, non autem aliter, neq; alio modo.* Quo responso prudentissimus ille Pontifex, ut ostendimus *suprà*, significabat, quænam Decreta confirmabat, quæ authoritate Apostolicâ probare nolebat. Ac de Decreto inprimis contra propositionem Ioannis Parvi Constantiæ edito, quod Martinus in Bullâ suâ confirmatoriâ omiserat, & contra quod Ioannes à Falckenberg in famoso suo libello apertè sentire visus erat, satis, superque ostendit, illud ipsum à se probari, ac confirmari, quia *Conciliariter* in materia fidei concluſum, determinatum, & statutum erat. De ipso autem libello non solùm hâc crudelissimâ hæresi, sed multis quoque alijs erroribus referto, ob quos sacrum Cardinalium Collegium, & omnes Nationes illum damnârant, & in Sessione publicâ damnandum statuerant, clarè ostendit, sese Decretum Nationum, & Collegij Cardinalium noluisse in authoritatem admittere. Unde cùm Paulus Voladimiri unus ex Oratoribus Polonis vellet prosequi appellationem, eamque ex quadam cedula legere cœpisset, *fuit ipsi* per D. Augustinum de Lance Fiscalem & Advocatum Consistorialem *de mandato Domini nostri Papæ, ut idem Augustinus asseruit, ibidem coram eodem Domino nostro stanti impositum silentium sub pœna excommunicationis, quo quidem silentio impositio, idem Paulus tacuit &c.* Hæc ipsius Constantiensis Concilij Protonotarij in Actis publicis, ex quibus *inprimis* patet, Martinum V. se superiorem ostendisse Collegio Cardinalium, & cunctis Nationibus, sanctum Constantiense Concilium integrantibus. *Secundò* patet, se superiorem fecisse Patribus non solùm *seorsim*, sive *Nationaliter*, & extra Sessionem publicam, sed etiam simul, sive in Sessione *Conciliariter* statuentibus: Martinus enim appellationem à Sedis Apostolicæ judicio ad Concilium Universale prohibens, ne quidem judicio conciliari se subjectum ostendit, quinimò, teste Gersonio, Romanum Pontificem pro supremo in materijs fidei judice, à quo ad Concilium Universale appellare non licet, palàm asseruit. Unde *Sessione XLV.* Polonis appellationem à judicio suo ad futurum Concilium interponere volentibus non solùm obstitit, sed quod caput est, in ipso Constantiensi Concilio, in Sessione publica, coram sacro Cardinalium Collegio, & cunctis Nationibus appellationem Polonorum reprobavit, & silentium ipsis sub pœna excommunicationis imposuit, & prætermissâ damnatione libelli Ioannis à Falckenberg, finem Constantiensi Concilio, quod post trium Obedientiarum unionem universale evaserat, imposuit.

65. Quòd itaque Martinus V. à tribus Obedientijs in legitimum Pontificem electus, nunquam approbârit Decreta *Sess. V.* de superioritate Concilij intellecta, sed ea illo sensu improbârit, ac infirmârit, colligitur ex Actis & Gestis Concilij, quorum fidem in dubium revocare non licet, & probatur ex Scriptore coætaneò Ioanne Gersone, cujus testimonium Ecclesiæ Gallicanæ suspectum esse nequit. Ex hoc enim Authore toties à D. Maymbourg laudato, toties Sedis Apostolicæ authoritati oppositio, constat, quòd Martinus V. declarans, illicitum esse à Sedis Apostolicæ judicio appellare, improbârit Decreta *Sess. V.* de superioritate Concilij intellecta. Probat id Gersonius in Tractatu, *An, & quomodò appellare liceat?* ubi Decretum Martini *de non appellando*, hanc ob causam totis viribus impugnat. Cæterùm non Concilij, sed Sedis Apostolicæ authoritas suprema est in terris, utpote ad quam etiam à Concilijs appellare, teste Gelasio I. semper permissum fuit, & à quâ ne quidem ad Concilium, teste Martino V. appellare unquam licebit. Romanus igitur Pontifex tanquam supremus Ecclesiæ Iudex potestatem habet, supra quam in terris Christus Dominus nullam aliam constituit. Hæc Martini V. mens est, hoc judicium, hæc sententia, Actis ipsis inserta: ita ut, si Concilium Constantiense, juxta interpretationem Basileensium, hactenus fuerit Ecclesiæ Gallicanæ Palladium, juxta sensum Martini V. futurũ sit supremæ authoritatis Apostolicæ præsidium & propugnaculum.

§. V.

Corollarium finale totius præsentis Articuli.

66. EX dictis infertur; Quo in censu habenda sit *secunda* Cleri Gallicani propositio *in initio præsentis articuli* relata. Nam *primò*, dum Cleri Gallicani declaratio fatetur: *Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicarys rerum spiritualium plenam inesse potestatem*, disquirere hinc licet, quomodò hæc Christi vicariæ potestatis plenitudo subsistat, nisi dicatur protendi super quocunque *Morali* ad regnum cælorum ordinabili? In ejusmodi autem *moralitatis* indefinitâ sphærâ nunquid sunt etiam decreta *Conciliaria*, siquidem *moralia* sint, etiam post sui ex authorizatione Pontificiâ confirmationem, secundùm rerum exigentias mutabilia, si verò sint dogmatica, eatenus post sui ex charactere Pontificiæ authorizationis confirmationem obtinent consummatæ in fide infallibilitatis, Primam adeò Veritatem *authoritativè* applicantis certitudinem, ut ipse etiam Pontifex ob ejusdem Primæ Veritatis eisdem taliter applicatæ, summam reverentiam teneatur ad eorum assensum: attamẽ antecedenter ad eorum ex Pontificiæ authorizationis accessu confirmationem, noscitur in eo adhuc versari statu, ut super ejusmodi *Conciliaribus* decretis comprobandis adhuc protendatur Pontificia authoritas, atque ex hac super quodcunque ad regnum cælorum in terris ordinabile *Morale* protensione mensuranda est illa Vicariæ Christi in Summo Pontifice potestatis plenitudo, quam ipse etiam Clerus Gallicanus est professus, haud profectò subsistituram, nisi protenderetur super omni *Conciliari* decreto. Ex vi cujus adeò protensionis non Concilij supra Papam, sed hujus supra Concilium quà *acephalicè* spectatum, superioritas asserenda est.

67. *Secundò* Clerus Gallicanus in prædictâ declaratione suâ Synodum Constantiensem vocitans Oecumenicam, rogatur, ut edoceat nos, quem Synodus illa fuerit à Christo sortita characterem in statu illo, quo contrariam se exhibuisset erga supremam Papæ etiam futuri authoritatem, dum cæteroqui pro statu *IV. ac V. Sessionis*, nonnisi dubium ac incertum Pontificem habuerat? Si expendatur totum Evangelium, præcipuè *18. Matthæi caput*, nullus reperiri potest apex, per quem norma Oecumenici Concilij constitui valeat, nisi ex Christi nomine Vicario, Apostolicoque adeò charactere soli Papæ extra Concilium proprio, nec intrà Concilium quoque aggregatis Ecclesiæ Præsulibus promisso, nisi isti sub Christi nomine Vicario, Papatûs proprio, sint aggregati. Quo fundamento sic constituto, quâ ratione dicere licet, Constantiensia *IV. ac V. Sessionis* decreta fuisse Oecumenica, nisi *materialiter* ac *dispositivè*, quatenus habebant ordinem tendentiæ ad certum Papam, mediante Synodo illâ in hunc finem institutâ, obtinendum, ex quo character Oecumenicus accederet illis decretis. At in ordine ad hunc characterem oppositus fuit obex manifestus, si decreta illa ultra ordinem extirpandi schismatis, certique Papæ Ecclesiæ sanctæ præficiendi, extenderentur supra futurum indubitatum Pontificem. Sub cujusmodi adeò ad schismatis tempus coarctatione, atque ad certum Papam sufficiendum ordine, Concilium Constantiense, quamdiu intrà hos subsistebat limites, poterat quasi *materialiter* ac *dispositivè* dici Oecumenicum. At sub illa supra certum Papam protensione, præallegata de Conciliorum Generalium authoritate decreta, neque à Sede Apostolicâ esse comprobata, neque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, neque ab Ecclesia perpetuâ religione custodita, sed econtrariò potiùs reprobata fuisse, constat ex fundamentis antehac deductis, in vi quorum Gallicana Ecclesia immeritò videtur improbare illos, qui eorundem decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minùs approbatæ, robur infringunt, quatenus ultra tempus schismatis ergà certum etiam, ac indubitatum Papam protenduntur, sub apertâ etiam contradictione adversùs Regem Galliæ, ejusque Oratores intrà Florentinum sub Eugenio IV. & Lateranense sub Leone X. celebrata Concilia professos, Papam Synodo etiam Generali *acephalicè* spectatâ superiorem esse; velut *in antecedentibus* ostensum fuit.

FINIS ARTICULI SECUNDI.

SUMMA
SECUNDI ARTICULI
DE
PAPAE ET CONCILII
quoad
SUPERIORITATIS
PRÆROGATIVAM INTER SE COMPARATIONE,
UNA CUM REFUTATIONE
DISSERTATIONIS VI. A PRÆTACTO
LUDOVICO ELLIES DU PIN
EDITÆ, AD PROBANDAM CONCILIJ SUPER PAPA SUPERIORITATEM.

ARTICULUS II.

De superioritate Papæ supra Concilium, vel econtra.

1. CLerus Gallicanus in præinsinuato Conventu Parisiensi, hanc tulit declarationem: *Sic autem inest Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plena potestas, ut simul valeant, atq; immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsóque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia perpetuâ religione custodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione 4. & 5. continentur. Nec probantur à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minùs approbatæ, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorquent.*

2. Non desunt ex Auctoribus novissimè scribentibus adversùs hanc Cleri Gallicani declarationem, qui aliquam in ea contradictionem animadvertant. Quomodò enim, inquiunt, Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plena inest potestas, si etiam extra tempus schismatis, subijciantur Concilio Generali? *Pag. 208. col. 2. n. 1.*

3. Verùm Auctor *Inextinctæ sacri Concilij Tridentini Veritatis* talem facit reflexionem. Constat, inquiens, ex ipsismet ejus Gallicani Articuli verbis, non esse difficultatem in his, quæ sunt *iuris*, dum decreta illa dicuntur non aliter immota subsistere, nisi quatenus approbata sunt à Sede Apostolicâ, ipsóque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata fuêre. Quare tota difficultas versatur in hoc, quod est *Facti*, an scilicet decreta illa ita se extendant ultra schismatis tempus, *ut quoad istam extensionem*, obtineant robur & approbationem Sedis Apostolicæ, utpote per cujus characterem, Christi in Concilio *vicariè* repræsentativum, Synodus Oecumenica infallibili Spiritûs sancti assistentiâ munita, *formaliter* subsistit?

Hâc equidem dicti Auctoris reflexione pro nunc habitâ in suspenso, præsentis difficultatis accuratiorem disquisitionem summariè faciemus per sex capita, in quorum primo *quæstionis hujus quasi centrum eruetur, ex naturâ Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatûs essentiâ.* In *secundo* capite ex sacris Litteris, & testimonijs Conciliorum generalium, & actis historiarum Ecclesiasticarum discutietur *vel Papæ supra Concilium, vel Synodi Oecumenicæ supra Papam superioritas*, ubi etiam examinabitur; *Vtrùm à Concilio ad Papam, vel econtra à Papa ad Concilium detur appellatio.* In capite *tertio* expendentur decreta Concilij Constantiensis *Sess. 4. & 5.* edita *circa Concilij superioritatem.* In *quarto* capite elidentur Ludovici Ellies Doctoris Parisiensis argumenta, *quibus probare nititur Concilij supra Papam superioritatem.* In *quinto* capite diluentur dicti Elliesij exceptiones, quas opponit fundamentis ostendentibus *Papæ supra Concilium authoritatem.* In *sexto* capite discutientur, quæ idem Elliesius digessit circa *præinsinuata Concilij Constantiensis Decreta.* 4.

Caput I.

Præsentis quæsiti centrum eruitur ex naturâ Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatûs essentiâ.

1. AUctor *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 1. n. 2.* sequentes tres conditiones Concilij Oecumenici adstruit. *Prima* est, ut Summi Pontificis mandato, vel approbatione fiat Concilium. *Cap. 1. 2. ac sequentibus. dist. 17. Secunda* est, ut Concilio Pontifex per se, vel Legatos suos interfit. *Cap. 2. & 6. cit. dist. 17. Tertia* est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, nec nullus Episcopus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur: alioquin Concilium non erit Generale, sed tantùm Provinciale, vel Nationale; uti colligitur ex *capitulo 9. dist. 19.* Ubi tamen universi Episcopi Catholici fuêre vocati, licèt pauciores compareant, definiendi tamen auctoritas manet penes præsentes, juxta Christi Domini promissum *Matth. 18. ubi duo, vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum.* Quare non tam numerus Episcoporum facit Concilium Generale, quàm jus omnibus factum, suis votis concurrendi ad decreta Synodi Oecumenicæ. Quas proinde Concilij Oecumenici *substantiales* conditiones expendere, opportunissimum erit ex illius ratione *quidditativâ*, ac definitione *essentiali*.

Pag. 213. n. 23. ac seq.

§. I.

Ratio quidditativa *Concilij Oecumenici optimè reducitur ad hoc punctum, quòd* sit repræsentans universam Ecclesiam.

2. ADhoc intentum probandum, *primò* non parum deservit, quod D. Augustinus *Epist. 164.* ait, ordinem Episcoporum Romanorum, verè & salubriter numerari ab ipso Petro, eò quòd huic *totius Ecclesiæ figuram gerenti*, Dominus dixerit, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nunquid enim per hoc clarè dicitur Petrus, utpote totius Ecclesiæ figuram gerens, esse *repræsentativè tota Ecclesia?* Nunquid illa Christi verba ad Petrum, cum ordine ad Ecclesiæ, à portis inferi nunquam superandæ, statum perpetuum, prolata, contingunt quoque Petri Successores, adeò ut in his, nempe quovis legitimo Romano Pontifice subsistat jam illa prærogativa, secundùm quam sit totius Ecclesiæ figuram gerens, seu repræsentans universalem Ecclesiam. Num verò hinc inferre licet, illum Concilij Generalis titulum, quòd *sit repræsentans universam Ecclesiam*, derivari ex charactere Pontificiæ Christi Vicariæ auctoritatis, ceu formâ *essentiali* Concilij quà Oecumenici?

Pag. 214. n. 28.

3. Ad hujus posterioris quæsiti resolutionem pro *secundo* perquàm accommoda est sequens distinctio. Nempe cùm Ecclesia sit unum corpus Hierarchicum, utique non *acephalum*, ideo in ejus Capite repræsentatur universa Ecclesia, quoad plenitudinem Vicariæ à Christo acceptæ potestatis, cujusmodi tamen auctoritas derivatur *participativè* in quarumlibet particularium Ecclesiarum, ceu unius corporis Hierarchici membrorum, Episcopos. Unde in hujusmodi corpore Hierarchico eatenus est repræsentatio totius Ecclesiæ *quoad potestatem gubernativam*, ut in Summo Pontifice sit tanquam in Capite, in reliquis autem Episcopis, tanquam membris illi Capiti subordinatis. Si proinde Caput cum membris in Concilio Oecumenico conveniat, tunc *absolutè* dicere licet, ejusmodi Synodum repræsentare universam Ecclesiam, ceu corpus politicum, sive mysticum, constans ex capite & membris Hierarchicis huic subordinatis. Si verò (dum præsertim Ecclesia est Capite destituta) Episcopi ex universa Ecclesia congregentur in Concilium, tunc in hoc est Ecclesia *repræsentativè*, non *absolutè*, sed cum addito *tacitè* saltem subintellecto, nempe *quoad corpus acephalum*: ipse verò Summus Pontifex ita dici potest totius Ecclesiæ figuram gerere, seu repræsentare universam Ecclesiam, ut *tacitè* subintelligatur ista repræsentatio convenire Papæ in virtute Capitis, seu Vicariæ Christi auctoritatis.

Ibi n. 29.

Huic distinctioni conformiter, oportet, pro *tertio* discernere inter Concilij Oecumenici seu Heneralis *materialem* & *formalem Generalitatem.* Ad illam equidem requiritur, ut evocatio Episcoporum ad Concilium sit generalis, ita ut nullus prætereatur, seu ex quacunque orbis parte ad Synodum adveniens citrà causam legitimam excludatur: tametsi, quando plerique etiam Episcopi sponte suâ abessent à Concilio universis Præsulibus indicto, adhuc subsistere posset illa *materialis* generalitas; juxta illud Christi Domini *Matth. 18.* asseverantis de Concilio Oecumenico, si *vel duo, vel tres in Nomine suo fuerint congregati, se fore in medio eorum.* Nunquid enim Concilium Hierosolymitanum, cui auctoritate suâ Apostolicâ præerat Petrus, erat Oecumenicum, ad quod tamen haudquaquam vocati sunt universi vel Apostoli, vel etiam Episcopi, per orbem tunc dispersi? Imò verò, si Concilio huic defuisset *materialis* generalitas, an propterea censendum non esset inter Generalia Concilia? Nam quia denominationes fieri solent ex formâ, nõ ex materiâ, nunquid Oecumenica, nempe Apostolica Petri auctoritas huic Synodo tribuebat suam *formalem* generalitatem, ex qua meritò dicendum sit generale?

4. *Pag. 213. n. 26.*

Econtra pro *quarto*, uti constat ex *tomo 1. Concilior. circa initium*, ultra illud Hierosolymitanum Concilium plures adhuc celebratas esse ab Apostolis Synodos, quarum uni alterive præcipuè extra Hierosolymam celebratæ, non potest *demonstrativè* ostendi, quòd Petrus interfuerit. Anne igitur, si Petri præsentia non interveniisset, sed Pauli, negare fas esset, talem Synodum Apostolicam fuisse Oecumenicam? Nunquid enim Paulus *Nomen Christi* ita præferebat coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel, ut ipsius Apostolica auctoritas esset generalis & Oecumenica? Quomodò igitur fieri potuisset, ut Concilio illi non importaret *formalem generalitatem* absque interventu Apostolicæ Petri auctoritatis? Quandoquidem igitur

5. *Ibidem n. 27.*

igitur illa Christi Domini verba *Matth. 18.* ad Apostolos *universim etiam collectim*, eorumque adeò Successores, in Concilio aggregatos, prolata: *Quidquid alligaveritis, & quidquid solveritis &c.* ita importent Apostolicam, atque adeò Oecumenicam auctoritatem, ut hæc etiamnum perduret in Synodis generalibus, quomodò generalitas illa *formalis* non æquè subsisteret in Concilijs generalibus absque interventu Petri per reliquos Apostolos celebratis? Imò ubi 6. Concilium aliquod generale nomine Christi, seu Vicariâ Christi auctoritate fuit semel aggregatum, quomodò non jam ex se ipso, dum Summus Pontifex manum suam ab illo retraheret, illam absolutam & generalem ligandi & solvendi potestatem per Christum Concilio Oecumenico repromissam retineret? Atque in hoc se tenet centrum præsentis difficultatis: quod priusquàm penetremus, sequentia præmittere, oportet.

7. Pro *quinto* igitur lubeat hîc obiter expendere, *quomodò tum Constantiense, tum Basileense,* Cit. pag. 214. n. 30. *tum novissimum Tridentinum Concilium dici possit generale ac Oecumenicum, repræsentans universam Ecclesiam?* Nempe Concilium Constantiense, dum nullus etiam erat certus Papa, fuerat in statu tendentiæ ad certum aliquod Ecclesiæ Caput constituendum. Quemadmodùm enim Corpus organicum etiam pro *priori*, formæ rationalis informationem *antecedente*, jam verè dici potest humanum, non quidem *absolutè*, sed cum *tacito* saltem addito *dispositivè & materialiter*; sic Synodus conflata ex totius orbis Christiani Episcopis, non adhuc equidem informata charactere Vicarij *nominis Christi*, subsistens tamen sub tendentiâ ad Vicariam Christi auctoritatem intrâ suum gremium recipiendam, ut ab ea ceu forma sua *essentiali* perficiatur, jam dici potest *materialiter* Oecumenicum, repræsentansque universam Ecclesiâ, cum *intrinsecâ* habitudine ad *formalem* quoque *characterem* Vicariæ totam Ecclesiam *supereminenter* repræsentantis potestatis Apostolicæ, eatenus recipiendum, ut ex tunc *absolutè* appellanda sit Oecumenica, repræsentans universam Ecclesiam. Atque hoc modo habuit se generalis Synodus Constantiensis.

8. Econtra Synodus Basileensis, quantumvis à Summo Pontifice convocata, erat primitus Oecumenica; ex quo tamen legitimus Papa Apostolicæ auctoritatis suæ characterem ei subtraxit, cùm non tantùm non esset in dispositione ad eum recipiendum, sed per schisma à semet introductum, esset in dispositione contrariâ; ne quidem *materialiter* poterat ex tunc dici Oecumenica, seu repræsentans universam Ecclesiam, quippe cùm de essentiâ materiæ sit aptitudo ad formam sui perfectivam: ejusmodi verò ad Apostolicæ Christi Vicariæ auctoritatis formam recipiendam aptitudinis expers prorsus facta sit illa Basileensis Synodus, ex quo per schisma se avulsit à legitimo Pontifice. Ibi n. 31.

9. Denique extra omne dubium est, sacrum Concilium Tridentinum tam *materialiter*, Ibidem quàm *formaliter* fuisse generale ac Oecumenicum. Sed hîc mirari quis posset, cur abstinere voluerit illo magnifico titulo, *repræsentans universam Ecclesiam?* Verùm hujus ratio erat æquivocatio, quæ latêre poterat sub tali titulo, quo Concilium Constantiense utebatur, dum nullus adhuc erat certus Papa, nec adeò pro tunc informabatur Christi Vicario charactere ceu nomine, *essentiali* Concilij Oecumenici formâ: Synodus verò Basileensis per schisma à Summo Pontifice avulsa iniquè usurpabat ejusmodi titulum: à quo proinde Patres sacrosancti Concilij Tridentini consultius ducebant, abstineri.

§. II.

Concilium Oecumenicum rectè definitur Conventus Episcoporum ex toto Christiano orbe convocandorum, in paucissimo licèt numero comparentium, Apostolicâ, Christi Nomen *præferente, auctoritate informatus.*

PRimò in hac definitione sub *Christi Nomine* venire auctoritatem Apostolicam, evincitur etiam ex *Actorum cap. 9. v. 15.* ubi Dominus de Saulo ad se converso dixit Ananiæ: *Vade, quoniam vas est electionis, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filijs Israel.* Hisce namque verbis Christus Saulum sibi elegit in Apostolum, qui tanquam Legatus portaret *nomen suum.* Sub hoc igitur Christi *Nomine* intelligitur auctoritas Apostolica, Paulo destinata, ut, quemadmodùm Legatus cujuspiam Regis portat hujus nomen, quatenus ex commissione Regiæ auctoritatis in se transfusæ, peragit negotia sibi à Rege demandata; sic quia Apostoli, ipsomet Paulo attestante, *pro Christo fungebantur Legatione*, ideo portabant *nomen Christi*: sicque sub ipso Apostolicæ auctoritatis charactere præfertur *Christi nomen.* 10. Pag. 214. n. 32.

Istud proinde *Nomen Christi* Apostolicæ auctoritatis characterem denotans, est forma Concilij Oecumenici per Christum sancita sub illis Christi Domini verbis *Matth. 18.* exaratis: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At verò character auctoritatis Apostolicæ, postquam Apostoli ex Ecclesiâ militante sunt translati in triumphantem Ecclesiam, in nullo alio de facto existit, quam in Romano Pontifice. Quia igitur *Nomen Christi*, sub cujus charactere subsistit forma Concilij Oecumenici, importatur in auctoritate Apostolicâ, soli Petri Successori jam competente, idcircò absque hujus ceu formæ *essentialis* interventu, nequit ullum jam excogitari Concilium Oecumenicum. 11.

Prò *secundo* excipiet fortassis nonnemò: 12. Episcopos esse Successores Apostolorum. Si ergo conveniant in unò generali Concilio, Pag. 215. n. 33. & 34. istud jam ex ipsis præferre characterem Apostolicæ auctoritatis, sicque portare *Nomen Christi*, possèque adeò constituere Concilium Oecumenicum.

Verùm quis Catholicorum dicere ausit, 13. singulis Episcopis competere Jurisdictionem Oecumenicam, se extendentem ad universum Orbem Christianum; quæ extensio propriè est ad-

est auctoritatis Apostolicæ? Succedunt Episcopi Apostolis, quoad *partem duntaxat Iurisdictionis* Ecclesiasticæ, licèt *quoad Ordinem consecrationis Episcopalis* meritò dicantur Apostolorum Successores, quatenus scilicet eodem cum Apostolis potiuntur charactere Ordinis Episcopalis. In quo equidem charactere importatur *radicalis* quædam spiritualis erga Christianos sibi per Papam designandos Iurisdictionis exigentia, non ineptè dici solita *radicalis* Iurisdictio, quæ tamen minimè reduci potest in *actualis* Iurisdictionis statum, nisi ex Summi Pontificis concessione; veluti D. Thomas *4. contra Gentes cap. 74. ratione 41.* eleganter nos edocet, *Christum specialiter promisisse Petro: tibi dabo claves Regni Cælorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem.*

14. Pro *tertio* replicabit aliquis. Non solum Petrum, sed universos Apostolos contingere illa Christi verba *Matth. 18.* prolata *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis.* At hisce verbis contineri Oecumenicam Apostolicæ auctoritatis potestatem. Et licèt ipsissima illa verba, quatenus contingebant Apostolos *singillatim* spectatos, designârint in ipsis Apostolicam auctoritatem per *modum Legationis*, cum ipsorum personis connexæ, nec adeò transferibilis in Episcopos ceu Successores ipsorum. Nihilominùs eadem Christi verba noscuntur ex sacro contextu, prolata ad Apostolos etiam *collectim* sumptos, sive in nomine Christi congregatos, sicque Concilium Oecumenicum conficientes, ut sic autem auctoritas illa Oecumenica eatenus persistit sub perpetuo Ecclesiæ statu, ut consequenter competat etiam Episcopis in unam Synodum Oecumenicam aggregatis. Quòd si ergo ista aggregatio semel facta sit *in nomine Christi*, sive Vicariâ Christi potestate, an non ex tunc Episcopi taliter congregati eatenus præferunt characterem Apostolicæ auctoritatis, distinctæ ab Apostolicâ Romani Pontificis auctoritate?

15. Verùm pro *quarto* lubens concedo, Concilio Oecumenico competere auctoritatem Apostolicam illis Christi Domini verbis *Matth. 18.* designatam, & Apostolis *collectim*, adeoque Synodo Oecumenicæ collatam, ut sic distinctam à Summi Pontificis Apostolicâ auctoritate. Nihilominùs *infrà sequenti §. 3.* demonstrabitur, eam Concilij Oecumenici auctoritatem Apostolicam minimè subsistere, nisi quâ *indivisim* conjunctam cum Apostolica Petri Successoris auctoritate, nec adeò consistere posse Concilium Episcoporum, ex toto etiam orbe Christiano aggregatorum in statu Oecumenicæ Synodi, ubi id est avulsum ab unione sui cum Apostolicâ Papæ auctoritate.

16. Videtur pro *quinto* instari posse: Quòd Episcopi etiam *singillatim* sumpti præferant characterem Jurisdictionis à Christo, seu Spiritu sancto *immediatè* acceptæ, juxta illud Pauli *Actorum 20.* dicentis, *Episcopos esse positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei.* Hinc enim videtur evinci ab ipsomet Spiritu sancto, adeoque divinitus convenire Episcopis potestatem gubernativam Ecclesiæ. Quidni ergo dixeris, si Episcopi ex universo Christiano Orbe conveniant, eos in tale Concilium importare *nomen Christi*, consistens in potestate gubernativâ Ecclesiæ?

17. Verùm illorum Apostoli verborum sensus salvatur, quatenus in ipsa Apostolicæ potestatis, quâ ordinariæ in Successores transferibilis, non nisi Petro concessæ, collatione ac institutione, suberat præceptum Divinum de Ordine Hierarchico Ecclesiæ instituendo, atque adeò de creandis Episcopis, vocandisque à Papa in partem suæ Pastoralis solicitudinis. Quare ex vi hujus Divinæ institutionis, *in actu quasi signato* spectatæ, cujus executio est Papæ Divinitus præcepta, verissimè dicuntur Episcopi Divinitus positi à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei: licèt *in via executionis*, quoad *actualem scilicet potestatis in Ecclesia gubernativæ exercitè faciendam collationem*, eatenus dependeant à Papa, Petri Successore, ut non nisi ex isto *secundùm viam potestatis ordinariæ*, ex cæteris autem Apostolis, *secundùm viam extraordinariæ duntaxat, & quasi personalis* (atque adeò cum ipsorum personis extinctæ) à Christo sibi *commissæ Legationis*, possit in quenquam Episcoporum esse, vel fuisse unquam derivata aliqua *actualis* Jurisdictio Ecclesiastica. Unde tantum abest, in Episcoporum, quantumvis ex toto Orbe Christiano confluentium, *materialiter generali* Conventu subsistere *Nomen Christi*, sive characterem Apostolicæ auctoritatis, quamdiu non intervenit Summi Pontificis Oecumenica auctoritas, seu Vicarium Christi nomen, ut proinde absque Papæ gratiosâ concessione, Episcopi ne jus quidem obtinere valeant, cum cæteris à Sede Apostolicâ jam confirmatis Præsulibus interveniendi Oecumenicæ Synodo.

18. Pro *sexto* urgebit fortassis aliquis. Cùm fateamur, in cæteris ultra Petrum, Apostolis, non quidem per viam *ordinariæ* potestatis, sed per viam *extraordinariam* personalis *legationis*, substitisse Apostolicæ auctoritatis characterem, in vi cujus intrà Ecclesiam portarent *Christi Nomen*; quidni Petro etiam non interveniente, potuisset à reliquis Apostolis celebrari Oecumenicum Concilium ex *Christi Nomine*, seu auctoritatis Apostolicæ charactere *formaliter* constitutum?

19. Verùm hoc etiam posito, cùm reliquorum ultra Petrum, Apostolorum auctoritas Apostolica, utpote se habens per *modum Legationis personalis*, exspirârit cum ipsorum personis; & firmum adhuc subsisteret, saltem pro statu præsenti, impossibile esse, quòd character Concilij Oecumenici *formaliter* constitutivus, absque interventu Petri Successoris, jam intercedere valeret. De quo puncto, veluti centro hujus difficultatis, agemus *in proximè subsequenti paragrapho.*

Pag. 221. n. 33.

§. III.

§. III.

Ingressuris centrum præsentis difficultatis, viam nobis aperit Evangelicus Matth. 18. cap. *exaratus sacer textus, sub hisce Christi Domini verbis.* Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum, vel duos. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.

20. PRimò igitur, ponendum est pro indubitato principio, quòd præadductus *Matth. 18. à v. 17. usque ad versum 20.* exaratus textus Evangelicus accipiendus sit de Concilio Oecumenico. Explicatur, argumenti exordium desumendo ex *versu 20.* in quo Christus pronuntiavit: *Ubi duo, vel tres in Nomine suo fuerint congregati, se in medio eorum fore.* Quis autem Catholicorum neget, hoc Domini verbum procedere de Concilio in *Nomine Christi*, id est, Vicariâ ejus auctoritate aggregato? At versus iste continet causalem particulam *Enim:* in vi cujus combinatur cum *proximè præcedente* versu, quo idem Christus asseveravit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Ipsissimus verò hic versus Evangelicus in vi particulæ *iterum* refertur ad Apostolos, quibus Christus *proximè præcedenti versu 18.* dixerat: *Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis, & quæcunque solveritis super terram, erunt vel ligata, vel soluta in cælis.* Quæ proinde Apostolicæ auctoritatis prærogativa promissa Apostolis *collectivè* sumptis, atque adeò in Concilio aggregandis, dici potest perpetua: quippe cùm ista solvendi & ligandi potestas *indefinita* Apostolis *universim* spectatis per Christum destinata, noscatur ex *proximè præcedentis 17. versûs* sacro contextu, habere connexionem cum Ecclesiâ, quæ ut sic dicit tum collectionem eorum, quibus à Christo est concessa illa solvendi potestas, tum per petuitatem statûs ad sæculi usque finem duraturi. Illa proinde Apostolis *universim* ac *collectim*, quâ unam Ecclesiam repræsentantibus, atque adeò in Concilio Oecumenico aggregandis promissa potestas, eatenus est perpetua, ut quoties fit collectio illorum, qui de ea solvendi potestate communicant, in tali Congregatione ceu Concilio, per Vicariam Christi auctoritatem convocato, Christique *adeò Nominis* characterem præferente; ultra Petri, ejusque Successorum propriam solvendi potestatem Apostolicam, sacro ejusmodi Cœtui, quâ universam Ecclesiam plenè repræsentanti, competat insuper peculiaris quæpiam solvendi & ligandi potestas Apostolica *immediatè* à Christo eidem impertita.

Pag. 222. n. 20.

Pro *secundo* imaginabuntur fortassis sibi adversarij, totum intentum suum stabiliri ex hoc fundamento. Si enim Episcopis in Concilio, ex Vicaria Christi auctoritate coadunato, indeque Oecumenico, competat *indefinita* solvendi & ligandi potestas, distincta à Petri, ejusque Successorum solvendi auctoritate, huic omninò compar: quidni dicere hinc liceat, fore consequens, quòd ubi Concilium fuit *Nomine Christi Vicario* congregatum, possit jam ex se ipso decernere, ac definire independenter à concursu illius, Petro, ejusq; Successoribus singulariter concessæ auctoritatis Oecumenicæ? Quidni rursus foret consequens, quòd oporteat quidem, ut Concilium sit Oecumenicum, esse aggregatum *in Nomine Christi*, nempe Vicariâ Christi auctoritate: qui character antecedenter ad Concilij convocationem in nullo alio, quàm Summo Pontifice, Petri legitimo Successore subsistens, omninò est necessarius, ut Concilium in primâ sui aggregatione sit legitimum ac Oecumenicum: attamen, ubi jam existeret Synodus tali modo coadunata, sicque characterè Oecumenico insignita, ex tunc ex seipsa *immediatè* à Christo eatenus obtineret auctoritatem Oecumenicam solvendi ac ligandi, ut auctoritate haud minor esset talis Synodus, quàm Pontifex Maximus, nec adeò per hunc dissolvi jam posset, dissentiente Concilio, indeque, quidquid statueret, habiturum vim & auctoritatem decreti Oecumenici? 21.

Quidni hinc denuò sequeretur, Synodum Basileensem non potuisse dissolvi ab Eugenio IV. atque adeò huic talem dissolutionem indicenti justè restitisse, utpote quæ ex se ipsâ, ubi Vicario *Christi Nomine* fuit semel aggregata, jam obtinuerat illam Apostolis *collectim* sumptis, seu in Synodo legitimè aggregatis promissam *indefinitam*, adeóque Apostolicam solvendi & ligandi auctoritatem? An non igitur Synodus illa sub ejusmodi Apostolicâ auctoritate Concilij Oecumenici propriâ, jam independenter à concursu Oecumenicæ Petro, ejusque Successori singulariter concessæ auctoritatis, erat verè Oecumenica? Quidni rursus hinc sequeretur, potuisse id Concilium vi illius characteris Apostolici, ubi pro tempore cogitaret sui solutionem, in futurum tempus à se determinandum, ex eadem auctoritate Apostolicâ indicere novum Concilium Oecumenicum, quin Papæ auctoritas Oecumenica, ad talis Concilij convocationem concurrere deberet? An non enim indictio Synodi taliter facta, atque adeò prima etiam ejusdem coadunatio jam obtineret characterem Apostolicum, sub quo, uti ex *Actis cap. 5.* patet, portatur Nomen Christi? Verùm isthæc universa, utpote aliena à praxi sacræ Ecclesiæ, prorsus rejicienda sunt, ex fundamentis mox deducendis. 22.

cit. pag. 222. n. 21.

Tertiò igitur. Pro indubitato equidem principio 23.

cipio præsupponendum est, illa Christi Domini verba: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis & solveritis super terram, erunt ligata & soluta in cælis*; connecti cum proximè præcedentibus: *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* At pro certo rursus principio tenendum est, quòd Ecclesia *absolutè* sumpta, importet Ecclesiam Universalem, à Christo elevatam ad statum Corporis hierarchici; constantis ex Capite, nempe Summo Pontifice, Petri Successore, & membris hierarchicis, nempe Apostolis, eorumque quoad *Ordinem* & *Iurisdictionem in eo radicatam* Successoribus, Episcopis, à Papâ vocatis in partem suæ Pastoralis solicitudinis. Quemadmodùm autem corpus humanum nequit subsistere ex capite & membris *figillatim* spectatis, sed quà inter se unitis: sic neque istud corpus hierarchicum Ecclesiæ universæ repræsentativum in suo perfecto statu consideratum, est intelligibile, nisi quatenus caput Ecclesiæ cum membris hierarchicis non jam *divisim*, sed *collectim* sumptis, est unitum.

Pag. 223. n. 22.

24. Ex eo quidem, quòd pars, quidquid est, totius est, fit consequens, ordinari ac reduci ad totum, quidquid parti convenit. Et hinc, si peccans denuntietur vel Episcopo, vel etiam Papæ, atque ab hoc fiat correctio; sequitur manifestè, tunc & denuntiationem Ecclesiæ & correctionem ab Ecclesiâ fieri: nihilominùs quia in illo sacro textu *absolutè* ac *simpliciter* fit per Christum mentio Ecclesiæ in Apostolis *collectim* sumptis repræsentatæ, ac *indefinitâ* ligandi ac solvendi potestate munitæ, oportet, sub hac *ut sic*, & *principaliter* intelligi totum Corpus Ecclesiæ hierarchicum, quà unitum in Concilio Oecumenico. Eo ipso igitur, quòd Sacer ille contextus, de Apostolicæ solvendi potestatis plenitudine pronuntians, connectatur cum versu *proximè præcedenti*, in quo *principaliter* est sermo de Ecclesiâ *simpliciter* & *absolutè* sumptâ, quatenus est Corpus hierarchicum ex Capite ac membris hierarchicis non jam *divisim* spectatis, sed quà unitis, atque adeò in Concilio Oecumenico coadunatis *substantialiter* constitutum: idcircò illa *indefinita* ligandi & solvendi auctoritas Apostolica per Christum promissa cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, in Apostolorum Successoribus nullatenus locum habere potest, nisi quatenus constituunt unum Corpus Hierarchicum Ecclesiæ, *substantialiter* constans ex Capite, Petri Successore, reliquisque Hierarchicis membris, Episcopis ac Ecclesiæ Prælatis non quà *singillatim* sumptis, sed quà cum Capite unitis in uno Concilij Corpore hierarchico, ut sic perfectè ac plenè repræsentante Universam Ecclesiam.

25. Ex deductis principijs subsumendo pro *quarto*, licet ulteriùs hunc in modum argumentari. Nempe veritatis æquè indubitatæ principium est; quod Christus promisit Apostolis, *collectim* sumptis, eorumque Successoribus, quà Ecclesiam universalem in uno Corpore Hierarchico repræsentantibus, sicque adeò in Concilio Oecumenico inter se, & cum Capite unitis, id nullatenus habere locum extra statum talis unionis, seu in Concilio Oecumenico coadunationis. Quemadmodùm singula quidem humani corporis membra sunt organa diversa ad varias functiones per naturam ordinata, nullam tamen exercere valent operationem vitalem, nisi quà unita manent in uno corpore humano. Cùm igitur prætacta auctoritas Apostolica, quà ad perpetuum statum Ecclesiæ relata, ex Christi Domini ordinatione non aliter competat reliquis ultra Petrum Apostolis, eorumque adeò Successoribus, nisi quatenus constituunt unam Ecclesiam hierarchicam, *absolutè* & *simpliciter* in statu perfecto consideratam: hæc verò Ecclesiæ hierarchicæ substantia requirat unitatem membrorum hierarchicorum *collectim* sumptorum, inter se & cum Capite Ecclesiæ, Papâ, non nisi in Concilio Oecumenico coadunandorum, consequens est, illam Apostolicæ, (de quocunque ligando & solvendo) potestatis, pro perpetuo Ecclesiæ statu promissæ plenitudinis pollicitationem Divinam haud quaquam habere posse locum, antequàm fiat talis in Concilio Oecumenico membrorum hierarchicorum tum inter se, tum cum Capite coadunatio. Idcircò tali unione solutâ, ubi Caput, scilicet Romanus Pontifex, à Concilio (quantumvis primitùs fuisset legitimè congregatum) *Christi Vicarium Nomen*, seu auctoritatem capitalem suam retrahit, non potest tunc verificari, Ecclesiam hierarchicam in statu perfecto repræsentari à Synodo, nec adeò in eâ ex tunc obtinet illa Apostolicæ potestatis, Apostolis, quà unam Ecclesiam hierarchicam constituentibus, promissæ plenitudo.

Ex cit. pag. 223. dicto. n. 22.

Unde quia Apostolicus, *Christi Nomen* præferens, character desinit subsistere in Concilio quantumvis *materialiter* generali, postquàm auctoritas Papæ à Synodo legitimè antehac congregatâ se subtraxit: idcircò Concilium ex tunc factum acephalum, sicuti nequit universam Ecclesiam *integrè* repræsentare, sic ex tunc reddita est impotens, pro futuro indicere novum Concilium Oecumenicum: quippe cùm in tali Synodo jam acephalâ, defecerit *Nomen Christi*, seu character Apostolicus; sit autem *secundùm Christi institutionem*, de substantia Concilij Oecumenici, esse congregatum in *Nomine Christi*, importante characterem Apostolicum.

26. Theologica ratiocinatio proximè deducta pro *quinto* firmatur sequenti fundamento. Indubitatæ namque, ac ipso naturæ lumine conspicuæ veritatis est, quod duobus non nisi *collectim* & *unitim* sumptis convenit, non competere ipsis *seorsim* ac *divisim* spectatis: sic enim quia vox *homo* importat complexum, seu compositum ex corpore & animâ *unitim* sumptis, nequeunt prædicata hominis, quà ejusmodi compositi propria, convenire animæ separatæ. At vox *Ecclesia*, præsertim quatenus accipitur in perfecto Corporis hierarchici statu, est nomen *collectivum*, significans complexum seu compositum ex Capite & membris hierarchicis. Ut sic autem Christus Apostolis, quà unum Corpus hierarchicum constituentibus, sive

Pag. 224. n. 23.

sive quâ Ecclesiam repræsentantibus, promisit illam solvendi potestatis plenitudinem Apostolicam *Matth. 18. v. 18.* sancitam cum ordine ad Ecclesiæ perpetuitatem, in Successores adeò transferibilem. Nequit ergo illa Christi Apostolis, quâ unum perfectum hierarchicum Ecclesiæ statum conficientibus, sicque intrà Concilium Oecumenicum membrorum hierarchicorum cum Ecclesiæ Capite coadunativum, Universalem Ecclesiam plenè repræsentantibus promissa, Apostolicæ potestatis plenitudo locum habere, nisi in quantum subsistit talis Apostolorum seu Successorum collectio, & intrà Synodum Oecumenicam ex Apostolico charactere unicè subsistentem, unio plena & perfecta. Quòd si proinde vel solius Capitis character Christi Vicarius subtrahatur, prorsus jam deficit substratum illud, nempe ex Ecclesiæ Capite & membris hierarchicis compositum, cui ex Christi ordinatione superstruitur ille alter Apostolorum *collectim* sumptorum character Apostolicus, importans Concilij Oecumenici plenitudinem potestatis.

Hinc pro *sexto*. Si Apostolicæ potestatis Petro, ejusque Successoribus per Christum concessæ plenitudo conferatur cum plenitudine auctoritatis, Concilio Oecumenico competentis; non ineptè dicitur, se habere ad invicem, sicuti se habet anima separata ad totum hominem. Ubi namque anima est *in statu separationis*, habet plenam potentiam intellectivam & volitivam, quibus equidem potitur etiam *in statu unionis seu contractionis*, attamen cum aliquâ à corpore dependentiâ: potestque anima *in tali statu* exercere operationes sensitivas & vegetativas, cujusmodi actiones vitales *in statu separationis* nequaquam elicere valet. Sic proinde quæ universis Apostolis, quâ unum Ecclesiæ Universalis Corpus hierarchicum, in Concilio Oecumenico repræsentantibus, per Christum promissa fuit *indefinita* solvendi ac ligandi potestas, sub pari incircumscriptâ universalitate *Matth. 16.* promissa fuit Petro unà cum Clavibus regni cælorum: neque hæc divina Christi promissio ullam importat dependentiam à Concilio Oecumenico, sed *absolutè* ac *illimitate* facta est Apostolorum Principi, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò cum ordine successionis. Quemadmodùm igitur anima *in statu separationis* independenter à corporeis potentijs, habet plenam ac perfectam intelligendi facultatem, sic potestas ligandi & solvendi Apostolica in Petro, ejusque Successore, non est alligata ad Concilium Oecumenicum, quin independenter ab isto possit plenissimè exerceri.

29. Nihilominùs *septimò* ex vi ordinationis per Christum *Matth. 18.* sancitæ, Pontificia suprema auctoritas Oecumenica, nacta est aliquem *quasi contractionis & unionis statum, sub quo* cum reliquis Ecclesiæ membris hierarchicis, seu eorundem Caput coadunatur in unum integrum, Ecclesiæ Universalis plenè repræsentativum, Corpus hierarchicum. In quo mystico corpore locum habet illa Divina, *citato Matth. 18. cap. à vers. 17. usque ad 20. versum.* Christi promissio de tali Apostolicæ ad solvendum & ligandum auctoritatis *indefinitæ* plenitudine, quatenus hæc in suo exercitio debeat esse dependens à toto Ecclesiæ Corpore hierarchico. Necessarium proinde est, ut Corpus Ecclesiæ hierarchicum, ex Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis consistens cum Capite, & Caput cum membris hierarchicis in Concilio Oecumenico aggregatum, utrinque consentiat, quò sanctio dici possit *Conciliaris* seu *Synodalis*. Cujusmodi adeò definitionis Oecumenicæ quâ *Conciliaris* authoritas minimè subsistit, nisi *ex Duorum*, nempe & Capitis, & reliqui hierarchici Corporis consensu, Christo Domino *ibidem versu 19.* pronuntiante: *Si duo ex vobis* (nempe Corpus Apostolicum Ecclesiæ hierarchicæ *sub generalitate* quasi *materiali* repræsentativum, & Caput talis repræsentationis, quasi *Formaliter* perfectivum) *consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.*

tit. pag. 224. n. 24.

Hi enim Duo non *sigillatim* spectati, sed (uti ex sacro contextu patet) quâ unum Ecclesiæ Universalis repræsentativum, ac perfectum hierarchicum Ecclesiæ statum constituentes, non possunt aliquid aliud esse, quàm Caput Ecclesiæ, unà cum reliquo Apostolico seu hierarchico Corpore. Sub quorum adeò Duorum intrà Concilium Oecumenicum consensu, subsistit omnimoda per Christum promissa infallibilitas, ita ut, quamcunque rem, atque adeò dogmaticam fidei veritatem ex Verbo Dei eruendam, à Patre Æterno sibi petierint, ex Christi Domini assistentiâ per ipsum promissâ ipsis infallibiliter fiat. Quemadmodùm igitur anima *in statu unionis*, & *cum corpore contractionis* habet quasdam vitales functiones, quas *in statu separationis* haudquaquam exercere potest: sic lubeat jam scisciari, an potestati Pontificiæ, quâ intrà Concilium suâ Vicariâ Christi auctoritate informatum, cum reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico conjunctæ superveniat specialis aliqua prærogativa omnimodæ & consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis? 30.

Octavò igitur talis consummata circa dogmaticas definitiones infallibilitas, ex indubitato fidei principio, competit Synodo Oecumenicæ, ubi ex Apostolico Corpore *Duo*, nempe Caput cum reliquis Ecclesiæ hierarchici Corporis membris, ut sic Apostolorum Successoribus, sub Vicario *Christi Nomine* coadunatis, atque adeò *Duo* illi *collectivè* sumpti consenserint. Attamen quæstio haud facilis occurrit in præsenti, *an Petrus, ejusque successor etiam in statu quasi separationis, extra Concilium scilicet Oecumenicum, in suâ, Successorisque sui individuâ personâ potiatur auctoritate Divinitus constitutâ omnimodæ & consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis?* 31.

Pro parte equidem *affirmativâ* videntur mihi clarè & manifestè stare Christi verba, quæ *definitè* ac *determinatè* ad solum Petrum, ejusque Successorem *Matth. 16.* proferebat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ec-*

cleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. Quis enim adverſùs tam dilucida Chriſti verba, negare auſit, ijs contineri omnimodam in fidei dogmatibus definiendis infallibilitatem, cùm cæteroqui ſi Petro, ejusque Succeſſori aliquod fidei dogma definienti, ſubrepere poſſet error, quomodò portæ Inferi non prævalerent adverſùs talem Petrã, atque adeò Eccleſiam ſuper hãc Petrâ ædificatam? Quo tamen minimè attento, Schola Pariſienſis, & modernus Clerus Gallicanus, negant, Petri Succeſſori extra Concilium Oecumenicum competere omnimodam ſeu conſummatam in rebus fidei infallibilitatem. Quem equidem articulum ex inſtituto expendendi locus erit, ſub diſcuſſione *tertij* à Clero Gallicano aſſerti articuli.

32. Interea non aſſerendo, ſed ad majorem rei elucidationem inde comparandam, placeat hîc animadvertere, quòd Chriſtus in præadductis verbis ſuis Eccleſiæ à portis Inferi nullatenus ſuperandæ firmitatem eatenus ſtatuerit ſuper Petram, quatenus ſuper ipſam eſſet ædificata Eccleſia. Num verò Eccleſiæ ſuper hanc Petram, cui commiſſæ ſunt claves Regni Cælorum, ædificatio locum habet etiam extra Concilium Oecumenicum? In hoc equidem Corpus Eccleſiæ hierarchicum, cum Capite, Petræ prærogativam obtinente, coadunatum aſſurgit in ſtructuram univerſæ Eccleſiæ *perfectè* ac *plenè* repræſentativum. An igitur illa Eccleſiæ ſupra Petram ædificatio, dicenda eſt *plenè* ac *perfectè* haud conſummari niſi in Concilio Oecumenico, per Petri characterem Apoſtolicum congregato & informato, nec ſubſtituro, niſi quamdiu cum iſto Vicario Chriſti charactere perdurat?

33. Quandoquidem pro *nono* infallibilitas Concilij Oecumenici in rebus fidei decidendis omnimoda & conſummata, ab univerſis Orthodoxis ſit recepta tanquam definitus fidei articulus: neque verò per ullam Oecumenicam Synodum, vel etiam per ipſummet Papam ſit *definitè* ſancitum, *quòd Papa extra Concilium Oecumenicum potiatur auctoritate omnimodæ & conſummatæ infallibilitatis.* Idcircò haud equidem dubito, attentis Chriſti Domini Verbis, *ſecundùm ſe*, & *quoad ipſam rei veritatem*, Petri Succeſſoribus competere omnimodam in rebus fidei infallibilitatem, quoties definiunt ex Cathedrâ Apoſtolicâ, hæc enim eſt ipſiſſima illa Petra, ſuper quam eſt ædificata Eccleſia, cui portæ Inferi non poterunt prævalere. Et quia Chriſtus Petro *ſingulariter* dixit, eſſe Petram, ſuper quam foret ædificanda Eccleſia, quo jam fundamento dicere quis auſit, hanc in Petri Succeſſore Petram, ſeu Cathedram Apoſtolicam haud ſubſiſtere, niſi intrà Concilium Oecumenicum, nec adeò Summum Pontificem loqui ac definire poſſe ex Petrâ, ſeu Cathedrâ Apoſtolicâ, niſi *in ſtatu quaſi concretionis ſeu unionis* cum reliquo intrà Synodum Oecumenicam hierarchico Eccleſiæ Corpore? Hæc equidem ex meo ſenſu profero, & pro indubitatis teneo. Nihilominùs quia non conſtat, hactenus vel à Papa, vel ab Eccleſia eſſe definitum. *An Eccleſiæ, quà ſuprà Petram ædificatæ conſummata infallibilitas, auctoritati Pontificiæ indubitanter annexa, ſit extra Concilium Oecumenicum in ſtatu ultimatæ ſuæ perfectionis?* Ideo in hoc puncto me totum quantum ſubijcio ſanctæ Eccleſiæ, ipſius etiam Papæ judicio, ne in Tridentino quidem Concilio hactenus manum imponere volentis ad decidendum hoc difficultatis punctum.

Interea pro *decimo* & *ultimo* certum eſt, 34.
quemque fidelium ſe exponere manifeſto fidei periculo, ſi cum pertinaciâ diſcordet à dogmatibus per Papam etiam extra Concilium Oecumenicum, pro univerſâ Eccleſiâ, adeoque ex Cathedrâ Apoſtolicâ definitis. Nihilominùs quoad punctum omnimodæ & conſummatæ in fidei rebus infallibilitatis, dicere, oportet, *ſecundùm nos* (quamdiu Eccleſiæ punctum illud non definit) eſſe Concilio Oecumenico majorem prærogativam infallibilitatis *omnimodè* conſummatæ, quàm ſit in ſolo Pontifice. Sed *in quo*, diſquires, *conſiſtit iſta conſummata infallibilitatis majoritas Oecumenico appropriata Concilio?*

Ad hoc punctum reſpondeo, illam majori- 35.
tatem conſiſtere in prudentiali credibilitatis evidentiâ, *quoad ſpecificationis ſaltem neceſſitatem*, magis conſtringente ad fidei aſſenſum, ex Concilij Oecumenici definitione, quàm ex ſolius Papæ deciſione imperandum. Unde definitio *Conciliaris* tam *extenſivè*, quàm *intenſivè* eſt majoris *ſaltem quoad nos* auctoritatis. Meo equidem judicio, *ſecundùm ipſam rei veritatem*, ex Papæ etiam extra Concilium ex Cathedrâ definientis aliquod fidei dogma, deciſione ſubſiſtit *abſoluta ſpecificationis* neceſſitas ad non diſſentiendum: ſunt tamen ex Doctoribus etiam Orthodoxis, qui aſſerunt, eſſe quidem in fide periculoſum, *positivè* contradicere Papæ, ex auctoritate ſua Apoſtolica decidentis dogmaticæ definitioni: attamen iſti Theologi negant, ex hac eſſe *abſolutam ſpecificationis fidei neceſſitatem*, ita ut reus temeratæ Primæ Veritatis, ceu motivi fidei ſpecificativi, pronuntiandus ſit, qui talem ex *abſolutâ ſpecificationis fidei neceſſitate* conſtringentem auctoritatem negat, ſubſiſtere ex ſolitariâ Papæ extrà Concilium Oecumenicum definitione. Et ſic majoritas Concilij Oecumenici eſt *extenſivè* potior, utpote à pluribus Orthodoxis aſſerta Doctoribus, quàm ſolitaria Papæ extra Concilium definientis *abſolutæ quoad fidei ſpecificationem neceſſitatis* auctoritas. Et hinc ea Concilij Oecumenici auctoritas eſt etiam *intenſivè* potior, quia de fide definitum eſt, quòd Synodi Oecumenicæ in decidendis fidei dogmatibus ſit omnimoda & conſummata infallibilitas: neque verò adhuc de fide eſt, dogma à Papa extra Concilium definitum eſſe omnimodæ conſummatæ infallibilitatis, & abſolutæ *quoad fidei ſpecificationem* neceſſitatis, licèt manifeſtum ſubſit fidei periculum in *positivè* reſiſtendo dogmati ſic definito. Quibus ita ſe habentibus, reſtat hîc diſcutiendum; *An in vi illius tum intenſivæ, tum extenſivæ majoritatis, Concilio Oecumenico, ejúsque dogmaticæ definitioni competentis, dici poſſit, quòd Synodus Oecumenica habeat aliquo jure ſupra Papam Superioritatis prærogativam?*

§. IV.

§. IV.

Quantumcunque aliqua specialis prærogativa esset in Concilio Oecumenico, non nisi per characterem Christi Vicarium, atque adeò per Pontificium auctoritatem subsistere potente, non esset propterea Synodus etiam quà Oecumenica, dicenda habere præeminentiam alicujus propriè dictæ supra Papam Superioritatis.

PRo *primo* equidem videri posset hujus assertionis explicatio & probatio peraccommodè desumi ex sequenti similitudine. Nempe animæ *quà formæ*, & corporis *quà materiæ* ea est habenda ratio, ut quidquid perfectionis est huic communicabile, totum sit ex formâ seu animâ. Unde fit, quòd anima & corpus simul sumpta non dicant plus perfectionis *intensivè*, quàm anima *præcisè* spectata. Quia tamen materia & forma sunt duæ *realiter* distinctæ entitates, ideò *extensivè loquendo*, majus quid est homo, constans materiâ & formâ rationali, quàm præcisa anima. Pari proinde ratione Concilium quà Oecumenicum, importans integrum Ecclesiæ *plenè* repræsentativum Corpus hierarchicum, *formaliter* dicit characterem Pontificiæ potestatis, ceu *Vicarium Christi Nomen* præferentis, ac se habentis instar *formæ*, Concilij quâ Oecumenici *quasi physicè* constitutivæ, atque ut sic informativæ reliqui hierarchici, ex Ecclesiæ Prælatis aggregati Corporis, ceu materiæ *quasi physicæ*, ad Concilij Oecumenici substantiam integrandam *essentialiter* ac *integraliter* concurrentis.

Quòd si ergo fiat Capitis, ac reliqui Corporis hierarchici ad Ecclesiam universalem repræsentandam inter se unitorum quædam comparatio, quoad hunc ordinem hierarchicum, si Sacerdotij & Episcopatûs character Sacramentalis excipiatur, nihil perfectionis reperiri potest in toto reliquo corpore ejusmodi hierarchico, quod non derivetur ex Pontificiæ potestatis plenitudine. Cujus adeò supereminentia tanta est, ut *eminenter* contineat Corporis illius hierarchici *quoad Iurisdictionis prærogativas* omnimodam & totam perfectionem, nec adeò Corpus hoc hierarchicum, quà cum Capite suo in Concilio Oecumenico unitum videri posset, *quoad auctoritatem jurisdictionalem*, esse quid majus *intensivè*, ac sit præcisa Pontificiæ potestatis supereminentia, licèt ambo simul sumpta sint quid *extensivè* majus.

Nihilominùs pro *secundo*, quemadmodùm anima cum corpore unitâ, est susceptiva gratiæ sanctificantis, ceu altioris ac supernaturalis formæ, animam, ac *per redundantiam* corpus etiam perficere potentis: ex qua perfectione omninò resultat quid *intensivè* majus, quàm sit anima in puris suis naturalibus considerata. Sic ubi totum Ecclesiæ Corpus hierarchicum, tam quoad membra, quàm quoad Caput, in Concilio Oecumenico unitum, & sub *Vicario Christi Nomine*, auctoritate nempe Pontificiâ, rite ac legitimè coadunatum fuerit, tunc ex Christi Domini *18. Matth. cap. v. 18. & 19.* expressâ promissione, Synodus ejusmodi, duas adhuc *maximè* perfectivas sortitur prærogativas. Una *dicto vers. 18.* expositâ, Concilij Oecumenici præminentiâ est, ex *indefinita* ligandi & solvendi potestate, quæ tamen non potest esse major Summi Pastoris, utpotè æquè universali ad ligandum & solvendum auctoritate, Petro, ejusque Successori *solitariè* ac *individualiter* spectato per Christum concessâ. Altera *prætacto vers. 19. & 20.* asserta Concilij Oecumenici prærogativa subsistit ex infallibili Christi assistentiâ promittentis, se in medio eorum fore, *ubi duo, vel tres in Nomine suo*, Vicariâ, nempe auctoritate in terris penes Petrum, ejusque Successorem relictâ, congregarentur. In quo adeò per ejusmodi Christi Vicarium characterem insignito Concilio, sicque reddito *formaliter* Oecumenico, dum Duo, Caput scilicet & Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint, horum de fidei dogmatibus definiendis petitio ab ipsomet etiam Patre Æterno inevitabiliter habebitur rata: juxta illud Christi Domini verbum, *Si duo consenserint super quacunque re, quam petierint à Patre meo, fiet illis.*

Sed pro *tertio* aliquis fortè desiderabit sibi demonstrari; *quòd sub illis Duobus, de quibus ibi est Christi sermo, intelligatur tum Caput, tum reliquum hierarchicum Ecclesiæ Corpus, in Concilio Oecumenico aggregatum.* Cujus proinde quæsiti accipe sequentem resolutionem ac demonstrationem Theologicam. Etenim particulâ causalis *in præcitato vers. 20.* importat connexionem cum *proximè præcedente vers. 19.* atquè hoc mediante, *cum versu 18. & 19. dicti cap. 18. Matthæi.* At is versus *vigesimus* meminit tum Nominis Christi *Vicariè* in Summo Pontifice residentis: tum *duorum vel trium* in hoc Christi *Nomine* congregandorum. Hic autem binarius seu ternarius numerus *indefinitè* positus ex vi connexionis, cum præfato versu *decimo octavo* designatæ complectitur, quotquot participant de ligandi, & solvendi auctoritate, importandâ in Synodum, *Nomine Christi Vicario* congregandam. Quandoquidem proinde isti de ligandi & solvendi potestate participantes Episcopi, seu Prælati Ecclesiastici, *Nomine Christi Vicario* aggregati conficiant Concilium Oecumenicum: idcircò ex vi prætacti versûs *vigesimi* prorsus evincitur, in Synodo Oecumenica reperiri *Duo*, quorum unum est aggregatio Prælatorum Ecclesiasticorum de ligandi & solvendi potestate participantium: alterum verò est *Christi Nomen Vicarium*, seu Summus Pontifex hoc *Christi Nomen* portans in Concilium Oecumenicum. Hisce igitur Duobus in unam Synodum coadunatis, apertè ac disertè promittit *ibi* Christus, *se in medio eorum fore.* Atqui dum Christus hisce *Duobus* in unum collatis suæ gratiæ assistentiâ ita præsens est, ut *sit in medio eorum*, non potest Pater Æternus ipsis consentientibus, intuitu Christi non impertire quamcunque petierint rem, nempe dogmaticæ veritatis, seu *moralis* Ecclesiasticæ disciplinæ in Concilio Oecumenicè

unicè postulandæ manifestationem. Nequit ergo sub illis dicto *versu 19.* expressis *Duobus* in unum consentientibus, sicque sub hoc consensu suo veritatem dogmaticam, quam inquirunt & postulant, intuitu Christi à Patre Æterno recipientibus, aliud intelligi, quàm Caput Ecclesiæ, *Vicarium Christi Nomen* Synodo Oecumenicæ importans, nec non Corpus Ecclesiæ hierarchicum, consistens ex Prælatis Ecclesiasticis de ligandi & solvendi auctoritate Ecclesiasticâ participantibus.

40. Neque verò hæc ratiocinatio nostra nititur proprij cerebri sensu, sed fundatur in communi praxi, & recepto sanctæ Ecclesiæ consensu, juxta quem dogmaticæ veritatis omnimoda & consummata infallibilitas creditur eatenus subsistere ex Concilij Oecumenici definitione, quatenus illi *Duo*, nempe tum Petri successor, *Vicarium Christi nomen* portans Ecclesiæ Caput, tum reliquum ex hierarchicis Ecclesiæ membris Episcopis ac Prælatis consistens Corpus, in Concilio Oecumenico coadunata in unum consenserint.

41. *Quartò.* Hæc igitur infallibilitatis *omnimodè* consummatæ, circa fidei dogmatum decisionem prærogativa Concilio Oecumenico per Christum promissa; *An sit æquè in Summo Pontifice extra Concilium decernente*, non extat in Ecclesia definitum: sicque *secundùm nos saltem* definitio Pontificia minus ponderis habet *quoad certitudinis ceu Divinæ, ceu Theologicæ omnimodam determinationem.* Unde disquirere licet; *Vtrùm Ecclesiæ in rebus fidei decidendis infallibilitas ultimatè & consummativè, tunc primùm habeat locum, quando super Oecumenici Pastoris Petrâ extat actualiter superstructa Ecclesia hierarchica, non nisi in Oecumenico Concilio plenè ac perfectè repræsentata?* Quæ profectò ratio videtur fuisse, cur ne ipse quidem Petrus se solo decidere voluerit quæstionem dogmaticam de Veteris Testamenti Legalium à Christianis ex Judaismo præsertim, vel etiam Gentilismo conversis, retinendâ observantiâ, sed ad Concilium Apostolicum, adeoque Oecumenicum Hierosolymitanũ, cui ipse præsidebat, retulerit eam definitionem. Et ita observat continua Ecclesiæ sanctæ praxis, quòd *ultimatè* adversùs hæreses, decisiones dogmaticæ ab ipsismet etiam Summis Pontificibus omni tempore referrentur ad Concilia Oecumenica: manifesto sanè argumento, Ecclesiæ auctoritativam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem *per modum ultimatæ sententiæ* sub omnimodâ & consummatâ, certitudinis, *necessitatem fidei specificativam* prorsus inferentis perfectione suâ, *secundùm nos saltem* majoricum pondere subsistere ex parte Concilij Oecumenici, quàm ex parte solius Pontificis, extra Concilium sancientis.

ex pag. 227. n. 34.

42. Quod pro *quinto* firmatur etiam ex eo, quòd Christus Dominus, ubi rogâsset pro Petro, ut non deficeret fides ipsius, eidem quidem præceperit, quatenus aliquando conversus Fratres suos Apostolos, eorumq; adeò in Concilio Successores Episcopos confirmaret. Nam confirmatio non cadit super re quapiam, nisi quatenus ex alio etiam capite habet aliquod firmitatis pondus. Unde dum Christus Petro quidem orationis suæ efficaciâ obtinuit prærogativam confirmandi Fratres suos, Episcopos & Prælatos in Concilio Oecumenico coadunatos: oportet tamen, omnimodam & plenam fidei firmitatem hujusmodi non jam ex solo Petri successore, sed simul ex Episcoporum Corpore hierarchico provenire. Et hinc videtur Christus eo loquendi modo, allusisse ad hoc, quòd Apostolorum ac Successorum in Concilio Oecumenico cum Capite suo, Summo Pontifice aggregatorum, in rebus fidei decernendis omnimoda firmitas, neque ex solo Petri successore, neque ex præciso reliquo Apostolico Collegio, seu Hierarchico Ecclesiæ sanctæ Corpore subsisteret, sed *unitim* ex utroque, ità ut oporteret, huic utrique in unum Corpus Ecclesiæ perfectè repræsentativum coadunato, superstrui specialis infallibilitatis pondus ac firmitatem, per quam Petri fratres universi *omnimodè* confirmarentur. Talis igitur prærogativæ ratio videtur magis supereminere in Concilio Oecumenico, quà Summi Pontificis auctoritatem Oecumenicam cum reliquo Hierarchico Ecclesiæ Corpore coadunatam complectente, quam in solo Papa extra Concilium spectato.

ex cit. pag. 227. n. 35.

Sed numquid pro *sexto* hinc inferre licet, *Concilium Oecumenicum obtinere jus cujuspiam supra Papam superioritatis?* Neutiquam. Quantumvis enim gratia sanctificans erga animæ substantiam comparata, habeat singularis ac majoris præeminentiæ, respectu animæ prærogativam, nequit tamen ex hoc fundamento ipsi attribui quædam super animam superioritatis *strictè* sumptæ, nempe quasi imperativæ præeminentia, eo ipso, quòd sit subordinata ipsius animæ libertati, atque ex hac tam in primâ sui infusione, quam conservatione, sit quodammodò dependens. At illa Concilio repromissa consummatæ infallibilitatis prærogativa eatenus superstruitur auctoritati Pontificiæ, ceu characteri *Christi nomen* præferenti, atque ut sic Synodi quà Oecumenicæ *formaliter* constitutivo, ut consequenter sit dependensà Summi Pontificis, Hierarchicum Ecclesiæ Corpus convocantis &, unà secum coadunantis concursu libero. Nequit ergo infallibilitatis *omnimodè* & *ultimatè* consummatæ, Concilio Oecumenico propriæ prærogativa huic impertire alicujus super Papam superioritatis characterem. 43.

Verùm pro *septimo* videri posset, Concilij super Papâ superioritatem evinci ex hoc, quòd Abbas Panormitanus *2. part. Concil. q. 1.* docet: nempe si, in fidei præsertim materiâ, solus Papa sentiret contra universos Concilij Patres, tunc debere Pontificem illorum accedere votis. Sed quia Concilij Oecumenici substantia minimè subsistit, nisi ex *Vicario Christi charactere*, quis dicere ausit, Patrum vota tantæ posse auctoritatis esse, ut obstringere valeant Summum Pontificem, ad confirmandum dogma, quod ipsi censent sanciendum, cùm omnes etiam Patres Concilij in unum consentientes, neque obtinere queant infallibilitatis privilegium, neque Jurisdi- 44.

ex pag. 228. n. 39.

ctione

ctione Oecumenicâ potiantur, quoúsque Papæ consensus eorum votis accesserit. Sola igitur Christi gratia ac Spiritûs S. instinctus efficaciter movere potest Summum Pontificem, ut accedat votis Patrum, Corpus Ecclesiæ Hierarchicum conficientium: ut sic illi *Duo* scilicet Caput ac reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus in unum consentientes, obtinerant *omnimodæ & consummatæ* infallibilitatis in dogmate fidei sanciendo, præeminentiam.

45. Quare Concilium Oecumenicum optimè æquiparatur Curru prophetico ac mysterioso *Ezechielis 1. capit.* descripto, quòd *constaret quatuor rotis Cherubicis*; nisi quòd in isto curru exstiterint quatuor rotæ; in Concilio autem Oecumenico sint duæ duntaxat, Divinæ veritatis faciem præferentes, rotæ Cherubicæ. Est igitur Oecumenica Synodus currus Cherubicus, in quo veritas triumphat adversûs portas inferi, cujus rotæ quasi Cherubinæ, sunt Primatus Petri, characterem Concilio quà Oecumenico primitûs impertiens, ac reliquum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum ex Prælatis Ecclesiasticis coadunatum. Sicuti ergo totum Corpus illius Prophetici currûs in circuitu quatuor rotarum erat plenum oculis. Sic totum Corpus Concilij Oecumenici, consistens in perfecto ac integro Corpore Hierarchico, Universam Ecclesiam plenè repræsentante, est plenum oculis, id est, Spiritu Dei cum infallibilitatis prærogativâ omnimodâ collustratum, sed quatenus in ipsius circuitu sunt duæ rotæ Cherubinæ, nempe Primatus Ecclesiæ, seu Romani Pontificis authoritas Apostolica, ac reliquum Corpus Apostolicum ex membris Ecclesiæ Hierarchicis consistens. Unde si vel una istarum duarum rotarum Cherubinarum non concurrat consentiendo, necdum impletur conditio *Matth. 18. v. 19. & 20.* descripta, in vi cujus Christus sit in medio talis currûs Cherubici, seu Concilij Oecumenici, impertiens eidem omnimodam & consummatam in rebus fidei infallibilitatem.

46. *Octavò.* Quemadmodùm proinde in illo Prophetico curru quocunque ibat Spiritus, pariter elevabantur rotæ sequentes Dei spiritum: sic in Concilio Oecumenico Spiritus Dei non progreditur ad ullum fidei dogma definiendum, nisi rotæ illæ Cherubinæ, Caput scilicet ac reliquum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum, pariter eleventur, sequentes Dei Spiritum: quia Spiritus Vitæ est in illis Cherubicis, seu Hierarchicis rotis pariter progredientibus, Christo Domino *Matthæi 18.* asseverante: *Si duo* (nempe Caput ac reliquum Hierarchicum Ecclesiæ Corpus in Concilio Oecumenico *sub Christi Vicario nomine* coadunata) *consenserint*: tunc quodcunque petierint à Patre Luminum, pro Veritate fidei ex Verbo Divino eruendâ, infallibiliter ipsis fieri. Quòd si ergo contingeret, ut omnes Concilij Oecumenici Patres consentirent in definitionem cujuspiam fidei dogmatis, sed Papa adhuc suum consensum suspenderet, necdum esset sanctio dogmatica cum infallibilitatis prærogativâ, sed esset materia adhuc informis, quæ non nisi ex superveniente *charactere Christi vicario*, adeoque ex consensu Summi Pontificis, formari valeret in infallibile ac certum definitum fidei dogma.

Hoc probè agnoscentes Concilij Constantiensis Patres, *sub hujus fine* à Martino V. petierunt confirmationem fidei dogmatum, unanimi consensu suo jam comprobatorum, adjectâ clausulâ, ut, si Pontifex pro tunc confirmare nollet, ad futurum provocarent Concilium utique Oecumenicum, Pontificiæ auctoritatis charactere, seu *Vicario Christi nomine* insignitum, ut ex hoc postmodùm per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hierarchici consensum, perficerentur suæ adhuc informes fidei dogmatum definitiones. 47.

Pro *nono* fortassis instabit adversarius, ubi dogmatica quæpiam fidei definitio per Capitis ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hierarchici concordem consensum noscitur esse consummata, ex tunc ei subijci ipsum quoque Summum Pontificem. An non igitur inferre hinc licet, Papam *in rebus fidei esse subjectum Concilio Oecumenico?* Verùm quia vis sub fidei motivo constringens in dogmatibus à Concilio Oecumenico definitis reducitur in auctoritatem infallibilem Divinitus impertitam Generali Synodo ceu ultimato fidei directivo principio, evidenter patet, quòd dogmaticæ ejusmodi sanctionis energia obstringat quidem ipsum etiam Summum Pontificem, ut tamen hæc obligatio non in Concilij, quà ex *præciso* Ecclesiæ hierarchico Corpore consistentis, Congregationem quasi *materialem*, sed quà Spiritu Dei, ejusque infallibilitate animatam, sicque adeò in principium à Deo *immediatè* constitutum reduci debeat. 48. *pag. 229. n. 4c.*

Decimò replicabit fortassis adversarius. Cùm gravior fidei causa urget, ipsum Pontificem Maximum teneri ad convocandum Universale Concilium, uti passim supponunt Patres. Numquid ergo hinc jam elucescit *aliqua Concilij supra Papam superioritas, in vi cujus judicium Papæ super causâ ad se primitùs delatâ, sed ulteriùs ad Concilium reliquum relatâ, videatur esse quodammodò reformabile?* Verùm ex hoc evincitur quidem Concilij Oecumenici, quà ipsum Papam complectentis, ejusque *charactere & authoritate*, ceu *vicario Christi Nomine* insigniti majoritas aliqua, saltem *quoad nos*, sive *quoad omnimodam & consummatam nobis perspectam infallibilitatem*, præeminens Summo Pontifici *solitariè* extra Concilium spectato. Hanc tamen majoritatem nullatenus præferre aliquem superioritatis characterem, constat *ex antecedentibus*. 49. *ex pag. 231. n. 50.*

Undecimò opponet denuò adversarius, *in morum quoque decretis conciliaribus, universos Christi fideles concernentibus, quatenus Pontificiam Majestatem conducat, esse vim constringendi ipsum etiam Papam.* An non igitur hinc inferre licet *Papæ subjectionem erga Concilium Oecumenicum, ejusque decreta quoque moralia?* Verùm hæc objectio eodem eliditur modo, quo Doctores respondere solent isti quæstioni à Theologis moveri solitæ; *Quomodò scilicet legislator teneatur suis legibus?* In Concilio namque Oecume- 50.

cumenico tota ipsius auctoritas legislativa superstruitur toti Hierarchico Ecclesiæ Corpori, ex Capite & membris Hierarchicis coadunato, sicque adeò decreta *Conciliaria* respiciunt ipsum quoque Pontificem cum Patribus inibi congregatis indivisibiliter concurrentem ceu auctorem ac Legislatorem suum. Sicuti ergo ex hoc, quòd Legislator, modo *inferiùs* explicando, teneatur suis legibus, haud infertur, Legislatorem esse sibimet subditum, sic quantumvis Papa obstringeretur *Conciliaribus* morum decretis, minimè sequeretur, esse subjectum Concilio Oecumenico. Res igitur ista hunc in modum expediri solet, quòd nempe obligatio legum à Summo Principe latarum, non in vi istarum, sed ex efficaciâ *Legis Æternæ*, quoad vim *directivam*, non autem *coactivam*, afficiat ipsum. Quæ responsio tantò magis locum habet in legibus *moralibus* à Concilio etiam Oecumenico sancitis, quantò certius est, non minorem in Pontifice extra, quàm intrà Synodum esse auctoritatem legislativam, per Christum *Matthæi 16.* repromissam. In vi cujus adeò auctoritatis supremæ, utpote *Christi Vicariæ*, nequit Pontifex constringi legibus *moralibus* in Concilio Oecumenico latis, utpote a semet etiam comprobatis, nisi in vi altioris principij, Deo *formaliter* immanentis, sed *virtualiter* ad extra in leges etiam humanas se transfundentis.

52. Sed pro *duodecimo* disquires; *Quódnam sit istud principium Divinum, vi cujus summus etiam Princeps legibus civilibus, & Summus Pontifex suis, & Concily Oecumenici moralibus quoque decretis obstringitur?* Hujus rationem accipe ex sequenti fundamento. Quemadmodùm nempe causæ secundæ operari nullatenus possunt, nisi sub Primæ Causæ influxu tam prævio, quàm concomitante: sic quævis à Deo communicata hominibus potestas legislativa, per sui à Lege Æterna *dependentiam essentialem* non potest imponere ullam obligationem, nisi ipsâmet Lege Æternâ ad illam *actualiter* concurrente, ex hoc autem *actuali* Legis Æternæ concursu accipit lex humana vim in conscientiæ etiam foro sub culpâ mortali & pœnâ æternâ obligatoriam. Sicuti ergo lex humana *essentialiter* debet esse ordinativa in bonum Communitatis, sic consequenter Lex Æterna legi humanæ se insinuans, eique in conscientia obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tanquam unius Corporis seu politici, seu mystici membrorum est *executivè* curare bonum publicum vi legis intentum. At verò Summi Principis respectu Reipublicæ seu Statûs politici, & Summi Pontificis tanquam *primarij* respectu Ecclesiæ membri est, non tantùm *gubernativè* & *architectonicè*, sed *executivè*, & quoad viam executionis *exemplativè* procurare bonum publicum. Ergo Lex Æterna legi humanæ vim ac efficaciam, *in conscientia* obligatoriam imprimens, ut sic afficit supremum quoque Principem, ipsum adeò Summum Pontificem. At quatenus Lex Æterna efficaciam conscientiæ obligatoriam, imprimit legi humanæ, ut sic obligat ista, sub illo ipso virtutis motivo, quod per legem est *per se immediatè* intentum ac definitum. Ergo sub hoc etiam *specifico* virtutis per Concilij Oecumenici decretum intentæ motivo, & non tantùm sub generali alicujus cum Republica conformabilitatis ratione lex à Principe, seu Summo Pontifice, intrà Concilium etiam lata, obligat ipsum in conscientia. Eo ipso autem, quòd talis obligatio sit præcisè ex Legis Æternæ legi humanæ *virtualiter* se insinuantis concursu ac efficaciâ, non autem ex lege, quâ *formaliter* emanante à Principe, seu Concilio Oecumenico, oportet, ipsam tenere solummodò *quoad vim directivam* conscientiæ propriam, non autem *quoad vim coactivam foro externo* eatenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est *formaliter* emanans à Legislatore humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi Legis Æternæ obligare suum legislatorem in foro dunaxat *conscientiæ* secundùm vim *directivam*, non *coactivam*. Unde Imperator *§. ultimo Instit. Quibus modis testamenta infirmentur*, ait: *Licèt legibus soluti simus*, in foro scilicet externo; *attamen legibus vivimus*, in foro scilicet conscientiæ.

ex pag. 229 n. 42.

53. *Decimotertiò* replicabit fortassis adversarius. Si Pontifex aut vi, aut legibus injustè latis, alióve modo Ecclesiam destruere nitatur, aut aliorum jura & bona injustè invadat, atque monitus non respiscat, posse bello & armis coerceri, omnique ratione ad jus naturalis defensionis spectante compesci; veluti probare dicuntur Turrecremata *lib. 2. cap. 106.* Bellarminus *de Conciliorum auctor. lib. 2. cap. ult. ad 1. argumentum.* Quod Auctor *Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 14. n. 4.* comprobat sequenti ratione. Quòd nempe in casu ejusmodi non resistatur Papæ, sed injustæ ipsius invasioni, nec in illum exerceatur Jurisdictio, sed tantùm jure defensionis agatur, quod jus non in Jurisdictione & auctoritate fundatur, sed in facultate naturalis juris, cui noscitur ipse quoque Pontifex subjectus esse. *Ex tota causa 23. q. 1.* Quòd si proinde hoc defensionis jus erga Summum Pontificem competat alicui laico, præcipuè Regi, quantò magis convenit Concilio alicui ex totius Christiani orbis Episcopis conscripto? Hoc vero nunquid, priusquàm decernat super injustis Papæ aggressionibus, faciet processum *juridicum*, sicque adeò judiciariâ auctoritate formabit sententiam super injustitiâ aggressionum? Nunquid ergo processus ejusmodi redarguit Papæ erga Concilium subjectionem aliquam? 9.

54. Verùm ad istam ex parte adversâ objectionem in promptu est responsio. In illo statu, quo Papa denuntiatur Ecclesiæ seu Concilio Generali, esse jurium alienorum injustus aggressor, inprimis non intentatur actio aliqua adversùs Papam, quâ Summum Pontificem, sed contra ipsius personam, quâ privatam, nequeunt enim injustæ ejusmodi aggressiones promanâsse ex auctoritate Cathedræ Apostolicæ, quæ per Christum est coarctata unicè ad bonum ac ædificationem Ecclesiæ; quare tales injustitiæ respiciunt privatam duntaxat Papæ personam, quæ proinde si deferantur

ad

ad Concilium generale, ne tunc quidem, oportet, judicium ferri super Papæ persona, ejusque actibus, quà intrà ipsum consistentibus: quippe cùm ipsissima etiam Summi Pontificis persona per characterem auctoritatis Apostolicæ in tantum sit sacrata, ut super ipsam, quamdiu manet in statu certo Papatûs, nulla potestas humana audeat manum suam extendere. Quare in casu prætacto judicium Concilij Generalis ferri duntaxat potest super juribus alicui fidelium injuriam passo inexistentibus, atque horum violationibus *passivis*, quà effectibus extra Papæ suppositum egressis, & in altero fidelium tam *moraliter*, quàm *physicè* receptis. Quarum adeò injuriarum judiciariâ prævabitâ cognitione, si Papa præmonitus, Concilio Generali deferre nolit, non potest equidem *judicialiter* contra ipsum decerni, potest tamen *auctoritativè* declarari jus defensionis, fidelibus iniquè læsis per naturalem æquitatem competens, ad armatam usque resistentiam, ac jurium talium vindicationem. In cujusmodi tamen vindicatione Rex iniquè etiam læsus, neque attrectare, seu offendere potest seu ipsam Papæ personam, etiam quà privatam, seu jura Ecclesiastica, seu bona Ecclesiæ Romanæ appropriata, utpote non ad privatam Papæ personam, sed ad statum Ecclesiasticum spectantia. Constat igitur ex prædducto partis adversæ argumento, haudquaquam coargui aliquam Concilij super Papâ superioritatem, seu potestatem judiciariam.

55. *Decimoquartò* objiciet denuò Adversarius. In casu saltem hæreseos, subdi Papam Tribunali judiciario Concilij. Tunc enim à Concilio judicari, & deponi posse, patet ab exemplo Honorij I. relato in octava Synodo *Actione 7. & in Capit. Audivimus. 14. q. 1. Cap. Si Papa. dist. 40. Cap. Novatianus. 7. q. 1. Cap. Dicimus. Cap. Acatius. 24. q. 1. Capit. Oves. q. 7.*

56. Verùm ex nostra parte est in promptu responsio. Concilio equidem acephalo etiam esse in casu manifestæ hæreseos aliquam, non jam super Papâ, sed super ipsius privatâ personâ, utpote à Papatu ex tunc remotâ, veram *judiciariam, & auctoritativè* declaratoriam potestatem de Papatûs amissione, per ipsummet jus Divinum sancitâ, & in vi hujus Divini juris suum defectum jam prævisâ sortitâ. Unde tota Concilij Generalis potestas erga talem Divinitus exauctoratum Papam hæreticum, unicè tendit ad *auctoritativè* fidelibus manifestandam Papæ depositionem Divinitus sancitam, executionique publicæ demandandam, conformiter *Can. Si Papa. dist. 40. ubi sic habetur: Culpas Pontificis redarguere præsumit nullus mortalium, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Cui enim alteri nisi Concilio *imperfectè & materialiter* pro tunc Generali, pro casu hæreseos seu à fide deviationis poterit esse auctoritas judiciaria super Papæ personâ, ipso jure Divino jam depositâ? Cujus ratio est. Quia ex charactere Pastoris Oecumenici Papa est Caput Ecclesiæ, nequit verò Caput esse Ecclesiæ, nisi sit ejusdem membrum. At Ecclesiæ, ejusque membrorum *quidditativa* forma est per fidem. Quando igitur Papa per hæresim *formalem* excidit à fide Divina, ita desinit esse membrum Ecclesiæ, ut ex jure Divino, jam non sit ipsius Caput, seu Pastor Oecumenicus. Ergo Ecclesia super Papa, quoad suam privatam personam facto hæretico, *judiciariam* auctoritatem non aliter exercere potest, misi declaratoriam de Papatu per jus Divinum amisso sententiam proferendo, nec adeò super Pontifice, sed super homine, qui jam desijt esse Papa, aliquam prætendere potest superioritatem judiciariam.

57. *Decimoquintò.* Rursus opponi potest ex parte adversâ Ecclesiæ convenire superioritatem super Papâ, si fuerit intrusus, id est, non electus juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi *Can. 1. & Bullâ Gregorij*, quæ incipit: *Æterni Patris*: Vel si ejus electioni intervenerit aliquis error juris *Divini*, seu *naturalis*: vel si ejusdem electio fuerit Simoniaca; uti decernitur *in Bulla Iulij 11.* quæ incipit: *Cùm tam Divino.* Vel denique, si electio Papæ facta sit per metum gravem ac injustum. Ex Concilio Constantiensi *Sess. 39.* In quibus adeò casibus eatenus nulla erit Papæ electio, ut hinc arguatur subesse Juris Canonici dispositionibus. ex pag. 229. n. 43. & pag. 230. n. 47.

58. Verùm ex hisce fundamentis minimè evincitur Ecclesiæ super Papam superioritas; uti mox demonstrabitur. Etenim non potest quisquam esse Papa antecedenter ad legitimâ Papatûs collationem. Hæc equidem subsistit ex ipso jure Divino: eo ipso enim, quòd Christus Oecumenici Pastoris officium pro perpetuo Ecclesiæ statu sanxerit, redditur hinc consequens; claves regni cælorum cum perpetuo Ecclesiæ statu vi juris Divini connexas per successionē ab ipsomet Christo constitutam, conferri Summo Pontifici Petri legitimo successori. In quo diversa est ratio successionis circa *ordinarium* Petri Apostolatum, & *delegatum* Judæ inprimis destinatum, sed Mathiæ in locum illius subrogato comissum Apostolatum, cùm ille, utpote perpetuus, ex prima sui origine esset transferibilis in successorem: hic verò, utpote personalis non haberet successionem, nisi quæ speciali, sortis Divinæ signo fuerat designata cum delegationis Apostolicæ in Mathiam *Actorum cap. 1.* Divinitus collatæ plenitudine. Quandoquidem igitur ex solo Petro superstes maneat Apostolatus in successores pro perpetuo Ecclesiæ statu transferibilis, ita ut ejus collatio sit ipso jure Divino constituta: idcircò penes Ecclesiam non est alia electio Papæ, quàm *designativa* personæ; adeò ut hâc designatione post Summi Pontificis obitum peractâ, Apostolicæ potestatis plenitudo in personam sic designatam derivetur ex ipsissimo illo jure Divino, quo per Christum sancita fuit Oecumenici Ecclesiæ Pastoris perpetuitas. Super Papatûs igitur collatione, cùm sit juris Divini, nulla potest esse Ecclesiæ superioritas: bene tamen super electione designativâ personæ Petro successuræ, sicque potituræ illò Divinæ collationis jure. At sicuti hæc electio *activè* sumpta

non afficit Papam, sed eligentes: *passivè* verò spectata noscitur antecedens Papatûs collationem, estque actus ab hac distinctus: sic quatenus Ecclesiæ auctoritas super eam *designativam* seu *activè*, seu *passivè* sumptam electionem protenditur, nullatenus importat aliquam super Papa superioritatem, sed supra personas tum eligentium, tum electi, pro statu, quo necdum Papa est, sed primùm pro *posteriori* redditur particeps illius juris Divini, per quod constituitur Summus Pontifex.

59. *Decimosextò* & *ultimò*. Urgebit Adversarius. Concilio Generali esse auctoritatem & superioritatem, super Papâ saltem dubio, sic enim Concilium Constantiense ad certum Ecclesiæ Caput obtinendum, super Papa dubio processum *judiciarium* instituendo, noscitur omninò prætendisse auctoritatem super Papa hujusmodi.

Pag. 231. n. 49.

60. Verùm dum subest dubietas de valore electionis Pontificiæ, vel dum Ecclesia certificari non potest de legitimo Pontifice, tunc equidem exemplo Synodi Constantiensis, licet Ecclesiæ processus *judiciarius* circa Papam dubium: hinc tamen Concilij superioritas minimè evincitur, nisi super Papæ dubij personâ, quâ secundùm Ecclesiæ judicium non Papâ: contra quem adeò proceditur, ad *judicialiter* inquirendum; *An non sit iniquus Pontificiæ auctoritatis usurpator & aggressor?* Etenim Pontificis Oecumenici receptio per Ecclesiam reduci debet in fidem Divinam, quâ Pastoris Oecumenici munus noscitur à Christo constitutum pro perpetuo Ecclesiæ statu. At stante illâ dubietate, haud subsistit evidentia credibilitatis, per quam sub illo fidei principio credi debeat, hic in individuo esse legitimus Petri Successor, atque adeò verus Papa. In tali ergo casu Ecclesia non tenetur, personam hujusmodi recipere in Summum Pontificem. Unde *quoad nos* (id est, *quoad certitudinem* pro istâ personâ in Summum Pontificem recipiendâ *constringentem*) in judicio Ecclesiæ manet Papa sub tali conditione constitutus, ut non sit habendus pro Papâ. In quo proinde statu Ecclesiæ jus est, tum inquirendi super argumentis, per quæ perveniatur ad evidentiam credibilitatis in linea prudentiali certificantem de legitimo Petri Successore: tum, si hæc certificatio obtineri non valeat, per aliam viam sibi providendi, quoúsque ad talem certitudinem pertingere valeat. Quòd si igitur aliud, quàm ex Papæ dubij depositione medium non suppetat, ex illo jure fas est Ecclesiæ, proferre sententiam de Papæ hujusmodi remotione. Neque verò, quæ sanctæ Ecclesiæ Divinitus repromissa est Spiritûs Sancti assistentia, in hoc deficiet, ut judicium illud Ecclesiæ falsum sit, sed omnia ita disponet suaviter, ut si fortè Pontifex, de cujus legitimitate dubietas superari non potest, sit re ipsâ verus Papa, per ejusdem Spiritûs sancti impulsum resignet, atque adeò certæ in Pontificem designationi locum concedat: vel si ad talem resolutionem disponi nequeat, ex illo de Ecclesiæ infallibilitate fidei principio legitimum formari possit judicium, super nullitate Papatûs ab illo pertinaciter prætensi contra dictamen propriæ etiam conscientiæ, utpote in tantum obstrictæ erga Ecclesiam, ut huic in certo habendo Christi vicario Capite, *ex jure quasi naturali* deferre meritò deberet.

§. V.

Eo ipso, quòd in judicio Ecclesiæ, secundùm credibilitatis auctoritativam in fidei principia reducibilem evidentiam, *habeatur quis pro vero, certo, ac legitimo Papa, nequit ex tunc Ecclesia seu Concilium Generale super ipso ullum strictè ac propriè sumptæ superioritatis jus exercere.*

61. PRimò. Pro ista propositione nostrâ magis elucidandâ, lubeat præmittere sequentem disquisitionem. *Nempe, quia in Papa dubio abstractio Papatûs in tantum operatur, ut Ecclesia possit super tali dubio Pontifice* judiciarium *formare processum: an non pariter in vero ac certo, sed facinoroso & scandaloso, Ecclesiæque pernicioso Papâ possit eatenus fieri abstractio à Papatûs prærogativâ, utpote cum facinorosis ejusmodi actibus nullam habente connexionem, ut sub tali abstractione, possit Concilium Generale erga ipsius personam* auctoritativè *exercere virgam correctivam à Christo* Matth. 18. *indefinitè erga quoscunque fideles sanctitam?* Nam quisquis est frater Christianæ Communionis, jubetur post fraternam, aliis etiam adhibitis, correctionem, denuntiari Ecclesiæ, & si hanc non audierit, communione Sanctorum privari per Apostolicam Ecclesiæ, *ex pag.* seu Concilij Oecumenici à Christo sancitam ligandi & solvendi auctoritatem. Nunquid verò Summus Pontifex habendus est in censu fratrum, quatenus cum universis fidelibus participat in communicatione gratiæ & beatitudinis, secundùm quam homo est adoptivus filius Dei, atque cohæres Christi? Nunquid cum Summo Pontifice, quâ Hierarchici Corporis Capite *secundùm Pastoralis solicitudinis partem* communicant reliqua Hierarchica Ecclesiæ membra, Episcopi ac Prælati Ecclesiastici, quos proinde Papa vocare solet fratres? Anne igitur fas est, ipsum excludere ab illo correctionis *fraternæ* ac *Evangelicæ* præcepto? Num si correctionis secretæ impatiens sit, nefas erit, ipsum denuntiare Ecclesiæ? Et quia Ecclesia Corporis Christi Hierarchici perfectè repræsentativa, dùm Caput cum ipsâ non concurrit, minimè subsistere potest, sed Concilium, quantumvis *materialiter* Generale pro tunc est acephalum; num isti nefas erit, uti salubri adversùs Papam facinorosum, & incorrigibilem præinsinuato Evangelico remedio?

62. Verùm pro *secundo* prætactis disquisitionibus repono unicam sequentem quæstionem, unà cum ejusdem resolutione. Sî namque deventum fuerit ad virgam correctoriam, secundùm quam Papa facinorosus & contumax Ethnico & Publicano, Ecclesiam audire

ibidem.

de-

detrectanti, compar esset pronunciandus, quid circa hoc foret potestatis in Concilio acephalo? Quæ namque ligandi & solvendi potestas Apostolica Concilio Oecumenico per Christum fuit repromissa, ea superstruitur plenæ ac Generali Synodo, ex Hierarchico Ecclesiæ & Corporè & Capite sub Vicario Christi charactere, aggregatæ. At ista Hierarchici Corporis plenitudo ac integritas ob Capitis cum eo concurrentis defectum, haud intercedere posset, ubi ageretur contra ipsum Ecclesiæ Caput, Summum Pontificem. In tali ergo Concilio acephalo locus non esset virgæ *auctoritativè* correctoriæ adversùs Summum Pontificem stringendæ, consistentis ex Apostolicæ, Concilio Oecumenico, non acephalo, ad *ligandum* & *solvendum* Divinitus sancitæ *potestatis* charactere. Et verò ipse Papa etiam *solitariè* sumptus ex *Matth. 16. cap.* habet æquè plenam, Concilio Oecumenico comparem, ac indefinitam *solvendi ligandique* in Ecclesia *auctoritatem*. Quid ergo contra ipsum agere poterit Concilij Corpus acephalum, Synodi Oecumenicæ charactere per *Christi nomen Vicarium* subsistente tunc destitutum? In aperto igitur est, ubi etiam per viam correctionis Evangelicæ agendum esset contra Papam facinorosum, non nisi fraternam correctionem respectu ipsius habere locum, nihilque cum eo actum iri ex auctoritate, quamdiu manet in statu certo & indubitato Papatûs. Ubi ergo quispiam *sub convincente prudentialis credibilitatis evidentiâ* est ab Ecclesiâ receptus in Papam, à nemine jam judicari poterit, præter causam consummatæ hæreseos. Sub quo statu uti desinit esse Christi ac Ecclesiæ membrum, sic Papatûs prærogativâ destitutus, ex tunc subditur judicio Ecclesiæ, & Concilij etiam acephali. Ex illo igitur Evangelico correctionis, virgæque censoriæ decretorio sacro textu nequaquam evinci potest Ecclesiæ, seu Concilij Generalis supra papam auctoritas vel superioritas.

63. *Tertiò* opponet fortè quispiam Argumentum *proximè* deductum nimis probare, dum inde sequeretur, super Papa etiam dubio nullam esse Concilio acephalo auctoritatem judicialem. Quæ enim *Matth. 18.* per Christum Promissa est solvendi & ligandi potestas Apostolica, nequit convenire nisi Concilio Oecumenico, per Christi vicarium charactere, Pontificiæ præeminentiæ proprium, insignito. Eo ipso autem, quòd Papa sit dubius, nequit subsistere Concilium *formaliter* Oecumenicum, sed acephalum duntaxat. Pag. 232. n. 32. & 33.

64. Verùm in tali Concilij acephali statu nequit equidem locus esse præinsinuatæ Apostolicæ auctoritati. Nihilominùs universi Episcopi, quà possibile est, ex Orbe Christiano aggregati in unum, comportant auctoritates suas Ecclesiæ cuique designatæ gubernativas, quæ *collectum* sumptæ extendunt se *virtualiter* ad universam Ecclesiam, quatenus scilicet omnibus & singulis Episcopis incumbat, eatenus prospicere suæ diœcesèos spirituali incolumitati, ut singulorum tamen Episcopatuum religio ex intrinseca suæ institutionis conditione ordinetur ad Bonum Universalis Ecclesiæ. Quando igitur Episcopatuum in uno acephalo Concilio fit unio seu coadunatio, tunc ijs est potestas & obligatio, prospiciendi de certo Ecclesiæ Universalis Capite, quia Papæ dubij ex ratione *superiùs* deductâ, quamdiu dubium ejusmodi vinci non potest, nulla prorsus est habenda ratio, sed in judicio Ecclesiæ Papa hujusmodi perinde reputatur, ac si vacaret Sedes Apostolica. In quo proinde statu, dum Papatus post diligentem discussionem non est probatu possibilis; inconcussa, & firma manet illa Episcoporum in unum Concilium acephalum collata jurisdictio procedendi adversùs talem Papam dubium, usque ad sententiam de Papatûs ipsius nullitate *auctoritativè* declaratoriam. Quæ locûs se habent in Papâ certo, quantumvis facinoroso, quippe cùm in illo semper præmineat Papatûs ab Ecclesia recepti possessio, & prærogativa, nullam Concilij, præsertim acephali, superioritatem judiciariam admittens.

65. *Quartò* instabit aliquis. Cùm Papa habeat subjectionem in foro Sacramentalis Confessionis, ad cujus tamen valorem requiritur jurisdictio, ab ipsomet etiam Summo Pontifice saltem *mediatè* derivata; quidni ergo dicere fas sit, Papam subijci Concilio Oecumenico, tametsi hujus forma subsistat ex vicario Christi nomine, Pontificiæ auctoritatis proprio?

66. Verùm in foro Sacramentalis Confessionis ita concurrere debet jurisdictio, ab ipsomet Papa *mediatè* saltem derivata, ut hæc tamen sit *voluntaria*, in vi cujus nemo nisi volens subijciatur illi foro. Sic proinde, si Papa propter delictum aliquod publicum sponte vellet se ipsû subijcere alicui Concilio, quantumvis acephalo, respectu istius fortiretur subjectionem merè *voluntariam*, ex se ipso scilicet, non verò ex Concilij, etiam quà Oecumenici, Divinâ institutione dependentem.

67. Imò pro *quinto* quando Papa se ipsum volens subijcit Foro confessionali, adeóque jurisdictioni à semet erga se ipsum prorogatæ, tunc isti supervenit characteris Sacerdotalis potestas, quæ in sui infusione ita dependet à Iolo Christo, ut in ipsius exercitio sacerdos se habeat quâ Christi duntaxat, non autem Papæ, instrumentum in ordine ad Sacramentalem absolutionem impertiendam. Sub cujusmodi proinde absolutionis Sacramentalis actu ipsemet etiam Papa perfectam erga Confessarium, quà Christi ministrum, imò erga ipsum quoque Christum habet subjectionem, debetque adeò pro tali Foro profiteri aliquam supra se quà Christiano homine superioritatem, quæ tamen sit *principaliter* in Christo, *instrumentaliter* autem in sacerdote Sacramentaliter absolvente. *ex cit.* pag. 232. n. 34. & pag. 233. n. 35. & 36.

68. Pari igitur ratione quoad Fidei dogmatum in Concilio Oecumenico definitiones, Papa *plenè* & *absolutè* constringitur tali definitione, ex vi auctoritatis *instrumentaliter* Concilio Oecumenico, quà suæ quoque Vicariæ

Christi auctoritatis characterem præferenti, *principaliter* autem ipsimet Christo, Spiritui-que sancto, Synodo quàOecumenicæ *secundùm Christi promissionem* assistenti, ineluctabiliter competentis Nihilominùs hæcPapæ erga dogmaticas Concilij Oecumenici definitiones obligatio & subjectio respicit quidem perfectam Spiritûs sancti, ac Christi respectu Papæ superioritatem : at quia Concilium quâ Oecumenicum, ipsammet Papæ præeminentiam, ceu sui characteristicam formam *essentialiter* includit; idcirco Concilio Oecumenico non non tam superioritatis *strictæ*, quàm cujuspiam erga Pontificem *solitariè* spectatum majoritatis præcellentiam importat; veluti fusiùs expositum habetur in *antecedentibus*.

Caput. II.

An superioritas Papæ supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Litteris, Conciliis Oecumenicis, Historijs Ecclesiasticis, & usu ac praxi Ecclesiæ.

§. I.

Pro hujus disquisitionis solidiori resolutione, expedit, varios distinguere Concilij acephali status.

1. PRimò igitur status *realis* Concilij acephali contingere potest, dum Papa est dubius, sicque ex universo Orbe Christiano congregantur Episcopi ad certum Papam exquirendum, seu constituendum ab illis, ad quos spectat electio Summi Pontificis designativa: qui status erat primitus in Concilio Constantiensi. Quæ Synodus quantumvis *materialiter* pro tunc etiam dici potuerit Generalis, non tamen erat *formaliter* Oecumenica, quia in ipsâ deficiebat *formalis* character, ex Christi nomine Vicario, Pontificiâ scilicet authoritate subsistens, quoúsque certi Pontificis authoritas Apostolica eidem tandem accesserat: dum interea in tali Concilio acephalo non alia, quàm universorum ex Christiano Orbe ibi aggregatorum Ecclesiæ Antistitum in unum collata interveniebat jurisdictio, cum aliquo extensivo ut sic ad publicum Ecclesiæ Bonum referibili augmento.

pag. 243. n. 3.

2. *Secundò*. Alter Concilij *realiter* acephali status est, quando Synodus Generalis erat primitus a Summo Pontifice legitimè congregata, sed postea fuit eidem subtracta auctoritas Pontificia, ejusdem indicens solutionem. Cujusmodi status erat Concilij Basileensis, sibi postmodùm arrogantis *auctoritativam* & *judicatariam* super Papa auctoritatem, dum econtra Summus Pontifex suam tali Concilio supereminentem potestatem eâ exercebat efficaciâ, ut illius in altero etiàm Papa constituendo arrogata auctoritas prorsus evanuerit.

3. *Tertiò*. Concilij generalis secundùm *mentalem duntaxat abstractionem* acephali, varius adhuc status considerari potest. Inprimis enim potest cum Papâ comparari præcisum Concilij Corpus hierarchicum ex Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis consistens, nomine Christi vicario, seu Pontificiâ auctoritate aggregatum. De isthoc Corpore Hierarchico disquiri potest in præsenti: *an Papæ auctoritas habeat aliquam ab illo dependentiam*; & : *an ista dependentia importet aliquam ejus Corporis Hierarchici supra Papa superioritatem?* Ad quod perspicacius intelligendum, lubeat corpus humanum à suo capite præscindere non *physicâ* separatione, sed *mentali* abstractione. Sub ejusmodi namque præcisione *mentali* multas in humano corpore vitales seu vegetativas, seu sensitivas, tum cordis, tum hepatis, aliorúmve membrorum functiones reperimus, quæ non sunt in capite, sicque adeò cum isto collatæ faciunt quandam *extensivam* majoritatem ultra proprias capitis functiones, quæ tamen ab illis vel maximè & ut plurimùm necessariò dependent. Quæ nihilominùs capitis *quoad sui conservationem*, & *in ordine ad functiones sibi proprias* à reliquis humani corporis membris, corde præcipuè ac hepate, dependentia, nullam in humano corpore *præcisè* spectato super caput importat superioritatis quasi gubernativæ rationem, quin potiùs caput regimen quoddam teneat super totum corpus humanum, ejúsve membra, ac functiones istorum, saltem quoad *mediatum* aliqualis directionis ac moderationis in eas influxû. Sic proinde, si Ecclesiæ Corpus hierarchicum integrum consideremus *secundùm quandam Capitis ac reliqui Corporis hierarchici in Concilio Generali coadunati præcisionem mentalem*, & *secundùm aliquam inter se collationem*, verificatur equidem, quòd Summus Pontifex, Ecclesiæ Caput, indigeat membris hierarchicis, Episcopis à Spiritu sancto positis, ut regerent Ecclesiam Dei. Quæ indigentia spectat tum Episcopos *sigillatim* spectatos, quà diversarum Diœcesum Rectores, quas impossibile foret ab uno Pastore ad sufficientiam gubernari; tum Episcopos *collectim*, in unum Generale Concilium coadunatos, quorum Episcopales Jurisdictiones in unum collatæ faciunt aliquam *superiùs* expositam generalitatem *extensivam*. Quæ etiam *extensivâ* Corporis hierarchici universalitas est necessaria, ut Caput ipsum, Summus Pontifex, potiatur prærogativâ *ultimatæ* & *consummatæ* in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis. Quippe cùm ista sit per Christum repromissa consensui Capitis, unà ac reliqui Corporis hierarchici, intrà Concilium Oecumenicum coadunatis membris. Ex quâ etiam infallibilitatis prærogativâ Capiti Ecclesiæ accrescit majoritas quædam *intensiva*, quam tamen *superiùs* demonstravimus, non importare *propriè* dictam superioritatem, neque Divinitus repromissam esse Concilio quà acephalo, id est sinè Capite considerato, sed utrique consentienti, adeóque *collectivè* sumpto. Quandoquidem igitur corpus humanum *secundùm abstractionem mentalem*, à capite præcisum, nihil habeat super istud superioritatis, sed capitis econtra sit quædam supra reliquum corpus gubernativa seu

mode-

moderativa superioritas: num dicere fas est, Concilium *Generale quà acephalum, sinè Capite consideratum, respectu Capitis*; vel potiùs *Papam, Ecclesiæ Caput, respectu reliqui hierarchici Corporis in Concilio Generali* aggregati, *habere præeminentiam superioritatis?*

Quartò. Concilium dici potest aliqualiter acephalum, quando legitimâ Papæ auctoritate congregatum, præsidentes quidem habet Legatos seu Nuntios Apostolicos, necdum tamen obtinuit personalem consensum Summi Pontificis, decretorum inibi sancitorum confirmatorium: nam verisimilius est, istius consensûs dogmaticis sanctionibus auctoritate Pontificiâ impertiendi auctoritatem, non esse delegabilem Legatis Apostolicis, sed esse *personalem* Pontificiæ præeminentiæ *indivisibiliter* annexam. Quia igitur omnimodæ & consummatæ in fidei dogmatibus infallibilitatis auctoritas, ex Christi Domini institutione non competit Concilio Oecumenico, nisi quatenus *Duo*, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum consenserint. Idcirco Synodus quantumvis Generalis, quoad auctoritatem fidei dogmatum definitivam, non est in statu *consummatæ* Synodi, quâ *formaliter* Oecumenicæ, quoúsque ad sanctiones ejusmodi accesserit personalis Papæ consensus.

Nihilominùs pro *quinto* dicendum est, ubi per Summum Pontificem facta est indictio Concilij Generalis, mandato ad universos Christiani Orbis Episcopos, Ecclesiæque Prælatos directo, atque in vi hujus mandati convenerint Præsules Ecclesiastici, præsidentibus præcipuè Pontificijs Legatis, Concilium jam esse in statu Oecumenicæ Synodi, quoad Apostolicam huic Divinitus commissam ligandi & solvendi potestatem. Ex tunc enim verificatur, Concilium esse aggregatum vicario Christi nomine, sive Antistitum tali modo coadunatorum Conventum existere insignitum Apostolicæ, vicarium Christi nomen præferentis, auctoritatis characterem. Nec interest, sive pauci, sive plures sub tali charactere fuerint coadunati ex Orbe Christiano Præsules, Christo Domino *Matth. 18.* pronuntiante, se in *medio eorum fore, ubi duo vel tres in nomine suo congregati fuerint.* Quamvis verò istiusmodi Christi assistentia Præsulibus Ecclesiasticis *in nomine* ipsius aggregatis, videri possit inferre omnimodam in rebus fidei infallibilitatem: nihilominùs quia Christus hanc annexuit Duorum, scilicet Capitis, nomen suum vicarium præferentis, ac reliqui hierarchici Corporis consensui: ideo prius quàm talis consensus fuerit *personaliter* præstitus à Papa Christi Vicario, Concilium quantumvis Generale ac Oecumenicum, in ordine ad fidei sanctiones non est adhuc in statu perfecto, seu *ultimatè* consummato: tametsi Apostolica ligandi & solvendi potestas *indefinita* Concilio Oecumenico, quà Collegij Apostolici successori à Christo *immediatè* concessa, antecedenter ad illam consummatam, ex personali Pontificij consensûs concursu subsistentem omnimodæ infallibilitatis perfectionem, jam locum habeat, ex quo Concilium in Christi vicario Nomine sub Sedis Apostolicæ Legatorum præsidentiâ inchoari & continuari cæpit. Sub cujusmodi proinde statu est paritas & æqualitas, nullaque adeò superioritas inter Pontificiam potestatem, & Synodum ex Capite per Legatos præsidente, ac reliquo Ecclesiæ hierarchico Corpore coadunatam.

§. II.

Expenduntur patris adversæ argumenta ex sacra Scripturæ verbis petita.

6. PRimò. Adversarij prætendunt, & quidè meritò, *formam posteriorum Conciliorum Oecumenicorum petendam esse ex norma Concilij Hierosolymitani, Actorum 15. à v. 6. descripti.* At immeritò subsumunt *ex v. 17. & 18. ac sequentibus.* Iacobum Apostolum, postquàm Prophetica ad disquisitionis de Legalibus tunc propositæ decisionem facientia, adduxisset oracula, *definitivam & judiciariam* protulisse sententiam: *Propter quod*, inquiens, *ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Ex hac igitur Concilij Hierosolymitani normâ videtur evinci, quòd definitiva sententia in Synodo Oecumenicâ non sit penes Petri successorem. Verùm quis Catholicorum negare ausit, Petrum in Concilio Hierosolymitano præsentem, jam prius à Christo obtinuisse Primatum, extitisseque Caput Ecclesiæ? Quo supposito, quis rursus Catholicorum præsumet negare, Capiti Ecclesiæ intrà Concilium Oecumenicum convenire officium Præsidentis? *Pag. 135. n. 143.* *Pag. 237. n. 22.*

7. Hoc igitur præsidentiæ munus in Concilio Hierololymitano esse à Petro exercitum, præter fundamentum *alibi* deducendum, ita demonstratur. Etenim is ex Apostolis Præsidis munus in eo Concilio subibat, qui quæstionem *ibidem* propositam conquisitione magnâ à Cœtu Concilij priùs factâ, primus taliter definijt, ut cæteri Apostoli in ejus sententiâ uniformiter condescenderent. At legenti sacrum textum *cit. cap. 15. Actorum*, perspicuè constabit: magnâ priùs conquisitione circa propositam controversiam factâ, Petrum *à v. 7.* primum surgentem definisse quæstionem, dicendo *vers. 10. Nunc ergo* (oraculis Divinis in contextu recensitis ita se habentibus) *quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* Quâ sententiâ per Petrum prolatâ, sacer contextus dicit *vers. 12. tacuisse omnem multitudinem*, in signum scilicet consensûs. Quamvis proinde Petrus, dum conquisitio fiebat, non legatur primus fuisse locutus, secus tamen est, ubi deveniebatur ad definitionem, quæ primo debetur Præsidi.

8. Neque huic muneri derogatur, licèt Paulus, Barnabas & Iacobus post Petrum locuti fuerint, quia ex sacro contextu rursus constat, hos Apostolos condescendisse in Petri

sententiam: specificè verò Iacobum Hierosolymorum Antistitem subijciendo, Divinis Oraculis, Petriquè sententiæ conformiter *scribendum esse gentibus ad fidem Christi conversis*, in hoc suscepisse munus quasi executoris.

9. *Secundò.* Replicabitur ex parte adversâ. Apostolos & Seniores juxta sententiam à Iacobo pronuntiatam scribendo ad gentes fidè Christi professas, *vers.* 23. talem efformâsse Epistolam Synodalem: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quàm* ex pag. 237. & 238. n. 22. & 23. *hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* In quâ Synodali Epistolâ nullam fuisse habitam rationem Petri præeminentiæ, quòd meritò faciendum fuisset, si Petro convenisset aliqua supra Concilium superioritas. Verùm quia Concilium Hierosolymitanum erat Oecumenicum ex Petro ceu Capite Ecclesiæ, ac reliquis Apostolis, delegationem Apostolicæ auctoritatis licèt *personalem*, & cum ipsis extinctam prærogativam præseferentibus constitens: ideo facilè conceditur, Petro nullam fuisse præeminentiam super eâ Synodo: neque enim quæstio est in præsenti de superioritate Papæ supra Oecumenicam, sed supra acephalam Synodum; uti neque ex eo aliqua evincitur præeminentia, quòd Iacobus primus videatur fuisse in hoc, ut sententia definita scriberetur ad Ecclesiam Antiochenam. Quemadmodùm enim Regis in Comitijs regni sui generalibus præsidentiæ nihil derogat, quòd ubi Ordinum consilia & vota sunt collecta, Rex decernat exinde ex Regiæ Majestatis suæ auctoritate: indeque verò regni primus Cancellarius decretum scribendum demandet: sic neque præsidentiæ Petri officere potuit, quòd Iacobus Apostolus urbis Hierololymitanæ (intrà quam celebrabatur illud Oecumenicum Concilium) Antistes in *viâ executionis*, judicârit primus, gentes ad Deum conversas, juxta definitionem à Petro jam pronuntiatam, non esse per Legalia inquietandas, sicque ijsdem scribendum esse. Quia igitur neque corporis physici, neque Hierarchici à Capite seorsim spectati, potest aliqua supra Caput, in Concilio Oecumenico præsidis munere fungi consuetum, esse superioritas, idcircò ex prælegatâ Concilij Hierosolymitani normâ evincitur, non Synodum *præcisè sinè Capite spectatam*, supra Papam, Petri successorem, sed hunc erga Concilium qua acephalum, habere superioritatem.

10. *Tertiò.* Pars adversa suam prætensionem ex pag. 238. n. 24. contendit firmare ex *Actorum 20. Attendite vobis* (inquiebat Paulus) *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quæ verba Apostoli vel maximè locum habent in Episcopis *collectivè* sumptis, seu aggregatis in Concilio Generali. At in Ecclesia, cujus regendæ potestas attribuitur Episcopis, in Concilio præsertim Generali aggregatis, includitur etiam Papa. Ergo potestas gubernativa Episcoporum extenditur etiam ad Papam.

11. Verùm sicuti in Comitijs publicis alicujus Regni, cujus Rex est Caput Monarchicum, conferuntur equidem in unum universæ Regni gubernativæ potestates, de quibus verè dicitur, esse positas ad regendum totum regnum; nequit tamen hinc concludi, eorum potestates gubernativas, etiam in unum collatas, protendi supra Regem, maximè cùm ex isto seu *mediatè*, seu *immediatè* sint derivatæ universæ illorum potestates, sintque ab ipsomet Rege ad Comitia publica convocatæ, in ordine ad consulendum publico Regni bono, ad quod ex *intrinseco suo fine transcendentali* ordinantur cunctæ particularium regiminum jurisdictiones *civiles* ac *politicæ*. Et hinc per status politicos, eorumque Ordines in Comitijs cum Rege congregatos, fit quædam *extensiva* cujuspiam Bono publico perquàm proficuæ majoritatis, ad regiam potestatem accessio, quæ tamen majoritas *supereminenter*, quoad *intensivæ* alicujus majoritatis superiorem excellentiam, contineatur universim in ipsâ Regiæ Majestatis præcellentiâ. Nec adeò dicere fas est; Comitia Regni, esse supra Regem, si hic sit Monarcha, sed hunc esse supra Comitia.

Pro *quarto* igitur pari ratione dicendum 12. est, si universæ cunctorum etiam totius Orbis Christiani Episcoporum jurisdictiones intrà Concilium Generale aggregarentur in unum, cum suo ad universale Ecclesiæ Bonum *intrinseco & transcendentali* ordine; indè quidem resultaret *extensiva* quædam majoritas, publicæ Ecclesiæ utilitati, ac regimini universali perquàm accommoda & proficua, ut propterea Pastor Oecumenicus in publicis Ecclesiæ necessitatibus obstringatur ad talem Generalem convocationem authoritate Christi vicariâ indicendam. Nihilominùs tota illa ex jurisdictionibus Ecclesiasticis in in unum collatis resultans *extensiva* majoritas *supereminenter* contineretur in Oecumenicâ Papæ auctoritate: quippe cùm ex istâ cunctæ reliquæ inter Episcopos dispertitæ jurisdictiones eatenus deriventur, ut earundem consortes, ceu agni Christi, quoad *cunctam moralitatis lineam*, semper subdantur Oecumenico Summi Pontificis Pastorali officio. Et quia universorum etiam Episcoporum jurisdictiones in unum Concilium collatæ extrahi haudquaquàm possunt à *moralitatis* lineâ, intrà quam Pontificiæ auctoritati, ejusque Clavibus, super quocumque in terris ad Regnum Cælorum seu militans seu triumphans ordinabili *morali*, competit indefinita ligandi & solvendi potestas: idcircò hæ universæ Episcopales jurisdictiones in unam Synodum, quà *præcisivè* acephalam conjunctæ, secundùm *intensivam majoritatem* superioris ordinis, Capitis scilicet propriam præeminentiam, superexceduntur à Papali Oecumenicâ potestate. Et licèt Concilio generali, quà *formaliter* Oecumenico, unà cum Capite scilicet spectato, ex *Matth. 18. cap.* peculiaris adhuc promittatur ligandi & solvendi auctoritas universalis, hæc tamen nequit major & universalior esse, ac sit illa, quæ soli Petro, ejusque adeò successori Pontifici Romano Divini-

vinitus competit, nec adeò Concilium etiam quà Oecumenicum, unà cum Capite spectatum, potest habere majoritatem jurisdictionis, sive superioritatis erga Papam.

13. *Quintò.* Urgebit Adversarius. Auctoritatem Conciliorum probari peculiariter ijs omnibus Scripturæ locis, quibus Ecclesia circa fidem errare non posse, demonstratur. Cùm enim Concilium repræsentet Ecclesiam, necessum esse, ut, quemadmodùm Ecclesia, ita & Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. In cujusmodi adeò infallibilitatis consummatæ prærogativâ Concilium supereminere Papæ *solitariè* spectato. Verum equidem est, tanto honore Christum esse dignatum suam Ecclesiam, adeoque Concilium ejusdem *integraliter* repræsentativum, ut hoc supereminet in consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis prærogativâ; attamen sicuti Ecclesia *absolutè* sumpta, nequit intelligi sinè Capite, sic neque Concilium, quà Universalem Ecclesiam repræsentans, est intelligibile, quin informatù sit Oecumenico Christi vicario charactere, Summi Pontificis proprio. Cujus proinde per suum personalem consensum ad Concilij dogmaticas sanctiones accessio est prorsus necessaria, ut istæ obtineant consummatæ etiam *quoad nos* infallibilitatis prærogativam; uti *patet ex antecedentibus.* Et hinc Concilium non jam acephalum, sed quà ipsum Papam, Ecclesiæ Caput ejusque ex Apostolicæ auctoritatis charactere profluentem consensum *substantialiter* includens, habet quidem aliquam majoritatē *consummatæ* & *ultimatæ* in Ecclesiâ circa fidei dogmata infallibilitatis. At quia ista majoritas non est jurisdictionis, sed præeminentiæ cujuspiam super Spiritûs sancti, ac Christi assistentiâ fundatæ: idcircò ne Oecumenico quidem Concilio competit *stricta* & *propriè* dicta supra Papam superioritas, jurisdictionis nempe majoritatem importans.

Ex cit. pag. 238. n. 26. & 27.

§. III.

Papæ supra Concilium præcisivè *acephalum superioritas ostenditur* ex Deuter. 17. cap.

14. NAm *primò* decernitur in hoc sacro textu, ut causæ difficiles ex Veteris Testamenti legibus judicialibus decidendæ, in quibus variabant fortè judicia, seu tribunalia sæcularia, deferrentur ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui judicarent judicij Veritatem, jus scilicet Divinâ judiciali lege contentum, applicando ad causæ controversiæ statum. Hi ergo Sacerdotes cum judice, nempe Summo Pontifice in loco Sanctuarij congregati, conficiebant Ecclesiasticum Veteris Testamenti Concilium, in quo præsidebat Summus Sacerdos. Acqui ad hunc in eo Concilio spectâsse definitivam sententiam, evincitur ex *cit. 17. cap. Deuter. v. 12.* ubi sic habetur: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio & judicis decreto, morte morietur.* Pari ergo ratione in Concilijs Novæ Legis pertinet ad Summum Pontificem, proferre definitivam sententiam. Hæc autem prærogativa præsidentiæ auctoritatem importans, necessariò infert, quandam superioritatis super Concilij Corpore majoritatem.

Excipient pro *secundo* fortassis Adversarij 15. cum Tostato Abulensi *quæst. 4. in cit. cap. 17. Deut.* Veteris Testamenti Sacerdotem Summum, tanquam præsidem, nomine & consensu Concilij protulisse sententiam: quomodò in Novi quoque Testamenti Concilijs Oecumenicis, Papam nomine totius Concilij ex suffragijs Patrum definire ac decernere; veluti praxis docet, conformiter normæ Concilij Hierosolymitani *Actorum 15.* descripti, ubi non Petri solius, sed totius Synodi Oecumenicæ nomine noscitur fuisse latum decretum sub hoc tenore: *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* Quemadmodùm igitur inepta foret consequentia, quà Dux Venetorum ex eo, quòd nomine totius Senatûs proferat sententiā definitivam, inferretur, esse superior toto Senatu, quin potiùs hic dicendus sit illo major: sic ex eo argumento haud concludi, Papæ supra Concilium, sed hujus potiùs super Papâ superioritatem seu majoritatem, cùm reverà quisque minor dicendus sit illo, ex cujus nomine & authoritate exercet judicium, seu profert sententiā *judiciariam.* Quamvis proinde *Deut. 17.* proclametur reus mortis, qui non obedierit *Sacerdotis* (non Concilij) *imperio*: hoc ipsum tamen imperium nomine, ac vice totius Concilij Ecclesiastici à Summo Sacerdote latum, non reducebatur in istum, nisi quatenus erat repræsentans totum Concilium, sicque adeò hujus præeminentia debebat in ipso fuisse repræsentata. Pari igitur ratione Papam Concilio Oecumenico præsidentem, ita nomine Synodi proferre definitivam sententiam, ut illam sit repræsentans, Divo etiam Augustino inculcante, quòd Papæ summa prærogativa competat ipsi quà repræsentanti Ecclesiam. *Ibi. n.* 29.

Pro hujus exceptionis refutatione, oportet, pro *tertio* discernere varios status Ducum seu Principum tum politicorum, tum Ecclesiasticorum. *Unus* namque Ducis, v. g. Veneti, status est, ut non tantùm sub primævâ sui origine, vel etiam in hujus ad sui personam derivatione, sed in cunctis actibus publicis suam accipere debeat auctoritatem ex Communitatis, aut Senatûs, quem repræsentat, voto communi. Talis proindè Ducis potestas integra est in colligendis votis singularibus, dijudicandâque, unà cum alijs, fortasse votorū majoritate, juxta quam ita subsistet votum commune Senatûs, seu Communitatis, ut ex hujus auctoritate, non ex sua propria præeminentia, definire debeat. In tali igitur statu præeminentia Ducis nullam infert superioritatem super Senatu, sed hujus potiùs auctoritas importat superioritatem supra suo Duce seu Præside. *Alter* Principatûs seu Ducatûs status est, ut in sua prima origine omnimodam potestatem suam, seu Ducalem, seu Regiam acceperit ex Communitate, cui per jus naturæ competebat politica Regia authoritas, vel per se ipsam exercenda, vel transfun-

16.

fundenda pro libitu in unum aliquem Monarcham. Quâ ſupremæ Poteſtatis politicæ in unum Monarcham transfuſione factâ, quis jam dicere auſit, Communitatem Regni in Statuum Comitijs publicis repræſentatam, eſſe Rege, ſi Monarcha ſit, ſuperiorem? Talis ergo Monarcha repræſentat quidem totum Regnum ſuum, Comitiaque ex totius Regni Statibus coram ſe congregata, quæ tamen repræſentatio non ejus eſt conditionis (uti de primo, Ducatûs v.g. Veneti, ſtatu dicebatur) ut ex Comtiorum auctoritate & voto decernere, ſeque hiſce ſubjectum profiteri debeat: ſed ſupremæ politicæ poteſtatis auctoritas unicè ſtat penes ipſum, in vi cujus habet omnimodam, ſuper totius etiam Regni Comitijs ſuperioritatem.

17. *Tertius* Ducatûs ſeu, Principatûs Eccleſiaſtici ſtatus eſt, ut ne quidem in prima ſui origine habeat in ſe derivatam auctoritativam poteſtatem ſuam ex Communitate, quam repræſentat, ſed *immediatè* à Chriſto Domino. Atque talis ſtatus eſt in Summo Pontificatu, prout eleganter eum deſcribit ſanctus Auguſtinus *Serm. 108. De diverſis.* ita diſſerens. Inter Apoſtolos penè ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat; audire meruit. *Tibi dabo claves Regni Cælorum; has enim Claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit: quando ei dictum eſt, tibi dabo, quod omnibus traditum eſt.* Quando igitur Petrus præſignabatur totius Eccleſiæ geſtare perſonam, ac gerere figuram unitatis Eccleſiæ, niſi quando Chriſtus ipſi dicebat. *Tu es Petrus: & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Quaſnam verò Chriſtus Petro Eccleſiæ figuram gerenti claves dedit, niſi quæ importabant *indefinitam* quodcunque ligandi & ſolvendi poteſtatem? Nunquid verò ab iſtâ *indefinitâ* ſuper *quodcunque morale* protensâ auctoritate excludi poteſt ullus actus *moralitatem in regnum Cælorum ordinabilem* præferens? An non igitur ea Petri auctoritas ita eſt repræſentans Eccleſiam, ut omnium ejus membrorum ſeu *ſingillatim*, ſeu *collectim* in Concilio acephalo ſumptorum moralitates complectatur, cum aliqua adeò ſuper ipſas ſuperioritatis præeminentiâ?

18. Quæ univerſa S. Chryſoſtomus elegantter expreſſit *homil. 55. in Matth.* ſuper hæc verba *cap. 16. Vos verò quem me eſſe dicitis &c. Sicuti enim beatus Petrus, interrogatis omnibus, ſolus reſpondens, etiam non exſpectatâ aliorum ſententiâ, pro omnibus reſpondere cenſetur, quia ipſi Pater cæleſtis præ reliquis omnibus Chriſti Divinitatem revelavit, non quia alij, quid reſpondendum eſſet, ipſum docuerunt; ita ipſe Petrus* (concludit is S. Doctor) *fundamentum Eccleſiæ ſtatuitur, ut eam ſuſtentet, non ut ſuſtententur ab eâ: claves accipit ab ipſo* (Chriſto) *cum Eccleſia communicandas, ab ea iterum recipiendas.* Conſtat igitur, Petrum repræſentare Eccleſiam, non eo ſenſu, quòd ab Eccleſiâ receperit ſuam auctoritatem, ſed quòd in Eccleſiam, ejuſque membra Hierarchica derivetur ab ipſo participatio poteſtatis clavium: ſicque adeò Petrus eſt gerens figuram Eccleſiæ, tanquam Princeps, ex quo tanquam primo in terris principio clavium poteſtas communicetur Eccleſiæ membris Hierarchicis, & ſic univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt: *Tibi dabo claves*: quod omnibus traditum eſt in Petro ſeu Principio & Principe, transfundente in omnes, de ſuâ clavium poteſtate. Quare illa repræſentatio Eccleſiæ in Petro, non importat hujus reſpectu Eccleſiæ ſubjectionem, ſed ſuperioritatem reſpectu Hierarchiæ Eccleſiaſticæ *acephalicè* ſpectatæ.

19. Hinc pro *quarto* regrediendo ad prælegatum ex *Deuteronomio* ſacrum textum, ità licet ulteriùs argumentari. In eo namque ſacro textu conſideratione præcipuâ dignum occurrit: licèt judicium cauſæ ad Concilium Sacerdotale delatæ ſpectârit etiam ad judicem, & ad totum conventum Sacerdotum, qui cum Summo Sacerdote conjuncti, deberent indicare judicij veritatem; uti verba Divina *verſ. 9. & 10.* habent, nihilominùs obedientia tali judicio ac decreto judiciario debita, ſequenti *verſ. 12.* reducitur in unum Sacerdotem Pontificem Maximum: quatenus *ibidem* morte dignus pronuntiatur, qui *ſuperbiendo noluiſſet obedire Sacerdotis imperio, & Decreto judicis.* Ex quo manifeſtum redditur, in Veteri Teſtamento Concilium illud Sacerdotale non fuiſſe potitum ſuprema *judicariâ* auctoritate, niſi quà conjunctum cum Summo Sacerdote, ſub quâ proinde coadunatione ita conſiſtebat ſuprema judicij auctoritas, ut ſententiæ tamen inde prolatæ vis ac energia à *præcitato ſacro textu* adſcriberetur præciſo Sacerdotis imperio. Cur hoc? niſi quia ſub Sacerdotis Summi, ſeu Judicis, & tanquam Capitis, Præſidiſque charactere, ceu quaſi formâ Concilij, conſiſtebat hujus auctoritas, quæ ubi Concilio acceſſiſſet, vim obtinebat, ſub mortis etiam reatu obſtringendi ad decreti ſeu imperij taliter lati obedientiam. Quemadmodùm igitur corporis humani forma huic eatenus præeminet, quatenus in ſe *eminenter* continet cunctas etiam corporales ſeu ſenſitivas, ſeu vegetativas potentias: & hinc, licet anima ſecundùm ſe præciſè ſpectata, non habeat vim eliciendi tales functiones corporales, ſed ad eas præſtandas opus habeat corpore ac membris ipſius, ceu organis ad ejuſmodi operationes per naturam deſtinatis, minimè tamen dicere licet, corpus exercere quandam ſuper animâ quaſi ſuperioritatem. Sic in Veteri Teſtamento ex ordinatione Divinâ *judiciaria* ſuprema Eccleſiaſtica poteſtas, ipſarum etiam Dei legum judicialium interpretativa, & ad causas ſeu *civiles*, ſeu *criminales* applicativa, non competebat quidem Summo Sacerdoti, niſi quà concurrenti cum Concilio, eo ipſo tamen, quòd hujus ſententia eſſet quaſi informis, quamdiu non informabatur Summi Sacerdotis conſenſu, ideo iſtius imperium ita fuerat dependens à Concilio, ut reſpe-

respectu istius Summus Pontificatus se haberet tanquam forma, in tantum supereminens, in quantum anima in ordine ad functiones etiam corporales supereminet corpori, à quo ceu organo est dependens. Ob cujusmodi adeò præeminentiam sacer textus præciso Sacerdotis imperio attribuit vim reatûs mortiferi inflictivam, quatenus scilicet Concilij vota in Sacerdotis tandem consensum reduci debebant, ut ab hoc, ceu formâ, reciperent vim auctoritativam: sicque proinde vis imperij reducebatur in Summum Sacerdotem, quâ Concilio consensu suo auctoritativo accedentem; atque adeò iste meritò dicendus fuerat Concilio præeminuisse.

20. Pro *quinto* igitur, per rationem minimè disparem in expendenda auctoritate Oecume-
ex pag. 241. n. 43. nica Concilij Generalis intrà Novum Testa-
mentum, res ita tractari debet, ut, si Syno-
dus, quantumvis *materialiter* Generalis, sit *realiter acephala*, id est absque Capite, Summo Pontifice; dicere oporteat, ipsam non conficere nisi Cœtum Ecclesiasticum, auctoritatis Oecumenicæ charactere destitutum, ac consistentem unicè in aggregatione Episcopalium jurisdictionum in universale Ecclesiæ bonum, ex ipsâ intrinsecâ quoque naturâ suâ coordinatarum. Quòd si verò Concilium Generale sub vicario Christi charactere sit primitùs coadunatum, sicque Oecumenicâ Papæ auctoritate insignitum, nequit equidem dici *realiter acephalum*, attamen quà *abstractivè acephalum*, potest comparari cum Summo Pontifice. Sub tali igitur comparatione Papa se habet ad reliquum Concilij *abstractivè acephali* corpus, tanquam forma. Neque verò in Concilij Generalis primâ duntaxat coadunatione, quam, oportet, fieri in Nomine Christi, seu vicariâ hujus auctoritate, sed sub ipsa etiam dogmatica definitione, eatenus debet Concilio accedere Summi Pontificis cum illius sensu consonans consensus, ut antecedenter ad istum, sanctio *Conciliaris* sit adhuc informis, indigens auctorizativo Papæ accessu, ceu formâ Decreti quà dogmatici, perfectivâ & consummativâ. Quantumvis ergo pro isthac Oecumenici Synodalis Decreti vi auctoritativa, Papa sit dependens à Concilio tanquâ ipsius etiam Spiritûs sancti sibi cooperantis organo; quemadmodùm etiam anima in ordine ad corporales functiones est dependens à corpore, ceu organo per sui informationem actuato: eo ipso tamen, quòd Papæ Oecumenica auctoritas ad Concilium *abstractivè acephalum* comparata, se habeat tanquam forma, reliquum verò Hierarchicum in Synodo Generali aggregatum Ecclesiæ Corpus se habeat per modum organi *quasi materialis*, à quo per Christi institutionem pro ultimata dogmatica sanctione debeat dependere Summus Pontifex; ideircò hic meritò dicendus est præeminere Concilio *abstractivè acephalo*.

21. Instabit pro *sexto* Adversarius. Hanc ipsam Summi Pontificis in dogmaticis sanctionibus à Concilio dependentiam arguere hujus super Papa superioritatem: quippe cùm talis dependentia in eo fundetur, quòd Concilium sit repræsentans universalem Ecclesiam; veluti Synodus Constantiensis adhuc *acephala* suis Decretis præfixum voluit hujusmodi titulum.

Verùm ex hactenus deductis jam extat 22.
demonstratum, Synodo *acephalæ* non competere, esse Ecclesiæ Hierarchicæ, nisi *materialiter* quasi spectatæ, repræsentativam, ita ut Ecclesiæ Hierarchicæ, seu Synodi, quà Oecumenicæ *formalis* denominatio & ratio, non sit nisi ex charactere Christi Vicario Pontificiæ potestatis proprio. Priusquàm igitur ista auctoritativa Christi vicaria forma accedat Concilio *acephalo*, nequit quidquam habere de auctoritate Oecumenicâ. Hujus ulteriorem demonstrationem accipe ex sequenti inductione. Duplex namque est Concilij Oecumenici *Matth. 18.* per Christum constituta præeminentia. Una consistit ex eâ, quæ Apostolis *collectim* sumptis, quà Ecclesiam repræsentantibus, sicque in Concilio Oecumenico aggregatis ibidem est promissa *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Quem-
ex pag. 242. n. 42. admodùm verò anima se habens, tanquam principium *formale* respectu emanationis connaturalium potentiarum, ex ea profluentium in corpus, nequit inferior, sed potiùs superior dici debet isto, utpote quod in ordine ad illas se habet tanquam *materiale*, subitque rationem principij *materialis & organici* erga rationales quoque animæ operationes, quà ex phantasiâ dependentes. Sic in Concilio Oecumenico, quà jurisdictionis illius universalis per Christi Domini verbum susceptivo, *formale* quasi principium ejusdem est character Papæ, præferens Christi nomen vicarium, Synodi quà Oecumenicæ *formaliter* constitutivum: *materiale* verò est reliquum Corpus Ecclesiæ Hierarchicum, consistens ex Christiani orbis Prælatis Ecclesiasticis, in unum cum Christi Vicario aggregatis. Num igitur fas est dicere, istud Corpus, si *acephalicè* spectetur, esse Papâ superius, vel potiùs Summus Pontifex respectu Concilij *præcisivè acephali* major & superior nominandus est?

Septimò. Altera dein Concilij Oecume- 23.
nici prærogativa consistit ex omnimodâ & consummatâ in dogmaticis sanctionibus in-
Ibi. n. 41. fallibilitate. Hæc verò competit Concilio non *acephalo*, sed pleno ac Oecumenico, ut sic compositio ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Corpore, per vicarium Christi Nomen aggregato, quà ambobus in unum veritatis Divinæ sensum consentientibus. Quemadmodùm igitur capacitas redimendi genus humanum, non poterat equidem convenire Christi animæ separatæ, sed quà unitæ corpori, ita tamen, ut hæc capacitas *per se primò* competeret Christo ratione animæ, corpore ad eam se habente per modum organi, *materialiter* concurrente ad opus Divinæ redemptionis. Sic consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas, neque soli Papæ saltem *quoad nos*, neque Concilio *acephalicè* considerato, sed *plenè ac perfectè* Oecumenico competit, ita tamen, ut auctoritas

Pontificia sit quasi *formale*, reliquum verò ex Episcopis aggregatum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum, sit *materiale* constitutivum Concilij quà susceptivi consummatæ & ultimatæ in rebus Fidei definiendis infallibilitatis. In quantum ergo anima Christi in ordine ad opus redemptionis humanæ supereminebat corpori, ad eandem redemptionẽ *passivè & materialiter* concurrenti: sic Papæ auctoritas, ceu Concilij Oecumenici forma, prævalet reliquo Ecclesiæ intrà Synodum Generalem aggregatæ, corpori Hierarchico, etiam in ordine ad participandam illam consummatæ in sanctionibus dogmaticis infallibilitatis prærogativã.

24. *Octavò.* Ad ipsissimam hanc prærogativam magis elucidandam, haud inepta est Novi ac Veteris Testamenti Sacerdotiorum sequens comparatio. In Antiquo namque Testamento Divina proferebantur Oracula tũ ex Sanctuario, in quod Summo duntaxat Sacerdoti patebat aditus; juxta *16. cap. Levit.* tum ex Rationali *Vrim & Thummim*, ornamento Summi Sacerdotis, quo pectus ipsius tegebatur, & cui inscripta erant ista verba: *Doctrina & Veritas.* Nunquid verò tale in fidei dogmatibus definiendis Oraculum Divinum præstò est Novi Testamenti Summo Pontifici, Petri successori, tum ex eo, quòd sit Petra, super quam fundata est Ecclesia, cui portæ inferi non prævalebunt: tum ex eo, quòd Christus pro Petro, ejusque adeò Successore rogârit, ne fides ipsius deficeret, sed in fidei veritatibus confratres suos confirmandi efficaciam obtineret? Ubinam verò talis præeminentia in sacris Litteris habetur concessa Concilio *acephalo*? An non igitur Papa in hoc dicendus est præeminere Synodo, sive *realiter*, sive *præcisivè acephalæ*?

Pag. 243. n. 48.

25. Verùm de hoc *infrà* disseremus ex instituto. Interea dum in præsenti est sermo de consummata fidei, saltem *quoad nos*, omninò ultimatâ infallibilitate, subsistente in Papa, quà consentiente cum reliquo Generalis Concilij Corpore Hierarchico: non importunè sequens efformatur argumentum. Nempe sicut Sacerdotis Summi in Antiquo Testamento de consulendis Divinis Oraculis, prærogativa non habebat in ipso locum, nisi quà ingresso Sanctuarium, vel quà consulente Deum per Rationale *Vrim & Thummim*, sic ea consummatæ circa fidei dogmaticas sanctiones infallibilitatis omnimodæ prærogativa competit Papæ intrà Sanctuarium Concilij Oecumenici, quatenus scilicet cum isto consentit. Qui consensus, seu Papæ ad Concilium sub vicaria Christi auctoritate suâ aggregatum accessus auctorizativus, est mysticum Rationale *Vrim & Thummim*, ex quo Deus ipse loquitur, faciens quodcunque petierint *Duo*, Caput scilicet ac reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus, pariter consentientia: quibus ut sic Christus cum Patre suo Æterno ac Spiritu sancto *infallibiliter* assistendo inspirat, ac edocet ipsos veritatem dogmatis, pro quâ firmandâ in unum sunt coadunata. Quamvis proinde Papæ intrà Concilium sit infallibilitatis consummatæ præeminentia major, quàm *secundùm nos* saltem (quamdiu Ecclesia aliud non definit) sit in solo Papâ, extra Concilium constituto. Quia tamen hæc ipsa prærogativa eatenus competit Concilio Oecumenico, quatenus in hoc Papæ auctoritas quasi *formale*, reliquum verò Hierarchicum Ecclesiæ Corpus est quasi *materiale*. Idcircò sicuti anima non nisi quà unita humano corpori, est capax gratiæ sanctificantis ex meritis Christi suscipiendæ, nequit tamen dici, quòd anima in ordine ad istam gratiæ sanctificantis capacitatem, dependens à corpore mortali, sit isto inferior, sed potiùs asserendum est, quòd animæ super corpore competat superioritas; imò ne totus quidem homo potest dici habere superioritatem super animâ; sic licèt Papa non nisi quà conjunctus cum Concilio, per suam Christi vicariam auctoritatem aggregato, obtineat consummatam omnimodæ saltem *quoad nos* ultimatæ infallibilitatis prærogativam, quia tamen Papæ suprema auctoritas est *quasi formale*, Concilij quà Oecrmenici constitutivum, nequit Concilium ejusmodi dici, habere *strictam* respectu Papæ superioritatem.

Pag. 244. n. 49.

§. IV.

An ex regulâ fraternæ *correctionis per Christum* Matth. 18. *institutâ evinci valeat Concilij Generalis supra Papam superioritas?*

IN præsenti agendum nobis erit cum Tostato Abulensi, *in Defensorij sui part. 2. cap. 72. & 73.* tractante hæc Christi Domini ad Petrum etiam prolata verba: *Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ.* Nam *primò* Christus hoc dicebat Petro, dum quidem non erat adhuc Papa, illa ipsa tamen verba referebantur ad tempus, quo Petrus erat futurus Papa. At verò ex ijsdem Christi Domini verbis constat, Petrum remitti ad peccatorem incorrigibilem denuntiandum Ecclesiæ. Sub hac verò Ecclesiâ intelligi Concilium Generale, probat *præcitatus* Abulensis *cap. 70.* Quòd si ergo Petrus quà Papa esset major, quàm Concilium Ecclesiæ repræsentativum, non remitteretur à Christo ad Ecclesiam, sed sufficeret, quòd sibi tanquam Papæ de delicto fieret denuntiatio, sicque id puniret; cùm judex superior nunquam remittatur ad inferiorem.

Pag. cap. 70. n. 40.

Verùm lubenter admittimus, illa Christi Domini verba; *dic Ecclesiæ*, referri ad Petrum pro eo tempore, quo erat futurus Papa, attamen si sacer ille textus conferatur cum suo contexta, evincitur, Ecclesiæ *nomine* ibi venire Concilium Generale non *acephalicè* spectatum, sed quà in *Nomine Christi*, adeóque *vicariâ hujus auctoritate*, Papæ inexistente, condunatum. Unde fit consequens, si peccator publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sanctamque unitatem & pacem perturbet, peccari etiam in ipsum Papam utpote Oecumenicum Pastorem, cui Ecclesiæ Universalis cura incumbit. Dum Papa igitur tanto malo nequit se solo efficaciter remederi, ipsius utique officio

ficio incumbit, ut dicat id, seu denuntiet Ecclesiæ sive Concilio, Ecclesiam Universalem repræsentanti, minimè tamen subsistenti absque characteris sui vicarium *Christi Nomen* importantis concursu. Quæ proinde denuntiatio tunc minimè fit à Papâ quà inferiore: quemadmodùm etiam in processu capitalis sententiæ, juxta Imperij Romani normam, fit accusatio nomine Principis territorialis, qui tamen minimè dicendus est inferior suis subditis, judicij *criminalis* assessoribus, *quà collectim* etiam spectatis, seu in commune Concilium ad criminale judicium coadunatis. Ea igitur denuntiatio Concilio Generali facienda per Papam, huic competit, quà supremo Ecclesiæ Principi. Et licèt in ultimatâ dogmatis sententiâ Papa non procedat, nisi unà cum Concilio, quippe cùm *Duos*, nempe Caput ac reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus, oporteat, juxta sacrum contextum, consentiendo in unum concurrere, ut omnimoda & consummata stet dogmatis, Universam Ecclesiam constringentis infallibilitas. Et hinc dicere licet, Concilium Oecumenicum, quà ex Capite simul ac reliquo Ecclesiæ Corpore Hierarchico *indivisim* subsistens, infallibilitatisque consummatæ & ultimatæ prærogativam obtinens, importare aliquam *majoritatis* excellentiam, de quâ non æquè certum ac definitum fidei dogma est, consistere in solo Papâ. Nihilominùs ista *majoritas*, cùm ipsam etiam Papæ auctoritatem, ceu *formale* Concilij quà *Oecumenici* constitutivum complectatur, minimè importat *strictam* Concilij non jam *acephali*, sed plenè Oecumenici super Papâ superioritatem; velut multoties ostensum est *in antecedentibus*.

28. *Secundò* ex Christi verbis *superiùs* adductis Auctor prælegatus denuò contendit, inde elici, quòd Ecclesia, seu Concilium, non solùm in pertinentibus ad fidem judicet de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad mores & crimina. Quando namque dicitur Papa, esse subjectus Ecclesiæ Universali Matri suæ, cujus vicem plenè tenet sacrum Generale Concilium, aliqui non secundùm Deum, sed secundùm hominem favere volentes Pontificibus, constituendo eos quasi Deos impeccabiles, perperam distinguunt, dicendo, Papam in his, quæ sunt fidei, esse Concilio subjectum: sed in alijs delictis soli Divino relictum esse arbitrio, ita ut nemo mortalium, ne quidem Concilium Generale, ipsum judicare possit, juxta *Cap. Si Papa. dist. 10.* Quæ tamen assertio videtur refragari auctoritati Christi Domini, ex quâ evincitur, Papam subijci judicio Generalis Concilij non solùm in pertinentibus ad fidem, sed etiam in tangentibus actiones *morales*: quia in lege de correctione *fraternâ* Christus subjecit Petrum Ecclesiæ, quæ est Concilium Generale, & tamen lex de correctione non solùm habet locum in peccato hæresis, sed in omnibus alijs delictis, sicut tota observat Ecclesia.

29. Verùm si Papa deficiat à fide, cur Concilio ex solis etiam Episcopalibus Jurisdictionibus aggregato subijciatur, in promptu est ratio, quòd ejus persona, utpote per hæresim avulsa ab Ecclesiâ, jam nequeat esse hujus Caput, nec adeò processui adversùs ipsum faciendo obsistere possit character Pontificius, ex quo subsistit ejus supra Concilium *acephalum* præeminentia. Imò si vel Papa dubius sit, dum character Papalis Episcopalibus jurisdictionibus supereminens, secundùm *prudentialem credibilitatis evidentiam* non patet, nec adeò constare potest esse exemptus à jurisdictionibus Episcopalibus in unum *acephalum* Concilium collatis, jam præsumendus est hisce subesse, atque adeò contra ipsum procedi potest in tantum, ut pro Ecclesiæ Bono perinde decerni queat, ac si nulla prætensi Papatûs in ipso habenda esset ratio. At verò si certa sit Pontificia dignitas, quomodò adversùs istam ratione cujuscunque sceleris procedere fas erit, ita, ut dum est certum Ecclesiæ Caput, adversùs ejus personam *auctoritativè* decernatur, sitque ex correctionis fraternæ censurâ perinde habendus ac Ethnicus, id est, ab Ecclesia avulsus? Quomodò enim inter se cohærere possent, esse verum adhuc & certum Ecclesiæ Caput, & tamen reputandum esse ad instar membri ab Ecclesiæ Corpore abscissi? Pag. 233. n. 13. & 14.

30. *Tertiò.* Abulensis *præcitatus* ulteriùs ita argumentatur. Secundùm correctionis *fraternæ* regulam tam Papa pro denuntiatione peccatorum contumacium, quàm quilibet Christianæ fraternitatis consors remittitur ad Concilium pro ipsius etiam Papæ peccatis denuntiandis; quippe cùm ipse sit Frater omnium fidelium. Ergo actionum quoque *moralium* peccata in Papâ possunt judicari per Generale Concilium. Et sic factum est sæpe antiquitus, ut patet in B. Damàso Papa, qui accusatus de adulterio, coram Concilio Generali, cum quadraginta quinque Episcopis se purgavit. Sic etiam Symmachus Papa tempore Regis Theodorici in Italia regnantis, coram S. Synodo est purgatus, & ita de multis alijs Pontificibus legitur in horum gestis & historiâ B. Damasi, ac sæpe *in Decretis 2. quæst. 5.* Ad quod facit etiam *Capit. 11. octavæ* Synodi Oecumenicæ: ubi sic habetur, *Universalis Synodus cum convenienti reverentiâ quamlibet quæstionem de Romanâ Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Pag. 234. n. 15. & 16.

31. Verùm consideratu dignissimum hîc occurrit, quomodò inprimis ex Christi circa correctionem *fraternam* præscripto, Papa remittatur, ad contumacem Ecclesiæ, id est, Concilio Generali denuntiandum? An hæc remissio fiat in vi *indefinitæ* Concilio Generali quà Oecumenico, sicque per Papæ characterem informato competentis, *Matth. 18.* descriptæ, ad ligandum & solvendum potestatis? At non minùs universalis ac incircumscripta noscitur ex *Matth. 16. cap. ligandi & solvendi potestas* Papæ convenire. Quid ergo ex hac parte specialis inesset utilitatis illi, ad Concilium Generale per Papam deferendæ peccatoris contumacis denuntiatio-

ni, dum solitaria etiam Papæ auctoritas æquè ac Concilij Generalis potestas prævalere potest ad contumacem ab Ecclesiæ communione avellendum, ita ut instar Ethnici sit propterea habendus? An fortè contumacis peccatoris ad Concilium Generale remissio per Papam facienda est, tanquam ad Tribunal superius, in causa *facti*, ut scilicet delicti veritas per processum *judiciarium* indagetur, sicque pœnæ condignæ subijciatur, & ulteriùs non devolvatur? Atquid utilitatis in hac quoq; remissione interveniret, dum quæ Concilio Generali quà *formaliter* Oecumenico est concessa *judiciaria* suprema potestas, unicè fundatur in illâ *indefinitâ* ligandi & solvendi auctoritate, cui ex paritate verborum noscitur compar Papæ etiam *solitariè* spectato competere æquè universalis ligandi ac solvendi potestas? Altior igitur quædam ratio indaganda est, propter quam Papa remittatur ad contumacem peccatorem denuntiandum Ecclesiæ, sive Concilio Generali.

32. Pro *quarto* igitur ratio hæc ex sequenti eruenda est fundamento. Nempe ubi peccator Papæ correctioni, ejusque Decreto contumaciter resistendo, dignoscitur reus vel apertæ, vel plusquàm probabilis hæreseos, tunc ne in Ecclesiæ ac Religionis sanctæ publicum detrimentum cedat ejusmodi pertinacia, opus est, eam percelli ac reprimi per Ecclesiæ ceu Concilij Generalis publicam & auctoritativam censuram. In quo rei statu contumaciæ non tam *quoad processum Facti*, quàm *quoad decisionem Iuris* fidem ipsam contingentis, dogmaticamque ex fide definitionem publicam efflagitantis, per Papam refertur ad Oecumenicam Synodum; non ideo, quòd ipse Papa ceu Petra, super quam est ædificata Ecclesia, non habeat etiam dogmatis ex fidei principijs *auctoritativè* decisivam potestatem, sed quòd certior adhuc *secundùm nos* sit fidei regula ex definitione Generalis, quà per Papam tamen informati ac per ejusdem consensum firmati Concilij. Quam tamen Synodi Generalis quà Oecumenicæ, & per Papam confirmatæ majoritatem, nullatenus inferre aliquam super Papa *propriè* dictam superioritatem, liquet *ex antecedentibus*.

33. *Quintò*. Quando proinde Abulensis in suo præsenti argumento ex Christi de correctione *fraternâ* verbis prætendit: *Papam eatenus etiam remitti ad Concilium Generale, quatenus ipsius, utpote fratris peccata, hæresin lucèt non redolentia, debeant ad ejusmodi Synodum deferri.* Ad hoc responsio in promptu est. Dum enim nullum Papæ peccatum est intelligibile, quod sub peccati reatu sit profluens ex Papali auctoritate per Christum institutâ, sed ex personâ hujus potestatis per Christi ordinationem participe, ut sic communicante cum fidelibus universis, tam in gratiæ & charitatis sanctæ, quàm in Religionis etiam publicæ, Ecclesiæque Orthodoxæ communicatione: quis jam neget, Papam ut sic esse Fratrem Christi fidelium, adeoque non ut Papam, sed quà Christianum hominem subesse correctioni *fraternæ* per Christum *Matth. 18.* instituta? Quid ergo? Si Papa quà peccator, sicque adeò quà homo privatus, *secretè*, *vel etiam coram testibus privatim* à viro ad hoc idoneo secundùm præceptum Evangelicum correptus, se non emendet, sed Ecclesiam publicis peccatis suis scandalizare *protervè* pergat; an nefas erit, ipsum deferri ad Concilium etiam *acephalum*, ut ab eo acriori verborum reprehensione castigatus, ad melioris vitæ frugem reducatur? Sed ubi nec ista reprehensio & correctio verbalis profecerit, dum in fide non defecit, Ecclesiæque proinde membrum & Caput permanet, *indefinitâ* adeò ligandi, super *quodcunque* ad Regnum cælorum ordinabile *morale* protensâ præfulgens potestate: quomodò tunc Concilium Generale (cui non nisi quà Oecumenico, ipsum adeò Papam involventi, pariter *indefinita* solvendi & ligandi auctoritas competit) adversùs ipsum stringere poterit virgam coercitivam?

Cit. pag. 254. n. 18. & 19.

Hoc ipsissimum est, quod ex *Cap. 11. octavæ* Oecumenicæ Synodi *superiùs* adducto habetur, quòd scilicet Generalis Synodus in Romanum Pontificem haud possit *audacter* proferre sententiam: talis namque audacia prorsus interveniret; si virga coercitiva stringeretur adversùs potestatem *indefinitâ ligandi & solvendi auctoritate* dotatam, cujusmodi auctoritas *ex Matth. 16.* noscitur in Papâ, non autem in Concilio *acephalo*, sed plenè Oecumenico habere locum, velut eruitur ex *Matth. 18.* Si equidem Pontifex sponte suâ & voluntariè uti peccatorem, atque adeò quà hominem privatum (uti fit etiam *in foro confessionali*) se subijciat Concilio, meritò istud procedet ad quævis salubria, ac emendationi procurandæ congrua remedia, absque ullâ tamen *judiciariâ coercitivâ fori externi* propriâ auctoritate, utpote haud potente constringere illum, cui, quamdiu hæreticus non est, inamissibiliter inest *absoluta* & *indefinita* solvendi potestas. Et hinc à fortiori potest Papa utâ subsidio Concilij Generalis, ad famam iniquè sibi ereptam, Ecclesiæ Bono, ac regimini perquàm necessariam reparandam: in quo tamen actu nulla erga Papam, sed hoc ipsomet etiam concurrente, suamque auctoritatem Synodo pariter impertiente, erga ejus iniquos diffamatores exercetur jurisdictio. 34.

Pro quo magis elucidando fingamus pro *sexto* Concilium aliquod Generale, quod eo ipso, dum est *acephalum*, nequit *formaliter* Oecumenicum esse, adversùs Papam non hæreticum, nec adeò jure *Divino* non depositum, vel etiam non dubium, nec adeò Episcopalibus ob Ecclesiæ Bonum publicum in unum congestis jurisdictionibus subditum, eò usque procedere, ut in ipsum ab Ecclesiâ agnitum verum Papam, stringat Excommunicationis censuram, Ethnici adeò statu condignum eum decernens: quid efficaciæ, seu vis constringentis, poterit in tali sententiâ reperiri, dum ipsemet Papa ejusmodi sententiam evacuare, imò omni prorsus valore destitutam, adeóque nullam, ex suâ Oecumenicâ 35. Pag. 251. n. 22.

auctoritate declarate, ac *juridicè* pronuntiare valet? Nam eo ipso, quòd de fide sit, Papæ ab Ecclesiâ recepto, competere claves Regni cælorum, cum *indefinitâ* super *quocunque* in Regnum cælorum ordinabili *morali* potestâ solvendi & ligandi potestate; evidenter redditur manifestum, quamcunque Concilij *acephali* adversùs Papam quomodocunque latam sententiam posse ex vi illius Oecumenicæ auctoritatis enervari à Papâ, imò nullam, omnique constringente efficaciâ prorsus destitutam, *juridicè ac judicialiter* pronuntiari. Sicuti ergo ex fidei principijs evincitur, nullam Generali *acephalo* Concilio esse vim & auctoritatem, suis sententijs *juridicis* constringendi Papam, sic ex eisdem fidei principijs evidenter confutatur Concilj Generalis *acephali* supra Papam auctoritas.

Hoc ipsissimum principium pro *septimo* 36. firmatur ex unanimi consensu Conciliorum, sumorum Pontificum, SS. Patrum, ac Theologorum concorditer asseverantium, Romanam Sedem, sive Papam à nemine, nec quidē à toto Clero judicari posse, eò quòd Papa Vicarius Christi sit super universam Ecclesiam Christianam, ejusque auctoritas præcellat Concilio, possitque adeò ab omnibus appellari Romana Sedes, nec ulla sint rata Concilia, quæ non sunt sulta Apostolicâ auctoritate. In hunc sensum locuti sunt Patres Concilij Nicæni, juxta ejusdem *Canonem 39.* nec non Patres Concilij Sinuessani, *juxta ejusdem Acta.* Patres insuper Concilij Romani sub Symmacho Papa, Patres etiam Synodi Romanæ sub Leone III. Patres *octavæ* Oecumenicæ Synodi sub Adriano II. Pontifice. Patres Concilij Lateranensis sub Leone X. Similia sunt, quæ scripserunt Anacletus Papa & Martyr, Julius Papa, Gelasius Papa, Nicolaus Papa, Paschalis & alij. Ultra SS. Patres seorsim scribentes in hoc concordant, Patres Concilij Oecumenici Sardicensis sub Julio Papa, Patres Concilij Chalcedonensis Oecumenici sub Leone Papa, & Patres Concilij Nicæni II. sub Adriano I. Papa. Ex Canonistis & Theologis pariter sentiunt Ivo Carnotensis *Epist. 81.* B. Augustinus Triumphus *de potestate Papæ quæst. 6. art. 1.* S. Bernardus *Epist. 113. & lib. 3. de considerat. cap. 2.* S. Thomas Aquinas *in 4. distinct. 19. & alibi.* S. Antoninus *tract. 22. p. 3. cap. 6. §. 19.* S. Bonaventura *in 4. dist. 19. & de Cælesti Hierarchiâ parte 2. cap. 1.* & Alexander Alensis *p. 3. q. 40. membro 2.*

Ex cit. pag. 235. ibidem. ex pag. 210.

37. Regrediendo ad Tostatum Abulensem opponi potest pro *octavo.* Ex fundamentis Evangelicis *Matth. 18.* traditis apparere, Christum reliquisse in Ecclesiâ unum tribunal supremum, quod de omni homine haberet judicare, & istud esse Concilium Generale, Universalem Ecclesiam sufficienter repræsentans. Quod Tribunal esse impeccabile, nec ullatenus errare posse in his, quæ sunt de necessitate salutis, & ob hoc pertinere ad ipsum, judicare ac determinare *ultimatè* de omnibus dubijs tam in fide, quàm in actionibus *moralibus*, & post ejus determinationem non licere alicui fidelium resistere, quia manifestè Divino judicio resisteret.

Pag. 267. n. 14.

Verùm libenter damus, Concilium Generale non quà *acephalum*, sed quà *formaliter* & *completè* Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, esse ultimatum in Ecclesia Tribunal, circa fidei, aut morum sanctiones dogmaticas pronuntiare potens. Eo ipso tamen, quòd hujus sancti Tribunalis quasi anima & forma sit Papæ auctoritas Oecumenica, neque illius judicium definitivum, seu sententia *ultimatè* decisoria subsistat, nisi ex Papæ cum Concilij suffragijs majoribus consensu auctorizativo: idcircò nequit respectu Papæ aliquam præferre strictæ superioritatis præeminentiam, uti multoties ostensum fuit. 38.

Pro *nono* replicabit quis ex Abulensi *præcitato cap. 72.* Ipsummet Petrum actibus suis ostendisse, quòd Concilium Generale ipso esset majus, quia subibat mandata Generalis Concilij, dum scilicet Apostoli & Seniores, qui erant congregati in Ierusalem, & faciebant Generale Concilium, audientes, quòd Samaria recipiebat verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Unde manifestè patet, Concilium putâsse, quòd sibi liceret mandare Apostolis illis, neque hi resistebant, sed suscepto mandato Congregationis, mox iverunt illuc; veluti patet *ex Actorum 8. cap.* 38. ex pag. 244. n. 50. & 52.

Verùm responsionis loco ex Adversarijs 39. scisciari lubeat. Num ex eo, quòd Deus Pater in mundum miserit Filium suum Unigenitum, coarguere ausint, Patrem esse Filio majorem ac superiorem? Hæc namque missio non respiciebat præcisam Christi humanitatem, sed ejusdem personam in æternitate genitam à Patre, & in tempore vi causalitatis à Patre & Filio, ac Spiritu S. *indivisibiliter* prodeuntis unitam. Nequit ergo ex illa missione ullatenus coargui personæ mittentis supra personā missam auctoritas. Quare nec ex eo, quòd *Actorum 8.* Petrus sit à Concilio Ierosolymitano missus Samariam, inferre licet hujus supra Petrum superioritatem. Nunquid enim inter ipsos etiam homines, quà in unum seu politicum, seu Hierarchicum corpus coadunatos, alia datur missio *auctoritativa* & *præceptiva*, alia verò *excitativa* vel officij in Majore etiam existentis, vel charitatis vigentis inter superiores & subditos, vel etiam inter coæquales? Petrus igitur mitti potuit à Concilio, tum excitando ejus officium Pastoralis curæ Oecumenicæ, tum ejusdem charitatem, exercendam erga conversos Samaritanos.

Pro *decimo* ex eodem Abulensi urgere 40. licet. Quando Petrus se subtrahebat à Gentibus, & cum ipsis non manducabat de cibis communibus, sed cœperat observare Legalia propter quosdam, qui erant de circumcisione: propter quam dissimulationem scandalizabantur Gentiles, putantes, se teneri ad observanda Legalia; tunc Paulus increpuit Petrum, qui tacendo, non se opposuit tali increpationi: sed ubi per Concilium Generale fuit factum decretum de conversis gentilibus non adstringendis ad Legalium observantiam, prorsus acquievit Petrus, credens se subditum Ex cit. pag. 244. n. 51.

Concilij determinationi ac statuto.

41. Verùm disquirere denuò lubeat ex Adversarijs. Num Concilium Ierosolymitanum prohibuerit etiam *materialem Legalium usum?* Oppositum sanè liquet *ex cap. 15. Actorum*, ubi Gentilibus ad fidē conversis non quorumcunque Legalium *materialis* usus interdicebatur, sed abstinentia duntaxat à suffocatis & sanguine. Ex sacro igitur contextu liquet, Decretum Concilij Ierosolymitani unicè fuisse intentum ad condemnandam hæresin Pharisæorum contendentium, oportere, Gentiles conversos circumcidi, & servare legē Moysis. Usus igitur *materialis* Legalium non erat interdictus Apostolis, siquidem Paulus etiam talem aliquando adhibebat usum *materialem* Legalium, ex altiori scilicet cujuspiam rationis motivo. Neque verò Petrus sub formalitate hæresin sapiente, quasi Legalia sub *formali* Mosaicæ legis obligatione essent de præcepto, unquam obstringebat gentiles conversos, vel ipsos etiam Judæos ad talem *formalem* usum Legalium inducebat. Quare Petrus nihil unquam faciebat, quod pugnabat cum Decreto Concilij Ierosolymitani. Imò ipsissimum istud Decretum ex Oecumenicâ Petri auctoritate Apostolicâ ordinariâ, ceu sui formâ habebat firmitatem, cui ipsemet Apostolorum Princeps meritò se conformaret ob Divinæ comprobationis ex Concilij, unà & Oecumenicæ suæ auctoritatis consensione subsistentis, ab omnibus Christi fidelibus, ipsomet etiam Ecclesiæ Capite, *religiosè* observandæ reverentiam; uti hæc patent *ex antecedentibus.*

42. Sed pro *undecimo* excipiet quispiam. Quo igitur jure Petrus in *Epistola ad Galatas* dicatur reprehensibilis, dum suo exemplo inducebat Gentiles conversos ad Legalium usum *materialem* duntaxat? Hoc exaggerans Maymbourgus in *sua Historia Ecclesiasticâ cap. 7. fol. 62.* istanc facit argumentationem prorsus execrabilem. Dum Paulus *in sua ad Galatas Epistola* ob prætactam causam dicit, Petrum fuisse reprehensibilem: vel in hoc dicit veritatem, vel falsitatem. Si hoc posterius dicatur, erit consequens, quòd Epistola *ad Galatas* non sit Verbum Dei. Si illud prius asseratur, sequitur, Petrum non fuisse infallibilem, nec Paulum pro tali eum reputâsse.

43. Verùm si textus Græcus *Epistolæ ad Galatas*, adstipulante etiam Syro, consulatur; liquet inde, Petrum non dici à Paulo reprehensibilem, sed reprehensum à Fratribus, qui hoc Petri facto offensi fuerant, quòd ignorâssent Petri causam & mentem. Juxta has igitur versiones Petrus ex Legalium usu *materiali* ne venialis quidem culpæ reatum contraxerat, utpote qui non tam in se reprehensibilis, quàm ab alijs per ignorantiam reprehensus, juxta Pauli assertionem, habendus esset. Sed posito & concesso, Petrum in Gentilibus ad judaizandum suo exemplo inducendis, culpæ reatum contraxisse, hic tamen reatus neque cum fide, neque cum istius confessione debitâ ullatenus pugnabat, siquidem Petrus eo modo *formalem* Mosaicæ legis proprium Legalium usum, seu horum ex necessitate salutis obligationem nullatenus vel docuerit, vel crediderit, & ideo Maymbourgus ineptè fuit hinc argumentatus adversùs infallibilitatem non tam Petri singularis personæ, quàm Cathedræ ipsius Apostolicæ per Divinam pollicitationem solidatæ repromissam. Quare tota reprehensionis causa in Petro, si verè fuit reprehensibilis, reduci debet ad Gentilium, ex ignorantia quasi invincibili obortam offensionem: quæ tamen offensio minimè poterat Petro imputari, ad reatum saltem mortiferum, dum actio ipsius sanctæ intentionis, & causæ rationabilis motivo eatenus fuerat vestita, ut ea Gentilium offensio seu scandalizatio non tantùm à Petro non fuerit prævisa, sed propter sanctæ honestatis rationes nequaquam imputanda, nisi fortè sub aliqualis subreptionis, fidem minimè contingentis culpâ veniali.

§. V.

Papæ supra Concilium acephalum superioritas demonstratur ex Oecumenicâ & indefinitâ Matth. *16. Petro repromissâ ligandi & solvendi auctoritate.*

44. PRimò. Videtur equidem, primâ statim fronte opponi posse, quòd *Matth. 18. vers. 18.* æquè *indefinita* ligandi auctoritas sit Divinitus promissa Concilio. Nequit ergo, quæ *Matth. 16.* Petro est commissa auctoritas Oecumenica, importare aliquam super Concilio superioritatem. Verùm ex *Matth. 18. cap.* integro contextu inter se collato constat, illam *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem, quæ Apostolis Ecclesiam repræsentantibus, adeoque *collectivè* sumptis, seu in Concilio aggregatis fuit repromissa, reduci ut sic in Ecclesiam. At Ecclesia intelligibilis non est sinè Capite. Nequit ergo ea auctoritas ullatenus competere *acephalo* Concilio.

45. Pro *secundo* igitur, faciendo comparationem inter Papam & Concilium *acephalum*, ita licet in præsenti argumentari. Nempe auctoritas Oecumenica Petro *individualiter ac determinatè Matth. 16.* promissa, protenditur *super quocunque* in terris subsistente *morali* ad Regnum Cælorum, Ecclesiam scilicet militantem & triumphantem ordinabili. At sub isto *quocunque* continetur utique omnimoda Episcopalis Jurisdictio, tum quoad *actualem* sui collationem, & proximæ ad regendam certam Diœcesin potestatis actuationem, tum quoad sui *morale* omnimodum exercitium. Nequit ergo in Concilio *acephalo* præter characteres Episcopales *immediatè* à Christo promanantes, & in hisce radicatas, adeoque *radicales* duntaxat, ad regendum Dei populum potestates, non nisi per Summum Pontificem in statum *actualis & proximæ* jurisdictionis reducibiles, quidquam reperiri, quod sub illo *quocunque* ad Regnum cælorum ordinabili *morali* non sit contentum:

ex 44. 68.

tum: super quo adeò emineat Papæ Oecumenica auctoritas & superioritas.

46. Pro *tertio* excipient fortassis Adversarij. Ista verba: *Tibi dabo claves Regni cælorum*, non ad solum Petrum, sed ad Apostolos universos dicta esse, sive respicere Petrum non in se solo spectatum, sed quà totius Ecclesiæ figuram gerentem; uti *passim tradit S. Augustinus*. Ergo illam clavium potestatem attribuendam esse toti potiùs Ecclesiæ, quàm Petro *solitariè* sumpto. Unde *in Decretis causâ 24. q. 1. cap. 6.* sic haberi: *Quando Petrus accepit claves; Ecclesiam sanctam significavit.*

47. Verùm quæ S. Augustinus *tract. 124. in Ioannem circa medium.* fusiùs ac eleganter hanc in rem disseruit, ad istam reduci possunt formam syllogisticam. Nempe id, quod per proprietatem in Christo est Petra, hoc per significationem est Petrus in Petrâ: atque adeò sub ista significatione intelligitur Christus ita esse Petra Ecclesiæ, ut hæc sit in Christo per proprietatem Capitis *absoluti ac primarij*, Petrus autem sit Ecclesia per significationem, seu figuratam duntaxat Capitis *Vicarij* repræsentationem. At istis ad Petrum prolatis Christi verbis; *Tibi dabo claves Regni cælorum*; Ecclesia fundata in Christo, ab hoc claves regni eatenus accepit in Petro, quatenus per hunc significatur, sive repræsentatur Ecclesia, propter Apostolatûs sui primatum; uti loquitur *præcitatus* S. Augustinus. Quia igitur Ecclesia accepit claves Regni cælorum in Petro, propter Apostolatûs sui primatum, manifestè sequitur, claves Regni cælorum in Petro ita esse datas Ecclesiæ, ut in Petrò esset talis potestas, tanquam in Principe, seu Capite, sive Præposito universæ Ecclesiæ; uti apertis verbis loquitur is S. Doctor *lib. quæst. Veteris & Novi Testamenti.* Item *lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 1.* Quandoquidem ergo Concilium *acephalum*, quantumvis Generale, sit destitutum tali Capitali præeminentiâ, cui annexa est clavis Regni cælorum, Ecclesiæ in Petro ceu Principe suo concessa, hujus verò *indefinita* auctoritas protendatur *super quocunque* ad Regnum cælorum in terris ordinabili *morali*: neque verò Episcopi in Concilium *acephalum* præter characteres Ediscopales quidquam congerant, quod non sit contentum sub illo *quocunque*: manifestum hinc redditur, Papæ ceu Capiti & Principi Ecclesiæ competere Oecumenicæ auctoritatis super tali Concilio superioritatem.

48. Pro *quarto* replicabit fortassis aliquis Adversariorum. Nullibi haberi in sacris Literis expressum, quòd illa *indefinita super quocunque* in terris *morali*, Ecclesiæ in Petro concessa clavium potestas, transierit in Petri successores; nec adeò horum super Concilijs etiam *acephalis* superioritatem evinci ex illo sacro textu.

49. Verùm esto, sub ijs formalibus verbis non haberi expressam Romanorum Pontificum in ea clavium potestate successionem: sub ijs tamen eatenus continetur *virtualiter*, ut ineluctabiliter inde eruatur. Etenim illa Christi verba: *Tibi dabo claves regni cælorum*, diriguntur *determinatè ac demonstrativè* ad Petrum. Illa ipsa autem verba, secundùm clarum sacri contextûs tenorem, sunt à Christo prolata sub connexione ad præcedentia: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesia per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ, durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, adversùs Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeóque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam *indefinitam* & universalem ligandi ac solvendi potestatem non exspirâsse in Petro per martyrium in cælos sublato, sed perpetuò duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeò perpetua, secundùm ipsam rei naturam ita transit in successores, ut isti cum suo antecessore reputentur una persona, non quidem *materialiter*, sed quoad *formalem* potestatem officij pastoralis. Manifestum proinde hinc evadit, secundùm Christi Domini verbum, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cujus perpetuò persistat illa Divinitus promissa Petro, *indefinita* ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeò respectu Ecclesiæ cunctos Christi fideles complectentis, *judiciariam*, & *legislativam auctoritatem* importans.

50. Hinc pro *quinto* patet discrimen ac differentia inter Petri ac reliquorum Apostolorum auctoritatem Apostolicam. Nam universis quidem Apostolis Christus contulit *Ioannis 20.* æqualem potestatem, eamque amplissimâ, prout indicant ejusdem Domini nostri verba *Ioannis 20. cap.* dicentis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos* Nihilominùs hæc ipsissima vox *misit* ... significat, Apostolicæ auctoritatis sublimitatem ibi concessam fuisse *per modum Legationis* duntaxat; prout D. Paulus *2. Corinth. 5. vers. 20.* indicat: *Pro Christo*, inquiens, *Legatione fungimur.* Unde idem Paulus *ad Ephesios 6. v. 20.* ait, *pro quo* (scilicet Evangelij mysterio) *Legatione fungor.* Atqui ex ipsa natura Legationis constat, eam non esse perpetuam, seu ad Successores transferibilem, sed industriam personæ, cum quâ cohæreat, esse in ea electam. Illa igitur plenitudo Apostolicæ auctoritatis exspiravit cum personis reliquorum Apostolorum: nec nisi ex Petro subsistere potest successor clavium Regni cælorum; uti *superiùs* fuit ostensum.

51. Nec obstat: quòd Episcopi dici soleant successores Apostolorum. Hoc enim accipi non potest de illâ delegatâ Apostolis communi auctoritate Apostolicâ: sed in Episcopis est talis successio quoad *Ordinis duntaxat Episcopalis characterem*, & huic *insitam potestatem*, adeóque *radicalem* solummodò Pastoralis officij propriam *Iurisdictionem*, non verò, quoad *actualis Iurisdictionis potestatem proximam.*

mam. Hanc enim accipiunt Episcopi à Summo Pontifice in partem pastoralis solicitudinis eos vocante: quemadmodùm in Sacerdotibus etiam simplicibus est quidem potestas absolvendi à peccatis, quoad characterem Ordinis sacerdotalis, & *radicalem* in hoc importatam super peccatis ac peccatoribus, suum Confessionis sacræ Tribunal accedentibus, jurisdictionem, quæ tamen *proximæ & actualis* à peccatis absolvendi *potestatis* denominationem subire non potest, nisi per facultatem Episcopi, seu ex concessione Papæ *actualiter* conferatur.

52. Sicuti ergo Sacerdotes, quoad istam à peccatis absolvendi potestatem, quâ in characterem Sacerdotali radicatam, sunt ipsorum etiam Apostolorum successores, non tamen *absolutè*, sed *limitatè ac restrictivè*: sic Episcopi quoad illam regendæ Ecclesiæ potestatem *radicalem*, non *absolutè* dici queunt Apostolorum successores, sed cum præinsinuatâ limitatione jurisdictionis in Episcopali characterе radicatæ, non nisi per Summi Pontificis collationem *actuabilis*. Et hinc Episcopi ne quidem in Concilio aggregati, absque interventu Romani Pontificis præferunt characterem Oecumenicæ Apostolicæ jurisdictionis erga universam Ecclesiam protensæ, qui character est Synodi Generalis quâ Oecumenicæ *formaliter* constitutivus. Quia proinde iste character deficit in Concilio *acephalo*, ex meris jurisdictionibus Episcopalibus coacervato, ideo ad tale Concilium haud pertinent Christi promissiones, Concilio Oecumenico factæ de *indefinitâ* solvendi ac ligandi potestate, eique connexâ in rebus fidei infallibilitate. Cùm igitur econtra tales præeminentiæ sint in Papâ, cujus Oecumenica auctoritas protenditur super universas Episcoporum in Pastoralis solicitudinis partem vocatorum jurisdictiones: manifestè hinc evincitur Papæ supra Concilium *acephalum* majoritas ac superioritas.

ex pag. 248. n. 67. & 68.

§. VI.

In quo fit continuatio argumenti proximè deducti ex Ioannis 21. cap. v. 15. 16. & 17.

53. PRimò. In hoc sacro textu legitur Christus præ cæteris Apostolis *definitè ac determinatè* Petro contulisse Oecumenicum Pastorale officium, dicendo: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Indubitatum namque est, Christum proferendo ista verba, non tantùm secundùm Divinitatis contuitum, sed etiam secundùm Humanitatis visionem beatificâ, in Verbo Æterno, seu in Prædestinationis Divinæ Decreto, imò secundùm scientiæ quoque infusæ notitiam, *distinctè* complexum fuisse universas Oves suas & Agnos in unam Ecclesiam pro hujus perpetuo statu aggregandos. Quòd si proinde Oecumenicum pastorale munus, ultra Petri personam ex Christi Domini institutione non fuisset protensum, minimè potuisset complecti universas Oves & Agnos in unam Christi Ecclesiam pro perpetuo hujus usque ad finem mundi propagando statu coadunandos & adaugendos. Oportet igitur, Oecumenicum illud pastorale officium commissum fuisse Petro cum ordine successionis per Christi institutionem duraturæ usque ad finem mundi. At verò *in antecedentibus* ostensum fuit, sub illis Christi verbis, *tò pascere* perinde sonare, ac *tò regere*. Quare id Oecumenicum pastorale munus Petro, ejusque successoribus à Christo commissum, importat auctoritatem gubernativam, protensam super universis Christi Ovibus & Agnis, pro perpetuo Ecclesiæ militantis statu extituris. At in Concilio quantumvis Generali, sed *acephalicè* spectato, quid, nisi Oves seu Agni Christi conveniunt, nempe Episcopi ex universo Christiano Orbe convocati? Hi verò *secundùm mentalem à Capite suo, Petri successore, præcisionem*, sub quâ intelliguntur conficere Concilium *abstractivè acephalum*, nullâ potiuntur auctoritate, nisi Episcopali in unum collatâ, ad curandum publicum Ecclesiæ bonum. Atqui Episcopalis jurisdictio ab ipsomet Summo Pontifice in Episcopos ad suæ pastoralis solicitudinis partem vocatos derivata, non potest non semper manere subjecta Pontificiæ auctoritati, sicut ipsi etiam Episcopi, quâ Christi Oves seu Agni extrahi haudquaquam possunt à sphæra Oecumenici Petro, ejusque successori commissi pastoralis officij. Quia igitur in ejusmodi quatumvis Generali Episcoporum Concilio *acephalicè* spectato, sive in Episcopalibus ex toto Christiano Orbe in unum collatis jurisdictionibus etiam *collectim* sumptis, per sacras Scripturas, nulla est assignabilis præeminentia alicuius supra Papam majoritatis: è contrario autem præadductus sacer textus confert Papæ prærogativam, supereminentem omnimodæ jurisdictioni Episcopali, atque suâ gubernativâ auctoritate Oecumenicâ complectentem cunctos totius Orbis Episcopos, manifesta hinc redditur Papæ supra Generale, *acephalicè* spectatum Concilium superioritas.

Pag. 246. n. 59.

54. Pro *secundo* excipient fortassis Adversarij. Sub ipso Concilij Tridentini statu fuisse concertatum: an sub illis Christi verbis: *Pasce Oves, seu Agnos meos*, isti *collectim* etiam sumpti, non verò in sensu duntaxat *distributivo* sint contenti sub Oecumenici Papæ officij Pastoralis sphærâ gubernativâ? Necdum igitur ex illo sacro textu liquidum reddi, quòd Episcopi ex Christiano Orbe in unum collecti, ut sic Concilium Generale, saltem *abstractivè acephalum* conficientes, subdantur Papæ auctoritati Oecumenicæ, ut propterea adstruenda sit Papæ supra Concilium ejusmodi superioritas.

55. Verùm Christus sub illis ad Petrum prolatis verbis: *Pasce Agnos meos*, nullam fecit exceptionem sensûs *collectivi*. Quomodò igitur nobis fas erit, hujus *collectivi sensûs* ab ijs verbis exceptionem facere, absque aliqua in sacris Litteris fundatâ solidâ ratione? Hæc fortassis exceptio dicetur fundari in hoc: *quòd Concilium Generale sit repræsentans universam Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis*. At quia Ecclesia *quoad statum perfectè*

Ibi pra n. 60. & 61.

Hierarchicum non potest repræsentari in corpore avulso à Capite, sed quà integrato ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Corpore Hierarchico, nequit ad Concilium Generale quà *acephalum* spectare illa prærogativa, secundùm quam sit columna & firmamentum veritatis, ita ut ex hac præeminentiâ prætendi possit agnorum Christi *collectivè* sumptorum, ab Oecumenica Papæ auctoritate exceptio. Est autem ipso naturæ lumine notum, si Comitia Generalia coalescant ex Statibus Regiæ Majestati subditis, neque huic Cœtui ex Regni Ordinibus coadunato altior quæpiam præeminentia (in comparatione cujus potestas Regia non esset jam suprema) convenire dignosceretur, nefas fore, talibus Comitijs alicujus supra Regem superioritatis præeminentiam asserere. At res ita se habet cum Episcoporum quantumvis Generali *acephalicè* sumptâ Synodo, ut, quæ Concilio Oecumenico Divinitus promissæ sunt prærogativæ, eidem non competant, nisi quà consentienti cum Capite ejusdem quasi informativo, & *formaliter* perfectivo. Cùm igitur omnes ac singuli Episcopi inter Christi Agnos computati, *secundùm se*, & *omnimodam jurisdictionem suam* subjaceant Pastorali Papæ officio, ejusque auctoritati Oecumenicæ: neque verò tali Cœtui *acephalicè* spectato ex sacris Litteris noscatur concessa alicujus altioris supra Papam prærogativæ supereminentia: nequit jam Episcoporum Generalis coadunatio, sive jurisdictionum Episcopalium collatio *collectiva*, vi talis collectionis extrahi è sphærâ Oecumenicâ Pastoralis, seu gubernativæ Romani Pontificis propriæ auctoritatis: atque adeò hujus per Christum asserta universalitas nullatenus admittit illam agnorum Christi *collectim* sumptorum à Papæ superioritate exceptionem.

56. Hunc super Episcopis etiam *collectim* sumptis præeminentiæ gradum pro *tertio* probat Papæ *per se, vel Legatos suos* in Concilijs Oecumenicis præsidentia. Nam ex Actis Nicæni Concilij constat, huic Synodo unà cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præsedisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam *Ibidem in Præfatione Concilij Sardicensis.* Concilio equidem Constantinopolitano I. Oecumenico II. non interfuêre vel Damasus Papa, vel ejus Legati, eò quòd hic Pontifex Episcopos Orientis Constantinopolim vocatos, cogitabat vocare Romam ad plenissimam Episcoporum Occidentalium ibi congregatam Synodum, nisi isti justas ob causas se excusando, contra Macedonianos ac Eunomianos sententijs & animis se conjunctos probâssent cum Episcopis Occidentalibus, nihilominùs illa Constantinopolitana Synodus in tantum cœpit esse Oecumenica, in quantum teste Photio *in libello de septem Synodis* à Damaso Papa confirmata fuit in ijs, quæ ad Macedonianæ ac Eunomianæ hæresis condemnationem, fideique Nicænæ confirmationem spectabant. Ex S. Gregorio *lib. 6. Epist. 125.* Quòd S. Cyrillus *in Ephesino Oecumenico* III. Concilio habuerit auctoritatem Legati à Cœlestino Papâ constituti, patet ex Epistola Cœlestini ad Cyrillum, relatâ *Tom. 1. Conciliorum editionis Coloniensis, pag. 737. & alibi.* Ex Leonis ad Concilium Chalcedonense *Epist. 47.* apertè constat, Legatos ipsius ad istam II. Oecumenicam Synodum ita directos fuisse, ut ipsemet Papa in eis præsideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, liquet ex hujus Epistola ad Leonem, relatâ vel *actione 3.* vel *circa finem Concilij.* Circa Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum est, Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum agnovisse, quòd præsidentia sit debita Romano Pontifici; uti liquet ex Epistola ad Vigilium relatâ *in fine I. collationis Synodi.* In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præsides fuisse Legatos Agathonis Romani Pontificis, Petrum & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, testatur Zonaras *in vita Constantini IV.* patetque ex ipsa Synodo, ubi in omnibus Actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur ac subscribunt. Concilium Nicænum II. Præsides habuisse Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem S. Sabbæ, constat ex Actis Concilij, in quibus isti primi nominantur, & primi subscribunt. Denique Constantinopolitana inter Oecumenicas VIII. Synodus, celebrata sub Adriano Papa, Præsidentes habuisse hujus Legatos Donatum & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quòd primi nominentur & subscribant, tum quòd in *prima* Actione exhibuerint litteras suæ Præsidentiæ, tum quòd Donatus se nominârit Adriani Universalis Papæ in ea Universali Synodo præsidentem. Quandoquidem igitur tam apertè constet Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis jus præsidendi, hoc verò præsidentiæ jus importet superioritatem, prorsus dicendum est, Papam esse supra Concilium.

n. 36. *n. 37.* *n. 38.* *n. 39.* *ex pag. 259. n. 40.*

57. Pro *quarto* excipiet fortassis pars adversa. Præsidentiam in Concilio non tam arguere jus superioritatis erga totum Concilium, quàm erga singulos in Synodum aggregatos Antistites, exemplo Comitiorum Imperialium, quibus Cæsar quidem præsidet ceu superior singulorum Statuum ac Principum, nullatenus tamen obtinere superioritatem supra Comitia, constare potest ex ijs, quæ Hermannus Hermes *in suo publici Iuris fasciculo cap. 40. à n. 70.* affert.

58. Verùm quidquid sit de jure præsidendi in Comitijs Imperialibus competente Cæsari, oportet, Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidendi jus expendere ex ipsissimo Divinæ institutionis fundamento. Etenim secundùm hanc character Oecumenici Concilij consistit ex nomine Christi vicario *ex Matth. 18. n. 20.* At istud Christi Nomen vicarium per aperta Domini verba respicit non singulos Concilij Oecumenici Antistites, sed totam eorum, qui de ligandi & solvendi jure participant, Congregationem. Est autem

ex pag. 259. n. 41. & 42.

in nomine Christi vicario jus superioritatis. Ergo hujus vicarij Christum præseferentis Nominis auctoritas ita respicit totam Concilij Ecclesiam repræsentantis Congregationem, ut respectu ejusdem importet jus superioritatis. Quod professi videntur Conciliorum mox enarrandorum Patres, Papam vocantium Ecclesiæ Universalis Pontificem, seu Caput universalis Ecclesiæ, prout videre singulariter licet in Concilio Chalcedonensi Oecumenico III. nec non in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ubi inter alia dicitur Romana Ecclesia obtinere summum & plenum Primatum ac Principatum super universam Ecclesiam Catholicam: & in Concilio Florentino *in litteris unionis circa finem* dicitur, in B. Petro fuisse plenam potestatem gubernandi Universalem Ecclesiam,

Ex cit. pag. 259. & n60. a n. 44.

§. VII.

Superioritatis Papæ supra Concilium probatio ex Christi verbis, quibus Matth. 16. *Petrus dicebatur Petra, super quam esset ædificanda Ecclesia.*

59. NAm *primò* ista verba Divina non contigisse solam Petri personam, sed quosque pro perpetuo Ecclesiæ statu Successores ipsius, patet ex sacro contextu, in quo asseritur, Ecclesiam ita firmiter substituram, *ut portæ inferi non prævalerent adversùs ipsam.* Sub illis igitur Christi Domini verbis innuitur aliqua intrà Ecclesiam in rebus fidei infallibilitas, quæ ex Petro, ejusque adeò successore diffunderetur in ipsam Ecclesiam. Ergo in Petri successore primitus stat ista infallibilitatis præeminentia, ut ex ipso diffunderetur in Ecclesiam, seu Concilium Ecclesiæ repræsentativum. Atque hæc causa est, cur Concilia, quantumvis Generalia, dogmatum suorum sanctiones confirmari semper petierint à Romanis Pontificibus.

60. Nam pro *secundo* Nicæna I. Oecumenica Synodus confirmationem dogmatum Concilij suffragio sanciendorum, profitebatur subjectam esse auctoritati sacræ Romanæ Ecclesiæ, non alio ex principio, quàm quòd B. Petro, eiusque adeò Successori, dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex quo fundamento constat insuper, Acta Synodi Constantinopolitanæ eum in finem esse à Damaso Papa revocata ad Concilium Romæ indictum, ut post eorundem examinationem suâ auctoritate firmaret Decreta ac sententias hæresum condemnatorias, sancitas in præfata Synodo Constantinopoli priùs celebratâ, cujus Patres, non attento, quòd *Conciliariter* aggregati eas tulissent sententias, obedienter se submiserunt Romano Pontifici, suos Legatos cum purgatione ad hunc mittendo. Quomodò enim infallibilitatem in dogmatibus fidei obtinerent Concilia, nisi ex Petrâ, super quam ædificata est Ecclesia? Hæc autem Petra quæ alia esse potest, nisi Apostolica Petri Cathedra? Quia igitur illa Petra fidei firmitatem in Ecclesiam inferens, non respicit singulos tantummodò fideles, sed totam Ecclesiam, quæ *repræsentativè* est in Concilio: quomodò ejus auctoritas singulis duntaxat Concilij membris Hierarchicis, non verò toti Corpori isti intrà Concilium aggregato, & ex Ecclesiæ Antistitibus *collectim* sumptis consistenti, præmineret?

Pag. 203. à n. 61.

ex pag. 259. n. 43.

Hinc pro *tertio*. Quando Concilij Ephesini Patres se tanquam Ecclesiæ membra, sancto suo Capiti Romano Pontifici devotos acclamârunt, oporter, hanc acclamationem intelligere de Ecclesiæ membris Hierarchicis, *quà collectim* sumptis, nempe in Concilio Oecumenico aggregatis, atque ut sic Capiti, Nestorianæ hæresis condemnationem præfinienti se se condunantibus; uti patet *ex Actis ejusdem Concilij cap. 15.* Quam totius Concilij Ecclesiam repræsentantis respectu Papæ subordinationem, clarioribus adhuc verbis professa est IV. Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Papam Romanum vocitans Ecclesiæ Universalis Pontificem, nec non Caput Universalis Ecclesiæ. Ex ipsissimo illo principio in præadductis Christi ad Petrum *Matth. 16.* prolatis verbis fundato, Concilium Oecumenicum II. Constantinopolitanum profitebatur, quòd sequeretur Apostolicam Sedem, cujus etiam essent Communicatores Patres ibi aggregati, eidem obediendo, & ab ipsa condemnatos condemnando. Cui principio inhærens VI. quoque Oecumenica Synodus, Constantinopolitana III. Romanum Pontificem appellavit Primæ Sedis Antistitem universalis Ecclesiæ, stantem super fidei Petram, cujus etiam auctoritati Apostolicæ submisit Decretorum suorum confirmationem. An non igitur ex prætactâ Conciliorum Oecumenicorũ inductione clarè demonstratur, præsidentiam Romani Pontificis unà cum auctoritate Concilij confirmatoriâ, fundari in ejus præeminentia non erga singulos duntaxat Synodi Patres, sed erga Universam Ecclesiam, atque adeò erga universale quoque, Ecclesiam universam repræsentans Concilium? Illa ipsa verò definitiva, & *Conciliarium* sanctionum confirmatoria auctoritas, secundùm præductas Synodos Oecumenicas, fundatur in prætactis Christi verbis; *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc autem sacra verba connectuntur cum istis proximè subsequentibus, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*: habentia pariter respectum ad Universalem Ecclesiam. Hæc ipsa verò clavium potestas indubitanter importat superioritatis præeminentiam. Quia igitur clavium ejusmodi unà cum Petrâ, super quam ædificanda esset Ecclesia, prærogativa & auctoritas per Christi Domini verba, secundùm præallegatorum Conciliorũ Oecumenicorum intelligentiam, noscitur protendi super Universam Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam, in aperto jam extat probata Papæ super Generali Concilio superioritas.

ex pag. 283. n. 66.

Atque hæc pro *quarto* est ratio, cur *septima* Generalis Synodus tam promptè receperit Papæ super sacrarum imaginum cultu litteras

61.

Pag. 259. n. 48.

Ex n. 49. teras Apostolicas. Cur etiam *octavum* Generale Concilium pronuntiârit, sibi non licere contra Summum Pontificem proferre sententiam. Cur Concilium Lateranense sub Alexandro III. edixerit, a Papa non posse haberi recursum ad superiorem; quod minimè subsisteret, si Concilium esset supra Papam. Cur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. plenus Primatus & Principatus super universam Ecclesiam fuerit agnitus in Petri successore Romano Pontifice. Cur Concilium Florentinum definierit, Romanum Pontificem in universum terrarum Orbem tenere Primatum, ac Pontificem Romanum Petri successorem esse totius Ecclesiæ Caput. Cur denique Concilium Lateranense sub Leone X. à Rege Galliarum comprobatum ac receptum, rejecerit, & nullitatis damnârit Acta Synodi Basileensis, superioritatem Concilij supra Papam asserentis, adstruendo econtra per inductionem prærogativas Papæ supra Concilium in antiquioribus Oecumenicis Synodis agnitas & approbatas.

Ex n. 50.

Ex n. 51.

Ex n. 52.

Ex n. 53.

63. Ad hæc magis elucidanda pro *quinto* lubeat clariùs distinguere Summi Pontificis seu Capitis, & Concilij quasi *acephalicè* spectati munera & prærogativas. Ponamus igitur, Concilij Patres per suffragiorum suorum majoritatem, vel etiam per votum unanime tulisse judicium suum super aliquo dogmate: nunquid ex tunc dicere licet, jam subsistere firmitatem dogmatis ejusmodi, antequam accedat Papæ consensus auctorizativus? Oppositum profectò liquet inprimis ex Synodi Ariminensis sub Liberio Papâ exemplo, ubi sub specioso pacis cum Arianis componendæ prætextu, expuncta est vox *Homoufeos*, Filij æterni cum Patre Consubstantialitatem designans, ac ejus loco introducta est vox *Homiusios*, similitudinem duntaxat Filij cum Patre denotans. Cui proinde Ariminensi Symbolo Liberius Papa denegavit suum suffragium, seu auctorizativum accessum, & ideo deportatus est in exilium. Habetur etiam Synodus Quinisexta sub Sergio Pontifice Constantinopoli celebrata: quam circa cœlibatum Sacerdotum, & Sabbathi jejunium errâsse, ac proinde à Sergio, aliisque Pontificibus rejectam fuisse, constat ex Anastasio *in Sergio & alijs. Secunda* quoque Synodus Ephesina absolvit Eutychen, & damnavit Flavianum, aliosque Catholicos Episcopos, damnata proinde, atque abolita à Leone Pontifice. Ex quibus proinde exemplis evincitur, in Concilio *acephalo* antecedenter ad Papæ accessum auctorizativum, nihil stare firmum circa dogmaticas fidei definitiones. Imò tametsi Concilium legitimè in Christi vicario nomine fuerit congregatum, pro signo tamen Papæ consensum seu ultimatæ definitionis accessum auctorizativum antecedente, quantumvis Patrum vota essent concordia, semper adhuc deficit infallibilitas in fidei dogmatibus definiendis.

ex pag. 261. n. 62.

Pag. 261. n. 31.

Pag. 261. n. 34.

261 n. 39.

ex pag. 261. n. 62.

64. Nam licèt Christus promiserit, se in medio eorùm fore, qui nomine Christi, sub auctoritatis scilicet Christi Vicariæ uni Romano Pontifici competentis charactere, sunt congregati: hujus tamen assistentiæ Christi, infallibilitatem adferentis effectus, secundùm sacrum Evangelij contextum, alligatur *duorum*, nempe Corporis Hierarchici, & Capitis Ecclesiæ consensui. Quantumvis ergo Concilij Patres in ferendis suis suffragijs legitimè procedant: quantumvis etiam suffragiorum majoritas in unum collata, jam præferat Concilij Generalis consensum: pro signo tamen antecedente Summi Pontificis consensum *ultimatè* definitivum, atque *Conciliaris* dogmaticæ sanctionis *auctoritativè* confirmatorium; nondum subsistit infallibilitas per Christi assistentiam, tunc primùm fortitura effectum, quando ad Corporis Hierarchici per Concilij repræsentati vota accedet auctoritativus Papæ consensus. Quandoquidem igitur antecedenter ad Papæ auctoritativum accessum, in decretis Concilij quantumvis Generalis, necdum subsistat in fidei dogmaticis sanctionibus infallibilitas, sed ista derivari debeat in Concilium ex Cathedrâ Apostolicâ ceu *Petra*, super quam fundata est Ecclesia: idcircò ex hoc etiam fundamento manifestè extat demonstrata Papæ super Concilium *abstractivè acephalum* præeminentia & auctoritas.

65. Excipient tamen pro *tertio* Adversarij. Hunc Papæ cum Concilio consentientis accessum, decreti Synodalis approbatorium, non fieri in vi auctoritativâ supra Synodum Generalem superioritatis, sed in vi quasi contractûs: quomodò Hermannus Hermes *in Iuris publici fasciculo præcit. 40. cap. à num. 8.* scribit: Iurisperitorum quorundam esse sententiam, quòd in Comitijs Imperialibus quidquid agitur & concluditur, contractûs, transactionisque instar esse inter Imperatorem ex unâ, & Statuum Imperij ex alterâ partibus, ita ut in tali contractu una pars transigens sit Imperator, & altera pars sint Ordines Imperij *conjunctim* sumpti. Quidni enim pari ratione discurrere liceat de Concilio Oecumenico, ita ut in hoc sit una pars Summus Pontifex, altera verò pars sit reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus, ex Præsulibus Ecclesiasticis coalescens, maximè cùm Christus *citato cap. 18. Matth.* infallibilitatem Concilij Oecumenici visus sit ex hoc determinâsse, quòd ubi *Duo*, nempe Papa & Concilium consenserint, adeóque quasi transigendo convenerint in unum fidei dogma definiendum, Pater æternus sit eis quamcunque rem, adeóque veritatem in Synodo quæsitam, ex Christi Domini promisso infallibili impertiturus?

ex pag. 261. n. 62.

66. Verùm transactionis & conventionis natura est, ut servetur utrinque æqualitas. Concilio equidem Oecumenico competit *indefinita*, Papæ auctoritati compar, *solvendi & ligandi* potestas, una cum consummatâ in rebus fidei infallibilitate. At utraque ista præeminentia haud competit Synodo quasi *acephalicæ*, sed Concilio duntaxat Oecumenico, tam Caput, quàm reliquum Ecclesiæ Hierarchicum Corpus *indivisibiliter* complectenti. In hoc igitur Oecumenicum Concilium ex Corpore

Ecclesiæ Hierarchico quasi *acephalicè* spectato, quid importatur nisi collectio jurisdictionum Episcopalium: quæ adhuc impar est ad præinsinuatas præeminentias, quamdiu non accedit nomen Christi vicarium, seu Apostolicæ auctoritatis character? Hoc igitur nomen Christi vicarium utique dicendum est, importare superioritatis super reliquo Hierarchico Ecclesiæ Corpore præeminentiam. Hoc ipsissimum quoque vicarium Christi nomen Romani Pontificis proprium, est Petra illa, super quam Christus edixit, ædificandam fore Ecclesiam. Ejusmodi autem Petra utique importat præeminentiam aliquam super Synodo quasi *acephalâ*, Ecclesiam non *completè* & *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat repræsentante. Illa ipsa porrò Petra est Petri cathedra Apostolica, cui annexæ sunt claves Regni Cælorum. Hæc verò cathedra Regni Cælorum clavibus dotata, liquidò importat majoritatis & superioritatis prærogativam. Nequit ergo inter Papam & Concilium, *quasi acephalicè* spectatum subesse æqualitas in ordine ad constituendum Concilium, quâ *completè* & *formaliter* Oecumenicum, nec non ad consensum *ultimatè* auctorizativum in dogmatibus fidei definiendis cum omnimodæ infallibilitatis consummatâ præeminentiâ exhibendum. Nullatenus igitur per modum transactionis, seu conventionis in Concilio Oecumenico inter se coeunt Papa ac reliquum Corpus Hierarchicum, sed respectu hujus ceu Concilij quasi *acephali*, obtinet Papa majoritatis & superioritatis præeminentiam.

§. VIII.

In quo expenditur jus appellandi vel à Papa ad Concilium; vel ab hoc ad Summum Pontificem.

67. PRimò difficultatis hujus expediendæ viam præstruere videtur Concilium Constantiense *Sess. ult.* supplicando Papæ Martino V. *ut hæreticos errores, seu hæreses per sacram Synodum damnatas pariter damnaret, atque damnatas publicè pronuntiaret, antequam Concilium dissolveretur, alioquin protestari se de gravamine, appellando ad futurum Concilium.* Ex quo utique evincitur, ipsummet Concilium Constantiense agnovisse, sibi non fuisse auctoritatem compellendi Papam, ut suam pro confirmandis decretis præinsinuatis, adijceret auctoritatem. Ad quid enim conducere potuisset ea ad futurum Concilium provocatio & appellatio, si ipsi Generali Constantiensi Synodo (utpote quæ non minoris, cum futuro Concilio auctoritatis fuerat) non erat vis ad Papam pro dicta approbatione compellendum? Altior profectò subesse debet hìc ratio, per quam ex illâ à Papa ad Concilium futurum appellatione, nullatenus probari valeat hujus supra Papam superioritas.

68. Ad quod explicandum, pro *secundo* non importuna est sequens Veteris Testamenti ac Novi Fœderis Pontificatuum inter se comparatio. Ponamus scilicet in Veteri Testamento super causâ aliquâ ex Portis seu Tribunalibus Regijs ad Sacerdotium, magnumque Concilium, cui præsidebat Summus Pontifex, delatâ, fuisse ab hoc ex ipsissimis Divinis judicialibus Legibus pronuntiatam Judicij veritatem: attamen Regẽ ejus temporis non acquievisse, sed interpellâsse Pontificem, ut ingressus Sanctuarium, consuleret Dominum super ejusdem Judicij veritate; vel *ex Thummim & Vrim* super tali judicio ulteriorem adhuc Divini Oraculi requireret certitudinem: num dicere fas est, talem à Rege factam Summi Pontificis interpellationem habuisse rationem strictæ appellationis? In ejusmodi casu ab ipsomet Sacerdote Maximo, unà & magno Concilio, ex Divinis judicialibus legibus, judicij veritatem pronuntiante, habitus fuisset recursus ad eundem Summum Pontificem, quatenus ipsi soli erat Divinitus concessum, ut semel in anno ingressus Sanctuarium, posset consulere Dominum, vel ex *Thummim & Vrim* reportare Divinum Oraculum. Qui proinde ad Summum Pontificem recursus non erat de uno judice inferiori ad alium superiorem judicem, sed ad eundem, quâ diversis à Deo dotatum prærogativis, nec adeò *strictè loquendo* poterat dici appellatio. Quod proinde applicando ad Novi Fœderis Pontificatum Summum, ex principijs fidei constat, ejus utpote Petri Cathedram Oecumenicam esse Petram, super quam ædificatur Ecclesia. Quomodò autem fieri posset, ut quotiescunque fit decisio dogmatica ex istâ Petra seu Cathedra Apostolicâ, non esset omnimoda fidei certitudo? Non equidem dubito, quin Summus Pontifex etiam extra Concilium possit decernere ex Cathedrâ Petri. At quia ultimatam ejusmodi decisionem nonnulli etiam Catholici Doctores reducere unicè volunt in Papam cum Concilio Oecumenico concurrentem, ideo *secundùm nos saltem*, non est tam evidens certitudo, quòd Papa extra æquè, ac intrà Concilium definiat ex Petri Cathedrâ Apostolicâ.

Hinc ergo pro *tertio* statuamus casum, 69.
quo falsa quædam dogmata damnata fuerunt à Summo Pontifice, quæ tamen condemnatio haud proficit, quin Hæresis latiùs diffundatur. Unde Orthodoxi pro remedio passim conclamant, oportere, ut convocetur Concilium Oecumenicum. An non pro tali statu in ipso etiam Summo Pontifice erit obligatio recurrendi ad ultimum Ecclesiæ sanctæ Tribunal, & Concilium Oecumenicum? An non in cæteris quoque Ecclesiæ sanctæ Præsulibus, uti etiam in Christianis Principibus præsertim Regibus, ad Ecclesiæ universale Bonum procurandum, vel ex Christiano charactere, vel ex juramento, vel etiam ex muneris & characteris Episcopalis, *intrinsecâ* ratione, tunc stat jus & obligatio urgendi Papam ad celebrandum Concilium Oecumenicum? Quæ proinde erga Papam pro Synodi Oecumenicæ convocatione instantia, an non est quædam à Papa extra Concilium decernente provocatio ad Concilium Oecumenicum? Nunquid autem talis provoca-

ex pag. 208. n. 19.

ex nr. 67. pag. 210. n. 20.

tio

tio subire videtur nomen & rationem appellationis?

70. Verùm hujus provocationis conditione accuratiùs consideratâ, procul abest, ut *strictè loquendo* dici possit appellatio. Non enim eâ fit ratione, ut Concilium sinè Papa seu Capite suo definiat, & ultimatam proferat sententiam: sed ejus ratio in hoc se tenet, quòd Summus Pontifex, per cujus auctoritatem unicè, stat Concilium, *formaliter & completè* Oecumenicum, sit quidem Petra, cui superstruitur ædificium Ecclesiæ, habeatque sibi à Christo collatas claves Regni Cælorum, cum *indefinita* ligandi & solvendi potestate, in vi cujus possit *auctoritativè* super fidei dogmatibus pronunciare judicij ve itatem. Attamen præter istam prærogativam, est ipsi Divinitus concessum privilegium, ut in *nomine Christi*, adeóque hujus vicariâ, sibi propriâ auctoritate, cogere possit Concilium Oecumenicum, in eoque munus Præsidis ac Judicis exercere, ita tamen, ut ultimata, omnimodam, & consummatam in sanctionibus fidei infallibilitatem obtentura sententia judiciaria, neque ex solius Concilij suffragiorum majoritate, vel etiam uniformitate, neque ex solius Pa æ arbitrio, sed ex utriusque consensu subsistere debeat. Quod adeo Concilij Oecumenici Sanctuarium ingrediendi, indeque prorsus infallibile, atque consummatum super fidei quæstionibus Oraculum Divinum reportandi, privilegium singulare est Summi Pontificis præeminentia Divinitus constituta, non absimilis illi prærogativæ, quam Veteris Testamenti Pontifex habebat in Divino Oraculo *ex Vrim & Thummim* reportando. Ille ipse namque Summi Pontificis ad Concilij suffragium accessus & consensus est instar *Vrim & Thummim*, obtinens ex Christi Domini promisso, consummatæ infallibilitatis omnimodam certitudinem ac veritatem. Quando igitur à Summo Pontifice extra Concilium pronuntiante, fit recursus ad Concilium Oecumenicum, ipsummet etiam Papam includens, aperte evincitur, ejusmodi recursum fieri ad ipsum, quà consentiendo Concilij suffragio, proferentem ultimatum omnimodæ ex Christi promisso consummatæ infallibilitatis judicium. Nequit ergo talis à Pontifice extra Concilium pronuntiante, ad Papam in & cum Concilio, ex consensu utrinque præstito *ultimatè* definientem recursus, *propriè loquendo* dici appellatio, cùm sit ab uno ad eundem, sub diverso tamen statu constitutum, & secundùm diversas à Christo constitutas prærogativas consideratum Judicem.

71. Exinde pro *quarto* haud difficile est judicare, quid sentiendum sit de appellatione per Concilium Constantiense interposita à Papâ ad futurum Concilium, casu, quo Pontifex Maximus Martinus V. noluisset Decreta fidei *Conciliariter* concluſa, suæ auctoritatis accessu & consensu approbare, atque *auctoritativè* confirmare. Ubi namque Decreta ejus Concilij fuerant *Conciliariter* concluſa, ad sui firmitatem & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto ita indigebant Papæ consensu auctorizativo, ut ad hunc à Papa exigendum, jus esset tum Concilio *acephalicè adhuc spectato*, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus universis. Quòd si proinde Papa Spiritûs sancti innitens instinctui, eum Decretorum *Conciliarium auctoritativè* confirmatorium consensum suum non tantùm denegâsset, sed si quæ à fidei veritate visa fuissent discordare, *positivè* reprobâsset, tunc Decreta ejusmodi prorsus nulla & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consensum sanctionum Synodalium auctorizativum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspenso, quamdiu non esset eisdem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio (quamdiu Papæ auctoritas ei se non adjungeret) *acephalico*, tum Præsulibus Ecclesiæ jus semper erat integrum, apud Papam instandi pro tali consensu, & dum iterum, iterumque suspenderetur, causam protrahendi ad futurum Concilium, ut in eo caperetur experimentum vel de conjungendo utriusque, Concilij nimirum & Papæ consensu, vel de hujus *positivâ*, sicque Decretorum annullativâ reprobatione, juxta quem adeò modum, illa sub Constantiensis Concilij finem interposita à Papæ gravamine (dum scilicet nollet suum auctorizativum consensum Decretis *Conciliariter* factis adjungere) ad futurum Concilium appellatio, nihil aliud importabat, quam instantiam recursûs ad futurum Concilium, pro efflagitanda mutuâ & Concilij & Papæ super *Conciliaribus* Decretis consensione, ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo, & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cujus adeò appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij, præsertim *acephali*, super Papâ superioritatem.

Sed in quantum, disquires pro *quinto*, se 72.
extendunt Sixti IV. & Pij II. constitutiones, quibus profertur Excommunicationis sententia in eos, qui à Papâ appellarent ad futurum Concilium? Hujusmodi constitutionis rationes allegat prætactus Sixtus IV. tum quòd *de minoribus ad majores judices duntaxat appellare permittat auctoritas, & propterea inhibeat, ab Imperiali & prætorio judicio appellari; tum quòd non homo, sed is, qui solo verbo fecit cælum & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulerit universis etiam Concilijs, quæ ab eâ robur accepisse, SS. Patrum Decreta testantur &c.* Unde inferebat idem Pontifex, appellantes à Romano Pontifice ad non indictum, nec congregatum Concilium, constituere aliud Caput in Ecclesia Dei &c. sanctæque Sedis primatum negare, ac Ecclesiæ unitatem dividere &c. *ex pag. 272. n. 40.*

At quid, inquies pro *sexto*, est specialis 73.
energiæ in hoc, quòd Sixtus IV. *reprobet appellationem à Papa ad non indictum, neque congregatum Concilium?* An ergo, si hoc de præsenti sit coadunatum, fas erit, ad illud à Papa appellare? An non si hoc saltem liceret, sublimius jam Sede Apostolicâ Tribunal

prætenderetur? Verùm si vel indictum, vel aggregatum sit Concilium Oecumenicum, in eo jam intervenit Apostolica auctoritas, utpote forma & anima Synodi quà Oecumenicæ.

74. Quòd si ergo ad Concilium tali modo indictum provocetur à Papa, non jam ab inferiori fit appellatio ad majorem, sed Papæ auctoritas, ceu Oecumenici Concilij forma postulatur, nec aliud in hoc agitur, nisi ut, quæ Papæ auctoritas extra Concilium decrevit, eadem sub altiori Divinitus constitutâ præeminentiâ Papæ unà & Concilij consensioni auctorizativæ annexa imploretur, ad effectum omnimodæ & consummatæ per Christi promissum infallibilitatis in dogmaticis sanctionibus obtinendum.

ibi n. 43.

75. Operæpretium est pro *septimo* hîc accuratiùs expendere, ex quo S. Scripturæ fundamento appellationes à Papa ad futurum Concilium à Pio II. in Bulla *Execrabilis.* condemnentur, tanquam erroneæ ac detestabiles. Hic nempe Pontifex Maximus *ibidem* dicit, spiritu rebellionis imbutos esse, qui à Papa ad futurum Concilium appellare præsumunt. Hujus autem dicti sui rationem profert ex hoc, quòd Romano Pontifici Christi vicario dictum sit in persona B. Petri: *Pasce oves meas &c. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ex quo adeò Christi verbo elucescit, nihil esse super terram *morale*, in Regnum cælorum ordinabile, quod non subsit superioritati Romani Pontificis. Quamvis proinde character Episcopalis, unà cum vi Sacramentorum Evchariſtiæ & Ordinis effectrice, nec non unà cum *radicali* jurisdictione pastorali, in eo charactere contentâ, utpote qui sit *immediatè* à Christo, non sit de illo *quocunque* Pontificis superioritati subjecto *morali*, attamen ejusdem usus quà *moralis* superinduit *conditionem illi* subjacentem. A fortiori autem talis subjectionis conditionem subit *formalis & actualis* Episcopalis jurisdictio, utpote derivata à Papa. Et multò magis exercitium *morale* jurisdictionis Episcopalis etiam *collectim* sumpæ, & ab universis Christiani Orbis Episcopis in unum *acephalicè* spectatum Concilium collectæ, obtinet ejus subjectionis conditionem; uti sæpe *in antecedentibus* dictum & ostensum fuit. Quomodò igitur fas esse possit, à Papâ appellare ad ejusmodi *acephalicum* Concilium?

ex pag. 273. n. 44.

76. Quamvis porrò pro *octavo* consummatæ infallibilitatis præeminentia Concilio *formaliter* atque *completè* Oecumenico per Christum asserta, sit *immediatè* à Christo, nec adeò possit ut sic subesse Romani Pontificis superioritati: eo ipso tamen, quòd ista infallibilitas non nisi *Duobus*, nempe Capiti & Corpori Ecclesiæ Hierarchico, quà intrà Concilium Oecumenicum consentientibus, sit promissa; ex parte sui substrati jam involvit illam Papæ superioritatem. Quamvis insuper Concilio Oecumenico etiam Divinitus competat *indefinita* ligandi & solvendi potestas, compar Papali Oecumenicæ auctoritati: attamen Decreta *Conciliaria moralia* inde promanantia, sicuti sunt de illo *quocunque* in Regnum cælorum ordinabili *morali*; sic subjacent quoque Pontificis Maximi superioritati in tantum, ut ejusmodi morum decreta solus etiam Pontifex, secundùm rerum exigentiam, mutare ac dispensare valeat: sicuti etiam econtrà Pontificiæ leges *morales* ex vi illius universalis Concilio quà Oecumenico per Christum collatæ auctoritaris, possunt quidem immutari, eo ipso tamen, quòd hæc etiam Concilij Oecumenici non nisi ex Capite & Hierarchico Ecclesiæ Corpore subsistentis auctoritas, ex parte sui *substantialis* substrati involvat Papæ super omni in terris *morali* superioritatem, illi Concilij quà Oecumenici potestati *indefinitæ* comparem, nequit jam Concilio quà *completè* etiam ac *formaliter* Oecumenico attribui stricta erga Papam superioritas. Cùm igitur nihil in Concilio sit assignabile, super quo fundari possit aliqua super Papam superioritas, meritò dixit Pius II. exeri spiritum rebellionis ab illo, qui à Pontifice Romano appellat ad futurum Concilium.

Nonò denique firmantur hæc universa ex Concilio Constantiensi *Sess. 8. art. 37.* ubi inter alios Wicleffi errores damnatur iste quoque articulus; *Papa non est immediatus Vicarius Christi.* In quo Synodus ista consonat cum Nicæni Concilij *Canone 39.* excommunicationis censurâ ferientis illum, qui negaverit, *Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam.* Ex quo adeò fidei principio ita licet argumentari. Quò potestas Ecclesiastica est propinquior Christo, eò noscitur esse superior. At eo ipso, quòd Romanus Pontifex sit *immediatus & proximus* Christi Vicarius, nequit ulla dari in terris auctoritas Ecclesiastica, quæ sit Christo propinquior, nec ulla adeò in in terris potestas potest esse superior Apostolicâ Papæ auctoritate. Sed fateri, oportet, eam, sicuti est *immediatè* à Christo, atque hujus vicaria, sic esse supremam. At verò appellationis natura est, esse provocationem ab inferiori judice ad superiorem. Quia igitur Christi vicaria in Pontifice potestas est *immediata & proxima* Christo, ideo ab eâ non datur in terris ulla appellatio *strictè & propriè* sumpta, ad ipsam verò à quocunque in terris constituto judice Ecclesiastico jus est appellandi.

Caput. III.

Quantum momenti circa auctoritatem Concilij evinci valeat ex Decretis Synodi Constantiensis *Sess. IV. & V.*

HIs Decretis *inferiùs* referendis causâ dedit schisma gravissimum mox recensendum. Nempe Clemens V. in Romanum Pontificem electus, Sedem Apostolicam Anno 1305. transtulerat Avenionem. Sed Gregorius XI. Anno 1378. redijt ad Urbem, ubi, cùm fatis functus esset, Cardinales ad instantiam plebis Papam iterum petentis, elegerunt Archiepiscopum Barensem, nominatum Urbanum VI. Cardinales verò Galli cum tribus Italis, præ-

ex pag. 291. n. 1.

tex-

texendo, ac si ille fuisset electus per metum, Fundis congregati, elegerunt alterum, qui Clementis VII. nomen assumpsit, Cathedramque rursus Avenionem transferre conatus est.

2. Ex hac proinde duplici electione ortum est schisma gravissimum: dum Clementi VII. adhæserunt omnes Gallicæ ab Alpibus ad Belgium usque & Oceanum Britannicum Provinciæ, unà cum Scotia, Hispania, & Insulis ejusdem subditis, Cypro, Rhodo, & Genua: Urbano autem paruerunt Italia, cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia & Anglia.

3. Mortuo Romæ Urbano VI. ab istius Obedientiæ Cardinalibus in ejus locum electus est Bonifacius IX. cui Anno 1404. successit Innocentius VII. qui unà cum Cardinalibus in Conclavi consistentibus se se obstrinxit juramento ad cedendum Papatui, quoties alterius Obedientiæ Pontifex esset idipsum facturus. Hoc juramentum pariter præstitit Innocentij successor Gregorius XII. Anno 1406. in Pontificem electus: sicuti etiam præstiterat Avenione Petrus de Luna, Benedictus XIII. in Clementis VII. successorem Anno 1394. substitutus.

4. Gregorio XII. & Benedicto XIII. promissionem cedendi Pontificatui non adimplentibus, Cardinales utriusque Obedientiæ ab ijs recesserunt, & duos illos de Papatu contendentes, ad Concilium pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ, anno sequenti habendum evocârunt. Hinc Benedictus XIII. ubi Galliæ Rex ipsi subtraxerat Obedientiam, fugit in Arragoniam ad Perpignianum, interpositâ protestatione, se Concilij judicio subjectum non esse. Similiter Gregorius XII. Senas retrocessit, constanter asseverans, ad se spectare Concilij convocationem, ipsosque Cardinales ad aliud in Provinciâ Aquileensi evocavit Concilium.

5. Celebrata equidem fuit ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisana Synodus, in quâ tantum abest, decisam fuisse quæstionem de Concilij supra Papam superioritate, ut ne quidem facta fuerit decisio, an tempore schismatis sit Concilio supra Papam auctoritas. Quamvis enim Universitatum Parisiensis & Bononiensis fuerit sententia: *Stante dubio Papatûs inextricabili propter dubium* Facti & Juris, *provisionem spectare ad Concilium, seu Ecclesiam Universalem*; Patres tamen Pisis congregati ausi non fuerunt, ex hoc titulo duos de Papatu contendentes deponere, sed arbitrati sunt, oportere, ut priùs probetur, Gregorium & Benedictum operando contra Symboli de una Ecclesiâ Catholicâ articulum, fovere schisma, hincque adeò censendos esse Schismatis nutritores ac Hæreticos. Sub quo proinde titulo Patres Pisani die V. Junij *Sess.* 15. in Gregorium & Benedictum tanquam de Papatu colludentes, Schismaticos & veros Hæreticos, sententiam depositionis pronuntiârunt. Exinde Cardinales in locum eorundem elegerunt Petrum de Candiâ, Ordinis Minorum, dictum Alexandrum V. Nec verò schisma hinc extinctum, sed adauctum fuit: non obstante enim dictâ depositione, Benedicto adhæserunt Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ & Arragonum, cum Sardinia, Majorica & Canarijs Insulis, aliisque terris: Gregorio verò XII. dudum post Pisanum Concilium paruerunt Regna Siciliæ, Regnumque Neapolitanum, nec non Duces Bavariæ cum pluribus Episcopis Germaniæ.

6. Interea moritur Alexander V. à Concilio Pisano electus, atque ab ejus Obedientiæ Cardinalibus in Pontificem subrogatur Balthasar Cossa, Joannes XXIII. appellatus. Qui cum Imperatore Sigismundo Laudam Anno 1413. convenit: ubi pro extirpatione schismatis, & unione Ecclesiæ Concilium Constantiense ad annum sequentem indixit: habitaque est hujus Synodi prima Sessio Anno 1414. 16. Novembris, sed nihil in ea est actum de materia unionis.

7. Interea Constantiam pervenerunt Legati Gregorij XII. & quamvis Joannes XXIII. indubitatus Pontifex haberi volens, Gregorium instar Pseudopontificis ob hæresim Pisis damnati, ejusque Legatos putaverit minimè audiendos, Concilium tamen quæstionem de jure Pontificatûs relinquens intactam, permisit, ut Legatus Gregorij in habitu Cardinalitio ingredi posset Constantiam. Et quia Ludovicus Bavariæ dux Obedientiæ Gregorij XII. obtulerat Patribus Concilij, quòd Gregorius ad promovendam unionem, esset personaliter accessurus Concilium, si Joannes XXIII. à præsidentiâ ipsius amoveretur. Hinc arrepta est ansa agendi de materia unionis, pro qua videbatur expeditior via cessionis, sicque Concilium apud Ioannem XXIII. instare cœpit, ut cederet Papatui pro unione Ecclesiæ, casu quo alij duo de Papatu contendentes essent cessuri.

8. Hinc Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ, & Angliæ apud Ioannem XXIII. impensiùs instabat, ut constitueret Procuratores ad cedendum Papatui, ubi & quando Concilio videretur expedire. Quâ de causa Ioannes inter diem Mercurij & Jovis 21. Martij, arripuit fugam, & Schaffusam se contulit. Ex quo Papæ discessu magna Constantiæ oritur animorum turbatio. Quare Collegium Cardinalium die 22. Martij nominavit tres Cardinales Legatos ad Papam, ne Concilium dissolveret, sed constitueret Procuratores ad renuntiandum. Hinc 26. Martij Constantiæ celebrata est III. Sessio, cui non interfuêre nisi duo Cardinales, Cameracensis nimirum & Florentinus, reliquis omnibus aut Schaffusæ constitutis, aut indecorum reputantibus eidem assistere. In hac Sessione statutum fuit, Synodum Constantiensem ex recessu Ioannis XXIII. dissolutam non fuisse, sed nec dissolvi debere ante extirpationem schismatis, nec transferri posse absque Concilij consensu, quæ tamen omnia Cardinales Cameracensis & Florentinus non aliâ ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione ratihabitionis à Ioanne XXIII. faciendæ.

9. Post hanc Sessionem *tertiam* eodem die 26. Martij Constantiam reversi sunt tres Cardinales.

dinales Legati cum duobus alijs, qui coram
Ibi n. 29. ac seqq. Rege Romanorum, & quibusdam Patribus differendo de auctoritate Ioannis XXIII. inter alia dixerunt, dissolutum esse Concilium propter absentiam & discessum Papæ. Cùm verò nonnulli Patres sese acriter opponerent, suscitato contra Cardinales clamore, isti abierunt insalutato hospite. Alterâ die ijdem Cardinales & Ambassiatores Regis Francorũ volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiaverant, retulerunt Nationibus & Regi in Congregatione publicâ, quòd Ioannem induxissent, ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, quæ tamen omnia credebantur ludicra, & fictè pro parte Ioannis oblata.

10. Ubi sacro Veneris die Ioannes à Schaffusâ de novo aufugisset, rursus turbati sunt cunctorum animi, pluresque ex Nationibus
Pag 294 n. 21. & seq. Germanicâ, Gallicâ, & Anglicâ deliberârunt, in crastinum celebrare Sessionem IV. & in ea statuere, tum quòd Concilium Constantiense potestatem haberet *immediatè* à Deo, cui etiam Papa obedire teneretur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationẽ Ecclesiæ in Capite & in membris: tum quòd Papa cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. Quæ tamen, contradicentibus pluribus Patribus, apud Nationes concluſa, cùm non solùm Nationi Italicæ displicerent, sed neque sacro Cardinalium Collegio, ad deliberandum oblata fuissent, ideo dicti Cardinales & Ambassiatores Regis Galliæ noluerunt venire ad Sessionem, nisi omitteretur *secundum* capitulum, & in *primo* Decreto nulla fieret mentio *reformationis Ecclesiæ in capite & in membris*. Exinde Sabbato sancto in vigilia Paschatis cùm Patres jam parati essent ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum adhibitum est expetitum moderamen, tum ut omitteretur *secundum* decretum de potestate *coactivâ* Concilij supra Papam, tum ut in *primo* Decreto nulla fieret mentio *de reformatione Ecclesiæ*. Ubi post IV. hanc Sessionem actum fuisset de articulis & clausulis præinsinuatis, & *ibidem* prætermissis, in Sessione V. restabiliendis, Cardinales partim noluerunt venire ad Sessionem, partim ne scandalum publicum, & dissolutionis Concilij periculum oriretur, ad eam venire statuerunt, præmissâ etiam protestatione secretâ, quòd non irent animo consentiendi his, quæ audiverant in ea V. Sessione statui debere. Quam protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ quàm strictissimè conjuncti cum Cardinalibus. Et ideo Cardinalis Florentinus, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, rogatus ut Decreta legeret, munus illud exequi recusavit, sed alter ejus vices subire jussus fuit.

11. Quibus ita constitutis, progredimur ad expendendum; *quantum momenti adferri possit ex prætacti Concilij tum Pisani, tum Constantiensis actis & Decretis ad Concilij supra Papam auctoritatem comprobandam?* Et quia dicebatur *superiùs*, stante dubio Papatûs inextricabili propter dubium *Facti & Iuris*, provisionem de Papâ spectare ad Concilium, idcircò præliminariter venit hîc etiam discutiendum; *Ex quibus Verbi Divini fundamentis subsistat certitudo Papatûs ad excludendam omnimodam Iuris & Facti de Papa dubietatem?* Quia porrò Synodus Pisana Gregorium XII. & Benedictum XIII. ceu schismatis fautores, & articuli fidei de unâ Ecclesia, temeratores ac Hæreticos depositerunt, ideo consultò hîc quoque inquiritur; *Qualiter subsistat ista Hæreticæ pravitatis contra Gregorium & Benedictum imputatio?* Post quorum adeò decisionem *sequentibus paragraphis* faciendam, opportunè examinabitur; *Quantum vigoris sit in prætensis Decretis Concilij Constantiensis?*

§. I.

Ex quibus Verbi Divini fundamentis subsistat certitudo Papatûs ad excludendam omnimodam Juris & Facti *de Papâ dubietatem?*

CErtitudo Papatûs in quolibet etiam individualiter spectato legitimo Petri successore reducitur in hæc *Matth. 16.* exarata Christi Domini verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* Et, *Tibi dabo claves regni Cælorum.* Nam *primò* sub hisce verbis Divinis Apostolica clavium auctoritas connectitur cum perpetuo Ecclesiæ statu; nec adeò pro solo Petro, sed pro ejusdem perpetuis in futurum successoribus, tenet ea Christi constitutio, in vi cujus ædificatio Ecclesiæ stat super Petram, seu Petri Cathedram. In quibus proinde Christi verbis apprimè notandum venit, non subsistere Christi verba, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, nisi respectu illius personæ, quæ non tam *materialiter*, quàm *formaliter*, *quoad Cathedræ Apostolicæ officium*, est Petrus, sive Petra, super quam ædificatur Ecclesia. At ædificatio Ecclesiæ est *formaliter* per fidem. Quia igitur Petri successori non intelliguntur datæ claves Regni Cælorum, nisi quatenus super ipsum ceu Petram ædificatur Ecclesia, hæc verò ædificatio stare debet per fidem, manifestè sequitur, non priùs personæ in Papam electæ datas intelligi claves Regni Cælorum, quàm ab Ecclesiâ intuitu illorum Christi verborum sit per fidem receptus in legitimum Petri successorem. Eo ipso autem, quòd Ecclesia sit una, nequit dici in Papam receptus ab Ecclesia, in quem non unanimis Ecclesiæ consensus conspirat. Quotiescunque ergo per schisma Ecclesiæ membra scinduntur, diversos Papæ loco, recipiendo, nequit pro tunc ulli competere character à Christo constitutus, quòd sit Petra, super quam ædificanda esset Ecclesia, nec adeò ulli ex schismaticis ejusmodi Pontificibus dici potest concessa auctoritas clavium Regni Cælorum, utpote unicè per Christum destinata illi, quem Ecclesia agnovit Petri Successorem, ceu Petram, super quâ ædificanda sit Ecclesia. 12.

Hinc pro *secundo*, haud difficulter intel- 13.
ligitur,

ligitur, quàm firmum subsistat illud Parisiensis & Bononiensis Universitatum *superiùs* adductum principium, quòd nempe stante dubio Papatûs inextricabili *propter dubium Facti & Iuris*, provisio spectet ad Concilium, seu Ecclesiam Universalem. Nam isthoc principium latum fuit ab ijs Universitatibus tempore schismatis ex Gregorio XII. & Benedicto XIII. de Papatu contendentibus Ecclesiam gravissimè infestantis. Tunc verò procul aberat, ut Ecclesia dici posset ædificata super Petrâ, seu Petri in Cathedrâ Apostolicâ successore: sicuti enim Ecclesia in se una est, sic ejus ædificatio stare non potest sub scissurâ, quâ una pars unum, altera recipit alterum, ceu Petræ & Cathedræ Apostolicæ possessorem. Quia ergo clavium potestas per Christum non est promissa nisi Petræ, super quam ædificata est Ecclesia; consequens est, in eo statu nullum re ipsâ fuisse Papam, adeoque Ecclesiæ Universali seu Concilio potestatem, imò obligationem fuisse, providendi de Papatu.

14. Verùm pro *tertio* disquiret aliquis, quomodò subsistat illud principium, ex quo dicitur Concilium Pisanum deposuisse duos de Papatu contendentes, quòd scilicet fovendo schisma, operarentur contra articulum Symboli de unâ Ecclesiâ Catholicâ, sicque hæreseos reos se re ipsâ probarent? Num enim dicere fas est, hæreseos reum esse, quisquis agit contra aliquem fidei articulum? Profectò hæreseos reatus subsistit ex temeratâ Prima Veritate, aliquem fidei articulum revelante. Potest autem absque temeratione Primæ Veritatis, Christum nostrum Redemptorem revelantis, imò *actualem* de Christo fidem retinendo, quis operari contra Christum, quin propterea reus dicendus sit fidei erga Christum deperditæ. Quantumvis ergo illi duo de Papatu contendentes in effectu sciderint unitatem Ecclesiæ, num propterea fidei erga hanc temeratæ rei pronuntiandi fuerant? Dici equidem debebant, re ipsâ egisse contra materiam fidei, ejusque exigentiam & obligationem, non verò ex eo præcisè reputandi videbantur *formaliter* temerâsse fidem, seu Primam Veritatem fidei motivam & specificativam. Hâc proinde ex causâ arbitror, illud Patrum Pisanorum arbitramentum non tam fuisse causam motivam in deponendis illis Pontificibus schismaticis, velut ob hæresin jam essent re ipsâ per Christum depositi: quam fuerit causa duntaxat impulsiva, ansam præbens principio per nos *superiùs* sancito. Eo ipso enim, quòd neuter illorum de Papatu contendentium fuerit in statu, in quo super ipsum, ceu Petram, ædificaretur Ecclesia, ipsum unanimiter fide recipiendo tanquam Petræ seu Cathedræ Apostolicæ possessorem; ideircò clarum erat, in utroque defecisse conditionem à Christo positam prædandis Ecclesiæ clavibus, illi unicè per Christum destinatis, qui per fidem esset ab Ecclesiâ receptus in Petram seu Petri successorem.

15. Quamvis proinde pro *quarto* Patribus Pisanis jus fuerit, in locum duorum de Papatu contendentium sufficere Alexandrum V, neque tamen electus Pontifex pertingebat ad statum illum, quo Ecclesia per fidem unanimem ipsum agnosceret Papam, sicque sub statu ejusmodi numerari posset inter illos, de quibus pronuniavit Christus, *Tibi* in Petra ab Ecclesia, (unitatem personante) recepto *dabo claves Regni cælorum.* Veluti hæc constant ex dictis *superiùs*; nempe ex suffectione Alexandri V. à Concilio Pisano in Papam electi non extinctum, sed adauctum fuisse schisma, sicque continuatum fuisse obicem illum de Ecclesiâ super unam Petram ædificandâ, ac proinde clavibus uni Petri successori per Christum conferendis. In qua sorte multò magis erat Ioannes XXIII. nec adeò pervenit unquam ad statum illum, in quo esset verus Petri successor: dum non nisi pars Ecclesiæ nitebatur super ipsum ædificare, Universalis Ecclesiæ scissurâ ubique tunc prævalente.

Ex præductis principijs pro *quinto* elu- 16.
cescit, quomodò speciali ratione verificetur de Papatu, quòd creatio Papæ fiat à Spiritu sancto? Etenim creatio Papæ fit in vi verborum Christi, quibus Petro cum ordine perpetuæ successionis dictum fuit: *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Hæc autem verba, uti ex sacro Contextu patet, dicta sunt Petro, ejusque successori, quatenus est Petra, super quam ædificatur Ecclesia. Hæc verò Ecclesiæ super Petram ædificatio, non est nisi per fidem, quatenus per eam ad illa Christi verba reflexam, ab Ecclesia recipitur quis ceu verus Petri successor, adeoque possessor Petræ seu Cathedræ Apostolicæ. At fides non est nisi ex Spiritu sancto. Ergo instans illud, in quo ab Ecclesia quis recipitur in legitimum Petri Successorem, & Petræ ac Cathedræ Apostolicæ possessorem, est specialiter à Spiritu sancto.

Neque verò hoc ita accipiendum est, ac 17.
creatio Papæ in verborum Christi, *Tibi dabo claves Regni cælorum*, non priùs subsisteret, quàm Universæ Ecclesiæ unanimi consensu per fidem illis Christi verbis nixam, illum, qui à Cardinalibus eligitur in Papam, ceu legitimum Petri successorem receperint. Nam ubi concors est electio, in primarijs suis membris Ecclesia ex tunc jam recipit electum ceu legitimum Petri successorem, elucetque exinde evidentia credibilitatis, in vi cujus possit is, qui concorditer designatus est Petri Successor, per fidem recipi ab omnibus fidelibus ceu Petræ, & Cathedræ Apostolicæ possessor. Quæ equidem credibilitatis evidentia tunc ita propagari incipit per Universam Ecclesiam, ut sub hujus tandem unanimi consensu stet consummata ac prorsus convincens credibilitatis evidentia, in vi cujus per fidem, præductis Christi verbis nixam, oporteat, firmiter credere, Papam ab Ecclesiâ unanimiter receptum, esse Cathedræ, seu Petræ Apostolicæ legitimum possessorem.

Secùs res se habet, ubi in ipsa Papæ e- 18.
lectione est discordia, ita ut nulla saltem convincens stare unquam possit credibilitatis evidentia, in vi cujus per fidem in prætacta

Christi verba reductam, ex ijs, qui contendunt de Papatu, recipi quisquam possit in certum Papam, ceu indubitatum Cathedræ Apostolicæ possessorem. Cujusmodi status & conditio Papatûs erat tempore Concilij Pisani & Constantiensis, usque dum legitimè electus fuit Martinus V. Unde mirum est, Clerum Gallicanum *in suo præsentis Instituti articulo secundo* Decretis Sessionis IV. & V. Synodi Constantiensis, in statu dubij Papatûs editis, tantam tribuere auctoritatem, ut per eam contendat, moderari plenam Sedis Apostolicæ in rebus spiritualibus potestatem. De quo adeò puncto ex professo agemus *in subsequentibus paragraphis.*

§. II.

Quantum momenti sit in Decreto I. Sess. IV. *Concilij Constantiensis ad probandam Concilij super Papâ superioritatem?*

19. COmpilatio Actorum Concilij Constantiensis sub tempore Synodi Basileensis à quibusdam ejus deputatis facta, refert præinsinuatum *Sess. IV.* Constantiensis decretum *primum* sub hoc tenore. *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fienda &c. decernit & declarat primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, ac reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* In quo decreto vim facere nititur illa Basileensis compilatio per verba; *Pro reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Hæ namque voces videntur respicere etiam verum Papam, ceu Caput Ecclesiæ Dei. Si ergo Concilio Constantiensi fas erat, facere Decretum pro reformatione Ecclesiæ in ipso etiam Capite, consequenter videtur hinc evinci, à Synodo Constantiensi fuisse prætensâ superioritatem Concilij supra Papam, verum Ecclesiæ Caput.

20. Verùm hujus illationis energia mox evanesceret ex ijs, quæ tam *in via Facti*, quàm *in via Iuris* proximè deducemus. *Primò* igitur *quoad viam Facti* contraponitur historia Concilij Constantiensis antehac summariè relata, & hîc breviter repetenda. Nempe Ioanne XXIII. se subtrahente Concilio, plures equidem ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ, & Anglicanâ deliberabant, celebrare Sess. IV. & in ea statuere, tum quòd Concilium Constantiense habeat potestatem *immediatè* à Deo, cui etiam Papa teneatur obedire in his, quæ *spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*: tum quòd Papa *cogi possit à Concilio, si obedire contumaciter contempserit.* Quia verò hæc non solùm displicebant Nationi Italicæ, sed & sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuerant, noluerunt Cardinales à Concilij ad Ioannem XXIII. legatione reduces, Ambassiatoresque Regis Galliæ, venire ad Sessionem, nisi inter alia capitula omitteretur *secundum*, & in *primo* Decreto non fieret mentio *reformationis Ecclesiæ in Capite & in membris.* Quod etiam evictum fuit. Quamvis enim, ubi alterâ die deventum erat ad Sessionem IV. hæ particulæ *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* necdum fuerant deletæ in schedula, quam publicare jussus fuerat Cardinalis Florentinus: hic tamen perveniens ad ea verba substitit, *eáque falsa*, & præter communem deliberationem addita fuisse, asseruit, sicque effecit, ut omitteretur clausula *de reformatione.* Neque desunt manuscripti Codices etiam Gallici, in quibus Decretum *primum* Sessionis sinè clausulâ *de reformatione* exhibetur; veluti sunt Manuscripta Parisijs asservata, & ante aliquot annos ex Bibliotheca Thuana *ibidem* edita, in quibus decreta Sessionis IV. ex speciali Galliæ Legatorum relatione exhibentur, & sinè mentione istius clausulæ posterorum memoriæ consecrantur.

Quâ de causâ prò *secundo* illud *primum* Sessionis IV. Constantiense Decretum sub hâc verborum formula accipiendum est: *Primò declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis.* Probatur hæc formula. Tum quia tres Codices manuscripti, continentes Acta Constantiensis Concilij, ab ipsius Notarijs conscripta, ex quibus Basileenses Decreta Constantiensia compilârunt, non habent illa verba contenta in *primo* Decreto Sess. IV. *& ad reformationem Generalem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Extant insuper quatuor manuscripti Codices continentes gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti, licèt habeant multò plura, quàm hactenus fuerunt edita, nullam tamen in Decreto Sessionis IV. faciunt mentionem *de reformatione Ecclesiæ in Capite & membris.* Duo demum Codices, continentes regestum Actorum Constantiensis Concilij, quorum unus circa tempus ipsius Concilij scriptus, spectavit ad Cardinalem Sirletum, alius antiquo charactere Italico conscriptus est, tametsi omnia Acta contineant à *prima* Sessione usque ad electionem Martini V. in Decreto tamen Sessionis IV. nullam faciunt mentionem illius clausulæ *de reformatione in Capite & in membris.* Indubitatum igitur est, prædicta verba, quæ in alijs Codicibus Actorum Constantiensium exhibentur, erroneè fuisse à Basileensibus adjuncta Decreto Constantiensi Sessionis IV. Tum quia extat adhuc celeberrimus Codex Capranicensis, qui ad usum Cardinalis de Capranica temporibus Concilij Basileensis vi-

detur

detur scriptus, in quo deest illa quoque clausula *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*. Accedit alius Codex antiquissimus, qui ex Bibliotheca Cardinalis Ludovisij in Bibliothecam Cardinalis Ottoboni migraverat, atque hujus liberalitate in Bibliotheca Vaticanâ repositus fuit, in quo eadem omninò desiderantur. Testatur denique Schelstratus, inter omnes manuscriptos Codices Constantiensis Synodi, quos magno numero viderit, nullum se reperisse, in quo verba illa habeantur, præter unum, in quo Tabellarius, cum originale difficili charactere exaratum esset, Acta descripsit ex impressis Codicibus, & verba illa contra fidem Originalis manuscripti, Decreto *primo* Sessionis IV. Constantiensis adjunxit. Quibus ita constitutis, satis elucet, Decretum *primum* Constantiense Sessionis IV. restringi ad tempus schismatis, sicque evanescere argumentum ex compilatione Basileensium, clausulam illam *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* indebitè intrudentium, desumptum ad probandam Concilij Constantiensis prætensionem de Concilij super Papam etiam certum auctoritate.

22. Sed ad ea, quæ *Iuris* sunt, progrediendo, pro *tertio* lubeat percontari, *quomodò Concilium Constantiense pro statu Papæ dubij potuerit prætendere esse immediatè à Christo?* Etenim *ex Matth. 18.* constat, Concilium Oecumenicum non consistere, nisi sit congregatum *in nomine Christi*, sive vicariâ Christi auctoritate, non nisi penes certum Papam subsistente.

23. Verùm dicere omninò oportet, quòd Synodus Constantiensis cum veritate asseverârit, suam potestatem esse *immediatè* à Christo. Pag. 224. n. 42. Indubitatum namque est, potestatem Episcopalis characteris esse *immediatè* à Christo, in eoque radicatam esse jurisdictionem Pastoralem, nuncupari solitam *radicalem*, in Corpus Christi mysticum, nempe fideles, potestatem spiritualem, seu Ecclesiasticam: ad quam Paulus Apostolus *Actorum 20.* volebat intentos esse universos Ecclesiæ Præsules dicendo: *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* In quantum ergo character Episcopalis *immediatè* à Christo ceu principali Causâ collatus, *intrinsecum* ac *essentialem* habet ordinem ad Corpus Christi mysticum, in tantum Spiritus sanctus in vi ipsius Episcopalis characteris posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quemadmodùm etiam character Sacerdotalis eatenus protenditur super Corpus Christi mysticum, quatenus importat potestatem absolvendi à peccatis fori pœnitentialis propriam. At verò hæc ipsa Sacerdotalis à peccatis absolvendi potestas in ordine ad peccata mortalia, ut sortiri valeat suum effectum, indiget quidem *actuali* seu *formali* per Episcopum, vel Papam concedendâ jurisdictione, & tamen absque hujus delegatione seu collatione *specificâ*, pro casu necessitatis prodire potest in effectum *validæ* absolutionis moribundo impendendæ. Sic proinde pastoralis in charactere Episcopali radicata potestas ex *intrinsecâ* naturâ suâ eatenus respicit Corpus Christi mysticum, sanguine Christi redemptam Ecclesiam, ut in ordine ad *actuale* sui exercitium, *secundùm viam ordinariam* indigeat aliquâ sui *morali actuatione* per jurisdictionem *formalem* & *proximam* à Papâ derivabilem faciendâ. Nihilominùs vi ejusdem characteris Episcopalis *ex natura sua intrinseca* respicientis Corpus Christi mysticum, sicque ex substantiali sua habitudine ordinati ad universalis Ecclesiæ Bonum publicum, *in casu extraordinariæ necessitatis*, quæ maximè urget, dum nullum noscitur Ecclesiæ sanctæ Caput Oecumenicum, pro tunc resultat obligatio providendi publico Ecclesiæ Bono. Unde vi ejusdem characteris Episcopalis, & in hoc radicatæ gubernativæ erga Christi Ecclesiam potestatis, à Christo *immediatè* competit Episcopis libera & expedita facultas ad prospiciendum in casu publicæ necessitatis fidelibus, Ecclesiæque sanctæ in ijs, quæ fidem ac extirpationem schismatis, atque Capitis certi provisionem concernunt. Quia proinde Generalis quædam Episcoporum illo Christi charactere insignitorum, & in vi hujus characteris à Spiritu sancto ad Ecclesiæ sanctæ regimen ordinatorum Congregatio repræsentabatur in Synodo Constantiensi, ad schismatis, fideique errorum extirpationem coadunatâ, rectè dicitur fuisse congregata legitimè in Spiritu sancto, à quo scilicet omnes illi Episcopi ad Ecclesiæ regimen, ejusque Bonum publicum erant ordinati. Quare Synodi istius potestas erat *immediatè* à Christo, utpote coalescens ex Episcoporum pro publico Ecclesiæ sanctæ Bono, nempe hæresum ac schismatis extirpatione ibi aggregatorum in unum collatis, à Christo ceu Causâ *primariâ*, unâ & Spiritu sancto *immediatè* promanantibus characteribus.

§. III.

Quantum valeat Decretum Sessionis V. *Concilij Constantiensis ad probandam Concilij super Papa superioritatem?*

HOc Decretum ita se habet: *Declarat Synodus, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite & in membris. Item declarat, quòd quicunque, cujuscunque conditionis, statûs, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Iuris remedia, si opus fuerit, recurrendo.* 24.

Hinc pro *primo* objicit Maymbourgus. Posito, verba illa: *Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris*, non contineri in Decreto 25. Pag. 280. n. 11. & seq.

creto *primo Sessionis IV.* clarum tamen esse, quòd *posita sint in Decreto Sessionis V.* Nihil autem referre, quânam *Sessione sit statuta illa clausula.*

26. Verùm isti objectioni occurrit Schelstratus, asserendo, plurimùm referre, quòd clausula illa *Sessione V.* potiùs, quàm IV. fuerit edita: quamvis enim utraque illa Sessio ab una tantùm ex tribus Pontificum de Papatu contendentium Obedientijs facta sit, ac proinde neutra plenum robur habere possit, differt tamen Sessio V. à Sessione IV. quòd illa celebrata sit, contradicentibus gravioribus de Obedientia Ioannis XXIII. Patribus, cùm econtra Sessio IV. habita fuerit consentientibus omnibus, qui erant de dicti Ioannis XXIII. obedientiâ, licèt non intervenerint Antistites, qui fuerant de obedientia Gregorij XII. & Benedicti XIII. Quamvis igitur non agatur hîc de Decreto Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, sed de Decreto Concilij, quod ob varias rationes meritò vocatur in dubium, hoc tamen necessum est, tantò magis infirmari, quantò plures rationes militant contra illud. At ultra rationes, ob quas Decretum *Sessionis IV.* revocari potest in dubium, contra Decretum *Sessionis V.* repetitur etiam illa, quæ desumitur ex contradictione plurium Patrum, qui erant etiam de Obedientia Ioannis XXIII. Quia igitur clausula illa *de reformatione* solùm *Sessione V.* fuit publicata, quæ Sessio, *uti mox ulteriùs patebit*, multis infirmatur rationibus, ideo Decretum continens eam clausulam, minimè firmum dici potest ac debet.

27. Firmatur pro *secundo* hæc responsio ex relatione historicâ paucis hîc reiterandâ. Ubi namque post *Sessionem IV.* deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis statuissent, quòd proximâ *Sessione V.* omnes articuli & clausulæ per Nationes concordatæ in ultima Sessione prætermissæ, expedirentur. Exinde Cardinales Nationibus nullatenus consentientes quoad clausulas & articulos *Sessione IV.* prætermissos, cùm intellexissent, eos, se invitis, *Sessione V.* publicandos esse, inprimis statuerunt, non venire ad Sessionem, sicuti de facto interesse renuerunt quatuor Cardinales: at reliqui, ubi animadverterunt, non posse cunctos sinè publico scandalo & periculo dissolutionis Concilij abesse, decreverunt adire quidem Sessionem, præmissâ tamen protestatione secretâ: *Quòd propter scandalum evitandum irent ad Sessionem, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in eâ statui debere.* Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ, qui sese quàm strictissimè conjunxerant cum Cardinalibus. Quare non solùm contra mentem Ioannis XXIII. sed & contra sententiam totius sacri Cardinalium Collegij, Galliæque Legatorum, publicata sunt illa Decreta cum clausulis *in præcedenti Sessione IV.* prætermissis, & ideo Cardinalis Florentinus, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, rogatus, ut Decreta legeret, munus illud exequi recusavit, sed hoc præstitit Boznanienſis; uti hæc patent *ex Regesto Constantienſis Concilij in tribus manuscriptis Codicibus.* Lectis equidem hisce Decretis, ante *Sessionem V.* apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere potuerunt istarum Præsides, quòd eorum publicatio placeret majori parti Nationum, minimè tamen Cardinalium Collegio: cùm enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. petijssent pro suo sacro Collegio suffragium distinctum à Nationum suffragijs, exinde passi repulsam, separârunt se à Nationibus, noluerunt que earum Congregationibus interesse; uti patet ex *Actis dicti Concilij, & ex manuscripto Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi.* Ubi expresè refertur, Romanæ Ecclesiæ Cardinales post recessum Ioannis XXIII. à Nationibus petivisse, ut ipsorum Collegium quoad suffragia unum votum cum ipsis haberet in Sessionibus publicis: in quo tamen repulsam passi sint, ita, ut Gesta Concilij hactenus inedita *ad Sessionem VII.* notent, quòd Cardinalibus vix unquam communicata fuerint Decreta publicanda in Sessionibus, ut desuper deliberarent. Ex quibus proinde elucet, quàm immeritò scribat Maymbourgus, Decreta *Sessionis V.* consentientibus omnibus obedientiæ Ioannis XXIII. Patribus, fuisse publicata. Nónne enim testatur Codex manuscriptus Regis Christianissimi, quòd post recessum Ioannis XXIII. Cardinalibus negatum sit votum speciale in Sessionibus publicis? Nónne ex septè Codicibus manuscriptis gesta, & regestum Actorum Constantiensium continentibus, manifestum extat, Cardinales noluisse sese Nationibus conjungere, quoad conclusionem Decreto num *Sessionis V.* sed egisse separatim, & tantis viribus obstitisse eorum publicationi? Nónne ex tribus manuscriptis Codicibus patet, Cardinales *Sessioni V.* interesse noluisse, nisi præmissâ protestatione secretâ, quòd consentire nolint ijs, quæ audierant, in ea statui debere? Nónne ex gestis Concilij habetur, Cardinalem Florentinum, ad quem de more spectabat, Decreta pronuntiare, dissensum Cardinalium sufficienter indicâsse, dum *in Sessione V.* à Nationibus rogatus, ea legere publicè recusavit? Nónne eadem Concilij Constantiensis gesta perhibent, Cardinalem præsidem *Sessione V.* pro Cardinalium Collegio, nullum tulisse votum, sicque neminem fuisse, qui unâ cum quatuor Nationum Prælatis vice Cardinalium ferret suffragium? Nónne ex his omnibus clarissimè constat, non solùm gravissimos Patres à contraclamante multitudine in Congregationibus Nationum superatos per se nullum tulisse votum, sed nec Cardinales per alios Consensum præbuisse?

Sed isthæc proximè expositа concertatio pro *tertio* facilè intelligeretur evanescere, si *probaretur, Decreta quartæ & quintæ Concilij Constantienſis Sessionis, esse restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij.* Hoc præstat Auctor Concilij Trident. in extinctæ Veritatis, accuratiùs expendendo, quòd Synodus Constantienſis in proloquio contingente dictam *Sessionem IV.*, imò & *V.* eatenus dicat, *se pro extirpa-*

ex pag. 294. n. 24. ac sequen.
ex pag. 297. n. 27. ac sequen.
ex pag. 303. n. 44.
ex pag. 287. n. 15. sequen.

patione præsentis schismatis, & unione, vel etiam reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris facere Generale Concilium; ut sub his ipsissimis verbis manifestè supponat, Synodum ejusmodi pro tali statu subsistitisse absque certo Capite, imò ad certum Caput Ecclesiæ constituendum in Spiritu sancto legitimè congregatam esse. In aperto igitur est, Decreta ejus Synodi pro tali statu condita, non habere locum, nisi in casu schismatis, seu de Ecclesiæ legitimo Capite dubietatis statu. In quâ adeò rerum peristasi Synodus Constantiensis faciebat Generale Concilium, non *in statu consummato ac perfecto*, utpote Vicarium Christi characterem exigente, sed in statu tendentiæ ad *consequendam unionem, reformationemque Ecclesiæ in membris & Capite* eatenus obtinendam, quatenus, oportebat, primùm constitui certum Caput Ecclesiæ. Sub quâ proinde tendentia ita erat Synodus illa in Spiritu sancto legitimè congregata, ut ejusdem tamen, quâ Concilij Oecumenici, perfectio & consummata infallibilitas minimè subsisteret quúsque tandem supervenisset vicarius Christi character, Decreta ab eâ Synodo condita approbans, suâque muniens auctoritate.

Firmatur pro *quarto* hæc intentio nostra, 29. expendendo, quomodò Synodus Constantiensis pro statu, in quo non extiterat certum Ecclesiæ Caput, potuerit cum veritate dicere, *quòd esset repræsentans Catholicam Ecclesiam militantem?* Quomodò enim Synodus illa Ecclesiam Catholicam, non ex membris duntaxat Hierarchicis, sed horum Capite visibili constantem, pro tunc repræsentabat, quando Ecclesia militans, quoad certitudinem saltem, imò secundùm strictam veritatem, destituebatur tali Capite?

Verùm sicuti Synodus illa non erat *in perfecto* Concilij Oecumenici *statu*, sed erat *in statu tendentiæ* ad hujus ex Capite Christi Vicario characteris perfectionem, suique cum legitimo tandem Capite unionem consequendam: sic universalis Ecclesiæ repræsentatio intrà illam Synodum pro statu *Sessionis IV. & V.* nondum erat *consummata*, sed ejus consummatio quærebatur ex schismatis extirpatione, generalique Ecclesiæ Dei in certo Capite constituendo, membrisque universis cum hoc uniendis reformatione. In quo proinde statu dicendum est, loqui Decreta ejus *IV. & V. Sessionis*: unde sicut nullus dignitatis Papalis characterem, *cum certitudine saltem* præferens, tunc existebat, sic Decreta illa nequeunt intelligi, quòd afficiant verum ac certum Papam futuris temporibus Ecclesiæ præficiendum: quippe cùm *ibidem* diserte dicatur, omnem, cujuscunque, etiamsi Papalis existat dignitatis, teneri ad obediendum in his, *quæ pertinent ad extirpationem schismatis, vel etiam Generalem in Capite & membris Ecclesiæ reformationem*; ex certi scilicet Capitis creatione, membrorumque Hierarchicorum Generali cum hoc unione introducendam: cujusmodi adeò restrictiones non aliud respiciunt, nisi perturbatum illud ex Capitis incertitudine resultans tempus.

Tametsi verò fidei Dogmatum in Synodo illa Constantiensi sanciendorum obediendi- 31.
tia sub ijs Decretis exigatur etiam à Papâ: utitamen id Concilium, sic ejus quoque sanctiones dogmaticæ pro tunc erant in statu tendentiæ ad characterem Christi vicarium in terris, haud certò tunc subsistentem, sed ipsiusmet Concilij in hunc finem legitimè in Spiritu sancto congregati auctoritate, tandem consequendum. Quo characterе superveniente, in his, quæ ad fidem pertinent, per approbationem certi Pontificis eatenus succedebat sanctionis dogmaticæ consummatio, ut omni, etiamsi Papalis existat dignitatis, sit in eis obediendum.

Nec obstat pro *quinto*, quòd in Decreto 32.
Sessionis V. subijciatur pœna *coercitiva*, ipsum etiam Papam constringens, *ubi statutis ejus sacræ Synodi, vel cujuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati, obedire contumaciter contempserit.* Nam singulariter notandum ibi venit, quòd hæc lex pœnalis, juxta expressa Decreti verba, coarctetur ad præmissa, adeoque ad ea, quæ ad extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite certo constituendo, membrisque Hierarchicis cum hoc uniendis, sicque contendentibus de Papatu reformandis, pertinebant. Unde fit consequens, ordinationes in prætactis Decretis factas, seu pro statu incerti Papatûs faciendas, ita fuisse restrictas ad prætacti finis mensuram, ut ordinarentur *ad eam Oecumenicæ sanctionis consummationem*, quæ non nisi ex Summi Pontificis, ad quem constituendum collimabat ea Synodus, postmodùm eligendi vicario Christi characterе obtinenda esset. Juxta quem adeò sensum accipi quoque debere præsentem Cleri Gallicani articulum *secundum*, videtur evinci ex ejusdem verbis proprijs, utpote quibus *disertè* asseveratur; Synodi Constantiensis Decreta *ibidem* allegata, non aliter, quàm ex Sedis Apostolicæ, atque adeò Summi Pontificis posteà subsecuti comprobatione, valere tanquam Oecumenica, sicque tantùm subsistere immota.

Sub prætacta hypothesi proximè jam exposità pro *sexto* dicendum est, Concilium 33.
Constantiense in statu *IV. ac V. Sessionis* non fuisse *formaliter* Oecumenicum seu Generale, sed *materialiter* duntaxat ac *dispositivè*. Explicatur. Constat namque ex dictis *superiùs*, quomodò Concilium dici possit Generale secundùm denominationem generalitatis tum *formalis*, tum *materialis*. Generalitas nempe *materialis* importat quandam coacervationem Episcoporum ex universo Christiano Orbe convocatorum: quorum character Episcopalis importat quidem aliquid etiam de *formali* erga universale sanctæ Ecclesiæ regimen ordine, quasi *radicale* & *transcendentale* in Ecclesiæ publica necessitate, sub schismatis præsertim tempus, ad debitam provisionem universos Episcopos tam *sigillatim*, quàm *collectim* constringente, ita tamen, ut ejusmodi regiminis Ecclesiastici ordo Hierarchicus, in characterе Episcopali fundatus, nullatenus

protendi valeat super Papæ auctoritate Oecumenicâ, quin potiùs ista super illius tam actuatione, quam exercitio *morali* extendatur. Quamdiu ergo Concilium constat ex solis Episcopis, quantumvis ex toto Christiano Orbe essent convocati, nequit dici perfectè Oecumenicum, seu Generale, nisi vel *materialiter* duntaxat, vel secundùm quandam adhuc incompletam *formalis* generalitatis, quâ characteri Episcopali inexistentis, sed quoad sui *actuationem & moralitatem omnimodam* supremo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici subordinatæ denominationem: siquidem ex *Matth. 18. cap.* sæpius jam fuerit ostensum, quòd neque prima Concilij Oecumenici convocatio subsistat, nisi ex vicario Christi Nomine, Papæ in terris proprio, neque præeminentia consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis habeat locum, nisi ad Hierarchici Ecclesiæ Corporis Decretum *Conciliare* accedat Capitis consensus: neque *indefinita*, Papali auctoritati compar, ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectivè* sumptis, nempe quâ Ecclesiâ Hierarchicam repræsentantibus, pro perpetuo Ecclesiæ statu promissa, competere possit Concilio, nisi quâ *indivisibiliter* & Papam, & Apostolorum in Episcopali charactere Successores in unâ Synodo collectos complectenti. Quàm parum proinde corpus organicum hominis dici potest humanũ nisi *materialiter & dispositivè*, quamdiu ipsi deest anima, ceu forma in Esse humani corporis *essentialiter* ac *formaliter* constitutiva: sic neque Concilium potest denominari *completè* ac *formaliter* Oecumenicum seu Generale, nisi Ecclesiæ Corpus Hierarchicum ex Episcopis ac Præsulibus in Synodo aggregatis consistens, sit unitum Romano Pontifici, ceu suo & sanctæ Ecclesiæ Capiti universali atque Oecumenico. Quandoquidem igitur Conciliũ Constantiense pro statu schismatis, & Papæ dubij perinde habendum fuerit, ac si nullus eidem interesset verus Papa, in facie sanctæ Ecclesiæ præferens characterem Capitis Oecumenici, imò tempore *quartæ & quintæ* Sessionis Constantiensis ne dubij quidem Papæ character intervenerit, quinimò ne quidem Episcopi dubiorum Paparum obedientijs *diversimodè* addicti, universi ibi præsentes extiterint: meritò jam scisitari licet, *quomodò pro tali statu Synodus illa uti potuerit titulo Generalis Concilij, nisi quoad generalitatem quasi materialem, & incompletè* duntaxat *formalem*, quâ Episcopali charactere insignitam, subsistentem pro tunc sub statu tendentiæ, tum ad omnimodam integritatem *materialem* ex duorum Paparum obedientijs coadservandam, & cum Ioannis XXIII obedientiâ posteà coadunandâ, tum ad perfectam ex Papâ certo sufficiendo, suisque *Conciliaribus* Decretis accessuro substituram *formalem* generalitatem. Sub cujusmodi adeò restrictione, poterat Synodus Constantiensis pro eo statu dici *repræsentans Ecclesiam Catholicam militantem*, quatenus licet Ecclesiæ Hierarchicum, sed adhuc *incompletum*, & Capite certo destitutum, Corpus repræsentabat, sub ordine tendentiæ ad istam sui ex Capite integritatem recuperandã.

ex pag. 288. n. 60.

§. IV.

Quænam opponi possint exceptiones adversùs IV. & V. Sessionem *Concilij Constantiensis, casu, quo sub earundem Decretis prætensa fuisset Concilij super vero & indubitato Papâ superioritas & auctoritas, maximè coercitivæ?*

SUb prætacta hypothesi excipi posset primò adversùs Decreta *Sessionis IV. & V.* Constantiensis, non fuisse in ijs servatam formam Concilij à Christo constitutam, nec a. 299. deò Christum unà cum Spiritu sancto eisdem n. 44. adstitisse. Etenim Christus *Matth. 17.* Apostolos missurus ad docendas omnes Gentes, *v. 20.* eisdem promisit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc igitur assistentiæ Christi promissio noscitur esse annexa characteri Apostolico usque ad consummationem sæculi in Ecclesia permansuro. At ea Christi promissio est ipsissima illa, quam Christus iturus ad mortem, *Ioann. 14. v. 16.* fecerat eisdem Apostolis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ista proinde Spiritûs sancti assistentia ex Christi orationis efficaciâ in æternum persistit eatenus in Apostolis, quatenus semper est annexus characteri Apostolico. At verò iste character Apostolicus, non consistit in præciso charactere Episcopali, sed in *indefinitâ* ligandi & solvendi auctoritate; prout patet *ex Matth. 18. cap.* Neque verò iste Apostolicus *indefinitè* ad ligandum & solvendum potestatis character, juxta dicti *capitis 18.* sacrum contextum, reperitur in aliquo Ecclesiastico Concilio, nisi sit aggregatum in Nomine Christi, quod Christi nomen unicè præfert Apostolica Christi vicaria auctoritas. Atqui sublatis Apostolis, cùm solius Petri Apostolica in terris supersit auctoritas, neque verò ista Apostolica auctoritas, saltem antecedenter ad Concilij Oecumenici aggregationem reperiatur in ullo, nisi in Petri successore Romano Pontifice, evidenter hinc redditur notum, non posse Oecumenicum Concilium, cui Christi ac Spiritûs sancti assistentia sit Divinitus repromissa, ullatenus intelligi, nisi Petri, ejusque successoris Apostolica interveniat auctoritas. Positâ igitur eâ hypothesi, quòd *Sessionis V.* Constantiensis Congregatio sibi pro tunc vendicâsset auctoritatem ejusmodi Apostolicam absque ullius Papæ interventu, atque adeò cum exclusione characteris Apostolici, prætendendo scilicet Concilij *cephali* super Papâ superioritatem: nequivisset sanè pro eo statu habuisse illam à Christo promissam sui ac Spiritûs sancti assistentiam: cùm reverà ex nullo Evangelij apice possit vel umbra afferri ad probandum, quòd character Apostolicus *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem præferens, conveniat Synodo non insignitæ Christi vicario, soli Petri successori proprio, Nomine. Et hinc mirum non est, tot tumultibus agitatam fuisse V. præcipuè Synodi Constantiensis *Sessionem*, si con-

ex pag.

contrariam se gesserit erga characterem Apostolicum, sub quo noscitur Concilio Ecclesiastico promissus Spiritus sanctus, unà cum Christi & Patris Æterni assistentiâ.

Sub præinsinuata hypothesi excipi potest 35. *secundò*. Sessionis V. Congregationem Constantiensem in eo se posuisse statu, ut ne quidem *materialiter* & *dispositivè* dici posset Generalis ac Oecumenica Synodus. Explicatur. Constiterat namque ab initio hæc Synodus ex Episcopis Ioannis Papæ dubij XXIII. Obedientiæ addictis, ad providendum Ecclesiæ de certo Capite in Concilium aggregatis, Sub hoc statu ipsimet characteres Episcopales in unum collati ex *intrinsecâ* naturâ suâ faciebant Synodo potestatem super Papis dubijs, ubi ad schismatis extinctionem id opus foret, etiam deponendis, & prospiciendo de unius indubitati Pontificis suffectione, uti *ex antecedentibus* constat. Quæ nihilominùs Synodus intenta erat de Papis dubijs removendis per spontaneam renuntiationem, sicque erat in statu tendentiæ ad characterem Apostolicum, ex Papæ certi electione sibimet conjungendum, poteratque adeò tunc dici *dispositivè & materialiter* Generalis, utpote habens aptitudinem ad Concilij Oecumenici *formalem* ex Papa posteà eligendo characterem obtinendum.

Verùm ubi Ioannes XXIII. Constantiâ 36. aufugerat, non attento, quòd iteratò promisisset renuntiationem, Synodus illa descendit non solùm ad auctoritativum processum contra illum Papam dubium, sed uti pars adversa prætendit, ad Decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum. In quo adeò statu ea Synodus se posuit in statu contrario erga characterem Concilij, quà Oecumenici *formaliter* constitutivum.

Probatur istud subsumptum. Si namque 37. Adversarij totum evolvant Evangelium, non 12 pag. poterunt ullum assignare apicem, qui secùs 310. n. ac *Matth. 18.* est traditum, statuat Concilij 40. Oecumenici characterem, ex alio quàm Christi Nomine vicario consistentem. Neque verò dicere fas est, Apostolicam auctoritatem Christi Nomen præferentem, ac sub *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate consistentem, ex ullo Apostolorum, si *divisim* spectentur, transisse in aliquem successorem, unico Petro excepto, cui claves Regni cælestis cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque cum jure successionis sunt collatæ. Quæ verò *indefinita* ligandi & solvendi potestas Apostolis *collectim* sumptis, quà Ecclesiam Universalem repræsentantibus *cit. 18. Matth.* est promissa, noscitur ex sacro contextu non aliter subsistere, nisi Concilium fuerit congregatum in Nomine Christi vicario, antecedenter se habente ad Concilium: quippe cùm istud debeat convocari per hoc Christi Nomen vicarium unicè jam subsistens in Petri successore. Quia igitur *secundùm præsuppositam hypothesin* Congregatio illa Constantiensis *in Sessione V.* adversùs istum Petri successoris proprium characterem se opposuit ei, qui est Christo *immediatus* & *proximus* vicarius, superponendo characterem Christo immediatiorem, indeque adeò superiorem, dum nempe statuit Concilij super Papa superioritatem: idcircò Synodus illa nequibat pro tunc permansisse in statu etiam *materialiter* duntaxat, ac *dispositivè* Oecumenici Concilij, quamvis posteà non ad istum solummodò statum redierit, sed tandem ex accessu Pontificis Martini V. pervenerit ad statum Synodi *completè* ac *formaliter* Oecumenicæ, subsistentis scilicet ex vicario Christi characterem, illi ex tunc certo Papæ inexistente.

Juxta præfatam hypothesin excipi potest 38. *tertiò*. Pro statu V. præsertim Sessionis se protendentis ultra schismatis statum, atque Concilij super Papâ etiam certo superioritatem decernentis, non potuisse tunc in Synodo Constantiensi Ecclesiam Universalem sufficienter, ac perfectè repræsentatam fuisse. Explicatur ac inprimis ostenditur, stante illâ hypothesi, ne *materialem* quidem generalitatem pro statu *V. Sessionis* habuisse locum in Concilio Constantiensi, atque adeò istud haud fuisse sufficienter repræsentativum Ecclesiæ Universalis, etiam quoad *acephalum* illius Corpus Hierarchicum. Cùm equidem Christus *Matth. 18.* disertis verbis sit contestatus, se in medio eorum fore, *ubi duo vel tres in nomine suo congregati fuerint*; clarè hinc evincitur, Concilij Oecumenici generalitatem constare posse ex paucioribus quidem Præsulibus Ecclesiasticis, modò isti congregati fuerint in nomine Christi ad totum Orbem Christianum se protendente. At neque convocatio ista, neque aggregatio Præsulum Ecclesiasticorum, pro Synodo Constantiensi prætendi potest esse facta sub certo Christi vicario charactere. Unde quia hic character incertus, vel etiam nullus fuit in Ioanne XXIII. convocante Synodum Constantiensem, nequibat hinc Ecclesia certificari de statu Oecumenici Concilij. Non poterat igitur ea Synodus in facie Ecclesiæ haberi quà Generalis, nisi *dispositivè* fortassis & *materialiter*, non aliter tamen, quàm sub respectu ad indubitatum Christi vicarium characterem, soli Papæ certo *secundùm prudentialis credibilitatis evidentiam* inexistere possibilem. Pag. 305. n. 71. & 72.

Etsi verò ipsorum etiam Præsulum cha- 39. racteres Episcopales in unam Synodum Constantiensem collati ex suo *transcendentali* ad Ecclesiæ regimen ordine, atque adeò ex suâ connatâ ad certum Ecclesiæ Caput habitudine & ordinatione *intrinsecâ*, jam fundârint *materialem* quandam Concilij generalitatem, sub statu tendentiæ ad certi Papæ characterem obtinendum ordinatæ: hæc ipsa tamen generalitas *materialis* pro eo etiam statu, quo Synodus Constantiensis supra Papam certum contendebat se efferre, necdum complectebatur Episcopos ac Præsules, Benedicti XIII. & Gregorij XII. obedientiam professos. Quæ integritas *materialis* in Concilij Constantiensis V. præsertim *sessione* tantò magis decrescebat, quòd ex ipsa etiam Ioannis XXIII. obedientia, quàmplures Patres, in contra-

rium

rium protestati fuerint. Imò dum Congregatio ejusmodi à charactere Concilij Oecumenici *formaliter* constitutivo, vicario scilicet Christi nomine se alienum ostendebat, ex tunc prorsus deficiebat Conventûs illius ordo & habitudo ad characterem Christi vicarium, siquidem iste per essentiam suam non admittat auctoritatem Christo immediatiorem, atque adeò se majorem; sicque proinde sanctâ Concilij super Papam auctoritate, jam abijciebatur ille vicarius Christi character. Unde quando prædictæ *Sessionis V.* Congregatio Constantiensis, neque reliquarum duarum Obedientiarum Patres, neque plures ex Ioannis XXIII. Obedientiâ Præsules, utpote in contrarium protestantes complexa est, sed insuper desijt esse in tendentia ad sui complementum *formale* & *substantificum*, ex *immediato* Christi vicario charactere, solius Papæ proprio, sibi adscisendum: omninò consequens est, tunc ne *quoad materialem quidem hierarchici Corporis generalitatem* fuisse illam Synodum Ecclesiæ universæ sufficienter repræsentativam.

40. Pro *quarto* ostenditur præterea, stante præfatâ hypothesi in statu *Sess. V.* Synodo Constantiensi longè magis defuisse *formalem generalitatem*, atque adeò vim Ecclesiæ Universalis *sufficienter* & *completè* repræsentativâ. Etenim Concilium Oecumenicum venire nomine Ecclesiæ, dicere debent illi universi, qui asseverant, ipsi appropriari posse illud *Matth. 18. Dic Ecclesiæ.* Et. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Num verò sub isto Ecclesiæ vocabulo in hoc sacri Evangelij textu dicere fas est, intelligi Corpus Ecclesiæ Hierarchicum *acephalicè* sumptum; an verò quâ Capiti suo Summo Pontifici unitum? Certè Ecclesiam, quam nefas est, *non audire*; esse à Christo condecoratam *indefinitâ* ligandi & solvendi auctoritate Apostolicâ, constat ex sacro Evangelico contextu. Ex quo insuper constat, Ecclesiam illam eâ pollere præeminentiâ, ut, *si duo inibi aggregati consenserint, super quacunque re, quam petierint, ipsis fore impertiendam à Patre cælesti.* Constat præterea ex ejusdem Evangelij contextu, istos duos esse, qui congregantur in nomine Christi, atque adeò tum Præsules hujus nominis auctoritate aggregatos, tum illum, qui præfert hunc Christi vicarium characterem. Nequit ergo illa in Concilio Oecumenico *repræsentativè* consistens Ecclesia *sufficienter* ac *integraliter* subsistere, nisi illi Duo, nempe Corpus Ecclesiæ Hierarchicum nomine Christi aggregatum, & Caput, vicarium Christi characterem præferens, conjungantur in Generali Concilio. Quia igitur in Concilio Constantiensi, juxta hypothesin *superiùs* positam, pro statu præsertim *V. Sessionis*, erat defectus tam ex parte Corporis Hierarchici, quàm ex parte Capitis: imò quia hujus auctoritas suprema, quâ Christi vicarium nomen *immediatè* præferens, tollebatur è medio; consequens est, Concilium Constantiense pro illo statu non fuisse Ecclesiæ Universalis sufficienter repræsentativum, ita ut in ejus medio Christus, unà cum Patre suo Æterno, ac Spiritu sancto adstitisse dici potuerit.

ex pag. 306. n. 73.

§. V.

In quo sensu juxta Gallicani Cleri Declarationem præsenti articulo secundo positam, Accipienda sint Decreta Sess. IV. & V. Concilij Constantiensis?

CLerus Gallicanus in hoc articulo ita tribuit Apostolicæ Sedi plenam spiritualium rerum potestatem, ut immota tamen consistere velit sanctæ Oecumenicæ Constantiensis Synodi Decreta de auctoritate Conciliorū Generalium, quæ *Sessione IV. & V.* continentur. Cujus suæ assertionis rationem videtur in hoc reducere, quòd ea Decreta sint à Sede Apostolicâ comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ perpetuâ religione custodita. Reprobat porrò Gallicana Ecclesia illos, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ ac minùs approbatæ sint auctoritatis, robur infringunt. Reijcit denique illos, qui ad solum schismatis tempus dicta Concilij Decreta detorquent. Pro quibus singulis accuratiùs expendendis, *sequentes* hîc proponemus, & discutiemus *disquisitiones.*

Primò igitur exordiendo à puncto extremo, disquirere lubeat; *An Conciliorum Generalium, acephalorum tamen, auctoritas ergà prætensum aliquem Papam extendi valeat ultra tempus schismatis? Ex antecedentibus* constat, dum ex schismate nulla elucet saltem convincens credibilitatis evidentia, penes quem Papatus legitimè subsistat, tunc re ipsâ deficere conditionem à Christo positam pro clavibus Regni cælorum obtinendis, siquidem Christus ea verba ad Petrum cum successionis ordine prolata: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, annexuerit ad statum, in quo verificetur, Petri successorem ita esse in Petrâ, seu Cathedrâ Apostolicâ, ut super ipsam ædificetur Ecclesia. Quia igitur hæc Ecclesiæ ædificatio consistit ex fide, per quam constituendus in Cathedrâ Apostolicâ, credi debeat esse consors illorum Christi verborum, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*; idcircò, dum propter schisma constare haud potest, quis legitimus sit Petri successor, seu quem prætacta Domini nostri verba contingant, nequit pro tunc status ille subsistere, in quo clavium auctoritas Apostolica in vi verborum Christi, alicui de Papatu contendentium revera sit collata. Ultra scismatis hujusmodi tempus, certum insuper est, eum, qui verus erat Papa, si lapsus sit in hæresin, fide Divinâ, ceu *substantiali* Ecclesiæ formâ destitutum, desinere esse membrum Ecclesiæ, adeoque ipso jure *Divino* non posse jam esse sanctæ Ecclesiæ Caput, ipsoque adeò *Facto* & *Iure* amittere jus Papatûs. Hinc proinde Concilium Generale jam *acephalum*, dum etiam est probabilitas duntaxat de tali hæreseos contaminatione, potest super Papâ jam dubio facto processum *judiciarium* instituere, eumque de hæresi *juridicè* convictum

auctoritativè declarare, quòd ipso jure *Divino* sit à Papatu depositus.

43. Datur insuper casus, quòd Papa per vim, aut violentiam, seu metum gravem ac injustum est intrusus, vel per simoniam iniquè promotus. Contingere etiam potest, quòd in electione Papæ designativâ interveniat defectus *substantialis* alicujus requisiti. In quibus universis casibus non potest persona ad Papatum sic intrusa pertinere ad statum successionis Petri, nec adeò contingunt ipsum verba Christi: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*. In quâ proinde variorum adeò casuum peristasi, nullo etiam intercedente schismate, Papatus re ipsâ vacat, nec adeò subsistere tunc potest Synodus Generalis, nisi *acephala*, ex Episcopalibus characteribus ex toto, quantum fieri potest, Christiano orbe collatis, absque Christi vicario charactere, Oecumenici Concilij *formaliter* & *substantialiter* constitutivo, coalescens. Cui nihilominùs Synodo, asseverandum est, competere auctoritatem super ejusmodi Papâ seu intruso, seu *vitiosè* promoto *judicialiter* procedendi, ac pro nullo *auctoritativè* declarandi, providendique de medijs, quibus Ecclesiâ sancta potiri tandem valeat legitimo Capite, verò summo Pontifice. Hinc ergo evidens redditur, auctoritatem Concilij Generalis licèt *acephali*, haud detorqueri debere ad solum schismatis tempus, si tamen sermo sit de statu Papæ, sub quo minimè elucescat evidentia credibilitatis de vero & indubitato Petri Successore. Juxtà quem adeò sensum omninò condescendo in prætactam Cleri Gallicani sententiam: secùs tamen foret, si ea Concilij auctoritas protenderetur super vero ac prorsus indubitato Papa; uti *inferiùs* magis elucidatur.

44. Quo præsuppositò, lubeat pro *secundo* regredi ad ea prætactæ Gallicanæ declarationis verba, quibus Decreta *IV. & V.* Constantiensis *Sessionis* prætenduntur, promanâsse ex Oecumenicâ Synodo. Respondeoque ex meâ parte, Concilium Constantiense pro eo statu, verè dici posse *materialiter* ac *dispositivè* Oecumenicum respectu illorum Decretorum, si hæc ultra schismatis quidem tempus ad Papas seu intrusos, seu hæreticos, seu quoquo modo dubios, non tamen ad omninò indubitatum ac certum Petri successorem extendantur. Explicatur. Supponamus namque ex physicis principijs, quòd juxta Scotistarum sententiam, in homine duplex consisteret forma substantialis, una corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Ex forma equidem corporeitatis denominaretur corpus organizatum, necdum tamen *formaliter* humanum, sed *materialiter* duntaxat, quod nempe ex unione formæ rationalis esset constituendum sub ratione hominis seu corporis quâ *formaliter* humani. Sic proinde Ecclesia dupliciter considerari potest, vel quâ Corpus Hierarchicum in Synodo aliquâ Generali absque Capite repræsentatum, vel quâ Corpus animatum formâ auctoritatis Oecumenicæ, vicarium Christi characterem, solius Papæ proprium præferentis. In priori adeò statu nequit adhuc Concilium *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat & *dispositivè* dici Oecumenicum; nec ejus Decreta habent vim auctoritatis Oecumenicæ. Cùm igitur Synodus Constantiensis pro statu *IV. & V. Sessionis* fuerit destituta præsidentiâ Papæ, caruerit*que* adeò pro tunc vicario Christi charactere, nequibant Decreta tunc sancita potiri auctoritate Oecumenicâ: sed ad hanc obtinendam, opus fuit auctorizativâ Papæ in futurum eligendi confirmatione, ceu formâ Synodi in *Esse Oecumenicæ essentialiter* constitutivâ. Quam tamen Papæ confirmationem non obtinuit Synodus Constantiensis pro Decretis illis, imò istis inexstitisset omninò incapacitas ad talem Papæ auctorizationem, si sub illis prætensa fuisset Concilij super Papam superioritas. Ubi verò ea Decreta non nisi Papas, ex causis suprà expositis, dubios attigissent, tunc eatenus dici possent Oecumenica pro tunc saltem *materialiter* ac *dispositivè*, quatenus verum est, ab ipsa Sede Apostolica approbari, ac Ecclesiæ usu custodiri, quòd Synodus etiam *acephala* extra schismatis quoque tempus possit super Papis dubijs suam protendere auctoritatem, ad eos seu deponendos, seu potiùs jure *Divino* nullos *auctoritativè* declarandos.

Sed nunquid pro *tertio* opponet fortassis adversarius. Concilium etiam *acephalum* repræsentat Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*? Quomodò ergo fas est, dicere, Concilium ejusmodi *acephalum*, dum v. g. nullum extat verum Ecclesiæ Caput, non esse *formaliter* Oecumenicum? Hujus duplicati quæsiti accipe sequentem resolutionem. Dum namque Spiritus sanctus per os Apostoli 1. *Timoth.* 3. Ecclesiam vocat *columnam, & firmamentum veritatis*; num dicere fas est, hoc de Ecclesiâ hierarchicâ solùm *incompletè*, ac *imperfectè* sumptâ intelligendum esse? Constat autem ex fidei principijs, hierarchicum Ecclesiæ statum *substantialiter* componi ex Capite, & Corpore hierarchico, Ecclesiasticos Præsules complectente. Num igitur isti Corpori *acephalo*, cum exclusione Capitis, Summi Pontificis, attribuere fas est, illam præeminentiam Ecclesiæ appropriatam, quòd *sit columna & firmamentum veritatis*? Hoc prædicatum nulli alteri subjecto est attribuendum, quàm illi, quod textu illo Apostolico habetur expressum, nempe Ecclesiæ. Quia igitur Ecclesia, secundùm quod est Hierarchia in terris Divinitus instituta, *substantialiter* dicit Corpus Hierarchicum quâ unitum Capiti, Supremo Pontifici, nequit illud prædicatum, quòd *sit columna, & firmamentum veritatis*, attribui *acephalico* Ecclesiæ Corpori Hierarchico, neque adeò decretum emanans à tali hierarchico Corpore *acephalico*, ullatenus dici potest *formaliter*, & *completè* Oecumenicum: sed neque *materialiter* & *dispositivè* sortiri potest hanc denominationem, nisi ex habilitate & aptitudine ad recipiendum Summi Pontificis, Nomen Christi vicarium præferentis characterem. Quandoquidem ergo Sedis Apostolicæ approbatio neque per Mar-

Pag. 321. n. 42.

45. ex pag. 321. n. 32.

tinum V. neque per alium Romanum Pontificem accesserit *quartæ & quintæ sessionis* Constantiensis Synodi Decretis, prout prætenduntur, extra casum schismatis, extendi supra verum etiam indubitatum Papam; atque adeò hoc in sensu *positivè* pugnent cum Pontificia authoritate quâ supremâ, & Christi *immediatè* vicariâ, consequens est, sub tali prætenso sensu nullatenus dici posse Oecumenicam. Sed hæc *in proximè subsequentibus* ex professo accuratiùs expendemus.

46. *Quartò* igitur, cùm Clerus Gallicanus in prælegata sua declaratione Decreta Synodi Constantiensis tanquam Oecumenicæ Sessione *quartâ* & *quintâ* edita, non aliter dicat valere, atque immota consistere, nisi quatenus sint comprobata per Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem, ac totius Ecclesiæ usu confirmata & custodita: meritò jam disquiritur; *Cujus Pontificis Romani, an fortè Martini V. authoritate sint comprobata ea decreta?* Ex antecedenter dictis constat, duplicem formari posse sensum eorum decretorum. *Vnus* est, secundùm quem authoritas Conciliorum Generalium ultra tempus schismatis extenditur ad Papas intrusos, sive per vim & metum, & simoniacam pravitatem, vel electos cum defectu *substantialis* solennitatis, vel ob hæresin Divino jure ab Ecclesiæ Corpore avulsos, sicque ipso quasi jure naturæ à Capitis prærogativâ depositos. Hunc sensum, si unicè intenderetur à Clero Gallicano, prorsus tenendum, Apostolicæque Sedis, ac Ecclesiæ usu receptum esse, liquet ex dictis *superiùs*. *Alter* proinde sensus est, per quem in vi præductorum decretorum Constantiensium, authoritas Conciliorum Generalium *acephalorum* protenditur super Papâ prorsus certo, in Petrâ Cathedræ Apostolicæ per Ecclesiæ consensionem recepto, sicque ex vi promissionis Divinæ Christi infallibiliter dotato clavibus regni cælorum, neque per hæresin remoto ab ista Capitis Ecclesiæ, ac Petræ Apostolicæ prærogativâ. De hoc igitur posteriori sensu est nobis sermo; *Vtrùm sit comprobatus à Sede Apostolicâ, Romanorúmque Pontificum, ac Ecclesiæ usu, speciatim verò Martini V. authoritativâ confirmatione?*

47. Hujus quæsiti resolutionem expendamus ex Bullâ Martini V. decretorum Concilij Constantiensis confirmatoriâ. Hujus initium coarctatur ad hoc: *Quòd eo diplomate suo intendat conservare fidem Catholicam à contagiosis hæreticorum dogmatibus, extirpareque hæreticam pravitatem de finibus fidelium.* Exinde inserit suæ Bullæ statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wicleffi & Hus, nec non errorem Bohemorum de communione sub duplici specie. Hinc concludendo, confirmat *declarationes, decreta &c. nec non condemnationes, & sententias, seu statuta suprà scripta.* Ex quo proinde Bullæ Apostolicæ tenore clarè patet, Martini V. confirmationem non extendi super decretis Constantiensibus *quartæ* & *quintæ* Sessionis in eo sensu acceptis, ac si Conciliorum Generalium authoritas protenderetur super certo & indubitato Papâ. Accedit, quòd idem Summus Pontifex sub eodem Concilio ediderit constitutionem, quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, in Consistorio Generali Constantiæ celebrato sextò Idûs Martij, Pontificatûs sui anno primo, quâ decernitur: *Nulli fas esse, à supremo judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi vicario in terris appellare, &c.* Quomodò autem hæc constitutio subsisteret, & cohæreret, si idem Pontifex confirmâsset decreta Constantiensia quâ assertoria *superioritatis Concilij Generalis super Papa certo & indubitato.*

ex pag. 323. n. 37.

Sed nunquid pro *quinto* dicere fas est, *illum reprobatum decretorum Constantiensium sensum esse totius Ecclesiæ usu confirmatum in Concilio Basileensi?* Multa equidem in hac Synodo sunt attentata adversùs auctoritatem Summi Pontificis, specificè contra Eugenium IV. prout hæc referuntur *à pag. 314. n. 25. ac seq.* Verùm mox ostenditur, ex universis his attentatis nihil roboris & firmitatis accessisse decretis Constantiensis Concilij ad firmandam eam extensionem, in vi cujus prætenditur Concilij authoritas supra Papam certum & indubitatum. Inprimis equidem Concilium Basileense sub prima sui aggregatione erat legitimum & Oecumenicum, utpote convocatum in nomine Christi, nempe authoritate ipsius vicariâ, penes Eugenium IV. tunc indubitatum Summum Pontificem subsistente. Attamen iste Concilij Oecumenici character proprius ab ea Synodo cœpit esse remotus, ubi à Capite suo Romano Pontifice divisa est, ex eo, quòd Eugenius ejusdem Concilij dissolutionem, ac in fines Italiæ translationem decrevisset suâ Bullâ, relatâ *in Appendice ad Acta Concilij Basileensis*: ex tunc enim Patres Basileenses, negantes, Concilium semel legitimè convocatum per authoritatem Pontificiam dissolvi, alióque transferri posse, Eugenio in contrarium suis decretis agente, devenerant ad præinsinuata adversùs Pontificem attentata. Sub quo proinde statu Synodus desijt esse congregata in nomine Christi, prorsusque cœpit esse destituta charactere Vicariæ Christi auctoritatis, juxta Christi Domini *Matth. 18.* sancitam ordinationem, omninò requisitæ ad Concilium Oecumenicum. Quare decreta dictæ Synodi ex tunc inter mera Conciliabuli jam *acephali*, imò Capiti suo refractarie oppositi adversùs *immediatum* Christi in terris Vicarium attentata, sunt in tantum recensenda, ut ipsius etiam Christi institutioni eatenus repugnarent, quatenus *immediatæ* Christi Vicariæ authoritati protervè superponebant aliquam Christo immediatiorem, nempe Concilij super Papa, superioritatem: quippe cùm ex principijs fidei sit indubitatum, quò major est in Ecclesia superioritas, eò esse Christo immediatiorem, atque adeò, ubi Synodus esset Papâ superior, eo ipso haberet proinquiorem respectu Christi immediationem, sicque proinde Papam non fore *immediatum* Christi Vicarium: quod à fidei principijs, ab ipso etiam Constantiensi Concilio contra Wicleffum firmatis, prorsus alienum est.

ex pag. 323. n. 28. ad seq.

48.

Pro

Pro *sexto* firmatur hæc nostra sententia, actorum Basileensium reprobatoria, ex Concilij Lateranensis sub Leone X. celebrati, & Christianissimo Galliarum Rege solenniter promittente, se ei inhæsurum, pro legitimo habiti *Sessione 10.* Ita namque se habent hujus sanctionis verba: *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi Congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs Conventiculo, quod præsertim post ejusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, eà propterea nullum robur habere potuerint, cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, sacrorúmque Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione, manifestè constet.*

Ad hoc intentum nostrum pro *septimo* singulariter faciunt, quæ Meldensis Episcopus legationis à Carolo VII. Galliarum Rege destinatæ princeps, in sacro Purpuratorum senatu disseruit; prout refert Raynaldus ad annum 1441. & Ganguinus in Carolo VII. *Nimio fervore*, inquiebat is Orator, *resistendi* (Basileenses) *ad hanc vesaniam devenerunt, quòd supremam potestatem in uno suppositò consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & pulcherrimam monarchiam, quæ Christianos hucúsque tenuit in unitate fidei &c. abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam Politiam, quæ beatitudinem cælestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes &c. sicque schisma factum est, nedum in obedientia Capitis, sed & in doctrina Evangelij &c. Ad quod schisma extirpandum videtur Christianissimo Regi Franciæ, Regnique sui consultis Prælatis, multisque alijs sapientibus, nullum esse aptius remedium, quàm evellere prædictas extremitates, ad quod faciendum, necessarium est Generale Concilium. Porrò Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit: Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet ex decreto Græcorum, sed pro regulando usu hujus potestatis, nihil edidit, nihilque locutum est.* Hæc igitur meritò expendat Clerus Gallicanus cum eo, quod teste Raynaldo *citato*, idem Meldensis Episcopus in Concilio Florentino Regis Christianissimi, & Gallorum nomine supremam Ecclesiæ potestatem in uno suppositò sit professus, detestando illos, qui eam ponunt in Concilio, sicque Catholicam scindunt unitatem. Expendat insuper idem Clerus Gallicanus, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis sancti Severini, Claudius electus Episcopus Massiliensis, & Ludovicus Dominus de Soterijs, Regis Christianissimi nomine, coram Notarijs & testibus in litteris patentibus, Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusque sigillo munitis, liberè ac simpliciter sacrosancto Lateranensi tanquam vero & legitimo Concilio adhæserint, in quo tamen Concilio *Sessione 10.* expresè definitum est, Papam esse supra Concilium Generale.

Quibus ita constitutis, pro *octavo* ita licet concludere. Quandoquidem Clerus Gallicanus in suæ declarationis præadducto articulo *secundo*, non aliter dicat, valere Synodi Constantiensis tanquam Oecumenicæ decreta, quæ de authoritate Conciliorum Generalium *Sessione IV. & V.* continentur, nisi quatenus sunt comprobata à Sede Apostolica, Romanorumque Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata: neque verò ejusmodi vel Apostolicæ Sedis comprobatio, vel Romanorum Pontificum ac Ecclesiæ confirmatio, & usus subsistat pro illorum decretorum sensu à nobis reprobato, sub quo scilicet eorundem ad certum & indubitatum in Cathedra Apostolica legitimum Petri successorem ut sic ab Ecclesia receptum fieret extensio: idcircò omninò habeo persuasum, quòd Gallicana Ecclesia ultra schismatis tempus ea decreta extendens, locum habere duntaxat velit circa Papas dubios vel ratione schismatis, vel ratione probabilis intrusionis, vel ratione defectûs in electione eorum designativâ *substantialis*, vel ratione verisimilis hæreseos. Quæ opinio magis firmatur in meo animo, quòd eadem Ecclesia Gallicana Sedi Apostolicæ, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plenam attribuat potestatem. Quomodò autem vel Petri successores respectu Christi essent Vicarij saltem *immediati*, si superior ipsis, adeóque *immediatior* esset intrà Ecclesiam rerum spiritualium potestas, vel quomodò Romanorum Pontificum authoritas esset plena, si subijceretur Concilio etiam *acephalo*, ex solis characteribus Episcopalibus consistenti, nec juxta Christi constitutionem *Matth. 18.* exaratam, absque vicario Christi nomine Papæ proprio, Concilium Oecumenicum facere potenti, neque proinde *indefinitam*, plenamque ligandi & solvendi potestatem absque eodem Christi Vicario charactere obtinere valenti?

Caput IV.

In quo sit suprema potestas Ecclesiastica.

QUam hactenus expendebamus quæstionem *de Papæ supra Concilium, seu hujus super Papam superioritate*, maximi esse momenti, concludit Ludovicus Ellies du Pin sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor *in suæ de antiqua disciplina Ecclesiastica Dissertationis sextæ proloquio.* Si enim Papa sit supra Concilium, hinc consequens fore, ait, quòd sit summus Ecclesiæ Monarcha & Dominus, Ecclesiaque authoritate ejus supremâ, non autem Canone regatur; nullumque in ipsa sit Aristocraticum regimen: nec ulla sit Concilio-

rum necessitas, atque horum auctoritas universa non à communi, & Catholico Ecclesiarum consensu, sed ab unius Papæ sententiâ & voluntate dependeat: propterea quæ Papa possit ex animi sui arbitrio Canones abrogare, alios condere, ab illorum observatione pro libitu dispensare: tandemque Episcopi intrà Concilium sint duntaxat Consiliarij, non autem judices necessarij controversiarum Ecclesiasticarum. Ex ijs equidem, quæ *in antecedentibus* fusiùs expendebantur, clarum & liquidum elucet, ista consectaria per Ellesium efformata, ex integro saltem, imò ex majori parte haud subsistere, prorsusque aliena esse à mente Theologorum, qui docent, supra Concilium *seu realiter, seu abstractivè acephalum*, non verò *plenè ac formaliter* Oecumenicum competere Papæ superioritatis præeminentiam. Nihilominùs eorundem hîc discussionem reassumere, prorsus est necessarium, ex occasione argumentorum, quæ Ellesius *cit. Dissert. 6.* congerit.

2. Quorum summa ad hosce reducitur titulos. Primò; *Vtrùm Concilium Generale legitimè congregatum, cui adest Pontifex Romanus, vel ad quod legitimè vocatus adesse renuit, majorem habeat auctoritatem, quàm Pontifex Romanus solus, & sinè Concilio Generali?* Secundò; *Vtrùm Concilium Generale habeat potestatem condendi Canones, quibus ipse Pontifex tenetur?* Tertiò denique; *Vtrùm Concilium possit judicare de persona Papæ, ipsúmque in errorem, aut crimen lapsum deponere?* Quibus disquisitionibus per modum primi quasi principij idem Ellesius præmittit, *potestatis Ecclesiasticæ immediatum subjectum esse universam Ecclesiam.* Quæ proinde universa *quarto hujus Opusculi nostri capite* examinabimus: in *quinto* dein expensuri exceptiones Ellesij, quas nostratis sententiæ argumentis opponere nititur. Ac demum in *sexto capite* discutiemus, quæ *circa Pisani, Constantiensis, ac Basileensis Conciliorum, hanc in rem definitiones supererunt ponderanda.*

§. I.

An Potestatis Ecclesiasticæ immediatum *subjectum sit universa Ecclesia?*

3. HUjus quasi primi per Ellesium hîc sanciti principij, idem Auctor talem efformat sensum: *An scilicet potestas Clavium sit immediatè concessa Vniversitati Ecclesiæ, ut per ejus Ministros ad Summum Pontificem exerceatur: An verò Summo Pontifici, aut Episcopis sit immediatè collata à Christo?* Hoc, ait, esse quæstionum propositarum fundamentum. Nam si clavium potestas sit penes solum Romanum Pontificem, haud dubium fore, quin super Universam Ecclesiam habeat auctoritatem, quippe cùm aliam potestatem hac in hypothesi non obtineant Ecclesia & Prælati, quàm quæ illis ab ipso communicatur, secùs verò esse, si vice versâ Ecclesia supremam habeat potestatem, quæ ab eâ in Ministros, Summumque Pontificem derivetur. Quare præfatus Doctor Parisiensis ad hoc primitùs est intentus, ut ostendat, *mentem Antiquorum omnium fuisse, claves non uni Petro, sed in personâ Petri Vniversitati Ecclesiæ collatas esse, quas illa Ministris suis, atque ipsi Summo Pontifici communicet.*

ARGUMENTUM I. Ellesij.

LUdovicus Ellies *cit. Dissert. 6. §. 1.* argumentatur 1. totam hujus rei summam reducendo in Christi Domini verba *Matth. 18. cap.* statuentis: *Si peccaverit in te frater tuus, & te ac testes non audierit, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Hinc enim patet, excommunicandi potestatem esse penes Ecclesiam. Unde idem Doctor Parisiensis *Dissert. suæ 3. cap. 1.* contendit, licèt nulli præterquam Episcopi & Presbyteri potestatem habeant exercendi claves, eam tamen in Universâ residere Ecclesiâ: quo nomine in sacris Litteris non sacerdotes solos, sed Universum fidelium Cœtum intelligi. Tametsi igitur non omnes fideles uti possint clavibus, sed solis Sacerdotibus hoc sit reservatum: verumtamen haud dubium esse debere, quin primò & præcipuè ligandi & solvendi potestas sit data toti Ecclesiæ, à quâ in ejus Ministros derivetur, perinde ac res se habet in Republica, in quâ soli Magistratus & Cives obtinent jus vitæ & mortis, belli ac pacis, quæ tamen potestas in ipsâ Republicâ tanquam in fonte & radice residet.

Responsio.

DIscernis inter primævam clavium potestatem soli Ecclesiæ datam, atque facultatem exercendi clavium ejusmodi usum. Hanc equidem potestatem attribuendo solis Sacerdotibus, priorem autem eatenus appropriando toti Ecclesiæ, ut in hac resideat tanquam fonte ac radice, ex quâ derivetur in ejus Ministros. Juxta quam proinde distinctionem pro *primo* sciscitor ex te Ellesi: *Num ipsa etiam potestas utendi clavibus ex Ecclesiâ sit eatenus derivata in Presbyteros, ipsummet etiam Papam, ut nullus eam acceperit* immediatè *à Christo?* Ita reverà dicendum videbitur, si hæc clavium exercendarum facultas non nisi ab Ecclesiâ ceu fonte ac radice profluxit in ejus Ministros, ipsum etiam Summum Pontificem: perinde ac Regia, lumini naturali politicam inter homines societatem dictanti concreata potestas, mediante populi in unum regimen civile se se coadunantis consensu, nec adeò *immediatè* à Deo fuit communicata huic individuæ personæ ac stirpi. Hoc autem posito, cùm Ecclesiæ clavibus à Christo dotatæ nomine juxta Ellesium non veniant duntaxat Episcopi ac Presbyteri, sed universus fidelium Cœtus, atque adeò in isto ceu fonte ac radice sit potestas, Presbyteris, ac Episcopis communicandi facultatem, utendi clavibus, rursus disquirere licebit; *An ex Christo* immediatè, *vel potiùs ab Ecclesia in Presbyteros ac Episcopos derivetur peculiaris quæpiam habilitas, ad exercendas claves, eisque utendi potestatem recipiendam?* Si hæc equidem Presbyteris, non verò laicis conveniens habilitas in solum Christum *principaliter ac immediatè* tanquam suum principium esset reducenda,

ducenda, ne tunc quidem *activa* clavium potestas in Episcopis, ipsomet etiam Papâ, esset *immediatè* à Christo, sed *passiva* duntaxat erga claves recipiendas aptitudo. Quinimò cùm primævum subjectum potestatis Ecclesiasticæ sit omnium Fidelium Cœtus, idcircò denuò percontari licet; *Quo Sacramentali signo universus Fidelium Cœtus recepisse dicendus foret characterem à statu laicali discretivum per quem in ipso subsisteret potestas Ecclesiastica, cùm ne Episcopi quidem sint capaces ad hujus potestatis usum recipiendum, nisi mediante charactere Episcopalis Ordinis?* Et *quia passiva ad potestatis Ecclesiasticæ usum habilitas in Episcopis est ex charactere Sacramentali Ordinis*, nunquid consequens erit, in ipso etiam Cœtu fidelium, oportere, *passivam* respectu potestatis Ecclesiasticæ capacitatem esse ex aliquo charactere Sacramentali? An ergo asseverandum erit, hanc *passivam* respectu primævæ clavium potestatis, habilitatem proximam in Ecclesia substitisse, ex nullo alio, per Christum, ejusque Sacramentum aliquod impresso, quàm Baptismali charactere? Quo rursus posito, cùm & *activa* clavium communicandarum potestas sit in Ecclesiâ tanquam radice ac fonte; & *passiva* ad eas recipiendas habilitas ex Christi primævâ institutione per nullum cujuscunque Ordinis Sacramentalis characterem subsistat, denuò datur occasio disquirendi; *An non hinc foret consequens, posse clavium exercitium ab Ecclesiâ communicari ipsis etiam Regibus, nullo ultra statum politicum discretivo charactere insignitis?* Hoc profectò est, quod Ecclesia Anglicana olim pertentaverat in ipso Rege suo tanquam Ecclesiæ Capite seu constituendo, seu recipiendo. En igitur, quò mi Ellieſi, ex principio per te asserto tandem deveniremus.

6. Quare pro *secundo* optarem, Ellieſi, ut ad animum reduceres Divini per te allegati Verbi Evangelici sacrum contextum, ubi, cùm fratrem peccantem, *si testes non audierit*, Ecclesiæ denuntiandum, *&, si Ecclesiam non audierit, instar Ethnici & publicani* habendum, adeoque excommunicandum, Christus jussisset, mox subjunxit: penes quos stare deberet ista excommunicandi auctoritas: *Amen dico vobis*, (inquiens) *quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis &c.* Nunquid enim ista verba ex clarissimo tenore suo noscuntur directa ad solos Apostolos, non ad universum, nullo charactere extra laicalem statum discretivo insignitum, Cœtum fidelium? Et ne quis possit sibi imaginari, ad Apostolos *sigillatim* sumptos pertinere duntaxat ea Christi verba: mox subtexuit: *Si duo* (ex eo Cœtu Apostolico) *consenserint*, à Patre Æterno ipsis communicatum iri, quamcunque peterent, Veritatis Divinæ manifestationem; expresse tamen denotando, hos duos esse *collegium Apostolicum* sub binario seu ternario saltem numero *aggregatum, & coadunatum cum nomine Christi vicario*, id est, cum Apostolicæ, Christi nomen Vicarium in terris repræsentantis auctoritatis, charactere. Hoc ergo Collegium Apostolicum, juxta disertam Christi verba, non universorum fidelium, nullo, seu Apostolico, seu Episcopali, seu Sacerdotali ultra statum laicalem extractivo & discretivo charactere insignitorum Cœtus, est illa Ecclesia, Hierarchiæ Divinitus institutæ formam præferens, sicque totam Ecclesiam quoad potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem repræsentans, cui pro perpetuo Ecclesiæ statu à Christo *immediatè* sunt *Matth. 18.* concreditæ claves solvendi & ligandi.

Nunquid autem pro *tertiò* hoc ita accipiendum est, ut per istam *Matth. 18.* sanctam clavium potestatem eliminari debeat, quæ *Matth. 16.* per ipsummet etiam Christum Petro *determinatè* ac *singulariter*, in ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, ejusque adeò successoribus est promissa, & *Ioannis 21.* in Oecumenico Pastorali munere *actualiter* collata clavium auctoritas? Si in aliquo regno eâ lege esset in Regem à populo translata suprema politica potestas, ut certis tamen temporibus obstringeretur, convocare Generalia Statuum ac Ordinum Comitia, quorum non consultivum duntaxat esset suffragium, sed unà cum Rege *ultimatè* decisivum, num propterea fas esset negare, quòd Regi etiam extra Comitia esset æquè suprema auctoritas Regia, quodque Comitiorum generalium, Regis simul auctoritate stipatorum facultas politica esset major, ac sit solius Regis, absolutâ Monarchæ potestate potiuntis auctoritas? Fertur: cùm in Comitijs Generalibus Franciæ sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiatos esse tanquam Regiæ Majestati injuriosos: quippe cùm Rex non esset verus Monarcha, si superioritatis super ipso præeminentiam obtinerent Comitia Generalia. Pari ergo ratione ea, quæ *ex Matth. 18. cap.* Collegio Apostolico seu Concilio Oecumenico, ex Capite ac reliquo Ecclesiæ Hierarchico Corpore subsistenti, Ecclesiamque Universam plenè repræsentanti, competit *indefinita* solvendi & ligandi auctoritas, ita est à nobis astruenda, ut necessarium tamen sit, profiteri alteram quoque *Matth. 16.* Petro *determinatè*, cum ordine perpetuitatis, adeoque cum successionis jure, promissam, & *Ioannis 21. cap. actualiter* collatam, æquè *indefinitam* clavium potestatem. 7.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

HIc Auctor *cit. §. 1.* argumentatur 2. ab auctoritate Patrum. Inter quos primus inducitur Tertullianus *Scorpiaci cap. 10. Memento*, inquiens, *claves hîc Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse Christum.* Cyprianus porrò *lib. de unitat. Eccles.* ita habet: *Loquitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus &c. tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me vivens Pater &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit, Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod*

fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis. Optatus *lib 7.* ait. *Præferri. Petrus cæteris Apostolis meruit, & claves Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit: id, est accepit eas, ut cæteris etiam communicarentur, personam gerebat omnium.* S. Basilius *Monast. Constitut cap. 23. Petre*, inquiebat Christus, *amas me plus his, pasce oves meas: & omnibus deinde Pastoribus ac Magistris eandem tribuit potestatem cujus quidem rei signum est, quòd omnes similiter, atque ille, ligent & solvant.* Ambrosius *lib. de dignit. Sacerdot. cap. 2. Quas oves*, ait, *& quem gregem non solùm tunc B. suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Chrysostomus *Homil 79.* (*homil. 34. ad pop. Antioch. edit. Paris. 1581. fol. 228. litt. A.*) super isthæc Christi Verba: *Amas me, Petre, pasce oves meas*, sic ait: *Quod non ad Sacerdotes solos dictum est, verùm etiam ad singulos nostrùm, quibus vel minimus grex commissus est.... Habet unusquisque ovem, ad pinguia eam pascua ducat.* Hieronymus denique *lib. 1. contra Iovinian.* ita disserit: *At ipsa super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo, super eòs fortitudo Ecclesiæ solidetur, tamen propterea unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoiia.

9. PRimò. Rem hanc magis elucidandi gratiâ, scisciter ex Ellieso. An Romanus Pontifex Occidentalis Imperij jure à Græcis adempto, sive ex auctoritatis Apostolicæ plenitudine, sive (uti Auctor ille antehac confutatus contendebat) ex Senatûs, populique Romani scito & voto, sub jure hæreditario in Carolum Magnum transtulerit Imperatoriam dignitatem? Nunquid ex tunc verificabatur, eum Romanum Pontificem primitùs huic Francorum Regi, & per eum stirpi ipsius masculinæ, imò toti Regno Francico reliquisse Imperialem sublimitatem? Ex quo nihilominùs proprijssimo loquendi modo haud evincitur, dicto Franciæ Regno *primordialiter* ceu *primævo subjecto & principio* fuisse concessum illud jus Imperatoriæ præeminentiæ, sed hæc ita inerat Carolo, ceu primo inter Occidentales Imperatori, per eum tanquam principium & fontem propaganda, in stirpem suam masculinam Regiamque Francicam successionem, ut non nisi *consecutivè* inexisteret Regno Franciæ: quatenus scilicet id, quod est in Capite, verè dicit esse in Corpore: sicque adeò Occidentale Imperium erat in Carolo, tanquam in Capite Regni Francici, huic verò inextiterat tanquam Corpori politico, cujus Caput fuerat Carolus. Pari proinde proportionali ratione, quando Christus compellabat Petrum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, vi istorum verborum, Petrus destinabatur in Caput sanctæ Ecclesiæ seu Regni Cælorum. Unde rectè asserebat Tertullianus, hasce claves a Domino esse primitùs concessas Petro, essequè per eum relictas Ecclesiæ. Per hoc enim denotatur, isthanc auctoritatem ita fuisse in Petro tanquam *primario* ac *immediato* subjecto suo, ut per ipsum intelligerentur relictæ toti Ecclesiæ ceu Corpori mystico, cujus Caput constituendus esset Petrus.

Atque hoc pro *secundo* est ipsissimum illud, quod Cyprianus præallegatus probat ex ijs Christi verbis *definitè* ac *determinatè* ad Petrum, non ad universum Collegium Apostolicum prolatis, *Tu es Petrus &c. tibi dabo claves regni cælorum.* Quamvis enim Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suam teste præfato Cypriano, *parem potestatem tribuerit*, dicendo: *Sicut misit me vivens Pater, ita ego mitto vos*: hæc tamen potestas, in qua Apostoli universi fuerunt æquales, substiterat ex Christi delegatione, quæ se habebat per modum duntaxat legationis personalis, exspiratura proinde cum illorum personis, *uti antehac ostensum fuit.* Præter hanc igitur personalis legationis Apostolis communis præeminentiam, Petro fuerat alia adhuc destinata ligandi & solvendi absoluta auctoritas, quæ perpetuo Ecclesiæ statui annexa, habebat in se fundatum jus successionis: estque ipsissima illa intrà Ecclesiam perpetua potestas Apostolica, de qua idem Cyprianus pergit dicere, Christum, *ut manifestaret unitatem, hujus originem ab uno* (scilicet Petro) *incipientem, suâ authoritate disposuisse.* Quare gravi dignus est Ellieso animadversione, inter se confundens tum eam, quæ *Matth. 16.* Petro *determinatè* promittebatur à Christo ligandi & solvendi potestas, quæque *Ioan. 21. actualiter* conferebatur pastoralis Oecumenici Officij præeminentia: tum illam, quæ *Matth. 18.* Apostolis, quà Ecclesiam repræsentantibus, sive Christi Vicario nomine coadunandis destinabatur solvendi auctoritas æquè *indefinita*, & in perpetuum duratura, id est in Concilium Oecumenicum Collegij Apostolici repræsentativum transitura: tum eam, quæ *Ioann. 20.* Apostolis universis *sigillatim* spectatis *per modum legationis personalis* collata fuit, pat Apostolicæ auctoritatis potestas. De quâ proinde obtinet illud Cypriani effatum: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Ubi tamen isthæc *per modum Legationis personalis* cunctis Apostolis concessa prærogativa cum ipsorum personis exspiravit, ex tunc nequibat illa *Matth. 18.* per Christum constituta solvendi & ligandi auctoritas Apostolica, Concilio Oecumenico, Collegij Apostolici repræsentativo communicabilis esse, nisi Vicarium Christi nomen solius Romani Pontificis proprium interveniret: *uti patet ex aperta littera cit. cap. 18. Matth.* Quæ verò *Matth. 16.* ad Petrum solum directa fuit clavium potestas, eatenus erat in successores pro perpetuo Ecclesiæ statu transferibilis, ut ex eâ inciperet origo unitatis, derivandæ scilicet ex unitate Capitis, ceu Petræ, *super quam ædificanda esset Ecclesia.* De quâ proinde Petri, ejusque successorum capitali præeminentiâ,

optimè

optimè dixit Optatus *lib. 7. præferri cæteris Apostolis meruisse Petrum*, atque *claves regni cælorum communicandas cæteris, solum accepisse*. Hæc etiam est ipsissima illa auctoritas, secundùm quam præ cunctis Apostolis constitutus est Petrus, ovium & agnorum Christi Pastor Oecumenicus. Ex verbis autem *Ioan. 21.* exaratis clarè constat, istam Petri præeminentiam super cunctas Christi oves reflexivam, ipsos etiam Apostolos, utpote Christi agnos, habuisse sibi subjectos, non equidem quoad Apostolicam authoritatem à Christo *immediatè* communicatam, sed quoad *moralitatem* actuum, ab hac quoque apostolicâ Authoritate liberè promanantium, atque ut sic contentorum sub illo *quocunque* in terris *Morali*, quod Christus Petri ac Successoris ipsius *indefinitæ* ligandi & solvendi potestatis ita subjecit, ut Episcopis *quoad Ordinis characterem, & in hoc radicatam Pastoralis curæ aptitudinem*, Apostolorum Successoribus, ipsa etiam jurisdictio *actualis* esset secundùm *præfatum Optatum* à Petro communicanda: sicque adeò Petri Successor eatenus gerit (uti loquitur Ellieſius) personam omnium Episcoporum, quatenus in ipso ceu Capite præcontinetur cuncta Pastoralis cura per ipsum communicanda ijs, quos vocat in partem suæ pastoralis solicitudinis. Unde jam manifesta redditur præsentis Ellieſiani argumenti ineptia, dum, quas Christus per varia sacrosanctiEvangelij capita, tam apertè distinxit jurisdictionum Apostolicarum seu *delegatæ* cunctis *figillatim* Apostolis, seu *ordinariæ* soli Petro concessæ, tum in Concilium Oecumenicum totius Collegij Apostolici repræsentativum translatæ potestatis speciem, in unum confundit chaos.

11. Sub quâ ipsa detestabili confusione, Ellieſius pro *tertio* venit adhuc redarguendus, quòd universarum ejusmodi jurisdictionum Apostolicarum subjectum *immediatum*, contendat, esse Ecclesiam universam, prout omnium fidelium, nullo etiam sacerdotalis seu Episcopalis characterе insignitorumCœtum importat: dum tamen clavium potestatis *Matth. 16. cap.* definitæ, nec non Pastoralis officij Oecumenici *Ioann. 21.* per Christum sanciti auctoritas Petro *definitè* concessa; solvendi porrò & ligandi Oecumenica potestas *Matth. 18.* descripta untverso Collegio Apostolico, quà Ecclesiam Hierarchicam repræsentanti, Concilióque adeò Oecumenico Divinitus destinata: missionis denique Apostolicæ plenitudo *sub personalis legationis* charactere singulis demandata, per clarum S. Evangelij textum noscitur respicere, non universum fidelium Cœtum, sed vel Petrum, vel Apostolos singulos, vel Concilium Apostolicum ac Oecumenicum, tanquam subjectum *immediatum*. Quomodò enim aliter nisi torquendo, accipi possent illa ad Petrum *immediatè* ac *individualiter* directa Christi Verba: *Tibi dabo claves &c. Pasce Agnos meos*: nec non ad Apostolos *universim*, quà Ecclesiam Hierarchicam repræsentantes, per Christum *Matth. 18.* prolatæ voces: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis &c.* uti etiam ea ad cunctos *figillatim* Apostolos pronuntiata Domini Verba, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos?*

Sed quid prò *quartò* energiæ inesse videri potest argumento Ellieſiano ex SS. Basilij, Ambrosij & Chrysostomi sententijs *superiùs* allegatis desumpto, cujus tota ratio reducitur in hoc, quòd Christi verba, quibus Petrum ad sui amorem præ cæteris Apostolis præexcitatum constituit agnorum suorum Pastorem Oecumenicum; proportionaliter accomodentur cunctis Prælatis Ecclesiasticis, cum Petro in ligandi & solvendi potestate communicantibus non equidem secundùm parem Apostolicæ jurisdictionis plenitudinem, sed secundùm hujus quandam participationem? An non ineptia manifesta est, hinc velle concludere, quòd jurisdictionis Ecclesiasticæ subjectum *immediatum* sit univer. sa Ecclesia, non verò aut Petri successor, *quoad auctoritatis Oecumenicæ plenitudinem*, aut Episcopi *secundùm hujus participationem?* Undénam verò isthæc profluit participatio Pastoralis in Episcopos derivatæ jurisdictionis, nisi ex illo, in quo, nempe Petro, ejusque successore, dicta plenitudo *primordialiter*, juxta aperta Christi verba residet? Quæ universa eleganter sanctus Chrysostomus *homiliâ 55. in Matth. cap. 16.* nos edocet, inter alia diserte asseverans, *Petrum esse, qui cælesti potestate polleret, & claves haberet Regni Cælorum.* Quid enim clariùs dici potuisset ad designandum *immediatum* clavium potestatis subjectum, Petri non tam personæ, quàm officio Oecumenico annexæ?

Sed quid pro *quinto*, mi Ellieſi, evincere 13.
niteris ex S. Hieronymo, tum parem, Apostolicæ scilicet legationis, in omnibus Apostolis potestatem, tum in uno, scilicet Petro, Capitis præeminentiam, sub quâ subsisteret *Ecclesiæ unitas* ac *schismatis tolleretur occasio*, agnoscente? Nunquid ex ipsissimis ejus sancti Doctoris verbis clarè eluceſcit, illam missionis Apostolicæ legationem personalem in cunctis Apostolis æqualem, in hisce singulis; eam verò Capitalis præeminentiæ potestatem in unico Ecclesiæ Capite, Petro tanquam *subjecto immediato* resedisse? In aperto igitur est, quas Ellieſi hîc allegas Patrum sententias, contra Thesin tuam diserte pugnare.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

HIc Parisiensis Doctor contendit *tertiò*. 14.
Pro se stare sanctum Augustinum; sic namque summus Ecclesiæ sanctæ Theologus *lib. de Agon. Christiano cap. 30.* ait: *Ecclesiæ datas esse claves Regni Cælorum, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oves meas*: Pergit hic S. Doctor *Concione 2. super Psalm. 30. Petrum tunc gessisse Ecclesiæ personam*, in figurâ scilicet Ecclesiæ accipiendo clavium potestatem; uti loquitur etiam *in enarratione super Psalm. 108. & Tract. 50. in Ioan. Quòd Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significaverit.* Quibus concordat, quod *tract. 118.* scripsit, quòd *claves unus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit.* Item *tract. 124.* sic ait: *Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum gerebat figuratâ generelitate personam. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, solvendique peccata.*

15. Ad præsens institutum suum inducit præterea Ellesius Cyrillum *lib. 12. in Ioan.* S. Leonem *sermone 3. de anniversario assumptionis suæ.* Fulgentium *in lib. de fide ad Petrum cap. 3* Item *lib. 1. de peccatorum meritis & remissione*, speciatim *cap. 20.* Eucherium Lugdunensem *homilia de natali Petri.* Gregorium I. *lib. 6. Expositionum in caput 16. lib. 1. Regum cap. 3.* Bedam *in cap. 19. Matth.* Et *in cap. 21.* Item *lib. 4. in cap. 6. Matth.* Ambrosium Ausbertum *lib. 4. in Apocalypsin.* Rabanum *lib. 5. in Matth. cap. 16.* Meldense Concilium anni 845. Paschasium, Rapertū *lib. 8. in Matth. cap. 16.* Hincmarum Rhemensem *Epist. 13. cap. 20. cap. 36. & 47.* Dungalum Diaconum *in lib. contra Claudium Taurinensem*, Divi Augustini testimonia transcribentem. Odonem Cluniacensem *lib. 4. collat. cap. 16.* Hugonem de S. Victore *lib. 1. de Sacramentis cap. 26.* Quorum verba in responsione proferemus ad effectum accuratioris eorundem discussionis. His superadduntur allegationes Theologorū *ibidem* nominatorum, prædictos Patres sequentium.

Responsio ac retorsio prætacti argumenti confutatoria.

16. INprimis ex præadductis S. Augustini Testimonijs unicè patet, quòd ea Christi verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo claves Regni Cælorum*; sint dicta Petro, quà totius Ecclesiæ figuram seu Typum gerenti. At Capitis seu Principis est proprium, ita gerere figuram Regni, ut istud sit in ipso *repræsentativè*. Ergo quia illa Christi Domini verba sunt dicta Petro, quà totius Ecclesiæ figuram gerenti, oportet, ijsdem Petro fuisse promissum Ecclesiæ Principatum, vi cujus in ipso ceu Capite ac Principe, esset *repræsentativè* tota Ecclesia, quæ super eundem ceu Petram foret ædificanda. Hoc Divus Augustinus *tract. 124. in Ioann. circa medium* disertè tradit in hæc disserens verba: *Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui Primatum gerebat figuratâ generalitate personam.* Ad quod firmandum facit ea quoque S. Augustini sententia, quam *tract 50. in Ioan.* proferebat: *Petrus*, inquiens, *quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Quid enim aliud per hoc innuebat S. Doctor, nisi quòd Ecclesia in Petro acceperit claves Regni Cælorum? Quâ autem ratione Petrus significaverat Ecclesiam, nisi propter Apostolatûs sui Primatum; *uti idem S. Ecclesiæ Doctor suprà relatus dixerat*? Quid autem hinc infertur, nisi quòd claves Regni Cælorum in Petro propter Apostolatûs Primatum ita sint datæ Ecclesiæ, ut in Petro esset illa potestas, tanquam in Principe sive Capite, seu Præposito universæ Ecclesiæ? veluti apertis verbis loquitur idem Augustinus *lib. Quæst. Veteris & Novi Testam. & lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 1.* Eo ipso namque, quòd claves sint collatæ Petro quà Principi Ecclesiæ, redditur hinc consequens, esse datas Ecclesiæ in primario ejus membro seu Capite. Sub quo proinde charactere verificatur de Petro, quòd tanquam *unus personam* gerens ipsius unitatis, ex Capitis præeminentiâ *trahentis originem, acceperit claves.*

17. *Secundò.* Sed quid ô Ellesi, inferre tibi licuit ex hoc, quòd Christus sub illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, &* juxta Cyrilli sententiam non *seorsim* aliquibus, sed universis Discipulis dederit virtutem absolvendi à peccatis? Num ea, quam Christus *Ioannis 20. v. 22.* Sacerdotio, atque adeò universis isthoc charactere insignitis contulit potestatem, est hujusmodi conditionis, ut juxta ejusdem mensuram regulari debeat universa Apostolis collata auctoritas? An ergo dicere fas est, quam *eodem cap. vers. 21.* omnibus Apostolis *per modum missionis personalis* impertiebat auctoritatem plenariam Apostolicæ Legationis, ejus fuisse consortes cunctos Domini nostri Discipulos? Num ea etiam, quæ *Matth. 16.* Petro *determinatè*, ligandi & solvendi potestas *indefinita*, cum Regni Cælorum clavibus, quæque *Ioann 21.* eidem Apostolorum Principi est collata Oecumenici Pastoralis muneris super cunctos Christi agnos reflexiva præeminentia: nec non ea, quæ Collegio Apostolico, intrà Concilium Oecumenicum totius Ecclesiæ Hierarchicæ repræsentativo *Matth. 18.* est destinata ligandi & solvendi absoluta auctoritas, regulari quoque debet ex ea mensura, quam Christus *Ioannis 20. v. 22.* posuit pro elargitione potestatis *à peccatis absolvendi*, cunctis Sacerdotibus communis? Non inepta duntaxat, sed supra modum perniciosa est tua, ô Ellesi, argumentandi methodus, dum cujuslibet à Christo in terris seu Papatui, seu Episcopatui, seu Collegio Apostolico, Concilióve Oecumenico destinatæ potestatis unam videris ponere mensuram: sicque Ecclesiasticarum jurisdictionum species in unum confundis chaos, è medio taliter tollendo sacrosanctam fide Divinâ firmatam Ecclesiæ Hierarchiam.

Tertiò. Hujusmodi proinde Hierarchiæ ordinem optimè descripsit sanctus Leo, dum *loco* per Ellesium *citato* ita pro fundamento ponit Christi verba *definitè* ac *determinatè* prolata ad Petrum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, ut istius potestatis vim in alios etiam Apostolos transijsse, Decretique hujus constitutionem ad omnes Ecclesiæ Principes commeâsse dicat: ita tamen, ut, quod omnibus erat intimandum, *uni Petro singluariter fuerit concreditum, eò quòd ipse cunctis Ecclesiæ Rectoribus esset præpositus.* Quid ergo? si dixero, à Deo cælestium orbium Conditore eum inter sidera esse constitutum ordinem, ut solem statuerit esse luminare majus, in quo ita esset vis ex se propagativa luminis, ut in lunam ac reliquos planetas, imò & stellas universas, atque hisce mediantibus, in orbem sublunarem, etiam noctu, cui præesse jubebantur, lux aliqua diffunderetur? An non hinc dicere licet, in eo luminari Majore, scilicet sole, universum tam cælestem, quàm terrestrem orbem accepisse lumen, imò illuminativam quoque virtutem? An autem hinc concludere fas est, isthanc vim illuminatricem toti terrarum, atque Cælorum orbi inexistere tanquam subjecto *immediato*: vel potiùs dicere, oportet, primævam illumina-

minatricem virtutem inesse soli, tanquam *immediato* subjecto, atque ex hoc derivari in reliqua sidera, imò in ipsum mundum sublunarem? Sic pariter oportet, ut, mi Ellieſi, attendas ad Christi verba disertè & clarè pronuntiantis, se Petro impertire claves Regni cælorum. Quidni ergo dicendum sit cum S. Leone, hanc clavium vim in Ecclesiæ Principes, Episcopos diffusam, eatenus respicere Petrum, ceu primævum ac immediatum sui subjectum, ut ejusdem, non nisi *secundùm quandam participationem* sint susceptivi Episcopi, Petro, ejúsve successori subordinati Ecclesiæ Principes?

19. *Quartò.* Juxta cujusmodi adeò intelligentiam, accipiendus est sanctus quoque Fulgentius *locis præcitatis* dicens: *Deum in persona B. Petri tribuisse ligandi, solvendique potestatem, sicque in isto fuisse Ecclesiæ datas claves Regni Cælorum.* Ponamus enim, per pacem Monasterienſem & Neomagienſem quasdam Imperij Germanici provincias ab hoc (uti Galli prætendunt) eatenus esse divulsas, ut quod Imperio & Imperatori in eas erat jus supremi ac *directi* dominij, ex toto sit translatum in Galliæ Regem: numquid hinc dicere licet, Imperij supremum Dominium erga eas provincias in Rege suo accreviſſe Francico Regno? Num verò fas est, hoc taliter accipere, ac si talis Dominij subjectum *immediatum* esset universitas Regni Gallici, non verò Corona Regia, in quâ ceu Regni ejusdem Capite, intelligeretur accreviſſe Francico Regno? Sic adeò, quando SS. Patres dicunt: *In Petro fuisse Ecclesiæ claves Regni Cælorum concreditas*, non aliter id accipi debet, nisi quòd ista clavium auctoritas, dum à Christo fuit collata Petro ceu Capiti Ecclesiæ, fuerit isti *consecutivè* in suo Principe data clavium ejusmodi potestas. Atque hoc est, quod Eucherius Lugdunensis *loco præallegato* dicebat: ea Christi verba: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, ad Petrum principaliter fuisse directa: cæteris autem Apostolis* (per modum duntaxat legationis personalis) *esse dicta: Episcopis autem & Sacerdotibus consecutivè & participativè* convenire ex vi Petro, ejusque successori inexistente *ad suam à Christo acceptam potestatem*, sub pastoralis solicitudinis participatione, debitaque hinc ad Petri Cathedram subordinatione, *communicandam reliquis Ecclesiæ sanctæ Præsulibus.* Et sic ligandi, solvendique potestas in Novo, non autem Veteri Testamento, *secundùm* D. *Gregorium*, eatenus competit universali Ecclesiæ, ut huic tamen non in se, quâ *immediato* subjecto, sed, uti Beda *suprà citatus* ait, *in Petro tanquam unitatis personam gerente*, sicque adeò *Capitis prærogativam præseferente, claves Regni Cælorum datæ fuerint universæ Ecclesiæ.* In quo proinde sensu locutos fuisse reliquos ab Ellieſio ubi *suprà allegatos Ecclesiæ Præsules, aut Theologos*, haud difficile est agnoscere ex propriis ipsorum verbis, ad quæ Lectorem brevitatis causâ remitto.

ARGUMENTUM IV. Ellieſij.

20. EX uno, præter adversarios Parisienses Theologos, Tostato Abulensi, est singularis difficultas hîc expedienda, quam Ellieſius movet, hunc in modum *quartò* argumentando. Nempe Abulensis *in cap. 13. Num. quæst. 48.* istâc proponit quæstionem: *An Communitas, seu Ecclesia possit habere exercitium jurisdictionis: & an Christus dederit claves soli Petro specialiter, vel soli Ecclesiæ, & quomodò transferatur auctoritas clavium de uno Prælato ad alium?* Cui quæstioni idem Tostatus respondet, jurisdictionem quidem *secundùm actum* cadere non posse in communitatem, sed in personam determinatam, quæ possit actus aliquos exercere, sed eam esse in Communitate *secundùm originem*, & *secundùm virtutem*, quia omnes personæ, quæ accipiunt jurisdictionem, *ex virtute Communitatis* eam accipiunt.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

21. IPsa inprimis verborum Christi proprietas confodit sententiam *proximè* expositam. Numquid enim istorum verborum: *Tu es Petrus: Tibi dabo claves*, proprietas, clarè designat, hanc clavium potestatem esse Petro, cum ordine tamen ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque cum successionis jure, *definitè* ac *demonstrativè* destinatam? Numquid horum quoque verborum: *Pasce agnos meos*, proprietas, Petrum, quâ cæteris Apostolis in amore Christi potiorem, sicque cum manifestâ ad ipsum determinatione, non contingit communitatem, sed unius singularis personæ Oecumenicum in Ecclesiâ pastorale officium denotat? Quo igitur licuit jure seu Tostato, seu Ellieſio, hanc verborum proprietatem eliminare, & ad sensum Litteræ Divinæ haud consonum detorquere?

22. Sed singula pro *secundo* expendamus, quæ ex Tostato hîc afferebantur. Ait enim, *Videri dicendum, quòd claves sint à Christo datæ toti Ecclesiæ: quia tamen non poterat universa Ecclesia dispensare illas, cùm non esset aliqua persona, ideo eas dedisse Petro, nomine Ecclesiæ. Si tamen intelligeretur, claves traditas esse Petro specialiter, non solùm inconvenienter induci, quòd alij Apostoli non habuissent, sed adhuc inconveniens majus fore, quòd defuncto Petro, non mansissent claves, si soli Petro datæ fuissent, cùm iste non habuisset potestatem, successorem sibi faciendi, tradendique alteri claves: quia verò Ecclesia nunquam moritura* radicaliter *habet claves, igitur facilè hinc apparet, quomodò Petro mortuo, potuerint succedere alij Summi Pontifices in æquali potestate, quia scilicet potestas clavium erat in Ecclesia, quæ alteri per se eligendo conferre posset eam potestatem.* Ad quorum proinde pleniorem disquisitionem sciscitor vel ex Tostato, vel ex Ellieſio: *An dicere intendat, ad clavium potestatem ita se habere Ecclesiam, sicuti quæcunque Respublica se habet ad potestatem politicam, ita ut hanc vel penes se retinere potuerit, vel in certam personam transferre?* Numquid enim per ipsum naturæ lumen ita fuerat hominibus congenita inclinatio, ad se invicem in unam societatem politicam coadunandos, ut tamen, quia totius orbis homines convenire

haud possent ad eligendum sibi unum Caput & Principem, vel ad ineundam inter se unam politici regiminis societatem, *consequenter* fuerit ipsis jus ad Nationum inter se divisionem statuendam, sicque ad singulas in singulis seu Regnis seu Regionibus formas Regiminum sanciendas, Magistratusque supremos sibi cooptandos?

23. At secùs res se habet circa sanctam Christi Ecclesiam, quæ una est per totum orbem, cujus etiam unitatis origo, *secundùm Patrum testimonia, & diserta Christi verba*, subsistit ex unitate Capitis, non ab alio, quàm à Christo *immediatè* constituti. Quòd si ergo sub ejusmodi Capitis non tam *materialiter quoad personam*, quàm *formaliter quoad Oecumenicum Pastoris officium* spectati nomine, intelligeretur Ecclesia, utpote fundata super tale officium Oecumenicum, tunc rectè dici posset, clavium potestatem *secundùm originem* esse in Ecclesia: rectè insuper diceretur, ex hujusmodi officij Oecumenici cathedrâ Apostolica, Ecclesiæ *secundùm originem* inexistente, in Petri ejúsve Successorum personam profluxisse exercitium illius Oecumenicæ potestatis. At quis alius, nisi Christus, sanxit illud cathedræ Apostolicæ Oecumenicum Officium? Cui porrò, nisi Petro *definitè* ac *determinatè* (dicendo *tibi dabo claves*) Christus promisit, & posteà concessit illud Oecumenicum pastorale officium? Quomodò rursus idem officium fuit à Christo commissum Petro, nisi quà Petræ, super quam ædificanda esset Ecclesia, cujus figuram proinde gerere deberet Petrus, perinde ac in homine Caput, *quoad regimen membrorum universorum*, cujus figuram gerit, *supereminenter* in se continens cunctorum humanorum actuum imperium? Quomodò denique Ecclesia per totum orbem dispersa convenire unquam potuisset vel ad unum Caput sibi eligendum, vel etiam ad normam Concilij Oecumenici Ecclesiam Universalem repræsentantis, statuendam? Hujus igitur utriusque tam Capitis Ecclesiæ, quàm Concilij Oecumenici constitutio non per ipsam Ecclesiam, sed *secundùm* diserta Christi verba, tum *Matth. 16. & Ioann 21.* tum *Matth. 18. cap.* exarata noscitur per ipsummet Christum *immediatè* sancita.

24. Quibus ita se habentibus, pro *tertio* hunc in modum concludere licet. Quandoquidem ergo tam Capitis Ecclesiæ, quàm Oecumenici Concilij norma & officium sit *immediatè* ex Christo, impertinenter reducitur in Ecclesiam ex universo fidelium Cœtu consistentem, ceu primam sui originem. Quia porrò Cathedræ Apostolicæ officium erat Petro commissum cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, ideo minimè moriebatur cum Petri personâ, sed quamdiu Ecclesia stabit in terris, ex ipsamet Christi constitutione *immediatè* transibit in quemvis ejus successorem: cujus equidem designatio fit per Collegium Cardinalium, attamen Pastoralis Oecumenici officij collatio, in vi prætactæ Christi constitutionis, adeóque per Christum *immediatè* derivatur in personam, pro tali Christi vicario officio legitimè designatam. Constat igitur, quàm impertinens sit comparatio inter Petri Successorem ac Politicum Magistratum, dum hujus scilicet in certam personam collatio, saltem *originativè* est ex hominibus, in unam Rempublicam seu Regnum olim sese coadunantibus: illius verò Oecumenici pastoralis officij collatio, tam *originativa* in Petro, quàm *successoria* in subsequentibus Romanis Pontificibus, est *immediatè* ex vi per Christum sancitæ institutionis. Et hinc dicere equidem licet, potestatem clavium esse *radicaliùs* in Cathedræ Apostolicæ Ecclesiam *Capitaliter* repræsentantis officio pastorali, quàm in personam Petri, ejúsve successorum: nullatenus verò dici potest, claves Regni Cælorum esse *radicaliùs* in Ecclesiâ, quà universorũ fidelium Cœtum complectente, quàm in officio Oecumenico pastorali, non solius Petri proprio, sed pro ejus successoribus universis Divinitus constituto: huic enim ut sic ceu *formali* Capitis Ecclesiam repræsentantis constitutivo, non promiscuo fidelium Cœtui universo, annexuit Christus Apostolicam Cathedram Petræ, super quam esset ædificanda Ecclesia; uti diserta Christi verba sonant.

ARGVMENTVM V. Ellieſij.

Auctor iste *cit. §. 1. circa finem* argumentatur ç. ex præallegato Abulensi *quæst. 49. Ecclesia*, inquiunte, *suscipit Claves à Christo, & Apostoli tanquam Ministri Ecclesiæ: & nunc Ecclesia illas habet, & Prælati etiam; sed aliter Ecclesia, quàm Prælati; nam Ecclesia illas habet secundùm originem & virtutem: Prælati autem habent, secundùm usum earum. Dicitur Ecclesia habere* secundùm virtutem *claves, quia potest illas conferre Prælato per electionem. Exemplum hujus rei est in Domino rei, & usufructuario, atque usuario; nam Dominus rei habet usum rei, & confert illum usum alteri, sed non eo modo, quo habet, quia sibi reservat usum, ut proprietario, alteri concedit uti vel usuario, vel usufructuario, & in hoc confert Dominus, quod habet, quia Dominus rei non est usufructuarius, vel usuarius. Conformiter in Ecclesia; ipsa enim non habet claves, quantum ad usum; omnia autem ista descendunt ex hoc, quòd Ecclesiarum est aliquid, unum per se potens habere administrationem clavium, si autem per se posset administrare, non committeret alicui Prælato.* Ex quibus Ellieſius concludit ita subinferendo. Nemo enim est, qui non statim intelligat, illum habere supremam potestatem, qui potestatem habet *secundùm originem & virtutem*, cum verò non habere potestatem supremam, qui tantùm eam habet ab alio sibi commissam *quoad usum*. At potestas Ecclesiastica est penes Ecclesiam: Romanus autem Pontifex, cæterique Prælati eam accipiunt ab Ecclesia *quoad usum tantummodò*. Non ergo Summus Pontifex habet potestatem in universam Ecclesiam, licèt habeat in universâ Ecclesiâ, sed vice versâ Ecclesia potestatem habet in Pontificem, & quemadmodùm mortuo Pontifice, alium sufficit, ita potest eum corrigere atque deponere, non quidem ipsa per se, nam universam societatem

tem Ecclesiæ convenire, aut judicare, non est possibile; sed per Concilium Generale, quod, cùm universam Ecclesiam repræsenter, habet universam Ecclesiæ potestatem in se unitam, cùm præsertim Ecclesiæ universæ habeat assensum.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

26. ANtequàm directè respondeam, *primo loco* convenio Ellesium, percontando; *An, quia potestas Regia secundùm primævam sui originem lumine naturali concreatam, erat in communitate Regni, sive populi in unum regimen politicum coadunati*, dicere fas sit, *supremam in Regno v. g. Francico potestatem ita secundùm virtutem esse in Regni communitate ceu Domino proprietario, ut non nisi quoad usum sit in Rege, quà usuario, vel usufructuario duntaxat?* An hinc fas quoque sit dicere, Regem Franciæ non habere potestatem in universum Regnum, licèt habeat usum Regiæ potestatis in universo Regno Francico? An denuò hinc dicere fas sit, communitatem Regni habere potestatem in Regem, ita ut eum possit deponere, non quidem ipsa per se, cùm universam Regni societatem convenire, aut judicare, vix possibile sit, sed Comitia generalia, quæ universum Regnum repræsentent, habeantque universi Regni potestatem in se unitam, in vi cujus obtineant superioritatem supra Regem, ita ut eidem leges dicere possint, atque ab eodem auferre Majestatem regiam? Viderit profectò Ellesius, quomodò ista, si asseverarit, essent accipienda ex parte Regis: cùm enim in Comitijs Generalibus Galliæ sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur, ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiati sunt, tanquam Regiæ Majestati injuriosi: & jure merito, inquit Dupleix ista recitans, nam revera non esset Rex seu Monarcha, si ei à Comitiorum sententiâ recedere non liceret, sed eorum auctoritatem suâ regiâ Majestate superiorem agnoscere deberet.

27. A fortiori igitur pro *secundo*, quàm Regi Franciæ nefas est, imponere, respectu Regni, ejusque Comitiorum subjectionem, tam iniquum est, eam Christi Vicariæ auctoritati respectu Concilij etiam *acephali* affingere. Etenim tota Ecclesiastica potestas in Novo Testamento suam habet originem ex Christi institutione, nullus verò ex toto sacro Evangelio apex ostendi potest, quo evincatur, potestatem Ecclesiasticam, *secundùm originem & virtutem*, esse à Christo *immediatè* & *primariò* destinatam Ecclesiæ, quà universos fideles, etiam laicos, *promiscuè* complectenti. Duplex namque in sancto Evangelio *indefinita* ligandi & solvendi potestas, per quam subsistit potestatis Ecclesiasticæ sphæra, noscitur per Christum constituta intra Ecclesiam à se fundatam. Una *Matth. 18.* sancita fuit à Christo, sub hisce verbis ad Collegium Apostolorum prolatis: *Amen dico vobis, quidquid solveritis, aut ligaveritis super terram, erit ligatum, aut solutum in cælis.* Quæ equidem auctoritas solvendi, *juxta sacrum contextum*, respiciebat Apostolos, quà Ecclesiam repræsentantes. Hæc verò Ecclesiæ repræsentatio à Christo fuerat definita ex hoc, ut Apostoli, eorúmve quoad characterem seu potestatem solvendi & ligandi successores congregarentur in nomine Christi, atque adeò sub vicariæ Christi auctoritatis charactere, Romani Pontificis proprio; uti clarè docet sacer contextus. Illa igitur Ecclesiæ, intrà Concilium vicario Christi nomine aggregatum repræsentatæ, *indefinita* ligandi & solvendi potestas nullatenus convenit Concilio *acephalo*, Ecclesiæ Corpus *imperfectè*, nempe *sinè Capite* repræsentanti. Multò autem minùs competit Ecclesiæ, quà universos fideles, etiam laicos, *promiscuè* complectenti. Altera deinde potestas Ecclesiastica describitur *Matth. 16.* sub verbis ad Petrum, ceu Ecclesiæ Petram, prolatis: *Tibi dabo claves Regni cælorum: quidquid ligaveris super terram, & quidquid solveris super terram, erit ligatum, & solutum in cælis.* Quæ potestas Ecclesiastica ad Petri successores transiens, non minùs *indefinita* & universalis est, ac ea, quam Concilio Oecumenico Ecclesiam repræsentanti à Christo destinatam, *superiùs* dicebamus. Quæ proinde duæ potestates Ecclesiasticæ, una Petro, ejusque successori *singulariter*, altera Collegio Apostolico *collectim*, seu Concilio Oecumenico Ecclesiam repræsentanti, pariter *immediatè* per Christum impertita, utrinque est æquè suprema, perinde ac si in regno aliquo *ex primæva communitatis in unum regimen conspirantis constitutione* ita fuisset Regi destinatum supremum Monarchicum regimen, ut certis tamen temporibus obstringeretur, pro publico Regni bono convocare Comitia generalia, ex universis Regni Statibus coadunanda, sub ipsius tamen Regis præsidentiâ, eâ etiam cum lege, ut Comitiorum Regem ipsum ceu Caput & Præsidem includentium, auctoritas non major esset solâ regiâ potestate, etiam extra Comitia per supremam Monarchicam Majestatem suam decernere potente. Tunc sub tali regni constitutione, in hoc duplex foret suprema potestas, nec adeò regia auctoritas dici posset inferior auctoritate Generalium Comitiorum. Pari ergo modo *proportionaliter* differendum est de Summi Pontificis vices Christi in terris gerentis potestate, comparatâ ad Concilij etiam Oecumenici, ipsammet adeò, Pontificium Christi vicarium characterem importantis authoritatem; uti multimodè patet *ex antecedentibus*, probabiturque subinde *in subsequentibus*.

§. II.

Utrùm major Concilij Generalis, quàm Romani Pontificis sit Authoritas?

ARGUMENTUM I. Ellesij.

28. HIc Auctor argumentatur *primò*. Ad probandum, majorem esse Concilij præcellentiam

tim Generalis, quàm Romani Pontificis auctoritatem, sufficere, quòd à Concilio Generali Ecclesia universa repræsentetur, non item à Romano Pontifice.

Responsio ac retorsio hujus Argumenti refutatoria.

29. HUjus tuæ ratiocinationis Ellieſi fundamentum supponis ex hoc tuo principio, quòd suprema potestas spiritualis toti Ecclesiæ in communi, non Petro, ejusque Successori, *immediatè* sit à Christo collata. Quod principium tuum, cùm non subsistat, uti patet *ex antecedente S.* imò apertè pugnet cum sacro Evangelio: ideo à te desidero, ut aliquem Evangelicum textum proferas, ex quo evincatur, Ecclesiam universam repræsentari à Concilio Generali, non item à Summo Pontifice.

30. Pro *primo* igitur ad hoc tuum intentum utique produces versus illos Evangelicos, qui *Matth. 18.* habentur exarati. Ubi, cùm Christus *vers. 17.* dixisset: *Dic Ecclesiæ.* Et, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,* mox allocutus Apostolos simul in plurali, sicque *collectim* sumptos, promisit ipsis *indefinitam* solvendi & ligandi potestatem. An non igitur in vi hujus textûs Evangelici Collegium Apostolorum, adeóque Generale, ex Prælatis Ecclesiasticis quoad characterem Episcopalem Apostolorum Successoribus consistens, Concilium, statuit, eatenus esse repræsentativum Ecclesiæ, quatenus ex auctoritate illâ ligandi & solvendi, ipsamet Ecclesia in ipsis intrà Concilium in unum collectis audienda sit?

31. Verùm ex subsequenti *versu 20.* apertè constat, tale Concilium Generale constare debere ex Prælatis Ecclesiasticis, *quoad characterem Episcopalem* Apostolorum Successoribus, congregatis *in nomine Christi.* Neque verò istud Christi nomen vicarium ex Apostolica consistens auctoritate, alius jam portat in Ecclesia, quàm Romanus Pontifex. Sicuti ergo Concilium Generale non subsistit, nisi quatenus in ea intervenit Apostolici Romani Pontificis auctoritas, Christi nomen vicarium præseferens: hinc enim ipsemet Christus *versu 19.* ad definitionem Concilij dogmaticam requisivit *Duorum* consensum, illius scilicet, qui portaret Christi nomen vicarium, & illorum *collectim* sumptorum, Prælatorum scilicet Ecclesiasticorum, qui sub hoc Christi vicario charactere essent congregati: sic proinde dici nullatenus potest, Concilium Generale *integraliter* repræsentare universam Ecclesiam, nisi quatenus includit Romanum Pontificem, ejusque auctoritatem Apostolicam, vicario Christi charactere insignitam. Quare Concilium *acephalum* non nisi *incompletè* (quamdiu tamen Papatui non opponitur) nempe *quoad hierarchicum Corpus, quasi materialiter* duntaxat repræsentat Ecclesiam, cùm econtra Papa sit repræsentans Ecclesiam, ad instar Capitis, in vi vicarij Christi præseferentis characteris, se habentis ad Concilium Generale ad instar formæ, Synodi quà Oecumenicæ *formaliter* constitutivæ.

Pro *secundo* ex prælegato sacro Evangelico textu constat equidem, Concilio per Christi vicarium characterem, adeóque Summi Pontificis auctoritatem Apostolicam insignito, competere *indefinitam* ligandi & solvendi auctoritatem. Attamen potestas ejusmodi non minùs *indefinitè* & *universaliter* noscitur *Matth. 16.* unà cum regni cælorum clavibus destinata Cathedræ Apostolicæ, penes solùm Romanum Pontificem Petri Successorem nunc consistenti. Quomodò ergo cum veritate posset potestatis hujusmodi Ecclesiasticæ superioritas quædam prætendi ex parte Generalis Concilij erga Pontificiam, æquè *immediatam* auctoritatem Ecclesiasticam. Verum quidem est, quòd juxta *citatum versum 19.* Concilio Oecumenico ex Christi & Patris Æterni assistentiâ competat omnimoda & consummata in Dogmatibus fidei decidendis infallibilitas. Num verò ista prærogativa denegànda est Cathedræ Apostolicæ, quæ est Petra, super quam ædificatur Ecclesia, à portis inferi nunquam superanda, cùm equidem sit definitus articulus fidei, quando duo in Concilio Generali, Papa scilicet vicarium Christi nomen portans, & reliquum Corpus hierarchicum ex Prælatis Ecclesiasticis consistens, in aliquo fidei Decreto consentiunt, jam subsistere illam consummatam *ultimatè* decisoriam infallibilitatem, cùm econtra nondum sit ab Ecclesia definitum, an Summus Pontifex etiam extra Concilium Oecumenicum ultimatè decernat ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petrâ, super qua ædificatur Ecclesia. Quâ de causâ non tam *quoad se*, quàm *secundùm nos*, est in Concilio Generali quædam infallibilitatis consummatæ major prærogativa, quàm sit in solo Romano Pontifice extra Concilium decernente: hæc tamen majoritas Concilij nihil aliud est, quàm evidentia credibilitatis magis convincens ad fidei assensum præbendum Dogmati, per Concilium Oecumenicum definito: cujusmodi evidentiæ prudentialis in credendo majoritatem non inferre superioritatem respectu Papæ, ex ipsis terminis extat manifestum.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

32. HIc Parisiensis Doctor argumentatur *secundò*: Romanis Pontificibus adeò persuasum fuisse, Concilij auctoritatem esse suâ majorem, ut ultrò ipsi Concilia postulârint, tanquam necessaria ad dirimendas controversias, petierintque, aut saltem passi fuerint, sua judicia in illis retractari. Et quidem exordiendo à B. Petro, observâsse S. Chrysostomum, nihil alicujus momenti ab ipso solo actum, ac sinè Concilio statutum fuisse. Cùm eligendus esset Apostolus in locum Judæ, cùm constituendi essent Diaconi, cùm de Legalium observatione aliquid esset statuendum, consuluisse in commune, & omnia Fratrum electioni ac judicio permisisse. Id maximè elu-

cere

cere in illâ celebri circa Legalium observationem controversiâ, quæ in Concilio Hierosolymis congregato, disceptata, ac judicata, totiusque Synodi, non unius Petri nomine definita est, his verbis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

34. Hoc exemplo usos fuisse Synodi V. Generalis Patres, ut ostenderent, Concilij, præsertim Generalis, auctoritatem superiorem, ac majorem esse singulorum Episcoporum, ipsiusque Romani Pontificis auctoritate. *Licèt*, inquiuntis, *Spiritûs sancti gratia circa singulos abundaret Apostolos, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret, Gentes circumcidi, definiri, priusquàm communiter congregati, diversarum Scripturarum testimonijs unusquisq; sua dicta confirmaverunt: unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis. Sed & SS. Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt, certo constituto, quòd in communibus de fide disceptationibus, cùm proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij. Nec enim potest in communibus de fide disputationibus aliter veritas manifestari, cùm unusquisque proximi adjutorio indigeat.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

35. FAlsò inprimis supponis, Romanos Pontifices, ubi ex Cathedræ Apostolicæ Petrâ decreverant, petijsse, aut saltem passos fuisse, sua retractari judicia. Non igitur in hunc finem, sed aliâ ex ratione postulârunt Concilia, tum ad reprimendam refractariorum contumaciam, nullatenus acquiescentium Pontificijs Decretis, tum ad inducendam ultimatam & consummatam in rebus fidei infallibilitatem, ex Concilio per Pontificiam approbationem auctorizato subsistentem, sicque ad evidentiam credibilitatis *quoad nos, sive quoad refractarios* magis convincentem introducendam, tum ad partes prudentiæ, accuratiorem sapientum consultationem exigentis, manifestiùs adimplendas.

36. Hinc igitur *primò* exordium sumendo à B. Petro, lubeat audire, & *accuratiùs* expendere, quos hic Apostolorum Princeps supremæ Oecumenicæ auctoritatis actus ex se solo vel exercuerit, vel saltem exercere potuerit, sed ex singulari prudentiali ratione, cum aliorum consilio & judicio peregerit. Numquid enim supremæ Ecclesiasticæ potestatis actus erat, auctoritatem suam interponere in eligendo Apostolo, sancto nimirum Mathiâ, in locum prævaricatoris Judæ subrogando? Hoc autem se solo facere potuisse Petrum, *ex Actis Apostolorum cap. 1.* ostendit S. Chrysostomus *Homil. 3. in Acta. An non licebat*, inquiens, *ipsi Petro scilicet eligere* (aliquem in Judæ locum?) *licebat equidem maximè.* Verùm id non facit, *ne cui videretur gratificari.* Et inde: *Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim Christus*, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Item *Homil. 4. Quid est*, ait, *cùm aliquis undecim communem vocem edebat, at Petrus omnium erat os, sed adstabant illi undecim, testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.* Numquid actus supremæ Oecumenicæ potestatis sunt, quòd ad Petrum factus sit recursus pro Ecclesiastico Dogmate decidendo, & quòd in hujus decisione per Concilium faciendâ per Petrum fiebat tum propositio, tum sententiæ post consultationem prolatio, cui reliqui fideles universi, ipsimet Apostoli acquiescebant? At Theodoretus *in Epist. ad Leonem Papam* sic habet: *Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritûs ad magnum Petrum cucurrit, ut ijs, quæ Antiochiæ de institutis Legalibus contendebant, afferret solutionem, multò magis nos, qui abjecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus, ut Ecclesiarum uberibus medicinam à vobis accipiamus.* Ex igitur pro Dogmatis alicujus decisione recursum esse habitum ad S. Petrum: quem porrò in Concilio *definitivè* pronuntiasse, probare licet *ex Actis Apostolorum*; firmatque S. Hieronymus *in Epistol. ad Augustinum*: Cùm magna, inquiens, *super hoc verbo oriretur quæstio, Petrus solidâ libertate: Viri*, inquit, *Fratres, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelij, & credere: & qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis; & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda illorum. Nunc autem quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodùm & illi.* Tacuit autem omnis multitudo, & *in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt.* Numquid præterea Oecumenicæ supremæ potestatis actus proprius est, Ecclesiam aliquam dotare prærogativâ Sedis Episcopalis, ac in hac instituere certam quandam personam? Hoc autem fecisse Petrum, scribit S. Chrysostomus *in Ioan. Homil. ult super illa verba: Sequere me*, ita disserens: *Quòd si quis percontaretur, quomodò igitur Iacobus Sedem Hierosolymis accepit? Responderem, hunc præposuisse Petrum totius orbis Magistrum.* Numquid denique supremæ Oecumenicæ auctoritatis actus est, ordinare totius orbis Ecclesiastica negotia? At S. Chrysostomus *Homil. 21.* super istis verbis *Act. 9. v. 32. Factum est, cùm Petrus transiret per omnes*: sic ait. *Quemadmodùm dux in exercitu obambulans considerat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat. Vide ubique illum, scilicet Petrum circumcursare, & primum inveniri.*

37. Sed quo jure pro *secundo* nititur Ellesius ex V. Generalis Synodi Patrum sententiâ *superiùs* adductâ ostendere, ac si Concilij auctoritas major ac superior esset Romani Pontificis auctoritate? In hâc sententiâ dicunt præfati Patres, Spiritûs sancti gratiam in singulis abundâsse Apostolis, ut non indigerent alieno consilio, non tamen voluisse, nisi auditis

aliorum ex S. Scriptura argumentis, suam confirmare sententiam. Num ergo ex hoc, quòd Apostoli ex se ipsis solis ob singulares rationes prudentiales facere noluerunt, fas est asseverare, ipsis defuisse potestatem, quam disertis tamen verbis contestantur dictæ Generalis Synodi Patres, ita ut dicant, ipsos non indiguisse alieno consilio ad ea, quæ agenda erant? Num ex eo, quòd ejusdem V. Synodi Patres imitati sint antiquorum exempla, ad veritatem indagandam ex communibus de fide disceptationibus, valde idoneis ad repellendos refractarios, malevolorumque oblocutiones retundendas, hinc inferre fas est, Concilij auctoritatem superiorem esse Romani Pontificis auctoritate? Quantumvis enim aliquam *quoad nos* infallibilitatis majoritatem in *Conciliari*, per ipsum Romanum Pontificem approbato, Decreto haud negemus, evidens tamen apparet ineptia in illa Ellieſij illatione.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

38. Hic Theologus argumentatur *tertiò*. Quoties in Ecclesia majores ac graviores sunt exortæ controversiæ, semper fuisse congregata Concilia. Ad quid autem fuisset necessarium, ilthæc congregari, si solius Romani Pontificis auctoritas superaret Concilij auctoritatem? Imò ipsosmet Pontifices Romanos etiam post judicium suum ultrò postulàsse Concilia uti necessaria. Sic enim Clerum Romanum tempore Cypriani *recurrisse ad collationem consiliorum cum Episcopis, Presbyteris Confessoribus factam, quoniam nec firmum posset esse Decretum, quod non plurimorum habuisset consensum.* Sic Julium ad Orientalium dissidia finienda, nempe ad Athanasij causam judicandam, nec non ad fidem confirmandam, affirmare, Concilium necessarium esse, atque ad illud invitare Eusebium, & ejus socios. Sic etiam Liberium testari, se ad eandem causam judicandam petijsse Concilium. Et in litteris ad Constantium iterum id enixè postulare, atque illâ de causâ mittere ad eum Legatos, & cùm in Imperatoris conspectum venisset, iteratò renovâsse eandem postulationem, interrogantique Imperatoris ministro, *quota pars Orbis est Liberij?* non respondisse, se supra Concilia esse, suamque auctoritatem omni aliâ majorem esse, sed tantùm dixisse, etiamsi solus sit cum paucis, non ideo causam fidei minui: quoniam tres tantùm fuerunt, qui Nabuchodonosori restitêre. Damasum, & alios Episcopos Occidentales post Aquilejensem Synodum Imperatori Theodosio scribentes, ad componendas Orientis res enixè postulare Synodum Generalem, asseverando, se non prærogativam examinis sibi vendicare, sed tantùm consortium *communis arbitrij*.

Responsio ac retorsio hujus argumenti refutatoria.

39. De quo Concilio, an *acephalo*, vel *completè* Oecumenico loqueris, Ellieſi, dum infers, non fore necessum, congregare Concilium, si ejus auctoritatem superaret solius Romani Pontificis authoritas. Si sermo tibi sit de Concilio *acephalo*, meritò dicitur, Pontificis Romani auctoritatem ipso esse eatenus superiorem, ut ejus congregatio nunquam possit esse necessaria extra casum dubietatis, vel nullitatis de Papatu, uti hæc patent ex *antecedentibus*. Quòd si ergo sermo sit de Concilio *completè* Oecumenico, id noscitur, minimè subsistere posse absque vicario Christi charactere, adeóque Romano Pontifice. Quomodò ergo dicere fas esset, solius Romani Pontificis auctoritatem superare suam ipsammet auctoritatem, in Concilio Oecumenico importatam? Quæ verò sit ratio necessitatis, ut Romani Pontifices etiam post judicium suum, ultra quandoque postularent, imò ipsimet convocarent Concilium Oecumenicum, id partim liquet *ex antecedentibus*, partim exponetur fusiùs *in subsequentibus*.

40. *Primò* igitur aliud est dicere, non posse Romanum Pontificem se solo dirimere fidei controversias: aliud verò est, ipsum nolle, ex varijs rationibus prudentialibus, plerumque ac ultimatè id facere absque Concilio. Prius dicere, pugnaret cum sanctæ Ecclesiæ praxi. Quoties enim Romani Pontifices fidei dissidia, etiam extra Concilium, diremerunt, *auctoritativè* condemnando seu hæreles, seu errores circa fidem suscitatos? Quam praxin universa semper approbavit Ecclesia Catholica, nititurque Christi verbo, Cathedram Apostolicam Petri, ejusque successorum appellantis Petram, super quam ædificaretur Ecclesia, jubentisque propterea, ut Petrus confirmaret Fratres suos. Num verò congruit affirmare, Cathedræ Apostolicæ Petri non esse locum nisi in Concilio? Quid ergo, si Petri successor, Romanus Pontifex extra Concilium decernat ex Cathedrâ suâ Apostolicâ ceu Petrâ fidei, an non firmum tunc stabit judicium cum infallibilitate veritatis fidei, ita ut super tale Decretum per veram fidem tunc eatenus sit ædificanda Ecclesia, ut portæ inferi adversùs ipsam minime possint prævalere? Quando igitur, haud obstante istâ firmitate Petræ, Romani Pontifices post judicium suum expetebant, & convocabant Concilium Oecumenicum, id ex varijs rationibus prudentialibus, *liberè & spontaneè* faciebant. Sunt enim nonnulli eatenus refractarij, ut per summam pertinaciam ac proterviam non acquiescant Romani Pontificis judicio, quorum adeò temeritatem frangere, necessum est Concilij Oecumenici ultimatè decisivum arbitrium. Sunt alij in Ecclesia Dei, qui, dum ex nascentibus hæresibus, statum politicum vel maximè turbare consuetis, varios sibi confingunt respectus prudentiæ carnis ac mundi potiùs, quàm sacræ Religioni convenientes, quorum rationibus politicis Romanus Pontifex nunquam satisfaciet, meritò proinde confugiens ad asylum Concilij Oecumenici, in quo Præsules ex universo Christiano orbe aggregandi, consulsent

sultent de remedio Statui tam Ecclesiastico, quàm politico deservire idoneo. Sunt ex Catholicis viri etiam docti, qui hactenus docuerunt, Pontificem Romanum non loqui ex Apostolicâ Petri Cathedrâ seu fidei Petrâ, nisi intrà Concilium Oecumenicum, hujus scilicet Decreta *Conciliaria auctoritativè* confirmando. Quæ sententia, cùm à nullo adhuc Concilio Oecumenico sit damnata, rationem prudentialem præbet, ut ad ejus sententiæ Auctores plenæ quieti restituendos, in fidei controversijs Romani Pontifices convocent Concilium Oecumenicum. Sunt insuper, qui fatentur, Romani Pontificis in fidei rebus judicium authoritativum ejus equidem esse ponderis, ut temerarium sit, ipsi contradicere, quo tamen non attento, multi reperiuntur, qui hoc periculum parùm a[illegible]unt, negando Papæ infallibilitatē irre[illegible]llem. Qui proinde ne pereant in hoc [illegible]riculo, quisquis enim amat periculum, peribit in illo: ideo Romani Pontifices huic discrimini obviare volentes, tum ex singulari ratione prudentiali, tum ex sancta charitate remedium pro ipsis quærunt ex Concilio Oecumenico, cujus judicium decisivum, Papæ consensu *auctoritativè* roboratum, negare minimè audent, esse irreformabile. Sunt ex simplicioribus Catholicis, qui auctoritatis Pontificiæ peritiam non habentes, in fidei controversijs tenent judicium suum suspensum, quoúsque noscitur facta decisio per auctoritativum Concilij Oecumenici Decretum. Quorum adeò simplicitati Papa condescendendo, meritò solicitus est de Synodi Oecumenicæ ultimato Decreto. Sunt denique ex viris Catholicis, ijsque doctis, qui profitentur, Romanum Pontificem extra Concilium equidem Oecumenicum in rebus fidei definire posse ex auctoritate Cathedræ Apostolicæ, seu Petrâ fidei: attamen, quia habetur ab universâ Ecclesiâ receptus fidei articulus, quòd Decretum Concilij Oecumenici à Papa confirmatum obtineat firmitatem infallibilitatis *omnimodè* consummatæ: cujusmodi certitudo *quoad se* meo judicio est quidem in dogmate per solum etiam Papam sancito; quia tamen hoc non ita clarè extat definitum, ideo *quoad nos*, vel saltem, *secundùm plures Theologos Catholicos*, consummata fidei certitudo, seu prudentialis credibilitatis evidentia non æquè convincens, est in Decreto decisivo solius Papæ, quàm ejusdem intrà Concilium decernentis, sive *Conciliare* Decretum *auctoritativè* confirmantis. Atque hæc minimè postrema ratio est, cur Romani Pontifices etiam post judicium suum conscribere soleant Concilium Oecumenicum ex universi Christiani orbis Præsulibus Ecclesiasticis sub suo vicario Christi charactere coalescens.

40. Quibus ita constitutis, pro *secundo* progredimur ad singula, quæ Ellesius hîc produxit, expendenda. Quando namque Clerus Romanus tempore Cypriani asseruit: *Non posse firmum haberi decretum, quod non videatur habuisse plurimorum consensum*; unicè ex hoc convincitur, figmitatem decreti in rebus fidei *quoad nos*, maximè *in ordine ad protervos convincendos*, consummatam stare ex conciliari consensu, per summatam stare ex conciliari consensu, per Christi tamen vicarium nomen, seu Apostolicam Romani Pontificis auctoritatem firmalicam Romani Pontificis auctoritatem firmalito. Quæ ratio, & causa est, cur Julius ad fidem confirmandam, aliasque causas tractandas, Concilium affirmârit necessarium, non ex eo, quòd Romanus Pontifex ex Petrâ, super quam ædificata est Ecclesia, seu Cathedra Apostolica definiendo, non obtineat infallibilitatem, sed quòd *cum efficacia convincendi protervos* non sit omninò *ultimatè* evidens, Papam decreviſſe ex cathedrâ, si se solo, ac extra Concilium sanciat aliquod fidei dogma. Libenter igitur damus, Papæ unà cum Concilio convenire specialem, seu magis *quoad nos* convincentem, authoritatem, quæ tamen non potest importare superioritatem super Papam, eo ipso, quòd decreti intrà Concilium Oecumenicum lati, & à Papa firmati firmitas involvat ipsam Papæ authoritatem, *vicarium Christi nomen* præferentem, ceu formam *essentialiter* sui constitutivam.

In Liberij ad Constantij Imperatoris mi- 41.
nistros responso specialis latet energia, dum petendo Concilium ajebat: *Etiamsi solus esset cum paucis, non ideo minuendam fore fidei causam.* Per hoc enim significatur, Papæ authoritatem in Concilio universaliter quidem indicto, sed ex paucis Episcopis comparentibus coadunato, *vicarioque Christi uni Papæ inexistente charactere* insignito, prævalere cunctorum Episcoporum, ipsi non consentientium suffragijs, juxta Christi Domini effatum, fidei decretis *Conciliariter* sub vicario suo nomine factis omnimodam attribuentis firmitatem, ex sua assistentiâ sanctè promissâ, *ubi duo, vel tres in nomine suo* per authoritatem Apostolicam repræsentato *fuissent congregati.*

Quandò denique Damasus cum Episcopo- 42.
rum Occidentalium Synodo Aquilejensi petijt *consortium communis arbitrij Orientalium quoque Antistitum*, dicendo, se non prærogativam examinis sibi vindicare, quibus verbis eatenus asserebat paritatem inter Orientales & Occidentales Episcopos, eorumque Synodos, ut *consortium* tamen *communis arbitrij* non priùs utrinque firmum asseveraret, quàm Summi Pontificis authoritas, Concilij Oecumenici *substantialis* forma accessisset. Et hinc neque Occidentalium, neque Orientalium Episcoporum singularia arbitria, imò ne *communis* quidam universorum Antistitum *arbitrij consortium* fuisset prævalitûrum, nisi ex accessu Pontificiæ authoritatis *commune* hujusmodi *arbitrium* confirmantis.

Sed quid pro *tertio* evincere nititur Ellie- 43.
sius, quòd *Siricius Papa noluerit derogare decreto Synodi Capuensis causam Bonosi demandantis finitimis Macedonibus Episcopis?* Si Parlamentum Regium fecit decretum, cujus judicandi, & immutandi formam sibi haud convenire, Rex asseverat, num ex hoc arguere licet Parlamenti super Franciæ Rege superioritatem,

tem, vel potiùs ejusdem in Parlamenti sui authoritate manutenendâ superiorem authoritatem?

44. Quando insuper Innocentius I. ad motas in Chrysostomum componendas turbas, Synodum censuit necessariam, ad Clerum Constatinopolitanum rescribendo: *Solam synodalem cognitionem posse hujusmodi procellarum impetus retundere.* Quid hinc infertur, nisi quòd protervia malevolorum eoúsque tunc invaluerit, ut nulla etiam Pontificia authoritas penes ipsos locum esset habitura, ideoque Synodalis cognitio ad procellarum tunc prævalentium impetus retundendos esset necessaria?

45. Par protervia erat penes Nestorianos, quorum hæresin propterea Cælestinus I. non solâ Sedis Apostolicæ authoritate suâ, sed Concilij Generalis decreto censuit superandam, fretus verborum Christi insuperabili infallibilitate, promittentis in Evangelio, *ubi, duo vel tres congregarentur in nomine suo* (vicario nempe Christi charactere Romani Pontificis proprio) *ibi se fore in medio eorum.* Præadducta igitur Summorum Pontificum exempla minimè probant Concilij, præsertim *acephali*, super Papâ authoritatem, sed unicè ostendunt, in hæresibus, alijsque moribus Ecclesiasticorum eoúsque subinde prævalere proterviam, ut solâ Papæ authoritate superari nequeat, sed opus sit Concilio Generali, per vicariam Christi authoritatem Pontificis propriam munito.

ARGUMENTUM IV. Ellieſij.

46. HIc Author argumentatur *quartò* ex S. Leone Summo Pontifice, qui in causa Eutychetis, licèt Flavianus crediderit, Synodum Generalem non esse necessariam, nihilominùs Concilij celebrationi annuit, atque ad Synodum indictam Legatos misit. Cùm porrò Synodus Dioscori nefarijs artibus compulsa, perperam judicâsset, sanctus Leo non statim in irritum misit ejus decreta, quod utique feciſſet, si authoritatem suam Concilij potestate superiorem credidisset, sed nullum aliud huic malo remedium esse, ratus est, quam Concilij alterius Generalis celebrationem. Obtentâ demum Synodo, & Chalcedone habitâ, Eutychetis causa supremo judicio terminata est. Quis autem credat, Leonem, aut Concilia Generalia postulâsse, aut sua judicia in ijs retractari permisisse, si suam authoritatem Concilij authoritate superiorem fuisset arbitratus? Testatur etiam Leo *in epistola ad Theodoritum post Synodum scriptâ*, judicium suum post Synodi confirmationem magnum accepisse robur, nec posse jam convelli, vel ullatenus labefactari. Ergo non existimavit, judicium suum æqualis fuisse ponderis cum judicio Synodi.

47. Insuper Felix III. & Gelasius I. ad damnandum Acacium Constantinopolitanum, non suam, sed Concilij Chalcedonensis auctoritatē adducunt, eò quòd Acacius jungeret se Eutychianis in Synodo Chalcedonensi damnatis, sicque particeps criminis, factus sit consors & pœnæ; uti loquitur Gelasius *in epistola nona*: qui *epistolâ quartâ* scribit etiam de suo Antecessore, *executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem*, atque hoc maximè decere Præsulem, *ut quoslibet secundùm regulam hæreticos ante damnatos*, à Catholica discernat communione. Num verò ita se gessissent Pontifices, nisi authoritatem Concilij suâ superiorem existimâssent?

Vigilius quoque Papa in causa trium Capitulorum non potuit ad eorum damnationem compelli, nisi authoritate Concilij Generalis, uti testantur Italiæ Clerici *in litteris ad Legatos Francorum Constantinopolim euntes.* Cùm proinde *quinta* Synodus Generalis de tribus Capitulis judicium posteà tulisset, repugnante, ac resistente Vigilio, ejus tamen decretum vim habuit, coactusque fertur ipse Vigilius, tandem ei consentire. 48.

Agatho denique Romanus Pontifex in dicta Synodo Generali propter Monotheli- 49.
tarum causam, non deprecatus est, eam minimè fieri, eò quòd in Synodo Lateranensi Præside Martino I. videri posset causa jam judicata, sed ultrò ad eam mittit Legatos, eamque necessariam fuisse, fatetur *in epistola Synodica.*

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

DUm contendis Ellieſi, Romanos Pontifices, speciatim S. Leonem, non asseruisse, judicium suum esse Concilij judicio superius, verissimum dicis, si sermo tibi sit de Concilio *completè* Oecumenico per vicarium Christi nomen, Papæ in terris proprium subsistente. De hujusmodi namque, non *acephalo* Concilio procedunt exempla à temet allegata, quibus probantur Summi Pontifices in majoribus causis fuisse soliciti de convocandâ Synodo, ad eam taliter mittendo Legatos suos, ut ejusdem decreta tandem firmarentur Apostolicâ Papæ authoritate. Dum verò inducis eundem Leonem gloriantem, quòd judicium suum ex Synodi confirmatione magnum robur acceperit, tibimet contradicere evinceris, quando priùs asseverabas, Leonem sua judicia in Concilijs retractari permisisse. Sed his missis, ad rem progrediamur. 50.

Primò igitur, si judicium Papæ in causis fidei sit ex Cathedrâ Apostolicâ, ceu Petrâ, super quam ædificatur Ecclesia; quomodò fas esset, tale judicium dicere subjectum errori, nisi Ecclesia unà cum Petrâ, super quam à Christo dicitur ædificata, sub tali fidei errore superaretur à portis inferi? Sicuti verò istud pugnat cum disertâ Christi pollicitatione, sic prorsus dicendum est, judicium Papæ ex Petrâ Cathedræ Apostolicæ in causis fidei *ultimatè* decretorium, tantæ auctoritatis esse, quanta nequi[illegible] terris major esse. Quia verò *secundùm n*[illegible]n tam evidens est ac certum, quòd P[illegible] judicium extra Concilium sit ex Petrâ, super quam ædificatur Ecclesia, ideo *secundùm nos*, præsertim *in ordine ad convincendam hæreticorum proterviam*, major est evidentia omnimodæ & consummatæ in fidei decretis infallibilitatis, si una cum Concilio per vicarium Christi nomen suum *formaliter* Oecumenico decernat, quàm si se solo extra ejus- 51.

ejusmodi Concilium definiat. Et hæc causa est, cur Summi Pontifices, ipsemet etiam S. Leo, causas fidei existimârit, reijciendas esse ad Concilium Oecumenicum suâ Christi vicariâ authoritate insignitum, dum protervia hæreticorum se opposuerat Papæ judicio, ex Synodi Oecumenicæ accessu, *quoad nos* recepturo credibilitatis evidentiam majorem, seu magis convincentem ad fidei assensum eidem præstandum.

51. *Secundò* igitur ipsissima hæc ratio est, cur Felix III. & Gelasius I. in damnando Acacio Constantinopolitano, authoritate Concilij Chalcedonensis usi fuerint, neutiquam ambigendo, quin omnes complices, damnatæ semel pravitatis communicatores, pari censerentur sorte. Quia proinde Eutychianorum in Synodo Chalcedonensi condemnatio, haud subsisteret absque authoritate Pontificiâ, decretis *Conciliaribus* Apostolicæ Cathedræ robur impertiente: idcircò prætacti Romani Pontifices in damnando Acacio, ita insistebant Concilij Chalcedonensis authoritati, ut hæc tamen simul importaret Cathedræ Apostolicæ firmamentum, sicque decreti *Conciliaris*, simul & sui proprij essent executores.

52. *Tertiò*. Res ita se habet circa Vigilium Papam in causâ trium Capitulorum, à Concilio Constantinopolitano, *quintâ Generali Synodo* damnatorum. Nempe, uti testantur litteræ Cleri Italici ab ipsomet Ellieſio allegatæ, Vigilius Papa nullatenus acquieverat, ut ea Capitula sinè Synodi Chalcedonensis mentione damnarentur. Quia proinde Capitula illa non erant circa causam fidei, sed de certis personis damnandis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continebatur; veluti S. Gregorius *lib. 3. epistolâ 37. ad Constantium Mediolanensem* scribit. Ideo ex reverentia erga Synodum Chalcedonensem, noluit Papa se solo damnare illa Capitula. Ubi equidem *quintæ* Synodus Generalis eam ob causam Constantinopoli congregata, resistente Romano illo Pontifice, eodemque contra obnitente, fuerat absoluta, pro tunc Synodus ista non erat in censu Concilij Oecumenici, quoúsque eidem tandem accesserat Vigilij consensus approbatorius: ex quo primùm incipiebat potiri titulo Synodi Oecumenicæ *quintæ*, pollebátque authoritate, toti Christiano orbi, sub plena infallibilitatis luce, inde elucescente, ut vel hinc appareat, quanta vis sit in Sede Apostolica; uti hæc fusè probat Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis anno 553. n. 219.*

54. *Quartò* denique notatu dignissimum est, quam ob rationem Agatho Romanus Pontifex causam Monothelitarum in Synodo Lateranensi præside Martino I. jam judicatam comiserit judicio Synodi Orientalis, cui per suos præsidebat Legatos. Hujus namque sui facti rationem *in epistola Synodicâ* reducit ad hoc, *ut scilicet veritas in ancipiti adhuc posita clareat &c.* Quibus verbis non insinuabatur, ipsi Agathoni fuisse dubiam veritatem à Martino I. jam definitam: sed quòd alij, præsertim Orientales, essent in ancipiti, quibus proinde, oportuit, clarescere veritatem ex Concilij omnium judicio Oecumenici definitione. Et hinc consequitur, judicium Papæ ex Cathedra decernentis ita certum esse, ut Agatho Papa minimè dubitârit, Martini I. judicium comprobatum iri à Synodo Oecumenicâ, suæ auctoritatis charactere insigniendâ: nihilominùs quia *secundùm nos* major est credibilitatis evidentia in Concilij *formaliter & completè* Oecumenici, quam Papæ extra hoc statuentis decreto, idcircò, ut veritas adhuc in ancipiti positis clareret, & eam ferventer amplectentibus robur accresceret ex luce evidentiæ ad *positivè* credendum magis convincentis, Agatho Papa lubens amplectebatur Synodi Generalis indictionem pro Monothelitarum causâ, ex fidei principijs dijudicandâ.

ARGUMENTUM V. Ellieſij.

55. HIc Parisiensis Doctor argumentatur: Missis plurimis alijs Pontificum Romanorum testimonijs, quibus centies ipsi profitebantur, se nihil quidpiam momenti definire, aut agere posse sinè Concilij auctoritate; unum esse instar omnium Innocentium III. qui Philippo Rege petente, ut sibi liceret cum uxore divortium facere; responderat, se id sinè Concilio Generali facere non posse, *lib. 3. Regist. 15. epist. 104.* Gregorium X. quoque in indictione Concilij Lugdunensis agnoscere, se solum sinè Concilio non sufficere ad res Ecclesiæ restituendas. Similia repetere Clementem V. *in epistola ad Philippum Francorum Regem.* Denique missis alijs, Romanos Pontifices ad Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque Novatorum errores peremptorio judicio damnandos, Concilij Generalis auctoritatem necessariam esse, credidisse, nec conquestos fuisse, rem à suâ Sede judicatam in Synodo Tridentinâ iterum examinari, ac de novo judicari. Non ergo putâsse, suam auctoritatem majorem, aut superiorem esse auctoritate Concilij.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

56. VEritati minimè consonat, Romanos Pontifices centies fuisse professos, se nihil quidpiam momenti definire, aut gerere posse sinè Concilij authoritate. Nam *primâ* Innocentius III. meritò negabat, sibi licere matrimonij legitimi solutionem à Philippo Rege expetitam, quippe juri Divino contrariam, & ideo *loco citato* asseruit, se hoc faciendo, incursurum non mundanam duntaxat infamiam, sed Divinam quoque offensam cum periculo officij forsan & ordinis sui. Si enim hoc jus Divinum pernegâsset, sanctæ fidei temeratæ reus, atque adeò ab ipsomet Christo, ceu membrum ab Ecclesia abscissum, exauctorandus fuisset. Unde ne Concilium quidem Generale hoc facere potuisset, sicque proinde Innocentius ad Generalis Synodi deliberationē confugiebat non eam ab causam,

quòd talis juris Divinâ fide sanciti tollendi potestas esset in Concilio, sed quòd Philippus sibi, Pontifici, non esset acquieturus, meritò adeò ad Concilij Generalis definitionem ablegatus.

57. Par est ratio in responso Gregorij X. dum ob potentiorem resistentiam pertinaciæ seu proterviæ verisimiliter jungendam, recurrebat ad Concilium Generale, utpote quod polleret auctoritate *...ùm credibilitas evidentiam magis ...centem quoad nos, & in ordine ad proterv... præcipuè superandos* majore: quæ tamen majpritas respectu Papæ, utpote sub accessu suo auctoritativo, Concilij, decretum *formaliter & completè* Oecumenicum reddentis, haud importabat superioritatem; uti *ex antecedentibus* constat.

58. Hæc ipsa denique majoris, seu magis ad credendũ convincentis, prudentialis credibilitatis evidentiæ, ex Concilij Universalis auctoritate resultantis ratio, fuit in causa, ut Romani Pontifices ad Novatorum *errores* peremptorio & ultimato judicio damnandos, Concilij Tridentini à semet convocati & firmati authoritatẽ expetierint, minimè conquesti, rem à sua Sede judicatam de novo judicari in Synodo, sed omninò certi, suum prævium ex Cathedræ Apostolicæ Petrâ in rebus fidei factum judicium esse ratum habendum, & *ultimatè* firmandum à Concilio, per suum Christi vicarium nomen insignito.

59. Sed videamus pro *secundo*, quid momenti adferat Ellesius ex Divo Augustino scribente *Epist. 162.* Donatistis Romæ à Pontifice, & Episcoporum ibi præsentium Synodo proscriptis *supersuisse confugium ad plenariam seu Oecumenicam Synodum.* Hujus Doctoris sententia ita se habet: *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicárunt, non bonos fuisse judices, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ judicium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut, si malè judicâsse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* In quibus adeò verbis D. Augustinus sub hypothesi non assertâ, sed positâ, abstrahendo à Papæ *ex Cathedrâ suâ Apostolicâ* sancientis definitione, eatenus supponit Episcoporum novemdecim in Donatistarum causâ Romæ judicantium ob repentes fortassis errores, ut hos asseveret corrigendos ex plenarij Concilij, Pontificio Christi vicario charactere insigniti & firmati ultimatis sanctionibus. Et hinc sub ea probabilitate, juxta quam nonnulli etiam Catholici Doctores asseverant, Papam non nisi in Concilio Oecumenico sententiam *ultimatè* decisivam eloqui ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petrâ, *super quam ædificata est Ecclesia*, dicere equidem licet, non esse quempiam obnoxium extremæ hæreticorum seu schismaticorum propriæ pertinaciæ, dum Papæ extra Concilium definienti refragatur, tametsi huic contradicendo in fidei Decretis, sit obnoxius periculo erroris cum fide pugnantis. Unde plus non evincitur, nisi quòd Synodi Generalis per auctoritativum Papæ accessum stabilitæ, *secundùm nos*, sive *secundùm certitudinem universim ab omnibus Orthodoxis comprobandam*, sit auctoritas ad fidei assensum sub hæreseos censurâ magis convincens, credibilitatisque arctiùs constringentis ponderosior evidentia prudentialis, quàm sit in Papa solo extra Concilium decernente. Juxta quem sensum tenet quoque sententia D. Augustini *lib. 2. de Bapt. c. 4.* inquiuntis, *Universum partibus semper optimo jure præponi*: id est, totum & completum Ecclesiæ Corpus Hierarchicum, ex Capite Summo Pontifice, ac reliquis membris Hierarchicis, Prælatis Ecclesiasticis, intrà Concilium Generale, unanimi consensu definientibus consistens, plus habere ponderis ad credendum sub evidentia prudentiali convincentis, quàm sit solius Papæ extra Synodum Oecumenicam decernentis. Cui consonat S. quoque Hieronymi in *Epist. 85.* exarata assertio: *Si auctoritas*, inquiuntis, *quæritur, Orbis major est Vrbe, secundùm nos scilicet*, quibus in dogmaticis sanctionibus notum est, fidei esse articulum à Concilio Oecumenico per Papam consolidato definitum, dum tamen ex solius Pontificis Decreto necdum habetur consummatæ infallibilitatis decisio ultimata.

ARGUMENTUM VI. Ellesij.

60. HUjus summa petitur ex auctoritate Parisiensis Academiæ, quam is Auctor *præsentis Dissert. 6. §. 7.* ait, à primis incunabilis tenuisse hanc doctrinam, quòd *Concilium sit supra Papam.* Cujus rei primum extare monumentum sub Philippo Pulchro, quo tempore simul cum Rege & Ecclesiâ Gallicanâ ac Proceribus regni censuisse eandẽ Universitatem, à sententia Pontificis ad futurum Concilium Generale esse provocandum. Parisiensis insuper Theologiæ Facultatem adversùs Montesonum & Saracenum, auctoritatem Concilij Generalis supra Papam asseruisse tum *in statu* per Petrum *de Alliaco* compositio, quo probatur, in causis fidei posse à Pontifice appellari ad Concilium: tum in censura adversùs Saracenum latâ, quâ configitur istiusmodi propositio; *Quandocunque in aliquo Concilio Generali aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, in Summo residet Pontifice, omnes aliæ potestates de jure nihil possunt contra Summum Pontificem.* Cui Facultas illa Theologica hanc oppositum positionem: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Catholica Ecclesia: aliqua potestas, scilicet Ecclesiæ de jure potest aliquid, & certis in casibus contra Summum Pontificem.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

61. QUid momenti in tuo inprimis Ellesi argumento esse potest, dum contendis probare, Parisiensem Academiam à primis statim incunabilis sæculo VIII. cœptis eam *de Concilij supra Papam superioritate* doctrinam tenuisse, dum tamen hujus tuæ probationis nullum anterius monumentum illo, quod sub Philippo Pul-

Pulchro, adeòque sæculo decimo quarto extitit, in medium afferre potes. Quod etiam monumentum à temet allegatum sub ea consistit verborum formulâ, quæ tuo intento parùm conducit, ita enim se habet: *Nos convocationem & Congregationem ipsius Concilij reputantes utilem, necessariam, & salubrem, ac expedientem fidei negotio, & Ecclesiæ sanctæ Dei, ejusdem convocationi & congregationi assentimus, ac opem & operam libenter dabimus juxta posse, & provocationi & appellationi præfati Domini Regis adhæremus, quantum de jure possumus, & debemus secundùm Deum & justitiam, & sanctæ permittent Canonicæ sanctiones.*

Quibus verbis insistendo, lubeat hîc indagare, num Academia Parisiensis de jure potuisset adhærere Regis appellationi, si à Papa provocâsset ad Concilium *acephalum?* Ita sensisse dictam Universitatem, nefas est dicere. Quare provocatio illa, quâ comprobata ab Academia Parisiensi, nequit aliter intelligi, nisi quatenus à Papa extra Concilium in rebus fidei decernente, potuisset adhuc fieri recursus ad infallibilitatem omninò consummatam & ultimatam Concilij Oecumenici *sub Christi Vicario nomine* aggregati, ipsiusque adeò *Papæ auctoritativo consensu* firmati *Matth. 18.* ex Christi assistentiâ repromissam: cujusmodi recursus, cùm fiat *de Papa extra Concilium ad Papam cum Concilio decernentem*, nequit *strictè loquendo* dici appellatio; uti *in antecedentibus* ostensum fuit.

Hinc pro *secundo* sub hoc ipsissimo sensu intelligendus est Petrus *de Alliaco* adversùs Montesonum probâsse, in causis fidei à Pontifice ad Concilium appellari posse. Unde evincitur duntaxat, ultra prærogativam Petræ, ac in rebus fidei decernendis infallibilitatis *Matth. 16.* Petri Successori repromissæ, agnosci debere ulteriorem adhuc infallibilitatem omninò consummatam, Papæ intrà Concilium sancienti, sive Synodo Oecumenico per vicarium Christi characterem Papæ proprium insignitæ, *Matth. 18.* destinatam.

Quam porrò facultas Theologiæ Parisiensis *adversùs Saracenum* tulit censuram, quòd *nempe tota auctoritas in Concilio dans vigorem statutis, resideat non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Catholica Ecclesia*: nihil prorsus in ea continetur contrarietatis, cum nostrate doctrinâ. Nam facultas Theologica sub Catholicâ Ecclesiâ in Concilio Oecumenico *completè* repræsentatâ utique profitetur, contineri ejusdem quoque Caput, sub cujus *charactere Christi vicario formaliter* consistit Synodus Oecumenica, dogmaticarum sanctionum suarum firmamentû non aliter obtinens, nisi ex consensu Papæ auctoritativo. Notatu insuper dignissimum est, quòd eadem facultas Theologica Parisiensis tam *circumspectè* loquatur ibidem de potestate Ecclesiæ erga Papam, dicendo: *Posse de jure aliquid, & certis in casibus contra Summum Pontificem.* Ex quo licet à contrario inferre, ultra hosce casus, contingentes *ex hæresi, ex intrusione*, vel *ex schismate Papatûs dubietatem inferente* substituros, nihil posse Concilium adversùs summum Pontificem.

ARGUMENTUM VII. Ellesij.

AD intentum suum adducit is Auctor præ- 64.
tactam Facultatem, eò quòd in censurâ adversùs Joannem Angeli Minoritæ ad annû 1482. latâ, damnârit sequentes propositiones: *Tum quòd Papa posset totum Jus Canonicum destruere, & novum constituere.* Quam propositionem notat ea Facultas, *esse scandalosam, blaphematoriam & notoriè hæreticam & erroneam. Tum quòd Papa posset ab uno Ecclesiastico tollere medium partem redituum beneficiorum suorum, & uni alteri dare, non exprimendo aliquam causam.* Cujus propositionis isthæc fertur censura, *quòd sit periculosa, & nullo modo prædicanda. Tum quòd quicunq; contradicit Papæ voluntati, paganizet, & sententiam excommunicationis incurrat ipso facto, nec nisi in materia hæresis Papa possit reprehendi.* Quæ propositio decernitur *falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.* Ex quibus censuris infert Ellesius, cùm mens propositionum fuerit, Papam extollere supra Concilium, consequenter censurarum illarum mentem esse, Papam Concilio inferiorem statuere. Adducit præterea Ellesius Academiæ Parisiensis ad Generale Concilium appellationem anno 1491. factam sub hoc tenore: *A sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio VIII. minùs debitè consulto, ad se ipsum melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam universalem Synodum celebrandam, provocamus & appellamus.*

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

INprimis cùm Jus Canonicum complectatur 65.
dogmaticas quoque sanctiones, continentes fidei mysteria, præferentesque facem principij, ad credendum infallibiliter directivi: cùm insuper contineat morum decreta, *quoad specificationem honestatis & bonitatis moralis* in ipsis fidei principijs radicata, & *quoad exercitium* importantia vim ipsius etiam legislatoris directivam, ex Lege Æternâ eisdem se insinuante, *strictè* obligatoriâ: idcircò Facultas Theologica Parisiensis meritò damnavit istam propositionem tam *nudè* & *universaliter* sumptam, quòd Papa possit totum Jus Canonicum destruere, & novû constituere. Quia porrò Beneficiarijs competit jus super redditibus suorum beneficiorum: ipsa verò justitiæ & æquitatis naturalis ratio obstringit, ut cuique jus suum servetur, ideo jure merito notatur periculosa propositio, *quòd Papa nullam exprimendo causam, possit ab uno Ecclesiastico tollere mediam partem redditum beneficialium, & alteri dare.* Quia denique Papa ex suâ personâ privatâ obnoxius est errori ac peccato, iterum censetur meritò scandalosa isthæc propositio; *quòd paganizet, ipsoq; facto sententiam excommunicationis incurrat, qui voluntati Papæ extra Cathedram statuentis contradicit*, sive quòd *Papa non nisi in materia hæresis reprehendi possit.* In his igitur censuris haud discordo à prætacta Parisiensi Facultate; at ineptâ prorsus consequentiam assero, quâ dicitur, ex illis censuris inferri, quòd ea Theologica Fa-

cultas habuerit mentem, sub illis censuris concluderet, Papam esse Concilio inferiorem.

76. Pro *secundo*, dum Parisiensis Academia inducitur anno 1491. *appellâsse à Papa minùs debitè consulto, ad seipsum meliùs consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiàm meliùs consulendam, nec non ad sacrosanctam universalem Synodum celebrandam*; num credere fas est, quòd sub universali ejusmodi Synodo intellexerit Concilium *acephalum*, vel potiùs plenè Oecumenicum, Ecclesiæ Hierarchicæ *perfectè* repræsentativũ, ipsoque adeò Pontificis Romani ceu Capitis charactere Christi vicario munitum? Si de tali Synodo Oecumenicâ sit sermo, duplex noscitur ejusdem prærogativa *Matth. 18.* tradita. Quarum *una* est *indefinita* ligandi & solvendi auctoritas, cui coæquatur, quæ *Matth. 16.* soli Petro cum ordine successionis, sub clavium potestate fuit concessa, nec adeò quoad Oecumenicam jurisdictionem aliqua subsistit superioritas Concilij erga Papam. *Altera* proinde Concilij Oecumenici præeminentia *ex citato 18. Matth. cap.* consistit in assistentiâ Christi, & hinc enascente omnimodâ & consummatâ in decidendis fidei dogmatibus infallibilitate. Etsi verò *Matth. 16.* Petri quoque successori sit per Christum promissa Petræ firmitas, super quam Ecclesia insuperabiliter esset ædificanda: attamen quia non extat definitum, quòd Papa extra Concilium, in quo Ecclesia Hierarchica ædificatur *super Petrâ*, *ultimatè* definire valeat ex auctoritatis suæ Apostolicæ Cathedrâ Oecumenicâ, idcircò saltem *quoad nos*, & *in ordine ad evincendos protervos*, in Concilio Oecumenico per Papæ consensum auctoritativum firmato, extat prærogativa majoris, seu magis convincentis prudentialis ad credendum evidentiæ. Ob hujusmodi ergo majoritatis excellentiam si à Papa, extra Concilium decernente, fiat recursus ad Synodum universalem ex Capite & membris Hierarchicis consistentem, nequit propterea hinc redargui stricta quædam superioritas; uti probatum est *in antecedentibus*.

68. De tali proinde *majoritate* creditur loqui Cardinalis à Lotharingia per Elliesium citatus, Parisiensis Academiæ doctrinam sectando. Quòd verò hic ipse Cardinalis Florentinam Synodum neget Oecumenicam, profectò audiendus non est, cùm ipse etiam Catalogus Canonicorum sacræ Scripturæ librorum ex hujus Synodi Decreto à sacrosancto Concilio Tridentino comprobatus fuerit. Quæ denique de alijs Academijs, alijsque Theologis à se allegatis, hîc refert Elliesius, minimè creduntur aliter esse intelligenda, nisi de præinsinuata majoritate consummatæ infallibilitatis Concilio Generali perPapæ auctoritatem stabilito competentis.

69. Quòd porrò Universitatis Parisiensis Doctores extollendo auctoritatem Conciliorum, non intendant, supprimere supremam & Oecumenicam potestatem Papæ, lubeat pro *tertio* audire ex paucis sequentibus testimonijs. Etenim Alcuinus, cui prætacta Universitas sua debet incunabula, *lib. 1. de Divin. officijs. cap. 19.* ita habet: *Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi Capite dona sua vellet in corpus omne manare. Unde constat, ab universali Orbis communione separatos esse, sicut docet Beatus Pelagius, qui quâlibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.* Anno dein 1387. tota Universitas Parisiensis per Magistrum Petrum *de Alliaco*, ita professa est: *Igitur pro vestris humilibus filijs Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuntijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd, quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc, vel aliàs pro his acturi, vel dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis, humiliter submittimus, dicentes cum* B. Hieronymo 24. quæst. 1. *Hæc est fides, Pater Beatissime, quam in Catholicâ Ecclesiâ didicimus, in qua, si minùs peritè, aut minùs cautè fortè quid positum est, emendari petimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia &c.*

Præterimus hîc Albertum Magnum ejusdem Universitatis Magistrũ, necnon S. Thomam Aquinatem, Academiæ illius alumnum, aliosque præclaros Doctores; contenti unico Duvalio Theologo Sorbonico *lib. 4. quæst. postrem.* ita argumentante: *In causa appellationis appellans à potestate & jurisdictione ejus, à quo appellat, eximitur. At in nullo casu potest quis à jurisdictione & potestate Romani Pontificis eximi*: aliquin non esset amplius illius ovis, ac per consequens nec Christianus, cùm Christus in quoscunque Christianos Petro dederit potestatem, his verbis: Pasce oves meas, *non has, aut illas, non hujus, aut illius regionis, sed universim oves meas, id est, omnes, qui Christianæ Religioni nomen dederunt*; uti eleganter 3. de consid. ad Eugenium docet Bernardus. *Deinde per appellationem recedit appellans ab obedientia & communione ejus, à quo appellat. Atqui nulli Christiano, in quacunque dignitate sit constitutus, ab obedientia Summi Pontificis & communione licet recedere. Quisquis enim extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*; uti Hieronymus Damasum Sedis Apostolicæ Rectorem alloquitur. *Adhæc à Monarcha Monarchico, id est, extremo judicio judicante, nefas est appellare. At Pontifex Romanus est supremus Ecclesiæ Monarcha: extremo igitur judicio quaslibet causas ita terminabit, ut fas amplius non sit, ad ullum aliud tribunal provocare. Præterea judex, à cujus judicio provocatur, judicem, ad quem fit provocatio, parti condemnatæ dare, aut designare non debet: sic enim ageret in se ipsum, abiretque in rem judicatam contra communem juris regulam. Atqui solius Pontificis Romani est, Concilia Oecumenica indicere, congregare & confirmare, atque eorum Decretis robur tribuere. Itaque si ab ejus judicio ad Concilij tribunal fit provocatio, debebit Pontifex ipse contra se ipsum in rem à se absque fraude sibi factâ judicatam abire:*

anna,

arma, quibus emendetur & corrigatur, suppeditare, & quod amplius est, ista omnia contra se, suumque judicium definita, novo suo calculo confirmare, quod certè universum justitiæ ordinem, præclarissimámque Hierarchiam omninò pervertit & destruit.

§. III.

An Concilii supra Papam superioritas evincatur ex hoc, quòd Pontifex Romanus teneatur legibus Concilij, nec possit ab ijs sapienter dispensare in eo casu, quo dispensaret Concilium?

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

71. NItitur hic Auctor *primò* intentum suum probare ex hoc, quòd Romani Pontifices uno ore clament, se Conciliorum legibus teneri, nec posse illas infringere, aut pro libitu immutare. In hunc sensum inducuntur Julius I. *Epist. ad Orientales.* Liberius *in Epist. ad Constantium.* Bonifacius I. *in Epist. ad Hilarium Narbon.* Cælestinus I. *in Epist. ad Episcopos Illyrici.* Sixtus III. *in Epist. ad Episcopos per Illyricum.* Leo I. *in Epist. ad Pulcheriam.* Simplicius *in Epist. ad Acacium.* Gelasius I. *Epist. ad Episcopos Dardaniæ.* Hilarius Papa *in Romano Concilio.* Agapetus *Epist. 6. ad Cæsarium Arelat.* Gregorius I. *lib. 3. indictione 12. Epist. 30.* Item *lib. 2. indictione 11. Epist. 52. & lib. 1. Epist. 24.* Martinus I. *Epist. 5. ad Ioan. Philadelphiæ Episcopum,* & *in Epist. ad Amandum Trajectensem.* Zacharias *Epist. 1. ad Bonifacium cap. 5.* Leo III. *in Dialogo cum Legatis Caroli Imperatoris.* Nicolaus I. *Epist. 32.* Adrianus II. & Ioannes VIII. *Epist. 231.* Sylvester II. *Epist. 145.* Gregorius VII. *lib. 2. Epist. 5.* Eugenius III. *Epist. 8.* ac denique Innocentius III. Unde subinfert Ellieſius, post tantam nubem testium, non nisi excæcatum ac vecordem audere affirmare, Romanos Pontifices decretis Conciliorum non teneri, sed ea posse pro libitu abrogare, & sinè causâ ab ijs dispensare, cùm contrarium tot ac tanti Romani Pontifices diserté ac sinè ambagibus protestentur. Cujus aliam non esse rationem, nisi quòd judicium Concilij superius sit judicio Pontificis.

Responsio, ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

THeologis indubitatum est, ipsummet etiam Legislatorem *quoad vim directivam* teneri suis legibus. Num verò hinc inferre licet, Legislatorem esse se ipso superiorem? In aliud ergo ac profundius fundamentum reducenda est hujus ratio.

72. *Primò* igitur quoad Conciliorum Decreta dogmatica considerare oportet, quòd præferant infallibilitatem consummatam principij ad fidem directivi, convincentem credibilitatis evidentiam prudentialem importantis, sicque ipsam Primam Veritatem fidei *Divinæ motivum specificativum* applicantis ad cujusque fidelium intellectum captivandum in sanctæ fidei obsequium. Tenentur igitur Romani Pontifices ad Conciliorum Oecumenicorum suo auctorizativo Decreto firmatorum inviolabilem observantiam, ex vi Juris Divini ineluctabiliter obstringentis ad submittendum se principio, sub credibilitatis convincente evidentiâ, ad fidei assensum constringenti, idque ex religioso respectu ac reverentiâ erga Primam Veritatem super ejusmodi prudentialis evidentiæ, candelabro positæ in ordine ad præstandum assensum dogmati, ceu divinitus revelato, *auctoritativéque* definito.

Deinde *quoad morum decreta* in Concilio 73.
Oecumenico per auctoritatem Pontificiam auctorizato sancita, duplex est habenda ratio. Quarum altera importat *necessitatem specificationis*, consistentem in certitudine honestatis *moralis* ex ipsis fidei principijs deductæ, & sancitæ ab universali Synodo. Adversùs quam pugnare, eamque vel negare, vel inanem contendere, pariter adversatur fidei Divinæ lumini, virtutibusque moralibus in hoc radicatis. Altera ratio in obligatione *Decretorum moralium* importat *necessitatem exercitij*, in vi cujus omnia Ecclesiæ sanctæ memba tenentur vitam suam illis conformare, ita ut ne Legislator quidem *quoad vim directivam* pro lubitu suo possit transgredi legem ejusmodi, quamvis ex causa rationabili posset in eâ dispensare, aliámve rationi consonam facere immutationem. Iuxta hæc igitur principia loquuntur Romani Pontifices, asseverando, se Conciliorum Legibus teneri, nec posse pro libitu eas immutare, aut infringere; veluti mox probatum dabimus ex ipsorummet prælegatorum Summorum Pontificum sententijs.

Secundò. Tales igitur tum *Dogmaticarum*, 74.
imò & *Moralium*, ab Oecumenicis præcipuè Synodis definitarum, Pontificiaque auctoritate Apostolicâ confirmatarum sanctionum, *quoad specificationem* in ipsa fidei ac reliquarum supernaturalium virtutum naturâ *intrinsecè* radicatam, tum *quoad exercitij obligationem* ex ipsa Lege Æternâ, ceu Causâ Primâ, humanis etiam legibus sese insinuante resultantem, ipsúmque adeò Legislatorem *secundùm vim directivam* obstringere natam, conscientiæ obligatorias necessitates, Apostolico muneri præ cæteris fidelibus graviter incumbentes, contestabantur præcitati Romani Pontifices, quando Julius I. nefas duxit, abrogare tanquam vana & futilia, quæ in Concilio Nicæno, velut Deo præsente, acta fuerunt: ex quo adeò respectu asseruerat is Pontifex, se omnia facere *secundùm Canonem*: quando Liberius non tam sua, quàm Apostolica statuta, ut essent semper firmata & custodita, perfecit, morem, ordinemque Majorum secutus: quando Bonfacius I. se ipsum asseveravit Paternarum sanctionum diligentem Custodem, studuitque, Canonum præcepta servare: quando Cælestinus I. noluit dominari regulis, sed maluit, ut sibi dominentur Canonum præcepta & regulæ: quando Sixtus III. voluit, omne Corpus Ecclesiæ ità regi Capite, ut ipsum tamen Caput sustentaretur suo Corpore, sicque retineret vigorem suum: quando

do Leo I. prava & improbanda censuit, quæ sanctis Canonibus essent contraria, voluitque, ut Canones Nicæni sacrilegæ Arianæ doctrinæ condemnatorij ad perpetuum instituti, nullâ variarentur commutatione, sicque à cunctis Pontificijs intemerati servarentur, regulæque ijs Canonibus sanctis repugnantes in irritum mitterentur, & per auctoritatem B. Petri Apostoli Generali prorsus definitione cassatæ haberentur: quando Simplicius scribebat contra definitiones Concilij Chalcedonensis, nihil se retractare posse: quando Gelasius I. testabatur, Synodi constitutum, quod universæ Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem oportere, quàm primam: quando Hilarius Papa fassus est, reatu majore delinquere illum, qui potiori honore perfruitur: quando Agapetus dixit, necesse sibi esse, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire: quando Gregorius I. quatuor Concilia, aiebat, esse veneranda velut quatuor Evangelia: quando Martinus I. audire voluit, se Defensorem & Custodem esse Divinorum Canonum, non prævaricatorem: quando Zacharias negavit, ab Apostolica Sede dirigi, quæ contraria essent Patrum, seu Canonum institutis: quando Leo III. Patribus Constantinopolitani Concilij noluit præferri, imò nec coæquari *quoad infallibilitatis secundùm nos ultimatæ & prorsus consummatæ prærogativam*: quando Nicolaus I. scripsit, se nolle regulas atque Decreta corrumpere: quando Adrianus II. non ausus est judicare, *quòd* possit Nicæno Concilio, & quinque cæterorum Conciliorum regulis, vel Antecessorum suorum Decretis obviare: quando Ioannes VIII. inquiebat, decere se, Ecclesiæ Dei privilegium immutilatum conservare, minimeque agere contra statuta Majorum: quando Sylvester II. censuit, non esse sui Juris, falcem in alienam messem ponere: quando Gregorius VII. rescripsit, sanctam & Apostolicam Sedem in suis Decretis & Constitutionibus nunquam discedere à concordiâ Canonicæ traditionis: quando Eugenius III. negavit, contra Deum, & sacrorum Canonum sanctiones, se posse ulli omninò petitioni præbere consensum: quando denique Innocentius III. professus est, contra veritatis sententiam non posse suam auctoritatem dispensare.

75. Ex quibus proinde universis evincitur equidem, non posse Summos Pontifices Decreta Conciliorum pro libitu abrogare, & sinè causâ ab ijs dispensare: eo ipso tamen, quòd ipsomet Ellieſio fatente, ex causâ rationabili circa Synodalia morum Decreta *quoad exercitij obligationem validè ac licitè* dispensent; redditur hinc consequens, Romanos Pontifices Conciliorum sanctionibus non teneri ex titulo superioritatis, Concilijs erga Papam competentis, sed radicem hujusmodi obligationis altioribus niti principijs Divini & naturalis Juris, *superiùs* expositis.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

INducit *secundò* hic Theologus Decretum unionis Concilij Florentini, quo statuitur: 76.
Romano Pontifici pascendi, regendi ac gubernandi universam Ecclesiam, à Domino Iesu Christo potestatem esse traditam, quemadmodùm & in actis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus continetur. Quæ posteriora verba græco textui conformiter, contendit, accipienda esse perinde, ac si diceretur, eam regendi potestatem competere Papæ, *juxta eum modum, quo & in actis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus continetur.* Unde infert, eas voces restringere rationem & formam regendæ universæ Ecclesiæ; ostendereque, Pontificem in regendâ & pascendâ Ecclesiâ teneri Conciliorum, & Canonum auctoritatem & Decreta sequi: nec posse aliter Ecclesiam universam regere. In eadem Synodo Bessarionem *Sess. 9.* velut principium apud Græcos & Latinos minimè controversum supponere, *quòd Ecclesia Romana, quantácunque polleat facultate, minùs tamen polleat Synodo Oecumenicâ & universali Ecclesiâ.* Quod quidem principium à Latinis minimè rejectum legi, imò *in Decreto Vnionis* modò relato confirmatum esse, tametsi modus Ecclesiæ pascendæ & regendæ Pontifici præscriptus sit, ut fiat juxta acta veritatis, & Canones Conciliorum.

Nec verò dispensationes Canonum à Pontificibus olim, licèt rarò concessas, superiori 77.
doctrinæ *adversari*: quippe cùm dispensatio non sit infractio, aut violatio Legis, sed declaratio facta cum auctoritate, legem non habere locum in tali, vel tali casu; cùm enim Legislator ferendo legem generalem, non possit omnes casus prævidere, necessum esse, legem non habere locum, quando præsumitur mens Legislatoris non fuisse, ut in isto casu lex obtemperatoria esset. Itaque in dispensationibus considerandam esse mentem Legislatoris, & eo tantùm in casu dandam dispensationem, quo ipse Legislator eam concessisset. Sed quia, si permitteretur unicuique hujusmodi interpretatio legis, vel si cuivis liceret, de mente Legislatoris judicare, sub hoc obtentu leges ab omnibus infringerentur; necessum fuisse, jus istud reservare ijs, qui auctoritate pollent, quibus adeò permissum esse, cum auctoritate declarare, legem non habere locum in hoc vel illo casu, & ita ab ejus observatione dispensare. In hoc enim differre interpretationem à dispensatione, quòd interpretatio fiat ab eo, qui auctoritatem non habet, dispensatio verò ab eo, qui auctoritatem habet. Itaque Pontificem Romanum posse non solùm interpretari legem, quod quilibet Doctor posset, sed & declarare cum auctoritate, in tali, vel tali casu, hunc, vel illum ab ea immunem esse; hoc autem non posse facere, nisi cùm evidens & justa ratio suadeat, esse faciendum, cùm alioquin dissipatio potiùs esset, quàm dispensatio; uti egregiè inquit Bernardus.

Respon-

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

78. PRimò. Ex prætacto decreto Florentino extat manifestum, statui ibi Romano Pontifici potestatem regendi ac gubernandi universam Ecclesiam. Unde apertè evincitur authoritas Papæ per Christum Iesum tradita supra universam Ecclesiam. Atqui Concilium quantumvis universale, quà *præcisivè saltem acephalum*, sive quà Corpus Hierarchicum vicario Christi Capiti contrapositum, non est majus universâ Ecclesiâ etiam Hierarchicâ, quà spectatâ sub præcisione sui Capitis Papæ. Quandoquidem ergo ex vi illius Florentini Decreti Papa habeat auctoritatem super universâ Ecclesiâ, sive Concilio Generali, Corpus Ecclesiæ Hierarchicum complectente, evidenter redditur hinc consequens, prætacti Decreti verba subsequentia non posse talem continere restrictionem, in vi cujus tollatur ea Papæ erga universam Ecclesiam auctoritas, nec adeò ijs verbis excogitabilem esse restrictionem hujusmodi, quæ importet Concilij super Papa superioritatem. Quare dicendum est potiùs, verba subsequenter posita, & mox referenda, continere *causalem* seu *demonstrativam* rationem, quâ scilicet ostendatur, ea universam Ecclesiam gubernandi potestas à Decreto Florentino Papæ asserta habere fundamentum *in actis Conciliorum Oecumenicorum, & SS. Canonum*, perinde ac si diceretur, *eo modo* stare probatam illam Papæ respectu universæ Ecclesiæ authoritatem, *quo modo continetur in Conciliorum Oecumenicorum, & sacrorum Canonum fundamentis.*

79. *Secundò.* Posito tamen, illa posteriora Decreti Florentini verba esse restrictiva, hæc nihilominùs restrictio non potest habere locum in sensu per Ellieſium efformato, ac si importaret Papæ respectu Concilij inferioritatem: cùm alioquin apertè pugnarent cum ipsissimo decreto illo, quo statuitur Romano Pontifici auctoritas gubernandi ac regendi, adeoque superioritas respectu universæ Ecclesiæ, Hierarchicum *à Capite saltem mentaliter præcisum* Corpus complectentis.

80. Quando porrò Bessarion *in prætacta Synodo Sess. 9.* supponebat, *Ecclesiam Romanam, quantâcunque polleat facultate, minùs tamen pollere Synodo Oecumenicâ, & universali Ecclesiâ*: manifestè constat, in hoc principio esse sermonem de Synodo per Papæ auctoritatem redditâ *formaliter* Oecumenicâ. Cujus equidem jurisdictio *Matth. 18.* est indefinita, sed omninò compar illi, quæ *Matth. 16.* soli Papæ fuit promissa. Altera dein Synodo *completè* ac *integraliter* simul & *formaliter* Oecumenicæ competens præeminentia, est consummata in fidei definitionibus infallibilitas, quæ *secundùm nos in ordine ad convincendos protervos* major est Papæ extra Concilium sanctionis auctoritate. De qua proinde intelligi potest illud Bessarionis principium.

81. *Tertiò.* Sive dispensationes fiant *per modum auctoritativæ declarationis, sive per modum particularis & aliqualis Canonum ac Decretorum solutionis*, non nisi ex causâ proportionatâ & rationabili in casibus specialibus faciendæ: certum tamen est, talem vim dispensatoriam fundari super authoritate, superioritatis potiùs prærogativam, quàm inferioritatis subjectionem importante. At ipsemet Ellieſius fateri compellitur, Summo Pontifici competere in casu, quo ipsa Synodus Generalis dispensare posset, super ejusdem *Conciliaribus* legibus, seu Decretis *moralibus* auctoritatem dispensatoriam, ex causa proportionatâ & rationabili faciendam. Ex hoc ipso igitur fundamento nullatenus licet Concilij etiam Generalis super Papa superioritatem, sive Papæ respectu Concilij inferioritatem arguere.

§. IV.

An Concilij supra Papam superioritas ex hoc evinci valeat, quòd Pontifex Romanus possit à Synodo judicari & deponi.

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

82. ARgumentatur I. Ellieſius. Romanos Pontifices in errores prolabi, gravibusque ac turpibus vitijs depravari posse. Aliunde verò constare, ab Ecclesiastica communione ejiciendos, & de Episcopatu dejiciendos esse illos, qui vel in fide, vel in moribus peccant. Nec unum duntaxat superesse exemplum Episcoporum Romanorum, qui à Concilijs propter hæresin, ac vitia judicati, damnati, atque etiam de Sede ejecti fuerunt. Sic namque Honorium I. à VI. Synodo cum cæteris hæreticis damnatum fuisse, licèt mortuum. Quòd si ergo Synodus potuit mortuum Pontificem anathemate percellere, multò magis potuisse eum, si vixisset, de Episcopatu dejicere.

83. Adhæc in Concilijs Pisano, Constantiensi, ac Basileensi, ut Conciliorum Patribus est visum, Romanos Pontifices fuisse depositos, alioque in eorum locum subrogatos, qui ab universa Ecclesia pro legitimis habiti sint.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

84. PRimò. Quoad causam deponendi Romanos Pontifices, alia est habenda ratio errorum in fide, alia verò depravationis morum; uti patet *ex antecedentibus*, ac dicetur *in subsequentibus*. Papa equidem quoad personam suam privatam potest prolabi in hæresim, sicque fidei jacturam facere, indeque formâ *essentiali* Ecclesiæ destitutus, cùm ipso facto desinat esse membrum Ecclesiæ, ipso etiam jure Divino perdit prærogativam Capitis Ecclesiæ, adeoque à Concilio declarari tunc potest, ipso jure Divino esse depositus. Posito igitur, Honorium I. incidisse in hæresim Monothelitarum, ex tunc adversùs ipsum, charactere Capitis destitutum, omninò procedere potuit VI. Synodus.

85. Dum etiam stat dubietas de Papatu, nequit hujus prærogativa prævalere, quò minùs Papa dubius judicari possit à Concilio, in or-

ordine ad certum Ecclesiæ Caput præficiendum, atque hoc factum est in Concilijs Pisano & Constantiensi, non autem Basileensi; uti aliàs demonstratum fuit.

86. *Secundò.* Extra hos casus *evidentis hæreseos*, seu *dubietatis de Papatu*; dum quæstio est de moribus, neutiquam probare potest Elliesius, Concilio potestatem esse exauctorandi, vel *criminaliter* judicandi Romanum Pontificem. Neque enim Concilij Italici sub Damaso *epistola tertia ad Gratianum & Valentinianum destinata*, & ab illo auctore hîc allata, favet ipsius intento. Sic enim se habent hujus Epistolæ verba: *Memoratus frater Damasus, quoniam in suâ causâ vestri tenet insigne judicij, non fiat inferior, quibus, etsi æqualis est munere, prærogativâ tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judicijs publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale Caput lex vestra submovit.* Numquid enim ex hisce verbis evidenter constat, Synodum illam agnovisse tantam Apostolicæ Sedis prærogativam, ut Episcopis, quibus munere seu charactere Episcopali esset æqualis, excellerit in tantum, ut nefas esset, ipsum fieri inferiorē, adeoque subdi judicio Episcoporum, dum ipsa etiam lex Imperatoria submoveret sacerdotale Caput à judicijs publicis, quibus meritò subjecti essent Episcopi, Apostolicæ Sedis prærogativam inferiorem facere contendentes? Potest equidem Summus Pontifex publicum etiam judicium ipsorum quoque Imperatorum implorare, ad obtinendum prævalidæ defensionis brachium adversùs obtrectatores iniquos, ac dignitatis suæ invasores; quod fecisse cognoscitur Damasus, & obtinuisse, ut in sua causa Imperatorij teneret insigne judicij. Potest etiam in hunc finem pro sui defensione compellere Synodum Episcoporum, seque ipsum dare judicijs Sacerdotum ad pensandam morum rationem. Quod Majorum etiam exemplo *in cit. Epist.* 3. firmatur, dum *ibidem* dicitur, *Episcopum Romanum, si Concilio ejus causa* (ad præpotentem defensionem) *non creditur, posse se apud Concilium Imperiale defendere: quemadmodùm Sylvester Papa à sacrilegis accusatus; apud Constantinum Imperatorem sit prosecutus causam propriam.* Nunquid ergo dicere fas est, hos Pontifices *ex jure subjectionis*, vel potiùs *ex causa defensionis*, implorâsse brachium præpotens Imperialis Concilij?

ARGUMENTUM II. Elliesij.

87. ARgumentatur *secundò* iste Theologus. Rariora quidem apud Antiquos extare exempla, quibus constet, Romanos Pontifices ex causâ morum fuisse judicatos à Concilijs, quia tunc temporis ad Episcopatum Romanum ij tantùm promovebantur, quorum integra erat vita, moresque probati. Nihilominùs tamen, cùm aliquid in ijs reprehensione dignum erat, cæteros Episcopos Pauli Apostoli libertatem fuisse imitatos, qui Petrum minùs rectè ad Evangelij veritatem ambulantem reprehendit. Sic ad Symmachi, qui quorundam accusabatur criminum, causam judicandam, Regem Theodoricum indixisse Synodum Italiæ: quâ quidem in Synodo causam Symmachi esse ventilatam, sed cùm deficerent probationes, Concilium judicâsse, eum, quantum ad homines, immunem & liberum esse ab objectis criminibus. Verum equidem esse, fuisse tum nonnullos, qui existimarent, Synodum Italorum Episcoporum, utpote minorum & inferiorum Pontifice Romano, non habere de eo judicandi potestatem. Ita ipsam Synodum initio Theodorico Regi duo suggessisse, quorum alterum erat, debuisse Synodum ab ipso Pontifice convocari; alterum erat, Romanum Pontificem nunquam subjacuisse Minorum judicio. Et licèt aliqui *Minorum nomine* intelligant laicos judices, malle tamen se bonâ fide fateri, quòd Synodus illa *Minorum nomine* intellexerit Episcopos: at cùm Theodoricus affirmâsset, Synodum celebrari consensu Romani Pontificis, causam ejus ibi fuisse ventilatam, Deoque dimissam, non ob defectum potestatis, sed ab defectum probationum.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

88. INprimis constat ex ipsomet adversario, Synodum illam duo suppossuisse principia, quorum alterum erat, *Synodi convocationem subsistere non posse, nisi ex auctoritate Pontificis*, alterum erat, *Romanum Pontificem nunquam subjacuisse judicio Minorum*, id est, *Episcoporum Papâ inferiorum.* Etsi proinde ipsemet Symmachus Romanus Episcopus consensu suo supplevisset defectum auctoritativæ Concilij convocationis, sicque permiserit, causam suam ibi ventilari, non jam ex titulo superioritatis, sed voluntariæ permissionis, ipsa tamen Synodus hunc Pontificem dimittendo Divino judicio, professa est *ipso facto* defectum judiciariæ erga Papam potestatis, cùm, si hanc in se cognovisset, deficientibus probationibus, ipsum *ex naturâ judicij ejusmodi* absolvere debuisset, non remittere : vinum, & conscientiæ judicium. ennodius Synodi illius mentem explicans, sic ait *in Apologetico: Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare, Sedis verò Apostolicæ Præsulem suo sinè quæstione reservavit arbitrio.* Cui egregiè consonat, quod Adrianus II. *in Epist. intrà Synodi VIII. actionem 7. lectâ* scripserat: *Licèt*, inquiens, *Honorio ab Orientalibus anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est Minoribus, Majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus liberè respuere.* Unde ipsemet Elliesius fateri compellitur, jam antiquitus fuisse persuasionem (licèt eam vanam variè dicat) Romanum Episcopum judicari non posse à Concilio propter mores, subditque, sufficere sibi, quòd propter fidem deponi possit. Quare dum agitur de moribus pravis Romani Pontificis, correctioni equidem Evangelicæ & *fraternæ* erga Papam locus esse potest, non autem virgæ *judicialiter* coercitivæ, sicut etiam Paulus Apostolus Petrum non de aliquo veritatis Evangelicæ defectu, nec de mortife-

re quo-

ro quopiam reatu, sed de Gentilium ad fidem conversorum ad grave Legalium jugum exemplis suis inductione indiscretâ, ac *venialiter* duntaxat culpabili, fraternè corripuit.

89. Sed pergit pro *secundo* Ellies̃ius suam *de Romanis Pontificibus propter corruptos mores per Concilia depositis* thesin probare ab exemplo *Ioannis XII.* à Romano Concilio dejecti, ac Leonis IV. (veriùs dixisset Leonis VIII.) in ejus locum subrogati. Addit idem auctor, *Baronium quidem suscepisse Ioannis patrocinium, sed meritò esse rejiciendum, cùm in hoc sit contrarius communibus Scriptorum suffragijs, quibus Leo Papa agnoscitur fuisse legitimus Pontifex.* Verùm libenter damus Ellies̃io, Leonem VIII. esse reputandum inter legitimos Pontifices, cùm illorum temporum Scriptores uno animo & ore istum agnovisse verum Papam, ipsemet quoque Baronius testetur, constetque ex varijs Bullis Pontificijs, reliquos etiam Pontifices vocâsse eundem Prædecessorem suum, adeoque inter legitimos censuisse Papas. Imò Baronius Anno 1049. Brunonem Tullien̄sium Episcopũm ad summam Sedem evectum appellans Leonem IX. *tacitè* inter legitimos Papas ponit Leonem VIII. quem in serie Romanorum Pontificum locat etiam catalogus Romæ, & posteà Augustæ Vindelicorum Anno 1623. excusus, in quo peculiariter notandum venit, unicum cum mensibus aliquot assignari annum Pontificatûs ipsius, quem tamen anno 963. electum, testatur Baronius, obijsse diem anno 965. Unde patet Leonis VIII. annum primum in dictâ Romanâ tabulâ non computari in ipsius Pontificatu, sed hujus initium peti ab anno 964. quando Joannes XII. jam erat defunctus. Quibus ita constitutis, evidenter constat, ea, quæ in Cœtu Episcoporum Romæ gesta fuerant adversùs Joannem XII. ita pro nullis & irritis habita fuisse, ut tamen subsistat, quòd Leo VIII. ex post facto meritò sit computatus inter legitimos Summos Pontifices: sicque omnimodè evanescit vigor argumenti Ellies̃iani ex Concilio Romano adversùs Ioannem XII. nulliter decernente petiti.

ARGUMENTUM III. Ellies̃ij.

90. HIc Auctor adducit *tertiò* sententiam à Concilio Lateranensi anno 1112. celebrato in Paschalem II. latam, quâ, uti ait, tum Pontificis illius sententia de investituris est rescissa, tum ipse Pontifex à Synodo emendatus, & ad fidei professionem emittendam impulsus. Hinc ergo inducitur, se correctioni Concilij subjeciss̃e his verbis: *Porrò scriptum illud, quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute & gloria, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus sinè fratrum consilio, aut subscriptionibus feci, super quo nullâ conditione, nullâ promissione constringimur, sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, & omninò corrigi, Deo præstante, desidero. Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, consilio, judicioque constituo, ne fortè per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur.* Quibus à Paschale dictis, subjungit Ellies̃ius sequentia. Nempe *communi omnium favore laudatum est, ut Fratres omnes, qui donum à Deo sapientiæ, scientiæq; perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susciperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritûs sancti sponderent. Die itaque sextâ, quæ & ultima Concilij fuit, fidei suæ veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem, Dominus Papa Paschalis in audientiâ Concilij totius exposuit, asserens, se Scripturas sanctas Veteris & Novi Testamenti, & Concilia universalia veneranda suscipere, decreta Romanorum Pontificum, ac præcipuè decreta Domini Papæ Gregorij, & B. Mem. Papæ Vrbani. Quæ cùm se probare, & semper probaturum esse, professus esset, in calce professionis Engolismensis Gerardus hanc scriptis sententiam recitavit: privilegium illud, quod non est privilegium, sed pravilegium, pro libertate captivorum & Ecclesiæ, à Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc Concilio cum eodem Papâ congregati, canonicâ censurâ, & Ecclesiasticâ auctoritate judicio sancti Spiritûs damnamus, & irritum esse judicamus, & omninò cassamus.* Ex quibus prætactus Theologus Parisiensis infert sequentia, tum quòd Pontifex errare possit, tum quòd error ipsius corrigatur ac emendetur à Concilio: tum quòd modus correctionis ipsi præscribatur à Concilio: tum quòd Pontifex se purget coram Concilio, fideique professionem sui purgandi causâ, emittat: tum denique quòd error Pontificis à Concilio damnetur & rejciatur.

Responsio ac retorsio hujus argumenti confutatoria.

91. HAud negamus, Pontificem, quando non *ex cathedrâ, sed per vim ac metum* quippiã æquitati ac Religioni dissonum agere compellitur, errare posse: sed punctum quæstionis tunc in eo se tenet; *An Concilij judicio extra casum hæreseos, ex re perperam factâ subjiciatur?* Quod ex prætacto exemplo minimè evinci, mox ostendimus.

92. *Primo* igitur anno Incarnationis Dominicæ 1112. 5. Calendas Aprilis celebrata est Synodus Lateranensis à Domino Paschali Papa in Basilica Constantiniana. Intrà quam Synodum die 5. idem Pontifex narravit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Episcopis quibusdam, & Cardinalibus tam Presbyteris, quàm Diaconibus, & cum magnâ tam Romanorum, quàm aliorum, qui tunc secum convenerant, multitudine captus fuerit: quodque coactus sit contra deliberationem suam pro redemptione captivorum, pro pace populi, pro liberatione Ecclesiæ, ut supradicto Regi de investituris, quas sæpius prohibuerat, scriptum concessionis daret, & juramenta per Episcopos seu Cardinales fieri præceperit, quatenus nec de investituris deinceps eum inquietaret, nec in personam Regis anathema poneret; veluti hæc à Baronio recensita, sed ab Ellies̃io prætermissa sunt. Ex quibus proinde constat manifestè, illud Concilium Lateranense auctoritate Summi Pontificis aggregatum, sub ejusdem characte-

re Christi vicario suum obtinuisse vigorem. In hac ergo Synodo Papa privilegium vi & metu à se extortum, eo fine recensuit, ut de congruo remedio provideretur à Concilio non jam *acephalo*, sed per suum characterem auctorizato, in quo proinde res gesta fuit, uti in argumento Ellieſij enarratur, sed perperam traducitur, ac si Papa ille Synodi judicio sese subjecisset.

93. *Secundò* igitur ex illo Paschalis facto aliud non evincitur, nisi quòd Pontifex ille privilegij à se per vim ac metum extorti nullitatem commiserit Concilio non *acephalo*, nec sibi contrapositò, sed per suam auctoritatem firmato, secumque consentienti, ad abolendum, & nullitatis coarguendum, & condemnandũ privilegium iniquè obtentum à Rege Teutonicorum. Cùm proinde Papa id, quod ceu persona privata extra Cathedræ Apostolicæ sphæram concesserat, ita remiserit ad Synodum suo charactere insignitam, ut ipsemet Papa cum Concilio fuerit judex *authoritativè* rescindens illud pravilegium, haudquaquam hinc inferre licet Concilij super Papa superioritatem. Et licèt is Pontifex se solo *ex suâ Christi Vicariâ potestate supremâ* hoc facere potuisset; attamen quia ad confringendam Henrici Regis Teutonicorum proterviam, malignorumque calumnias retundendas, id minimè suffecisset, ideo meritò confugit ad extremum illud Ecclesiæ medium *Matth. 18.* ab ipsomet Christo constitutum, ut Duo, scilicet Papa Christi vicarium gerens characterem, unà & Prælati Ecclesiastici sub hoc nomine congregati ferrent sententiam rescissoriam pravilegij illius in publicum S. Ecclesiæ damnum emersuri. In cujusmodi adeò illorum Duorum, Papæ & Concilij auctoritativo consensu, tametsi subsit prærogativa majoris *quoad nos, in ordine præcipuè ad protervos convincendos*, infallibilitatis: ex hac tamen majoritate minimè evinci Concilij super Papam superioritatem, antehàc fuit multimodè probatum. Et hinc jam universa evanescunt corollaria, quæ in fine sui argumenti subintulit Ellieſius.

94. Sed quid pro *tertio* hic Theologus probare nititur ex Concilio VIII. *sequenti canone 21.* ita se habente. *Si quis tantâ efferatus audaciâ, quemadmodùm Photius & Dioscorus, sive scripto, sive sinè scripto insanias quasdam contra Cathedram Coriphæi Apostolorum Petri audeat jactare, eandem atque illi sententiam damnationis subeat. Si quâ verò Oecumenica collectâ Synodo, de Romana etiam Ecclesia controversia extiterit, licebit cum decenti reverentia de propositâ quæstione veneranter percontari, responsúmque admittere, & sive juvari, sive juvare, non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontificem sententiam dicere.* Quem proinde Canonem Ellieſius discutiendo negat, verbis postremis à Synodo VIII. adimi Concilio potestatem judicandi de Episcopo Romano, utpote verbis præcedentibus jam concessam, sed caveri, ait, ne *impudenter & audacter* privati Episcopi, quales erant Photius & Dioscorus, sententiam in Pontificem dicant. Verùm quâ ratione fas erat Ellieſio, Canonis illius verba priora detorquere, ac si Synodus VIII. sub illis fecisset Concilio potestatem judicandi de Episcopo Romano, cùm tamen ijs verbis aliud non contineatur, nisi ut damnationis sententiæ obnoxij sint, qui insanias contra Apostolicam Petri Cathedram audent jactare? Et quia in verbis posterioribus, dum intrà Oecumenicam Synodum oritur controversia de Romana Ecclesia, plus non conceditur, nisi ut liceat *veneranter percontari*, & juxta causæ statum seu *juvare* Romanam Ecclesiam, seu ab hac *juvari*, quomodò hinc potuit fieri illatio, ac si Synodus illa VIII. judiciariam super Romano Pontifice potestatem, Concilio Oecumenico attribuisset? Si verba Canonis *sincerè* ac *integrè* expendantur, in aperto est, ita inter se conferri, quòd circa Romanam Ecclesiam veneranter liceat *percontari* ad effectum *juvandi*, ut si ulteriùs procedatur ad ferendam sententiam adversùs Romanum Pontificem, id redarguatur impudentiæ, quæ tamen procul abesset, si Concilium etiam *acephalum*, ne dicam Oecumenicum, haberet super Papâ superioritatem.

Caput V.

Refelluntur Exceptiones Ellieſianæ oppositæ nonullis argumentis, quibus probatur Papæ super Ecclesiam, seu Concilium *acephalum* superioritas.

POtiora hujus instituti argumenta hîc prætermittuntur ab Ellieſio, ejusque proinde exceptionibus haud eliduntur, sed intacta relinquuntur in suo vigore. Ad cujusmodi adeò fortiores probationes *in antecedentibus* positas Lectorem remittimus. 1.

§. I.

Eliduntur exceptiones Ellieſij oppositæ S. Scripturæ textibus ex Lucæ 12. & Ioan. ultimo desumptis.

AD Papæ super Ecclesia seu Concilio *acephalo* superioritatem ostendendam, inducit Bellarminus sequentem *ex Luc. 12. cap.* textum Evangelicum; *Quis putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Hunc enim locum intelligunt Patres etiam de Pontifice Romano, juxta sententiam Hilarij Diaconi *in commentarijs Epistolarum Pauli*, Rectorem Ecclesiæ, seu Domũs Dei, esse Romanum Pontificem. Sicuti enim Episcopi particulares sunt Oeconomi in suis Ecclesijs, ita Episcopus Romanus est œconomus Summus in universa Ecclesia. Quemadmodùm igitur Episcopus ita est super familiam suam, ut non possit ab eo judicari & puniri, sed à solo directore Domino, sic pariter sentiendum est de Romano Pontifice respectu Universalis Ecclesiæ. 1.

Exceptio Ellieſij.

EXcipit hic Auctor *primò*. Prætacta S. Scripturæ verba non intelligi de solo Romano Pon- 1.

Pontifice, sed de omnibus Episcopis Pastoribus, imò cunctis Christianis, uti tradunt Patres ab Ellieſio allegati. *Secundò* ex illo textu, quatenus accommodatur Romano Pontifici, si de universâ intelligatur Ecclesiâ, non aliud evinci, nisi quòd Papæ sit cura generalis totius Ecclesiæ, competens illi ob Primatum. Quare Pontificem Romanum non eatenus esse Oeconomum universæ Ecclesiæ, ut super hac obtineat quandam superioritatis prærogativam, sed generalem duntaxat inspectionem.

Refutatio istarum Exceptionum.

4. QUis negare ausit, cui claves Regni Cælorum, id est, Ecclesiæ, commisit Christus, esse illum servum, quem constituit Dominus super familiam suam? Quis autem rursus neget, hanc Domini familiam esse ipsissimam Ecclesiam universalem, cujus ex diserto Christi verbo Deus Pater, unà & Christus ejusdem Filius est Paterfamilias? Quantumvis ergo ille textus Evangelicus rectè accipiatur non de solo Romano Pontifice, sed de omnibus Episcopis & Pastoribus, imò *proportionaliter* de omnibus Christianis, negari tamen nequaquam potest, in sensu Litterali intelligi etiam de Romano Pontifice, quà Ecclesiæ claves obtinente, cum *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate. Quare Papa ita est Oeconomus universæ Ecclesiæ, seu Familiæ Dei & Christi, ut, quam habet super eâ inspectionem, sit etiam jurisdictionis Christi vicariæ. Meritò igitur requiretur ab eo in judicio Divino, an se habuerit tanquam fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? At ista vox *Tò super* importat superioritatem jurisdictionis quoque Oecumenicæ, Regni Cælorum clavibus signatæ. Consequens igitur est, ex illo sacro textu Romanum Pontificem ita esse *super* Ecclesiam, seu Concilium *Acephalum*, ut huic nullatenus possit *strictè loquendo* esse subjectus, ejúsve subdi judicio.

Argumentum II. *ex Ioannis Ultimo* petitum.

5. VBi Christus Petrum ita alloquitur: *Pasce oves meas*. Constat autem, inquit Bellarminus, Pastorem ita præesse ovibus, ut nullo modo ab eis judicari possit.

Exceptio Ellieſiana.

6. EXcipit hic Theologus *primò*. Hunc textum Evangelicum intelligendum esse de omnibus Ecclesiasticis Pastoribus, juxta illud *1. Petri 5. Pascite, quim vobis est, Gregem Dei*: adstipulanturque Ambrosius *de dignit. Sacerdot. cap. 2.* & Chrysostomus *homil. 79. in Matth.* Sicuti ergo ex illo sacro textu inferre minime licet, Pastores universos Ecclesiæ judicio non esse subjectos, sic nec inde concluditur, Petrum, ejusque successorem Romanum Pontificem, ab Ecclesia judicari non posse; maximè quòd Christus illis verbis noluerit aliud significare, quàm Verbi Divini pabulo fideles ceu oves & agnos suos esse nutriendos à Petro. *Secundò*. Bellarminum in argumentis suis perpetuâ laborare fallaciâ, dum nomina *Dispensatoris, Pastoris*, & *Capitis* supponit, eodem modo convenire Petro ac Christo, cùm tamen ex Gregorij I. Sixti III. & Ioannis VIII. sensu, Romanus Pontifex non alio modo sit Caput Ecclesiæ, nisi quatenus est primum ejus membrum, indigens *ab universo etiam Corpore sustentari, ne firmitatem amittat.* Et, si contingat, tale Caput aliquando fieri morbidum, censuisse Turonense Concilium *Can. 13. melius esse, ut Caput hujusmodi, si curari non potest, amputetur, quàm grex per eundem infi-ciatur.*

Refutatio istarum exceptionum.

PRimò. Sicut Episcopi & Pastores Ecclesiæ universæ *secundùm partem solicitudinis Pastoralis, à Papa saltem* mediatè *in ipsos derivatæ*, participiant de munere pascendi oves Christi, sic eisdem *proportionaliter* accommodare licet prælegata Christi Domini verba. At nulli præter Petrum cum ordine successionis *indefinitè* dictum fuit à Christo; *Pasce oves meas.* 6.

Nec excipere licet, oves Christi universas non tam *collectivè*, prout sub uno Pastore Oecumenico Pontifice Romano, ceu visibili Capite suo, constituunt unam Ecclesiam, sed *distributivè* duntaxat esse commissas pastorali Petri Cathedræ. Nam illa *ex Ioannis ultimo* desumpta Christi verba ad effectum deducebant, quod *Matth. 16.* fuerat promissum de clavibus Regni Cælorum committendis Petro, ejusque Cathedræ Apostolicæ usque in sæculi finem duraturæ, ceu Petræ, super quam ædificaretur Ecclesia. Unde manifestum redditur, prælegata Domini verba respicere *indefinitè* oves Christi non tantùm *distributivè*, sed sub universali collectione, Ecclesiæ Catholicæ constitutivâ. Et hinc Romanus Pontifex in Concilio Chalcedonensi vocatur *Ecclesiæ universalis Pontifex, & Caput universalis Ecclesiæ.* Similia habet *sexta* Oecumenica Synodus *18. actione* dicendo, quòd *primæ Sedis Antistes sit universalis Ecclesiæ, stans supra firmam fidei Petram.* Et hinc Concilium Lugdunense sub Gregorio X. statuit, quòd Romana Ecclesia obtineat principatum super universam Ecclesiam Catholicam. Quis ergo dicere ausit, principatum hunc non esse superiorem Ecclesiâ universâ, ejusque repræsentativo Concilio *acephalicè* spectato, sed huic subditum esse Summum Pontificem? Constat igitur, ex illo textu Evangelico, *Pasce oves meas*, collato cum verbis *Matth. 16.* ad Petrum prolatis, omninò evinci; Papam non esse inferiorem Concilio, *præsertim acephalicè* sumpto. 7.

Secundò. Veritati consona non est imputatio Bellarmino facta, ac *si perpetuâ laboraret fallaciâ, supponendo nomina Dispensatoris, Pastoris, & Capitis eodem modo convenire Petro ac Christo.* Huic enim competit, esse primarium & principale seu absolutum Ecclesiæ Caput, atque Pastorem, Sacramentorumque, & gratiarum Dispensatorem: illi verò convenit, esse Ecclesiæ 8.

duntaxat militantis, in terris *visibile Caput Christi vicarium*, eique *subordinatum*, minùs adeò *principale*, *ac secundarium*, ita obtinens primi intrà Ecclesiam membri prærogativam, ut *tamen indigeat ab universo Corpore sustentari, ne firmitatem suam amittat*: quæ sustentatio subsistit singulariter, dum ejus sententiæ rerum fidei decretoriæ accedit consensus Concilij Generalis, ut sic ex Duorum, Papæ *Christum vicariè repræsentantis, & consensu Ecclesiæ intrà Concilium repræsentatæ*, omnimoda & consummata obtineatur dogmaticæ sanctionis firmitas.

9. Quod Elliesius allegavit ex Concilij Turonensis *Canone* 3. in nullâ hujus nominis Synodorum *editionis Parisiensis* repertum est. Facilè tamen concedo, *si caput* cujuspiam Diœcesis *respectivum* & *limitatum*, nempe Episcopus, non *Universale* & *Oecumenicum*, in moribus etiam curari non posset, *melius esse, ut amputetur, quàm ut grex per eundem inficiatur*, quod tamen *de Oecumenico universalis Ecclesiæ Capite* dici non potest, nisi in ipsa fide defecerit, sicque hæresin incurrens, ipso jure Divino jam desierit esse membrum, adeoque Caput Ecclesiæ; uti patet *ex antecedentibus*.

§. II.

Eliduntur Elliesianæ exceptiones oppositæ ulterioribus quibusdam argumentis, Papæ super Concilio acephalicè *sumpto superioritatem ostendentibus.*

ARGUMENTUM I.

10. EX parte nostra inducitur *primò*, tum ex eo, quòd in Concilio Chalcedonensi Pontifex semper nominetur ante Concilium. Tum ex eo, quòd ad Summos Pontifices à judicijs Episcoporum, & Synodorum semper fuerit provocatum.

Exceptiones Elliesianæ.

11. EXcipit *primò* Elliesius. Consuetudinem equidem esse, ut, cùm societas aliqua scribit litteras, ijs præmittatur nomen primi Societatis membri, seu Capitis, quemadmodùm Rectoris nomen præponitur Universitati, & Decani nomen Facultati, aut Capitulo: neminem tamen hinc inferre, Rectorem Universitate integrâ, aut Decanum Facultate, & Capitulo superiorem esse,

12. *Secundò*. Jus provocationis Romano Pontifici jure Divino non competere, nec olim illud esse ab omnibus admissum: imò multis in locis vetitum fuisse, ne provocatio ad eum fieret. Quinimò nonquâ ad eum fuisse provocatum post Synodi Generalis judicium, cùm econtra post judicium Summi Pontificis sit persæpe provocatum ad Synodum Generalem. Unde argumentum ab appellationibus petitum facilè retorqueri in Adversarios. Verùm dato etiam, quòd appellationum ad Papam solemnis olim usus fuerit, inde probari solummodò, Pontificem superiorem esse singulis Episcopis, Synodumque Romanam habere cæteris Synodis Provincialibus majorem potestatem, quod ad propositam quæstionem minimè pertinere.

Refutatio istarum exceptionum.

13. PRimò. Utique non tam littera, quàm ratio attendenda est, cur Summus Pontifex in Concilijs Oecumenicis nominari soleat ante Concilium. Hujus autem ratio desumitur ex hoc, quòd Concilij Oecumenici forma substantialis consistat *ex nomine Christi vicario*, Papæ proprio. Sicuti ergo anima præeminet corpori ceu forma illius *substantialiter* perfectiva: sic præinsinuata Romani Pontificis præeminentia in Concilio Oecumenico subsistit ex præfato Christi vicario charactere, ceu formâ substantiali.

14. *Secundò*. Illo ipso jure competit Summo Pontifici jus ultimati judicij in causis Ecclesiasticis, ex quo jure obtinet claves Ecclesiæ cum *indefinitâ* ligandi, & solvendi authoritate. At ea clavium potestas, & jurisdictio illimitata intrà Ecclesiam competit Papæ ex jure Divino: nec adeò ab ullis Catholicæ fidei Professoribus potuit jus illud non fuisse admissum, licèt in ejus usu per indulgentiam Romanorum Pontificum varia facta fuerit moderatio, ne à quibuslibet in provincijs remotioribus quâvis de causâ fieret provocatio ad Cathedræ Apostolicæ tribunal; *uti alibi dicetur*. Post Summi Pontificis judicium interponebatur quandoque provocatio ad Synodum Generalem non *Acephalam*, sed Pontificio Christi vicario charactere insignitam, non ideo, quòd in hac esset majoritas jurisdictionis, sed *quoad nos* in ordine ad protervos præsertim convincendos, major, seu magis convincens, inde obtineretur credibilitatis evidentia; uti *in anterioribus* fuit demonstratum. Et quia clavium authoritas in Romano Pontifice unà cum Petræ firmitate non respicit singulos duntaxat Episcopos, sed universalem Ecclesiam, ideo in vi hujus authoritatis omninò dicendus est Papa superior non singulis duntaxat Episcopis, sed quâvis etiam Generali Synodo *Acephalè* spectatâ.

ARGUMENTUM II.

15. EX parte nostra licet *secundò* argumentari. Concilia Generalia fuerunt semper convocata & confirmata per Romanos Pontifices, qui non modò ijs præsidebant, sed & summam rerum in illis tenebant. At illi sunt Concilio Generali Superiores, quorum est, primùm convocare Concilium Generale, deinde ei convocato præesse, & cuncta in eo moderari, ac demum, sinè quorum confirmatione Synodi decreta vim non haberent. Quia igitur hæc omnia competunt Romanis Pontificibus, consequens est, ipsos Superiores esse Concilio Generali.

Exceptio Elliesiana.

16. EXcipit *primò* Elliesius. Nullam esse legem sive Divinam, sive Ecclesiasticam, quâ pronuntientur irrita, & nullius roboris esse

Con-

Concilia Generalia, aut ab alijs, quàm à Romanis Pontificibus convocata, aut quibus alijs, quàm Romani Pontifices præfuerint, aut quæ ab ipsis specialiter non fuerint confirmata.

17. *Secundò.* Octo priora Concilia Generalia ab Imperatoribus esse convocata, nullum à Romano Pontifice. Quædam ex ijs, etiam invitis, aut ignorantibus Romanis Pontificibus, celebrata fuisse. Porrò tribus primis Synodis Generalibus, nec non Sardicensi Concilio, non præfuisse Romanos Pontifices, sed alios Episcopos. Demum quædam Concilia Generalia non fuisse à Pontificibus confirmata, aut approbata: ea verò, quæ ipsi approbârunt, non ita approbâsse, quasi ea nullum sinè hujusmodi approbatione robur haberent, sed tantùm illos consensisse ijs, quæ à Concilio fuerant facta & decreta, ejusque judicio adhæsisse.

18. *Tertiò.* Etiamsi convocatio Synodorum Generalium earũ confirmatio, atque in ipsis præsidentia necessariò competeret Romano Pontifici, non propterea dicendum fore superiorẽ Concilio Generali; tum quia necesse non est, ut, qui convocat aliquem Cœtum, eo convocato, sit superior universo Cœtu: imò verò ordinariè, qui cœtum aliquem convocat, eo inferior, ejusque Decretis parere debet, alioquin quid opus esset, Cœtum congregare. Idem proinde judicium est de Concilio, tum quia non est necessum, eum, qui primum in aliquo cœtu locum obtinet, universo Cœtu superiorem esse, sed sufficit, ut sit primus in cœtu, ut debeatur illi præsidentia, alioquin dicendum esset, nullam esse societatem, cujus præsidens non esset universâ Societate superior, quod est absurdum. Porrò in antiquis Conciliis licèt præesset Papa; cuivis licitum erat, deliberanda proponere. Sed etiam, si Præsidens esset rerum gerendarum moderator, non tamen esset propterea superioris auctoritatis universo Cœtu. Denique ponatur consensus legitimi Pontificis necessarius esse ad robur dandum decretis Synodi Generalis, non tamen inde sequitur, Pontificem esse Concilio superiorem, sicut licèt ad firmitatem Senatûsconsulti requiratur Præsidis subscriptio, non licet inde inferre, Præsidem universo Senatu esse superiorem.

Refutatio istarum Exceptionum.

19. PRimò. Num ex ratione Concilium Generale pronuntiari potest, alicujus esse valoris & roboris, si in ipso deficiat forma substantialis, per ipsummet Christum *Matth. 18. v. 20.* constituta sub hisce verbis: *Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum?* Hunc enim sacrum textum de Concilio Oecumenico intelligunt Concilium Chalcedonense *in Epist. ad Leonem, quæ est post finem 3. actionis ejusdem Concilij.* Et Synodus VI. *actione 17.* At congregari *in nomine Christi*, perinde est, ac congregari auctoritate Christi, conformiter sacris Litteris *Marci ultimo*, ubi Christus aiebat: *In nomine meo dæmonia ejicient,* & *Iohan. 5. Ego veni in nomine Patris mei.* Item *Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Sicuti ergo in his textibus Evangelicis perinde sonat, aliquid fieri nomine Christi, ac fieri auctoritate Christi: sic quatenus Concilia Oecumenica ex instituto Christi debent, esse congregata *in nomine Christi*, eatenus oportet, esse convocata, & congregata auctoritate Christi, atque adeò ejus mandato, qui obtinet Christi vicariam auctoritatem, qui est solus Papa: utpote cui pro perpetuo Ecclesiæ statu Christus Dominus unicè demandavit Regni cælorum seu Ecclesiæ suæ claves, illum constituendo Pastorem universarum ovium suarum.

20. Ad quod melius intelligendum, pro *secundo* discernere lubeat inter duplicem modum, quo aliquid dicatur fieri in *nomine Christi*. Nempe aliquid fieri potest in *nomine Christi quasi objectivè*, ita ut fiat propter Christum ceu finem, & objectum motivum ex ipsius Spiritu ipsum solum audiendi in verbo Dei. Deinde aliud fieri potest in *nomine Christi* quasi *subjectivè*, ita ut Christi auctoritas quasi vicaria inexistat illi, qui in *nomine Christi* operatur. At Christus voluit Concilium congregari in nomine suo, ut *illic in medio illorum* esset, non utique personaliter, sed quoad suam vicariam in terris relictam auctoritatem, *subjectivè* adeò substituram in Concilio Oecumenico. Hæc enim Christi nominis in Concilio subsistentia non est secundùm invisibilem duntaxat gratiæ influxum, sed secundùm auctoritatem visibilem, propter quam instar Ethnici & publicani *visibiliter & publicè* habendus est, qui Ecclesiã in Concilio Oecumenico repræsentatam non audierit. Imò Christus suæ & Patris Æterni per gratiam assistentiæ Concilio Oecumenico repromissæ causam & rationem reducit in hoc, quòd ipse in medio Concilij *Nomine suo* coadunati subsistat. Hæc igitur auctoritatis Christum *vicariè & visibiliter* repræsentantis, intrà Concilium assistentia ceu causa, juxta sancti Evangelij contextum, prior esse debet, quam ut ejusdem & Patris Æterni per gratiam assistentia sit effectum suum sortitura. Quandoquidem igitur vicaria Christi auctoritas soli Papæ competens, sit forma per Christum constituta, per quam Concilium Oecumenicum convocari & subsistere debeat, apertè hinc evincitur, ipso jure Divino irrita fore, & nullius roboris Concilia Generalia, si vel ab alijs, quàm à Romanis Pontificibus fuerint convocata, vel Papa, ejúsve Legatis nonpræfuerit.

21. Et quia pro *tertio* Christus *loco citato* apertis verbis asseruit, cujuscunque rei, sive veritatis à Concilio Oecumenico expetitæ effectum non aliter obtentum iri, nisi Duo, nempe Caput vicarium Christi characterẽ præferens, & Prælatorum Ecclesiasticorum *Nomine Christi* facta aggregatio, consenserint, evidenter hinc quoque infertur, tametsi tota Ecclesiasticorum Antistitum aggregatio concorditer definiret aliquod dogma, infallibilitatem Divinæ veritatis ex Christo, ejusque Patre Æterno non priùs superventuram, nisi decreto

Episcoporum accedat auctoritativus consensus Papæ, *nomen Christi vicarium* præferens: meritoque proinde dicitur nullius roboris *quoad omnimodæ infallibilitatis firmitatem* fore Decretum Concilij, quantumvis Generalis, nisi à Papa confirmatum fuerit.

22. *Quartò*. Sed quo veritatis fundamento dicitur: *Priora Concilia Generalia non à Romano Pontifice, sed ab Imperatoribus esse convocata, ac tribus primis non præfuisse Romanos Pontifices, sed alios Episcopos, neque à Pontificibus olim confirmata fuisse Concilia Generalia?* Hoc triplicatum Ellies ij effatum à vero aberrare, mox ostenditur. Inprimis igitur legimus de Concilio Nicæno *in 6. Synodo, actione 8.* Constantinum & Sylvestrum apud Nicæam congregâsse magnam Synodum. Damasus quoque scribit *in Pontificali*, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium. Quo autem discrimine Pontifex & Imperator concurrerint in congregandâ illâ Oecumenica Synodo, pandit Ruffinus *lib. 10. cap. 1.* asserens, Constantinum *ex sententia Sacerdotum* indixisse Concilium. Unde evincitur, Imperatorem non tam jus statuendi indictionem Concilij, quam ejus duntaxat executionem ex *sententia Sacerdotum, Pontificisq; auctoritativo jussu seu consensu* usurpâsse. De Constantinopolitano I. pariter refert Theodoretus *lib. 5. Histor. cap 9.* Theodosium Seniorem non tam illud indixisse, quàm litteras Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur, misisse ad Episcopos; veluti patet etiam *ex litteris Episcoporum in illo Concilio congregatorum ad Pontificem scriptis*. De Ephesino I. tradit Prosper *in Cronico*, factam esse Cyrilli *industriâ* & Cælestini Papæ auctoritate. Constat etiam *ex Epist.* Cælestini *ad Cyrillum* relatâ *inter opera Cyrilli*, hunc tanquam Legatum Sedis Apostolicæ jussum esse proficisci ad illud Concilium: certo argumento, non esse coactum absque consensu Pontificis. De Chalcedonensi patet ex *Epistola* Martiani Imperatoris ad Leonem Papam relatâ *ante Concilium Chalcedonense*, Imperatorem, cùm vellet indicere Concilium, rogâsse Pontificem, ut ipse veniret & Concilium faceret, vel si nollet venire, significaret per litteras, quid agi vellet. Unde patet, illam Synodum non sinè auctoritate Pontificiâ, ejúsve jussu vel consensu indictam, vel celebratam fuisse. Imò Imperatorem ejus fuisse sententiæ: quòd Synodus Oecumenica non esset substitura absque auctoritate Pontificia. Et hinc Gelasius Papa *in Epist.* ad *Episcopos Dardaniæ* ait: *Apostolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonensis fieret, suâ auctoritate decrevisse*. Quantumvis ergo Imperatores unà cum Pontificia auctoritate concurrerint ad indicenda Concilia, hujus tamen erat ratio, quòd Imperatores maximâ Christiani orbis parte potirentur, Conciliaque in ipsorum ditione celebrarentur, legeque cautum fuerit, ne Cœtus haberentur eorum injussu ob seditionum suspicionem: præterquàm, quòd ipsorum sumptu res tota perageretur.

23. *Quintò*. Quòd Pontifices Romani habuerint præsidentiam in Concilijs Generalibus, probatur sequenti inductione. Nam ex *actis Nicæni Concilij* constat, huic Synodo unà cum Vito & Vincentio, Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, præsedisse Hosium Cordubensem, quem fuisse Romani Pontificis Legatum, asseritur etiam in *præfatione Concilij Sardicensis*. Concilio equidem Constantinopolitano I. Oecumenico II. non interfuit Damasus Papa, eò quòd hic voluerit, Episcopos Orientis ad plenam Synodum convocare Romam, nisi justis ex causis se excusando, contra Macedonianos probâssent, se animo & sententiâ conjunctos cum Occidentalibus Episcopis. Nihilominùs ea Synodus eatenus cœpit esse Oecumenica, quatenus confirmata fuit à Damaso Papa in ijs, quæ spectabant Macedonianæ Hæreseos condemnationem, fideique confirmationem: ex S. Gregorio *Epist. 125.* & Photio *in Libello de 7. Synodis*. In Ephesino Oecumenico III. Concilio sanctum Cyrillum habuisse potestatem Legati à Cælestino Papâ constituti, evincitur *ex Epist* Cælestini ad Cyrillum, relatâ *Tomo I. Conciliorum editionis Colonienſis. pag. 737.* Ex Leonis ad Concilium Chalcedonense *Epistolâ 47.* constat, Legatos ipsius fuisse ad istam *quartam* Oecumenicam Synodum taliter directos, ut ipsemet Papa in illis præsideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuisse ratam habitam à Concilio, constat ex hujus ad Leonem *actione 3.* vel in quibusdam exemplaribus circa finem relatâ *Epistolâ*. Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum V. agnovisse, quòd præsidentia sit debita Romano Pontifici, liquet *ex Epistolâ ad Vigilium in fine primæ Synodi* relatâ. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. Præsides fuisse Legatos Agathonis Pontificis Petrũ & Georgium Episcopos, ac Joannẽ Diaconum, testatur Zonoras *in vita Constantini* VI. patetque ex ipsâ Synodo. Concilium Nicænum II. Præsides habuisse Adriani I. Legatos, constat ex actis Concilij, in quibus isti primi nominantur & subscribunt. Idem ostendi potest ex cæterarum Synodorum Oecumenicarum actis. Quòd verò firmitas Decretorum *Conciliarium* pendeat ex confirmatione Romani Pontificis, evincitur, quòd eâ non interveniente, varij errores etiam circa fidem irrepserint; uti videre licet *ex præsentis articuli secundi Disquisitione 4. à n. 55.*

Sextò. Esto, non ex cujusvis Cœtûs convocatione, & in eo præsidendi jure concludatur stricta super eum Superioritas: attamen istorum jurium radix & ratio inspicienda est. Quis enim neget, jus convocandi Comitia generalia Regni Franciæ, & in ijs præsidendi, Regi competere ex supremo Regiæ Majestatis jure Monarchico? At *superiùs* ostensum fuit, jus convocandi Concilia Generalia, & in eis præsidendi, radicari in charactere Christi vicario, importante claves Ecclesiæ ceu Regni mystici, absolutamque Cathedræ Apostolicæ ac Oecumenici pastoralis muneris potestatem, cum *indefinitâ* ligandi auctoritate, super quascunque Christi oves non *distributivè* tantùm, sed *collectivè* spectatas, nempe

quam

quâ unam Ecclesiam constituentes, sicque super Concilium etiam Ecclesiæ secundùm præcisionem mentalem *acephalicè* consideratæ repræsentativum. Nequit ergo dici, quòd jura illa convocationis & præsidentiæ in Concilijs Generalibus non radicentur in superioritate Papæ super Ecclesiâ *acephalicè* spectatâ protensam.

ARGVMENTVM III.

25. EX parte nostra licet *tertiò* argumentari tum ex dicto Concilij Romani sub Symmacho, *quòd Papa nunquam subjacuerit Minorum judicio.* Tum ex Leonis I. *Epistola 48.* scribentis: *Ad Petri Sedem pertinere curam universæ Ecclesiæ.* Tum ex Gelasij I. *Epistolâ 13.* dicentis: *Quòd sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habeat potestatem judicandi de omnibus, nec cuiquam liceat de ejus judicare judicio.* Tum Gregorij I. *Epist. 39. lib. 9.* ajuntis: *Petrum respondere potuisse ijs, qui eum culpabant, non esse ovium, Pastorem suum reprehendere.* Tum Nicolai I. *Epistolâ ad Michaelem Imperatorem* dicentis: *Judicium Sedis Apostolicæ, quæ superiorem non agnoscit, à nemine retractari posse.* Tum Paschalis II. verbis *in Capit. Significâsti. Extra de Elect.* hunc in modum relatis: *In Concilijs statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter recipiatur authoritas.* Tum ex sententiâ Alexandri III. relatâ *in Cap. Licet. extra de Elect.* ubi statuitur: *Majori cautelâ eligendum esse Romanum Episcopum, quàm cæteros, quia si malus eligatur Pontifex, nullum erit remedium, cùm non habeat superiorem, à quo deponi possit.* Tū ex Innocentij III. *sermone 2.* affirmantis: *Se propter solum in fide peccatum posse ab Ecclesiâ judicari, in cæteris Deum se habere judicem.* Tum denique ex Bonifacij VIII. *Extravagante. Vnam sanctam.* asserentis, *supremam esse Romani Pontificis potestatem, quæ non nisi à Deo possit judicari.*

Exceptiones Elliesianæ.

26. EXcipitur *primò.* Etiamsi Concilij Romani sub Symmacho sententia sub nomine *Minorum* loqueretur de Episcopis, non tamen loqui de Concilio Generali, sed de Concilio particulari quorundam Italiæ Episcoporum. Adhæc loqui ad mentem Romanorum, qui tum temporis existimabant, Pontificem à Synodo præsertim particulari, deponi non posse, nisi in casu hæreseos: quoad mores verò reservandum esse Divino judicio.

27. *Secundò.* Leonis I. dictum verum esse, quòd nempe Romanus Episcopus curam gerat universæ Ecclesiæ, sed *distributim*, non *collectim* sumptæ. Unde non sequi, quòd habeat curam Concilij Generalis. Imò tametsi ipsi incumberet cura, ut in Concilio Generali omnia fierent secundùm ordinem, minimè tamen fore consequens, quòd esset superior Concilio Generali.

28. *Tertiò.* Gelasij I. sententiam non procedere de Concilio Generali, aut provinciali, sed de singularibus Episcopis; veluti pateat ex voce *cuiquam*, quam non posse intelligi de Concilio, doceri ex scopo Epistolæ, in qua agitur contra eos, qui nomen Acacij retinere volebant in Dypthicis.

29. *Quartò.* Gregorium I. non negare, quin oves aliquando pastorem reprehendere potuerint, sed tantùm dicere, Petrum uti potuisse eâ responsione; sed maluisse non *ex potestate*, *sed ex ratione* respondere. Posthæc enim adjici, *Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps signa & miracula singulariter faciendo, non dedignatus est, in causâ reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quantò magis nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus.* Undè patêre, ait Elliesius, scopum Gregorij non esse, ut ostendat, Pontificem non posse ullo in casu reprehendi & judicari; imò contrarium inferri ex facto Petri. Deinde illum Pontificem non loqui de Concilio, aut Ecclesiâ, quasi Petrus non potuisset reprehendi à Concilio, sed loqui tantùm de privatis quibusdam reprehensoribus.

30. *Quintò.* Nicolaum I. non asserere suam auctoritatem Concilij auctoritate majorem, sed tantùm Sedem suam quâvis aliâ majorem; ait enim, *patêre profectò Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate major non, est judicium à nemine fore retractandum.* Quare illum Pontificem sedem suam cum alijs Episcopis comparare, sed *distributim*, non *collectim* cum universis Episcopis in Concilium aggregatis. Alioquin vitio laboraturum, quod ait S. Augustinus, nempe *universum singulis partibus meritò præponi.*

31. *Sextò.* Oportere Paschalis II. testimonium benignè explicare, cùm certum sit, Concilia leges omnibus Episcopis, atque etiam Romanis dixisse. Sic Concilium Antiochenum & Arelatense sua decreta per litteras significâsse Romano Episcopo, ut ea mandaret executioni, ipsosque Romanos Pontifices non semel fuisse protestatos, se obnoxios esse legibus latis à Concilijs, quare Paschalis verba benignè interpretanda esse de potestate dispensandi sapienter à Canonum observatione, quæ Romano Episcopo præ cæteris competit.

32. *Septimò.* Alexandri III. testimonium non referri bonâ fide, non enim dici ab ipso, nullum esse remedium, si malus Pontifex sit electus, sed tantùm non posse recursum haberi ad superiorem, dum nullum scilicet Concilium est convocatum. Unde majorem cautelam in ejus electione adhibendam esse, quia non facilè convocatur Concilium, nec potest à superiore Episcopo, quemadmodùm cæteri, judicari.

33. *Octavò.* Innocentij III. testimonium videri in eorum stare opinione, qui tenebant, Papam ob solam fidem deponi posse; sed fortè per fidei negotium ibi intelligi etiam pravitatem inemendabilem, quæ universæ officiat Ecclesiæ. Unde scribendo *ad Philippum Regem Francorum* dicere; si absque Generalis Concilij deliberatione ipsum separaret ab uxore suâ, ordinis & officij periculum sibi imminere.

Nonò.

34. *Nonò* denique. Bonifacij VIII. Extravagantem omni ratione & auctoritate destitutam esse, quam se nihil omninò morari.

Refutatio istarum Exceptionum.

35. PRimò. Dum Concilium Romanum sub Symmacho tam disertis verbis asseveravit, Papam nunquam subjacuisse *Minorum* judicio, oportet sub ista voce *Minorum* intelligi, quotquot in auctoritate Oecumenicâ Clavium Ecclesiæ, *indefinitáque* ligandi & solvendi potestate, nec non in firmitate Petræ, super quam ædificatur Ecclesia, æquiparari non possunt cum Papa, hisce universis prærogativis *Matth. 16.* Divinitus dotato. At Concilium quamtumvis Generale *acephalum*, sinè vicario Christi charactere spectatum, nequit attingere ad sublimitatem illarum præeminentiarum, quia secundùm Christi effatum *indefinita* ligandi & solvendi potestas, unà cum omnimoda per Christi assistentiam infallibilitate non promittitur Concilio, nisi quà auctorizato per Christi Nomen vicarium Papæ proprium. Nequit ergo Romanus Pontifex unquam subjectus esse Concilij *acephali* judicio, nisi in casu hæreseos, à Capitis Ecclesiæ prærogativâ Papæ hæretici personam ipso jure Divino dejicientis.

36. *Secundò.* Leo I. dicendo; Romanum Episcopum gerere curam universæ Ecclesiæ, nequit loqui de aliâ causâ, quam eâ, quæ stipata est auctoritate clavium Ecclesiæ. Eo ipso autem, quòd vox *Tò universæ Ecclesiæ* importet collectionem universorum fidelium sub uno Pastore visibili Oecumenico subsistentem, nequit illa cura non complecti Ecclesiam *collectim* sumptam, nisi manifesta involvatur contradictio.

37. *Tertiò.* Quòd Gelasius I. *loco citato* loquatur non de singularibus duntaxat Episcopis, sed de Concilio etiam Generali *acephalicè* considerato, evincitur ex contextu, cùm *ibidem* dicatur, à Sede Apostolicâ nullius judicio subjectâ, neminem appellare posse: quæ verba in veritate rei haud subsisterent, si à Romani Pontificis judicio fas esset, appellare ad *acephalam Generalem Synodum.*

38. *Quartò.* Eo ipso, quòd Petro fas fuisset, ijs, qui eum culpabant, ex potestate respondere, quòd *nullius judicio coercitivo subesset*; firma jam subsistit ejus super omnes superioritas, cui nequaquam obest, quòd ad fraternam correctionem non sit dedignatus, humiliter reddere facti sui rationem.

40. *Quintò.* Nimis aperta est Nicolai I. vox dicentis: *Sedem Apostolicam non agnoscere Superiorem*, quàm ut eam detorquere liceat ad Sedes privatas Episcopales, ac si Apostolica Sedes his tantummodò, non autem Concilijs *acephalis* præemineret.

41. *Sextò.* Paschalis II. testimonium, dum negat, *Romanæ Ecclesiæ posse à Concilijs, præsertim acephalis, legem præfigi*, eatenus evincit Apostolicæ Sedis superioritatem, ut huic tamen minimè obsit, quòd Papa, *quoad vim directivam* ex altioribus fidei principijs teneatur, observare leges à Concilijs Oecumenicis, imò etiam à se ipso latis; uti *in anterioribus* extat probatum. Concilium porrò Antiochenum & Arelatense sua decreta eatenus significabant Romano Episcopo, ut hic ea per suam Christi vicariam auctoritatem firmaret, & sic firmata, consequenter non *ministerialiter* instar subditi, sed *auctoritativè* ceu Christi vicarius executioni mandaret.

Septimò. Dum Alexander III. negavit, posse à Pontifice haberi recursum ad Superiorem, non fecit illam restrictionem ab Ellesio assertam, sed absoluta superioritatis respectu Papæ negatio, manifestè infert, Concilium, *præsertim acephalum*, non habere jus superioritatis erga Papam. 42.

Octavò. Innocentius III. asseverando, se *propter solum in fide peccatum* posse ab Ecclesia judicari, in cæteris autem unicè habere Deum judicem, nimis evidenter excludit Ellesij glossam, ac si sub negotio fidei intelligeretur etiam *prævitas morum inemendabilis, universæ officiens Ecclesiæ.* Nec obstat, quòd ad Philippum Francorum Regem scripserit, ubi Regem separaret ab uxore suâ, faciendo divortium vinculi matrimonialis, sicque adeò hujus solubilitatem haberet ratam, incursurum se *ordinis & officij sui* periculum: quia ea solubilitas cum jure Divino pugnans ipsum redargui potuisset hæreseos. 43.

Nonò denique. Bonifacij VIII. Extravagans non asserit duntaxat, sed ex Divinis Litteris probat supremam Romani Pontificis potestatem, non nisi Deo subjectam. Immeritò igitur Ellesius eam rejicit ceu destitutam ratione & auctoritate. 44.

ARGUMENTUM IV. & ultimum.

EX parte nostrâ *quartò* argumentari licet ex Concilij Lateranensis *Sessione 11.* seu Leonis X. in Concilio *editâ constitutione*, in quâ postquàm dictum fuerat, *quæ in Concilio Basilienſi gesta sunt, post hujus translationem authoritate Eugenij IV. factam, non posse ullum habere robur*; adjiciuntur sequentia: *Cùm præsertim solum Romanum Pontificem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorúmq; Canonum decretis, sed ex propriâ etiam eorundum Conciliorum confessione constet.* Quibus proinde verbis videtur Synodus Lateranensis, aut Leo X. *approbante Concilio*, rem plenè definivisse. 45.

Exceptiones Ellesianæ.

EXcipitur. Magnum discrimen esse inter hanc sanctionem, & Constantiensis, Basileensisque Conciliorum definitionem. Nam *primò* hæc Concilia numerosiora fuerunt, cùm Lateranensi Concilio vix 80. Patres adfuerint, è quibus sexaginta tantùm, aut circiter erant Episcopi magna ex parte Itali: nec ullus Christianissimi Regis Orator, nullique è Gallicanis 46.

parti-

partibus Antistites intererant. Unde à non paucis haud immeritò in dubium revocatur, *utrùm verè à id Concilium sit Generale?*

47. *Secundò.* Perspicuum esse, definitionem illam non esse à Concilio universo, sed à solo Romano Pontifice editam. Quamvis enim initio Bullæ præfigatur, *sacro approbante Concilio*, patet tamen, rem non fuisse in Concilio disputatam, & examinatam, sed tantùm Pontificis decretum in Concilio esse perlectum, quod quidè non erat conditum de hoc negotio, sed de abrogatione Pragmaticæ. Neque verò decretum illud inseritur Bullæ tanquam definitio, sed tanquam ratio definitionis. Quapropter licèt constaret, definitionem de Pragmaticæ abrogatione à Concilio approbatam, eamque in Concilio abrogatam fuisse, non propterea idem dici posset de eâ ratione, quam Pontifex Bullæ inseruit.

48. *Tertiò.* Notatu dignum esse, quod Duvalius *4. parte quæst. 7. libri de suprema potestate Papæ* hanc in rem disseruit. *Ad Concilium Lateranense* (inquiens) *quod multò expressiùs loquitur, quàm Florentinum, variæ sunt responsiones: quidam enim ajunt, non fuisse verè, & propriè Generale, cùm ei vix centum interfuerint Episcopi. Alij dicunt: caput illud, in quo de authoritate Pontificis supra Concilium mentio fit, à Concilio non fuisse discussum, aut examinatum, sed tantùm perlectum coram Prælatis Concilij, qui sinè prævio examine illud approbárunt, ideóque dici non posse Concilialiter conclusum & definitum, sicuti de Concilij Constantiensis definitione dictum est. Alij rem sic expediunt: etiamsi, inquiuntes, Concilium fuisset absolutè Generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam, ut decretum fidei Catholicæ, non definiunt. Nulla enim in verbis Concilij nota apparet, ex quâ fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronuntiat in eos, qui contra sentiunt, nec dicit, se hoc expressè, aut propriè definire, aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile, ex quo expressa definitio colligatur. Alij denique respondent, Concilium eatenus authoritatem Papæ supra Concilium definire, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè, constare censetur. Ad hæc enim, si omnia verba attentè expendantur, vim suæ definitionis, si quæ sit, Concilium revocat.* Porrò fateri Bellarminum, id decretum non esse de fide, & de Concilio Lateranensi dubitari posse, *utrùm sit Generale.* Fatentes ergo se habere adversarios, Concilij Lateranensis, seu potiùs Leonis X. *in Concilio Lateranensi* sententiâ nihil suæ præjudicare opinioni.

49. *Quartò.* Hoc magis adhuc constare, *si rationes, & auctoritates in eo Decreto allatæ ponderentur: non enim definire id Pontificem, nisi quatenus manifestè constat ex Scripturis, Patribus, & Conciliis à se allegatis, sicque relinqui sibi examinandum, utrùm constet, nécne.* Hæc autem non tantùm non manifestè id probare, sed omnia aut falsa esse, aut à proposito aliena: nullum enim extare locum Scripturæ, qui id probare ullatenus possit; nullum etiam Patrum speciatim referri, neque Romanorum Pontificum decretum promi. Tantùm porrò abesse, ut Concilia Generalia supra se Romanos agnoverint Pontifices, & in ijs venerati fuerint potestatem convocandorum, dissolvendorumque Conciliorum, ut sæpe leges Pontificibus etiam Romanis tulerint, & passim ab Imperatoribus, non Romanis Pontificibus convocata fuisse, ifti testificati sint.

50. *Quintò.* Alexandrinam Synodum adduci, quasi scripsisset Felici Romano Pontifici, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia congregari: sed hanc Synodum & Epistolam illius nomine ad Felicem scriptam procul dubio esse suppositiam, & talem agnosci ab ipso Baronio. Dici præterea, Beatũ Leonem transtulisse Synodũ Ephesinam II. ad Chalcedonensem; sed hæc frustra dici, cùm constet, Ephesinam Synodum ab Imperatore convocatam, sinè ullâ translatione esse finitam, & Chalcedonensem fuisse ab Imperatore convocatam aliâ de causâ, quàm Ephesinam. Martinum V. dedisse potestatem Legatis suis in Concilio Senensi, transferendi Concilium, nullâ consensûs Concilij ipsius habitâ mentione; at executum fuisse Decretum *Frequens* Concilij Constantiensis, neque excludisse Concilij consensum. Et reverà translationem Concilij Senensis Basileam factam esse, ex consensu Deputatorum Nationum, veluti pateat *ex Concilij Basileensis exordio.*

51. *Sextò.* Præterea in illo Decreto Lateranensi laudari plures Synodos, quæ Pontificibus Romanis dicuntur magnam reverentiam exhibuisse, nempe Ephesinam I. Cælestino, Chalcedonensem Leoni I. *Sextam* Generalem Agathoni, *Septimam* Adriano I. *Octavam* Nicolao & Adriano II. Sed hoc nihil ad rem facere, nec inde sequi, quòd unicus Pontifex Romanus auctoritatem super omnia Concilia habens, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum habeat potestatem. Citari Damasum Papam, & Occidentales scribentes, per numerum Episcoporum Arimini congregatorum præjudicium fieri non potuisse, *quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cujus exspectanda erat imprimis auctoritas, his non præbuisse consensum.* Sed non de uno Romano Pontifice, sed etiam Vincentio, & alijs pluribus id verificari. Nec quempiam negare imprimis, exspectandam esse Romani Pontificis auctoritatem, sed hinc minimè sequi, quod sibi sumit Leo X. Romanum Pontificem habere auctoritatem super omnia Concilia. Citari denique plures Synodos, quæ dicuntur gestorum confirmationem à Pontifice petijsse, atque inter has laudari Constantiensem. Quod argumento esse, ex confirmatione seu consensu, & approbatione gestorum in Concilijs à Pontifice Romano requisitâ non inferri, Pontificem esse supra Concilium, cùm Synodus Constantiensis, à qua petiram à Martino gestorum approbationem dicit, Leo disertè contrarium definierit. Sed de hoc alibi. Interea ex his universis patère, neque ex auctoritate, neque ex rationibus Concilij Lateranensis, seu potiùs Leonis X. in Concilio Lateranensi confici, Romanos Pontifices esse supra Concilium.

Refutatio istarum Exceptionum.

52. PRimò. Esto, Concilia Constantiense & Basileense *quoad numerum Patrum* superârint Synodum Lateranensem sub Leone X. celebratam, num idcircò fas est, hanc minoris illis auctoritatis dicere? *Ex anterioribus* constat, duplicem esse Synodorum generalitatem, tum *materialem*, ex Prælatis Ecclesiasticis per auctoritatem Summi Pontificis de toto Christiano Orbe convocatis, in minori licèt *duorum, vel trium* sub vicario Christi charactere coadunatorum numero comparentium, *juxta Matth. 18. dictum verbum* subsistentem, tum *formalem*, ex auctoritate Oecumenicâ Christi in terris vicem gerenti Papæ propriam, ceu substantiali Concilij Oecumenici formâ constitutam. Hæc igitur noscitur habuisse locum in Concilio Lateranensi, sed defuisse Synodo Constantiensi ante Martini V. electionem, & præsidentiam, nec non Basileensi post dissolutionem ab Eugenio IV. decretam. Nequit ergo harum Synodorum major, sed minor potiùs esse auctoritas, quàm competierat Concilio Lateranensi, ex Pontificiæ potestatis, cunctos Episcopos convocantis charactere *materialem* ac *formalem Generalitatem & integritatem* obtinenti sub pauciorum etiam Antistitum comparentium numero.

53. *Secundò.* Dum constitutio illa *de Papæ supra Concilium superioritate* edita fuit, *Sacro approbante Concilio*, nequit per rationem solidam negari, quòd totius Concilij quà Oecumenici, nempe auctoritatis Pontificiæ Christum repræsentantis, & Ecclesiæ membrorum Hierarchicorum consensu sancita fuerit. Et hinc Ellesius injuriam facit universo Concilio, dum contendit, constitutionem illam ex Concilij approbatione editam, non fuisse discussam & examinatam à Concilio, quasi hoc tam *perfunctoriè* in tanto negotio fecisset partes suas. Omni porrò ratione & veritate destituitur præsumptuosa Ellesij assertio, ac si Papæ supra Concilium superioritas non fuisset definita in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato. Hanc enim Ellesianam exceptionem clarè refutant dictæ constitutionis verba, ita se habentia. *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi Congregatione recepta fuerunt, cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi Conciliabulo (quod post talem translationem Concilium amplius appellari non merebatur) facta extiterint, & propterea nullum robur habere potuerint, cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorúmque Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet.* In quibus equidem verbis veritas illa, *quòd Papa auctoritatem super omnia Concilia habeat*, per auctoritates & Divinas, & Pontificias, & Synodales asserta, assumitur tanquam ratio reprobandi Basileense Concilium, postquàm ejus translatio & dissolutio per Eugenium IV. facta fuerat; dum tamen ipsissima hæc ratio sub tantis auctoritatibus firmata, est quasi anima totius constitutionis, *Concilio Lateranensi approbante*, editæ, nequit Papæ super Concilium superioritas negari sancita ab illâ Oecumenica Synodo. Et hinc apertæ falsitatis etiam redarguitur Elliesiana exceptio, ac si illud *Conciliare* decretum statuisset duntaxat *de Pragmaticæ abrogatione*, non verò *de Papæ supra Concilium auctoritate*, & hinc consequente Synodorum dissolvendorum & transferendarum potestate.

54. *Tertiò.* Sed quâ ratione idem Elliesius Duvallij *superiùs* allegatam sententiam, *pro eliendenda Concilij Lateranensis auctoritate* inducit, dum tamen is auctor *non ex suo, sed aliorum diversimodè respondentium sensu loquitur*? Et quidem *ex antecedentibus* extat jam refutatum, quod tum *primo* loco, ac *si Concilium Lateranense non fuisset Generale*; tum *secundo* loco respondetur, *ac si decretum de superioritate Papæ fuisset perfectum, sed absque prævio examine approbatum.* Quod *tertio* loco *ibidem* respondetur, *ac si decretum destitueretur auctoritate definitivâ, cùm in adversarios non pronuntietur anathema, nec dicatur esse de necessitate salutis, ita credere*: nullius momenti noscitur ista hæc esse responsio, cùm in Concilio quoque Tridentino plura extent decreta, quibus non subjungitur anathema in eos, qui contradicunt, nec expresse in eis dicitur, de necessitate salutis esse, ut ejusmodi definitiones credantur, sed hæc subintelliguntur ex ipsâ naturâ ejusmodi decretorum. Quæ denique *quarto* loco affertur responsio, ex integro à nobis recipitur, *quòd nempe Concilium eatenus definiat Papæ super Concilio auctoritatem, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè constet.* Verùm quàm ineptè hoc nitatur Elliesius contorquere ac elidere, proximè videbitur. Interea scisciatari lubeat ex hoc auctore, quo rursus fundamento scripserit de Bellarmino, quasi Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum dixisset, non fuisse Generale, cùm tamen is Cardinalis *cap. 5. de Concil.* eam Synodum disertis verbis recenseat inter Synodos Oecumenicas à Catholicis receptas.

55. *Quartò.* Sed quæ non manifesta committitur temeritas ab Elliesio, asseverante, falsum esse decreti Lateranensis assertum, *ac si Papæ super Concilij auctoritas constaret ex S. Scripturæ testimonijs, Romanorum Pontificum, & SS. Canonum decretis, ac dictis SS. Patrum, imò ex propria etiam Conciliorum confessione?* Si de S. Scripturæ locis ad præsens institutum, sermo sit, præter argumenta *in superioribus* deducta, unius tantùm recordor, quòd Vicarius Christi character eatenus sit forma Concilij Oecumenici, ut sinè isto minimè subsistat Synodi Oecumenicæ substantia, atque adeò ejus præeminentia ex *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate, & infallibilitatis auctoritate subsistens; unde antecedenter ad eum Pontificium characterem, atque adeò in Concilio *acephalo* ex

lo ex totius etiam orbis Episcopis coadunato, nihil morari potest, quò minùs ipsi præemineat, quæ *Matth. 16.* Petro, ejusque Successori per Christum destinata fuit tum Petræ firmitas, tum incircumscripta ligandi & solvendi auctoritas.

56. S. Patrum exigantur testimonia, Papæ Concilio haud inferiorem potestatem concordi voce testantur Patres Concilij Romani sub Sylvestro Pontifice. Patres Concilij Nicæni I. Patres Concilij Sinuessani. Patres Concilij Romani sub Symmacho. Patres Synodi Romanæ sub Leone III. Patres *Octavæ* Oecumenicæ Synodi sub Adriano II. Patres Concilij Oecumenici Sardicensis sub Julio. Patres Concilij Chalcedonensis Oecumenici sub Leone. Patres Concilij Nicæni II. sub Adriano I. Quibus accedunt Patrum extra Concilia scribentium testimonia, S. Cyrilli, S. Cypriani, S. Damasi Papæ, S. Athanasij Patriarchæ Hierosolymitani, S. Isidori Hispalensis, Ivonis Carnotensis, B. Augustini Triumphi, S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, S. Antonini, S. Bonaventuræ, S. Bernardini Senensis, Alexandri Alensis, una cum Summis Pontificibus S. Anacleto Martyre, S. Julio, S. Bonifacio Martyre, S. Gelasio, S. Symmacho, S. Nicolao, & Paschale II. quorum omnium verba & sententias videre licet *præsentis Articuli secundi nostratæ Disquisitione 4. à n. 21.* Quæ porrò Ellesius de Conciliorum per Imperatores convocatione hîc asseverat, *superiùs* extant exposita ac refutata.

57. *Quintò.* Nec alicujus momenti sunt exceptiones, quas Ellesius opponit propriæ *Conciliorum de Papæ super Synodos acephalicè spectatas superioritate* confessioni. Abstrahendo namque à Synodi Alexandrinæ *ad Felicem Papam epistolâ*, an vera sit, vel supposititia, sufficiat, Nicænæ Synodi eâ de re sententiam stabilire ex epistolâ Julij Papæ I. ad Episcopos Orientales *tom. 1. Concilij Colonienſis editionis pag. 384. & 385.* relatâ, ubi habentur sequentia. *Unanimiter in Nicænâ Synodo statuerunt, ut nullus Episcopus, nisi in legitimâ Synodo per Apostolicam authoritatem convocatâ, super quibusdam nominationibus audiatur,* id est, judicetur. Et post pauca. *Ipsi verò primæ sedis Ecclesiæ convocandarum Generalium Synodorum jura, & judicia Episcoporum, singulari privilegio, Evangelicis, & Apostolicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad Sedem Apostolicam multis authoritatibus referri, præceptæ sunt. Nec ullo modo potest major à minori judicari. Ipsa namq; omnibus major, & prælata est Ecclesia, quæ Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum* &c. Et infrà. *Dudum à sanctis Apostolis, successoribusq; eorum in antiquis decretum fuerat statutis, non oportere, præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Dum porrò in Ephesina Synodo Eutychianorum factionibus res perperam ageretur, Legatis Apostolicæ Sedis constanter resistentibus, acta hujus Conciliabuli postmodùm à Chalcedonensi Concilio fuerunt falsitatis convicta & reprobata: sicque adeò materia Pseudo-Synodi Ephesinæ, Romano Pontifice approbante, & per suos Legatos interveniente, ad prætactum Chalcedonense Concilium translata, ibique decisa fuit, uti patet *ex tom. 7. Conciliorum Parisiensis editionis pag. 308. & 309.*

58. Rectè fatetur ipse quoque Ellesius, Martinum V. ita dedisse potestatem Legatis suis in Concilio Senensi, transferendi Synodum, nullâ Concilij ipsius consensûs habita mentione. Et licèt indictio hujus Synodi à Romano Pontifice facta fuerit ex respectu decreti à Concilio Constantiensi editi, ipsemet tamen Papa ex ea potestate Legatis suis factâ ita se probavit authoritate præeminere *Conciliari* decreto, non nisi per suam authoritatem vires obtinenti, ut in dissolvendo & transferendo Concilio non esset dependens à consensu Concilij indicti.

59. *Sextò.* Non integrè allegat Ellesius Concilij Lateranensis decretum *de singulari reverentiâ ab antiquis Conciliis Sedi Apostolicæ exhibitâ*, dum *ibidem* dicitur, sed ab Ellesio omittitur; reverentiam illam in eo substitisse, ut Concilia ibi recensita, Romanorum Pontificum institutionibus & mandatis in sacris codicillis per eas editis & factis reverenter & humiliter obtemperarent; certo argumento authoritatis Concilijs *acephalicè* sumptis præeminentis. Unde subditur in eodem Lateranensi decreto, Damasum Papam cum cæteris Episcopis Romæ congregatis scripsisse, per numerum Episcoporum Arimini congregatorum, non potuisse aliquod fieri præjudicium, quandoquidem constet, Romanum Pontificem talis Synodi decretis non præbuisse consensum: certo iterum argumento, authoritativum Papæ consensum prævalere Synodo *acephalæ.*

60. Meritò etiam specificè hîc recensendum venit, quod in eodem Lateranensi decreto subjungitur, *consuevisse Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerant, corroborationem à Romano Pontifice, subscriptionem, approbationemq; humiliter petere, & obtinere*, prout pateat ex Nicæna, & Ephesina, atque Chalcedonensi, nec non *sextâ* Constantinopolitanâ, & *septimâ* alterâ Nicænâ, Romanâque sub Symmacho habitis Synodis, earundemque gestis &c. Et quia id ipsum fecisse noscitur Synodus Constantiensis, immeritò Ellesius eam redarguit contrarietatis, dum gestorum suorum approbationem à Martino V. efflagitando, suam authoritatem haud superiorem Pontifice, contestabatur: & tamen antecedenter Concilij super Papa superioritatem definiverat. Ad hanc enim contrarietatem tollendam, oportet, prætactum Concilij Constantiensis Decretum non de Papa certo, sed dubio duntaxat intelligere, uti alias ostensum fuit.

Caput VI.

Expenduntur exceptiones ab Ellesio productæ ex Pisano, Constantiensi, & Basileensi Synodis, ad probandam Concilij super Papa superioritatem.

HAnc quæstionem de Concilij super Papam authoritate prætendit Ellieſius *Diſſertatione 6. de antiqua Eccleſiæ diſciplina §. 5.* definitam eſſe in præinſinuatis Concilijs. Quam prætenſionem nullius eſſe roboris, nitiqúe falſitate, ſubſequentibus duobus §§. oſtendetur.

§. I.

Examinantur argumenta Ellieſij deſumpta ex hiſtoria dictarum Synodorum.

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

1. ELlieſius inducit *primò* ſequentem relationem hiſtoricam. Nempe cùm Gregorius XI. Avenione, ubi 73. annos ſederunt Pontifices, Romàm redijſſet, atque paulò poſt anno 1378. è vivis exceſſiſſet, Populum Romanum ſeditione factâ, in Conclave irrupiſſe, atque omnibus Cardinalibus mortem interminatum eſſe, ni Romanum, aut ſaltem Italum Pontificem crearent. Hos igitur, ut ſaluti ſuæ conſulerent, elegiſſe Bartholomæum Neapolitanum, dictum Urbanum VI. ſed ægrè ferentes, vim à Populo ſibi illatam, aliquantò poſteà ſeſe tranſtuliſſe Fundos, ibiqúe Pontificem elegiſſe Cardinalem Robertum, Clementem VI. dictum. Hunc Avenione ſediſſe uſque ad annum 1394. qui mortuus, ſucceſſorem habuit Petrum de Lunâ, dictum Benedictum XIII. Aliunde Urbano VI. ſucceſſiſſe Bonifacium hujus nominis IX. Bonifacio Innocentium VII. ac demum Innocentio Angelum de Corario, qui anno 1406. eâ conditione electus eſt, ut ſtatim poſt electionem ad finem imponendum ſchiſmati, ſeſe abdicaret Pontificatu. Verùm ubi Pontificatum adeptus eſt, eo cædere noluiſſe, ſeqúe Gregorium XII. appellari voluiſſe. Itarem ad duos redijſſe Antipapas, Benedictum XIII. & Gregorium XII. Neutrum pro legitimo Pontifice agnoviſſe Galliam, voluiſſeqúe tertium eligi. Hinc habitum eſſe Concilium Piſanum anno 1409. ex omnium Principum Chriſtianorum conſenſu celebratum, cui pluſquàm ducentos Epiſcopos ex Italia, Francia, Germania, & Anglia adfuiſſe. Ad illud vocatos Gregorium & Benedictum, cùm non adfuiſſent, de Pontificatu dejectos eſſe, electumqúe Alexandrum V. Nec ſolùm Piſanam Synodum exercuiſſe ſuam in Pontifices auctoritatem, ſed etiam Decreto ſanxiſſe: quòd *Concilium generale, univerſam repræſentans Eccleſiam ſit ſuperius Papâ, pertineatq; ad illud cognitio ac judicium controverſiarum, quæ Pontificatum Romanum ſpectant.* Ea porrò, quæ à Concilio Piſano geſta & definita fuerunt, approbâſſe & confirmâſſe Alexandrum V. quem tum ab omnibus pro legitimo Pontifice habitum fuiſſe, atque Piſanum Concilium pronuntiâſſe legitimum & univerſale. Quo etiam nomine Concilium illud donari ab omnibus, qui de eo tum temporis ſcripſerunt.

Reſponſio hujus argumenti refutatoria.

PRo iſthac relatione hiſtoricâ conferendâ cum alterâ nonnihil diſcrepante, remitto Lectorem *ad III. hujus Summæ caput.* Unde impræſentiarum unicè expendemus, quòd prætendatur, *Concilium Piſanum quæſtionem de auctoritate Synodi Generalis ſupra Pontificem, decidiſſe pro Concilio.*

Primò hoc ipſiſſimum prætendit etiam Maimbourgus *tract. ſui hiſtorici cap. 21. pag. 217.* ita ſcribens de Concilio Piſano. Celebris Doctor Pjaouſt unus ex Deputatis Univerſitatis Pariſienſis, habuit in plenâ Congregatione doctam Orationem, in quâ pluribus rationibus probabat, Eccleſiam univerſalem, & conſequenter *Concilium Generale ipſam repræſentans*, eſſe ſupra Papam, adjungendo, hanc ſententiam eſſe Univerſitatis Pariſienſis, & cæterarum omnium Galliæ Univerſitatum. Vix de cathedrâ deſcenderat, cùm Epiſcopus Novarienſis eam aſcendit, & legit altâ voce ſcriptum, quo declarabatur, centum & tres Doctores & Licentiatos in Theologia ex ijs, qui deputati erant ab Univerſitatibus, convenìſſe mandato Cardinalium, ut deliberarent ſuper hac materiâ, quódque omnes communi voto amplexi eſſent ſententiam Univerſitatis Pariſienſis: aſſeverabat enim, quòd præter Univerſitates Galliæ ita quoque ſentiret celebris univerſitas Bononienſis, cujus literæ habebantur, & Univerſitas Florentina, quæ ſententiam ſuam dederat in ſcripto, à centum & viginti Doctoribus ſubſignato. Hæc igitur prætenduntur acta Piſani Concilij, ex quibus auctoritas Synodi Generalis ſupra Pontificem, deciſa fuerit à Concilio Piſano.

Verùm iſtam tum actorum, tum deciſionis Piſani Concilij allegationem, haud nìi veritate, oſtendunt acta Piſana, quæ Lucas Acherius *Tom. VI. Spicilegiorum* integriora reddidit, ex ttibus codicibus Bibliothecæ Gemeticenſis, ita ſe habentia. *Decimatertia Seſſio fuit die Mercurij 19. Maij. in qua Magiſter Petrus Pjaouſt pro Vniverſitate Pariſienſi dixit, & declaravit, opinionem Vniverſitatis eſſe, iſtos duos (de Papatu) contendentes debere reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij, ad decidendam hanc cauſam & declarandum, eos eſſe ab Eccleſia præciſos & abjectos, & eos, quantum opus eſt, abjiciendos. Poſteà immediate unus Epiſcopus Italus, dictus Novarienſis legit quandam ſchedulam facientem mentionem, qualiter ſecundùm ordinationem Dominorum Cardinalium per Dominum Cardinalem Mediolanenſem fuerunt ſimul congregati omnes Magiſtri in Theologia & Licentiati & Baccalaurei Formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Vniverſitatibus convenerunt, & inter eos fuerat plena deliberatio ſuper iſtâ materiâ, & poſteà in eandem opinionem convenerunt, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos ambos contendentes tenent ſchiſmaticos & hæreticos pertinaces &c. ut ſupra.* Et omnium & ſingulorum nomina recitavit, quorum multi ſunt

Epiſ-

Episcopi & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item postea dixit, quòd in eadem opinione fuit Vniversitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti Magistri subscripti. Idem etiam deliberavit Vniversitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras. Idem Vniversitates sive studia, Aurelianensis & Andegavensis, & Tholosana per suos Ambasiatores ibidem.

5. Ex quibus proinde Concilij Pisani actis constat manifestè, Universitatem Parisiensem, una cum reliquis prænominatis Universitatibus, ipsamque adeò Synodum Pisanam, nihil statuisse de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem, sed solùm de tempore Schismatis, ac de dubijs, sive de Papatu contendentibus Pontificibus schismaticis, quà *præsumptivè* hæreticis.

6. *Secundò.* Firmatur id ipsum actis à Philippo Labbeo, ex aliâ anteriori editione Parisiensi exhibitis, Universitatis Parisiensis hac de re opinionem ita referentibus. *Et postmodùm posuit opinionem Vniversitatis Parisiensis, videlicet quòd Petrus de Luna est Schismaticus, pertinax & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè & strictè; præcisusque ab Ecclesia Dei, ejectus à jure Papatûs, & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus & privandus. Et hæc declaravit Petrus de Plaoust pluribus rationibus, & subjunxit, quòd in eadem opinione erant Vniversitates Andegavensis, & Tholosana. Ipso autem descendente de cathedrâ, ascendit quidam Episcopus Italus, qui opinionem tredecim Magistrorum, & plurium Licentiatorum, & Baccalaureorum Formatorum, ac Vniversitatis Bononiensis in quadam schedula publicavit, quæ est conformis opinioni Vniversitatis Parisiensis.*

7. Hanc Synodi Pisanæ faciem descripsit ipsemet quoque Maimbourgus *libro de magno schismate Occidentis*, historiam dicti Concilij Pisani exponens, ac de Petro Plaoust referens sequentia. *Declarabat, & confirmabat opinionem Vniversitatis, quòd nimirum duo (de Papatu) contendentes haberi deberent pro veris schismaticis, qui nutriebant infortunatum illud schisma; quin & pro hæreticis, destruendo, quantum poterant, articulum Symboli, quo unitas Ecclesiæ creditur; & concluserit demum, quòd Concilium illos pro talibus habere, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per schisma & hæresin jam exciderant.*

8. Falsum igitur est, in Synodo Pisanâ actum fuisse de indubitato Pontifice, ibidemque decisam fuisse quæstionem de superioritate Concilij supra certum & indubitatum Pontificem, atque de hac tunc egisse Parisiensem Universitatem, imò utriusque Obedientiæ Cardinales in litteris, quibus anno 1408. Gregorium XII. convocârunt ad Concilium Pisanum, adducendo conclusiones Universitatum Parisiensis & Bononiensis, quæ apertè restantur, in ejusmodi conclusionibus solummodò mentionem fieri quæstionis de authoritate Concilij supra duos de Papatu contendentes, de quibus propter *dubia Facti & Iuris* ignorabatur, uter verus Pontifex censendus esset. Ita namque se habet *quinta* illarum Universitatum conclusio: *Quòd stante dubio Papatûs inextricabili propter dubium Facti, & Iuris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuò, cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, & Ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit à Papatu ejicere.* Tantæ igitur molis erat, tempore Pisani Concilij sententiam ferre in dubios Pontifices, ut ipsos non aliter judicaret Synodus, excidisse Papatu, nisi quatenus colludentes de Papatu, destruxissent articulum fidei de unitate Ecclesiæ, non quidem *dogmatizando*, sed *operando*.

ARGUMENTUM II. Ellesij.

9. PErgit hic Author referre historiam magni schismatis. Post mortem Alexandri VI. inquiens, hujus successor Joannes XXIII. Concilium Constantiense, quasi ad continuationem Pisani, anno 1414. indicit. Huic Pontifex ipse adfuit, promisitque, se pro bono pacis cessurum Pontificatu, modò Benedictus XIII. & Gregorius XII. idem facerent. Sed hujus pollicitationis pœnitentiâ ductus, à Concilio secessit. Nihilominùs Concilium non propterea interruptum est, imò decretum emisit, quo definiebatur, Concilium secessu Ioannis XXIII. non esse dissolutum: deinde sessionibus *quartâ & quintâ* diserte definivit, *Concilium Generale universam repræsentans Ecclesiam, potestatem suam habere à Christo immediatè, cui quemlibet, cujuscunq; statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneri in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ generalem in capite & in membris.* Quod decretum, ait Ellesius, probatum fuisse *Nationaliter*, ac deinde *Synodaliter*, Quæcunque autem in Concilio *Nationaliter* & *Synodaliter* fuerant definita, Martinum V. legitimum Pontificem à Concilio electum, rata habuisse & probâsse, inprimis verò decreta sessionis *quartæ* & *quintæ*: nam inter articulos Bullæ in errores Wicleffi editæ jubere Pontificem interrogari Wicleffistas, num teneant, Concilium Generale universam Ecclesiam repræsentare? Num doceant, ea, quæ à Concilio Constantiensi probata sunt, ab omnibus Christianis probari debere, quod respicere Sessiones *quartam* & *quintam*.

Responsio hujus argumenti refutatoria.

10. AD horum solidam refutationem, *primò* placuit præmittere Bullam Martini V. decretorum Concilij Constantiensis confirmatoriam, quæ est tenoris sequentis. Cùm nempe Pontifex ille *in exordio præinsinuatæ Bullæ* exposuisset sua desideria & vota, ut fides Catholica à contagiosis hæreticorum dogmatibus conservetur, hæreticaque pravitas de finibus fidelium extirpetur &c. Exinde *in corpore ejusdem Bullæ* enarrat, quæ contra errores Joannis Wicleffi & Hieronymi de Praga, à Joanne XXIII. in Concilio Romano decreta fuerant, recensitisque duabus alijs ejus-

ex pag. 343. n. 37.

dem Joannis constitutionibus, refert insuper, ac de verbo ad verbum inserit statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wicleffi & Hus, nec non errorem Bohemorum de Communione sub duplici specie. Concludendo tandem, auctoritate Apostolicâ confirmat decreta, statuta & condemnationes ac sententias supradicta, subijciendo & sanciendo, ut definitiones, reprobationes & sententiæ, ac statuta præinserta plenum robur habeant.

11. Ex quibus proinde manifestè elucet, Martini V. Bullam statutorum Constantiensis Concilij confirmatoriam, ita coarctari ad decreta dogmatica adversùs errores Wicleffi & Hus ac Hieronymi de Praga ac Bohemorum editas, unà cum decretis Joannis XXIII. in Concilio Romano, & alijs duobus ab eodem Joanne sancitis, ut nullatenus complectatur decreta *IV. & V. Sessionis* circa Concilij auctoritatem, Joanne XXIII. tunc absente lata.

12. Nec obstat, quòd Martinus V. jusserit interrogari Wicleffistas, *num teneant, Concilium Generale repræsentare universam Ecclesiam?* Hoc enim vel de Concilio *completè* Oecumenico Papæ characterem includente, intelligendum est: vel si accipiatur de Concilio etiam *acephalo*, quale sub statu *Sess. IV. & V.* erat Synodus Constantiensis, nequit intelligi aliter, nisi quòd ejusmodi Concilium Gerale *acephalum* repræsentet universam Ecclesiam non *integraliter* una cum Capite, sed pro Corpore Hierarchico, Capitis præeminentiâ quidem destituto, sed ex orbis Christiani Episcopalibus jurisdictionibus coadunato spectatam. Et sic, quia Concilij Constantiensis adversùs Wicleffi errores sancitis decretis dogmaticis supervenit Apostolica Martini V. auctoritas, earundem confirmatoria: idcircò quoad istas sanctiones dogmaticas *Sessionibus IV. & V.* firmatas, meritò statuit Martinus, ut Wicleffistæ docerent ea, quæ à Constantiensi probata fuerant, debere ab omnibus Christianis probari.

13. Quibus ita se habentibus, pro *secundo* prorsus negandum est, Constantiensia *IV. & V. Sessionis* decreta, quatenus adversarij contendunt, ea extendere ad Concilij Generalis *acephali*, præsertim, super Papâ certo & indubitato auctoritatem comprobandam, alicujus esse valoris, uti *in antecedentibus* probatum est, ulteriusque firmabitur *ex subsequentibus*. Imò verò ipsa verba decreti illius, prout hîc adferuntur in Ellieſij argumento, ita sonant, ut optimè possint ac debeant coarctari ad tempus schismatis, *pro cujus extirpatione*, sicque *generali Ecclesiæ*, in Capite dubio & membris inter se divisis *reformatione*, Synodus illa universam Corporis Hierarchici, sed tunc *acephali* Ecclesiam repræsentans, extiterat congregata.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

14. Historiam præinsinuatam prosequitur is Theologus, dicendo, Pontificem Martinum V. ut decreto Constantiensis Concilij morem gereret, indixisse Concilium Generale primò Papiæ, deinde Senis, ac demum Basileæ. At ante hujus initium è vivis excessisse, hujus verò Successorē Eugenium IV. illuc destinâsse Julianum Cardinalem Legatum, ut præesset Concilio. In eo *Sessione II.* Concilij Constantiensis de Concilij supra Papam auctoritate Decreta fuisse renovata. Conatum hinc esse Eugenium dissolvere Concilium, quod tamen stetisse, stantisseque *Sessione XIII.* Pontifici non competere hujusmodi potestatem, ipsum quidem esse Ecclesiæ Caput, sed non universâ Ecclesiâ superius. Ipsum quippe falli procul dubio posse, quod de Ecclesia dici sinè piaculo non posset. Hæreticum esse, dicere Papam non teneri Concilio parêre. Tum Eugenium IV. mutata sententiâ, probâsse Concilij acta, & confirmâsse ea omnia, quæ à principio decreta fuerant, usque *ad Sessionem XVI*, in quâ contineri Bullam confirmatoriam actorum Synodi.

Responsio hujus Argumenti Ellieſiani refutatoria.

15. Dissertis jam verbis Ellieſi fateris Romani Pontificis potestatem indicendi Concilia generalia, eaque transferendi à loco priùs indicto ad alium magis opportunum locum. Neque Pontifex in illâ Concilij indictione morem gerendo Constantiensis Synodi Decreto, id fecit ex subjectionis erga Concilium debito, sed intuitu Boni publici, ex cujus respectu urgere potest ipsummet etiam Papam decreti cujuspiam Synodalis à semet etiam probati directiva obligatio. Sed hoc missō, utpote *in anterioribus* satis superque discusso, progredimur ad refutanda ea, quæ ex Basileensis *acephalæ*, Concilij Oecumenici, non nisi per Vicarium Christi characterem Papæ proprium subsistentis formâ substantiali prorsus destitutæ, Synodi actis à dicto Ellieſio sunt adducta.

16. Etenim Eugenium IV. decreta Basileensis Synodi, quibus auctoritas Pontificia impugnabatur, contrarijs Decretis oppugnâsse, manifestum redditur ex ejusdem Concilij actis. Nam & Archiepiscopos Colocensem & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi decretis Concilium prohiberent, cujus egregia ad Patres oratio extat *in Appendice Concilij*. Per Jacobum Ebrodunensem insuper rescidit acta Concilij, *ex eadem Appendice*. Gravissimis quoque pœnis affecit Concilij fautores. *Ex actis Concilij Sessione 9.* Præterea, quidquid decreverant contra Pontificiam auctoritatem, declaravit, nulla esse ac irrita, ejecitque dignitatibus, qui ea tuerentur, *ex actis Concil. Sess. 16.* Denique Cardinalis Turrecremata, qui assedit Concilio, *lib. 2. de Ecclesia cap. 100.* disertis verbis testatur: *Eugenium nunquam adduci potuisse, Concilio licèt omnia movente, ut ea confirmaret.* Plura hanc in rem videri possunt apud *præcitatum* Turrecrematam, quibus ſuniceè subjungere lubet, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Severini,

Clau-

Claudius electus Episcopus Massilienſis, & Ludovicus Dominus de Soterijs Oratores Regis Christianissimi, suo & Regio nomine coram Notarijs & Testibus in litteris patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusdemque sigillo munitis, purè, liberè & simpliciter Sacrosancto Concilio Lateranensi tanquam vero & legitimo adhæserint, in quo tamen Concilio Synodus Basileensis vocatur Conciliabulum, extatque expressè definitum *Sess. 10. Papam esse supra Concilium Generale.*

§. II.

Expenduntur Elliesianæ exceptiones, quas opponit argumentis formatis à Nupero quodam scriptore ad elevanda Concilij Constantienſis decreta circa prætensam Concilij super Papa auctoritatem.

HIc agendum est pro Scheleſtrati argumentis vindicandis, quibus Concilij Constantienſis Decreta, quatenus Synodi Generalis super Papa auctoritatem sanxisse prætenduntur, *efficacissimè* confutat.

ARGVMENTVM I. Scheleſtrati.

17. HIc Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ab Elliesio inducitur *primò* contendisse, *Sessionis IV.* Constantienſe Decretum vitiatum: quippe cùm illud in suo primævo & genuino statu, hisce duntaxat constet verbis; *Quòd nempe Synodus Constantienſis in Spiritu S. legitimè congregata, ita esset repræsentans universam Ecclesiam, haberetque potestatem suam immediatè à Christo, ut ipsi quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad extirpationem schismatis.* Cui tamen formulæ ab adversarijs superadduntur tum verba *Tò ad fidem*, tum voces *Tò reformationem Ecclesiæ Generalem in Capite & in membris.* Quæ verba posteriora non haberi in tribus codicibus manuscriptis actorum Concilij, nec non in quatuor alijs manuscriptis gestorum indubitatorum Constantienſis Synodi, ac demum in duobus manuscriptis codicibus Cardinalis Sirleti. Quare illa verba, *Tò quæ spectant ad reformationem Generalem Ecclesiæ in capite, & in membris*, adventitia esse, & dicto *Sessionis IV.* Decreto Constantienſi inserta per Patrum Basileenſium compilationem. Quemadmodùm etiam propositio *Tò quæ spectant ad fidem*, in aliquot editionibus non reperiuntur. Meritò igitur dici posse, quòd acta prætactæ *IV. Sessionis*, quatenus referuntur in compilatione Basileenſium, sint vitiata.

Exceptiones Elliesianæ.

18. EXcipitur *primò*. Etiamsi *Sessionis IV.* Decreto nonnihil additum esset, nihil inde lucri reportaturum Scheleſtratum, cùm, ipsomet haud diffitente, certum sit, eadem omninò verba haberi *Sessione V.* cui nihil adjectum dici posse, quippe cùm ubique in ipsis etiam manuscriptis ab eo laudatis, verba illa repetiantur. In ejusmodi namque actis ubi narratum fuisset, *Sessionis IV.* capitulum prætactum editum fuisse istis verbis, *& ad reformationem &c.* posteà narrari Sessione V. *actum fuisse super correctione & emendatione capitulorum in præcedenti Sessione statutorum, & concluſum esse, quòd supradicta capitula hoc modo corrigerentur.* Si ergo fides habeatur ipsis actis à Scheleſtrato prolatis, in ipso Concilio Constantienſi reformatum fuisse Decretum *Sessionis IV.* & cùm priùs sinè istis verbis, *& ad reformationem &c.* prodijsset, posteà ab ipsa Synodo fuisse cum ijs verbis editum. Non ergo esse, quòd Scheleſtratus Patres Basileenſes reos peragat ejus additamenti, utpote quod ab ipso Synodo Constantienſi factum sit: *uti docent acta per ipsum probata.*

Secundò. Dato etiam, *à Sessionis V.* Decreto abesse isthæc verba: *In ijs, quæ spectant reformationem Generalem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Nihilominùs Concilij Generalis supra Papas auctoritatem satis & abundè stabiliri præcedentibus hisce verbis: *Quòd scilicet ipsa Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habeat, cui quilibet, cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur.* Nam si ipse etiam Papa nominatim teneatur obedire Concilio Generali, universam Ecclesiam repræsentanti, fore indubitatum, quòd major Concilij, quàm Papæ sit auctoritas. Quare inutile esse, quòd Scheleſtratus conetur ostendere, sequentia *de reformatione* verba esse adjecta, dum non minùs ex præcedentibus constat Concilij Generalis supra Papam auctoritas. 19.

Tertiò. Illam prætensam verborum adjectionem nullatenus esse verisimilem. Quia id asseritur contra universam Concilij Constantienſis editionum fidem, imò & contra fidem manuscriptorum omnium, juxta quæ recensitæ sunt illæ editiones, in his enim omnibus habetur decretum *Sessionis IV.* cum hac additione, *& ad reformationem &c.* Quòd verò in quibusdam non habeatur vox *ad fidem*, nihil conducere ad Scheleſtrati propositum. Idem asseri contra fidem plurimorum optimæ notæ, antiquissimorumque Manuscriptorum in Bibliothecis occurrentium, etiam eorum, quæ fortè ante Basileenſium Patrum collectionem sunt conscripta. His quod opponat Scheleſtratus, non habere, nisi quòd proferat aliquot Manuscripta, de quorum antiquitate non constet, quæque deprompta sint è loco suspecto, urbis Romæ Bibliothecis, in quarum Manuscriptis pleraque eorum, quæ Curiæ Romanæ placitis adversabantur, certò & indubitanter sint erasa, aut omissa. Sed dato, ita industriâ factum non esse, attamen facilius fuisse, verba illa in quibusdam Manuscriptis omitti, quàm suppleri in alijs. 20.

Quartò. Additamenti illius rationem à Scheleſtrato adjunctam non tantùm fictitiam, sed planè absurdam esse. Quis enim credat, Basileenſes Patres de industriâ Constantienſi *Sessioni IV.* inseruisse illa verba, aut si inseruissent, à nemine fuisse animadversum eo tempore, 21.

pore, quo Concilij Constantiensis actorum recens adhuc erat memoria? Quis putet, eos gratis eam fraudem admisisse, cujus statim ab omnibus argui, atque convinci potuissent? Cui bono ista *Sessioni IV.* adjecissent, cùm eadem prorsus reperirent *Sessione V.* cujus non minorem auctoritatem esse arbitrabantur? Ergo sinè ullo fundamento Patribus Basileensibus impingi illam additionem.

Refutatio istarum Exceptionum.

22. PRimò. Exordiendo à fine Ellieſianæ exceptionis ex gestis Concilij Constantiensis desumptæ, facilè expedietur ista circa adjectionem illam controversia. Fatetur namque is Parisiensis Theologus, ubi in ejusmodi gestis narratum fuisset *Sessione IV.* capitulum istud editum esse sinè hisce verbis, *& ad reformationem &c.* Postmodùm narrari ait *Sessione V.* actum fuisse *super correctione, & emendatione capitulorum in præcedenti sessione statutorum, & concluſum esse, quòd supradicta capitula hoc modo corrigerentur.* Nunquid igitur hinc evincitur, *Sessionis IV.* Constantiense Decretum, eatenus fuisse reformatum *in Sessione V.* ut, cùm priùs sinè istis verbis, *& ad reformationem &c.* prodijsset, postea decretum *Sessionis V.* cum ijs verbis editum fuerit? Et hoc ipsissimum est, de quo rei peraguntur Patres Basileenses, quod additamentum *in Sessionis V.* decreto factum, transtulerint etiam in Decretum *Sessionis IV.* plurimùm enim interesse, an illorum verborum adjectio *in Sessione* duntaxat *quinta*, vel etiam *in Sessionis quartæ* Decretâ facta fuerit, ex *subsequentibus* patebit.

23. *Secundò.* Hinc prorsus evanescit *tertia* Ellieſij exceptio contendentis, *verborum illorum additionem in Constantienſi* Sessionis IV. *decreto nullatenus esse verisimilem*, coarguentisque Scheleſtratum, ac si *eam assereret contra fidem omnium Concilij Constantiensis editionum, atque scriptorum universorum, ad quæ recensitæ sunt illæ editiones*, quippe cùm in istis omnibus habeatur prætactæ *Sessionis IV.* Decretum cum hac additione, *& ad reformationem &c.* Verùm ad hæc retundenda, ponimus inprimis ob oculos verba Bullæ à Patribus Basileensibus anno 1442. editæ, ad fidem suæ actorum Constantiensium compilationi conciliandam: ubi ita decernitur, ut præfatis Concilij Constantiensis Sessione IV. *& V. editis Decretis ac gestis &c. plenaria fides adhibeatur*, perinde *ac si Bullâ ejusdem Constantiensis Synodi bullata forent &c.* An non hinc perspicuum evadit, Decreta illa Constantiensia nullum habuisse ante compilationem Basileensium ex aliquo Synodi Constantiensis instrumento fidei publicæ monumentum. Ostendat igitur Ellieſius, quando, & in quantum ex post facto adjectio Decreto IV. *Sessionis* Constantiensis inserta, acceperit aliquod probatæ fidei momentum? Non appareret aliud, nisi ex transsumpto ab exemplari prætactæ compilationis authentico facto anno 1490. quando Joannes Huober ex Inderdorf SS. Theologiæ Baccalaureus illud propriâ manu descripsit, ejusque Copiam cum Originali convenire, sub fide Notariatûs publici, testatus est Mathias Strinbach auctoritate Apostolicâ Notarius. Ad cujus proinde Copiæ cum Originali collatæ fidem, anno 1500. typis prodijt Constantiensis Concilij editio. Huic conformiter facta fuit compilationis Basileensium posteriorum editionum propagatio, tum quæ anno 1511. operâ Ferrerij Vicentini, tum quæ annis 1524. & 1535. curâ Merlini Sorbonici, uti & anno 1530. Coloniæ typis prodijt Quentelianis; cui concordat etiam, quam Petrus Crabbe anno 1538. novam Conciliorum collectionem faciens edidit. Concordat etiam collectio Conciliorum anno 1588. Venetijs, & anno 1628. Romæ cum reliquis posterioribus Conciliorum collectionibus edita.

Pag. 276. n. 9. & 10.

24. In quibus universis notatu dignum est, præinsinuatam Bullæ Basileensium partem, unà cum testimonio Notarij Apostolici *superiùs* relato, semper subnecti; certo planè argumento, decreta Constantiensia, prout ab universis illis editionibus referuntur, à Basileensibus compilata fuisse. Quomodò igitur Ellieſius cum veritatis ratione exprobrare potuit Scheleſtrato, ac si adjectionem verborum *ad reformationem* in manuscriptis Synodo Basileensi anterioribus prætermissam, contra fidem omnium Concilij Constantiensis editionum impugnaret? Ipsemet profectò Ellieſius nullum adstruere potest Exemplar manuscriptum Basileensi collectione antiquius, dum non nisi dubitanter asserit, *fortè* quæpiam manuscripta in Bibliothecis occurrentia, conscripta fuisse ante Patrum Basileensium collectionem: cùm econtra Scheleſtratus antiquiora, ab ipsis etiam Constantiensis Concilij Notarijs conscripta, vel sub illis temporibus exarata producat ad probandum, in primævis prætactis *Sess. IV.* Constantiensis Decreti editionibus non fuisse inserta illa verba, *ad fidem & ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris.* Unde jam facilè elucet, an Ellieſio, vel potiùs Scheleſtrato in re præsenti fides sit adhibenda?

25. Ad quod firmandum *tertiò* reproducere placet, quæ Scheleſtratus in hanc rem posuit ob oculos. Hæc enim Ellieſius ne tetigit quidem, nedum refutavit. Tres nempe Codices Manuscripti, continentes acta Constantiensis Concilij à Notarijs ipsius conscripta, ex quibus Basileenses Decreta compilârunt, non habent illa verba in *primo* Decreto Sess. IV. *Et ad reformationem &c.* Codices quatuor manuscripti, continentes gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti sunt, pariter in Decreto *Sessionis IV.* non faciunt mentionem illorum verborum *de reformatione &c.* Imò in uno ex istis codicibus habetur, clausulam illam *de reformatione* abesse debere à Decreto 1. *Sess. IV.* ideoque illud Decretum renovatum fuisse *in Sess. V.* Duo insuper codices Regestum actorum Concilij Constantiensis continentes, partim circa tempus ipsius Concilij, partim antiquo charactere Italico conscripti, nullam in Decreto *Sessionis IV.* faciunt mentionem clausulæ *de reformatione in*

ne in Capite & in membris. Num ergo Elliesio fas erat, dicere, Scheleſtratum aliquot tantùm Manuſcripta proferre, de quorum antiquitate non conſtet? Num eidem licuit, Curiæ Romanæ Miniſtros arguere, ac ſi prætacta verba ex Manuſcriptis antiquioribus erasiſſent?

26. Sed videamus pro *quarto*. Quo fundamento idem Elliesius aſſerat, *nihil ad propoſitum Scheleſtrati conducere, quòd in quibusdam Manuſcriptis primum quartæ Seſſionis Concilij Conſtantienſis Decretum referentibus, non habeatur vox ad fidem*? Ad hujus rei momentum oſtendendum, ſciſcitor ex Elliesio, an Decretum illud *IV. Seſſionis*, velit eſſe indubitatæ veritatis ad inſtar dogmatis à Concilio Oecumenico definiti? Hoc aſſerere, pugnat profectò cum verbo Chriſti *Matth. 18.* infallibilitatem Decreti *Conciliaris*, ex conſenſu duorum, vicarij ſcilicet Chriſti Nominis, & Patrum ſub hoc Nomine, Papæ proprio, aggregatorum ſubſtituram decernentis. Conſtat autem, decreto *primo Seſſ. IV.* Conſtantienſis defuiſſe characterem Apoſtolicæ auctoritatis, Chriſtum in terrâ viſibiliter repræſentantis. Ad quod proinde utique reſpexit Synodus pro tunc *acephala*, ut nollet ſe extendere ultra negotium extirpandi ſchiſmatis, vel ſaltem in Decretis fidei Huſſitarum hæreſeon condemnatorijs, intenta fuerit ad aſſenſum auctorizativum Papæ poſtmodùm eligendi, cùm Papæ pro tunc inter ſe contendentes, haud præferrent certum auctoritatis Apoſtolicæ characterem Chriſti vicarium. Et ideo ſub illis verbis, quòd *Synodo* (licèt *acephalæ*) *in Spiritu tamen ſancto legitimè congregatæ, quilibet, etiamſi Papalis dignitatis exiſtat, obedire teneatur in his, quæ pertinebant ad extirpationem ſchiſmatis*, comprehendi haud poterat verus ac certus poſtmodùm eligendus Papa, ſed ſchiſmatici duntaxat pro tunc de Papatu contendentes Papæ. Quâ proinde ratione Concilij Conſtantienſis Patres prudenter diſcernebant negotia tum *extirpationis ſchiſmatis* adversùs dubios Papas, tum *fidei*, adversùs Huſſitas gerenda & definienda, ac per Pontificem certum poſtea authorizativè comprobanda, quatenus fidei punctum attingebant.

27. *Quintò*. Num porrò ſolida dici poteſt Elliesij exceptio *ſecunda*, quâ contendit, auctoritatem Concilij Generalis ſupra Papas ſtabiliri hiſce decreti Conſtantienſis verbis: *Quòd* nempe *ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto* immediatè *habeat, cui quilibet, cujuſcunq; ſtatûs, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire teneatur?* Si iſthæc verba combinentur cum ſubſequentibus dicti *Seſſionis IV.* Decreti verbis, planum redditur, eam obedientiam, quatenus Papam concernit, reſtringi ad extirpationem Schiſmatis. Sub illo autem ſchiſmate nullus extabat Papa indubitatus. Quare exceptio Elleſiana *indebitè* extenditur ultra Papas dubios, illo ſchiſmatis tempore exiſtentes. Quos proinde, non verò certum deinceps eligendum Papam, dicere, oportet, ita teneri ad obediendum Concilio Generali, etiam *acephalo*, univerſam Eccleſiam (quoad Hierarchicum ex Epiſcopalibus characteribus & juriſdictionibus pro publico Eccleſiæ Bono in unum collatis conſiſtens Corpus) repræſentanti, ut conſequenter major ſit hujus auctoritas, quàm Paparum dubiorum, non autem Papæ certi & indubitati.

Nec pro *ſexto* tenet *prima* & *quarta* Elliesij exceptio ex eo petita, quòd verba Decreto *Seſſioni IV.* adjecta, contineantur in Decreto *Seſſionis V.* Concilij Conſtantienſis, quódque non minor ſit auctoritas hujus *V. Seſſionis*, quàm prætactæ *Seſſionis IV.* Hujus namque oppoſitum mox demonſtrabitur ſequenti Scheleſtrati argumento. 28.

ARGUMENTUM II. Scheleſtrati.

INducitur hìc Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, Decreti *Seſſ. IV.* Concilij Conſtantienſis auctoritatem ex ſubſequenti *Seſſionis V.* decreto ſupervenientem elevare & elidere hoc argumento: quòd decreta *Seſſionis V.* non fuerint facta ex omnium Patrum conſenſu. Ad quod probandum, proferri ab ipſo acta quædam Concilij Baſileenſis hucúſque inedita, quibus oſtendere conetur *Seſſiones IV. & V.* celebratas fuiſſe, reclamantibus multis è Patribus, imò & Libellum conteſtatorium adversùs eas à Cardinalibus eſſe emiſſum, aſſentientibus Regis Galliæ Legatis, qui ſeſe Cardinalibus adjunxerunt. 29.

Exceptiones Elliesianæ.

EXcipitur *primò*. Acta illa, quæ profert Scheleſtratus, non eſſe authentica, nihilque ſimile haberi in veris & genuinis: imò ex ijs conſtare, unanimi Cardinalium, Epiſcoporum, & Oratorum conſenſu, decreta hæc primùm *Nationaliter* propoſita, *Synodaliter* eſſe concluſa. Etiamſi verò fides aliqua adhiberetur actis à Scheleſtrato prolatis (quæ aliud non eſſe, quàm commentariolos alicujus addicti partibus Pontificis) hæc tamen acta nihil facere ad cauſam Scheleſtrati; quippe cùm ex ijs minimè probetur, litem & controverſiam fuiſſe de duobus decretis, de quibus hìc agitur: imò inter eos, qui Seſſionis celebrationi ſeſe opponebant, numerari Legatos Regis Franciæ, quos decretis iſtis ſeſe oppoſuiſſe, planè abſurdum eſſe: ſed ex ijs oſtendi tantùm, poſt diſceſſum Papæ quoſdam è Patribus Conſtantienſibus dubitaſſe, num expediret, eo abſente, & reditum promittente, inchoare Seſſionem, ſic enim incipere actorum iſtorum fragmenta à Scheleſtrato prolata: *Omnia tanquam ludicra, & fictè pro parte Domini noſtri Papæ oblata, per Dominum Regem Romanorum, & alios ibidem adſtantes reputata fuerunt, fuitq; unanimiter vociferatum, his non obſtantibus*: Fiat Seſſio, fiat Seſſio, *propter quæ tam ipſâ die, quàm die Veneris ſequenti altercationes maximæ fuerunt inter Dominos Cardinales & Nationes.* Ex quibus patêre, atque ex actis authenticis confirmari, Joannem diſceſsûs ſui 30.

varias attuliſſe excuſationes, quarum unam fuiſſe, quòd ſanitatis ergo Conſtantiâ diſceſſiſſet, mox rediturus. Quæ excuſationes, licèt ſtatim ludicræ, ac fictæ omnibus eſſe viderentur, nihilominùs fuiſſe nonnullos, qui exſpectandum adhuc eſſe, arbitrarentur.

31. *Secundò.* In ijſdem actis narrari, Nationes de celebrandâ Seſſione deliberâſſe, atque interim Cardinales obtuliſſe Regi, paratum eſſe Papam, Procuratores mittere ad cedendum Papatu, paratoſque ſe eſſe, Seſſioni, ſi fieret, adeſſe, dum non fierent alia capitula, quàm infrà ſcripta, hoc eſt ea, quæ habentur *Seſſione IV.* inter quæ eſſe decretum de authoritate Concilij Generalis. Hæc capitula Regem Nationibus propoſuiſſe, quas, cùm de ijs deliberâſſent, habitâ die ſabbati Seſſione, poſt habitam diſceptationem inter Cardinales & Nationes de capitulis jam prælibatis, *tandem Divino flamine inſpirante* (verba ſunt actorum) *in unam ſententiam conveniſſe, quòd tantùm capitula infrà ſcripta in dicta Seſſione ſtatuerentur. Fuiſſe ergo dictam ſeſſionem de conſenſu & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Conſtantia exiſtentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum, omnéſq; Cardinales in Conſtantia exiſtentes, qui non erant infirmitate gravati, interfuiſſe.*

32. *Tertiò.* Tantum abeſſe, ut hæc narratio ſuæ cauſæ obſit, & Scheleſtrato faveat, quin econtra non pauca contineat, quæ mirum in modum juvent ſuam cauſam. Ex ea enim conſtare, ab ipſis Cardinalibus propoſita fuiſſe capitula, quæ in Seſſione ſunt definita: inſuper eadem eſſe ventilata apud ſingulas Nationes, eſſeque cum Cardinalibus circa ea deliberatum, ac demum omnes uno flamine inſpirante, in unam conveniſſe ſententiam, atque unanimi conſenſu promulgata eſſe decreta *quartæ Seſſionis.* Inter hæc autem eſſe primum de authoritate Concilij Generalis; in quo decreto, etiamſi non habeantur hæc verba, *& ad reformationem Eccleſiæ &c.* ſufficere ea, quæ præcedunt, ad probandum, *authoritatem Concilij Pontificiâ ſuperiorem eſſe.* Unde patère, rem definitam fuiſſe poſt maturam deliberationem, & primùm *Nationaliter*, ac deinde *Synodaliter* eſſe concluſam. Poſt hæc, cùm adhuc de capitulis Seſſionis eſſet altercatum, non quidem quoad ipſam ſubſtantiam, ſed quoad quaſdam circumſtantias, tandem unanimi conſenſu ſtatutum eſſe, ut corrigerentur eo modo, quo habentur *Seſſione quintâ.*

Refutatio iſtarum Exceptionum.

VEritatis mox elucidandæ face haud difficulter diſpellentur tenebræ, quas hîc parit confuſio actorum, quæ concernunt *quartam* & *quintam* Concilij Conſtantienſis Seſſiones, earumque præambulas altercationes. Quod confuſum chaos deſtruemus proinde per authentica à Scheleſtrato prolata acta, exordiendo ab altercationibus *Seſſionem IV.* antecedentibus.

33. *Primò* igitur poſt *tertiam* Concilij Conſtantienſis Seſſionem Cardinales ad Joannem XXIII. poſt ejus fugam miſſi, cùm reverſi die 26. Martij coram Rege Romanorum, & quibuſdam Patribus agere cœpiſſent de poteſtate Joannis XXIII. auctoritatem diſſolvendi Concilij ſibimet aſſerentis, gravem inde quorundam Patrum offenſam contra ſe ſuſcitabant. Quam offenſam alterâ die tam ipſi, quàm Ambaſſiatores Regis Francorum lenire conabantur, referendo Nationibus & Regi in Congregatione publica; à ſe inductum eſſe Joannem ad dandum ceſſionis procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodò ipſi præſtaretur ſecuritas. At hæc parum fuerunt accepta Nationibus & Regi, omnia enim tanquam ludicra & fictè pro parte Joannis oblata credebantur. Unde multæ altercationes tam eâ ipſâ die 27. ſcilicet, quàm ſequenti 28. fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: *His non obſtantibus, fiat ſeſſio, fiat ſeſſio*; veluti habent *geſta Concilij in quatuor manuſcriptis codicibus, & Regeſtum ejuſdem Synodi in tribus Manuſcriptis.* Juxta quam proinde relationem hiſtoricam eatenus conformanda eſt, & ſuſtinenda *prima* Elliesij exceptio, ut tamen in *ſecunda* ejuſdem exceptione, meritò veniat notandum, perperam indicari, ac ſi Cardinales tunc ſe obtuliſſent paratos intereſſe Seſſioni, *Si non alia fierent capitula, quàm ea, quæ poſtmodùm Seſſione IV. fuerant ſancita de auctoritate Concilij Generalis.* De hoc enim puncto mox diſſeremus.

Secundò itaque. Cùm ſequenti 28. die 34.
Martij ſacrâ Paraſceves die, Joannes XXIII. à Schaffuſâ de novo aufugiſſet, turbatis contra ipſum cunctorum animis, plures ex Nationibus Germanicâ, Gallicâ & Anglicanâ deliberârunt in craſtinum celebrare Seſſionem *quartam*, & in eâ ſtatuere inter alia complura; tum quòd *Concilium Conſtantienſe poteſtatem habeat* immediatè *à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quæ ſpectant ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris*: tum quòd Papa *cogi poſſit, ſi obedire contumaciter contempſerit.* Quæ omnia contradicentibus pluribus apud Nationes concluſa fuêre. At quia non Italicæ tantùm Nationi hæc diſplicebant, ſed ſacro quoque Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuerant, nolebant dicti Cardinales, unà cum Ambaſſiatoribus Regis Galliæ, venire ad Seſſionem, niſi inter alia Capitula *ſecundum* omitteretur, & in *primo* decreto non fieret mentio reformationis Eccleſiæ in Capite & in membris. *Ex præcitatis manuſcriptis geſtis, & Regeſto Conſtantienſis Concilij, Eugenio IV. in ſua Apologia contrà Baſileenſes, & Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 99.* Ex quibus patet, quàm iniquè aſſerat Elliesius, decretum de auctoritate Concilij Generalis ſuper Papam, unà cum alijs capitulis eo modo fuiſſe rata habita in IV. Seſſione, quomodò fuerant propoſita & concluſa à Nationibus. Hujus enim oppoſitum mox eluceſcet.

Tertiò proinde. Cùm ſubſequente ſabba- 35.
to ſancto in Vigilia Paſchæ, Patres jam paratî

rati essent cum Mitris & Pluvialibus ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum, circa expedienda in illâ Sessione, tale adhibitum fuit moderamen, ut inter cætera decreta omitteretur *secundum* de potestate *coactivâ* Concilij, & in *primo* Decreto nulla fieret mentio *de reformatione Ecclesiæ*. Quod re ipsâ etiam observatum fuisse, testantur omnes Codices manuscripti Romæ reperti, & in præcedentis Elliesianæ exceptionis refutatione relati, præter alios omnes in Bibliotheca Cæsarea Viennæ, vel alibi insuper in Germaniæ & Galliæ Bibliothecis asservatos. Unde rursus evanescit fucus Elliesij, quem offundit in suâ *secundâ* exceptione, quasi omnes uno flamine inspirante, cum Cardinalibus convenissent, & approbâssent decreta *Sessionis IV*. Hoc enim verum est sub præinsinuata emendatione, & omissione tum *secundi* decreti, tum clausulæ *ad reformationem Ecclesiæ*. Quod ipsemet Elliesius, sibi de hujus clausulæ omissione reverâ contrarius, fateri compellitur in prætacta exceptione sua.

36. Hinc *quartò*. Necquidquam juvat isthunc Parisiensem Theologum, dum *ibidem* ait, *ad probandam Concilij authoritatem Pontificiâ superiorem, sufficere ea, quæ præcedunt*. Etenim stantibus illis omissionibus, manifestum redditur, omisso præsertim *secundo*, *primum* Sessionis illius decretum coarctari ad Papæ obedientiam debitam duntaxat in ordine ad extirpationem schismatis. At hoc posito, clarum extat, statutum ejusmodi complecti Papam pro tempore Schismatis, adeoque dubium & incertum. Unde verba quoque præcedentia, *quibus Synodus Constantiensis dicitur in Spiritu S. legitimè congregata, Generale Concilium facere, Ecclesiamq; Catholicam militantem repræsentare*, nequeunt intelligi, nisi de Concilio *acephalo*, celebrato scilicet pro tempore, quo Oecumenici Concilij *formali* charactere Papæ proprio insigniti haudquaquam poterat, sicque adeò *materialiter* duntaxat Generale fuerat, nec nisi *acephalum* Ecclesiæ Catholicæ Corpus Hierarchicum repræsentaverat. Et hinc prorsus evincitur, illud IV. Sessionis decretum protendi haudquaquam posse ultra tempus Schismatis, sub quo Synodo etiam *acephalæ* competere à Christo *immediatam* potestatem ex vi & naturâ intrinsecâ characterum Episcopalium ibidem coadunatorum, Ecclesiæ providendi de certo Capite, sublatâ incertitudine Paparum de Apostolicâ Sede contendentium, constat *ex antecedentibus*.

37. Ad dictarum clausularum omissionem magis firmandam, pro *quinto* conducit sequens adhuc relatio. Nempe cùm Cardinalis Florentinus, ad quem tanquam ad ultimum Cardinalem spectabat, pronuntiare decreta in Sessionibus publicis, venisset ad verba *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, quæ Nationes in schedula delere omiserant, *substitit, eas falsa esse & præter communem deliberationem addita* asseruit. Unde non solùm tunc omissa fuit clausula *de reformatione*, sed eâdem *Sessione IV*. Cardinales monuerunt Nationes, ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ haberent magnas difficultates, & maturam exigerent deliberationem; veluti tradunt Abbas Panormitanus *in sent. finali. & Regestum Constant. Concilij, in tribus manuscriptis codicibus*. In tali ergo statu promulgatum est prætactum *Sessionis IV*. decretum, ita ut obedientia Papæ in eo arctaretur *ad præcisam extirpationem schismatis*, nec adeò concernere posset, nisi Papas dubios, tempore schismatis illius magni existentes. Quomodò ergo Elliesius *in fine tertiæ exceptionis præsentis* prætendere potest, dum illud Decretum *postea correctum fuit ad modum, quo habetur in Sessione V. cum insertione scilicet clausulæ priùs omissæ de reformatione*, nullam esse factam ejus emendationem *quoad substantiam*; tametsi in vi hujus clausulæ conetur idem Doctor Parisiensis decretum ejusmodi extendere ad verum & indubitatum Papam, quod tamen, non nisi dubios Papas schismate divisos, ac de Papatu contendentes, complecti valet sub illa coarctatione, schismatis extirpationem unicè respiciente.

ARGUMENTUM III. Scheleſtrati.

38. INducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ex hoc vim facere, quòd Cardinales & Legati Regis Franciæ protestationem secretò fecerint (antequam venirent ad *Sessionem V*. in qua decretum *IV. Sessionis* fuit dicto modo emendatum) se tantùm propter scandalum evitandum ad Sessionem ire, non animo consentiendi his, quæ audiverant, in Sessione statui debere: tum quòd immutatio decreti in *Sessione IV*. editi, & ad schismatis extirpationem coarctati, non fuit sufficienter, sed aliqualiter duntaxat deliberata: tum quòd decretum sic immutatum Cardinalis Florentinus noluerit in Sessione *quintâ* pronuntiare, sed ejus promulgatio facta sit per electum Poznaniensem.

Exceptiones Elliesianæ.

39. EXcipitur *primò*. Protestationem præinsinuatam non posse dici factam fuisse adversùs decretum de authoritate Concilij generalis, cùm Legati Franciæ huic sese adjunxerint, quos huic decreto sese opposuisse, omni carere verisimilitudine. Istam ergo protestationem factam fuisse adversùs alia quædam, quæ in Sessione V. definienda esse, ferebantur: cùm enim Sessio habita fuisset, & decreta emissa, nullam ampliùs protestationem esse factam adversùs ea, imò hæc omnium consensu promulgata fuisse, & ab omnibus, nullo reclamante, probata.

40. *Secundò*. Quæstionem illam de authoritate Concilij novam non fuisse, ut indigeret multâ deliberatione, sed jam agitatam, atque definitam fuisse in Concilio Pisano, imò & in hac ipsâ Synodo Constantiensi jam esse motam, uti testis est Petrus de Alliaco. Constare insuper, quòd capitula proposita, & decreta *in Sess. IV. & V*. fuerint inter Nationes primùm ventilata, ac de ijs cum Cardinalibus diu disceptatum. Quod verò in actis habe-

tur, *aliqualiter esse disputatum*, non ita intelligendum esse, quasi leviter res agitata fuerit, sed sensum esse, quòd non propriè sit disputatum, aut altercatum, sed tantùm aliquatenus, sive, quòd res ventilata sit sine disputationis æstu. Nec in actis Concilij haberi, quòd Cardinalis Florentinus noluerit decreta dicto modo mutata recitare in Sessione, sed tantùm dici, ea fuisse recitata à Cardinali Poznaniensi, quam promulgationem omninò suffecisse.

41. *Tertiò*. Quæ Cardinalium Florentini, Cameracensis & aliorum mens fuerit, & quâ ex causâ Sessiones prorogari voluerint, patère etiam ex actis Concilij Constantiensis *tom. 12. Conciliorum columnâ 25.* tum etiam ex protestatione ab ipsis emissâ post tertiam Sessionem *ibidem columna 1464*. Ex quibus monumentis liquère, eos fuisse protestatos, si Joannes XXIII. vellet in proposito sese abdicandi permanere, se ab ipsius partibus futuros. Si verò secùs faceret, se Concilio adhæsuros: atque idcircò petijsse, ut donec de ejus proposito liquèret, Sessiones differrentur. Quas tamen Concilium propterea intermitti debere non existimâsse, & Cardinales pro Bono pacis eis adfuisse: cumque cognovissent, Joannem XXIII. de industriâ moras nectere, & Papatu cedere bonâ fide nolle, cum cæteris Episcopis adversùs eum consensisse. Itaque nullam fuisse in Synodo altercationem de authoritate Concilij Generalis supra Papam, quam agnovisse omnes; sed tantùm fuisse altercatum de celebratione Sessionum, quas Cardinales nonnulli arbitrabantur, prorogandas esse, donec constaret de Pontificis sententiâ.

42. *Quartò*. Decretum de authoritate Concilij Generalis supra Papam, etiam *ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, unanimi Patrum Concilij consensu factum fuisse; *veluti apud omnes extet indubitatum*. Sic Gersonem Patres Concilij alloquentem in sermone coram ipsis habito in festo S. Antonij, laudare Concilij Constantiensis Decretum, in quo hæc verba reperiuntur, *& ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, itemque in sermone 21. Julij habito impensè laudare idem Decretum ceu saluberrimum, & dignum, quod ubique inscribatur. Quomodò ergo Gerson coram ipsis Concilij Patribus ausus fuisset proloqui de Decreto adhuc controverso?

Refutatio istarum exceptionum.

43. IPsemet Elliesius in *fine præcedentis tertij argumenti* noscitur esse fassus, de Capitulis *Sessionis IV.* fuisse posteà altercatum, eorumque correctionem esse factam eo modo, quo habentur *in Sessione V.* Hinc ergo oritur quæstio, *primò; An hæc altercatio, & hinc secuta definitio facta fuerit ea cum deliberatione, quæ tanti momenti negotium deceret?*

Secundò; *an contra talem immutationem fuerit interposita protestatio Cardinalium, & Legatorum Regis Franciæ, tum antecedenter ad Sessionem, tum in ipsa Sessione, dum Cardinalis Florentinus noluit Decreta sic mutata pronuntiare?*

Tertiò; *An his non obstantibus, dicere liceat, Decretum taliter mutatum, unanimi Patrum Concilij, consensu receptum, atque authoritatem Concilij super Papâ ab omnibus agnitam fuisse?*

Circa *primum* lubeat *primò* audire Concilij 44.
Constantiensis Regestum in *tribus manuscriptis codicibus*, ex quo Scheleſtratus profert sequentia. Post *quartam* Sessionem, inquiens, Patres Constantienses non instituunt de articulis & Decretis controversis examen publicum, neque statuunt, coram ipso Concilio habendum: sed quasi de re parvi momenti ageretur, nominârunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino desuper agerent: ubi tamen inter eos *aliqualiter* disputatum est, deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa statuerunt, *quòd proximâ Sessione omnes articuli & clausulæ concordatæ per Nationes, in ultimâ Sessione prætermissæ expediantur*. An non hinc evidenter patet insufficientia deliberationis, quam postulâsset tanti momenti negotium?

Secundò. Elliesius equidem *in sua secunda* 45.
exceptione nititur, hanc oppositionem elidere, asseverando, quæstionem istam *de authoritate Concilij* novam non fuisse, sed jam agitatam, atque definitam in Concilio Pisano, imò jam priùs motam in ipsâ etiam Synodo Constantiensi. Verùm ex *antecedenter* dictis constat, Concilium Pisanum ex Parisiensis, aliorumque Universitatum sententia, sibi non arrogâsse, nec definijsse auctoritatem super certo Papa, sed super duobus de Papatu contendentibus. Imò nequidem super istis deponendis judicium sibi attribuisse, nisi quatenus probati fuerant schismatici, & *præsumptivè* hæretici, quatenus scilicet articulum fidei de unitate Ecclesiæ non quidem *dogmatizando*, sed *operando* destruxerant. Neque hoc etiam judicium tantæ erat auctoritatis, ut totus Catholicus orbis aquiesceret, pluribus adhuc Provincijs Gregorium & Benedictum à Synodo illâ dejectos sequi pergentibus, virisque doctissimis, inter quos est D. Antoninus, ejus Synodi sententiam impugnantibus. Dum verò in Synodo Constantiensi ante *Sessionem IV.* mota fuit illa quæstio, Cardinalium, & Regis Franciæ Oratorum studio, Romanorumque Regis auctoritate evictum fuit, ut arctaretur *ad extirpationem schismatis*, adeóque ad Papas dubios & incertos, uti patet *ex anterioribus*.

Hinc proinde pro *tertio* audiamus denuò 46.
Regestum Concilij Constantiensis *in tribus manuscriptis codicibus*, ex quo Scheleſtratus pergit sequentia proferre. Cùm nempe Cardinales nullatenus Nationibus consentirent quoad articulos & clausulas *Sessione IV.* prætermissas, easque, se invitis, *Sessione V.* publicandas esse, percepissent, statuerunt primùm, non venire ad Sessionem, sicut & quatuor alij Cardinales ad eam venire noluerunt. Ubi autem animadversum est, omnes sinè publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilij, abesse non posse, statuerunt ad Sessionem venire, præmissâ tamen protestatione secretâ in Camerâ paramentorum Palatij Constantiensis, *quòd propter scandalum evi-*

tandum

tandum, ad Sessiones ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant, in ea statui debere. Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ, qui sese quam strictissimè cum Cardinalibus conjunxerant. Unde manifesta jam redditur protestatio illa, de qua procedit nostrum *secundum* quæsitum. Patet insuper, quàm incompetenter Ellieſius *in prima sua præsenti exceptione* asseverârit, omnium consensu promulgata, & ab omnibus, nullo reclamante, probata fuisse *Sessionis V.* Decreta, cum clausulis præallegatis reformata: siquidem contra totius sacri Cardinalium Collegij, & ipsorum Galliæ Legatorum sententiam noscantur publicata fuisse Decreta, quæ Adversarij contendunt intelligenda *de superioritate Concilij*, & habenda instar fidei dogmatum.

47. *Quartò.* Protestationem ejusmodi eludere nititur Ellieſius in *sua prima & tertia exceptione* prætendendo, omni carere verisimilitudine, tum quòd *Legati Franciæ sese opposuerint Decreto de auctoritate Concilij Generalis supra Papam*: tum quòd *Cardinales, præcipuè Florentinus & Cameracensis, protestati sint, de Ioannis XXIII. partibus deserendis, si nollet permanere in proposito sese abdicandi Papatu, instando proinde, & protestando, ut Sessiones differrentur, donec de ejus proposito liquêret.* Verùm ad has exceptiones fortiùs elidendas, sciscitor ex Ellieſio: utrùm Concilij supra Papam superioritas eo jam tempore in tantum fuerit propugnata vel à Clero Gallicano, vel ab ipso Rege Franciæ, ut hujus Legati non auderent protestari adversùs Decreta, quæ viderentur talem Concilij auctoritatem statuere? Numquid enim posterioribus etiam temporibus, Raynaldo ad annum Christi 1541. teste, Meldensis Episcopus in Concilio Florentino, Regis Christianissimi & Gallorum nomine, supremam potestatem in uno supposito Papâ fuit professus, detestando illos, qui eam collocantes in Concilio, scinderent unitatem Catholicam? Nunquid nomine Christianissimi Regis sacrosancto Concilio Lateranensi publicum & authenticum porrectum est instrumentum, de eo comprobando, in quo tamen expressè extat definitum, Papam esse supra Concilium Generale? Vana igitur est illa Ellieſiana exceptio ac præsumptio, ac si Legati Franciæ non ausi fuissent, se adjungere protestationi editæ adversùs Decretum Constantiensis Concilij *Sessionis V.* Mirum insuper est, quòd Ellieſius ea, quæ circa *Sessionem V.* dicti Concilij sunt gesta, conetur eludere per acta *Sess. III.* quæ ita se habent.

48. Exacerbatis nempe ob Ioannis XXIII. fugam Patrum Constantiensium animis, cuncta, quæ pro illo offerebantur, figmentorum instar habita sunt. Hinc feriâ tertiâ post Palmas, quæ fuit 26. Martij, celebrata est Sessio III. cui non interfuêre, nisi duo Cardinales, Cameracensis nimirum & Florentinus, reliquis omnibus aut Schaffusæ constitutis; aut indecorum reputantibus, eidem assistere, uti fidem faciunt *acta Victorina Parisijs asservata.* Statutum fuit in illâ Sessione, Concilium Constantiense per recessum Joannis XXIII. dissolutum non fuisse, sed nec dissolvi debere ante extirpationem schismatis, nec ad alium locum sinè consensu Concilij tranferri posse, nemini demum sinè justa causa ante finem Concilij discedere licere. Quæ omnia Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, & Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus non aliâ ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione, quòd Ioannes XXIII. ea ratificaret. *Ex Regesto Constantiensis Concilij, & manuscripto codice Capranicensi.* Num igitur Ellieſio fas fuit, ex iſtis actis *tertium* Concilij Constantiensis Sessionem concernentibus, eludere protestationem à Cardinalibus, non his duntaxat, sed toto sacro Collegio factam adversùs molimina, quibus Nationes intendebant, *Sessionis V.* Decretum reformare ex adjectione clausularum, adversùs quas priùs *in Sess. IV.* egerant ijdem Cardinales, Franciæque Legati.

Ad hæc magis firmanda, *quintò* pergamus ad recensendâ ulteriora Constantiensis Concilij gesta *ex quatuor manuscriptis codicibus, unà cum actis Protonotariorum in tribus Manuscriptis.* Præmissâ illâ scilicet protestatione, Cardinales venerunt ad V. Sessionem, & inter eos Cardinalis Florentinus, Canonistarum sui temporis facilè princeps, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, qui rogatus, ut Decreta legeret, munus illud exequi recusavit. Electus itaque Poznanienſis *legit Decreta per modum Constitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit.* Postquàm autem Decreta per modum constitutionum recitâsset, idem electus Poznanienſis legit alia *in materia fidei* contra Hæreſes V Vicleffi, Hus, & Hieronymi de Praga. Quibus ita se habentibus, rursus percontor ex Ellieſio, quo jure dicere potuerit *in quarta sua exceptione, Decretum de authoritate Concilij Generalis supra Papam etiam ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris unanimi Patrum Concilij consensu factam fuisse, atque hoc semper apud omnes indubitatum fuisse?* 49.

Hinc ergo pro *sexto* progredimur ad elucidandum *tertium* quæsitum nostrum, an scilicet Ellieſius cum veritate dicat, *Decretum de auctoritate Concilij Generalis supra Papam, unanimi Patrum Concilij consensu factum esse etiam cum clausula ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris?* Ex dictis *superiùs* jam extat probatum, Collegium Cardinalium haud consensisse in illud Decretum, sed unà cum Franciæ Legatis restitisse, protestando etiam in contrarium. Refert insuper Rodericus Calaguritanus Episcopus *in Dialogo de auctoritate & potestate Pontificis*, se audivisse à magnæ auctoritatis viris, qui Concilio Constantiensi interfuêre, quòd contra Decreta *Sessionis V.* reclamaverint complures Prælati & Doctores. Id ipsum affirmat Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 99.* quòd plures scilicet Patres doctissimi Decretis illis non præstiterint consensum suum. Et quidem ad perpetuum Cardinalium dissensum probandum, confert vel maximè, quod refertur in manuscripto codice Bibliothecæ Regis 50.

Christianissimi : nempe post recessum Ioannis XXIII. petiisse à Nationibus Cardinales Romanæ Ecclesiæ, ut ipsorum Collegium unum votum cum ipsis haberet in Sessionibus publicis : in quo tamen repulsam passos esse, testatur Spondanus, probaturque ex gestis Concilij ita se habentibus: *In omnibus penè Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa fuisse, quæ decernebantur in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare : unde plures Cardinales conquestos esse de contemptu: & finaliter petiisse, cùm essent in Concilio quatuor Nationes, una Angliæ, in qua non erant viginti Capita, de quibus tres solummodò extiterant Prælati, econtra verò Cardinales essent sexdecim, & alij interfuturi, de quibus plures magni & insignes fueram Doctores, ut propterea Cardinales ob dignitatem Collegij haberent vocem & auctoritatem tantam, quanta permitteretur Nationi Anglicanæ. Quod tamen fuisse recusatum, & dictum: quòd venirent ad suas Nationes, sicque adeò Collegio Cardinalium nullam in Concilio permissam esse auctoritatem.* Quomodò igitur fas est, dicere, illud *V. Sessionis* Decretum, in qua Cardinalitia dignitas adeò negligebatur, & quodammodò contemnebatur, cum Cardinalium consensu fuisse sancitum & promulgatum ?

51. Quibus ita se habentibus, pro *septimo* ponimus ob oculos, quæ Schelestratus ex *actis manuscriptis Constantiensis Concilij in Bibliotheca Regis Christianissimi asservatis*, item & *gestis ejusdem Concilij Romæ repertis in quatuor manuscriptis codicibus*, in hæc profert verba : Lectis Decretis tanquam priùs (ante *Sessionem IV.* scilicet) apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere quidem potuerunt Præsides, quòd illorum publicatio placeret majori parti Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. frustra petijssent pro sacro Collegio suffragium à Nationum suffragijs distinctum, separârunt se à Nationibus, earumque Congregationibus interesse noluerunt. Unde factum est, quòd Nationes sinè Cardinalibus deliberârint, & concluserint; sicque à *tertiâ Sessione*, usque ad septimam inclusivè, *penè in omnibus Decretis Concilij factum est, quòd Cardinalibus tam arcto & brevi tempore ostensa sint decreta jam concluſa in Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint.* Siccine igitur Ellieſi, fas tibi fuit, dicere, quòd apud omnes semper fuit indubitatum, Decretum *de authoritate Concilij Generalis supra Papam*, unanimi Patrum Concilij consensu factum esse ?

52. Sed pro *octavo* videamus, quomodò Elliesius hoc suum assertum probet argumento hinc petito, *quòd scilicet Gerson in duplici sermone alloquens Patres Concilij Sessionis V. Decretum impensè laudaverit, neque verò ausus fuisset ita proloqui de Decreto controverso, aut supposititio* ? Verùm quomodò recepti sint sermones Gersonis habiti in derogationem jurisdictionis Apostolicæ, fidem facit Regestum Actorum Constantiensium in tribus manuscriptis codicibus. In primis occasione talis sermonis à Ioanne Gersonio die 23. Martij coram Patribus habiti, graviter conquestus est Ioannes XXIII. coram Cardinalibus, alijsque magnis viris ad ipsum Constantiâ Schaffusam ablegatis, quòd nempe Gersonius contra Sedis Apostolicæ authoritatem quædam effutire ausus fuerit, incitando Patres ad falsa & erronea contra Romanum Pontificem concludenda, Atque hæc querela apud Oratores Christianissimi Regis interposita effecit, quòd eâ de re cum Cardinalibus egerint, ac sese cum ijs conjunxerint, Decretisque contra Apostolicæ Sedis authoritatem edendis obstiterint, & unà cum Cardinalibus in contrarium protestati fuerint; prout *ex Regesto, & manuscriptis Constantiensis Concilij, Romæ asservatis*, item *ex actis in Bibliotheca Parisiensi sancti Victoris custoditis*, item Turrecremate *lib. 2. de Ecclesia.* videre licet. Quos postmodùm sermones idem Gersonius coram Patribus Constantiensis Concilij habuit, interpretando *Sessionis V.* Decreta de superioritate Concilij, *inferiùs* dicetur, non eoúsque prævaluisse, quin plures ejus temporis Doctores Decreta illa restrinxerint ad tempus schismatis, tacito, & prætermisso impræsentiarum Martino V. Decreta Sessionis V. in illo saltem sensu minimè recipiente, & propterea appellationem à Pontifice ad *Concilium* Universale reprobante.

Iam ante Concilium Constantiense plures Doctores Benedicti XIII. partes secuti sustinuerunt, Romanum Pontificem in nullo, etiam schismatis casu, subjici Concilij judicio. Sed hoc etiam misso, constat ex actis Concilij Pisani, quàm plurimos in Theologiâ Magistros, tam Episcopos, quàm Abbates, & Generales Ordinum, unà cum potissimis Universitatibus eo tempore tradidisse, Pontificem etiam tempore schismatis viventem deponi non posse, nisi ob crimen hæresis, quam sententiam sequebatur ipsum quoque Pisanum Concilium. Post Synodi Constantiensis *V. Sessionis* Decreta noscitur ex actis Concilij Petri de Allaco Cardinalis Cameracensis sententiam fuisse, quòd equidem Pontifex tempore schismatis pro pace Ecclesiæ obtinendâ, compelli possit à Concilio Generali. Cui sententiæ adhæsit etiam Zabarella Cardinalis Florentinus, ut nollet tamen authoritatem Concilij, tempore etiam schismatis, extendi ad reformationem Ecclesiæ; velut ostendi potest *ex gestis manuscriptis Constantiensis Synodi.* Non deerant equidem ex Patribus Constantiensibus, qui [illegible]istimabant, Concilium Generale Ecclesiæ [illegible]sentans habere authoritatem tempore schismatis, non solùm ad procurandam unionem, deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad judicandum de materia fidei, damnando eos, qui contra illam hæreses seminant, sed etiam ad reformandam Ecclesiam circa ea, in quibus tam membra, quàm Caput ipsum reformatione indigent. Verùm Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 99.* verbis haud obscuris indi-

indicat, Decreta præinsinuata intelligenda esse de solo Constantiensi Concilio tempore schismatis celebrato : neque enim illæc verba *super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis* secundo Decreto adjuncta, aliud insinuant, nisi ut *secundum* Decretum referatur ad *primum* de solo schismatis tempore statutum. Posito igitur, Decreta *Sessionis V.* Constantiensis, unanimi Patrum Concilij consensu esse facta, cujus tamen contrarium antehac demonstratum fuit, necdum evincitur, Patres Concilij intendisse, definire & statuere authoritatem Concilij Generalis super Papa certo, sed super Papis duntaxat dubijs tempore schismatis viventibus, & de Papatu contendentibus.

ARGUMENTUM IV.
Scheleſtrati.

54. INducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, Concilij Constantiensis in Decretis illis condendis auctoritatem elevare tum ex eo, quòd Decreta ejusmodi à Concilio sub unâ duntaxat Ioannis XXIII. Obedientiâ sint condita: tum ex hoc, quòd aliter sensisse videantur Patres post tres Obedientias.

Exceptiones Elliesianæ.

55. EXcipitur *primò*. Concilium vim & auctoritatem suam non habuisse ex Obedientijs trium Pontificum, quippe cùm Ioannes XXIII. fuerit legitimus Pontifex, à quo fuerat Synodus convocata, alios duos non extitisse legitimos, & ideo consensum illorum non fuisse requisitum ad convocationem, aut celebrationem Synodi. Quia porrò Ioannes XXIII. promiserat ultrò cessurum se Pontificatu, potuisse Concilium tum auctoritate suâ, tum vi illius Sessionis agere & decernere. Nec opus fuisse, ut exspectaret alias Obedientias. Unde ipsum Ioannem *Sess. XII.* & posteà electum Martinum V. habuisse Concilium Constantiense pro Generali, & quæ ab ipso unius etiam Obedientiæ tempore fuerant Decreta, approbâsse.

56. *Secundò*. Quòd Patres Constantienses aliter senserint post tres Obedientias, probare tantummodò Scheleſtratum ex protestatione, quam post *Sessionem XXXVIII.* Cardinales unà cum Nationibus tribus Italicâ, Hispanicâ, & Gallicanâ, adversùs Germanicam condidisse ferantur ante electionem Pontificis. At hoc nullatenus pertinere ad propositum, quippe cùm illæ tres Nationes conquestæ sint, differri electionem Pontificis legitimi, obtestando proinde, ut Papa eligatur à Collegio Cardinalium, cum deputatis, aut deputandis à Synodo, protestandoque, si quid inde detrimenti Ecclesiæ accidat, se fore innoxios, convenientius proinde esse, quòd reformatio postponatur electioni Pontificis. Quâ tamen protestatione non obstante, reformationem non fuisse intermissam, rejectâ electione, donec tandem concordia inita est, eâ conditione, ut fieret Decretum, quo futurus Pontifex obligaretur reformare Ecclesiam in Capite & Curiâ Romana, simul cùm Concilio & deputatis à Nationibus. Quo Decreto facto, & Capitibus reformationis propositis, electum esse Pontificem Martinum V.

57. *Tertiò*. Tantum abesse, ut hæc ostendant, improbatum esse à Synodo Decretum *de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, ut contra hinc ostendatur, Patres in hac opinione semper perstitisse. Sed hoc unum fuisse inter eos controversum, an expediret, ante reformationem eligere Pontificem, an verò ejus electio esset postponenda reformationi? Novi iimè autem inter partes convenisse, ut Pontifex eligeretur eâ conditione, ut priùs Decreto obligaretur, unà cum Concilio Ecclesiam in Capite & Curia Romana reformare, nec non articulos reformationis ipsi à Synodo præscriptos observare. Anigitur ex istis probatur, Concilium derogâsse ijs, quæ statuerat de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ? An non potiùs inde ostenditur, Concilium ijs statutis semper adhæsisse.

58. *Quartò*. Unum quidem & alterum verbulum ex illa protestatione & concordiâ objici à Scheleſtrato. Quorum prius desumitur ex hisce protestationis verbis: *Licèt asseratis, sinè vestro consensu & ordinatione Concilij, super modo, formâ, loco, tempore, & materiâ ad dictam electionem non posse procedi, obstantibus quibusdam hujus Concilij decretis, quibus tamen nos Hispanica Natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligaremur.* Unde ait Scheleſtratus, inferri, decreta priùs edita *de auctoritate Concilij ad reformationem Ecclesiæ &c.* non esse valida.

59. Verùm istud momentum, reponit Elliesius, esse omninò leve, cùm Nationes non loquantur de decretis concernentibus auctoritatem Concilij *ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, sed de decretis, quibus cavebatur, ne Pontifex fieret sinè consensu Concilij, & eo modo ac tempore, quo esset rescribendum ad Concilium. Deinde istud dici tantùm nomine Hispanicæ Nationis, quam in gratiam Benedicti XIII. cui favebat, potuisse hæc inserere protestationi. Denique protestationis hujusmodi nullam esse auctoritatem, cùm præsertim res in Synodo fuerit postmodùm definita, cui definitioni ipsos quoque Hispanos paruisse, concessisseque, ut unà cum deputatis à Synodo fieret electio Pontificis.

60. *Quintò*. Alterum momentum ex illo instrumento *Concordiæ* obtendi à Scheleſtrato, quòd ibi Natio Germanica inducatur, hanc reddidisse rationem, cur electio sit postponenda reformationi, *quòd scilicet Papa electus ligari non possit.* At *præcitatus* Elliesius iterum reponit, non fuisse mentem Synodi, *Papam ligari non posse per decreta Concilij*, sed induci tantùm Germanos hanc rationem afferentes ad procrastinandam ejus electionem, non quòd revera crederent, *Papam ligari non posse decretis Concilij*, sed quia timebant, ne ille semel electus reformationem pati, aut facere non posset. Quare priusquàm eligeretur,

decre-

decretum *de reformatione* per Concilium faciendâ, emissum esse. Quod in actis authenticis Concilij ita haberi *Sess. XL. Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans statuit & decernit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam &c.*

Refutatio istarum Exceptionum.

61. TE ipsum confodis Ellieſi, dum contendis, Joannem XXIII. à quo erat convocata Synodus Constantiensis, fuisse legitimum Pontificem. Hinc enim inferretur, decreta *Conciliaria*, quæ habuissent ipsum contrarium, non extitisse valida in vi sanctionis Oecumenicæ, quippe destituta charactere per Christum definito, ut scilicet sua & una Patris Æterni assistentia, non præstò esset Concilio, nisi dum Duo, nempe Christi vicarium Nomen gerens Papa, & Patres sub hoc charactere aggregati consentirent in unum. Atqui patet ex proximè antecedentibus, Joannem XXIII. restitisse, & oblocutum fuisse adversùs illa conamina, quæ nonnulli moliebantur contra Apostolicæ Sedis auctoritatem in Papa subjiciendo Concilij judicio. Si ergo Joannes XXIII. fuisset certus, indubitatus, & legitimus Papa, ex ejus dissensu prorsus jam infirmarentur Constantiensia *Sessionis V.* decreta, in quantum statuissent auctoritatem Concilij Generalis super Papam etiam *ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Sed hoc misso; progredimur ad Ellieſianas exceptiones solidioribus argumentis confutandas.

61. *Primò* igitur. Quantumvis Concilium Constantiense initio Joannem pro Pontifice habuisset, nunquam tamen asseruit, seu judicavit, debere ab alijs etiam Obedientijs reputari pro certo & indubitato Papâ, imò sub ipso Constantiensi Concilio Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in schedula *ex manuscripto Codice Capranicensi in Constantiensis Concilij appendice* relatâ & publicatâ expressè concludebat, non obstante Concilij Pisani, duos de Papatu contendentes condemnantis, aliumque Pontificem subrogantis, constitutione, per Joannis XXIII. Obedientiam prorsus receptâ, duas tamen Obedientias duorum illorum contendentium, atque Papatum pro tunc etiam prætendentium *probabiliter* tenere contrarium: sicque in hac opinionum diversâ & adversâ veritate non minores esse difficultates *Iuris & Facti*, quàm ante Concilium Pisanum fuerant de justitia duorum contendentium. Quomodò igitur Cardinalis iste ausus fuisset talem proferre sententiam, si Joannes XXIII. pro certo & indubitato Pontifice intrà Concilium Constantiense ab omnibus fuisset habitus?

63. Adhæc si Joannis XXIII. Papatus fuisset certus & indubitatus, quomodò Nuntius Gregorij XII. in valvis monasterij Augustinianorum ejus insignia Pontificia Constantiæ appendens, non ab omnibus Concilij Patribus fuisset rejectus, dum tamen *ex Regesto actorum Constantiensium* constet, plures ex Patribus id rectè factum sustinuisse, reliquis arbitrantibus, id Gregorio ipsi, si personaliter Constantiam venisset, licuisse, motâ solummodò quæstione de ejus Nuntio? Quomodò eidem Nuntio Gregorij publicum ingressum cum pileo rubeo facere cupienti, atque in plenâ Congregatione id exponenti, non data fuisset repulsa, dum tamen, teste *Regesto Constantiensi*, prævaluit sententia Cardinalis Cameracensis, aliorumque cum ipso sentientium, ut tanquam Cardinalis posset cum pileo rubeo Constantiam publicè ingredi? Quomodò denique, dum Gregorius XII. se gerens pro Pontifice, juxta acta *Sessionis XIV.* prætendare potuisset, ut priùs, quàm de Pontificatu cederet, à Concilio removeretur Joannis XXIII. præsidentia, novaque fieret Concilij convocatio, imò ipsimet Patres in dictâ publicâ Sessione illam Gregorij postulationem admisissent, ejusque Pontificatûs petitionem communi consensu acceptare potuissent, si ita fuisset certus Joannis XXIII. Papatus, ut consequenter Gregorij super hoc prætensio absque ullâ dubietatis ratione pro nullâ fuisset habenda? Haud igitur fundamento caret prætactâ Cardinalis Cameracensis Petri de Alliaco sententia, quòd ultra Joannis XXIII. Papatum, reliquæ duæ Gregorij XII. & Benedicti XIII. de Papatu pariter contendentium Obedientiæ non improbabiliter sustinuerint partes suas, sicque adeò in hac triplici Papatûs prætensione non fuerint minores *Iuris & Facti* difficultates, quàm ante Concilium Pisanum erant de justitiâ duorum pro Papatu contendentium.

64. Quo supposito, pro *secundo* lubens concedo Ellieſio, potuisse Concilium authoritate suâ agere, & decernere circa Joannis XXIII. Papatum, eò vel maximè, quòd iste Papatus à Ioanne prætensus, in foro Ecclesiæ perinde habendus esset, ac si re ipsâ non subsisteret, Cujus ratio *in anterioribus* jam deducta, consultò huc reducitur. Nam *ex Matthæi 16. capite* constat, claves regni cælorum cum Oecumenicâ ligandi & solvendi authoritate non priùs esse à Christo decretas Petro, ejusque adeò successori, quàm inciperet esse petra, supra quam ædificaretur Ecclesia. Hæc autem Ecclesiæ ædificatio non subsistit nisi per fidem: unde non potest dici, à Christo conferri Petri successori authoritatem Pontificiam, seu clavium Ecclesiæ potestatem, nisi per fidem super ejusdem Domini Nostri verbis fundatam, fuerit ab Ecclesiâ receptus in petram, & fundamentum sui ædificij. Nequit autem stante fide de Papatu alicui ceu Petri successori per Christum collato, nisi stet evidentia credibilitatis publica, & in facie sanctæ Ecclesiæ comprobata, de legitima ad Petri Cathedram Apostolicam successione. Quia igitur, quando tres sub triplici prætenso Papatu subsistebant Obedientiæ, non erat evidentia credibilitatis ab Ecclesiâ una, sed in schisma potiùs

divisâ

divisâ, publicè agnita & comprobata, quâ ostenderetur in facie Ecclesiæ, quisnam potiretur legitimæ in Petri Apostolicâ Cathedrâ successionis jure: idcircò Concilium Constantiense omninò tunc poterat circa omnes & singulos illos de Papatu contendentes decernere, prout Ecclesiæ sanctæ paci & unioni esset consultum ex abrogatione schismatis & subrogatione novi ac certi Summi Pontificis.

65. Sed ad quid pro *tertio* contendit Ellies̃ius, non Ioannem XXIII. duntaxat, sed posteà electum Martinum V. habuisse Concilium Constantiense pro Generali Synodo? Hoc *ex antecedentibus* equidem jam habetur refutatum, quibus hoc unice adjicere placet, revocando in memoriam, quod jam *superiùs* extat probatum, nempe Synodum Constantiensem, si in *Sessione V.* fecisset Decretum Concilij super Papam quoque certum superioritatis definitivum, ex tunc posuisse se in statu contrario erga characterem Concilij quâ Oecumenici *Formaliter* constitutivum: quippe cùm hic subsistat ex nomine Christi *immediatè* erga hunc vicario, eo ipso autem, quòd *Sessionis V.* Constantiensis Congregatio sanxisset superioritatem Concilij etiam *Acephali* super Papâ certo, ea tunc vicario Christi *immediato* Papæ proprio characteri superposuisset characterē Christi immediatiorem, sicque adeò illum, qui est in Papa Christi *immediatè* vicarius character, sustulisset e medio: nec adeò stare potuisset Synodus in statu Concilij etiam *materialiter* ac *dispositivè* Oecumenici. Ne ergo Synodus Constantiensis *Generalitate* etiam *materiali* excidat, dicendum prorsus est, Decreta *Sessionis V.* statuere Concilij auctoritatem non super certo & indubitato Pontifice, sed super dubijs duntaxat, & in schisma divisis Papis.

66. Sed videamus pro *quarto*. Quàm ineptè Ellies̃ius arguat Scheles̃tratum ineptiæ, probantem, *Constantienses post tres Obedientias inter se unitas longè aliter sensisse de potestate Concilij ad Ecclesiæ & in Capite & in Membris reformationem faciendam.* Hujus namque probationis fundamentum desumit ille Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ex Gestis Constantiensis Concilij, in quibus refertur, quòd post trium Obedientiarum unionem, magna animorum contentio exorta fuerit de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris: Natione Germanicâ & Rege Romanorum volentibus eam fieri ante electionem unius veri & indubitati Pontificis; reliquis verò Nationibus cum sacro Cardinalium Collegio volentibus, fieri post electionem ejusdem. In quâ controversiâ cessit tandem Natio Germanica, præbens consensum de eligendo ante reformationem, dummodò à Concilio expediretur *assecuratio & cautio per decretum irritans, quòd post electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & administrationem aliquam.* Cùm proinde ad hanc Nationis Germanicæ petitionem diversæ formæ decreti factæ fuissent, eis finaliter responsum fuit, *quòd Papa electus ligari non potest.* Numquid ergo hinc evincitur, longè aliam tunc fuisse sententiam Patrum Constantiensium de auctoritate veri & indubitati Pontificis, quam ex decretis *Sessionis V.* conentur Adversarij obtrudere Orbi Catholico?

67. *Quintò.* Quibus ita se habentibus, facilè evanescunt, quæ Ellies̃ius *in suâ tertiâ & quartâ* exceptione reposuit, firmumque adeò stat argumentum, quod præ tactus Scheles̃tratus prosequitur in hæc verba. Si Concilium, inquiens, *seorsim* sumptum, sit supra unicum & legitimum Pontificem, ac de legitimo Pontifice intelligenda sint *Sessionis V. superiùs* allata Decreta, uti contendunt Adversarij cur, quæso, Concilium Constantiense hæc decreta in præsenti locum habere noluit? Cur non renovabat, Pontificem obedire debere Concilij decretis, adeò, ut, qui obedire contempserit, debitè puniatur? Cur his fundamentis innixum, non judicabat electionem Pontificis in casu contumaciæ irritandam? Nihil hoū tentavit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Constantiensium: unde responsum est, *Papa electus ligari non potest.* Quando decreta *Sessionis V.* ab una Obedientia fuerunt edita, tres erant de Papatu contendentes, & illa ad liberiùs obtinendam unionem, statuta sunt: quando verò agebatur post *Sessionem XXXVIII.* de decreto irritante, sermo erat de unico & indubitato Pontifice deinceps eligendo, quem etiam ante coronationem *ligari non posse*, responsum est. Memoriâ scilicet repetebant Patres Constantienses Concilij illud Antiquorum effatum, quòd, qui summam potestatem ligandi & solvendi à Christo Domino acceperat in Petro, ita alios judicet, ut de illo nemo mortalium sententiam ferat, ideoque *Papa electus ligari non possit.*

68. Nec pro *sexto* jam potest intento nostro officere *Sessionis XL.* Constantiensis Concilij decretum, ab Ellies̃io *in fine quintæ exceptionis suæ* relatum. De ipsissimo namque isthoc decreto fatetur Ellies̃ij consors Maymbourgius *tract. suo histor. quòd per id Papa non fuerit eo modo ligatus, quo Germani proposuerant.* Quod Maymbourgi effatum patet ex ipsis etiam decreti verbis, cùm in eo non reperiatur pœna depositionis, quam futuro Pontifici Ecclesiam in Capite & in membris reformare detrectanti, Natio Germanica imponi volebat. Cur autem hâc in parte Patres Constantienses Concilij satisfacere detrectabant Nationi Germanicæ, juxta *secundum* decretum *Sessionis V.* reiterando statutam Conciliorum super Papa potestatem *coactivam*, si istud decretum revera extendisset se ad verum etiam & indubitatum Papam? Nónne hinc evincitur, *Sessionis V.* decretum, ipsorum etiam Patrum Constantiensium judicio, ita fuisse coarctatum ad Pontifices dubios, tunc de Papatu contendentes, ut locum non haberet in præsenti, quando agebatur de unico vero & indubitato Papâ? Quare prætactum *Sess. XL.* decretum ita sanxit reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris à futuro legitimo Papa faciendam, antequam hoc dissolveretur Concilium: ut non nisi *quoad vim directivam*, nullatenus verò *quoad vim coactivam* concer-

neret Pontificem posteà eligendum: sicque adeò verificaretur, Papam etiam electum *ligari non posse*, nisi ex altioribus in fide radicatis principijs, decreta quoque *Conciliaria* concomitantibus; *uti alibi demonstratum fuit.*

ARGUMENTUM V. Scheleſtrati.

69. INducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, asseruisse, quòd *Sessionis V.* imò & *IV.* decreta Constantiensia non sint approbata à Martino V. vel etiam ad tempus schismatis duntaxat confecta.

Exceptiones Ellieſianæ.

70. EXcipitur. Approbatum esse à Romanis Pontificibus *Sessionis IV. & V.* decretum, dubitari non posse, quin de omnibus quoque actis Concilij dubitetur.

Nam *primò* Joannem XXIII. uti habetur *Sessione XII.* Concilij, declarâsse, atque professum fuisse: *Synodum Constantiensem esse legitimam Concilij Pisani continuationem, atque errare non posse, propterea que ejus ordinationi, declarationi, & determinationi omnibus in rebus se stare, promitteréque, se nunquam aliquo temporis processu contraiturum.*

71. *Secundò.* Martinum V. Summum Pontificem electum, & omnium consensu tanquam legitimum probatum, non semel approbâsse decreta Constantiensis Concilij, etiam sub unâ Obedientiâ facta. Inprimis enim *Sessione XLII.* vocare Concilium Constantiense Generale Concilium, approbaréque *Sessione XLIV.* depositionem Joannis XXIII. ab eâdem Synodo factam. Insuper confirmare decretum Concilij, quo jubetur futurus Pontifex indicere Concilium Generale, atque ad hujus Decreti executionem, dictâ *Sessione XLIV.* futuri Concilij Generalis locum, Papiensem civitatem designare his verbis: *Cupientes ac volentes decreto hujus Generalis Concilij satisfacere, inter alia disponentes, quòd omninò Generalia Concilia celebrentur &c.*

72. *Tertiò.* Eundem Martinum V. *Sess. XLV.* fuisse protestatum: *Omnia & singula determinata & conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium* Conciliariter *tenere, & inviolabiliter observare, & nunquam contraire quoquo modo, ipsáque* Conciliariter *facta approbare, ratificare, & non aliter, nec alio modo.* At verò haud ambigendum esse, quin inter ea, quæ *Conciliariter* facta sunt, collocari debeant *Sessionis IV. & V.* decreta, utpote quæ *Nationaliter* primùm expensa, postmodùm definita sunt in Synodo, non aliter, ac si ad fidem pertinerent. Hoc proinde esse, quod Martinus appellat *Conciliariter* factum, dum scilicet quidpiam in Nationibus singulis primitus examinatum atque discussum, posteà in Synodo Generali omnium consensu definitum est: cùm econtra *Conciliariter* facta dici nequeant, quæ apud Nationes tantùm deliberata atque concluſa, non autem ab universâ Synodo fuêre probata: cujusmodi fuerunt tum Nationis Gallicanæ conclusio de Annatis non solvendis, tum propositio de damnando libro Ioannis Falkemberg, & alia similia, quæ universa Synodi sententiâ non sunt confirmata.

Refutatio istarum Exceptionum.

EXceptionis tuæ Ellieſi fundamentum primarium, quo prætendis, de omnibus Concilij actis dubitari posse, si de *Sessionis IV. & V.* decreto, esse à Romanis Pontificibus approbatum, dubitetur, ruit ex apertis verbis Bullæ Martini V. confirmatoriæ Concilij Constantiensis. Nam ex *antecedenter* dictis constat, hanc Bullam non extendi, nisi ad ea, quæ contra errores Joannis Wiclef & Hus, ac Hieronymi de Praga, à Ioanne XXIII. in Concilio Romano ejus Pontificatûs anno III. fuerant decreta, nec non ad duas constitutiones ejusdem Ioannis XXIII. atque ad statuta Constantiensis Concilij circa propositiones Wiclefi, & Hus, ac circa errorem Bohemorum de communione sub duplici specie. Hæc igitur fidei decreta intrà Concilium Constantiense sancita, indubitanter obtinent Sedis Apostolicæ confirmationem, non verò reliqua *Sessionis IV. & V.* acta, ut tenor diplomatis Apostolici evidenter docet.

Hinc igitur *primò* nullius valoris est exceptio ex hoc petita, quòd Ioannes XXIII. *Sessione XII. profitendo, Synodum Constantiensem esse legitimam Concilij Pisani continuationem*, exinde promiserit, *se stare ejus ordinationi, declarationi, & determinationi &c.* Tantum enim abest, quòd Synodus Constantiensis ex hac Ioannis XXIII. declaratione obtinuerit confirmationis Apostolicæ firmitatem, in quantum indubitatæ veritatis certitudo est, quòd Ioannes id proferendo, non habuerit certum & indubitatum auctoritatis Apostolicæ characterem. Et ideo rectè professus est, se obstrictum stare ordinationibus & determinationibus Concilij etiam in decretis *Sess. IV. & V.* factis, dum adversùs ipsum, ceu Papam dubium, integra subsistebat Synodi quoque *acephali*, ex Episcopalibus characteribus coadunatæ auctoritas, ad ipsum etiam deponendum; *uti aliàs probatum fuit.*

Sed quid pro *secundo* energiæ est in *exceptione Ellieſiana* exinde desumptâ, quòd *Martinus V. Summus Pontifex electus, & omnium consensu tanquam legitimus approbatus, Sessione XLII. Concilium Constantiense vocaverit Synodum Generalem?* Numquid post tres obedientias priùs divisas, & jam inter se unitas, dum Patrum decretis accessit character Apostolicus indubitatus, ejusque consensus auctorizativus, Constantiensi Concilio supervenit non tantùm *materialis*, sed etiam *formalis generalitas* Oecumenicæ Synodi constitutiva? Numquid decreta fidei sub unâ obedientiâ priùs facta, sed à reliquis quoque obedientijs inter se unitis postmodùm recepta, & tandem à Martino V. legitimo Pontifice confirmata, exinde potiebantur *formali* charactere Oecumenici Concilij? Numquid proinde Martinus V. Ioannis XXIII. depositionem à Concilio factam approbans, ita firmabat Synodi adhuc *acephalæ* erga Papas dubios auctoritatem, ut propterea

reâ fas sit, talem potestatem in Concilio *acephalo* extendere etiam ad certum & indubitatum Pontificem? Nihil profectò ponderis hinc recipit Ellieſiana exceptio, quâ contendit, *Seſſ. IV. & V.* Conſtantienſia decreta firmâſſe Concilij auctoritatem ſuper certo & indubitato Papâ. Nec majoris valoris eſt momentum, ex eo deſumptum, quòd idem Martinus V. volens decreto Generalis Concilij Conſtantienſis ſatisfacere, quatenus ſtatuit Generalia Concilia omninò celebranda eſſe, futuri Generalis Concilij locum, Papienſem civitatem deſignavit: ex hoc enim plus non evincitur, niſi quòd ille Pontifex lubens ſit amplexus ejus decreti vim *directivam*, abſque eo, quòd hæc juncta eſſet vi *coactivæ*.

76. *Tertiò.* Quam Ellieſius ex *Seßione XLV.* Conſtantienſi adfert Martini V. proteſtationem de obſervandis & approbandis, *quæ in materijs fidei per Concilium Conſtantienſe* conciliariter *facta fuerunt*: evidenter concluditur ex verbis ejuſdem proteſtationis, hanc coarctari ad decreta materiam fidei concernentia, qualia non eſſe prætacta *Seßionis IV. & V.* decreta, patebit ex ſubſequentibus. Et hinc ruit tota Ellieſij conſequentia prætendentis, ea decreta *Nationaliter* expenſa, & poſtmodùm in Synodo definita, eſſe *Conciliariter* facta: quantumvis enim hoc verum eſſet (cujus tamen contrarium *in anterioribus* eſt probatum) nullatenus contineri poſſent ſub illa Martini V. proteſtatione, utpote coarctatâ ad decreta in materijs fidei *Conciliariter* ſancita: cujus tenoris haudquaquam eſſe prælegata *IV. & V. Seßionis* ne ipſe quidem Ellieſius audet ſimpliciter affirmare.

ARGUMENTUM VI. Scheleſtrati.

77. INducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectas adversùs ſæpe dicta *IV. & V. Seßionis* decreta oppoſuiſſe, Martinum V. ea tantùm approbâſſe Concilij decreta, quæ ad materiam fidei pertinebant: ijs autem verbis comprehendi non poſſe decreta de authoritate Concilij ſupra Papam, quia ſcilicet ea nomine tantùm Conſtitutionum appellantur *Seſſ. V.* cùm ea, quæ ſpectant ad Bohemorum, & Huſſitarum negotium, eâdem Seſſione dicantur, eſſe *ſuper materiâ fidei*. Hinc intelligi, quòd iſthoc nomine ea tantùm decreta comprehendantur, quæ hæreticos ſpectant: unde in duobus Manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ, ſingulis Seſſionibus, ubi agitur de Wicleffiſtis & Bohemis, præfigitur titulus iſte *in materia fidei*, vel *in causâ fidei*: cæteris verò Seſſionibus non præfigitur talis titulus. Tria proinde materiarum genera in Conſtantienſi Concilio agitata diſtingui ſolere, unum *materiæ fidei*, ſecundum *unionis*, tertium *materiæ reformationis*. Per *primum* intelligi id, quod fiebat contra hæreticos: per *ſecundum*, quod fiebat contra tres contendentes de Papatu, & pro trium Obedientiarum unione, ac electione veri & indubitati Pontificis: per *tertium*, quod fiebat pro reformandâ Eccleſiâ in Capite & in membris.

Exceptiones Ellieſianæ.

EXcipitur *primò*. Inter ea, quæ ſpectabant unionem & reformationem, eſſe nonnulla, quæ non ſolùm ad diſciplinam, ſed etiam ad fidem pertinent. Talem autem eſſe hanc definitionem, quòd *Concilium Generale ſit univerſam Eccleſiam repræſentans &c.* Quis enim neget, ad fidem pertinere, quòd Concilium Generale univerſam repræſentet Eccleſiam, quódque errare non poſſit? Quæ cum *IV. & V. Seßionum* Syno di Conſtantienſis decretis contineantur, quis eas ad fidem pertinere neget? Manifeſtè iſtud patêre ex eo, quòd hujuſmodi decreto non tantùm de negotio aliquo diſponatur, aut ad tempus aliquod caveatur, ſed dogma condatur, atque decernatur, quod perpetuò idem eſt, nec mutari poteſt. Quamvis enim res diſciplinæ & œconomiæ variari poſſit, quod tamen eſt circa hoc, quod eſt dogmatis, mutationem non habere. Sic verbi gratiâ uſum Calicis concedere, vel interdicere laicis, rem eſſe diſciplinæ, at dogmatis eſſe, quòd non ſit de neceſſitate ſalutis, Calicem ſumere. Hoc ergo cùm definit Synodus Conſtantienſis, cenſeri de fide aliquid definire. Ita pariter cùm ad dogma pertineat dicere & credere, utrùm Concilium Eccleſiam univerſam repræſentet, nec ne; utrùm errare poſſit, nec ne; utrùm ei omnes, atque etiam Romani Pontifices parêre teneantur, tum *in fide*, tum *in reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris*: idcircò cùm hæc definit Synodus aliqua Generalis, non poſſe ejus decreta ad fidem non pertinere. Et quemadmodùm ad fidem pertinent decreta Concilij in Huſſitas, quibus Romani Pontificis & Eccleſiæ Romanæ ſupra alias prærogativa decernitur, ita ad fidem pertinere debere decreta, quibus univerſæ Eccleſiæ & Concilij Generalis ſupra Romanam Eccleſiam prærogativa ſtabilitur. 78.

Secundò. Hoc ipſiſſimum firmari ex Bullâ Martini V. adversùs errores Wicleffi, & Concilij Conſtantienſis definitionibus, quatenus ibidem jubetur, interrogare ſuſpectos hæreſeos, *utrùm credant & teneant, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe, univerſam Eccleſiam repræſentet.* In quo haberi reſpectum ad decretum *Seßionis IV. & V.* Item dum ibidem jubentur interrogari: *Vtrùm credant illud, quod Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, eſſe ab univerſis fidelibus approbandum & tenendum, & quod condemnavit & condemnat, eſſe fidei & bonis moribus contrarium, hoc ab ipſis eſſe tenendum pro condemnato & approbato?* Illos igitur, qui decreta Concilij Conſtantienſis de auctoritate Synodi generalis ſupra Papam impugnant, non poſſe huic interrogationi reſpondere, quin vel opinionem ſuam abjurent, approbando univerſa Concilij decreta, vel Martinum V. temeritatis, erroris, & impudentiæ arguant, utpote qui ea probare voluerit, quæ improbari, oportuiſſet. Uno verbo Martinum V. univerſa Concilij Conſtantienſis acta & decreta, 7.

creta, probare *Conciliariter* facta, jubendo scilicet ea omnia, quæ à Concilio ad fidem & salutem animarum spectantia definita sunt, approbari, & quæ ab eo damnata sunt, damnari. Nusquam excipere *Sessionis IV. & V.* decreta: quâ ergo auctoritate, quâ fronte velle Adversarios ea esse excepta?

80. *Tertiò.* Aliud porrò contineri in eadem Bullâ, ex quo constet, Martinum Concilij Constantiensis decretis de *auctoritate Concilij Generalis* prorsus assensisse. Nam ad articulum XLI. errorum Wicleffi, qui est hujusmodi: *Non est de necessitate salutis credere, Romanâ Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*: hæc habere Pontificem ad mentem Concilij Constantiensis: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat Universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Romani Pontificis, super alias Ecclesias particulares.* Ex quâ proinde observatione satis intelligi, Martinum existimâsse, Universalem Ecclesiam, & Concilium Generale majorem habere auctoritatem: Romanum verò Pontificem habere Primatum in Ecclesiâ super alias Ecclesias particulares, non autem potestatem Ecclesiâ Universâ, & Concilio Generali superiorem. Manere igitur, quòd decreta *Sessionum IV. & V. de auctoritate Concilij supra Papam* fuerint probata à Pontifice Martino V.

81. *Quartò* igitur. Quando Schelestratus ait, *hæc decreta Constitutionum nomine in Concilio indigitari*; non impedire, quò minùs ad fidem spectent, cùm Constitutiones Synodales contineant fidei decreta. Quòd autem ea, quæ errores hæreticorum spectant, vulgò appellentur materia fidei, factum esse ex communi loquendi more, quo solent ejusmodi controversiæ specialiter nomine fidei indigitari: quamvis & alia sint, de quibus cum hæreticis nulla intervenit lis, quæ non minùs ad fidem pertineant. Sic in Concilio Tridentino, licèt decreta & Canones contra hæreticos edita, specialiter appellentur decreta, de fide nihilominùs multa esse *in Capitulis de reformatione*, non minùs pertinentia ad fidem, quàm quæ continentur in Canonibus.

Refutatio istarum Exceptionum,

82. PRimò. Si constitutiones *de Reformatione* in Concilio Oecumenico editæ, recensendæ sint inter decreta fidei: scisciter ex Ellies.io; *An non igitur constitutiones & leges morum ab Oecumenica Tridentina Synodo sanctæ, perinde computandæ sint inter fidei decreta?* Si hoc affirmet, rursus percontor; *An igitur Gallia, constitutiones reformationis in sacrosancto Tridentino Concilio* Conciliariter *factas non recipiendo, coargui possit contrarietatis fidei decretis oppositæ?* Ne hanc gravissimam calumniam Christianissimo Regno imputemus, oportet indagare naturam decretorum fidei, una & constitutionum *moralium*. In his igitur ita discerni debet tum id, quod est *formale*, importans honestatis *moralis* formalitatem in ipsis fidei principijs radicatam & contentam, ut hæc formalitas importet *necessitatem specificationis* in ordine ad salutem, ipsique fidei adversetur, impugnare velle honestatis ejusmodi moralitatem, in fidei principijs fundatam. Tum distingui insuper debet, quod in constitutionibus *moralibus* est *materiale*, importans actum individuum varijs circumstantijs particularibus vestitum, & ex motivo honestatis *moralis*, taliter à Concilio seu Papa præceptum, ut in vi hujusmodi, licèt humani præcepti superinduat *necessitatem* etiam *exercitij*. Quæ tamen legis humanæ seu Synodalis *quoad exercitium* obligatio, ut suum sortiatur effectum, prærequirit tum debitam promulgationem, secundùm plures Doctores in singulis provincijs faciendam, tum secundùm quosdam, singulorum seu Regnorum, seu Provinciarum de utilitate, & suo statui congruâ conformitate, consultare ex rationabili Legislatoris voluntate adhuc valentium, prudentem acceptationem. Sub quibus adeò circumstantijs ita primùm inducitur constitutionis Synodalis Pontificiæ *quoad exercitium* obligatio & necessitas, ut hæc sit forma *substantificè* constitutiva Legis humanæ quâ obligatoriæ. Constat igitur ex his fundamentis; Synodalium decreta, si attendantur *quoad formalitatem honestatis moralis in fide radicatam*, ut sic reduci quidem posse ad ipsam fidem, sicque adeò, *quoad specificationis* ex ejusdem *formali* motivo desumptæ *necessitatem intrinsecam*, rectè dici, pertinere ad materiam fidei: attamen si eadem morum decreta *Conciliaria* spectentur secundùm id, quod in ipsis est *materiale*, nempe secundùm actum individualibus ex prudentia ponderandis, & circumspectè ad cujusque Nationis mores conformandis circumstantijs vestitum, ut sic minimè esse materiam fidei, sed virtutis prudentiæ, nec adeò sub tali respectu reputari posse inter decreta fidei, sed inter constitutiones *morales*.

83. Hinc *secundò* advertendum est, à Schelestrato prudenter distingui tria materiarum genera, quæ in Constantiensi Concilio agitabantur, unum scilicet *materiæ fidei*, per Divinum Verbum seu traditum, seu scriptum revelatæ; alterum *materiæ unionis*, quæ licèt ponderanda fuerit ex principio fidei, unum Ecclesiæ Caput visibile efflagitantis, sicque Patres in unam Synodum coadunatos, strictè obligantis ad extirpandum schisma, prudenterque statuenda media, quibus ea unitas restauraretur, eo ipso tamen, quòd horum mediorum sanctio *originativè* respiceret equidem fidei principia, sed resolutio & conclusio ex ijs facienda, ordinari deberet per virtutem prudentiæ, non in generalibus principijs Divinitus revelatis subsistentis, sed ad statuta particularibus circumstantijs circumspectè ponderandis vestita progredientis: idcircò horum materia non est fidei. Atque sic proportionaliter differendum est de *tertio* genere materiarum in Constantiensi Synodo sancitarum, scilicet de *materia reformationis*.

84. Quibus præsuppositis, haud difficulter *prima* Ellies.ij exceptio eliditur per exemplum ab ipsomet hìc propositum. Ait enim, *usum*

Calicis

Calicis concedere, vel interdicere Laicis, rem esse disciplinæ, at dogmatis esse, non esse de necessitate salutis, sumere Calicem. Quod utrumque omninò concedimus, Ellies[illegible]que revocamus ad principium ab ipsome[illegible]is positum, quòd nempe perpetuò ider[illegible]nec mutari possit, quod est dogmatis, lice[illegible] disciplinæ possint variari. Constat autet[illegible]n antiquâ Ecclesiâ Laicis fuisse potestaten[illegible]sumendi quoque calicem Sanguinis Christi, quod tamen variatum est à Gelasio I. propter Manichæos, sub unius specie, nempe Corporis Christi hæresin suam contegere solitos. Atque hoc ipsissimum Gelasij statutum ob varias rationes religiosas denuò mutatum est ab Ecclesiâ, prohibente Laicis usum sacri Calicis. Hoc igitur statutum in Concilio etiam Constantiensi contra Bohemos renovatum, non est dogmatis, sicque adeò præter sanctiones dogmaticas in Concilio etiam Constantiensi locus fuit alteri generi constitutionum Synodalium, quod ut sic non esset dogmatis, sed disciplinæ, licèt radicaretur in fidei principijs, attamen per prudentiæ circumspectionem ad varias individuales circumstantias applicatum, spectaret ut sic ad prudentiæ, non autem fidei materiam.

Quo sic constituto, pro *tertio* ulteriùs progredior ad dictam Ellesianam *primam* exceptionem discutiendam. Haud enim abnuo, esse de fide, quòd Concilium Oecumenicum sit repræsentans universam Ecclesiam. Sed mox oritur quæstio, an non æquè de fide sit, quòd universalis Ecclesia in Concilio Oecumenico repræsentata, ex hujus membris Hierarchicis, quà in Nomine Christi coadunatis coalescens, importare debeat etiam Caput, sub cujus, ceu vicario Christi charactere, juxta *18. caput Matth.* convocari, & consistere debeat? Dum iterum de fide est, Ecclesiam in Oecumenica Synodo repræsentatam errare non posse, iterum sciscitor, an non æquè de fide sit, quòd juxta *citatum* sacrum Evangelicum textum, ista in dogmatibus fidei decidendis infallibilitas pendeat ex consensu Duorum, quos idem sacer contextus indicat, esse Christi nomen vicarium in terris visibile, adeoque Papam ceu Caput Ecclesiæ hoc charactere insignitum, unà cum Ecclesiæ Corpore hierarchico, ex Prælatis Ecclesiasticis eo Christi nomine coadunatis coalescente? Quo rursus ita se habente, omninò concedo, quòd Concilio Oecumenico ex Capite, & hierarchicis Ecclesiæ membris indivisibiliter subsistenti, sit potestas *immediatè* à Deo tum ligandi & solvendi, tum fidei dogmata sub consummatâ infallibilitate stabiliendi, sicque adeò dogmatibus fidei per tale Concilium definitis, nec non Decretis *moralibus*, quoad honestatis *moralis* in fide radicatæ specificationem, debeat ipse quoque Papa ex fide, & Religionis *specificativo* motivo parêre. Sed procul adhuc abest, quòd Papa hinc concludatur dogmaticis, imò & *moralibus* Concilij sanctionibus, nisi ex altiori fidei & Religionis principio, non autem ex præcisâ ligandi & solvendi vel suâ, vel Conciliari auctoritate subesse, tametsi *quoad vim directivam*, ipsis etiam Synodalibus constitutionibus ad individuantes circumstantias contractis, atque ut sic ad prudentiam, non ad fidem spectantibus, ex vi Legis Æternæ eisdem sese insinuantis, ipsemet Summus quoque Pontifex teneatur se conformare. Sic sic adeò distinguere semper oportet inter fidei & prudentiæ legislativæ materias.

Quartò. Dum Martinus V. juber interrogari suspectos hæreseos, utrùm credant & teneant, *quodlibet Generale Concilium, etiam Constantiense, universam repræsentare Ecclesiam?* In quo, ait Ellesius, respici ad Decreta *Sess. IV. & V.* Exinde sumo occasionem percontandi; *An sermo ibi sit de Concilio Constantiensi considerato sub illo statu & tempore, in quo erat, dum Sessionis V. Decreta de Concilij auctoritate condebantur?* Rursus, *an Concilium Constantiense pro eo statu insigniebatur Christi vicario charactere?* Et, *an iste character pro tunc extiterit penes Ioannem XXIII?* Si Ellesius, uti aliàs contendit, hoc asserere nitatur, dum ex anterioribus perspectum habetur, Joannem XXIII. contradixisse illi per Gersonium primitùs assertæ, & post ipsius fugam in Concilio motæ Concilij super Papam auctoritati: manifestè hinc evincetur, pro eo statu Synodis Constantiensi Papam ab Ellesio legitimum appellatum *Sessionis V.* Decretis non tantùm non impertisse suum Christi vicarium characterem, sed *positivè* illis restitisse, adeoque Decreta illa pro tunc fuisse destituta charactere Concilij Oecumenici, nec adeò universam Ecclesiam non ex solo corpore hierarchico, sed etiam ex Capite vices Christi in terris visibiliter gerente consistentem, repræsentâsse. Quando igitur verificari potest, Concilium Constantiense respectu *IV. & V. Sessionum*, & ibi sancitorum Decretorum repræsentâsse universam Ecclesiam, nisi quando, & in quantum Martinus V. suo auctoritativo consensu & approbatione eisdem impertijt suum Christi vicarium characterem? At Martinus V. *in suâ Bullâ Concilij Constantiensis confirmatoriâ* apertè dicit, se non confirmare seu approbare ultra sanctiones in Concilio Romano, & aliàs in duabus constitutionibus à Ioanne XXIII. editas, nisi illa Concilij Constantiensis Decreta, & sententias, quæ sunt condemnatoria & reprobatoria errorum VVicleffi, Hussi, Hieronymi de Praga & Bohemorum. Illa igitur Bulla Martini V. Sessionum Constantiensium etiam IV. & V. Decretis, quatenus concernunt illos errores ibi damnatos, adjecit equidem suum Christi vicarium characterem, sicque in ordine ad ejusmodi Decreta constituit Concilium Constantiense in statu Synodi *completè & formaliter* Oecumenicæ, non verò in ordine ad Decreta auctoritatem Synodi Generalis *supra Papam legitimum sanctientia, & ultratempus schismatis* non tam re ipsâ, quàm per Adversariorum machinationes protensa, maximè cùm ex littera Decretorum *Sessionis IV.* constet, ea fuisse coarctata ad extirpationem schismatis: Decreta verò *Sessionis V.* non nisi sub prævia Cardinalium, & Regis Galliæ Oratorum protestatione, nec adeò *Conciliariter* edita fuisse, *ex ipsis Synodi Constantiensis gestis & actis*

actis sit perspicuum. Iuxta quam proinde restrictionem Bullæ Martini V. non aliorũ Concilij Constantiensis Decretorum, nisi quatenus Wicleffi, &c. errores contingunt, approbatoriæ & confirmatoriæ, prorsus subsistit illa ſuspectis hæreticis proponenda interrogatio; *Vtrùm credant illud, quod Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit in favorem fidei, & ad salutem animarum: & quòd istud ab universis fidelibus sit approbandum & tenendum, sitque ab ijsdem hæreticis ad veram fidem conversis pro condemnato & approbato tenendum, quod Constantiensis Synodus generalis* (per auctoritativum Martini V. accessum *formaliter & completè* Oecumenica) *condemnavit, & condemnat, esse fidei ac bonis moribus contrarium?*

87. Sed quid pro *quinto* enititur Ellieſius *in ſua tertia exceptione* evincere ex hoc, quòd *quadrageſimus primus* Wicleffi error, quo dicebatur; *non esse de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*; sit à Pontifice ad mentem Concilij Conſtantienſis hunc in modum caſtigatus, ac emendatus; quòd ſcilicet *error sit, si per Romanam Ecclesiam intelligatur universalis Ecclesia, aut Concilium Generale, sive quatenus sub ijs verbis negaretur Primatus Romani Pontificis super alias Ecclesias particulares*? An non advertis Ellieſi, juxta illa Pontificis verba, ſub Romana Eccleſia intelligi poſſe univerſalem Eccleſiam? Quomodò autem univerſalis Eccleſia denominari poſſet Romana, niſi ex denominatione Capitis? Quî verò intelligi queat univerſalis Eccleſia, niſi quatenus unà cum corpore importat etiam Caput? An non hinc evincitur, Concilium Generale univerſalem Eccleſiam repræſentans (quod, ait Pontifex, per Romanam Eccleſiam poſſe intelligi) non debere ex præciſis Eccleſiæ membris hierarchicis, ſed unà & Capite, vicarium Chriſti nomen, Concilij quà Oecumenici *formaliter* conſtitutivum præferente ſubſiſtere? Anne igitur fas eſt dicere, quòd univerſalis Eccleſia, Romana dicta, potuerit à Concilio Conſtantienſi fuiſſe repræſentata pro eo ſtatu *Seſſionum IV. & V.* dum carebat Capite certo & indubitato, vel etiam, ſi Joannes XXIII. fuiſſet legitimus Pontifex, dum *positivè* fuerat contrarius Decretis auctoritatem Synodi Generalis ſuper Papam ſancire molientibus? Profectò in illo *IV. & V. Seſſionis* ſtatu, dum nullus extiterat verus & certus Papa, ſuam Concilio auctoritatem Chriſti vicariam ingerens, non poterat Concilium pro tunc *acephalum*, venire nomine univerſalis Eccleſiæ, ſed erat quædam collectio ex Eccleſijs duntaxat particularibus, ſive harum Capitibus, nempe Epiſcopis coadunata. Quia proinde error VVicleffianus eſſet, negare Primatum Romani Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares; conſequens hinc eſt, Primatum Romani Pontificis ſuper quaſvis Eccleſias particulares protenſum ſupereminere ipſi quoque Synodo *acephalæ*, quantumvis Generali, qualis fuerat Conſtantienſis, quamdiu ipſi non acceſſit ex Martino V. Oecumenicus Chriſti vicarius, ſolius Papæ antecedenter ad Concilium quà Oecumenicum, proprius character.

Quibus ita ſe habentibus, pro *quinto* pro- 88.
gredimur ad vindicandum Scheleſtrati argumentum: cujus tenor, ſi *integrè* & *ſincerè* referatur, in hunc modum ſe habet. Nempe contendebat Maymbourgus *in tract. ſuo hiſtorico*, Martinum V. etiam Decreta *Seſſionis V.* quà Concilij ſuper Papa auctoritatem concernentia confirmâſſe, dum Seſſione XLV. omnia & ſingula *in materia fidei Conciliariter* facta approbavit. Verùm huic Maymbourgi prætenſioni repoſuerat Scheleſtratus; an non videret Auctor iſte, Martinum V. ibi ſolummodò agere de Decretis *ad materiam fidei* ſpectantibus, ſeu ut clariùs exprimit ejuſdem Pontificis Bulla, de articulis Joannis VVicleff, Ioannis Huſſ, Hieronymi de Praga, & Bohemorum, qui in Seſſionibus publicis *Conciliariter* damnati erant, tanquam hæretici? Hos enim Martinus V. ſeſe pro damnatis habere ſignificat, confirmans & probans Decreta *in materia fidei* Conſtantiæ edita; non verò decreta *Seſſionum IV. & V. de poteſtate Eccleſiaſtica*, ſiquidem iſthæc *ſub materia fidei* non comprehenderentur, & à Patribus Conſtantienſibus pro articulis fidei edita non fuerint.

Firmatur hoc ex actis ipſius Conſtantien- 89.
ſis Concilij, quibus *in Seſſione V.* refertur, quòd electus Poznanienſis publicaverit ea Decreta *per modum conſtitutionum Synodalium*, & quòd poſt ejusmodi Decretorum publicationem idem Poznanienſis legerit *quædam adviſamenta in materia fidei, & ſuper materia Ioannis Huſſ detenti per Concilium, & quædam Ioanne VVicleff ibidem ſubjuncta.* An non igitur planum hinc redditur, ipſâ *Seſſione V.* in qua illa Decreta ſunt publicata, differentiam factam fuiſſe inter nonnulla, quæ per modum conſtitutionum Synodalium publicata ſunt, ac alia, *quæ ad materiam fidei* ſpectabant? Quandoquidem igitur ipſum Conſtantienſe Concilium decreta *Seſſionis V.* ſub *materia fidei* non comprehenderit, conſequens eſt; Martinum V. Seſſione XLV. probando *omnia & ſingula in materijs fidei* conciliariter *determinata*, concluſa & decreta, non confirmâſſe *Seſſionis V. de poteſtate Eccleſiaſtica* ſtatuta, per modum conſtitutionum Synodalium duntaxat edita. Hoc igitur Scheleſtrati argumentum ab adverſa parte non *integrè* allatum confer cum *quarta* Ellieſij exceptione, atque ſtatim intelliges, hanc nullius eſſe valoris ac roboris, attentis præſertim illis, quæ *antecedenter* à nobis ſunt expenſa & deducta.

ARGUMENTUM VII. Scheleſtrati.

INducitur hic auctor argumentari hunc in 90.
modum. Tantum abeſt, ut Martinus V. *Seſſionis IV. & V.* Decreta *de auctoritate Concilij ſuper Papam* approbârit, quin econtra Pontificiam Concilio *Acephalo* ſuperiorem oſtenderit, dum ſolus obſtitit Concilio, ne liber Ioannis de Falkemberg damnaretur, cumque unus ex Poloniæ Regis Legatis ad futurum Concilium ſeſe appellaturum diceret, Pontifex

fex ei silentium sub pœna excommunicationis imposuerit. Huc apprimè facit etiam, quòd idem Pontifex finito Concilio, teste Gersone, promulgaverit constitutionem, in quâ hæc reponebatur assertio: *Nulli fas est, à supremo judicio, videlicet Apostolico, seu Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei, quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.*

Exceptionis Elliesianæ.

EXcipitur *primò*. Martinum id feciſſe, quod facere consueverunt omnes ad summum evecti fastigium, ut immemores eorum, quæ priùs tenuerunt, aliam mentem induant, quippe cùm is ad Pontificatum à Concilio evectus, quamdiu Concilium stetit, sese morigerum & obedientem Synodo præstiterit, nec suam potestatem illius prætulerit auctoritati. At statim atque Concilio finis impositus est, cœpisse suam extollere auctoritatem: Tum quando de libri Ioannis a Falkemberg damnatione actum est, de quo amplius fieri mentionem noluit: tum quando de appellatione ad futurum Concilium agebatur, hæc propositio eidem displicuit, & demum statuit, non posse à Pontifice ad Concilium appellari. In quo haud advertebat, id si verum esset, stare non posse ipsius electionem, & Ioannis XXIII. Benedicti XIII. ac Gregorij XII. abdicationem: quippe cùm tantundem sibi juris potuissent arrogare contra Pisanam & Constantiensem Synodum, sicque prohibere, ne à suis sententijs provocaretur ad Concilium; cùm præsertim unus ex ijs legitimus esset Pontifex. 91.

Secundò. Si reponatur, in casu schismatis locum habere provocationem à Pontifice ad Concilium, tunc illam Martini constitutionem *de non provocando ad Concilium*, defendi non posse, cùm necdum schisma finitum fuerit eo tempore, quo illa promulgata fuit, utpote superstite adhuc Petro de Luna, qui se jactitabat legitimum Pontificem. Sed ut res se habeat de Martini V. privatâ mente, responderi adhuc posse, eum *Sessionis IV. & V.* Decreta nunquam *publicè & authenticè* reprobâsse. Nam constitutionem illam, cujus adornatæ mentionem facit Gerson, promulgatam non fuisse per orbem, sed hucúsque latuisse ignotam. 92.

Refutatio istarum Exceptionum.

QUas Elliesius sinistras adversùs Martinum V. imputationes, ne dicam criminationes, jactitat, minimè elidunt Scheleſtrati duplicatum hîc productum argumentum. 93.

Primò. Quod attinet Ioannis à Falkemberg librum, res ita se habet. Cùm nempe Legati Regis Poloniæ *Sessione XLV.* instituissent pro damnatione famosi libelli Ioannis à Falkemberg, qui teste Cromero Warmiensi Episcopo, à Cruciferis subornatus, in Uladislaum Regem, & in omne Polonum Nomen scripserat, ita ut teste Gersonio *Dial. apologet.* in eo ageretur de occisione omnium Polonorum: Martinus V. quia librum illum *Sessione ultimâ Conciliariter* damnare nolebat, videns tumultum inter plures exortum fuisse, & jactitari ab aliquibus, errorem Ioannis Parvi in Concilio Constantiensi damnatum, *de Tyranno per quemlibet occidendo*, fore renovandum, nisi libellus ille censurâ publicâ proscriberetur: exinde idem Pontifex ad hujusmodi exprobrationes respondendo declaravit: *Se omnia & singula in materiâ fidei per Constantiense Concilium* Conciliariter *sancita tenere, & inviolabiliter observare velle, ipsaque sic* Conciliariter *facta approbare & ratificare.* Quâ proinde declaratione manifestum omnibus fecit Pontifex, à se quoque confirmari Constantiense Decretum adversùs Ioannem Parvum *Conciliariter* editum *de non occidendo Tyranno*, quod Decretum quia Martinus V. specialiter non approbaverat, aliqui ab eo non confirmari credebant. Quandoquidem ergo in hac declaratione authentica Decretum *de non occidendo Tyranno*, computetur in materijs fidei à Synodo Constantiensi *Conciliariter* sancitis, ideo nefas est, talem Martini V. confirmationem extendere ad ulteriora Decreta, quæ vel non sunt *in materia fidei*, vel non fuerunt *Conciliariter* statuta.

Secundò. Quia idem Pontifex *in prætactâ declaratione* adjecit clausulam, *& non aliter, nec aliomodo*, rectè hinc advertit Spondanus, Martinum V. non solùm respondisse ad petitionem Legatorum Poloniæ, indicando, licèt libellum Ioannis à Falkemberg damnare nollet, à se tamen reprobari errorem *de occidendo Tyranno*: sed eâ occasione significâsse, quæ Concilij Decreta ipse auctoritate Apostolicâ ac supremâ probaret, quæ verò non: *Ne si anteà quidquam* (sunt verba prætacti Spondani) *de ijs agere voluisset, tumultum in Patribus excitaret ob ea, quæ ambiguè decreta fuerant de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de Synodi potestate reformandi Ecclesiam tam in Capite, quàm in membris. Has enim propositiones, uti sonare videntur, absolutè sumptas, nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, ejúsque successoribus auctoritati ac potestati, ipsiq; demum naturæ rei, quâ Caput debet membra regere, non regi à membris.* Hoc adeò testimonium hujus Gallicani Episcopi tantò pluris faciendum est, quantò certiùs noscitur sedulò pervolvisse manuscriptos Constantiensis Concilij codices Parisijs in *Bibliothecis Christianissimi Regis, & S. Victoris* asservatos. 94.

Tertiò. Desinat igitur Elliesius *in primâ suâ exceptione* jactare, ac si Martinus V. ad Pontificatum à Concilio evectus, stante quidem Concilio, sese huic obedientem præstitisset, eo autem finito, plus æquo extulerit suam auctoritatem, interdicens appellationem à Pontifice ad futurum Concilium. Non enim levibus de causis adductus fuit, ad Concilij super Papa certo præsertim, ac indubitato auctoritatem impugnandâ: noverat enim, quan- 95.

tâ

tâ animi constantiâ Cardinalis Zabarella sese opposuerat articulo, quo Constantiensi Synodo tribuebatur auctoritas *reformandi Ecclesiam in Capite & in membris*. Memoriâ retinebat, quàm graviter plerique Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus contra *Sessionis V.* Decreta protestati erant. Optimè sciebat, quot contentiones post triumObedientiarum unionem in Concilio excitatæ fuerint, ne fieret reformatio Ecclesiæ ante electionem unius veri, & indubitati Pontificis. Oculatus testis extiterat jurgiorum, rixarum, & periculorum, quæ Cardinales subierant, ut Patres Concilij materiam reformationis reservarent judicio futuri Pontificis. Oblitus non erat responsi, quod Nationi Germanicæ petenti Decretum Pontificiæ electionis irritans per modum cautionis *de fiendâ per futurum Pontificem reformatione*, datum fuerat: quòd scilicet Papa *electus ligari non posset*. Præsens fuerat, quando Concilium auctoritate *coactivâ* abstinuerat in suis Decretis, legitimum Pontificem spectantibus. Non multum temporis transiverat, quo ante Sessionem ad articulum II. *de reformationibus* Sedis Apostolicæ, & articulum VIII. *de officijs Cancellariæ & Pœnitentiariæ reformandis*, nè verbum quidem Nationibus & Patribus Concilij responderat, quia ad ipsos reformationem in Capite, seu Curia Romana spectare, non credebat. Mente tenebat datum eodem tempore à se, & pluribus Nationibus responsum ad articulum Germanorum; propter quæ, & quomodò Papa possit corripi & deponi: quòd nimirum eâ de re, quia novitatem sapiebat, nihil statui deberet. Et ne quisquam sequentibus temporibus ex *Sessionis V.* Decretis probandum susciperet, legitimum Pontificem *judicialiter* corrigi, vel deponi posse, *Sessione XLV.* ex petitione Legatorum Regis Poloniæ, ipsomet etiam Spondano animadvertente, occasionem cepit exponendi mentem suam de eorum invaliditate, dicendo, se auctoritate Pontificiâ non probare Synodi Constantiensis Decreta, quæ aliter, quàm *in materia fidei Conciliariter* acta fuerant: ut sic indicaret, Decretum *primum Sessionis V. de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, & Decretum *secundum de potestate coactiva*, quatenus contingere possent Papam indubitanter legitimum, tanquam aliter & alio modo, quàm *Conciliariter* & *in materia fidei* facta, à se neque probari, neque in auctoritatem recipi.

96. *Quartò.* Proinde circa Martini V. Decretum *de non appellando à Pontifice ad Concilium*, audiamus Universitatis Parisiensis Cancellarium *in Dialogo apologetico pro Constantiensi Concilio*, ita loquentem: *Pro parte Dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium. Cui appellationi, cùm respondendum esset, lata est, ut dicitur, in Consistorio Generali & publico, quod ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub formâ Bullæ: continebátque; in nullo casu licere appellationem à Papâ facere, nec ejus judicium in causâ fidei declinare.* Idem Gersonius refert insuper hujus Bullæ tenorem: *Martinus V.* inquiens, *in suâ constitutione ad perpetuam rei memoriam factâ: & promulgatâ in Consistorio Generali celebrato Constantiæ sexto Idûs Martij, Pontificatûs sui anno primo, ita decrevit, nullis fas esse à supremo judice, videlicet Apostolicâ Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei* (quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) *declinare.* Quomodò igitur Martinus V. clariùs, ac expressiùs exponere potuis set Sedis Apostolicæ super Concilio authoritatem? Nititur equidem Gersonius illud Decretum ita exponere, ut nemini fas sit, à Sede Apostolicâ appellare ad Ecclesias particulares, seu Metropolitanas, & Episcopos *singillatim* sumptos, secùs tamen, ait, esse, *quando admati sunt* in Concilio, Universalem Ecclesiam repræsentante.

Sed quis non videat, hanc expositionem 97.
pugnare cum apertis verbis Martini V. quibus continetur etiam ratio appellationis à Romano Pontifice interdictæ, quòd nimirum Pontifex sit Iesu Christi in terris vicarius, adeoque Divinitus ovili Ecclesiæ præpositus, & *supremus Iudex constitutus.* Quomodò autem subsistere posset, Romanum Pontificem, uti alias decrevit Constantiensis Synodus, esse *immediatum* Christi vicarium, si Concilium esset adhuc *immediatius*, sicque superius Papâ, cùm tantò major sit in Ecclesiâ superioritas, quantò auctoritas Christi vicaria est *immediatior?* Nequit ergo illa Gersonij responsio conciliari cum Martini V. constitutione, ipsomet etiam Gersonio in tractatu, *quomodò, & an liceat à Summo Pontifice appellare?* disertè asseverante, Decretum illud Pontificium pugnare cum Synodalibus constitutionibus *anno 1415.* sexto Idûs Aprilis Constantiæ editis. Cùm igitur istæ Synodales constitutiones sint ipsa duo priora Decreta *Sessionis V. de potestate Ecclesiasticâ*, sinè communi deliberatione, Cardinalibus ac Regis Galliæ Oratoribus in contrarium protestantibus edita; quæ Gersonius de superioritate Concilij intellecta, probat per Martini V. Constitutionem labefactari: idcircò planum hinc redditur, Martinum V. non approbâsse, sed improbâsse illas constitutiones *quintæ* Constantiensis Sessionis.

98. *Quintò.* Adversùs prætactum Martini V. *de non appellando* Decretum, excipit equidem Maymbourgus, *non esse factum Conciliariter, neque sacro approbante Concilio, neque cum consensu Ecclesiæ.* Sed hoc etiam posito, minimè adhuc verificatur, Martinum V. habuisse ratas Sessionis V. Constantiensis de authoritate Concilij constitutiones? Hoc autem posito, hisce jam deficit forma substantifica Oecumenici Concilij, juxta *Matth. 18. caput* consistens ex Christi vicario, Papæ proprio charactere, consensuque Duorum, corporis scilicet unà & Capitis Ecclesiæ, Christum in terrâ repræsentantis. Imò verò, quomodò fieri potest, Patres Constantienses Concilij *tacitè saltem* non approbâsse Illam Martini V. *de non appellando* constitutionem, utpote quæ in Consistorio

publico

publico, præsentibus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, Constantiæ edita fuit, dum omnes Concilij Patres in eâdem civitate adhuc præsentes erant, nullo in sequentibus Sessionibus se opponente, sed universis permittentibus, ut Sessionis XLV. actis insereretur? Quinimò, cùm illud Martini Decretum latum fuerit ex occasione, quòd Posoni appellâssent ad futurum Concilium, eò quòd Pontifex ille noluisset ratum habere Patrum Constantiensium *Conciliariter* congregatorum Placitum *de damnando libello Ioannis à Falkemberg*; numquid ex hoc redditur jam manifestum, Martinum appellationem à Sedis Apostolicæ judicio ad Concilium Universale interdicendo, ostendisse, se nullatenus subjectum esse *Conciliari* judicio, seque contestatum fuisse supremum in Ecclesiâ judicem, à quo, ipsomet etiam teste Gersonio, ad Concilium Universale appellari non sustineret is Pontifex.

Sextò. Reponet Adversarius. Ab ipsismet Patribus Concilij Constantiensis *sub hujus finem* fuisse interpositam appellationem à Papa ad futurum Concilium, casu, quo Martinus V. Pontifex Maximus noluisset Decreta fidei *Conciliariter* concluſa, suæ authoritatis accessu & consensu approbare, atque confirmare. Verùm ex hoc ipso videtur clarè à Patribus Constantiensibus agnita fuisse Papæ supra Concilium *acephalum* authoritas. Ubi namque Decreta fidei fuerant *Conciliariter* concluſa, ad sui firmitatem, & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto, ita indigebant Papæ consensu authorizativo, ut ad hunc à Summo Pontifice exigendum jus esset tum Concilio *acephalicè* adhuc spectato, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus universis. Quòd si proinde Papa tunc Decretorum *Conciliarium* authorizativum consensum suum non tantùm denegâsset, sed, si quæ à fidei veritate fuissent discordantia, *positivè* reprobâsset, tunc Decreta ejusmodi nulla, & inania extitissent. Ubi verò Pontifex suum consensum, sanctionum Synodalium authorizativum, suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspenso, quamdiu non esset eisdem accessura Summi Pontificis approbatio & confirmatio. Quare tum Concilio, quamdiu hæc non accederet, *Acephalico*, tum Præsulibus Ecclesiæ jus erat semper integrum, apud Papam instandi pro tali consensu: & dum iterum, iterumque suspenderetur, causam pertrahendi ad futurum Concilium, ut in eo caperetur experimentum, vel de conjungendo utriusque, Concilij scilicet, & Papæ consensu, vel de hujus *positivâ*, sicque Decretorum annullativâ reprobatione. Juxta quem adeò modum sub Constantiensis Concilij finem interposita hypothetica, à Papæ gravamine (si nimirum nollet suum authorizativum consensum Decretis *Conciliariter* factis adjungere) ad futurum Concilium appellatio nihil aliud importabat, quàm instantiam ad efflagitandam mutuam & Papæ & Concilij, seu præsentis, seu futuri, super *Conciliaribus* Decretis consensionem, ut omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo, & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cujusmodi adeò appellationis modo & conditione per se liquidum & manifestum est, nullam inde probari Concilij præsertim *Acephali* super Papam, sed Papæ potiùs super Synodo *Acephalicè* spectatâ superioritatem.

Hinc *septimò* facilè evanescunt illæ consequentiæ, quas Elliesius in sua tum *primâ*, tum *secundâ præsenti exceptione* faciebat. Cùm enim Pisana Synodus super ipsos etiam schismaticos, ac dubios Papas, non aliter præsumpserit assumere judiciariam de eis deponendis authoritatem, nisi quatenus fovendo schisma, *præsumptivè* judicari poterant esse hæretici, utique dicendum est, Concilium quoque Constantiense in suis Decretis non erga Papam legitimum, sed erga schismaticos de Papatu contendentes sibi arrogâsse authoritatem. Et hinc omninò cessat Elliesiana exceptio, ac si isti dubij Papæ (in hoc enim censu extitisse quoque Ioannem XXIII. constat ex dictis *superiùs*) potuissent Concilio facere inhibitionem, ne huic liceret, contra se facere processum. Nec est alicujus firmitatis subsequens Elliesij replicatio ex eo petita, quòd, dum Martinus V. edidit suam constitutionem *de non provocando ad Concilium*, schisma pro tunc non fuerit finitum: quantumvis enim Petrus de Luna se jactitârit, eo adhuc tempore esse legitimum Pontificem: attamen jam erat Concilij authoritate super Papas dubios justè protensâ depositus, ut nullum ex ipso jam vigorem habere posset schisma de jure prorsus extinctum. Quomodò autem illa Martini de *non appellando*, constitutio prætendi potest, non fuisse per orbem promulgata, atque hucùsque esse ignota, cùm tamen Bullæ Cœnæ Domini promulgatio eam ubique faciat cognitam.

99.

100.

ARGUMENTUM VIII. & *ultimum* Scheleſtrati.

101. INducitur hic Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus argumentari ex hoc: quòd prætacta Decreta *quartæ* & *quintæ* Sessionum Concilij Constantiensis, ad tempus tantùm schismatis pertineant, nec adeò extendenda sint ad illud tempus, quo unus est Pontifex legitimus.

Exceptiones Elliesianæ.

102. EXcipitur *primò*. Concilium Constantiense generatim loqui de omni tempore, & de omni reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris, tam in fide, quàm in moribus, non autem tantùm de extirpatione schismatis.

Secundò. Non tantùm loqui de hoc vel illo Concilio, sed generatim de cujuscunque Generalis Concilij Decretis, quibus omnes, atque ipsi etiam Pontifices, quovis tempore parêre oportere, ibi definiri, sententiamque excommunicationis, seu pœnitentiæ ferri in eos, qui Decretis Conciliorum non parêrent.

Tertiò. Supremam hanc Concilij authoritatem à Patribus Constantiensibus deduci ex eo, quòd Synodus Generalis universam repræsentet Ecclesiam, & errare non possit, quod cuivis Concilio Generali, quovis tempore celebrato, æquè convenire. Concilium quoque Constantiense tuliſſe judicium non solùm in illegitimos Pontifices, sed etiam in legitimum Ioannem XXIII.

Quartò. Illud ipsum Concilium *Sessione XVII. & XXXIX.* condidisse leges, quibus futuros Pontifices teneri voluerit. Non ergo censuisse tantùm, se tempore schismatis legem Pontificibus imponere posse, sed etiam leges condere, quibus Pontifices legitimi tenerentur.

Refutatio istarum Exceptionum.

103. PRimò. Præscindendo etiam à Manuscriptis codicibus ex Scheleſtrato hactenus adductis, & insistendo Basileensium de Synodi Constantiensis actis compilationi, nec non Cleri Gallicani verbis *secundo suo articulo* expressis, adhuc evincitur, quòd Decreta *quartæ* & *quintæ* ejusdem Concilij Sessionum sint restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij: prout videre licet *superiùs à n. 28.* Quæ si consulas, facilè animadvertes imbecillitatem exceptionum Ellieſij hìc deductarum.

104. Hinc pro *secundo* ad *tertiam* Ellieſij exceptionem progrediendo, prorsus concedo, supremam Concilij authoritatem deduci ex eo, quòd *universam repræsentet Ecclesiam.* Nequit autem universa subsistere Ecclesia ex præciso Prælatorum Ecclesiasticorum Corpore hierarchico, sed quà informato per Oecumenicam Capitis, Christum in terra visibiliter repræsentantis præsidentiam; siquidem Christus Concilij Oecumenici characterem sanxerit, ex nomine Christi vicario, solius Papæ proprio, infallibilitatemque in decidendis fidei dogmatibus statuerit ex consensu Duorum, & Corporis hierarchici, & Capitis Ecclesiæ mystici. Quare *indefinita* ligandi & solvendi potestas *Matth. 18.* promissa Ecclesiæ, nequit huic convenire in Concilio *acephalo*, sed Concilio *plenè* Oecumenico repræsentatæ. Sed neque isthæc Concilij Oecumenici *indefinita* ligandi potestas prævalere potest adversùs alteram æquè *indefinitam*, Petri successoribus *Matth. 18.* promissam auctoritatem. Et hinc, si Concilium etiam Oecumenicum leges condat, quæ videantur ipsum quoque Papam concernere: nequeunt tamen isthunc obstringere *quoad vim coactivam*, sed *quoad vim duntaxat directivam*, non ex præcisa Concilij *maximè acephali* auctoritate, sed ex altioribus fidei ac Religionis virtutum principijs, conscientiæ in ipso etiam Papâ obligatoriam. Quibus ita constitutis, facilè jam evanescunt *tertia quoque & quarta in præsenti* adductæ Ellieſianæ Exceptiones: maximè cùm Synodus Constantiensis pro statu *quartæ & quintæ* Sessionum fuerit *acephala*, minimè proin præpotens, ad Papam futurum, suis decretis obstringendum, nisi quatenus ijsdem erat accessurus auctorizativus Pontificis postmodùm eligendi consensus, quem tamen haud fuisse præfinitum decretis *IV.* & *V. Sessionis*, quà auctoritatem Concilij super Papam, sed quà fidei duntaxat materiam concernentibus, liquet multimodè *ex antecedenter* deductis.

Quibus pro *tertio*, & *ultimo* per modum coronidis subjungere jubeat disquisitionem: *Quo in censu habenda sit Cleri Gallicani secunda, hactenus ventilata de Concilio Oecumenico propositio?* Fatetur equidem Clerus Gallicanus; *Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam inesse potestatem.* Quomodò autem hæc Christi Vicariæ potestatis plenitudo subsisteret, nisi protenderetur super quocunque *morali* ad regnum cælorum ordinabili? In ejusmodi autem *moralitatis indefinitâ* sphærâ numquid sunt etiam decreta *Conciliaria?* Hæc equidem si *moralia* sint, etiam post sui ex confirmatione Pontificiâ authorizationem, secundùm rerum exigentias, sunt mutabilia: si verò sint *dogmatica*, eatenus post sui ex characterе Pontificiæ authorizationis confirmationem, obtinent consummatæ in fide infallibilitatis, Primam Veritatem, ceu fidei motivum *authoritativè* applicantis certitudinem, ut ipsemet etiam Papa ob *Primæ Veritatis* eis taliter applicatæ *summam reverentiam*, teneatur ad illorum assensum. Nihilominùs antecedenter ad eorum, ex Pontificiæ authorizationis accessu confirmationem, noscuntur in eo adhuc versari statu, ut super hujuscemodi *Conciliaribus* sanctionibus comprobandis, adhuc protendatur Pontificia authoritas. Ex quâ proinde protensione, *Quodcumque* ad regnum cælorum in terris ordinabile *morale* complectente, mensuranda est illa vicariæ Christi in Summo Pontifice potestatis plenitudo, quam ipsemet etiam Clerus Gallicanus est professa, haud profectò substitura, nisi protenderetur super omni *Conciliari* decreto. Ex vi cujus adeò protensionis non Concilij supra Papam, sed hujus supra Concilium, qua *acephalicè* spectatum, superioritas asserenda est. 105.

FINIS.

AR-

ARTICULUS III.

DE

Pontificiæ poteſtatis plenitudine, ac univerſalitate erga ſacros Canones, ac leges ſeu Univerſalis, ſeu cujuſvis Particularis Eccleſiæ.

ERtius Cleri Gallicani in Conventu Pariſienſi anno 1682. editus articulus ita ſe habet: *Apoſtolicæ poteſtatis uſus moderandus eſt per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos: valent & regulæ, mores, & inſtituta à Regno & Eccleſiâ Gallicanâ recepta, Patrumq; termini manent inconcuſſi, atque id pertinet ad amplitudinem Sedis Apoſtolicæ, ut ſtatuta & conſuetudines tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmatæ, propriam ſtabilitatem obtineant.*

Hanc propoſitionem expendendo Author *tract. de libert. Eccleſ. Gallic. lib. 6. cap. 1.* diſſerit in hunc modum- *Poteſtatis uſum,* inquiens, non poteſtatem ipſam Summi Pontificis moderandam cenſent Illuſtriſſimi Antiſtites: quia nimirum authoritati à Chriſto ipſo collatæ ſolus, qui contulit, poteſt modum ponere, ac limites præfigere. Sed videtur, quemadmodùm poteſtatem, ita & *poteſtatis uſum,* ſolus, qui conceſſit, poſſe moderari, niſi eam facultatem alteri permiſerit; quæ facultas cui, quando, quatenus ſit indulta, ignoramus. Scimus quidem, *ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem,* ut habet *Secunda* propoſitio, ſed à quo poſſit illius *poteſtatis uſus* impediri, ac ligari; unde habemus?

Docent Illuſtriſſimi Præſules, id fieri debere *per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos.* Abſit, ut ego putem, debere Summum Pontificem Divinas illas, & ubique receptas regulas perfringere; quin etiam ex animo cuperem, ut ad illarum obſervationem alios adigeret, præſertim in Gallia, ubi, ut notavit Author libelli Gallico idiomate conſcripti, occaſione rerum in Comitijs Cleri illius Regni tractandarum, vix aliâ in re viget auctoritas Romani Pontificis, quàm in concedendâ prætermittendorum Canonum veniâ.

4. Poteſtatem igitur Romani Pontificis ad diſpenſandum ſuper Canonibus agnoſcunt Galli, ſiquidem tam frequenter eam implorant: uſum illius eſſe moderandum, & nos agnoſcimus, idque Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac conſequenter Chriſtianis moribus plurimùm conducere, arbitramur: ſed quia incidunt interdum cauſæ, ob quas à Jure communi, atque à Canonibus, vel à Canonum litterâ, recedendum videatur, cujus erit, tunc temporis dubium ſolvere? Nec enim pro quibuslibet rebus congregari Generalia Concilia poſſunt. Nónne Summi Pontificis, cùm Canonum ſit non ſolùm cuſtos, & vindex, ſed etiam interpres? Itaque vel nulla, vel neceſſaria, vel dubia erit cauſa, propter quam prætermittentur Canones: ſi neceſſaria, vel dubia, pro Papa, utpote ſuperiore, judicandum erit, ipſique parendum. Abſque ullâ verò cauſâ ipſum *Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos* violaturum, non exiſtimo: quòd ſi tale aliquid ejus Officiales tentarent; id unum à Clero Gallicano poſtularem, ut eâ ſe ratione gereret erga ſanctam Sedem, quâ ſe haberet erga Regem, cùm à Regijs Officialibus injuriam aliquam patitur.

Non enim minor reverentia debetur in 5.
ſpiritualibus Chriſti Vicario, quàm in temporalibus Principi ſæculari; nec minùs ſcandaloſum, ac Religioni periculoſum eſt, Summo Pontifici adverſari, prætextu violatorum Canonum, quàm ſocietati civili, ac tranquillitati publicæ Poteſtatibus mundi reſiſtere, cùm injuſta exigunt. Sed quàm magis metuendum eſt, ne, qui tam generosè in ſupremum Paſtorem inſurgunt, quaſi Canones violet, cùm Canonum obſervationem urget, Principibus ſæcularibus, eorumque Miniſtris non ſolùm temporalia, ſed etiam ſpiritualia Eccleſiæ jura uſurpantibus, ultrò obſequantur, ne dum ſe viriliter, pro ſuo Paſtorali officio, atque ad exemplum ſanctorum quàm plurium Antiſtitum, quos hiſtoriæ celebrant, & univerſa veneratur Eccleſia, non opponant. Exemplo ſunt conceſſio Regaliæ, non expectato Papæ conſenſu, ad quem delatum fuerat negotium, quique Concilij Lugdunenſis Decretum exequendum curabat, & declaratio circa poteſtatem Eccleſiæ eâ occaſione facta.

Quas *regulas*, quos *mores*, quæ *inſtituta* 6.
valere contendant Illuſtriſſimi Antiſtites, non ſatis capio; quandoquidem illa *à Regno, & Eccleſiâ Gallicanâ recepta* dicuntur. His namque verbis, niſi fortè Regnum, & Eccleſia *copulativè* ſumantur, quod magis crediderim, viderentur, non ſolùm diſciplinam Canonicam in Eccleſijs illius Regni vigentem retinere velle, quod quamdam præſefert Religionis ſpeciem, ſed etiam innumeros abuſus, qui contra jura, & libertatem Eccleſiæ à Magiſtratibus ſæcularibus inducti ſunt, & quæ ceu

Regni leges habentur, quales sunt appellationes tanquam ab abusu, judicia criminalia de personis Ecclesiasticis in Tribunalibus Laicorum prætextu casuum privilegiatorum, cognitio causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium sub prætextu possessorij, & alia multa, de quibus recurret sermo, ubi de singulis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ capitibus tractandum erit.

7. Sequitur in prædicta propositione; *Patrúmque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant.* Magnifica verba, &, ut sonant, obvijs ulnis excipienda? Si enim *per regulas, mores, & institutа à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta*, nihil aliud intelligatur, nisi *statuta, & consuetudines Apostolicæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ*, æquissimum est, *ut propriam stabilitatem obtineant, Patrúmque termini maneant inconcussi.* Operæ autem pretium esset, statuta ejusmodi, & consuetudines percensere, ac quid, & à quo in illa peccetur, notare, promptissimumque remedium apponere.

8. Alioquin enim nequaquam tollitur suspicio, ne sub honestorum verborum specie occultetur animus, sanctæ Sedis Decreta propijs rationibus accommodandi, & quidquid minùs commodum visum fuerit, licèt aliàs Canonicæ disciplinæ congruum, & Ecclesiæ utile, respuendi.

9. Quamvis autem non constet, quæ sint illa statuta & consuetudines; Summo tamen Pontifici opponi intelligimus, & ex temporis circumstantiâ conjicitur, ea esse præsertim, quæ in negotijs superioribus his annis gestis, violata esse, querebantur Episcopi.

10. Ex hoc summario prætactæ propositionis examine quàm plures etiam particulares, Ecclesiam Gallicanam, ejusque prætensam libertatem, vel etiam Regia circa res Ecclesiasticas jura concernentes, moveri hîc possent disquisitiones, quas tamen in præsenti restringimus ad sequentes. 1. *An, & quid potestatis saltem* indirectè *conveniat Papæ circa jus Divinum, non equidem* formaliter *in se spectatum, sed ratione subjecti ab hominis arbitrio libero promanantis* materialiter *sumptum?* 2. *Quanta sit Papæ authoritas erga sacros Canones, & decreta Oecumenica Conciliorum?* 3. *Annon Papæ duntaxat, sed etiam Episcoporum jurisdictio sit* immediatè *à Christo?* 4. *Quousque extendatur Papæ jurisdictio in ordine ad forum contentiosum Ecclesiasticum?* 5. *Quæ fuerit antiquæ Ecclesiæ disciplina circa formam judiciorum, speciatim Appellationum ad Sedem Apostolicam? Vbi agitur contra Ellesium Theologum Parisiensem.* 6. *Quænam in via Facti circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solidæ probationis fundamenta? Vbi rursus agitur contra Ellesium.* 7. *Quid authoritatis habeat Papa circa beneficia, & Bona Ecclesiastica?* 8. *Quid possit circa Ecclesiam Gallicanam, ejúsque specialia jura & libertates?* 9. *Quid erga jura Episcopalia?* 10. *Disquiritur specialiter adversùs Ellesium, quænam sit radix & origo præeminentiarum Ecclesiasticarum?* 11. *Quid Papa possit circa jura Regia, causas Ecclesiasticas præsertim concernentia?* 12. *In quo censu habenda sit Gallicana libertas prætensa adversùs jura Ecclesiastica?* 13. *Quænam fuerit antiquitus disciplina circa Excommunicationem? Vbi denuò agendum est cum Ellesio.* 14. *Quid sentiendum sit de appellationibus intrà Galliam ad Iudices sæculares interponi solitis ab abusu Ecclesiasticæ jurisdictionis?* 15. *Ex quibus ulterioribus fundamentis tales ab abusu appellationes justificentur à Gallicanis Doctoribus?* 16. denique; *Quid de Regalia, ejúsque extensione videatur sentiendum?*

DISQUISITIO I.

An, & quid potestatis saltem indirectè *conveniat Papæ circa jus Divinum, non equidem* formaliter *in se spectatum, sed ratione subjecti ab hominis arbitrio promanantis, materialiter sumptum?*

§. I.

NOn posse Papam in Iure Divino dispensare, probat Author Regalis sacerdotij *lib. 4. §. 1.* tum Summorum Pontificum testimonijs. Etenim Urbanus Papa *in Cap. Sunt quidam. 25 q. 1.* relatus expresè decernit: *Vbi apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres, substantialiter aliquid definierunt, ibi non novam dare legem, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debere Romanum Pontificem: cùm sit, quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Innocentius III. *in Cap. Litteras. De restit. spoliat.* disertis quoque verbis statuit: *In gradibus consanguinitatis Divinâ lege prohibitis, dispensari non posse, bene tamen in interdictis constitutione humanâ.* Alexander III. *in cap. Super eo. 4. De usur.* *Cùm usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur*, negat, *super eo posse fieri dispensationem.* Tum authoritate primariorum Theologorum, Divi Thomæ *1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.* item *in 4. dist. 47. art. 4.* & *in quodl. 4 q. 8. art. 3.* Divi Bonaventuræ *in 4. dist. 38. art. 2.* & S. Antonini *3. par. tit. 22. cap. 7. §. 23.* Tum denique multis rationibus *cit. §. 1. n. 3.* deductis.

Cujus tamen resolutionis suæ idem Author *n. 5.* eas facit limitationes, ut asserat, Summum Pontificem posse in jure Naturali *permissivo*, sive *non præceptivo*, nec non in votis, & juramentis Deo factis, atque Apostolorum Canonibus, non ex Divina lege, sed humanâ Apostolorum authoritate constitutis, ex causa dispensare: posse insuper in conclusionibus, quæ non necessariò, sed dependenter ab humano arbitrio sunt ex naturalibus principijs deductæ, Papam, aliúmve Principem dispensare; posse denique Divinam, naturalemque legem, quando sunt dubiæ, interpretari, & an in particulari eventu aliquo obligent, nec ne, *authoritativè* decernere. Horum accuratior discussio videri equidem potest apud *præcitatum* Authorem, nos verò in præsenti ad hoc intenti erimus, ut videamus, quousque extendi valeat *indefinita* Apostolicæ Petro

commissæ authoritatis *Quodcunque* ligandi & solvendi potestas ?

§. II.

Adversariorum argumenta referuntur ac expendumtur cum suis responsionibus, & conclusione super ys reflexiva.

ADversarios hîc vocamus, qui ex utraque parte versantur in extremitate, per nostratem denique conclusionem reducendâ ad conveniens aliquod moderamen.

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

EX Canonistis quàm plures, speciatim Abbas *in Cap. Proponit. n. 20. De conces. præbend.* Felinus *in Cap. Ecclesiarum. n. 19. & 20. De constitut.* affirmant *simpliciter*, jus Divinum posse à Papa dispensari : fundamento hujus assertionis suæ desumpto ex Christi Domini verbis *Matth. 16.* dicentis ad Petrum: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ex his enim verbis colligimus, Papæ esse facultatem ac potestatem dispensandi in juramentis & votis, & in matrimonio rato. Et hinc in talibus relaxationibus Pontifex utitur verbo dispensandi, quo manifestè insinuatur, non per solam declarationem, sed per dispensationem tolli vincula ejusmodi. Similiter spirituale matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam suam sponsam esse Juris Divini, authoritate tamen Pontificiâ relaxabile, seu dispensabile, constat *ex cap. Inter corporalia. De Translat. Episc.* At Pontificem solvendo istud vinculum, non uti potestate humanâ, sed Divinâ, id est, Divinitus concessâ, patet ex eodem Canone.

Agnoscenda igitur est in Pontifice potestas quædam Divina, vi cujus possit relaxare Jus Divinum, non quidem in omnibus, sed in aliquibus præceptis, uti advertit Sanchez *cit. n. 6.* pro hoc dignoscendo talem statuens regulam; quòd aliqua sint præcepta Divina, quorum relaxatio in nullo excogitabili casu possit expediens esse, cujusmodi sunt de non fornicando, de honorandis parentibus, de servandis formis Sacramentorum divinitus institutis : econtra verò alia sint præcepta Divina, quæ licèt in universum expediant, in aliquo tamen particulari casu possint non expedire, & sic admittere dispensationem; velut in juramentis, votis, matrimonio rato, & similibus.

Responsio.

IN illis Christi Domini verbis apprimè observandum est, quòd Apostolica Petro, ejusque Successori commissa authoritas non *absolutè* protendatur ad quodcunque homini inexistens vinculum, sed ad solvendum *Quodcunque super terram*. Quod ergo Summus Pontifex solvere potest Juris vinculum, hoc de illo genere esse debet, *quod est super terram*, adeoque fundatum in aliquo hominis Ecclesiæ subjecti actu *morali*,

Objectio.

INstari potest ex parte adversa. Hanc responsionem videri nixam illâ Theologorum distinctione, quâ censent, discernendum esse in jure *Divino*, quatenus unum sit *absolutè* derivatum ex Dei arbitrio, qualia sunt Divina præcepta sive naturalis juris, sive institutionis Christi, quoad Sacramenta & similia : alterum verò sit ortum à voluntate humana, atque ex hujus duntaxat suppositione incipiat exerere suam ex jure Divino obligationem : cujusmodi est votum & juramentum. Anne igitur in hoc posteriori saltem juris Divini genere locus esse potest *strictæ* ac *propriè* dictæ dispensationi per Summum Pontificem faciendæ? 6.

Responsio.

SUnt equidem ex Theologis & Canonistis, speciatim Richardus *in 4. dist. 38. à q. 9. in Corp. & ad 1.* ac Hostiensis *Cap. Non est. n. 1. de votis.* qui de illo posterioris juris Divini genere admittunt, posse fieri *propriè dictam* dispensationem, seu relaxationem, ducti eo argumento, quòd solvendi potestas Pontificia protendatur super quocunque in terris *Morali* ortum trahente ex libero hominis arbitrio. Verùm Divus Bonaventura *in 4. dist. 38. art. 2. q. 3.* & Glossa *in cit. Cap. Non est. Verbo. Authoritate.* arbitrantur, ne in hoc quidem juris Divini genere posse à Papa fieri propriam dispensationem, sed declarationem duntaxat. Quid ergo hâc in re sentiamus, *inferiùs* in nostrate conclusione exponemus. 7.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

ARgumentari licet 2. ab authoritate Divi Thomæ *quodlibeto 4. art. 3. in Corp.* & *1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.* & aliorum ejusdem sequacium Theologorum, *simpliciter* negantium, posse Papam in jure Divino saltem *propriè* dispensare. Etenim dispensatio ab inferiore circa legem superioris facta justam causam necessariò exigit, [illegible]eat. At in lege Divinâ non potest [illegible]sta causa, ob quam dispensatio fiat. [illegible]or ista probatur. Quia cùm Deus Optimus Maximus omnes viderit casus & causas, qui sub lege Divinâ cadere debebant, & Divina voluntas, à quâ humana lex proficiscitur, sit omninò immutabilis; ideo planè sequitur; tum quòd, si aliquo casu voluit legis præceptum manere, justissimum sit, ut maneat, & justum esse non possit, ut auferatur ab inferiore. Tum quòd, si econtra nolit Deus, ut lex pro aliquo casu particulari teneat, nequeat intelligi ejus relaxatio per Pontificem facienda. Consequens igitur est, dispensationem propriam, quæ legis vinculum tollat, circa præcepta Divinæ legis à Summo Pontifice fieri non posse. 8.

Objectio.

9. INstari potest ex parte adversa. Ex præductæ rationis fundamento videri probatum, quòd in jure Divino *absoluto* complectente præcepta non tantùm *naturalia*, sed etiam *positiva*, Legis præsertim gratiæ, nec non Sacramentorum, alteriúsve rationis institutiones in Ecclesia à Christo *immediatè* factas, ne quidem interpretatio per modum Epikeiæ locum habeat.

Responsio.

10. ITa profectò sentiendum videtur, sed magis firmatur in sequenti conclusione, eò quòd institutio per Christum definita tum circa materiam & formam Sacramentorum, tum circa Hierarchicum Ecclesiæ ordinem, vi cujus debeant omnes esse sub uno capite, nec non potestatis tam Ordinis, quàm Jurisdictionis subordinatio, consistat omninò in indivisibili, nec adeò mediante Epikeiâ, admittat *in substantialibus* variationem aliquam.

CONCLUSIO.

11. NUllum prorsus Jus Divinum potest *Formaliter* relaxari per dispensationem Summi Pontificis, quamvis huic erga Jus Divinum ex suppositione voluntatis humanæ obligatorium, sit potestas *indirecta*, vi cujus non *Formaliter* in se ipso, sed *Materialiter* ex parte materiæ solvatur juris Divini obligatio.

Explicatur ex *præcitatis* Christi Domini verbis: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ex his namque verbis constat, duplicem vinculi per claves Pontificias solubilis assignari formalitatem, ita ut altera sit super terram, in ipsis scilicet hominibus Papæ universali Jurisdictioni subjectis; altera verò sit in Cælis, in ipsâ scilicet voluntate Divinâ, suâ tum *Physicæ* causalitatis, tum *Moralis* Dominij efficaciâ obligationem in homines inducente. Hoc autem fit quandoque ex absolutâ Divini Dominij potestate, quandoque verò ex hypothesi præviæ alicujus à voluntate humanâ liberè positæ actionis, velut actus peccaminosus est Divini adversùs peccatorem odij concitativus, ex vi cujus odij Divini fit homo obnoxius privationi gratiæ sanctificantis ac præmiorum; cujusmodi proinde reatus eatenus est ex jure Divino, id est, Divinæ voluntatis, ejusque Dominij efficaciâ de se omninò immobili, ut tamen sit supponens voluntariam hominis actionem. Similiter Jus Divinum ex voto & juramento ortum, *formaliter* nihil aliud importat, quàm voluntatis Divinæ spontaneas vi voti, seu juramenti Deo oblatas promissiones & obligationes, ex sui tum Dominij, tum Primæ per Iuramentum interpositæ Veritatis motivo acceptas, & firmas habentis efficaciam: ex quâ proinde voluntatis Divinæ immobili efficaciâ oritur *morale* de voto reddendo, ac re juratâ verificandâ debitum, ut sic *formaliter* importans obligationem tum Divini per voti redditionem Dominij recognoscendi, tum Divinæ per juramentum adductæ Veritatis reverendæ. In ejusmodi proinde, ad reatum ex peccato contractum subeundum, nec non ad Divinum Dominium ex voto recognoscendum, & ad Primam Veritatem ex vi juramenti debitè reverendam, juribus Divinis *Formaliter*, prout Deo inexistunt, nihil *per se loquendo*, habet potestatis Pontifex Summus. Nihilominùs ista jura Divina non ex absoluto Dei Dominio, sed ex peccati, seu voti, vel juramenti suppositione, actionis, vel passionis alicujus exactivo, fundantur super materiâ, quæ est sub clavibus Summi Pontificis; uti mox demonstrabitur.

PROBATIO I.

Desumpta ex potestate solvendi vincula peccatorum.

12. ETenim materia Divinæ justitiæ vindicativæ subjecta, hominisque adeò sub Divinæ vindicationis judicio ac jure constitutiva, noscuntur esse peccata *moraliter* perseverantia. Hæc autem potestatis Pontificiæ per jurisdictionem vi Sacramentalis absolutionis exercitam *directè* ea auferre potentis clavibus esse subjecta, constat ex fide. Eo ipso autem, quòd materia, super quâ Divinæ vindicationis jus est fundatum, sit ablata, ut sic cessat istud jus Divinum, non quidem in se *Formaliter*, sed *Effectivè*, quoad effectus scilicet vindicationis. Quare Ecclesia super istud jus Divinum non quidem habet *per se* ac *directè* potestatem ullam, potest tamen istud *Effectivè* spectatum, tollere *indirectè* per materiæ huic juri subjectæ subtractionem; Christo Domino insinuante, si Pontifex solverit vinculum, quod est super terram, peccati scilicet *moraliter* perseverantis reatum, ex consequenti quasi fore solutum & in cælis.

PROBATIO II.

Petita ex potestate solvendi vota & juramenta.

13. ETenim materia, super qua jus Divinum ex voto, seu juramento quasi partum fundatur, est actio quædam voluntatis nostræ liberè obligatoria. Eo ipso autem, quòd homo baptizatus quoad actiones suas *morales* sit sub jurisdictione Papæ, oportet, actiones voti & juramenti, non quidem *Physicè*, sed *Moraliter*, atque adeò quoad *moralem* sui perseverantiam, esse subjectas Pontificiæ potestati: quare Papæ est potestas solvendi illas *morales* voti & juramenti actiones, earumque *moralem* perseverantiam. Hæc ipsa verò solutio, quæ non potest fieri absque rationabili causâ, in eo se tenet, quòd per motivi altioris sub ipsâmet obedientiâ Pontificis debitâ consummandi applicationem, materia

voti seu juramenti reddatur inepta, ita ut sub tali, partim secundùm rei naturam, partim secundùm congruam obedientiæ Pontifici debitæ subjectionem, perfectioris virtutis motivo materia ejusmodi non jam sit de meliori bono. Unde ipsamet voti & juramenti materia tunc per Pontificis potestatem eatenus solvitur super terram, ut consequenter, per *indirectum* in cælis etiam, in ipsâmet voluntate Divinâ, non intelligatur ampliùs stare acceptatio materiæ per votum oblatæ, tanquam melioris boni. Constat igitur, qualiter jus Divinum ex suppositione liberæ hominis actionis resultans, non quidem *formaliter* sit dispensabile per Pontificem, *materialiter* tamen ex parte materiæ eatenus sit subjectum hujus potestati, ut *consequenter*, ac *per indirectum* mediante Pontificiâ potestate, intelligatur, non quidem *Formaliter* in se ipso, sed *Effectivè* tolli jus Divinum. Unde etiam fit, cùm juris Divini absoluti obligatio etiam *passiva* non radicetur in homine, sed diffundatur præcisè ex Divinæ voluntatis absoluto Dominio, neque Papa adversùs istud Dominium, ejusque causalitatem, atque adeò effectum, ex hac præcisè, non verò hominis voluntate promanantem habeat aliquid potestatis, non posse etiam *materialiter* dispensare in jure Divino absoluto.

§. III.

Corollarium finale.

14. Coronidis loco visum est operæpretium, hîc attexere ex singularibus rationibus per decurium exponendis, ab Authore *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 6. cap. 3.* motam quæstionem; *Vtrùm Papa habeat* immediatam *jurisdictionem super Ecclesiæ universæ fideles?* Explicatur quæstionis hujus status. Fatentur equidem omnes Catholici datam à Christo Summis Pontificibus in persona B. Petri curam, & potestatem invigilandi super reliquos Ecclesiæ Pastores, maximè ut salva semper sit fides & Religio. *Pasce oves meas* Jo. ann. 21. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Sed videntur aliqui dubitare, utrùm illa Romanorum Antistitum authoritas solùm circa Pastores versetur, ut illi gregibus suis attendant, illosque, ac seipsos juxta præscriptas à Christo, & ab Ecclesia universa, regulas gubernent: an verò etiam ad fideles, Prælatis inferioribus subditos, sese extendat, dum superiores *immediati* suis officijs non desunt. Concedunt enim, Summum Pontificem posse aliorum defectus supplere extra ordinem, dum ordinariæ viæ non suppetunt.

15. In quo reposita esset Romani Pontificis authoritas, non satis clarè statim omnibus perspectum fuit. Quia enim persecutionum tempore, vel schismatum, aliarumque calamitatum, impedita erat exterior Capitis cum membris communio, stante semper internâ fidei, ac charitatis unione, vix à Romano Pontifice ad alios præsertim remotos Pastores, aut greges primis tribus sæculis aliud, quàm quædam Epistolæ, pervenire potuit. Quamobrè Episcopi populos, ac se ipsos à tanto tempore suo judicio, vel cum aliorum consilio regere soliti, Papæ authoritatem ab impedimentis, quibus distenta fuerat, solutam, non tam subitò exceperunt; sed alij citiùs, alij tardiùs, nunc in isto, nunc in illo capite, prout sese offerebat occasio: donec integram libertatem consecuta, suum ubique robur obtinuit; quamquam varijs motibus, modò ex Hæreticorum, modò ex Schismaticorum, modò ex eorum etiam, qui ab Ecclesia non desciverant, parte, impeti nunquam destitit.

16. Et ne contra institutum nostrum extra Galliam evagemur, non defuerunt in eo Regno, qui Summi Pontificis Primatum à Christo fundatum confitentes, id tantùm muneris, & potestatis ei assignarent, ut daret operam, ne Pastores à proprijs suis officijs recederent: cæterùm non posse Papam, nisi propter illorum negligentiam, aut malitiam in foro externo causarum judicium ad se trahere; sed tunc tantùm eas judicare, cùm ad se per appellationem, aut aliam viam juridicam essent devolutæ; nec in foro interno pœnitentiæ Sacramentum per se, vel per alios conferre, renitentibus proprijs Pastoribus; eandem ferè, nec majorem in omnes Provincias Romano Pontifici, quàm unicuique Metropolitano in suam provinciam, facultatem tribuentes.

17. Hujus opinionis præcipuum videtur esse fundamentum, quòd, cùm Episcoporum jurisdictio à Christo ipso *immediatè* profluxerit, non possit eam Summus Pontifex vel tollere, vel imminuere, nec statutum à sponso Ecclesiæ ordinem confundere; cujus potiùs servandi causâ, majorem cæteris accepit potestatem.

ILLATIO I.

Refutatoria prætacti fundamenti.

18. Non illa duntaxat sententia, quæ jurisdictionem Episcoporum dicit, esse *immediatè* à Christo, falsitatis alibi probandæ est meritò redarguenda, sed hoc etiam posito, minimè tamen concesso, ita refellitur præinsinuatum fundamentum. Quemadmodùm enim Episcoporum jurisdictio *immediata* in omnes suarum Diœcesium fideles, quibus particulares Parochi præsunt etiam jure Divino, ut plures Scriptores Gallicani volunt, Ecclesiarum illarum particularium ordinem non pervertit, quamvis Episcopus possit non solùm invigilare, ut Parochi officijs suis ritè fungantur, sed etiam Parochianos per se gubernare, illorum confessiones per se, vel per Confessarios Delegatos audire, aliaque omnia officia Parochialia gerere. Ita non sequetur Ecclesiasticæ Hierarchiæ confusio, etsi Summus Pontifex in aliorum Episcoporum Diœcesibus functiones omnes Episcopales per se, vel per alios exercendi habeat facul-

ta-

cultatem: etsi Episcoporum jurisdictio non à Summo Pontifice, sed à Christo ipso manaret, quam quæstionem alibi fusè prosequemur.

19. At, inquies, illa regiminum multiplicitas multa haberet incommoda. Si enim diversa essent, confusionem non possent non parere, ordinariorum Pastorum contemptum inducere, scandalum excitare, charitatem minuere, &c. Verùm illa ipsa mala consequuntur, cùm Episcopi in Parochorum, præsertim juxta Canonicam disciplinam proprios, ac Parochianorum mores rectè instituentium Parochias, extraneos Sacerdotes immittunt, quorum est vivendi, & gubernandi ratio diversa. Ubique obest multitudo inordinata: ubique prodest, si ordinem sequatur: si omnes eundem finem intendant, omnes ad amplectenda opportuniora media parati sint, jucundiùs, expeditiùs, ac feliciùs ad metam omnes pervenient. Si quisque, quod suum, non quod Iesu Christi est, quærat; si suo quisque judicio duci, non aliorum consilium audire, nedum non sequi voluerit, pacis, ac tranquillitatis, fructusque omnis jacturam sequi, necesse est. Sic se res omnes humanæ habent. Quotusquisque est, qui suâ interdum authoritate non aburatur. Si ergo legitima non censeatur potestas, quâ quis abuti potest, æqualitatem inter omnes homines reponere oportebit, ex quo graviora, & numerosiora pericula certissimè orientur.

20. Debent quidem Summi Pontifices Canones, præsertim Conciliorum Oecumenicorum, quorum sunt Custodes, & exequi, & exequendos curare: nec Pastoribus, greges suos rectè administrantibus, obstare, aut in eorum regimen sine necessitate sese ingerere debent. Concordata servare, ac quæcumque pacis sunt, sectari. Si secus agunt, humiliter monendi sunt, imò & liberè, si opus sit: non tamen idcircò debita officia prætermittenda. *Quid tam indignum tibi* (verba sunt S. Bernardi ad Eugenium III. de consider. lib. 3. cap. 4.) *quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ Universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas, nescio, quomodò adhuc facere tuas. Erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam authoritatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait: Non est potestas nisi à Deo.* Et licèt *ibidem* gravissimè conqueratur apud Eugenium III. de exemptionibus, quibus inferiores superioribus *immediatis* subtrahebantur; expresse tamen declarat, eam & quidem summam, & plenissimam penes Romanum Pontificem esse potestatem. *Sic factitando*, inquit, *probatis, vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrùm hoc debeatis, quæstio est.*

21. Adeò certum habebat sanctus ille Abbas, jurium Episcopalium, & Hierarchici ordinis nihilominùs studiosissimus, Summum Pontificem in Christianos omnes, etiam laicos, jurisdictionem *immediatam* habere, ut illud tanquam indubitatum supponens, authoritatem in Episcopos ipsos tanquam aliquid majus extollat. *Habent* (inquit de consider. lib. 2. cap. 8.) *sibi illi assignatos greges, singulis singulos*, tibi universi crediti, *uni unus. Nec modò ovium*, sed & Pastorum *tu unus omnium Pastor, &c.*

Magni ponderis est sine dubio hujus S. 22
Doctoris authoritas, & Gallis magnoperè veneranda, utpote à Gallia oriundi, in Gallia educati, Gallicanorum Episcoporum jurisdictionis strenuissimi Patroni, Summis Pontificibus, eorumque Curiæ adulari nescij. Cùm esset reliquorum Ecclesiæ Patrum doctrinâ instructissimus, illorumque vestigijs, uti in alijs, ita in hac quoque materia sine dubio inhæreret. Suo autem exemplo docet nos, de abusibus potestatis conqueri licere; nec tamen ob abusus, potestatem ipsam à Deo concessam negari posse.

ILLATIO II.

De potestatis Pontificiæ amplitudine.

PRæallegatus Author *eod. cap. 3. n. 9.* causæ 23
præsentis statum ita prosequitur. Si Summi Pontificis, inquiens, potestas ex jure *Divino* metienda est, amplissimam illam esse, concedendum erit, cùm in rebus spiritualibus nullam exceptionem legamus à Christo appositam; & communis sit Iurisconsultorum cum Bartolo sententia *quæst. 9. n. 11. ubi lex generaliter loquitur, & non distinguit; nec nos distinguere debemus*; aut, ut appositè ad propositum nostrum S. Bernardus; *nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Dum enim Christus Petro fratres confirmare præcepit, eo nomine omnes complectebatur fideles. Quotquot enim eundem Patrem Deum, & eandem Matrem Ecclesiam agnoscunt, fratres passim in sacris Litteris nominantur.

Dum etiam Christus Petro pascendas oves 24
commisit, non solos commendavit Prælatos, qui sunt velut gregis arietes, sed & superiores, & inferiores, non solùm oves, sed etiam agnos, ut, qui à Petro, & ejus Successoribus pasci recusat, Christi se nec ovem, nec agnum esse, fateatur. Sanctus Leo *serm. 3. de sua assumptione*, sanctum Petrum à Christo electum docet, ut omnes gentes ad fidem vocaret, ut Apostolis, & Prælatis reliquis præesset, ac denique ut omnes Christi fideles regeret: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Author libelli, in quo describitur exi- 25
lium, & mors S. Martini Papæ, quique habetur inter illius sancti Pontificis Epistolas in sexto tomo Conciliorum Patris Labbei, appellat eum sub initium, *Sacerdotum Principem, & Apostolicum Universalem Papam*: circa medium autem, *Summum & Apostolicum, atque præcipuum Pastorem omnium Christianorum.* Ex illius ergo Authoris, S. Martino coætanei (testatur enim se, quæ narrat, ex parte vidisse, ac recenter gesta)

verbis constat, tunc scilicet circa annum 653. Romanum Pontificem habuisse jurisdictionem *immediatam* in omnes fideles, quandoquidem præcipuus Pastor omnium Christianorum dicebatur. Quomodò enim præcipuus esset Pastor eorum, quos regendi & pascendi per se potestatem non haberet? Quæ ratio probat, Summum Pontificem, sicut ab initio Pastor omnium Christianorum ex institutione Christi extitit, ita *immediatam* in illos jurisdictionem semper obtinuisse.

26. Idem significare videntur hæc verba Facultatis Theologicæ Parisiensis in censura nuper edita, *Romanum Episcopum unum esse jure Divino in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur*; quæ in multis antiquioribus ejusdem Facultatis Decretis leguntur.

ILLATIO III

De praxi Antiquæ Ecclesiæ circa usum seu moderamen Pontificiæ potestatis.

27. PErgit is Author à *n.* 13. ita ratiocinari. Quia usus, optimus habetur legis interpres, videndum est, quæ fuerit auhoritatis Pontificiæ praxis illis temporibus, cùm eâ liberè uti Papæ potuerunt, cumque diligentiùs, & clariùs cognita fuit. Quamquam enim omni ævo aliqua identidem ejus specimina edita fuerint, tamen cùm per tria prima sæcula ferè omninò à Tyrannis ligata fuerit, ideoque ejus exercitium quasi novum quiddam aliquoties Episcopos, præsertim Africanos, commoverit, non potuit tam citò suum explicare fulgorem, & omnibus innotescere. Non est illustrior supremæ, atque *immediatæ* in Christianos Pontificiæ jurisdictionis usus, quàm dum *immediatis* Pastoribus subtrahuntur, nedum per concursum cum Pastoribus ipsis *immediatis*, aut per præventionem judicantur; maximè si Pastores ipsi *immediati*, primùm quidem renitentes ob rei novitatem, & à novitate ortam obscuritatem, deinde re diligentiùs expensâ, assensum præbeant. Atqui plurima sunt exempla subductorum ab Episcopali jurisdictione, non solum privatorum hominum, sed etiam Communitatum, & Ordinum integrorum; cui quidem subductioni, licèt aliquamdiu reluctiterint Episcopi, ut videre est apud Petrum de Marca *lib. 4. cap. 8.* & passim *in Historia Universitatis Parisiensis*; postea tamen acquieverunt, ut ex antiquâ & pacificâ possessione demonstratur.

Jus illud Summi Pontificis declaravit celeberrimus Ecclesiasticæ jurisdictionis defen-
28. sor Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis *de orig. & usu jurisdictionum quæst. 3. Omnes Christiani*, inquit, *Principes terræ, & cæteri homines, Episcopis obedire debent, ut B. Petrus præcipiebat. Ab hac tamen obedientia seu subjectione Papæ, qui est supremus, potest aliquos eximere.*

Nec objici potest, illud Summorum Pon-
29. tificum usurpationi tribuendum: temerarium enim esset, injustitiæ tam odiosæ Pontifices damnare, pietate, ac doctrinâ insignes, ac quorum etiam merita Deus miraculis illustravit, aut Episcopos Gallicanos sanctitate, ac rerum Ecclesiasticarum peritiâ conspicuos in tuendis proprijs juribus, seu potiùs Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordine defendendo, socordiæ incusare. Sanctum Gregorium Magnum ab usurpandâ jurisdictione cæterorum Prælatorum, ut ejus facta, & scripta declarant, alienissimum, ejusmodi exemptiones concessisse, testantur plures ejus Epistolæ, v.g. Monasterium Virginum Augustodunensium ab Episcopali jurisdictione exemit, à Regina Brunichilde rogatus: nec instrumentum ab Episcopis impugnandum tanquam invalidum, sed supprimendum tanquam minùs gratum metuit, ut significat ejus ad Reginam Epistola, quæ est *octava lib. 11.* quamque *lib. 2.* adversùs Launoium defendimus; *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia vestra scripsit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus: sed ne fortasse ab eorum locorum Præpositis eadem Decreta quoquo tempore supprimantur, pro eo, quòd eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda, quatenus sicut in nostris, ita quoque in Regalibus scrinijs teneatur.*

Quin etiam de universa Ecclesia pessimè 30.
sentiret, qui eam errâsse putaret in approbandis ijs, quæ Romani Pontifices circa fideles præstiterunt, non consentientibus, aliquando etiam repugnantibus illorum Episcopis, alijsve eorum Prælatis inferioribus. Quot enim sacrilegia perpetrata fuissent, quotque alia peccata commissa, si v. g. cum facultate à Papa *immediatè* concessâ non potuissent Religiosi, aut alij fideles sua peccata confiteri Confessarijs ab ipso assignatis sinè licentia, vel etiam contra prohibitionem propriorum Parochorum, aut Episcoporum?

Concilium Generale Lateranense anno 31.
1215. cap. 5. expressè affirmavit, quòd *Romana Ecclesia disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote Mater universorum Christi fidelium, & Magistra.*

Eandem doctrinam professi sunt Doc- 32.
tores Gallicani etiam à tempore schismatis. Thomas ab Argentina Præceptor Theologiæ in Academia Parisiensi circa annum 1445. *in 4. Sent. dist. 24. a. 4.* sic scripsit; *Ratione officij super Presbyteralem dignitatem inveniuntur in Ecclesia quinque gradus singularis dignitatis, quorum primum tenent Episcopi, secundum Archiepiscopi, tertium Primates, quartum Patriarchæ, quintum Papa, sive Romanus Pontifex, à quo totæ Monarchia fidelium tanquam ab uno Principe, universalem, & cum hoc immediatam habente potestatem super omnes, & singulos Fideles, cujuscumque conditionis existant, convenientissimè gubernatur.*

DISQUISITIO II.

Quanta sit Papæ authoritas erga sacros Canones, & Decreta Conciliorum Oecumenicorum?

§. I.

1. QUæstio ista non parum conducere potest ad decernendum: *In quantum Pontificia authoritas statuere valeat circa Ecclesiæ Gallicanæ libertatem*; quippe cùm ista definiri soleat, *esse antiquorum Canonum custodia*; uti eam fusè expendit Author *Tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1. cap. 3. ac seq.* Definitionem eandem exponens Choppinus *de sacra Politia lib. 1. tit. 1. n. 13.* ait: *Cùm adversùs hos Canones (antiquos) Pontificij rescriptis abuteretur sensim inferior ætas, Galli Monarchæ, Prætoresque Regij cœperunt eum abusum, Canonicæque doctrinæ neglectum civili Imperio vindicare, ne cui in Ecclesiasticam disciplinam Ecclesiæ Primati fas esset, meliri quidpiam intrà Franciæ ditionis pomœria, aut alioquin districtè revocaretur mos hierarchiæ vetustioris. Ac illius quidem auctoritatis, libertatisque Franciæ vestigia cernimus identidem.* Ex hoc eodem fundamento promanavit, quod idem Coppinus *lib. 2. tit. 4. n. 1.* tradit: *Regium provocari Senatum, cùm ab Ecclesiastico Judice tentatur aliquid in perniciem sancitorum Decretorum priscæ, venerandæque vetustatis.*

2. In hunc sensum conveniunt, quæ Christophorus Justellus *in Epist. ad Lectasserium* scribit: *Quamvis in Iure Communi antiquo*, inquiens, *positam esse libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, ab omni ævo Reges, Episcopi, Regni Ordines, tota denique Gallia affirmaverit: vetus est tamen in Senatu Parisiensi sententia à Majoribus per manus tradita, & memoriæ omnium, qui prudentiâ & usu valent, insculpta, illam libertatem maximè quatuor primis Conciliis Oecumenicis, & ijs, quæ in illis confirmata sunt, contineri. Et quæ contra fiunt, præcipuas appellationibus ijs causas præbere, quæ velut ab abusu interponuntur.* Pergit præcitatus Justellus ipsissimam hanc sententiam attribuere Cardinali Lotharingo, in Concilio Tridentino omnium Galliæ Episcoporum nomine 2. Novembris anno 1563. protestanti, *optare se, in eo maximè laborandum esse, ut vetus disciplina Ecclesiæ restitueretur in usum, veteribus jam diu abolitis revocatis Canonibus, & maximè quatuor veterum Conciliorum.*

3. Ex quibus patet, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem duobus fundamentis nixam prætendi. *Unum* superstruitur antiquis Canonibus, prout diserte affirmatur in Cleri Gallicani præinsinuatâ declaratione anno 1682. editâ, cujus initium ita se habet: *Ecclesiæ Gallicanæ Decreta, & libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earúmque fundamenta, sacris Canonibus & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur.* Ad quod fundamentum stabiliendum constituitur est *tertius* dictæ declarationis articulis, quo asseritur: *Apostolicæ potestatis usum esse moderandum per Canones Spiritu Dei conditos &c. atque ad Apostolicæ Sedis amplitudinem pertinere, ut statuta & consuetudines tantæ Sedi, & Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant.* Circa hoc igitur libertatis Gallicanæ fundamentum venit hîc expendenda Romani Pontificis Apostolica authoritas; *Vtrùm tantæ sit supra sacros Canones, Conciliaráque Decreta præeminentiæ, ut hæc possit immutare, vel abrogare?* vel econtra; *An ipse quoque Summus Pontifex teneatur ejusmodi legibus Canonicis & Conciliaribus, nec adeò quidquam iisdem contrarium admittere, seu statuere possit?*

Alterum libertatis Ecclesiasticæ in Gallia 4.
fundamentum superstruitur custodiæ Regiæ, quatenus Regi attribuitur authoritas per se, vel per Senatum ac Prætores suos, antiquos Canones adversùs Ecclesiasticos quoque judices, si in perniciem sanctorum Decretorum priscæ venerandæque vetustatis quidpiam attentarent, conservandi, introductis propterea appellationibus ab abusu, per quas ab Ecclesiasticis fit recursus ad sæcularem Iudicem; uti dicetur *infrà*. Hoc igitur ex Regia custodia Ecclesiasticæ Gallicanæ libertatis fundamentum, ut magis firmaretur, necquidquam Romanus Pontifex adversùs illud prævaleret, à Clero Gallicano *in prætacta declaratione* sancitus extat primus articulus, quòd scilicet *Regentes, & Principes nulli Ecclesiæ potestati, Dei ordinatione subjiciantur.* Quæ universa consentanea sunt sequenti Petri Pithæi *in suo Gallico scripto libello de Ecclesiæ Gallicanæ libertate* expressæ sententiæ, duo statuentis principia ejus libertatis, quorum *primum* Romano Pontifici omnem in temporalia Regni Franciæ potestatem adimit: *alterum* verò continetur hisce verbis: *Etsi Papa in rebus spiritualibus supremus agnoscitur, tamen in Francia potestas* absoluta, *& indefinita locum non habet, sed cohibetur, & limitatur Canonibus & regulis antiquorum Conciliorum Ecclesiæ in hoc Regno receptorum. Et in hoc maximè consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ.* Quandoquidem igitur in *primo* hujus operis nostri articulo extet confutatum illud *primum* libertatis Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum, dilato etiam in posteriores præsentis articuli disquisitiones, illius de antiquis Canonibus adversùs Ecclesiasticos quoque judices custodiendis prætensi Regij juris examine, ideo juxta bipartitam expositionem progredimur hîc ad *secundum* à Pithæo assertum dictæ libertatis principium discutiendum.

§. II.

In quantum Papa obstringatur ad sacrorum Canonum, primævæ præsertim Ecclesiæ, & ab Oecumenicis quatuor primis Conciliis sancitorum observantiam?

Referuntur, ac expenduntur super hoc argumenta utrinque adferri solita, una cum conclusione super ijs reflexivâ.

AR-

ARGUMENTUM I.
Adversariorum.

EX parte adversa licet I. argumentari. Eo saltem casu, quo causa boni publici non exigit, nequit Papa derogare juri alterius. *ex cap. De Ecclesiasticis. 25. q. 2.* Et hinc Summus Pontifex nequit præjudicium inferre pactis & transactis. *Ex cap. Multiplici. 3. De decimis.* Unde rursus evincitur, non posse stare adversùs privilegia, quæ in vim & naturam pacti transierunt. *Cap. Privilegia. Cap. De Ecclesiasticis. Cap. Quod verò. Cap. Dicenti. 25. q. 2.* Quod in tantum ab ipsa etiam Sede Apostolica observatur, ut ne quidem ex clausulis *Motu proprio. Ex certa scientia. Ex plenitudine potestatis.* Pontifices velint fieri juri quæsito præjudicium aliquod; veluti declaratur in regula Cancellariæ *de jure non tollendo*, & habetur *in cap. 15. De officio judicis delegati. Cap. Rescripta. & seq. 25. q. 2. Leg. Si quando. 33. Cod. De officios. testam.* At verò in præsentis quæstionis statu juxta prælegatam Cleri Gallicani declarationem, agitur de sacris Canonibus totius mundi reverentiâ consecratis, quatenus transierunt in mores & consuetudines Ecclesiæ, præsertim Gallicanæ, quæ proinde super eorundem custodiâ videtur habere jus præscriptum acquæsitum. Neque verò videtur ulla excogitabilis causa & ratio, quæ justa & proportionata esset ordini ac decori Ecclesiæ ex illorum sacrorum Canonum abolitione perturbando, ac dehonestando non absque maximo publicæ Ecclesiæ pacis præjudicio. Ergo *moraliter* saltem loquendo, vix dabilis est casus, in quo plenitudo Apostolicæ potestatis non debeat in suo usu accipere moderamen ex ejusmodi sacris Canonibus quatuor præcipuè primorum Conciliorum, quibus inniti prætenditur Ecclesiæ Gallicanæ libertas, atque adeò prævalere debent regulæ, mores, & instituta à Regno & Ecclesiâ Gallicanâ recepta.

Responsio.

CIrca instituta, regulas & mores à Regno & Ecclesiâ Gallicanâ receptos *ex præcedentibus* patet, duplicem esse habendam considerationem. *Una* respicit institutionum, ac regularum hujusmodi præcisam ex sacris Canonibus & Conciliaribus decretis substantiam, de qua hîc quæstio; *Utrùm eidem, si non quoad* specificationem, *saltem quoad* actualis *obligationis exercitium prævalere possit Summi Pontificis authoritas Apostolica, ad ejusmodi obligationem seu abolendam, seu mitigandam?* De quo dicemus in sequenti §. Hîc autem expendemus; *In quantum Summus Pontifex obligetur ad sacrorum Canonum in se & in alios observantiam?*

Altera porrò circa instituta, mores ac regulas à Regno & Ecclesiâ Gallicanâ receptas, consideratio respicit Regiæ præeminentiæ ad ad eorundem custodiam jus prætensum, unà cum recursu ad Regia tribunalia pro manutenendis institutis, ac regulis illis, ubi à judicibus etiam Ecclesiasticis eis aliquod inferretur præjudicium. Et de hoc dicemus *inferiùs*. Interea respondendo ad argumentum *superiùs* oppositum, dicimus, vera prorsus esse, quæ *Majoris* loco habentur, eadem deducta: attamen, si combinentur cum ijs, quæ exponuntur *in Minori*, unicè evincitur, Apostolicæ potestatis plenitudinem in suo usu respicere debere ædificationem, non verò destructionem populi fidelis, ut, quando jura sacris Canonibus firmata, præter intrinsecum robur suum, ex populi cujuspiam Christiani usu acquisiverit insuper jus præscriptionis, hujus tanta sit habenda ratio, ut ferè ordinariâ extra specialem publicæ necessitatis religiosam exigentiam, juri ejusmodi nullum præjudicium ingerere debeat Summus Pontifex, semper memor tum regularum suæ Apostolicæ Cancellariæ, tum Constitutionum Canonicarum in argumento oppositò allegatarum.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

EX parte adversa ita licet 2. argumentari. 8.
Ipsemet Summus Pontifex suis, suorumque Prædecessorum legibus quoad vim *directivam* obstringitur. Ergo non potest eas abrogare, vel immutare. Antecedens probatur ab inductione propriæ Romanorum Pontificum confessionis. Sic namque professus est Gelasius Papa *in Epist. ad Episc. Dardaniæ: cap. Confidimus. 25. q. 1. Confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, unumcujusque Synodi constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem, oportere quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione custodit.*

S. Zosimus ad Episcopos Ecclesiæ Narbonensis, teste Ivone *in Epistola ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem in cap. Contra statuta. 25. q. 1. Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.*

Gregorius Papa *lib. 5. Epist. 12. in cap. Iustitiæ. 25. q. 1. Iustitiæ* ac rationis ordo suadet, ut, quæ *sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatẽ, & statuta custodiat.*

Leo Papa IV. *in cap. Ideo. 15. Permittente Domino, Pastores hominum sumus effecti, ut, quod Patres nostri sive in sanctis Canonibus, sive mundanis affixêre legibus, minimè excedere debeamus: contra eorum quippe salubérrima agimus instituta, si aliquid ipsi Divino statuerunt consulto, intactum non conservamus.*

Idem B. Gregorius *lib. 12. Epist. 31. ad Felicem Episc. in cap. Si ea. 25. q. 2. Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer: testante voce veritatis, quæ ait: omne regnum in seipso divisum non stabit: & omnis scientia, & lex adversùm se divisa destruetur.*

Idem *lib. 7. Epist. 17. in cap. Institutionis. 25. q. 2. Institutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt privilegijs, & ordinatione disposita, perpetuâ stabilitate, & sinè aliqua constitutimus refragatione servari: sive quæ scripto descrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita;*

nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partes ea quâlibet occasione convelli decernimus, vel mutari. Nam nimis est asperum; & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quâcunque rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata, rescindere, & exemplo suo docere cæteros, sua quandoque post se constituta dissolvere.

Idem *lib. 2. Epist. 37. in cap. Quòd verò. 15. q. 2. Quòd verò dicitis, nostris temporibus decere servari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit à me, ut statuta Majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.*

Gelasius Papa *in Epist. ad Cresconium & Ioannem Episcopos in cap. Decessorum. 25. q. 2. Decessorum statuta sicut legitima & justa, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.*

Pelagius Papa *ad Armentarium Magistrum milit. in cap. Posteaquàm. 25. q. 2. Posteaquàm Ecclesiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittatur habere licentiam.*

S. Isidorus *lib. 1. sententiar. de summo Bono cap 53. in cap. Iustumest. dist. 9. Iustum est, Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se convenit, posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt. Iusta est vocis eorum auctoritas, si quod prohibent, sibi licere non patiantur.*

Leo Papa *in cap. Nos, si incompetenter. 2. q. 7. Nos, si incompetenter aliquid & egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio: quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) etiam præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnoperè clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodùm si vestra præsens fuisset Imperialis gloria) diligenter exquirant, & non tantùm hæc sola, quæ superiùs diximus, quærimus, ut examussim exagitent, sed sive minora, sive etiam majora, illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ab eis indiscussum, vel indefinitum emaneat.*

Bonifacius VIII. *in cap. ult. de Rescript. in 6. Quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.*

Responsio.

9. EX Angelico Doctore *1. 2. q. 96. art. 5. ad 3.* respondere licet, quòd Princeps dicitur quidem esse solutus à lege, quantum ad vim *coactivam* legis: nullus enim propriè cogitur à se ipso. Lex autem non habet vim *coactivam*, nisi ex Principis potestate. Sic igitur dicitur Princeps esse absolurus à lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat: unde super illud *Psalmi 50. Tibi soli peccavi &c.* dicit Glossa: *Quòd Rex non habet hominem, qui sua facta judicet.* Verùm quoad vim *directivam* legis subditur legi propriâ voluntate, secundùm quod *in cap. Omnes. De constitut.* dicitur: *Quòd quisquis jus in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet.* Et Sapientis dicit authoritas: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Improperatur etiam his à Domino, *qui dicunt, & non faciunt, & qui alijs onera gravia imponunt, & ipsi ne digito ea volunt movere*; uti *Matth. 23.* dicitur. Unde *quantum ad Dei judicium*, Princeps non est absolutus à lege quoad vim ejus *directivam*: sed debet voluntarius, non coactus legem implere. Quo tamen haud obstante, Princeps est etiam supra legem, in quantum, si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco & tempore.

CONCLUSIO.

I. Legum à Summo Pontifice, ejusque Antecessoribus in Concilijs præcipuè Oecumenicis sancitarum obligatio quoad vim *directivam* obstringit Papam non in vi ejusmodi specificæ, seu Synodalis constitutionis, sed in vi Legis Æternæ, cuivis humanæ constitutioni se insinuantis, suamque obligationem eidem imprimentis, cui proinde Legis Æternæ fini commensurari debet causa & ratio, propter quam Papæ potest esse potestas immutandi seu dispensandi circa sacros Canones, seu constitutiones Pontificias, seu *morales* Conciliorum Oecumenicorum sanctiones.

II. Explicatur. Nam humana legislativa potestas per sui à Lege Æternâ dependentiam *essentialem*, non potest imponere aliquam obligationem, nisi ipsâmet Lege Æternâ ad illam *actualiter* concurrente. Ex hoc autem *actuali* Legis Æternæ concursu accipit lex humana vim in conscientiæ etiam foro sub culpâ mortali & pœnâ æternâ obligatoriam. At verò sicuti lex humana *essentialiter* debet esse ordinativa in Bonum communitatis, sic consequenter Lex Æterna legi humanæ se insinuans, eique in conscientia obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tanquam unius corporis Politici ac Mystici membrorum, est *executivè* curare Bonum publicum vi legis intentum. At verò Principis, utpote Reipublicæ primarij membri est, non tantùm *gubernativè* & *architectonicè*, sed *executivè* & quoad viam executionis *exemplativè* procurare Bonum publicum. Ergo Lex Æterna legi humanæ vim & efficaciam in conscientia obligatoriam imprimens, ut sic afficit ipsum etiam Principem. At quatenus Lex Æterna efficaciam conscientiæ obligatoriam imprimit legi humanæ, ut sic ista habet *formaliter* vim obligatoriam conscientiæ sub illo ipso virtutis motivo, quod per legem est *per se immediatè* intentum ac definitum. Ergo sub hoc etiam

etiam motivo, & non tantùm sub generali alicujus cum Republicâ conformabilitatis ratione, lex à principe lata obligat ipsum in conscientia. Hinc autem fit manifestum, quòd, si materia sub tali virtutis motivo sit gravis, illa obligatio teneat sub mortali. Sicut ergo subditi, sic princeps in materia secundùm se gravi v. g. auditionis missæ, jejunij &c. obligatur sub mortali ad legis à se latæ observantiam. Eo ipso autem, quòd talis obligatio sit præcisè ex Legis Æternæ, legi humanæ *intrinsecè* se insinuantis concursu ac efficaciâ, non autem ex lege, quâ *formaliter* emanante à Principe, oportet, ipsam tenere solummodò quoad vim *Directivam* fori conscientiæ propriam, non autem quoad vim *Coactivam* foro externo eatenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est *formaliter* emanans à legislatore humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi Legis Æternæ, in materia de se gravi obligare suum legislatorem in foro duntaxat conscientiæ, atque adeò secundùm vim *Directivam*, non *Coactivam*. Et hinc Imperator *§. ult. Instit. Quibus modis testamenta infirmentur*, ait; *Licèt legibus soluti simus*, in foro scilicet externo; *attamen legibus vivimus*, in foro scilicet conscientiæ.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur illa legis seu Pontificiæ, seu Synodalis quoad vim conscientiæ *directivam* obligatio, non esse ex *specifica* decreti quà v. g. *Conciliaris* naturâ, sed ex præinsinuato Legis Æternæ in legem humanam quasi *transcendentali* effluxu & concursu.

12. ETenim quodcunque *morale* vinculum, quà ex lege humana seu Pontificia, seu Conciliari promanans, utique continetur sub illo *quocunque* in Regnum cælorum ordinabili *morali*, super quo Christus *Matth. 16. & Ioannis 21.* promisit, & contulit *indefinitam* ligandi & solvendi potestatem. Ergo attentâ talis vinculi *moralis*, quà ex legislativa seu Papæ, seu Synodi Oecumenicæ authoritate super terram progeniti naturâ specificâ, subest illi *indefinitæ* ad ligandum & solvendum potestati Apostolicæ istud *morale* vinculum Summo Pontifici Divinitus concessæ. Nequit igitur quoad conscientiæ obligationem *directiva* vis in Papa ortum habere, nisi ex altiori principio Legis scilicet Æternæ, obligationem suam quasi *transcendentalem* imprimentis decretis seu Pontificijs, seu Conciliaribus, ea cum efficacia, ut omnes, qui sunt sanctæ Ecclesiæ membra, ipsemet adeò Summus Pontifex, ceu primarium ejusdem membrum & Caput, *executivè*, ac *exemplativè* debeant procurare bonum publicum, quâcunque lege Ecclesiastica intentum.

PROBATIO II.

Quâ demonstratur, causam, ex qua Papa decreti seu Pontificij, seu Conciliaris immutationem facere intendit, debere esse proportionatam & commensuratam Legis Æternæ tali decreto se insinuantis fini ac motivo.

13. LEgis equidem Æternæ finis ac motivum *intrinsecum* non est, nisi intrinseca Divinæ Majestatis gloria, ad quam referri debet quicumque Deo *extrinsecus*, & ab hominibus exhibendus honor & cultus Divinus. Hic ipse verò Dei *extrinsecus* cultus & honor diversimodè est repræsentans internam Divinæ Majestatis gloriam, ita ut hæc repræsentatio sit inæqualis in actionibus *moralibus*, atque in harum unâ magis, in alterâ minùs resplendeat. Hæc proinde ratio est, cur voti obligatio ita sit de meliori Bono, ut si *moralitas* majoris erga Deum honoris occurrat in opposito, cesset illa voti obligatio, non utique aliam ob causam, nisi quia Lex Æterna voti obligationem definiens, ex majori suæ Divinæ gloriæ intrinsecæ repræsentatione, non se insinuat voto, neque huic suam *transcendentalem* ex æternæ gloriæ suæ respectu determinatam obligationem communicat, nisi quatenus subsistit majoris ad cultum suum Divinum ordinabilitatis ratio *moralis*. Pari proinde ratione in tantum subsistit obligatio legis cujuscunque humanæ, in quantum Lex Æterna eidem imprimit suam *transcendentalem directivam* obligationem, quâ ordinabilem in Divini honoris, seu naturali, seu supernaturali lumini proportionati exhibitionem *moralem*. Quando igitur hæc Legis Æternæ obligatio *moralis* jam est impressa decreto seu Pontificio, seu Conciliari, potest equidem Summus Pontifex tollendo illud *morale* super terram ex statuto etiam Conciliari exortum vinculum *indirectè*, & *per consequens* solvere illam Æternæ quoque Legis obligationem, non quidem *formaliter*, & *quoad suam specificationem*, sed quoad *exercitium* quasi *materialiter* spectatam, prout superstruitur humanæ legis vinculo. Nihilominùs ipsa Lex Æterna sub tali vinculo *transcendentaliter* & *essentialiter* communicata, semper stat in contrarium, ne secundùm vim conscientiæ *directivam* fieri valeat, nisi publicum Ecclesiæ in gloriam Dei redundans Bonum compensetur ex causa, quæ, pensatis omnibus circumstantijs, in *morali* æstimatione sit *æquivalenter* commensurata gloriæ Dei, ex suâ benignitate misericorditer condescendentis humanæ quandoq; infirmitati. Quæ tamen *moralis* cum Divinæ Majestatis gloriâ seu *intrinsecâ*, seu *extrinseco* per Ecclesiæ sanctæ decorem ac splendorem ex sacrorum Canonum, & Conciliarium constitutionum observantiâ relucentem præcipuè subsistente honore Dei commensurabilitas certè nunquam habere posset locum, si v. l universim sacri Canones, vel etiam unius duntaxat Concilij Oecumenici sanctiones ex integro abolerentur, vel nisi magna Ecclesiæ utilitas suaderet, unum

unum etiam Ecclesiasticum præceptum ex toto solveretur. Attamen in particularibus casibus pro rationabilium causarum exigentiâ id facere, non tantùm alienum non est, à Legis Æternæ *transcendentali* in leges humanas transfusâ obligatione, sed huic vel maximè convenit, dum ad eam attenditur rationem, qualem respicit, & promovere curat ipsa Lex Æterna.

§. III.

An Summi Pontifices in omni lege Canonicâ, à Concilijs etiam Oecumenicis editâ, possint ex justa causa dispensare?

Argumenta in utramque partem referuntur ac expenduntur, unâ conclusione super jisdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

14. EX parte adversa licet 1. argumentari. Magnum rationis pondus ex se ipso elucere sub illis Cleri Gallicani verbis, quòd nempe ad Apostolicæ Sedis amplitudinem pertineat, ut statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam obtineant stabilitatem. Nunquid ergo hinc inferre licet, Papam non posse dispensare in ijs sacris Canonibus, qui velut fundamenta, nervique sunt Ecclesiasticæ disciplinæ, & quibus per indulgentiam sublatis, corrueret splendor ac decor Ecclesiæ?

Responsio.

15. AUthor Regalis Sacerdotij *lib. 4. §. 4.* respondet, illius argumentationis consequens admittendo ex integro, idque firmando ex eleganti Papiniani consulto *lib. 15. ff. De conditionib. institut.* inquiuntis: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum est;* veluti habetur etiam *in lege 29. ff. De jure dotium.* Unde *prætactus* Auctor instigat nos, ne ij simus, qui minorem honesti sensum, curamque, quàm Ethnicus ille, habeamus, Pontificisque Maximi authoritatem, quæ muniendæ, proferendæque virtuti à Deo est constituta, adversùs rationem, ac virtutem armare velimus, contranitentibus ipsismet etiam Summis Pontificibus, inter quos S. Leo Papa *epist. ad Rusticum Narbonensem Episc. in cap. 2. dist. 14. Sicut quædam sunt*, inquit, *quæ nullâ possunt ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperari: illa consideratio semper servata, ut in ijs, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.*

Gelasius Papa *epist. ad Episcopos per Lucaniam constitutos in cap. Etsi illa. 1. q. 7. Etsi illa nonnumquam sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, nocere sola non valeant: illa tamen sunt magnoperè præcavenda, quæ recipi, nisi manifestâ decoloratione non possunt. Ac, si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum, temporúmque cogit intuitus, vel accelerata provisionis respectus excusat; quantò magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?*

Objectio.

16. INstari potest ex parte adversa. Faciliorem esse hoc sæculo sacrorum Canonum, atque sanctionum Conciliarium relaxationem, quàm disciplinæ Ecclesiasticæ nervus videatur admittere, atque in hoc distendi Cleri Gallicani curam, ut scilicet statuta & consuetudines, Apostolicæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam obtineant stabilitatem.

Responsio.

17. ITa rem se habere, optimè respondet Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 4. §. 3.* cum congruente tamen erga Ecclesiam Gallicanam retorsione. Quæ enim terra est, inquit, Canonum, legumque tam observans, quæ nullis privilegijs, ac libertatibus à Sede Apostolica contra Canonum, legumque severitatem muniatur? Sacerdotia Regum in Gallia arbitrio permissa: multa beneficia in unum collata: ordo Ecclesiasticus toties non Principum tantùm obsequijs, sed imperijs, legibus, foro subjectus: ejusdem Ordinis Ecclesiastici bona ac facultates, tributis, collectis, stipendijs exposita: monasteria in Commendas, ut vocant, multaque alia Canonibus non utcumque, sed enixissimè vetita, ac gravissimis pœnis sancita.

18. Numquid verò in Gallijs absque ullo sacros Canones offendendi metu hæc peraguntur, quòd privilegijs se tutos arbitrentur, pro quibus privilegijs, & pro hac ipsa contra sacros Canones vivendi libertate, velut pro aris, focisque pugnatur. Non ergo, infert ille Author, ea Canonicam severitatem molliendi potestas, in Sede Apostolica ipsis tam invisa est, quam tam laxo sinu admittunt, & admissam tam in amoribus habent, ut nil minùs, quàm eam vel levissimè offendi patiantur. Imò, si Pallavicino Cardinali, in Historia Concilij Tridentini fides habenda est, (& verò habuit quàm maximam P. Maymbourg, qui in historia Lutheranismi hujus testimonijs unicè gaudet) potissima causa Concilij in Gallijs non admissi, ea fuit, quòd timerent, eo semel recepto, antiquos juxta Canones, eorumque observantiam, quæ à Concilio imperabatur, recipi, oportere, abolitis libertatibus ac privilegijs, quæ adversùs Canonum antiquam disciplinam illi Regno Pontifices dederant. Res sic habuit. Henricus Magnus & promiserat, & juraverat, Concilium recipere. Eo interfecto, Medicæa Regina nunquam, ut illud in Regnum admitteret, pervinci potuit, varijsque artibus urgentem Pontificem ludificata est.

Primò: *Ignota sibi Decreta Tridentijs; tempore aliquo ijs pervidendis opus esse*: Deinde: *Trij den-*

dentinum necdum à Papa confirmatum: expectandam ergo confirmationem. Posteà: *Regem Hispaniæ recipiendo Concilio adhuc cunctari; cur ergo Galli properarent?* Deinde: *A Pio Pontifice primum Gallico Oratori locum, primásque sedes ante Hispanum negari, quæ tamen antiquissimæ possessionis jure debebantur, cur ergo gratificaretur Pontifici Galliæ, cùm ab illo lædebatur?* Tandem: *Hæreticos Hugonottos Concilio obniti, eóque promulgato, graviter offensum iri, Regno in periculum & discordias adducto.* Hactenus Gallorum exceptiones. Celsârunt hæc omnia. Concilium Hispania recepit, Papa confirmavit, tempus deliberandi fluxit, loci prærogativa Gallis concessa, Hugonotti excisi, nec ullus ab ijs metus, & tamen Concilium explat, quæ causa? Cardinalis Ossatus Regis Christianissimi Orator in suis Epistolis Gallicè editis, & Pallavicinus *lib. 24. Hist. Trid. c. 10. & 11.* has dicunt renuendi Concilij veras causas esse. *Quòd Concilium pluralitatem Beneficiorum & Commendas severè prohibeat, multáque statuat pro immunitate Ecclesiæ, quibus libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, ejúsque privilegia offensum iri, Galli formident.* Galli ergo plùs privilegijs indulgentiâ Pontificis Romani obtentis, quam Canonibus delectati, eâdem constantiâ, quâ Concilium petierant, petitum posteà repulêre, adeò sibi à Patrum disciplina timebant, quam nunc Pontifici objectant, ejusque dispensationibus impenetrabilem, inaccessam volunt, ut mirari planè lubeat, quæ causa sit, Canones tam subitò dulces, melleósque Gallis evasisse, à quibus non multis retrò annis tantùm abhorrebant. Enimverò Pontifices hâc adversùm Canones dispensandi potestate haud ægrè cessuros credimus, si tam facilè Galli privilegijs cedant, quæ à Summis Pontificibus contra Canones acceperunt.

ARGUMENTUM II.

EX parte adversa licet 2. argumentari. Ad sacrorum igitur Canonum, Conciliariumque sanctionum custodiam, oportere saltem, Summos Pontifices invigilare, ne absque causa proportionata dispensent.

Responsio.

ITa profectò observandum esse, respondet præcitatus Author *dict. §. 4. n. 2.* solidâ isthâc ductus ratione, quòd leges Canonicas dispensare absque legitimâ honestâque causâ, esset imprudens, noxia, disciplinæ adversa, repugnansque obligationi, quâ tenentur Pontifices, proprias, ac Antecessorum leges observare, & officio Papæ, cujus est, Canones custodire, non violandos exponere, & etiam juramento, quo se, cùm Pontificatum ingreditur, obstringit.

Adstipulantur huic assertioni ipsorum quoque Pontificum ac Cleri Romani testimonia. Ita enim habet Clerus Romanus *in Epist. ad S. Cyprianum Episcopum in cap. Absit. dist. 50. Absit à Romana Ecclesia, vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis, eversâ fidei majestate, dissolvere, ut, cùm adhuc non rantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Vbi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, si etiam ipse medicus, interceptâ pœnitentiâ, indulget periculis? Si tantummodò operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia conducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.*

S. Damasus Papa *Epist. ad Aurel. Carthagin. Episc.* quæ habetur præfixa *Tom. 1. Concilior. Violatores voluntarij Canonum graviter à sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu sancto (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur: quemadmodùm blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quemadmodùm (ut jam prælibatum est) contra eum agit, cujus impulsu & gratiâ idem sancti editi sunt Canones. Diabolica verò nequitia pleroque subtiliter fallere solet, & ita quorumdam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissimè illudit, ut pro salutaribus nocitura persuadeat. Idcircò norma sanctorum Canonum, qui sunt Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tractanda; ne quovis modo sanctorum Patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur; sed fidelissimè per ea gradientes, cum eis, qui eos instinctu Divino condiderunt, mercedis gloriam & laboris cumulum, eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur.*

Hadrianus II. Papa *Epist. ad Basilium Macedonem Imperat. Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodùm quibusdam, qui apud vos summa rerum Ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tum Synodorum statuta, vel etiam Apostolicæ Sedis decreta proferunt, cùm vel alios lædere, vel se juvare concupiscunt. Et hæc tunc subsilentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro alijs proponerentur, si nostra, more priorum, æquitas in vestræ urbis Præsules majorum regulas obviantes commoveri severiùs voluisset. Quamvis multa instantia, & certamen viri prudentissimi & religiosissimi Egumeni, ac vasorum sacrorum custodis Theognosti, qui de pietatis nostræ virtutibus, & probabilium morum insignibus, & trophæorum triumphis, atque beneficiorum vestrorum piè sibi præstitorum multitudine nos plurimùm relatione suâ lætificavit, & qualiter diebus vestris superno brachio, atque studio, & solertiâ vestrâ Christianitas prosperetur, enarrans multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, & gratias alacriores exhibuit; ad postulata divinitus muniendo Imperio vestro concedenda nos supra modum efflagitaverit, & ultrà quàm dici possit, solito & prisco more, ac pro Ecclesiasticis utilitatibus frequenter impenso, crebris suggestionibus instigârit: super quibus tamen propter jam designatam causam nec annuere possumus, nec quid-*

quam

quam, præter quod jam evangelizatum est, ullo modo desinire.

Objectio.

21. INstari potest ex parte adversa. Anne igitur grave sit piaculum, si absque causâ proportionatâ Summus Pontifex dispenset in Canonicis, seu Conciliaribus sanctionibus?

Responsio.

22. ITa reverà dicendum est, dispensationem Summi seu Principis, seu Pontificis in lege etiam propriâ, si fiat absque legitima causâ, ex genere suo esse peccatum mortale; veluti *to. 2. Theologiæ nostræ q. 17. art. 2. contr. 3. à n. 6.* probamus. Etenim peccatum ex genere suo mortale est, quod intra speciem suam admittit materiæ gravitatem, sub quâ contrahatur culpa lethalis. At eo ipso, quòd potestatem legislativam acceperit Princeps supremus, & Civilis quidem à Republicâ, Ecclesialticus autem à Christo, sub quasi contractu adutendum illâ in ædificationem, non autem destructionem: idcircò in legibus propter Publicum Bonum latis dispensando absque causâ, fit reus fidelitatis violatæ, vi cujus tenetur curare Bonum publicum. At intrà hanc peccati speciem potest de naturâ suâ dari materiæ gravitas, sub quâ concessio frequentioris dispensationis vel ex hoc capite posset grave nocumentum afferre Reipublicæ, quòd lex inde vilesceret, sacro Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 5. de Reform.* attestante, *Quòd dispensare nihil aliud sit, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum præbere.*

23. Hinc autem evincitur, quòd dispensatio, saltem frequentata, non tantùm *per accidens*, sed *per suam intrinsecam naturam* possit vergere in damnum notabile Reipublicæ, utpote cujus salus subsistat ex observantiâ legum. Quamvis proinde ista materiæ gravitas non ex unâ, alterâve duntaxat dispensatione constet, accrescere tamen potest ex ejus frequentatione. Ergo ex genere suo est peccatum mortale, quatenus non tantùm ab extrinseco: sed ex naturâ suâ pertingere potest ad culpam mortiferam.

CONCLUSIO.

24. SUmmi Pontifices potestatis suæ Apostolicæ plenitudinem moderantur hoc ipso secundùm Canones Spiritu Dei editos dum non nisi ex causæ rationabilis ac proportionatæ exigentiâ in constitutionibus Canonicis seu Pontificijs, seu Conciliaribus dispensant.

Explicatur ex sacro Concilio Tridentino *Sess. 25. de Reformat.* seriò & graviter præcavente adversùs sacrorum Canonum relaxationes, neutiquam faciendas, nisi ex justa causa, vel etiam majoris utilitatis exigentiâ. Ita habet *præcitatum* decretum: *Sicut publicè expedit, legis vincula quandòque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens, justáque ratio, & major quandóque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse: id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.*

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, antiquæ Ecclesiæ moribus ac institutis esse consentaneum, ut ex causa justa dispensetur in Canonicis sanctionibus.

HUnc enim dispensandi morem antiquitus 25.
jam comprobatum probant testimonia inter Canones relata, & congesta per industriam Authoris *Regalis Sacerdotij cit. lib. 4. §. 3. n. 2.* Nempe Leo Papa *Epist. 85. cap. 1. ad Episc. Africæ in cap. Exigunt. 1. q. 7. Exigunt*, inquit, *causæ, ut non solùm in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ, ut credamus delicta quædam utcunque toleranda; quædam verò penitùs amputanda. Illos ergo, quorum provectio hoc tantùm reprehensionis incurrit, quòd ex laicis ad officium Episcopale delectisunt, locum suum tenere permittimus; non præjudicantes Apostolicæ Sedis statutis, nec beatorũ Petrum regulas solventes: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliquâ ratione concedi, fas erit, amplius impunè committi: ne quod ad tempus piâ lenitate concessimus, justâ posthàc ultione puniamus.*

Innocentius III. ad Archidiaconum Bituricensem in Gallia *in cap. Litteras. 13. De restitut. spoliat. In gradibus consanguinitatis Divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humanâ restitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis dispensari non possit, & in istis possit dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alij dispensárunt.*

Idem Innocentius III. *Epist. ad Præpositum, & Capitulum Cameracense in cap. Proposuit. 4. De conc. præb.* Licèt autem intentionis nostræ non sit, investituras de vacaturis factas contra Canonum institutaratas habere, qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare, &c.

Idem *in Epistola ad Archiepisc. Cantuariensem in cap. Innotuit. 20. de elect.* Quamvis autem Canon Lateranensis Concilij ab Alexandro Prædecessore nostro editus non legitimè genitos adeò persequatur, quòd electionem talium innuit esse nullam: Nobis tamen per eam ademptа non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari posit cum, imò eidem functuris potestate.

Idem Decano, & Capitulo Arrelegavensi in Gallia *in cap. Inter. 2. de transl. Episc.* Nos intuentes

tuentes, quòd licèt sibi munus consecrationis impensum, nec prioris Ecclesiæ ipsum Pontificem fecerit, nec secundæ: cùm ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonicè consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus, ei tam à vinculo prioris Ecclesiæ, quàm à pœnâ suspensionis penitùs absoluto, de benignitate Sedis Apostolicæ duximus concedendum, ut priori consensu hactenus perdurante, Andegavensem Ecclesiam studeat gubernare.

Honorius III. ad Episcopum Ventensem *in cap. Ex parte. 3. de Capell. Monach. Cùm autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis, fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd hujusmodi litteras ab Apostolicâ Sede non credimus emanâsse. Quòd si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* Potest ergo Summus Pontifex Concilio generali derogare, si in clausulâ derogatoriâ hujus faciat expressam mentionem. Quod etiam in loco mox citando habetur.

Idem Innocentius III. in Concilio Lateranensi *in cap. Nonnulli. 28. de Rescript. Cùm autem per judicium injurijs aditus patére non debeat (quas observantia intercidit) statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.*

Hadrianus II. Papa in epistola ad Basilium Imperatorem, quæ in *octavâ* Synodo *Act. 1.* recitata est, & à Patribus probata. *Verùm quia pietas tua cum Ecclesiastica misericordia nos circa illos ad id, quod humanius est, exhortatur: nolumus ignorare, quoniam ultra, quàm dici possit, hinc, fateor, mœrore comprimimur, immensoque dolore constringimur, eos nimirum non solùm beatæ memoriæ Decessoris mei Papæ Nicolai, quibus & ipse subscripsi, justis sanctionibus crebernimè percellentibus, verùm etiam sanctorum Patrum regulis severissimè, seu quodammodò peremptoriè punientibus. Verumtamen propter pacem facilius obtinendam, propter quæ tantam multitudinem, si tamen respuerint, misericorditer liberandam (ut cum sancto Gelasio Papa dicamus) necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retrò Præsulum, Decessorúmque nostrorum præcepta metiri, ut, quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibitâ considerationc diligenti, quantum fieri potest, temperemus: quod & nos æquâ possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo, penitùs imitari: Photij duntaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis excipientes, eámque passim, & prater examen nullatenus admittentes.*

PROBATIO. II.

Quâ idipsum demonstratur ex antiquâ, & continuata SS. Ecclesiæ praxi.

26. HAnc enim ostendit inductio exemplorum per singularem industriam Authoris Regalis Sacerdotij cit. §. 3. n. 4. adductorum, cujus viri argumentum haud dedignamur, facere nostrum, dum unicè intenti sumus, ut veritas sive per nostra, sive per aliena argumenta innotescat. Anno igitur 434. Cælestinus Papa contra Canones Nicæni Concilij *15. & 16.* (qui habentur *causâ 7. q. 1.*) petente Theodosio Imperatore, Proclum Episcopum Cycizenum transfert ad Sedem Constantinopolitanâ. Socrates *lib. 7. cap. 39.* Baronius *ad hunc annum n. 1.* Anno 479. Simplicius Papa permittit contra Canones Nicæni Concilij Stephanum Episcopum Antiochenum, non Antiochiæ, sed Constantinopoli eligi, idque turbas, cædesque, quæ ab Eutychianis imminebant, vitandi causâ; acceptâ priùs tamen à Zenone Imperatore cautione, hanc concessionem privilegijs Ecclesiæ Antiochenæ innoxiam fore, nec in jus & exemplum ab Archiepiscopis Constantinopolitanis (nam conabantur) deductum iri. Vide Epistolam Simplicij Pontificis *13. ad Zenonem Augustum & Acacium Patriarcham, quæ est 15.* eaque recitat Baronius.

Anno 871. Ignatius Patriarcha, missis Romam Legatis, ab Hadriano II. dispensari cupit, laxarique *octavæ* Synodi Decreta, quibus à sacris dignitatibus prohibebantur, quos Photius promovisset, quique ausi essent, sententiæ in Nicolaum Pontificem dictæ subscribere. Verba supplicantium sunt.

Deinde quoque super Theodoro, qui à nobis quidem consecratus est Metropolitæ Cariæ: multùm enim laboravit, & afflictus est ab initio injustæ & iniquæ dejectionis nostræ: in novissimis verò cum miserè Photio conveniens propter ejus immensa tormenta, quæ sibi resistentibus inferebat, consensit, & usque ad ultimum ipsius diem, repœnitens nihilominùs rursus corde contrito, & spiritu humilitatis veniam expetivit: prohibuerunt eum sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi vicarij Almitatis vestræ, eò quòd subscripserit, ut fatebantur, in eam, quæ facta est ab infelicissimo Photio quasi depositio beatissimi & optimi Patris nostri Nicolai decessoris Sanctitatis tuæ. Hæc sunt, de quibus rogamus Sanctitatem vestram, ut, si possibile sit, utatur verbo dispensationis & misericordiæ in his, cùm alia omnia optimum & commodum finem & dispositionem susceperint. Habetur integra Epistola post acta *octavæ* Synodi. Negavit Hadrianus, tam graves sibi causas videri, ob quas à Patribus *octavæ* Synodi statuta rescindi, oporteret. Repetitæ igitur Anno 886. à Stiliano Metropolita Neocæsareæ ad Stephanum Papam preces, quarum hæc summa fuit: *Quoniam verò scimus, quòd à vestrâ Apostolicâ Sede corrigi, & juxta Canones corrigi debemus: hâc de causâ humilibus his nostris litteris tuam oramus Venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sinè rationabili causa Photij ordinationem recepit, ut ne, qui Apostolicæ Sedis Legatos Rodoaldum & Zachariam, qui initio Photium confirmârunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium & Paulum, qui secundâ vice cum Photio communicârunt, excepit, unà cum Photio interitu damnetur, ne alius infinitus numerus ab Ecclesia pellatur: hoc enim facere consuevit Ecclesia. Oecumenica enim Synodus* quarta *Dioscorum iniquitatis principem, & auctorem, Flaviani interfectorem, beati*

videlicet Patriarchæ Constantinopolitani, damnavit & homicidam, & hæreticum, ut qui ausus est sanctissimo Papæ Leoni excommunicationem irrogare, eos verò, qui à Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cùm tamen pietatis sectatores fuissent, per pœnitentiam eos suscepit. Nicæna etiam septima Synodus auctores hæresis Iconomachorum damnavit, illorum verò sequaces per pœnitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tanquam ab initio schismaticum, & à schismaticis illegitimè ordinatum, & propter alia multa, quæ operatus est mala, expellere, eos verò, qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ pax & tranquillitas ita restituatur, & non alij quidem Apollo, alij Cephæ sint, & alij Pauli, & sic unum Corpus Ecclesiæ dividatur, sed omnes unanimes, tanquam unum Caput habentes Christum Deum & Salvatorem omnium nostrûm, omnes communiter illi laudes offeramus, & ejus præcepta similiter prædicemus. Neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Sed morante adhuc Stephano, & postea morte sublato, tandem à Formoso Pontifice Orientali Ecclesiæ, quæ preces in communem causam sociaverat, facta est gratia; verba Pontificis ad Stilianum hæc sunt: *Oportebat, istam Ecclesiam, in qua talia deprehenduntur facta, gravissimas dare pœnas, ut hujusmodi pœnis vestra Ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas, & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet, ut alia quidem toleremus, alia verò omninò è medio tollamus. Quapropter misimus è latere nostro Religiosissimos Episcopos Landenulphum Capuanum & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur convenire, nec non Theophylactum Metropolitanum Ancyræ, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem, & legum eversorem sententia à Prædecessoribus Oecumenicis Pontificibus ante omnia Synodicè prolata, nec non à nostra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum ijs verò, qui à Photio fuerunt ordinati, misericorditer nos gerentes, decernimus, ut oblatis libellis, se deliquisse, fateantur, & pœnitentiâ veniam deprecentur, pollicentes, se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris litteris mandata conspiciuntur, una cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec diminuendo, aut commutando. Ita enim & à nobis, & à Reverentia tua in communionem fidelium receptis ut lucis, scandalum delebitur.*

S. Martinus Papa contra Canonem Apostolicum in casu necessitatis bigamum ad Minores, imò etiam ad Subdiaconatum admittit *in cap. Lector. dist. 34.* Nec obstat *cap. Nuper. De bigamis*, quo non absolutè potestas in bigamia dispensandi negatur, sed tantùm, eam facilè non concedi, innuitur.

S. Gregorius Magnus circa annum 601. contra antiquos Canones, ac etiam Concilij Lugdunensis, qui usque ad septimum consanguinitatis gradum matrimonia vetabant, cum Anglis dispensat, ut habetur *in cap. Quædam lex. 35. q. 5.*

27. Patet ergo ex hactenus *citatis* Canonibus, usuque Ecclesiæ perpetuo, semper hanc dispensandi potestatem penes Romanum Pontificem fuisse, eumque, qui negat, aut nimiâ rerum ignorantiâ laborare, aut nimiâ præsidentiâ, perinde ac si credere tu possis, aut alteri persuasum velis, lucem in meridie, in mari aquam non esse: imò si Canones, si experientia cessent, an non hoc ipsum ratio ipsa convincit? Leges enim locis, hominibus, temporibus aptantur, quæ sicut variant, ita legem variari, aut flecti, oportet: ridiculus sit nauta, qui aliter ventis spirantibus, non ipse vicissim aliter velum inflectat; quando ad portum venturus, si auris, undæque non pareat? Lex, quæ multis profuit, non paucis nocuerit: quæ centum retrò annis severitate animos continuit, eâdem severitate incitabit, legumque contemptum inducet, nisi molliantur: alij sunt præpotentes, qui leges non ferunt; laxandæ ergo sunt, minorique malo majus avertendum: alij sunt, quorum imbecillitas legibus opprimitur potiùs, quàm juvatur; ergo mitigandæ sunt leges, nec onus addendum jam cadentibus: alij, quos legum observantia matrimonijs, pace, religione, fœderibus arcet, quæ sit crudelitas, & illos tam multis malis, & Rempublicam aliquâ indulgentiâ non eximere? Omnium pedibus eundem calceum, omnium moribus idem pharmacum aptabis, idemque, ut dici solet, omnium oculis collyrium? Ergo tam Reipublicæ aliqua necessaria est dispensatio, quàm animo aliqua quies, corpori aliqua à laboribus feriatio. Cui ergo dispensatio committetur? Omnibus? Nullæ leges erunt, aut nulla legum observatio. Nulli? hoc humanæ conditioni, totque necessitatibus plùs quàm durum, nihil sperare posse. Concilio? Serum, rarumque remedium, morbo in dies medicinam postulante, & plerumque nec moras patiente. Alicui? & cui parciùs, quàm uni? tutiùs, quàm communi Pastori? meliùs potiusque, quàm vicario Christi? Aut ergo nulla dispensatio admittenda est; quod plùs quàm inhumanum: aut aliqua concedenda, & nulli magis honestiusque, quàm Romano Pontifici; nam si hunc excludas, multò magis alios excludes, minori potestate, minori gratiâ, Deique spiritu minùs instructos.

§. IV.

Corollarium.

EX dictis infertur hoc indubitatum summarium, quòd lex humana, quantumvis justa & salubris, utpote ex voluntate Legislatoris dependens, possit equidem *validè* abrogari tum ab illo, qui eam tulit, tum ab ejus successore, quippe habente eandem cum primo Legislatore potestatem; veluti tradit S. Thomas *1. 2. q. 97. art. 1.* conformiter *Legi 1. ac 2. ff. De constit. Princip. & cap. Alma mater. De sent. excomm. in 6.* Nihilominùs ut illa obligatio etiam particulariter per dispensationem facienda *licitè* peragatur, absque notâ abusûs potestatis & jurisdictionis, quæ respicit publicam utilitatem, tum ne interveniat periculum agendi adversùs vim conscientiæ dis-

28.

directivam, ex Legis Æternæ influxu & concursu cuique legi humanæ imprimi consuetam, atque conscientiæ summi quoque Principis obligatoriam: pro abrogatione hujusmodi prorsus necessariam esse causam rationabilem, quæ respiciat Bonum Commune, evincitur ex *cit. leg. 1. ff. De constitut. Princip.* & *Can. Non debet. De consanguin. & affinit.*

DISQUISITIO III.

An non Patæ duntaxat, sed etiam Episcoporum jurisdictio sit immediatè à Christo?

§. I.

1. CAusa, propter quam præsens disquisitio præsenti articulo sit meritò discutienda, refertur ab Authore *tract. de libert. Eccles. Gallicanæ lib. 8. cap. 8. n. 2.* quòd nempe animadvertisset, Illustrissimos Episcopos Parisijs congregatos, suam in Deum jurisdictionem referre tum maximè conatos fuisse, cùm justis Summi Pontificis decretis repugnabant, quasi ab ea censura tuti videri vellent, authoritatem nimirum suam non à sancta Sede, sed à Christo habentes, cui nequeat Summus Pontifex derogare, imò nec modum ponere, nisi certo ordine, ac cum certis formulis, quas ipsimet, quorum interest, impediant.

2. Quo præsupposito, Author *præcitatus à n. 3.* pergit hunc in modum causæ præsentis statum prosequi. Potestatem, inquiens, jurisdictionis *absolutè*, ac *in se* consideratam, à Christo ipso fuisse institutam, testantur hæc Evangelij verba: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Matth. 18. v. 18.* Quamobrem etiam Presbyteri ex Episcoporum commissione confessiones audientes, dum quempiam absolvunt, ex præscripta in Rituali forma, se id authoritate Christi præstare, declarant. *Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, &c.* Equidem quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Quis nisi solus Deus potest illorum dimittendorum facultatem tribuere? Concilium Tridentinum *Sess. 23. de Reform.* expressè declarat, quòd *Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiunt.*

3. Sed quantùm ad propagationem, seu communicationem jurisdictionis, prout ab Ordine distinguitur, si, ut communiter explicatur, nihil aliud sit, quàm assignatio, & subjectio subditorum, in quos exerceatur à Christo instituta regendi Populi authoritas, non videtur posse cujusvis Episcopi jurisdictio ad Christum *immediatè* referri. Quòd enim hi, vel illi fideles ad hanc Diœcesim pertineant, ex institutione Divinâ non provênit. Christus Ecclesiam suam in Patriarchatus, Provincias, Diœceses, aut Parochias non distribuit. Facta est ergo hæc subditorum assignatio ab Apostolis, præsertim à B. Petro, vel ab ejus successoribus, quando Episcopis, quos mittebant, certam aliquam Parochiam, Provinciam, vel Diœcesim regendam assignârunt, eaque assignatio ad Episcoporum sic missorum successores transijt, ut scilicet eam Provinciam, vel Diœcesim, non aliam, subditam haberent. Quod quid aliud est, quàm jurisdictionem accipere, in eo sensu, quem *suprà* diximus? Hæc enim Parochiarum, vel Provinciarum distinctio, non ad solam politiam externam pertinet, sed ut valeant, quæ ab Episcopis constituuntur, ordinationes, aut censuræ, & quæ conceduntur dispensationes, absolutiones, & alia hujusmodi, quæ nullius essent momenti, si ab Episcopis præstarentur extra propriam Parochiam, ac erga sibi non subditos.

4. Itaque dum à Summo Pontifice uniuntur Episcopatus, confertur jurisdictio Episcopo; quandoquidem ei subjiciuntur fideles, in quos potest post unionem, cùm anteà non posset, munia Episcopalia exercere; cùm autem dividuntur Episcopatus, subtrahuntur Episcopo subditi, in quos jam non poterit, cùm posset anteà, jurisdictione uti. Sicut ergo institutis jam Episcopatibus, Papa unione, vel divisione jurisdictionem Episcoporum auget, vel minuit; ita dum Episcopatus primò constituit, jurisdictionem primis Episcopis contulit. Qui autem Episcopatum deinde adepti sunt, vel à Romano Pontifice promoti sunt, atque ita jurisdictionem ab eo *immediatè* receperunt: vel ab ijs constituti sunt, quibus Summus Pontifex hanc concesserat facultatem, atque adeò per Summi Pontificis authoritatem.

5. Indubitatum est post Concilium Tridentinum, posse Summum Pontificem certorum casuum absolutionem sibi reservare: ita ut, si post illam reservationem Episcopi absolvere tentarent, etiam proprios Diœcesanos, nihil efficerent: potest, factâ reservatione, Episcopo facultatem impertiri ab illis casibus absolvendi. Non posset autem Summus Pontifex in hujusmodi casibus jurisdictionem Episcopis adimere, vel concedere, si eam à jure *Divino* haberent; non posset fideles subditos, non subditos, quantum ad casus reservatos, efficere, si Deus subdidisset.

6. Potest etiam Summus Pontifex, dum justa intercedit causa, jurisdictionem Episcopis auferre, eos deponendo; imò potest, licèt non debeat, etiam sine causa, jurisdictionem restituere, illos in pristinum statum reponendo. Pendet ergo illorum jurisdictio à Summo Pontifice. Neo licèt Eucharistiam *validè* conficiant, quantumvis justè à Pontifice prohibiti, & quantumvis conficientes peccent; solvere tamen, vel ligare in neutro foro possunt, justè vetante Summo Pontifice, quia scilicet primum est de jure *Divino*, secundum, quantùm ad materiam, in quam exercendum est, à Summo Pontifice derivatum.

7. Nec dicas, datam esse summo Pontifici totius Ecclesiæ curam, ita ut possit secundùm

rectam rationem, & præscriptum sacrorum Canonum, Episcopos corrigere, sibi casus reservare, Episcopatus unire, vel dividere; hinc tamen non rectè inferri, jurisdictionem, quam Papa demit, anteà dedisse: sicut enim potest judex per suam sententiam vitam auferre, quam non dederat: ita & Pontifex Episcopalem jurisdictionem, quam non communicaverit, tollere potest, in pœnam criminis. Sed maxima disparitas est. Possunt enim judices vitam auferre tantùm, non ablatam reddere, quia nec dare poterant. Papa verò, ut jam diximus, jurisdictionem tollit, & sublatam reddit; quod datam ab eo fuisse, arguit.

8. Respondebis, Papam quidem posse justâ de causâ Episcopos jurisdictione spoliare, non autem sinè causâ; quod signum est, illam à Deo, non autem à Pontifice, saltem *absolutè*, pendêre. Si enim Episcopus injustè deponatur, *validè* suâ jurisdictione uti poterit, etiam invito Summo Pontifice. Sed ex eo argumento istud tantùm efficitur, Summum Pontificem non adeò liberum esse, ad tollendam jurisdictionem, ubi eam largitus est, ut ad retinendam, antequàm impertitus fuerit, quod nemini mirum videri debet; cùm etiam in regimine politico judices quidem delegati revocentur ad nutum; ordinarij autem, non sinè causa, ut sæpe præjudicatum esse legimus in Senatus-Consultorum collectoribus, adversùs Dominos temporales; imò etiam aliquando adversùs Episcopos, aut alios Superiores Ecclesiasticos.

9. Gallicani Præsules litteras, quibus Beneficia Parochialia conferunt, eâ formâ conficiunt, quâ Theologorum Parisiensium opinioni, jurisdictionem Parochorum de jure Divino esse asserentium, non assentiri se significant, sed potiùs se jurisdictionem Parochis tribuere, dum Parochiam conferunt; ejus tamen sinè causâ revocandæ facultatem omninò non habent. Uterentur enim non rarò. Reponent fortassis, id ita ab Ecclesia statutum esse, ac ob defectus similis statuti se reliquis Presbyteris Beneficium non obtinentibus libertimè jurisdictionem vel negare, vel annuere, vel auferre, vel prorogare: sed si à Deo provenit, quòd Episcopi jurisdictionem Parochis impertiant, quomodò ab Ecclesia coarctari potest hæc eorum facultas? Porrò non minùs ab Episcopo conferri videtur jurisdictio sacerdoti, dum ad vitam, quàm dum ad tempus tantùm conceditur, licèt in primo casu difficiliùs revocetur.

10. Plurimùm desudavit Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 1. cap. 7. & alibi* in restringendis ordinationibus Metropolitanorum & Episcoporum à Romano Pontifice confecrandorum intrà Regiones suburbicarias, volens scilicet juxta Ruffini, & Interpretis Dionysio antiquioris verba, Canonem 6. Concilij Nicæni comparationem inter Patriarchas Alexandrinum & Romanum ita instituisse, ut Alexandrinus in toto suo Patriarchatu eandem obtineret potestatem, quam Romanus, non in toto Occidente, sed in solis Ecclesijs suburbicarijs, in quibus & ordinationes Episcoporum faciebat, & Congregationes Synodorum; quo discrimine videtur insinuare, majorem esse Summi Pontificis, etiam tanquam Patriarchæ Occidentis, authoritatem in suburbicarias, quàm in reliquas Occidentis Ecclesias. Unde posset fortassis aliquis suspicari, Episcoporum suburbicariorum jurisdictionem à Patriarcha Romano, à quo ordinantur, pendêre; non autem aliorum v. g. Gallicanorum.

Sed impossibile est, quantumcumque se 11.
torqueat Marca, & quamcumque amplectatur Regionum suburbicariarum acceptionem, cùm eas de toto Occidente nolit intelligere, ut possit aliquam Imperij divisionem assignare, in qua suburbicariæ regiones exactè Ecclesias omnes complectantur, quarum Episcopos Romanus Pontifex ordinabat. Res est evidens, si Regiones suburbicariæ juxta magis propriam acceptionem intrà centenarium ab urbe milliarium concludantur, idque fateri videtur ipse Marca *num. 6.* cùm locis suburbicarijs etiam totam Metropolim Romanam non comprehendi, agnoscit. *Per loca suburbicaria*, inquit, *Regiones illas quatuor intellexit, quæ aliquot civitatibus adjectis, integram Metropolim Romanam è 69. Episcopatibus constatam constituunt.* Sed quid de Ecclesijs Mediolanensi & Aquilejensi dicet, & de toto Illyrico?

Veram discriminis in Episcoporum Occi- 12.
dentalium ordinatione rationem jam assignavimus, quòd nimirum Gallia, & aliæ Patriarchatûs Occidentalis provinciæ ita erant Româ remotæ, ut ordinandi Episcopi commodè illuc accedere non possent, nec tam erant alteri Patriarchæ vicinæ, ut usurpationis esset periculum: quare permissa est Metropolitanis Episcoporum, & Episcopis Metropolitanorum ordinatio, vel Metropolitanis invicem. Cùm enim Patriarcharum jure contineantur Episcoporum ordinationes, ut probat ipsemet Marca *eodem cap. 7. num. 1. & 1.* cur Patriarcha Romanus eâ facultate solus careret in maxima sui Patriarchatûs parte, qui & cæteris Patriarchis dignitate Patriarchali æqualis est, & universali Primatu illis superior. Equidem Venerabilis Beda *in hist. Eccles. gentis Anglorum lib. 3 cap. 29. & alibi* tradit, Episcopos Anglicanos Romæ ordinari solitos: *libro* autem *2. cap. 18.* permissam, seu renovatam ab Honorio I. Episcopis Dorovernensi & Eboracensi ordinationem Episcopi in locum prærmortui. *Vice B. Petri Apostolorum Principis*, inquit Honorius *Epist. 6.* à Beda relatâ, *authoritatem tribuimus, ut, quando unum ex vobis Divina ad se jussérit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in locum defuncti debeat Episcopum ordinare. Causam, quam diximus, affert, quia ut & vobis concederemus, longa terrarum, marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt; ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum pervenire.*

Quid quòd in alijs Patriarchatibus haben- 13.
da erat etiam ratio distantiæ locorum, pro qui-

quibus ordinandi erant Pastores, ut docet Innocentius I. *Epist. 18.* quæ est ad Alexandrum Antiochenum. *Itaque*, inquit, *arbitramur, frater charissime, ut, sicut Metropolitanos authoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sinè permissu, conscientiâque tuâ sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos, litteris datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manûs impositionem tuæ gratiæ sinuas pervenire.*

14. Prætereà si juxta regulam à Marca propositam, & plurimùm commendatam; qui pertinet ad Synodum, pertinet ad consecrationem. Nónne Summi Pontifices Gallicanos Episcopos ad Concilium Romam evocárunt, aliquando cum Italiæ tantùm, aliquando cum aliarum Provinciarum Præsulibus? Id de S. Damaso testatur his verbis Theodoretus *Eccl. hist. lib. 2. cap. 22. Fuit autem scriptionis princeps Damasus, vir variis virtutum generibus ornatus, qui post Liberium Præsulatum Romanæ Ecclesiæ sortitus esset. Cum hoc faciebant ergo Episcopi Italiæ, & Galatiæ, quæ nunc Gallia appellatur, congregati Romæ, quorum, & ipsorum nomina exponere, nimis longum arbitratus sum.*

15. Epistolæ Synodicæ Agathonis Papæ & Romanæ Synodi 125. Episcoporum, quæ fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Synodum *sextam* celebrandam, superscriptio erat ista: *Pyssimis &c. Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum universis Episcopis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Et autem subscripserunt inter alios Adeodatus Episcopus Ecclesiæ Leucorum, Felix Episcopus Arelatensis, & Taurinus Diaconus Ecclesiæ Telonensis Legati Synodi per Galliarum Provincias constitutæ.

16. Sicut autem propter locorum distantiam, non ita frequenter vocati sunt Episcopi Gallicani ad Concilium Romanum, ita eadem de causâ illiorum ordinationem sibi non reservavit Pontifex Romanus.

§. II.

Adversariorum argumenta referuntur, ac expenduntur, unà cum conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I. Adversariorum.

Pro Episcoporum à Christo *immediatè* acceptâ jurisdictione ex sacris Litteris desumptum.

17. ETenim Dominus noster Jesu Christus Apostolos misit his verbis: *Euntes docete omnes gentes.* Missio autem complectitur authoritatem omnem ad ea peragenda, ad quæ quis mittitur. At quemadmodùm Summus Pontifex B. Petro Apostolorum Principi succedit, ejusque potestati ad regendum Christi ovile, ita Episcopi cæteri succedunt cæteris Apostolis. Ergo quemadmodùm cæteri Apostoli non à B. Petro missionem & jurisdictionem, sed à Christo ipso acceperunt: ita Episcopi non à Summo Pontifice, sed à Christo accipiunt jurisdictionem.

Responsio.

18. AUthor *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 8. cap. 12.* optimè respondet, distinguendam esse in Apostolis duplicem dignitatem; *Apostolicam* scilicet, ac *Episcopalem.* Ad *primam* igitur pertinebat, ut Evangelium prædicarent, & Ecclesias ubivis fundarent, atque ordinarent. Ad *secundam* spectabat, ut Ecclesiam aliquam tanquam Pastores proprij, & ordinarij regerent, ibique munia Episcopalia obirent, sicut sanctus Jacobus Jerosolymitanæ præfuit Ecclesiæ, S. Joannes Ephesinæ, S. Petrus Antiochenæ, ac postmodùm Romanæ. Successerunt Episcopi Apostolis in dignitate Episcopali, non autem in Apostolica; quia scilicet ista non erat ordinaria, & ad successores transmittenda, sed extraordinaria, & tunc temporis necessaria, *ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Solius Petri authoritas non soiùm tanquàm Episcopi Romani, sed etiam tanquam Ecclesiæ Capitis, & Christi vicarij generalis ad suos successores transijt, quia hoc ad Regimen Ecclesiæ, quod ipsius fundator optimum, atque adeò Monarchicum statuerat, erat necessarium. Cæterùm in regimine Monarchico supremus Princeps officia alijs etiam Principibus distribuit, ac jurisdictionem confert. Nec refert, si dicas, Christum esse supremum Ecclesiæ Principem; nam ipse quidem per se invisibiliter Ecclesiam regit, sed visibilem administrationem, qualis est gubernatio populi fidelis, ad quam requiritur jurisdictio, visibili suo in terris Vicario commisit.

Objectio.

19. INstari potest ex parte adversa; ut ostendatur, quòd *Apostolica* præeminentia ex solo Petro, non verò ex cæteris Apostolis transierit ad successores Episcopos. Et quia Petrus ex ipsa sua *Apostolica* authoritate primitus Antiochenam, deinde Romanam Cathedram sibi peculiariter deligebat, cur non idem pariter dicendum sit de S. Jacobo Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfecto? & de S. Joanne Ecclesiæ Ephesinæ præposito? Et si isti Apostoli ex authoritate Apostolicâ poterant sibi deligere certam Ecclesiam, quid ni de eorum successoribus Episcopis pari modo sentiatur?

Responsio.

20. IN solo Petro authoritatem *Apostolicam* fuisse *ordinariam*, perpetuo nempe Ecclesiæ statui ex Christi Domini institutione annexam, atque adeò in successores transferibilem, in cæteris autem Apostolis se habuisse per modum legationis duntaxat personalis, atque adeò cum vitâ illorum exspirâsse, ex sacris Litteris multimodè probavimus *præced. art.*

Disquis. 1. §. 2. à. n. 35. Ex cujusmodi adeò Apostolicæ potestatis super totum terrarum orbem à Christo protensæ plenitudine, quemlibet Apostolorum potuisse sibi deligere, atque fundare definitam quampiam cathedram Episcopalem, ac *ordinariam* in successores quoque transferibilem, dubitare haud licet. At eo ipso, quòd cathedræ ejusmodi Episcopales non à Christo *immediatè*, sed per Apostolicam authoritatem fuerint constitutæ, manifestè hinc evincitur, Episcopalem jurisdictionem non esse *immediatè* à Christo. Cùm igitur in nullo præter Petri successorem intrà Ecclesiam, Apostolis ex hac vita sublatis, remanserit authoritas Apostolica: quis enim Episcoporum Papâ inferiorum sibi arrogare ausit *indefinitam* super omni terra, & super quocunque in Regnum cælorum ordinabili *Morali* protensam solvendi & ligandi potestatem, Apostolici characteris propriam? Idcircò nequit jam ulla subsistere Episcopalis jurisdictio, quin oporteat, eam esse derivatam à Romano Pontifice Petri successore.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

Desumptum ex hoc, quòd Apostoli per orbem dispersi, Episcopos per civitates non non ipsi soli constituerint, sed alijs quoque facultatem tribuerint constituendi Episcopos.

21. NAm B. Paulus scribit *ad Titum cap. 1. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego constitui tibi;* sub nomine autem Presbyterorum Episcopos intelligit; subjungit enim paulò post prædicta verba; *Oportet enim, Episcopum sinè crimine esse, &c.* Atqui S. Paulus, qui *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem* constitutus fuerat *Apostolus*, ut ipsemet de se testatur *Epist. ad Gal. cap. 5.* pro jurisdictione obtinendâ, nec Titum, nec alios Episcopos, vel à se, vel ab illo ordinatos ad S. Petrum misit: unde conjicere licet, ipsorum jurisdictionem à Christo *immediatè* fluxisse, & si cui homini adscribenda foret, videretur potiùs ad S. Paulum referenda. Nec ij soli, qui ab Apostolis facti sunt Episcopi, sed & qui ab istis, & rursus qui ab alijs, Episcopalia munia gesserunt, non petitâ jurisdictione à B. Petro, vel ab ejus successoribus.

Responsio.

22. AUthor *tractatûs de libertat. Eccles. Gallicanæ cit. cap. 12. n. 2.* ita respondet. Præterquàm, quòd Apostolica potestas in cæteris à Petro Apostolis erat extraordinaria, ut diximus, & non poterat ullus Episcopus creari, qui à supremo Ecclesiæ Pastore non penderet in regimine ovium Christi: quid mirum est, si primis Ecclesiæ temporibus Summi Pontifices in cavernis frequentissimè lautantes, quasi furtim, pauca tantùm Pastoralis officij munera exequi per se potuerint; totius terrarum orbis non ita specialem curam gesserint, atque illius curæ authentica monimenta ad nos usq; non pervenerint? B. Petrus, antequàm Apostoli varias in partes proficiscerentur, ac postmodùm B. Petri successores alij *expressè*, alij *tacitè* consenserunt, ut Episcopi, quotquot ad populorum recèns conversorum regimen essent necessarij, ordinarentur, & ad eam Ecclesiæ portionem destinarentur, cui satis esse possent. Verumtamen ut potestatis origo nunquam ignoraretur, Summi Pontifices aliquod superioritatis signum in Patriarchas, Primates, sæpe etiam in Metropolitanos, à quibus inferiores Episcopi ordinabantur, sibi reservârunt; puta pallij concessionem, aut ordinationem ipsam. Apostolos omnes Ordinem Episcopalem, cujus effectus est, alios posse ordinare, à B. Petro recepisse, nonnulli sentiunt. De B. Paulo, cujus speciatim exemplum opponitur, S. Leo *Epist. 81. cap. 1.* scribit, *quòd cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritûs sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus.* Cùm autem B. Petrus Antiochiæ, ubi, constat *ex cap. 13. Act. Apostolorum*, ordinatum fuisse B. Paulum, cathedram collocâsset, essetq́ue specialis Episcopus illius Ecclesiæ, Pauli ordinatio B. Petro meritò adscribitur. Ita expressè pronuntiavit Arator Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ *an. 544. hist. Apostolicæ lib. 2.* Itaque jam tum inter se consensisse beatos illos Apostolos de ordinandis Ecclesijs, verisimillimum est; sicut posteà dexteras sibi societatis dederunt, cùm unus Judæorum, alter Gentilium specialiorem curam susceperit. Cæterùm primis etiam sæculis B. Petri, ejusq́ue successo um non solùm consensu, sed etiam authoritate, præpositos esse Ecclesijs Pastores, suadet sequentium temporum praxis, quibus Summi Pontifices suam liberiùs exercuerunt authoritatem. Nam Episcopos & Archiepiscopos in Provincijs, in quibus vel non fuerant, vel defecerant, statuentes, ordinationis, ac regiminis regulas, & potestatis mensuram præscripserunt, ac juris sui signum aliquod sibi reservârunt.

Objectio.

INstari potest ex parte adversa; ut ostendatur, jurisdictionem Episcopalem ita pendere ab Apostolica, solius Petri Successori jam competente authoritate, ut non æquè ac potestas Ordinis independenter ab ista possit propagari, ita ut quemadmodùm per impositionem manuum Episcopalium potest ordinari Episcopus, sic non æquè possit unus Episcopus alterum creando, ipsi impertire jurisdictionem Episcopalem. At ordinatio Episcopi reducenda est in Christum ceu *immediatam* ejusdem causam principalem, Episcopo ordinante se habente ad illam ad instar causæ duntaxat *instrumentariæ*, sicque adeò character Episcopalis meritò dicendus est, esse *immediatè* à Christo. Cur igitur

igitur non pari ratione dici possit, quemlibet Episcoporum ex vi sui characteris Episcopalis ita habere potestatem in Christi Corpus mysticum, seu Ecclesiam, ut conferendo Ordinem Episcopalem, quâ instrumentum Christi, conferat simul jurisdictionem super mystico Christi Corpore, nempe Ecclesia, sicque adeò Episcopus in sui ordinatione æquè jurisdictionis ac Ordinis accipiat potestatem *immediatè* à Christo?

Responsio.

24. Jurisdictionis potestatem minimè annexam esse characteri Episcopali, manifestè patet ab exemplo Pauli Apostoli, qui Apostolicæ potestatis jurisdictionem per modum legationis *immediatè* acceperat à Christo, priusquam à Petro fuerat consecratus Episcopus. Eandem jurisdictionis, atque characteris Episcopalis separabilitatem probat etiam sanctæ Ecclesiæ praxis in ipso Summo Pontifice, qui quamprimùm designatus est Petri Successor, *immediatè* à Christo accipit Apostolicæ potestatis plenitudinem, tametsi nondum esset consecratus Episcopus. Unde apertè evincitur, in charactere Episcopali eatenus esse vim *instrumentariam* Christi *principali* & *immediatæ* causalitati subordinatam propagandi in Ecclesia similis characteris, quin ex hoc consequens sit, oportere, eidem inexistere vim *instrumentariam* Christi *immediatæ* causalitati subordinatam, propagandi in Ecclesia jurisdictionem Episcopalem. Neque verò dum partim Episcopalis character ad Episcopalis jurisdictionis propagationem haud noscitur habere vim à Christo *immediatè* concessam, partim authoritas Apostolica super totum Christianum orbem protensa, soli Oecumenico Pastorali officio ad unum Petri successorem transferibili, est annexa, jam est ulla intrà Ecclesiam excogitabilis potestas, à qua derivari valeant jurisdictiones Episcopales.

ARGVMENTVM III.
Adversariorum.

Desumptum *ex 2. Timothei 1. capite.*

25. Etenim S. Paulus B. Timotheum ad Episcopalia munia ritè obeunda exhortans, solius impositionis manuum mentionem facit; *Admoneo te*, inquit 2. *Timoth. 1. ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum..... Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ.* Non, ait, à me, sed per impositionem manuum mearum; quia, licèt ministerium Pontificum necessarium sit ad ordinationem & commissionem regiminis animarum: non est tamen jurisdictionis causa, sed quemadmodùm in Baptismo, licèt *Petrus baptizet*, ut inquit Augustinus, *hic* (Christus) *est, qui baptizat: Paulus baptizet, hic est, qui baptizat, &c.* Ita in ordinatione manus ab Episcopis imponuntur, sed à Deo gratia infunditur, & potestas confertur.

Responsio.

26. Author *præallegatus cit. cap. 12. n. 3.* ita respondet. Hæc S. Pauli verba esse intelligenda de potestate Ordinis, quæ confertur, per manuum impositionem Sacramentalis signi, vim eo ipso obtinentem, quòd sit collativa gratiæ. Nec refert, quòd subinde munerum Episcopalium fit mentio, tum quòd utraque potestas eodem tempore conferretur, & qui ordinabatur, ad certæ plebis regimen jam destinaretur; tum quòd gratia, quæ per ordinationem confertur, ad exequenda ritè officia Episcopalia, sit admodùm necessaria; tum denique quia potestas jurisdictionis in plerisque supponit potestatem Ordinis.

Obiectio.

27. Instari potest ex parte adversa. Eundem Apostolum expressè declarare *Act. 20. Spiritum sanctum posuisse Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quod ad jurisdictionem pertinere, non ad Ordinem.

Responsio.

28. Author *præallegatus n. 4.* optimè reponit in hæc verba. Sunt certè à Spiritu sancto positi Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei, quia confertur illis in ordinatione Spiritus sanctus cum magnâ gratiarum copiâ, & characteris impressione, quibus apti fiunt ad Episcopales functiones, non tamen inde infertur, jurisdictionem à Spiritu sancto *immediatè* conferri. Quilibet enim sacerdos & characterem, & nisi obicem ponat, Spiritûs sancti gratiam percipit, dum ordinatur: jurisdictionem tamen ab Episcopo habet, ut in Parochia, vel Diœcesi Pœnitentiæ sacramentum ministret. Adde, quòd verba illa non à Spiritu sancto collatam Episcopis jurisdictionem, sed inspiratam eorum electionem significant, ut colligitur ex *Act. cap. 13.* ubi Pauli & Barnabæ missio tribuitur & Spiritui sancto tanquam suggerenti, & ordinationibus tanquam suggesta exequentibus, & *immediatè* mittentibus juxta illa verba: *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus; segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam, &c.* Observant Doctores, Ecclesiæ ministros ex specialis Spiritûs sancti revelatione tunc creari solitos; ideoque illorum electionem Spiritui sancto peculiariter adscribi.

29. Cùm *suprà* dictum sit; Apostolos indiscriminatim Ecclesias fundâsse, Pastores illis præposuisse, hisque jurisdictionem contulisse, argui posset, Episcoporum jurisdictionem ad alios Apostolos, eorumque successores, perinde ut ad S. Petrum esse referendam. Sed præterquàm, quòd ſtabit semper, jurisdictionem Episcopalem non esse *immediatè* de jure Divino, contra quam contendunt Antiſtites Gallicani, nihil eos hoc argumentum juvat; quippe cùm, ut sæpe inculcavimus, ex S.

In-

Innocentio, nullus, præter B. Petrum, aut ejus successores, in Gallijs Ecclesias constituerit: imò, qui ab alijs Apostolis constituti sunt Prælati, eos à B. Petro jurisdictionem habuisse, docet S. Bonaventura *Opusc. Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant.* *Dominus Iesus Christus*, inquit, *omnium Creator, & Gubernator, sanctam Ecclesiam suam ascensurus in cælum, Apostolis regendam, & dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertiò;* Pasce oves meas. *Sed ut ordinatiùs gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Parochias, & alias Canonicas distinctiones; ut, quia per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessarijs congruè satisfieri; plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur.* Et *secundùm curæ Pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam authoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesiæ apud Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedit, & successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quòd ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem authoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, & quòd* ubique in omnibus Ecclesijs *habet illam*, sicut in sua speciali Sede Romana, & quòd ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis authoritas, *prout singulis competit eam participari, sicut in cælo ab ipso fonte totius boni Christo Iesu omnis gloria Sanctorum, licèt eam differentes singuli participent pro captu suo, &c.*

ARGUMENTUM IV.
Adversariorum.

Desumptum ab absurdis secuturis, si omnis jurisdictio Episcopalis derivaretur à Papa.

30. SI namque jurisdictio Episcoporum à Papa esset, eam facilè posset tollere, imò sinè causa, si non *licitè*, saltem *validè*, essetque verendum, ne eos non ut fratres, sed ut vicarios haberet.

Responsio.

31. AUthor *præcitati tractatûs dicto cap. 12. n. 6.* respondet. Quamvis Summus Pontifex proximus sit Episcopalis jurisdictionis collator, non eam Præsulibus confert quasi vicarijs, licèt eo nomine glossæ aliquæ utantur, sed quasi Pastoribus ordinarijs, ut eam non ejus, sed proprio nomine, ac jure exerceant. Sicut enim, licèt Rex Senatui, aut Proregi, vel Toparchæ jus concederet, judices, aliósve Officiales ordinarios ad regimen populi, creandi, eisque jurisdictionem cum officio ac titulo conferendi, præsertim, si officia ipsa ille instituisset, quorum collationem cederet, non continuò tamen arbitrio Senatûs, Proregis, aut Toparchæ permitteret facultatem, creatos semel Officiales absque ulla legitima causa revocandi: ita Christus, qui Episcopatûs est institutor, quique per Episcopos Ecclesiam administrari voluit, etiamsi Petro, ejusque successoribus tanquam supremis Pastoribus, Episcopatuum particularium, & Episcoporum institutionem commiserit, nequaquam tamen eis (quasi Episcopus Romanus unicus Pastor esset, & alij ejus tantùm Vicarij, ac Commissarij, non verò Pastores) jus tribuit, ad libitum cæteros amovendi. Nec id unquam senserunt Summi Pontifices, sed potiùs magnam suæ dignitatis partem in eo posuerunt, ut unicuique Episcopo salva esset sua dignitas, & integra privilegia, nisi fortè crimine aliquo ijs privari mererentur. Ita sæpe SS. Leo, Gregorius, alijque Maximi, sanctissimique Pontifices, & verbis & operibus protestati sunt.

32. Sanctus Leo Episcopis Provinciæ Viennensis scribebat *epist. 89.* se maximam ex servatis illorum juribus lætitiam percipere. *Nostræ enim*, inquit, *gratulationi hoc solùm cresce profitemur, si & Apostolicæ Sedis diligentiâ apud vos illibata servetur (ordinatio) & per sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire, quod suum est, in proprijs usurpationibus non sinamus.*

33. Sanctus Gregorius Magnus ita Episcoporum non solùm jura salva cupiebat, sed & dignitatem, & honorem, ut se Universalem Papam ab Episcopis vocari, ægrè ferret, hac præcipuè ratione, quòd, si Universalis ipse diceretur, solus etiam fortasse putaretur. En ipsius verba, humilitatis, tanto viro dignæ, plena *in epist. 30. lib. 7.* quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curatis, quod, peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plus quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat, se hoc esse, quod me fatetur universum.* Tam altè sanctissimi hujus Pontificis animo impressa erat affectio illa, ut eam non semel significaverit. *Mihi ipsi*, inquit *lib. 2. epist. 37. injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbo.*

34. Si, ut testatur ipsemet Maximus Pontifex, animarum cura est onus Angelicis humeris formidandum, non expedit ei, qui omnes totius orbis terrarum homines, velut oves Pastori pascendas à Christo ipso sibi traditas, non dubitat, ut alios Pastores impediat, dum greges sibi specialiter commissos juxta sacrorum Canonum normam custodiant: sed ut illos hortetur, juvet, vel etiam protegat, ac novis favoribus augeat. Debet nihilominùs datam sibi à Christo, & ab Ecclesia

clesia universa confirmatam, seu publicè, atque solenniter recognitam authoritatem vindicare, ne ambitiosorum conatibus infringatur, aut enervetur, quod S. ipse Gregorius observabat; *Sicut*, inquit *epist. 39. lib. 2. nostra defendimus, sic omnibus Ecclesijs sua jura servamus.* Noverat documentum, quod Pastoribus *in lib. de cura Pastorali* proposuerat, in usum, dum opus esset, redigere; ut scilicet se superiorem meminisset, & severitatem adhiberet; sed modum servabat, quem etiam ipse præscripsit *in eodem lib. de cura Pastorali parte 2. cap. 6.* his verbis; *Sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis, in nullo se præferat, & cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui Prioratûs agnoscat, &c.*

5. Tanta est in eo præcepto æquitas, ut à nemine negetur. Nam & Summi Pontifices se animarum servos esse, non Dominos exemplo Apostolorum arbitrantur. *Servos vestros per Christum*, inquit S. Paulus 2. *Corinth. 4. v. 5. Servus servorum Dei*, ait Pontifex; unde consequitur, eum Episcopis, portiones gregis Christi suæ curæ demandatas rectè administrantibus non invidere, non obstare, sed auxiliari debere, quodque illi rectè gerant, sibi in tremendo Dei judicio profuturum æstimare.

Objectio.

6. INstari potest ex parte adversa. Episcopos tanto muneris sui onere prægravatos, majus ad huc gravamen subire, si quoad jurisdictionem suam Episcopalem pendere debeant ex Summo Pontifice.

Responsio.

37. PRæfatus Author *ubi supra n. 11.* ita respondet. Episcopi sinè injuria conqueri nequeunt, quòd Summus Pontifex sibi à Christo præpositus sit: gaudere potiùs debent tanquam de maximo beneficio, quòd, cùm ipsi tot animarum constituti sint Pastores, saltem unum supra se Pastorem habeant, qui dormitantes excitet, laborantibus opem ferat, afflictos consoletur, persecutionem patientes defendat, onus cum eis portet, rationem cum eis redditurus; imò qui eos errantes revocet, ac etiam reos plectat, ut & illorum saluti & gregis eis crediti utilitatibus consulat. Nam, ut monet S. Leo *in Epist. 84. Qui scit, se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.*

38. Iniquum esset, ut Summorum Pontificum humilitas, ac modestia, minùs promptos ad reverentiam, aut obedientiam efficeret. Certè S. Gregorius humillimus, ac mansuetissimus, quamvis juxta proprium præceptum omnibus bonis se præberet æqualem, aliorumque Pastorum honorem, suum duceret, omnium tamen se superiorem profitebatur, dum id cujusvis culpa exigeret. Nam *Epist. 65. lib. 7.* quæ est ad Joannem Episcopum Syracusanum, sic scribit, occasione Episcopi Byzaceni Provinciæ Africæ, de crimine accusati; *Quòd se dicit Sedi Apostolicæ subjici, & si qua culpa in Episcopis inventur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit.*

CONCLUSIO.

39. IN Episcopatûs præeminentia necessariò distinguenda est potestas Ordinis, & jurisdictionis, ita ut illa, non verò ista dici debeat esse *immediatè* à Christo, utpote collata per verum, proprieque dictum Sacramentum.

Explicatur. Ex vi Ordinis Episcopalis tanquam veri & *propriè* dicti Sacramenti duplex confertur effectus, gratiæ scilicet sanctificantis, & characteris importantis potestatem conferendi Sacramentum Confirmationis & Ordinis, cum *radicali* erga Ecclesiæ regimen habitudine, quæ ut sic est utique juris *Divini*, ac *immediatè* à Christo, quà causâ *principali*, ab Episcopis verò ordinantibus tanquam à causâ *instrumentariâ* Christo subordinatâ. Quamvis proinde potestas jurisdictionis in Episcopo sit *radicaliter* juris *Divini*, attamen secundùm *actualem* suam ad certos aliquos subditos habitudinem, est juris duntaxat *Ecclesiastici*, siquidem jurisdictio Episcopi eatenus sit subordinata Apostolicæ Summi Pontificis authoritati, ut quam ex jure *Divino* Episcopus habet quasi *in radice*, seu *habitu*, eandem *quasi in actu* cum ordine ad certam aliquam Diœcesin, *immediatè* accipiat à Papa, qui eam etiam limitare, & coarctare potest; uti Author *tractatûs de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 8. cap. 9.* solidis demonstrat argumentis, quæ judicamus dignissima, ut in hoc opere nostro reproducamus.

PROBATIO I.

Desumpta ex hoc, quòd jurisdictio Episcopalis non sit connexa cum Episcopali Ordine.

40. ETenim Episcopalem Ordinem sinè titulo, id est, sinè assignata plebe, quæ regenda sit, atque adeò sine jurisdictione conferri *validè* posse, quamvis non expediat, docet Joannes Gersonius *tractatu de statibus Ecclesiasticis considerat. 8. de statu Prælatorum. Status Episcopalis*, inquit, *licèt esse possit in aliquo sinè plebe, & sinè usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustra esset potestas, cui non subest operatio.* Ubi notanda est distinctio inter *non habere plebem, & non habere usum, vel exercitium*; ne quis verba Gersonij accipiat de Episcopis, quos *Titulares* vocant, qui licèt usu, & exercitio suæ jurisdictionis careant, tamen sinè plebe propriè non sunt. Ordinantur enim ad aliquam Ecclesiam in partibus infidelium existentem: nec eorum ordinatio monstruosa censeri debet; tum quòd possint infideles illi ad fidem converti etiam ipsorum Episco-

porum prædicatione, tum quòd interim illorum Episcoporum opera necessaria sit Episcopis in partibus fidelium alicui diœcesi præpositis, cui regendæ propter senium, infirmam valetudinem, aliámve causam impares sunt.

41. Pater Christianus Lupus *in Canonem 6. Concilij Chalcedonensis* id non solùm fieri *validè* posse, sed factum fuisse aliquando, colligit ex Sozomeno. Sic autem scribit Hermias Sozomenus *Hist. Eccles. lib. 6. cap. 4. Addo his Barsen, & Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi non urbis alicujus, sed honoris causâ, qui veluti vitæ piè anteactæ compensatio in propriis Monasterijs, illis deferebatur, ad quem modum Lazarus quoque, de quo suprà diximus, Episcopus fuit.* Idem refert, isdemque ferè verbis Nicephorus Callistus *lib. 11. cap. 40. Extitêre præterea Barses, & Eulogius, qui ambo post longum Monastici exercitij certamen Episcopi sunt facti, non in urbe aliqua, sed honoris gratiâ in Monasterijs suis Episcopalem consecuti sunt consecrationem: ita ut rectè aliquis dignitatem eam tanquam præmium, seu remunerationem philosophandi instituto eos accepisse dicat; sicuti & Lazarus, de quo paulò ante post S. Heliodorum mentionem fecimus.*

42. Non deerit fortàsse, qui Barsen, Eulogium, & Lazarum arbitretur, propria Monasteria pro diœcesibus habuisse; sed non constat, Monasteria illa Episcoporum, in quorum erant territorio, jurisdictioni fuisse subtracta, nec patiebantur Canones duos Episcopos eisdem locis, & personis præesse. Verùm quidquid sit de facto, quòd ab Ecclesiæ praxi ordinariâ abhorret: non video, cur si non *licitè*, saltem *validè* possint Episcopi, quemadmodùm & Sacerdotes sinè plebe ordinari. Quamvis enim major sit illorum, quam istorum dignitas, & potior authoritas, non tamen ita diversus ordo, ut istis possit, illis non possit imprimi character, & conferri Spiritus sanctus cum potestate remittendi, & retinendi peccata, nullis assignatis subditis. Eo autem casu certum est, jurisdictionem ab eo conferendam, qui eos ad regendam aliquam plebem mitteret, siquidem jurisdictio nihil aliud est, quàm subditorum assignatio.

43. Summus quidem Pontifex, cùm toti Ecclesiæ præfici non possit, nisi ab eo, qui totâ Ecclesiâ major est, jurisdictionem suam consequitur ex vi institutionis Divinæ, & à Deo *immediatè* ante omnem confirmationem, & coronationem, statim atque designatus est per electionem eorum, ad quos pertinet jus eligendi. At verò cùm particularium Ecclesiarum regimen à superioribus Ecclesiasticis, præsertim à Summo Pontifice conferri possit, non est, cur pro illa collatione ad Deum *immediatè* recurratur.

44. At inquit nonnemo, cùm Episcopi ceu Reges sint ad administrandum spirituale Regnum destinati, perinde absurdum videtur, si Episcopus sinè plebe ordinetur, ac si constituatur Rex sinè Regno, & sinè subditis; hoc est, sicut Rex non est, qui Regno caret; ita nec Episcopus, qui nulli Parochiæ præficitur. Verùm præterquam, quòd Reges, licet Regno renuntient, Regalem quandam dignitatem retinent: & Episcopi, quamvis propriam diœcesim abdicent, Episcopalem characterem non exuunt. Presbyterorum etiam est Regale Sacerdotium: nec illis frustra dicitur ab Episcopo. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* & tamen jurisdictionem ordinatione non obtinent, sed eam postmodùm, vel cum titulo, vel per simplicem commissionem accipiunt.

PROBATIO II.

Refutatoria objectionis cujuspiam, quâ prætenditur, Episcopos, qui absque jurisdictionis Episcopalis collatione fuerint ordinati, debuisse de novo consecrari, atque adeò jurisdictionem esse inseparabili ter connexam cum charactere Episcopali.

ITa namque Author *præcitatus n. 6.* pergit, sequentem ex Concilij Vermerienſis Canone *decimo quarto* objectionem inducendo, quòd nempe ilta Synodus anno 752. sic decreverit, ut *ab Episcopis ambulantibus per Patrias ordinatio Presbyterorum non fiat; si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur:* quibus verbis illas ordinationes non solùm *illicitas*, sed etiam nullas esse significat: quandoquidem eas iterari mandat, seu Ordines conferri, quasi nunquam anteà verè collatos: quia nimirum Episcopi sinè plebe non reputabanturveri Episcopi. Verùm triennio post immutatum, vel saltem temperatum est hoc decretum. Sic enim statuit Concilium Vernense anno 755. *Can. 13. de Episcopis vagantibus (sive vacantibus) qui Parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta institutia sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sinè jussione Episcopi, cujus Parochia est. Et si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur, interim quòd ad Synodum exinde venerint, & ibidem secundùm Canonicam institutionem accipiant sententiam; nisi tantùm proitineris causa. Et si ullus Clericus, aut laicus talem Episcopum, aut Presbyterum defensaverit sinè commeatu Episcopi, cujus Parochia est, excommunicetur usque ad emendationem.* 45.

Continet Canon iste Vernensis causam Vermerienſis. Dubitabatur enim, an Episcopi ambulantes per Patrias, seu vagantes reverà ordinati fuissent. Ratio dubitandi erat, quia Parochias non habebant, & ab Ecclesiæ usu alienum erat, ut Episcopi ordinarentur, nisi ad certam plebem. Quamobrem majoris securitatis causâ præcepit Concilium Vermerienſe, ut ordinationes ab ipsis factæ, tanquam nullæ haberentur, & si personæ idoneæ judicarentur, ab Episcopis, de quibus nulla esset dubitatio, manuum impositionem acciperent. Sed quia poterant Episcopi illi vagantes, & plebem non habentes, fuisse revera ordinati, æquùs censuit Concilium Vernense, ut usque dum in Synodo rationem pro se reddidissent, judicium de ordinationibus ab ipsis factis differretur. 46.

Fas

47. Eas nullas esse, judicavit Concilium Cabilonense *secundum* anno 813. *can.* 43. dum ait; *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes, absque licentia Dominorum suorum, sive Magistrorum, Presbyteros, & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in simoniam incidit, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.* Sed præterquàm, quòd similibus verbis aliquando exprimitur suspensio ab executione Ordinum verè receptorum, ordinationes à Scotis factæ dicuntur *multis erroribus subjacere.* Accedit, quòd ignorabatur etiam de illis Scotis, an re verâ manuum impositione consecrati fuissent, ut triennio post Concilium Cabilonense, affirmavit Concilium apud Celichyt anno 816. *can.* 5. cujus hæc verba sunt. *Quinò interdictum est: ut nullus permittatur de genere Scotorum in alicujus diœcesi sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat, ex sacro ordine aliquid attingere, vel ab eis accipere in Baptismo, aut in celebratione Missarum, vel etiam Eucharistiam populo præbere, quia incertum est nobis, unde, & an ab aliquo ordinentur.*

PROBATIO III.

Quâ refellitur argumentum ex parte adversâ petitum à Chorepiscopis.

48. AUthor namque *præcitati tractatûs præf. n.* 9. dicit, verum esse, quòd Carolus Magnus ejusmodi Chorepiscopos post Leonis III. & Episcoporum Gallorum sententiam habuerit pro non consecratis, idque ex duplici capite. *Nam Episcopi*, inquiens, *Capitul. lib.* 7. *cap.* 187. *non erant, quia nec ad quandam Civitatis Episcopalis Sedem tributi erant, nec Canonicè à tribus Episcopis ordinati.* Unde ingens est controversia, utrùm Chorepiscopi Episcopalem Ordinem, seu manuum impositionem ad Ordinem Episcopalem acceperint, affirmantibus aliis, aliis negantibus, aliis observantibus, Chorepiscopos non fuisse omnes eodem modo ac ritu constitutos, sed alios Episcopali charactere fuisse insignitos, alios verò nequaquam. Verba Caroli Magni videntur illis favere, qui negant, illo saltem tempore Chorepiscopis manus, sicut Episcopis, impositas. Istis enim nonnisi à tribus imponuntur, accum deputatione ad certæ civitatis Ecclesiam. Quis autem credat, contra utrumque illud caput, tantoperè à Canonibus commendatum, communiter ab Episcopis Chorepiscoporum ordinatoribus fore peccandum, si Episcopalem ordinationem facere intendissent?

49. Sed quidquid sit de Chorepiscoporum Ordine, nihil refert ad quæstionem, quam modò præ manibus habemus. Certissimum enim est, Chorepiscopos ad certam plebem regendam constitutos fuisse. Nam, ut vel ipsum nomen innuit, erant Episcopi pagorum, seu vicorum: id est, pro Episcopis extra urbem, plebi præpositi, ibique verè omnia munia Episcopalia obeuntes, quamvis sub Episcopo civitatis. Nihil autem refert, utrùm plebs, cui aliquis præficitur, sit numerosa, vel non; in civitate, vel pago, ut sit titulus sufficiens ad ordinationem. Licèt enim vetuerint Canones, Episcopos nisi in civitatibus ordinare; ordinationem tamen ex hoc capite nullam esse, non objicitur. Difficultas autem modò est, utrùm defectus tituli irritam reddat Episcopi ordinationem? At illa in Chorepiscopis locum non habebat, ut diximus, quia territorium habebant, licèt Episcopo civitatis subjectum. Nihil enim obest, eandem plebem pluribus Pastoribus subordinatis subesse.

Episcoporum authoritatem à Summo 50.
Pontifice proficisci, aliqui adhuc probant exemplo Moysis, & Septuaginta virorum, quos ipse sibi tanquam adjutores in regendo populo Judaico adjunxit *Num.* 11. Ut enim, inquiunt, Septuaginta virorum authoritas à Moyse pendebat, à quo Dominus de spiritu, quem ei dederat, abstulit, & in eos contulit, non imminuto tamen Moysis spiritu (alioquin enim non tam fuisset adjutus, & sublevatus, quàm debilitatus) ita Episcoporum authoritas est participatio quædam potestatis Summi Pontificis, ad quam velut fontem & originem reducenda est.

Præterea Ecclesia est status Monarchicus, 51.
cujus Monarcha Summus Pontifex eâdem polleat authoritate in omnes, & populos Christianos, & populorum Judices, & Rectores, quâ Imperator, aut Rex in omnes Principes, Provinciarum Gubernatores, Prætores, aliosque Præfectos. Atqui certum est, & apud Jurisconsultos indubitatum, jurisdictionem omnem à Rege, tanquam ab origine derivari, & in cæteros omnes emanare. Quid ni ergo de Summo Pontifice idem sentiamus, ut sit ipse fons jurisdictionis Ecclesiasticæ?

Accedit, quod authoritas Episcoporum, 52.
si à Christo *immediatè* oriretur, æqualis foret in omnibus. Maxima autem in eo inæqualitas observatur; cùm alij pluribus, alij paucioribus præsint, quam inæqualitatem quis alius constituit, quàm is, qui Parochias instituit, eisque præfecit Episcopos, B. Petrus, ejusque successores in omnibus saltem illis Provincijs, quas hodie complectitur Ecclesia?

§. III.

Utrùm ex eo, quòd Episcopi non sint immediatè à Christo missi, rectè concludatur, eorum jurisdictionem non esse immediatè à Christo?

Referuntur ac expenduntur hâc super re argumenta utrinque deducta, unà cum conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

AUthor *cit. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib.* 53.
3. *cap.* 10. ita argumentatur 1. Apostolos omnes jurisdictionem suam à Christo *immediatè* habuisse, probatur ex eo, quòd ab ipso missi sint: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos. Ioannis.* 2. *v.* 21. *Euntes, docete omnes*

gentis Matthæi ult. v. 19. Ergo è contra Episcopi, qui à Christo *immediatè* missi non sunt, jurisdictionem ab ipso *immediatè* non acceperunt. Sicut enim committens commissario, ita mittens misso confert authoritatem. Quamobrem qui ab Apostolis mittebantur, modò unius Provinciæ, modò Regni integri curam assumebant. Aliquando alios Episcopos, vel plures, vel pauciores, aliquando nullos constituere poterant. Aliquando ad certum opus, aliquando ad integrum & perpetuum regimen deputabantur, prout Apostolis, attentâ Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, videbatur.

54. Qui ab Apostolis missi fuerant, acceptæ potestatis participes alios efficiebant, juxta præscriptam sibi ab Apostolis mensuram, quam excedere non potuissent. Sive autem quis ad certum opus per aliquod tempus destinaretur, sive Pastor ordinarius statueretur, jurisdictionem habebat ab Apostolis: quemadmodùm Episcopus Presbyterum alicui suæ diœceseos parti præponens, sive vicarium perpetuum eum constituat, sive ad nutum revocabilem, jurisdictionem ei tribuit.

55. Quin etiam Apostolis adscribenda erat jurisdictio Episcoporum, quos non ipsi, sed ex ipsorum concessione alij ordinabant. Sive enim defuncto Episcopo alium ipsi Apostoli substituerent, sive substituendi facultatem vicinioribus Episcopis, aut metropoleos Antistiti præberent, prout exigebat locorum vel propinquitas, vel distantia, Apostolicâ id fiebat authoritate. Nec sibi Christus reservaverat Episcoporum in singulis diœcesibus, aut provincijs constitutionem, sed regimen, & politiam Ecclesiasticam Apostolis commiserat; *constituens eos Principes super omnem terram*, cum potestate creandorum officialium, & assignandæ cuique suæ provinciæ: paucis quibusdam fortassis exceptis, quos ipsemet Spiritus sanctus elegisse videtur, ut S. Paulum & S. Barnabam, de quibus legimus in Actis Apostolorum *cap. 13. v. 2. Ministrantibus autem illis* (scilicet Apostolis) *Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Et v. 4. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, &c.*

Objectio.

56. EXcipi potest ex parte adversa. Quia Apostoli *immediatè* à Christo missi sunt, rectè infertur, ipsos jurisdictionem accepisse *immediatè* à Christo. At hujus missionis Apostolicæ, eique annexæ jurisdictionis tabulæ fuerunt à Christo efformatæ *Matth. 8.* dicente: *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc autem verba ad cunctos Apostolos, eorumque successores sunt directa; veluti in progressu Concilij Tridentini argumentabantur nonnulli Theologi. Ergo in vi istorum Episcopi habent jurisdictionem *immediatè* à Christo.

Responsio.

AD hanc objectionem responderi solet, 57.
quæ illis verbis continetur jurisdictio Apostolica *indefinitæ* ad ligandum, & solvendum potestatis Apostolis *divisim* spectatis, non nisi per personalem missionem, seu legationem concessæ, adeoque cum ipsorum (præter Petrum) personis exspirantis; in ea Episcopos minimè esse Apostolorum successores, sed quoad Ordinis duntaxat potestatem. Hoc Didacus Lainius Societatis Jesu Moderator tanquam Theologus Concilij Tridentini à nobis relatus *in Sess. 23. tract. 10. sect. 1. cap. 2. ad argut. 1. n. 18.* firmavit, animadvertens, cùm Christus protulit recitata verba: *Quodcunque ligaveritis &c.* nondum Petrum Ecclesiæ Caput fuisse constitutum, cùm adhuc dictum ipsi non fuisset: *Pasce oves meas.* Non esse igitur verisimile, Christum voluisse formare Ecclesiam quandam, & hierarchiam cum jurisdictione compluribus præcipuis ipsius membris tributâ, antequàm ipsi Caput destinaret. Præterquàm, quòd jurisdictio memoratis verbis non in præsentia fuerit tradita, sed promissa tanquam futura, Apostolorum adeò successoribus ceu membris, à Capite futuro communicanda; perinde ac si diceret alicui Deus: *Tu eris Rex*; hinc enim conficeretur, illum à Deo proximè Regem non constitui, sed prænuntiari Regnum ex hominum electione illi conferendum.

Iterata Adversariorum exceptio.

EXcipi rursus potest. Apostolos accepisse 58.
jurisdictionem à Christo *immediatè*, non per alium quempiam communicatam. Igitur eam quoque accepisse hoc modo Episcopos illorum successores.

Responsio.

LAinius à nobis *suprà allegatus n. 19.* respon- 59.
dit, consecutionem hanc nullam esse: sicuti neque vim habet hæc alia similis: Adamus accepit à Deo corpus, & non per alium quempiam: igitur & homines pariter Adami successores: & esse Jurisprudentium regulam, *non requiri in subrogato naturam illius, cui subrogatur, nisi secundùm id, quod satis est.* Episcopos non esse in omnibus Apostolorum successores. Hujusce rei exemplum haberi in eodem argumento, quando, tametsi Episcopi Antiocheni Petro successerint, & Ephesi Joanni; nemo tamen agnoscebat in ipsis eam jurisdictionis amplitudinem, quæ fuerat in Petro, & in Joanne. Solùm igitur Episcopos successisse Apostolis in potestate consecrandi: at verò Romanum Pontificem successisse tacto Petro in integra potestate, quam ille distribuit minoribus Præsulibus; solus Romanus Pontifex est Generalis Dei Vicarius, adeoque solus ipse à Deo proximè jurisdictionem accipit, reliqui ab ipso. Eo pacto in amplis regnis, cùm Prorex integram supremamque pote-

potestatem à Rege obtinet, ab eodem postea peculiares Magistratus constitui.

ARGUMENTUM II.

Pro parte affirmante, Episcoporum jurisdictionem derivari ex Papæ communicatione.

AUthor sæpe dicti *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cap. 8. n. 4.* ita argumentatur 2. Quamvis Apostolis amplissima sit potestas à Christo collata, universæ tamen Ecclesiæ Pastor constitutus est Petrus; ipse positus est domûs Dei fundamentum: ipsi traditæ sunt claves; ipsi commissæ sunt oves modo singulari. Quamobrem ad ipsum præcipuè referenda est jurisdictio aliorum Prælatorum, ut docet S. Thomas in hæc verba Psalmi 41. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Affirmat enim, quòd *alij Prælati constituuntur per Summum Pontificem Hebræorum. §. Nemo assumat sibi honorem,* moxque causam insinuat his verbis; *Petrus obtinuit principatum universalem Ecclesiæ*, Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Imò ab ipso solo, vel ab ejus successoribus missi sunt Episcopi in illas provincias, quibus hodie præcipuè constat Ecclesia, quod jam sæpe monuimus; *Præsertim*, inquit S. Innocentius *Epist. 1.* quæ est ad Decentium Episcopum Eugubinum, *cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, ac Siciliam, Insulásque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus; aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Ostendimus *suprà*, B. Petrum Ecclesijs Patriarchalibus dignitatem contulisse: ac probari posset, alias, quæ post ipsas majori authoritate præditæ fuerunt, primos a Beatissimo illo Apostolo Episcopos accepisse, ut de Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia indicat *prima ejus Epistola cap. 1. & cap. 5.* De Constantinopoli S. Agapetus *in Epist. ad Petrum Hierosolymitanum in Concil. Const. sub Mena act. primâ* de alijs, alij.

61. Certè qui olim in suis Parochijs, seu Provincijs, aut Diœcesibus, vel etiam in locis circumvicinis, novas cathedras Episcopales eligebant, jurisdictionem se novis Episcopis conferre arbitrabantur, cùm ejus aliquam partem, & aliquod signum retinerent, puta futurorum quoque Prælatorum ordinationem, confirmationem, convocationem ad Synodum, correctionem & similia; unde Primatuum jus ortum aliqui arbitrati sunt, reservata Ecclesiæ Matrici in suas filias authoritate. Potiori ergo ratione Petro, Petrique successoribus tribuenda est jurisdictio Episcoporũ, Ecclesijs ab ipsis fundatis præficiendorum. Quamobrem à sanctis Doctoribus, & à Theologis Episcoporum jurisdictio à B. Petro dicitur orta. Quod non tantùm de ordinis communis, sed etiam de causalitatis, ut in scholis loquuntur, prioritate, intelligendum significant eorum verba.

Objectio.

EXcipi potest ex parte adversa. Multa extare sacræ Scripturæ testimonia, quibus Deo tribuitur Episcoporum institutio, cujusmodi est Apostoli dictum ad Ephesios: *Posuit Deus in Ecclesia Pastores.* Et, quod dicitur in Actis Apostolorum: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: parabola servi fidelis ac prudentis, *quem constituit Dominus super familiam suam*: quod jurisdictionem significat: hanc verò parabolam intelligi de Episcopis, quando in ipsorum consecrationeusurpantur hæc verba: *Sit ille servus fidelis & prudens, quem tu Domine constitues super familiam tuam.* 62.

Responsio.

LAinius *præcitatus n. 20.* reposuit in Patrum Concilij Tridentini Generali congregatione, nullo ex his testimonijs probari partis adversæ intendum. Et quidem ad *primum* solvendum differuit: Pastores perinde ac cuncta reliqua bona, fuisse à Deo constitutos, nimirum aut per ipsum, aut per alios, eâ ratione, quâ similiter affirmatur, Principes ac Magistratus laicos ab eodem esse constitutos, tametsi non omnes ab ipso proximè. Ad *Alterum* testimonium progressus, petijt, quonam pacto Spiritus sanctus Episcopos posuerat, num fortè eos ipse tulerat, & suâ quasi manu collocârat in Episcopatûs Sede? Minimè verò; sed per electionem habitam à populo, & per consecrationem ab Episcopis peractam. Igitur ibi sermonem non esse de collocatione quadam, proximè à Deo positâ. Ad *Postremum*: Aut efficaciam argumenti trahi à nuda parabola: aut ab ejus significatione: non certè à nuda parabola, quippe quæ non de Deo loquitur, sed de quodam patrefamilias; non ab ejus significatione, quippe cui satis est, fuisse constitutum à Deo Episcopum supra familiam suam quocunque modo, seu proximè per se, seu remotè per alios. 63.

CONCLUSIO.

IPsa ratio Hierarchiæ per Christum in Ecclesia institutæ efficaciter probat, Episcoporum non æquè ac Summi Pontificis jurisdictionem esse *immediatè* à Christo. 64.

Explicatur. Hierarchiam, quæ proinde sonat ac sacra principatio, seu gubernatio Ecclesiastica, esse in sancta Ecclesia, extat definitum in sacro Concilio Tridentino *Sess. 23. Can. 6.* ubi anathema pronuntiatur adversùs illum, *qui dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam quandam Divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.* Sicuti autem vox *Tò principatus*, seu *Tò gubernatio* est correlativa, importans *formaliter* superioritatem, *terminativè* autem

inferioritatis subordinationem, sic consequens est, in illâ per sacrum Concilium Tridentinum definitâ Ecclesiæ hierarchiâ eam esse gradationem hierarchici ordinis, ut propterea *sequenti Canone septimo* eadem sacra Synodus iterum dicat anathema illi, qui dixerit: *Episcopos non esse Presbyteris superiores.* Eo ipso autem, quòd in hoc utroque Canone sit sermo de hierarchia Ecclesiastica, quâ Ordinis Sacramentalis duntaxat hierarchiam complectente, ideo Summus Pontifex, cujus supremus ordo constat ex charactere Sacramentali omnibus Episcopis communi, non specialem ac diversum ab Episcopis constituit Ordinis Sacramentalis gradum hierarchicum. Unde hujus ibi non *specifica*, sed *generica* duntaxat inter Episcopos fit solummodò mentio. At præter Ordinis hierarchiam dari in Ecclesia Christi hierarchiam jurisdictionis, cujus Caput sit Summus Pontifex, indubitatùm extat ex fidei principijs. Quemadmodùm igitur hierarchia Ordinis Sacramentalis exigit quandam graduationem & subordinationem superioris ac inferioris, sic, ut hierarchia jurisdictionis teneatur in Ecclesia Christi, oportet, esse quandam in ea superioritatis ac inferioritatis subordinationem. At verò ex ipsis terminis constat, si jurisdictio Episcopalis æquè ac Papalis esset *immediatè* à Deo, oporteret, utramque habere æqualis erga Christum immediationis correlationem, nisi ipsemet Christus in jurisdictionibus ejusmodi designâsset aliquam inæqualitatis subordinationem, quemadmodùm idem Dominus noster, à quo ceu causa *principali immediatè* profluit omnimodus Sacramentalis Ordinis character, in hierarchia Ordinis talem posuit inæqualitatis graduationem, ut Episcopatus, utpote ultra potestatem conficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi importans potestatem quoque confirmandi & ordinandi, foret superior simplici Presbyteratu, atque hic Ordinibus Ministrorum, utpote Sacerdotis in Missæ sacrificio ministerijs ex vi sui characteris deputatorum, major esset. Ut ergo Hierarchicæ jurisdictionis in Ecclesia locus esse possit, oportet, vel Episcopalem jurisdictionem ex sui primæva origine, respectu authoritatis à Christo *immediatè* collatæ habere inferioritatis subordinationem, quod erit, si dicatur esse *immediatè* à Papa, vel si contendatur, esse *immediatè* à Christo, oportet, ab hoc esse constitutam cujusdam inter Papalem & Episcopalem à se *immediatè* institutam jurisdictionem inæqualitatis subordinationem. Dum igitur hoc posterius ostendi non potest, consequenter prius erit omninò asseverandum.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, nullam posse demonstrari hierarchiæ inter Papalem & Episcopalem jurisdictionem subordinationis inæqualitatem, si hæc posterior sit etiam *immediatè* à Christo.

65. NEque enim ex Dei verbo vel scripto, vel etiam tradito demonstrari potest Episcopalis jurisdictionis *immediatæ* à Christo institutio, nisi hæc derivetur in Christi verba *Matth. 18.* ad Apostolos prolata: *Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quidquid solveritis super terram, erit solutum & in cælis*; quasi hæc Christi verba non solos Apostolos, sed cunctos Episcopos ceu Apostolorum successores complecterentur. At sires ita se haberet, conferendo ea Christi verba cum verbis Domini *Matth. 16.* ad Petrum definitè pronuntiantis: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: inde reperiretur cunctis Apostolis promissa *indefinita* ligandi & solvendi potestas super quocunque supra terram protensa. Quòd si ergo illa Christi promissio cunctos Episcopos, ceu Apostolorum successores attineret, neque ex parte primævæ suæ originis; neque ex parte limitum potestatis tum Episcopalis, tum Papalis per Christum circumscriptorum reperiri jam posset alicujus inæqualitatis hierarchicæ subordinatio. Unde quemadmodùm in Ordinis Sacramentalis hierarchia Papalis dignitas non facit aliquem gradum superioritatis, quippe cùm Papa non habeat characterem ordine Episcopali sublimiorem, sic inter Episcopalem & Papalem jurisdictionem nulla jam esset hierarchica subordinatio, si sub præadductis verbis Christi esset instituta Episcopalis jurisdictio. Ne igitur in hoc cum fide minimè conveniens absurdum prolabamur, insistendum prorsus est doctrinæ à nobis aliàs traditæ, illa Christi Domini verba: *Quæcunq; ligaveritis &c.* quatenus Apostolos *sigillatim* ac *divisim* concernebant, spectare ad Apostolicam super toto terrarum orbe *indefinitam* super quocunque in terris *Morali* protensam potestatem, quâ illis concessam per modum legationis duntaxat personalis, in successores adeò minimè transferibilis. At hoc taliter constituto, nullus jam supereſt sacri Evangelij textus, ex quo probari valeat Episcopalis jurisdictionis à Christo *immediatè* facta, ad successores transferibilis institutio, sed successio hujusmodi soli Petro sub ordine scilicet ad perpetuum Ecclesiæ statum protenso noscitur à Christo promissa fuisse. Quandoquidem igitur per Dei verbum nequeat Episcopalis jurisdictio in Christi institutionem *immediatè* reduci, non potest jam ejusdem origo demonstrari, nisi quoad sui *actualem* collationem reducatur in Petri Successorum, in partem solicitudinis secundùm fines ac limites ab ijsdem circumscriptos ac circumscribendos vocantium, Apostolicam authoritatem.

Objectio.

DIces. Hinc fore consequens, quòd hierarchia Ecclesiasticæ iurisdictionis non esset ex toto Juris *Divini*; sed in ejus primo duntaxat Capite, Romano scilicet Pontifice. 66.

Re-

Reſponſio.

67. AD hoc ſolidè decernendum, alia eſt habenda ratio ipſius hierarchiæ, quâ ſacrum principatum importantis, atque hanc tam quoad ſuam originem, quàm *formalem* ſui rationem, ac ſpecificationem *intrinſecam*, imò & *actualem* ſui erga certum ſubjectum applicationem, ſeu collationem ſub prævia licèt humanæ electionis deſignatione faciendam, eſſe Juris *Divini immediati*, ex indubitatis fidei principijs prorſus certificamur. Alia proinde habenda eſt ratio hierarchicæ in Eccleſiaſtica jurisdictione erga hierarchicum primatum ſubordinationis, importantis gradus tum Patriarchatûs, & Primatûs, tum Archiepiſcopalis, ac Metropolitanæ præeminentiæ, tum ſimplicis Epiſcopatûs. Qui equidem gradus univerſi, ſi ſpectentur in ſua *activa* origine, cùm deriventur ex Papali authoritate per Chriſtum *immediatè* conſtitutâ, ut ſic quaſi *cauſaliter* & *originativè* rectè dicuntur eſſe Juris *Divini*, quamvis in ſe ipſis *formaliter*, & quoad ſui originem quaſi *paſſivam*, ſive quoad ſui ex Papali nempe authoritate promanantem, & ſuis limittibus circumſcriptam inſtitutionem, & à fortiori quoad ſui *actualem* collationem, non niſi *mediatè* ſint juris *Divini*.

PROBATIO II.

In qua per ſanctorum Patrum teſtimonia oſtenditur Epiſcopalis jurisdictionis origo eſſe ex Papalis authoritatis communicatione, atque adeò ſolùm *mediatè* eſſe Juris *Divini* à Chriſto inſtituti.

68. DIgna eſt, quam hîc amplectamur, inductria Authoris *tractatûs de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ lib. 8 cap. 10. à n. 6.* præſens intentum noſtrum probantis ſequenti Patrum, & Eccleſiæ Doctorum inductione. Sanctus nempe Optatus Milevitanus *lib. 7. contra Parmenianum*; *Bono unitatis*, inquit, *B. Petrus* (*cui ſatis erat, ſi poſtquam negavit, ſolam veniam conſequeretur*) *& præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves Regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Non ergo præferri omnibus Apoſtolis meruit ſolius honoris ordine: ſed & claves regni cælorum ſolus accepit. Si ſolus; non ergo alij cum eo, ſaltem eodem prorſus modo Imò ex his verbis, *communicandas cæteris*, inferunt aliqui, Petrum ipſum *immediatè* cæteris etiam Apoſtolis claves, ſeu jurisdictionem communicâſſe. Sed cùm S. Optatus non exprimat, à quo facienda eſſet communicatio, præſtat, ejus verba cum diſtributione accommodâ interpretari, ut Apoſtolis quidem Chriſtus; alijs autem Prælatis Petrus, vel cum Petri conſenſu, reliqui Apoſtoli communicaverint.

69. Sanctus Gregorius Nyſſenus adversùs eos, qui caſtigationes ægrè ferunt, id tradit de Epiſcopis, his verbis; *Nihil falſi, aut mendacij ſcriptum eſt in Evangelijs, neque Chriſti prædictio exitum fallacem habet. Per Petrum Epiſcopis dedit clavem cæleſtium honorum.* Non in Petro ſolùm?, ſed per Petrum Epiſcopis.

70. Sanctus Innocentius *in Epiſt. ad Concilium Carthaginenſe*. quæ eſt 91. *inter epiſtolas S. Auguſtini*, aſſerit, quòd à B. Petro *ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis hujus emerſit. Et in Epiſtola ad Concilium Milevitanum*, quæ eſt 93. *inter S. Auguſtini Epiſtolas. Præſertim*, inquit, *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis, & honoris authorem, referre debere.* Hæc verba *authoritas*, & *authorem*, aliquid ſpecialius, quàm prioritatem Ordinis ſinè dubio deſignant.

71. Stephanus Epiſcopus Lariſſæ in Theſſalia *ad Bonifacium II.* ſcribit apud Labbeum; *Quia Domino dicenti tertiò. Amas me? Paſce oves meas, tradidit priùs vobis mandatum oſtendens, & per vos deinde omnibus per univerſum mundum ſanctis Eccleſijs condonavit.*

72. Sanctus Leo Magnus eundem ſenſum apertiùs declarâſſe videtur *Serm. 3. de aſſumptione ſuâ* his verbis; *Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro* (Petro) *conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negavit.* Non poterant verba majoris energiæ adhiberi, quàm iſta; *nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negavit.* Et alibi; *Hujus muneris* (ſcilicet prædicationis veritatis) *ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Epiſt. 89. quæ eſt ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis.

73. Ioannes Epiſcopus Ravennas *in Epiſt. ad Greg. Mag.* quæ habetur poſt epiſtolam 94. *lib. 2. ſeu 55. indictionis 11. ejuſdem Pontificis*, ſic ſe apud illum excuſat; *Et quibus cauſis ego ſanctiſſimæ illi Sedi, quæ univerſalis Eccleſiæ jura ſua transmittit, præſumpſerim obviare, propter cujus conſervandam authoritatem, &c.*

74. Id ipſum docet expreſſiùs S. Thomas *in 4. Sentent. diſt. 19. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. Ad primum ergo*, inquit, *dicendum, quòd ad abſolutionem requiritur duplex poteſtas, ſcilicet poteſtas Ordinis, & poteſtas jurisdictionis. Prima quidem poteſtas eſt æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem ſecunda. Et ideo, ubi Dominus* Joannis 20. *dedit omnibus Apoſtolis communiter poteſtatem remittendi peccata, intelligitur de poteſtate, quæ conſequitur Ordinem, unde & ſacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur; ſed Petro dedit ſingulariter poteſtatem remittendi peccata* Matth. 16. *ut intelligatur, quòd ipſe præ alijs habet poteſtatem jurisdictionis. Poteſtas autem Ordinis, quantum eſt de ſe, ſe extendit ad omnes abſolvendos, & ideo indeterminatè Dominus dixit; Quorum remiſeritis peccata, intelligens tamen, quòd uſus illius poteſtatis eſſe deberet præſuppoſitâ poteſtate Petro collatâ ſecundùm ipſius ordinationem.* Nónne ordinatio Petri pro uſu poteſtatis remittendi peccata eſt collatio jurisdictionis? Id clariùs explicat S. Doctor *lib. 2. contra Gentiles cap. 6. Petro ſoli promiſit, tibi dabo claves Regni cælorum, ut oſtenderetur poteſtas clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem.*

75. Non minùs apertè eandem doctrinam tradit S. Bonaventura *Opusc. Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant*; Proprius, inquit, *sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis Parochialis proprij Sacerdotes. Primus & præcipuus est Summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est, ita quòd omnes inferiores Ecclesiæ Rectores, curam, & totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt* mediatè, *vel* immediatè.

PROBATIO III.

Prioris continuativa ex testimonijs Theologorum.

76. AUthoris *præcitati seq. cap. 11. à n. 3.* par industria in congerendis Theologorum sententijs, singulari cum laude hìc inferenda nobis visa est. Illam igitur doctrinam nostram solidè adstruit Herveus Natalis Brito, Ordinis S. Dominici *in tractatu de potestate Papæ*, sub cujus initium ait; *Quidam ignorantes potestatem Sedis Apostolicæ, vel contemnentes eandem, quærentes suam potestatem statuere, & indebitè ampliare, nolunt recognoscere, suam potestatem esse à Sede Apostolica, nec eam volunt recognoscere, sicut prædictâ potestate Sedis Apostolicæ stabilitam, dicentes, potestatem Episcoporum & Curatorum æquè esse* immediatè *à Deo, sicut potestatem Sedis Apostolicæ, & potestatem prædictorum Episcoporum & Curatorum non esse à Papa, sed* immediatè *à Christo; quod erroneum judico, ut infrà patebit. Ad hujus ergo erroris exclusionem videnda sunt quædam in generali de potestate Iurisdictionis.* Hervei doctrinam S. Antoninus, quamvis Archiepiscopus, suam facere non dubitavit *parte 2. Summæ Theologicæ tit. 22. cap. 3. cujus §. quintum* sic inchoat; *De plenitudine potestatis Papalis & jurisdictionis ergà alias potestates inferiores, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Parochiales Curatos. Vbi sciendum secundùm Herveum in dicto Tractatu, quòd omnis potestas Ecclesiastica alia à Papali subest ei quoad tria.* Primò *quantùm ad correctionem abusûs.* Secundò *quantum ad institutionem, & collationem ipsius potestatis inferioris.* Tertiò *quoad subsidium administrationum, &c.* Vide, si lubet, *ibi, & tit. 3. cap. 11. §. 14.*

77. Ut autem Scriptores Gallicanos prosequamur. Eandem sententiam amplexus est pluribus in locis, veritatis magis, quàm augendæ propriæ dignitatis studiosus Ægidius Columna, Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas. Videri potest *in lib. de renuntiatione Papæ cap. 8. & alibi.* Sed majoris ponderis est ejus suffragium in opere, in quo Iurisdictionis Episcopalis fundamenta firmiùs stabilire, operæpretium erat; scilicet ubi exemptiones impugnat, vel potiùs earum abusus, nempe *Opusc. contra exemptos*, in cujus *cap. 2.* sic scribit; *Cùm Pontifices & Episcopi sint opera sapientiæ Summi Pontificis, quia per eum, vel per authoritatem ejus sunt assumpti in partem solicitudinis, &c.* Vide *ibidem cap. 25.*

Thomas ab Argentina Theologiam Parisijs professus circa annum 1445. *dist. 25. quæst. 1. art. 2.* 78. *Cùm igitur*, inquit, *jurisdictio spiritualis cujuslibet sacerdotis dependeat à Summo Pontifice, apud quem solum residet jurisdictionis plenitudo, tam in fieri, quàm in conservari, ipse enim quotidie potest dare & auferre hujusmodi jurisdictionem, prout ad statum Ecclesiæ gubernandum ipse viderit expedire: ideo potestas excommunicandi, quæ præcisè innititur jurisdictioni, dependet à potestate Ecclesiæ, seu Summi Pontificis non solùm in fieri, verùm etiam in conservari, quia non dependet minùs illud, quod innititur, quàm dependeat illud, cui innititur. Et eâdem ratione potestas absolvendi in foro pœnitentiæ, in quantum innititur jurisdictioni, dependet tam in fieri, quàm in conservari à potestate Ecclesiæ. Et hinc est, quòd subtractâ jurisdictione per sententiam Iuris, vel Iudicis à Prælato, vel Sacerdote, tunc non possunt excommunicare, nec pœnitentias salutares injungere, & si de facto attentant, irritum est & inane, quod faciunt; quia potestas, quâ hæc facere deberent, non est eis conservata, sed potiùs irritata ab eo, à quo dependet hujusmodi potestatis conservatio.*

Ioannes à Celaja *in 3. Sentent. dist. 25. quæst.* 79. *7.* idem sentit etiam de Apostolis, & explicat, probatque in hunc modum; *Quæritur* septimò *circa eandem distinctionem, utrùm à Romano Pontifice derivetur ad omnes alios Prælatos Ecclesiæ potestas jurisdictionis? Ad hanc difficultatem respondetur* affirmativè ..... *Iam probatur eadem responsio per rationes.* Prima *est talis. Cæteri Apostoli à Petro non habuerunt oves subditas* immediatè *à Christo: ergo non habuerunt* immediatè *potestatem jurisdictionis à Christo. Antecedens patet, quia sola Petro Salvator noster dedit oves* Ioann. ult. cap. *& nulli alteri: ergo non habuerunt oves* immediatè *à Christo.* Secunda *ratio talis est: in omni principatu potestas jurisdictionis derivatur ad quamcunque personam à Monarcha talis principatûs, teste D. Dionysio, tam in lib. de cælesti Hierarchia, quàm de* Ecclesiastica Hierarchia. *Sed Papa est Monarcha in principatu Ecclesiastico, ut probatum est superiùs; ergo ab ipso derivatur potestas in omnes alios Prælatos Ecclesiæ.* Tertia *ratio talis est: teste eodem Dionysio* in libris allegatis, *Ecclesia nostra militans ordinata est ad instar cælestis hierarchiæ: sed in cælesti Hierarchia est unus Monarcha, scilicet Dominus Deus, à quo derivatur potestas in omnes alios: ergo ita erit in Ecclesiastica Hierarchia: & non est ponendus alius à Pontifice Romano.* Deinde solvit objectiones, sicque respondet; *Arguitur authoritate Divi Bernardi* in lib. de consid. ad Eugenium Papam *dicentis; Erras, si, ut summam, ita & stilam institutam à Deo, æstimas tuam Apostolicam potestatem: ergo aliæ potestates à Papatu sunt institutæ à Deo, & per consequens potestates aliorum Prælatorum Ecclesiæ non derivantur à Romano Pontifice. Pro hujus argumenti solutione est advertendum, quòd in quolibet Prælato Ecclesiæ possumus duo considerare, scilicet dignitatem in se, & dignitatem hujus personæ: dignitas in se* immediatè *est instituta à Deo; dignitas autem hujus personæ, id est, quòd ista persona habeat istam dignitatem, sine potestatem Ecclesiasticam, non est à Deo* immediatè, *sed* me-

mediante *Romano Pontifice, qui voluit illum instituere in Episcopum. vel rectorem. Quamvis talis potestas sit mediatè à Deo, iuxta illud Pauli* ad Romanos 13. *Omnis potestas est à Deo; isto notato, respondetur ad formam argumenti, negando ultimam consequentiam. Nam licèt dignitas Episcopalis, sive Rectoralis sit instituta à Deo: non tamen est institutum à Deo* immediatè, *quòd iste habeat dignitatem Episcopalem, vel Rectoralem, sed à Romano Pontifice.*

80. Michael Maucler *parte 2. de Monarchia lib. 4. cap. 10.* eandem tradit doctrinam. Marcum Antonium de Dominis Episcopum Spalatensem contrariam amplexum, confutandum sibi in hoc etiam puncto duxit Nicolaus Coeffereau Episcopus Massiliæ nominatus *discussione quinti capitis lib. 2. Spalatensis.*

81. Ioannes Puteanus Regius in Academia Tolosana Theologiæ Professor *in 2. 2. S. Thomæ q. 1. a. 6. dub. 3. in respons. ad 1. object. & ad instantias.* jurisdictionem Episcoporum à Deo *mediatè* derivat, à Summo Pontifice *immediatè. De lege namque communi Episcopi suam dignitatem consequuntur à Deo per dependentiam à Summo Pontifice, adeò, ut potestas Episcopalis de jure communi pendeat intrinsecè, & ex ordinatione Divinâ à potestate Summi Pontificis. .... Hæc autem est in Episcopis modo ordinario, atque adeò cum dependentia à Summo Pontifice, penes quem est limitare Iurisdictionem Episcopalem, ut definitum fuit multoties.* Et adhuc infrà; *Nihil accipit Pontifex Maximus ab Ecclesia, sed à solo Deo. Ecclesia autem illud omne, quod habet, à Pontifice Maximo* proximè & immediatè *mutuatur*; remotè *verò*, & mediatè *à Deo.*

82. In specimine Juris Ecclesiastici apud Gallos recepti Ioannis Doujat Antecessoris Parisiensis, extat *Tractatus Privilegiorum, quæ exemptiones* dicuntur, Authore Ioanne Lomedè in Senatu Parisiensi Patrono, in cujus *cap. 3. num. 12.* supradicta doctrina traditur. *Episcopi (licèt, quòd singulariter alloquendo Petrum, omnibus futuris Episcopis loqueretur) sunt à Summo Pontifice tanquam Christi ministro, & Capite Ecclesiæ electi, assumpti & instituti, quorum Summorum Pontificum est, dividere, & unire Diœceses, & imponere curam, &c.*

83. *Numero* autem *13.* ait idem Lomedè; *Glossa Pragmaticæ sanctionis* in capite Licet. in verf. Reservationes. De electione. *tenet* per Cap. Puto. 2. quæst. 7. & cap. Mandata. De præsumption. *Episcopos in suis Diœcesibus Vicarios esse Papæ. Ideo Legatos & Delegatos suos esse majores Ordinarys.*

84. Non ergo augendæ propriæ dignitatis desiderio tribuendum est, quod recentiores Pontifices declarârunt, Episcoporum honorem, & jurisdictionē à sancta Sede effluere. Ac si quis eorum testimonia recusat, quòd in propria causa loquantur: cur non rejicietur etiam Episcoporum contrarium sentientium authoritas, cùm non minùs proclives sint inferiores ad amovendum subjectionis jugum, quàm superiores ad amplificandam suam dignitatem? Cur igitur major hac in parte fides debebitur Episcopis Gallicanis, quàm Sixto V. Papæ, cujus hæc sunt verba *constitut. 74. an. 1587. undecimo Kal. Febr. in institut. Congregationis pro consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum §. 1. Quare ut ab Apostolica Sede, à qua tanquam à Matre honorem, & jurisdictionem acceperunt, sibi, cùm opus erit, auxilium, præsidiumque paratum esse intelligant, ut greges suos tantò fructuosiùs pascant, quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum, & aliorum Prælatorum consultationibus audiendis.*

Nemo hactenus Bullas provisionis recusavit, eò quòd in hac forma essent, quæ jurisdictionem Episcopo à Summo Pontifice conferri significant; *Providemus Ecclesiæ N. de persona N. & præficimus eum in Patrem & Pastorem, ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus.* 85.

§. IV.

Corollarium.

EX dictis infertur, Ecclesiæ Gallicanæ libertati haud deservire posse illam de Episcoporum à Christo *immediatè* acceptâ jurisdictione sententiam, nisi invertere, imò evertere simul velint Ecclesiasticæ jurisdictionis hierarchiam. Probatur hæc illatio. Quamdiu namque manet inconcussus Sedis Apostolicæ Primatus, cui omnimodam Episcopalem jurisdictionem, si non quoad primævam suæ vel institutionis, vel etiam collationis originem, saltem quoad *morale* suum exercitium oporteret esse subordinatam, tamdiu negari non posset, Apostolicam Romani Pontificis authoritatem, super *quocunque* in regnum cælorum ordinabili *Morali* protensam, complecti etiam quodcunque *Morale* jurisdictionis Episcopalis exercitium, atque adeò istud esse subjectum *indefinitæ* Petro, ejusque Successori per Christum promissæ ad solvendum & ligandum potestati. Atque hoc posito, non posset jam negari Papæ authoritas ad solvendum decreta qualiacunque ex Episcopalibus jurisdictionibus profluentia. Quemadmodùm igitur omnes Angelorum hierarchiæ & ordines à Deo *immediatè* constituti, eam nihilominùs in se habent subordinationem Divinitus etiam sancitam, ut inferiores Angeli in exercitio suorum Divinitus licèt institutorum muniorum dependeant à superioribus: sic dato etiam, institutionem Episcoporum esse *immediatè* juris Divini, haud obinde sequitur, Pontificis Romani Oecumenicam respectu totius Ecclesiæ, atque adeò Episcopis superiorem, potestatem & authoritatem nihil posse statuere circa horum officia, potestatisque exercitium, nisi Ecclesiæ hierarchiam, seu Primatum penitus evertere cogitent, quod tamen ab ipso intento alienissimum esse, in suis declarationibus solenniter contestatus est Clerus Gallicanus. 86.

DISQUISITIO IV.

Quousque, salvis concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Galliarum Regem initis, extendi possit Papæ jurisdictio in ordine ad forum contentiosum Ecclesiasticum?

§. I.

1. AUthor *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 6. cap. 5.* tradit, à tempore præinsinuatorum Concordatorum emersisse sequentes difficultates, quarum prima est; *Vtrùm Papa possit alicujus negotij judicium ad se immediatè trahere?* Secunda; *An possit aliquando negotia judicare?* Tertia; *An formulis ordinis judiciarij se accommodare teneatur?* Prima igitur controversia frequenter occurrit de causis majoribus: quarum momenta, advertente Authore *præfato n. 2.* expenduntur ex quadruplici capite. *Primò* ex rei magnitudine, ut v. g. quando spectant ad fidem, ad Religionem, vel ad præcepta generalia morum, & disciplinæ, ut habetur *Can. Præceptis d. 38. 12. Cap. Majores. De Baptismo. & alibi. Secundò* causæ majores dicuntur ex magnitudine difficultatis circa illas natæ. Interdum enim quasi synonyma ponuntur, majores & difficiliores quæstiones; & ab hoc maximè capite Galli, saltem si Joanni Gerbasio credimus, causarum magnitudinem metiuntur. Sic enim habet Doctor ille *Dissert. de causis majoribus art. 1 num. 10. Galli nostri diversam aliquatenus majorum causarum ideam tradidêre; neque enim causæ majores apud eos statim dictæ sunt, quæ de rebus majoribus ac præstantioribus essent, sed quæ plus obscuritatis haberent ac difficultatis: quare tum tandem Apostolicam Sedem adeundam, ejúsque consulenda oracula existimárunt, cùm alunde lex non affulgeret, rationésque vulgò usurpatæ minimè sufficerent. Exploratum illud sit, &c. Tertiò* vocantur causæ majores ratione dignitatis personæ, v. g. cùm de Episcopo agitur, ut patet *ex cap. Inter corporalia. De translatione Episcopi*; & ex Doctoribus *in illud cap.* Denique majores dicuntur ob difficultatem exequendæ rei justæ, aut amoliendæ rei injustæ. Sic anno 816. Ecclesia Rhemensis in Concilio Pontigonensi, cui Apostolicæ Sedis intererant Legati, majora negotia, & majores causas appellabat eas injurias, quas à Ludovico Germaniæ Rege perpessa fuerat, & timebat, ne in posterum pateretur: *Paternis magisterijs instruimur, ut, si quæ majora negotia, vel majores causæ exortæ fuerint, ad Sedem Apostolicam, prout authoritas docet, & mos antiquus obtinuit, semper referantur.* Quæ sint autem illa negotia, deinde notatur; *Calamitates, & miserias Ecclesiæ nostræ, ac civium nostrorum, quas hoc anno à Ludovico Rege, itémque à Ludovico filio ejus, & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus enumerare potest, Ecclesia nostra perpessa est.* Denique postulatur auxilium; *Ne de cætero talia, ac tanta mala Ecclesia nostra, ac Regnum patiatur, qualia hactenus passum est.* Sed hæc postrema duo causarum genera majora non æstimantur, nisi cum aliquâ rei magnitudine conjuncta, v. g. nisi agatur de deponendo Episcopo, vel alio gravissimo negotio.

De hisce igitur causarum generibus *prima* 2. procedit præsentis disquisitionis difficultas, quam una cum cæteris difficultatibus hîc occurrentibus ex *præcitati* Authoris verbis expediemus, quia ex una parte, ut integrum redderetur hoc opus nostrum, urgebamur ad materiam illam, utpote Ecclesiæ Gallicanæ libertates attingere visam, haud prætermittendam; ex altera verò parte lubenter profitemur nostram imperitiam in hisce rebus, quæ Galliæ Regno sunt peculiaria.

§. II.

An prima præinsinuati Gallici Regni causarum cognitio ad sanctam Sedem, an ad Concilium Provinciale spectet?

PErgit igitur præfatus Author *à n. 3.* hunc 3. in modum disserere. Hîc in re licèt Episcopale judicium præmittendum, idque ex antiquis juribus colligi, aliqui senserint, certum est, Concordata, cùm causas majores ab ijs exceperunt, quæ deberent ab Ordinarijs definiri, primum earum judicium Summo Pontifici reliquisse. Cùm enim contentiones circa jurisdictionem dirimere voluerint, hanc quæstionem, quæ maximi erat momenti, & à qua plurimæ, gravissimæque disceptationes oriri poterant, non reliquerunt inæcitam: alioquin enim si determinandæ illi supersedendum partes judicassent, de illa omninò siluissent. Cùm autem mentio facta sit ejus, cur in aliud tempus definienda dilata fuisset, cum periculo, ne interim novarum discordiarum esset fomes, ac sine spe novorum ad eam in posterum commodiùs definiendam adjumentorum. Perspicua videtur Concordatorum sententia his verbis comprehensa *tit. de causis. Omnes & singulæ causæ, exceptis majoribus in jure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscriptâ, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, ac finiri debeant.* Quod idem in Concilio Basileensi, & Pragmatica sanctione statutum fuerat.

Accedit, quòd tempore præcedenti, ac 4. consequenti Concordata, Gallis persuasum erat, causas majores in prima instantia esse ad sanctam Sedem referendas, quia hæc erat Juris Communis dispositio, & Canonici Iuris Interpretum sententia, etiam apud Gallos. Guillielmus Durandus Episcopus Mimatensis *in speculo Iuris partic. 1. tit. de legato. §. Nunc ostendendum. num. 1. Majores causæ*, inquit, *ad Sedem Apostolicam sunt referendæ, ut extr. de bap. Majores. extr. de transl. l. 11. q. 6. omnis oppressus, & citatus super istis coram Ordinario potest etiam absque aliquo gravamine illatè, vel comminato*

minato ad Sedem Apostolicam appellare, ut 2. quæst. 4. Nullam & q. 6. Ad Romanam &c. ideo §. Cùm ergo, quod specialissimum est, ut probatur extrav. de appellat. ut debitus. in fin. Ioannis Gersonij, Concordatis non longe antiquioris, verba mox exscribemus; sed glossa ipsa Pragmaticæ Sanctionis, quæ semper in eo Regno maximi habita fuit in tit. de causis. §. Statuit. verb. Majoribus. rem confecisse videtur, addens; *Quæ ex natura ipsarum sunt deferendæ ad Sedem Apostolicam, nec in ipsis compellebatur quis litigare coram Iudice inferiori.* Quod multis comprobat authoritatibus. Rebuffus magni nominis in illo Regno Author eandem doctrinam tradit his verbis; *In causis majoribus in Iure expressè descriptis, & Sedi Apostolicæ reservatis.*

Ioannes Gerbasius id unum *in tota sua dissertatione de causis majoribus* explicandum sibi propositum fuisse, profitetur in allocutione ad Lectorem; *Quid nempe Iuris in præsentia obtinere debeat apud Gallos de causis majoribus. Atque idcirco dissertationem suam inscripsisse, ad caput Concordatorum de causis.* Cùm enim, inquit, *Concordatorum leges ægrè quidem initio, usu tamen inductæ, sic jam videantur, ut municipalium instar legum nobis evaserint, operæpretium duxi examinare imprimis; si quid fortè novi Concordata de causis majoribus statuissent, specialimque de Episcoporum causis, & judicijs, quibus præsertim inhærere fuit animus.* Articulo autem 3. num. 2. *Quamquam*, ait, *dissertatio hæc tota inscripta sit ad caput Concordatorum de causis; verumtamen capitis ejus tractatio propria magis erit hujus articuli, ubi sententiam legis capite isto comprehensæ peculiari studio, ac de industria magis examinabimus.* Quâ quidem declaratione levat nos onere discutiendi omnia exempla, quæ profert, judiciorum ab Episcopis circa causas majores diversis temporibus prolatorum, aut exceptiones, quas adhibet adversùs prima judicia de hujusmodi causis à Summis Pontificibus pronuntiata.

Itaque id unum inquirendum est, quid nempe in Concordatis eà de re statutum fuerit; quandoquidem Concordata *municipalium instar Legum Gallis evaserunt.* Atque quantum conjecturâ licet assequi; sunt ex illis *regulis, moribus & institutis à Regno, & Ecclesia Gallicana receptis*, quæ valere debere declarant Illustrissimi Antistites Gallicani in hac tertia propositione. Sunt autem verba Concordatorum *tit. de causis*, quæ sequuntur. *Statuimus quoque, & ordinamus, quòd in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes, & singulæ causæ, exceptis majoribus in Iure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscriptâ, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & definiri debeant.* Istud caput, seu titulus nihil amplius continet. Quod enim attexuit, nescio quâ intentione, Ioannes Gerbasius, aliud caput est sub *titulo de frivolis appellationibus.*

Agitur in capite modò exscripto, ut per se patet, de primo judicio causarum definitivo, non autem de supremo, & à quo appellari non possit. Nam neq; minores etiam causæ *apud illos Iudices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscriptâ, vel privilegio illarum cognitionem habent, ita terminari, & definiri possunt*, quin liceat appellare, usque ad tertiam sententiam conformem inclusivè, ut in sequenti Decreto statuitur. Cùm igitur de prima sententia sit sermo; constat, *causas majores in Iure expressè denominatas* à lege Generali excipi, ejusque exceptionis non aliam vim esse posse, quam ut aliæ quidem à Iudicibus definiri queant, qui jure, aut consuetudine, vel privilegio illarum cognitionem habent, majores verò nequaquam.

Quod adhuc magis confirmatur ex eo, 8.
quod notat Gerbasius; nempe *quòd prava diu consuetudo moleverat vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus, leviores causas, minimaque negotia, sive id fiebat in prima instantia, ut ajunt, & per calumnias, sive per frivolas appellationes.* Duobus igitur abusibus, ut Gallorum more loquamur, mederi voluerunt tum Patres Basileenses, qui materiam Pragmaticæ Sanctionis submiserunt, tum Authores Pragmaticæ Sanctionis, cui substituta sunt Concordata, tum Concordatorum ipsorum Authores; *primò* quidem ne omnium causarum prima cognitio Romam evocaretur. *Secundò* ne frivole, aut interturbato jurisdictionum ordine, omisso medio, appellaretur. Primo malo occurritur statuto *supra* relato, quo prima causarum cognitio Iudicibus reservatur, ad quos *de jure, aut consuetudine, vel privilegio pertinet.* Sed dum excipiuntur *causæ majores in jure expressè denominatæ*, quid aliud operari potest illa exceptio, quàm ut causæ majores etiam in prima instantia Summi Pontificis judicio reserventur? Alteri abusui medetur caput sequens, ubi prohibentur appellationes, nisi ad immediatum Superiorem, & à sententijs interlocutorijs, nisi gravamen inferant irreparabile. Itaque istud caput *de causis, consuetudinem vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus leviores causas, minimáque negotia* tollit, sed exceptione firmat consuetudinem illuc vocandi *causas majores*, quæ *parvis, & minutis rebus ac negotijs* opponuntur a Concilio Basileensi *Sess. 31.*

Id luce clarius evadet, si notetur doctri- 9.
na Iuris Canonici, ejusque Glossatorum & Interpretum circa ordinem judiciorum. Nam *ex cap. Vt nostrum. de appellat.* Summus Pontifex causam motam apud inferiorem Iudicem ad se evocare poterat, quod de Principe supremo docent etiam Juris Civilis Doctores, ut videri potest apud citatos ab Augustino Barbosa *in hoc cap. verb. Ad nostrum judicium revocavimus.* Eaque evocatio eundem, aut majorem, quam appellatio, habebat effectum; Cùm *plus sit*, inquit Innocentius III. illius Decretalis Author, *Romanum Pontificem ad se aliquod revocare* (aut, ut est in margine, evocare) *negotium, quàm quemquam ad eum super aliquo negotio provocare.* Poterat etiam ad Summum Pontificem appellari omisso medio, ut patet *ex cap. Antiqua. de privileg. ubi Gloss. verb. Ab omnibus*; *hoc est*, ait, *privilegium Apostolicæ Sedis, ut, omissis omnibus, possit appellari ad ipsam.* Idem docet hic Augustinus Barbosa, plurimorum-

que Doctorum authoritate confirmat. Ius autem illud observabatur in Gallia, ut alibi. Non enim alio Jure Communi, quàm Decreto, & Decretalibus utebantur Galli, ut tradit D. Petrus de Marca *lib. 3. cap. 6. num. 5.* verbis jam *alibi* relatis. Abusus igitur, qui circa hæc duo puncta irrepserant, tollere voluerunt Patres Basileenses, Authores Pragmaticæ Sanctionis, & Authores Concordatorum, solis causis majoribus primo sanctæ Sedis judicio relictis, & sublatis appellationibus, omisso medio, vel à sententia interlocutoria gravamen irreparabile non inferente.

10. Agnovisse, vel invitus videtur Gerbasius, Concordata aliquid statuisse circa causas majores, & discrimen inter illas, & ordinarias posuisse; sed vult hoc tantùm statutum, nempe ut illæ referrentur ad Summum Pontificem, non istæ. *Esto* (inquit *num. 4.*) *determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum causarum majorum. Esto clausula ista, exceptis causis majoribus, &c. legem contineat, &c.* Et infrà; *Clausula itaque negat, cognitionem causarum majorum debere omninò finiri à Judicibus in partibus sinè relatione ad Summum Pontificem.* Sed aliena est prorsus a mente Conditorum illius statuti hæc interpretatio, quatenus primum judicium causarum majorum Episcopis reservare conatur. *Primò* enim jam dudum desierat ille relationum usus, ut ne verisimile quidem sit, illum in mentem aut Pontificis, aut Galliæ Regis, aut Episcoporum venisse. *Secundò* non quærebatur, an sancta Sedes esset consulenda super negotijs, sed in quo Tribunali, & quo ordine judicanda essent? An nimirum passim omnia possent per evocationem, aut per appellationem ad Curiam Romanam trahi, ut patet ex integro Decreti Basileensis, Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum contextu.

11. Non negabit Gerbasius Senatui Parisiensi veram Pragmaticæ Sanctionis intelligentiam, quippe cujus se illa Curia protectricem profiteatur. Atqui Senatus in oratione ad Regem Ludovicum XI. an. 1461. circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ habitâ, & inter Tractatus de illis libertatibus *in 1. tomo Puteani secundo loco* relatâ, declarat, primam cognitionem, & decisionem causarum ad Episcopos spectare, nisi sint majores.

12. Idem declarârunt Officiales Regij anno 1461. *Cautum est, ut Ordinarij tanquam veri Pastores cognitione, ac jurisdictione gauderent in suas oves, exceptis causis majoribus reservatis à dicto Concilio*, scilicet Basileensi, apud Puteanum *in probat. libert. Eccl. Gall. cap. 36. n. 21.*

13. *Articulo 15.* affert Gerbasius quædam exempla Concordatis recentiora, quibus ostendit, Regem Christianissimum, vel Ecclesiam Gallicanam, vel Episcopos singulares intercessisse, ubi Summi Pontifices Episcopos deponere moliebantur, sed cùm affert exempla etiam contraria, quid ex illo conflictu resultat, nisi modò illud, modò aliud jus usurpari, prout quisque suis rationibus commodum judicat?

§. III.

An Majorum causarum cognitio Judicibus Delegatis in Regno Galliæ committere teneatur Summus Pontifex, vel utrùm eas possit Romæ judicare?

A Udiamus hâc in re præfati Authoris judicium *cit. lib. 6. cap. 6.* negantis, Papam obstringi ad causarum Majorum cognitionem Judicibus delegatis in Regno Galliæ committendas: quia non honoris tantùm causâ, & in signum superioritatis Summo Pontifici reservatæ sunt, quod de appellationibus in causis ordinarijs dici posset; sed quia propter rerum dignitatem, supremi Judicis lumen, & authoritatem requirunt. 1.

Sunt multi alij casus, in quibus Summus Pontifex deberet causarum cognitionem ad se trahere, etiamsi alias nulla ei positivâ lege reservarentur; v. g. *primò*, cùm Episcopi aut nolunt, aut non possunt Ecclesiarum necessitatibus providere. *Attamen*, inquit Joannes Gerbais *de caus. major. art. 19. §. 3. Si quando Metropolitani, vel in Suffraganeorum suorum scelleribus connivere visi sunt, vel certè ob fusum latiùs malum, nimiámque forsè corruptelam emendandi illis impares extiterunt; haud immeritò sanè Apostolicæ Sedis tum adsunt authoritas, ad quam nempe spectat cæterorum Episcoporum exstare vigilantiam, imò & eorum implere vices, si forsè deficiant, &c.* 2.

Secundò, quando periculum est in mora, sic idem Gerbais *art. 11. in fine* loquens de Commissarijs ab Urbano VIII. datis die octavâ mensis octobris anno 1632. ad instantiam Ludovici XIII. Francorum Regis adversùs quosdam ejus Regni Prælatos, ait, formam illam judicis, ut scilicet Summus Pontifex supremum causæ judicium *immediatè* committeret, necessariam fuisse, *ob genus criminis, quod cùm præsentem Imperio suo* (Ludovici) *ruinam intentaret, longiorem tametsi Canonicam, judicij formam non sinebat usurpari.* 3.

Tertiò, quando res sunt admodùm difficiles: præsertim si concurrat aliquod scandali periculum, ut fatetur ipsemet Gerbais *art. 4. §. 1.* Quamvis aliunde contendat, primam Majorum causarum (quo nomine difficiliores, præcipuè in materia fidei, intelligit) cognitionem ad Episcopos pertinere. *Hæc itaque*, inquit, *regula constitus non inepte poterit in fidei dirimendis quæstionibus. Nempe si controversiæ forsan aliquæ in Provinciis existentur de rebus ad fidem spectantibus, vel res illæ obscuræ erunt, insolentes, neque satis aut scripturis, aut etiam traditione explicatæ, tum consulenda erit Apostolica Sedes, ejúsque expectanda sententia, quæ prima esse debet, ut inquit Facundus Hermianensis.* Consentit in hoc Joannes Gerbasius cum Joanne Gersonio; nisi quòd ille primum earum causarum difficilium judicium Summo Pontifici reservet. Hæc sunt verba *tract. de examinat. doctrinar. considerat. 3. Aliquæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes; aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus, & peritis; tertiæ veluti neutræ, habentes pro se Doctores* 4.

(qui

cum rationibus ad utramque partem probabilibus: nec in una tantùm diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos. Est ergo veritas, quòd in primis & secundis authoritas inferiorum Prælatorum se extendit, & ad suos tantummodò: in. tertijs verò nequaquam, quoniam meritò dicuntur Majores causæ, fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: ideo sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea referendæ, juxta illud: Si quid ambiguum, vel difficile, &c.

18. *Quartò*, si Episcopi etiam vicini suspecti essent. Cùm enim jure tam *naturali*, quàm *positivo* Judices suspecti recusari possint, si omnes inferiores gravi laborarent suspicione, recurrendum sine dubio esset ad supremum, qui negotium ad se trahere posset, si certò prævideret, Episcopos v. g. sæcularis potestatis metu injustitiam nullo modo, vel difficulter reparandam commissuros. Istud pluries accidit in negotijs Episcoporũ. Quamobrem Hincmarus Episcopus Rhemensis privilegium à sancta Sede instanter efflagitavit, impetravitque, ne ab alio, quàm à Summo Pontifice judicari posset. *Nullius infestatio ante audientiam Romani Pontificis, quia nec regulæ hoc permittunt Ecclesiasticæ, judicare te, vel condemnare præsumat. Quod etsi temerarius quisquam fortè præsumpserit, nullius excommunicationis, vel obligationis, vel condemnationis sententiâ sine decreto Pontificis tenearis obstrictus, sed si à quocunque, vel undecunque fueris compellatus, ut debeas judicari, Apostolici Papæ judicio te reservari, nostrâ, imò B. Petri authoritate decernimus. Nec alterius cujuscunque juri, vel judicio te subijci, exceptâ potestate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Provinciæ Synodum, nisi ex communi placito, posse convocari, mandamus.* Nicolaus I. *epist. 1. in appendic.* Ministrant hujusmodi exempla oppressorum à proprijs Coepiscopis Antistitum Historiæ Gallicanæ, Prætextati Rhotomagensis à Childerico Rege oppressi, de quo Gregorius Turonensis *hist. Franc. lib. 5. cap.* 19. sancti Desiderij Episcopi Viennensis, Brunechildæ Reginâ instigante, exauctorati in Concilio Cabilonensi anno 603. illorum Episcoporum, de quibus Sigebertus in Chronic. anno 685. *Theodericus Rex*, inquit, *Ebroinum in gratiam recipit, ejus consilio Synodum Episcoporum cogit, & in hac multos eorum ex sententia Ebroini privat*: Arnulphi, Hugonis Capeti præcepto urgente à Sede Rhemensi depositi, de quo *lib. 5.* Aimoini, sive ejus Continuatoris *cap. 46.* aliorum denique non paucorum, quos certè maximè juvisset, si Romani Pontifices eorum causas ad se evocâssent, ne à Coepiscopis Principum voluntati cedentibus obruerentur.

19. Concilium Tridentinum dignitati, ac securitati Episcoporum optimè se consulere putavit, statuens, ut causæ graves Episcoporum à solo Romano Pontifice judicarentur, non permissâ eorum cognitione Concilijs Provincialibus, aut Episcopis Metropolitanis, nisi forte ad sumendam informationem, si quando id locorum distantia, vel alia ratio poposcisset. *Causæ criminales*, inquit *Sess. 24. de Reform. cap. 5. graviores contra Episcopos etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio, & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quàm ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant: reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ.* Videri etiam potest *Sess. 13. de Reform. cap.* 8. & jura utrobique ad marginem citata. Cùm ad Episcoporum pertineat dignitatem, talem habere judicem: nescio, cur illi ipsi ejus judicium effugere nitantur, quo facilè possent indigere. An ut Concilijs Provincialibus sua servetur authoritas? Sed desijt in Gallia illorum usus; & licèt congregarentur, ad tuendam innocentiam, si opprimeretur, vel ad plectendam injustitiam, si à potentibus defenderetur, parum valerent.

20. Aliæ possent occurrere occasiones, & legitimæ causæ perferendæ ad sanctam Sedem primæ negotiorum cognitionis. Illic posse causas retineri, quoties justa subesset ratio, expressè continebat olim Pragmatica Sanctio his verbis, *aut aliam rationabilem causam*, quæ verba licèt deleta sint, ut docet Glossa, ad instantiam Universitatis Parisiensis, ne sub illorum prætexto quælibet causa justa, & rationabilis supponeretur: tamen si revera subessent hujusmodi causæ justæ, & rationabiles, si non ex jure Gallico, certè ex naturali, & Divino, liceret Summo Pontifici potestate sibi à Christo traditâ uti.

21. Sic habet nunc Pragmatica Sanctio *tit. de causis §. Si verò*, ubi sermo est de causa in partes remittenda. *Nisi fortè propter defectum justitiæ, aut justum metum etiam in partibus convicinis, de quibus in commissione exprimendis legitimo priùs documento, aliàs quàm per juramentum summariè constiterit, apud ipsam Sedem foret meritò retinenda.* Glossa ad verbum *Convicinis*; *sequebatur in primo originali, aut aliam rationabilem causam; quæ clausula sublata est, instantibus Nuncijs Universitatis Parisiensis; eò quòd minima causa, quæ in Romana Curiæ exponeretur, apud multos rationabilis, & legitima judicaretur, & per hoc non esset provisum abusibus.* Cessante igitur fraude, *si defectus justitiæ, justus metus, aut alia rationabilis causa postulet, negatum poterit apud Sanctam Sedem retineri.*

22. Si Concilijs Provincialibus relinquenda est cognitio graviorum causarum contra Episcopos, non est expectandum, ut quisquam puniatur; cùm jam pridem nulla illic Concilia celebrari videamus. Atque illud præcipuum videtur esse consilium eorum, qui tantoperè certant, ut Episcopi à Concilijs Provincialibus judicentur. Cùm enim frequentior erat Synodorum celebratio, securius & honorabilius sibi arbitrabantur Præsules, solius Romani Pontificis subjacere judicio. Si quis de admisso in Regem, aut Regnum crimins

accusaretur, facilis quidem foret Concilij congregatio, sed accusato admodùm periculosa, essetque maximè optandum, ut illius causa *immediatè* ad sanctam Sedem deferretur, Romæque judicaretur, juxta Concilij Tridentini Decretum.

§. IV.

Vtrùm Papa in ferendo circa illas causas judicio, teneatur ordinem judiciarium *ex integro observare?*

23. AUthor *præallegatus dicto lib. 6. cap. 7.* præsentem difficultatem ita resolvit. Hæc quæstio, inquiens, egregiè tractata est à Ioanne Monacho Cardinali Natione Gallo, patriâ Picardo supra Constitut. Bonifacij VIII. quæ incipit; *Rem non novam. Extravag. de dol. & contumac. verb. Non obstantibus aliquibus privilegijs.* Antequam dubium resolvat, distinguit quinque genera legum, & jurium, scilicet *primò* Legem Æternam, quam cum S. Augustino contra Faustum definit esse Divinam voluntatem, ordinem Universitatis conservari jubentem, & perturbari vetantem. *Secundò* legem Naturalem homini impressam, tanquam participationem quandam Legis Æternæ, & principia rerum agendarum dictantem; puta bene esse agendum, nulli nocendum, bene agentes præmiandos, peccantes puniendos. *Tertiò* legem Divinam, hominem dirigentem ad finem supernaturalem, id est, naturalem virtutem, & facultatem hominis excedentem. *Quartò* legem Humanam ex naturali deductam tanquam conclusionem à principio, necessariam cum illo connexionem habentem. *Quintò* legem Humanam, naturalem determinantem in ijs, quæ ab ipsa in communi tantùm præscribuntur; puta cùm lex naturalis dictet in communi, peccantes esse puniendos, non determinatâ pœnâ, lex humana præscribat, homicidas esse puniendos tali, vel tali genere pœnæ.

24. Ex his quinque legum generibus *quatuor prima* cujusvis hominis, etiam Summi Pontificis, potestatem superant. Cùm enim Lex Æterna sit ipsemet Deus, lex autem Naturalis, quasi quædam copia, & impressio Legis Æternæ à Deo facta; lex Divina ab ipsomet Deo constituta; ac denique lex Humana à Naturali tanquam conclusio deducta, *virtualiter* ac *radicaliter* in suo principio contenta, ejusdem rationis cum illa censeatur, constat, illas omnes à solius Dei voluntate pendère, unde interdum earum quælibet ab Authoribus legis Divinæ nomine donatur. His igitur non superiores, sed subjecti sunt cujuscunque conditionis homines, nec ab eis recedere sinè peccato possunt.

26. Itaque dum quæritur, an Summus Pontifex teneatur ordinem judiciarium in aliquo sequi. *Primò* videndum est, an ille ordo sit à lege aliqua ex supradictis præscriptus. Quòd si ita esse constiterit, non poterit certè illi sese non accommodare: sed de hoc nulla est controversia, præsertim in materia libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, in qua frequentiores contentiones oriuntur ex violatis, aut prætermissis solemnitatibus, & formulis in Gallia servari solitis, & a consuetudine, ac ordinationibus Regis, aut Senatûsconsultis institutis.

Quocirca dicendum videtur, non debere quidem Summum Pontificem solitum illium ordinem prætermittere, vitandæ perturbationis causâ, & quia plerumque ad justitiam conducere in qualibet regione censenda sunt, quæ populi consensu, ac diuturno usu comprobata sunt; non tamen ideo invalida esse Summi Pontificis Decreta, dummodò in ijs nihil desideretur illorum, quæ lex Divina, vel Naturalis præcipit, præsertim si prætermittere ordinem, necessitas, aut magna utilitas suadeat; puta si ejus conditionis sit negotium, ut nisi celerrimum afferatur remedium, plurima consecutura sint mala, qualia esse dogmata perniciosa, Sacramentorum prophanationes, &c. Imò in rebus minoris momenti, si per provisionem, ut vulgò dicitur; sinè partium judicio, aliquid statuatur, alicujus periculi vitandi gratiâ, causæ merito maturiori examini, & discussioni à Iudicibus, ad quos spectat, faciendæ reservato. Vel enim forma illa est à Rege, aut populi usu constituta; & sic Summum Pontificem utpote Superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesia ipsa inducta est, & ita supremi Pastoris est, super ea dispensare, postulante necessitate, vel Ecclesiæ utilitate.

An minorem Summo Pontifici libertatem circa formulas in judicijs Ecclesiasticis concedemus, quàm Iurisconsulti Curijs Regijs in negotijs sæcularibus? *Curia Parlamenti*, inquit Petrus Rebuffus *in Proœm. ad Concord. n. 15. ex bono, & æquo judicare solet, & secundùm conscientiam, & debet veritatem attendere, non subtilitatem, seu formalitatem.* Omitto, quod vulgò circumfertur, Principem, & præcipuè Papam, esse supra legem, solutum à lege, ac lege superiorem. Verumtamen cùm id de vi *coactiva* intelligi debeat, Principes, præsertim Ecclesiastici, vim legis *directivam*, amore justitiæ, accuratiùs sequi debent, quàm subditi vi *coactivæ*, timore pœnæ, sese accommodare.

Illustrissimi Præsules Gallicani, ut Summi Pontificis, quamplurimarum Ecclesiarum Galliæ libertatem adversùs Regaliam defendentis zelum sisterent, violatum ab eo in aliquibus negotijs judiciarium ordinem obtenderunt; ac cùm deberent Christi *Vicarium* malis, & scandalis in illis ipsis negotijs perpetratis medentem juvare, illa silentio involventes de inverso processûs ordine gravissimas excitârunt querelas. Verùm quæcumque necessaria erant, ab eo observata fuisse, & ea tantùm prætermissa, quæ vel impossibilia erant, vel ob conditionem negotiorum, promptum remedium postulantium, adhiberi non poterant, ac denique rerum justitiam adeò esse evidentem, ut nullo prætermissarum formularum prætextu eludi posset, egregie demon-

monstratum est varijs scriptis Gallico idiomate editis, præsertim libello, cui titulus *Considerationes circa Ecclesiastica negotia in proximis Comitijs Cleri Gallicani proponenda.* His igitur omissis, ad quæstionem redeamus.

29. Communia quidem à nemine negantur. Sed ea casibus particularibus applicare, in quibus tamen operæpretium est, non tam facilè quilibet possit.

30. Duabus partibus omninò necessarijs, & quasi *essentialibus* constat judicium, scilicet cognitione causæ, & prolatione sententiæ, ad quas reliqui omnes actus referuntur. Necesse quippe est, ut Iudex causæ merita intelligat, & ijs intellectis, jus dicat. Verùm ut causæ cognitionem adipiscatur, opus est, ut utraque pars jus suum exponat, ac partis adversæ allegationibus respondeat, quod litis contestatio à Pragmaticis nuncupatur. Ex ea contestatione maximè pendet causæ instructio, eò quòd nihil magis ad detegendam veritatem juvet, quàm si omnes utrinque rationes proponantur, ut contingit, cùm hinc Actor, illinc Reus; alter pro affirmativâ, alter pro negativâ, studiosissimè, ut fieri solet ab ijs, quorum interest, conquisita argumenta proferunt. Unde illa litis contestatio ceu præcipuum processûs fundamentum habetur à Iurisconsultis. Ut autem ambæ partes in id concurrant, oportet, ut vel communi consensu, vel quod plerumque necesse est, per Rei citationem conveniant apud Iudicem. Quòd si, ut ferè semper accidit, altera pars affirmet, altera neget; cùm neutri, quantumvis eximiæ dignitatis, credendum sit; probationibus opus est, quæ de veritate fidem faciant, ac Iudices instruant. Detectâ veritate, pronuncianda est sententia, ac executioni demandanda, nisi fortè injusta sit, & à superiore Iudice corrigenda.

31. Quamvis ergo ad hoc, ut judicium validum sit jure naturali ac Divino, satis sit, ut judex causam nôrit viâ publicâ (cùm enim ut persona publica, & ob Bonum publicum procedat, non sufficit ei privata cognitio, quantumvis certa) & ut æquitatem, & justitiam servet in jure dicendo; tamen quia perfecta illa cognitio, partibus non auditis, vel saltem vocatis, & aliunde accersitis probationibus, haberi non potest; nec consequenter, nisi temerè judicari: necesse omninò est; *primò*, ut partes citentur, nisi fortè ultrò convenerint, & utraque jura sua tueatur, aut tueri possit. *Secundò*, ut, si pars altera adesse nolit, quod ab altera asseritur, probetur. *Tertiò*, ut judicium secundùm allegata, & probata, juri præsertim Divino & naturali consentaneum, proferatur.

CONCLUSIO
Generalis relata ad universos præcedentes Paragraphos.

32. CUm Papæ supra Reges authoritas *indirectè* erga temporales quoque causas *præcedenti articulo 1.* multis fundamentis sit ostensa, niti manifesto *jure Divino*, irrationabile prorsus, & à Divinæ doctrinæ regulis alienum foret, potestatem Pontificiam coarctare circa causas Ecclesiasticas, nisi quantum Summi Pontifices seu pactione, seu lege universali eam constrictam volunt, salvâ semper potestatis suæ plenitudine.

Explicatur & probatur ex ijs, quæ Author *Inextinctæ veritatis Concilij Tridentini to. 4. in Sess. 23. à pag. 226.* digessit. Quæ, qualis, quantaque sit Ecclesiasticæ hierarachiæ Præsidis authoritas?

Hoc enim dubitari à nemine potest, quin 33.
tanta sit illi attributa à Christo authoritas, cui commisit sui regni & ovilis curam pastoralem & regimen, quanta illi ad hoc ipsum sibi mandatum officium erat necessaria. Tantam autem illi prorsus necessariam, qui omnibus regendis debebat intendere, nemo non intelligit: ut in omnes ejus efficacia pateat, omnes regiminis sui habenis constrictos habeat, omnes ejus dicto audientes esse teneantur, sine quo, ut nulla esset commissi sibi in eosdem regiminis efficacia, si ejus mandata nobis liceret contemnere: ita non posset (quòd maximè spectat illa ejus, toti Ecclesiæ necessaria authoritas) unitatem religionis & fidei, & vigorem disciplinæ Ecclesiasticæ conservare in domo Ecclesiastica: neque efficere, ut in ea omnia ordine decenterque gerantur, non posset omnes, qui ejusdem familiæ sunt, quemque in suo continere officio: ab unoquoque ejus rationem exigere: delinquentes punire: excessus corrigere: moderari universa, quæcunque aguntur in domo Ecclesiastica. Quæ tamen necessariò pertinere ad authoritatem Præsidis, etiam in quacumque bene institutæ humanæ societatis specie, evidens ratio demonstrat.

Deinde & hoc necessariò ad ejusdem au- 34.
thoritatem pertinere, *alibi* à nobis copiosiùs demonstratum est, & per se etiam ex ipsa forma & specie societatis Ecclesiasticæ, & necessitate conservandæ in eadem unitatis, religionis & fidei, notum est: ut ad ipsum referantur omnes de religione, & fide quæstiones & controversiæ subortæ in domo Ecclesiastica, ejusque una cum sacerdotali Concilio (juxta formam expressam in Lege Veteri) secum servientium Domino in Cathedra Apostolica, aut etiam aliunde evocatorum (secundùm quod illius negotij qualitas exigere videbitur) terminandæ definitione & judicio. Sinè quo nullam in Ecclesia conservari posse unitatem religionis & fidei, sed tam diversas in eâ necessariò fore opiniones & sententias, quot sunt, & quàm diversa hominum ingenia, ipsa loquitur rei evidentia.

35. Quare secundùm ea, quæ præmissa sunt, oportere, quilibet intelligit, ut membra universa Ecclesiastici corporis moderentur, & regulentur habenis & imperijs sui illius hygemonicon, Ecclesiasticæ videlicet hierarchiæ rectoris & præsidis: ne quolibet lato pro suo impetu & arbitrio, necessariò subsequatur & pugna inter se membrorum, & schisma, atque unitatis divisio.

PROBATIO I.

Ex *indefinitâ* Petri Successori per Christum concessâ ligandi & solvendi authoritate, unâ & exemplis praxis Ecclesiasticæ petita.

36. Summi ergo Pontificis authoritate nemo exemptus est, qui inter oves Christi connumerari voluerit: quas omnes indiscriminatè illius subjecit regimini: nec distinxit à magistratu plebeium: non principem, non Regem, non Imperatorem excepit: sed *pasce*, inquit, *regéque agnos meos, & oves meas.* Cui autem aliquorum commissum est regimen, necesse est, datam illi regendi eosdem potestatem: his autem obsequendi, & Rectoris imperijs obediendi, necessitatem impositam: sinè quo nemo posset vel viginti personarum familiam & societatem regere. Neque elegit ad hoc Christus nobiles secundùm carnem, non Reges, non Imperatores, & hujus mundi principes: sed infirma potiùs hujus mundi elegit, ut confundat fortia: sed Petrum piscatorem elegit, & post eum ex infima plebe plurimos: sub quorum gubernatione, regimine, & imperio se humilient, necesse est, quicunque in Christi ovile & regnum ascribi voluerint. Hæc enim lex hujus regni est. Proinde oblivisantur interim proprij regni & imperij, oportet, Reges & Imperatores, quicunque in hoc ovile Christi, & regnum ejus ingredi, admittique voluerint, aut admissi intus manere: sub illo se humilient, necesse est, quamvis piscatore, quamvis ex infima plebe assumpto, cui Christus ejusdem gubernationem committere dignatus est.

37. Fuit quidem hoc regnum Christi ab initio pusillum & humile, instar grani illius sinapis, cui Christus ipsum comparat, quod acceptum, misit homo in hortum suum, & crevit, factumque est arbor magna: ita ut volucres cæli venientes in ramis ejus requiescerent: quod impleri tunc cœpit, cùm Constantinus Imperator, & post eum Reges & Principes alij, suos fasces, sua sceptra, suaque colla regno Christi submittentes, sub ramis ejus veram pacem, quietemque invenirent. Quos omnes in hoc regnum ascriptos, non ampliùs instar Principum & Regum gentium, subditorum suorum, dominari sibi, sed Christo, jam oportet: illius, hoc quod diximus, regno, suo illo regno servire ad salutem suam & suorum: illius zelare honorem & gloriam.

38. Neque est, quòd indignè ferant illi servire, & non liberè Ethnico illo more dominari, sed subesse ejus rectori, & præsidi. Quando nulli salus est, nisi qui huic regno libens servierit: nulli ad illud cœleste beatitudinis regnum, nisi ex hoc, patet aditus. Quod Esaias, sub nomine Hierusalem hoc ipsum alloquens, & omnibus clarissimis verbis contestans, affirmat. *Gens enim & regnum*, inquit, *quod non servierit tibi, peribit.* Expectenda igitur est omnibus hæc servitus.

Quin & Dei ordinatione ita constitutum, 39.
ut hoc Christi regnum, inprimis deficientis Romani Imperij sibi subjecturum esset reliquias, & deinde comminuturum universa mundi regna, ingrediente in ipsum plenitudine gentium; jam olim Danieli ostensum est in visione, quam vidit ille Rex Babylonis in lapide illo scisso de monte sine manibus, ab initio modico, sed qui paulatim in montem magnum excrevit: impleturus adhuc universam terram, percussurusque statuam, quam idem ille viderat, succedentium sibi regnorum exprimentem imaginem, in suis pedibus ferreis & fictilibus: quos eodem Daniele fideli interprete, reliquias Romani Imperij circa sui finem significare, certum est. Lapidem autem illum, esse hoc regnum Christi & Ecclesiam, idem quoque ille ipse Daniel certissimus testis est: *in diebus autem*, inquit, *regnum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum ejus non tradetur alteri populo. Comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum, secundùm quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sinè manibus*, nempe hoc regnum Christi, Catholica, inquam, ejus Ecclesia, quod, inquit, consumet universa regna hæc, sibique subjiciet.

Nihil proinde indignandum est, hoc fa- 40.
ctum cernere: nempe, quòd Ecclesia sibi subjecerit Reges, Imperatores, Principes, regna denique & imperia: quod ab æterno ita futurum, præordinavit omnipotens illa Sapientia: & priusquàm fieret, tantò ante fore præostensum ab eadem, & Prophetarum oraculis prædictum cernimus. Quæ tamen nihil sibi vi usurpavit in quemquam indebitum: sed ultrò se ei submittentes ad salutem propriam Reges & Principes, benignè suscepit. Audisti etenim, quid ille dixerit Ecclesiæ. *Gens enim, & regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

Comminuit igitur Christi Ecclesia, & sibi 41.
subjecit, juxta Danielis vaticinium, principatus & regna, Reges, & principes: sed illorum submissione ultroneâ: atque ita hoc volente, & ordinante Divinâ providentiâ, pro conservanda unitate necessaria & concordia in domo Ecclesiastica: atque hoc tandem efficiente, ut non subesset solùm, sed planè dependeret eorum authoritas ab authoritate Ecclesiastica: abolitâ paulatim omni illâ seculari potestate, quæ se in gentilitatem quoquo modo referre posse videretur.

Itaque eâdem illâ, omnium regnorum 42.
successionem gubernante ac disponente providentiâ, cùm tandem omne Occidentis Imperium subactum esset Romano Imperio:

Ro-

Romanus Pontifex Leo tertius, novum inchoavit Imperium planè dependens ab authoritate Ecclesiastica, in Carolo illo cognomento Magno, Pipini filio: à quo ad nostra tempora supra annos septingentos, continuâ serie perdurat Christianorum Imperatorum successio. Qui universi nihil juris legitimi habuerunt ad Imperium, quod non acceperunt ab Ecclesiasticæ hierarchiæ rectoribus. Quod tamen ego magis legitimum nihil dubitaverim, quam universum illud, quod ante Carolum, ex Julio Cæsare ducebat originem.

43. Et quanquam etiam illud ipsum servire debuerat Christi Ecclesiæ, postquam ejus principes atque Imperatores ovile Christi ingressi sunt: haud tamen ita ab Ecclesiastica authoritate dependebat universa eorum authoritas, sed propriam, quam ante habuerant, introduxerant in Christi Ecclesiam, atque ejus authoritati se reddiderant obnoxios. Quos proinde liberiùs compellans Gregorius ille Nazianzenus, cùm aliquando modum suum non satis agnoscerent in Christi Ecclesia: *Suscipitisne*, inquit, *libertatem verbi? Libenter accipitis, quòd lex Christi sacerdotali vos potestati subjecit, atque istis tribunalibus subdit? Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multò præstantiorem principatibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni? si à terrenis cælestia superentur? & si divinis præferantur humana?*

44. Itaque & cæteri Reges ac Principes hæc intelligentes, jam illustrati lumine fidei, sua sceptra, & universam prorsus authoritatem suam Ecclesiasticæ authoritati non solùm subesse recognoverunt: imò, quò hanc subjectionem omnes magis intelligerent debitam & necessariam, juxta illud Esaiæ vaticinium (Divinâ ita hoc ordinante providentiâ, quæ, si in universa, in hæc maximè se extendit) universi suam authoritatem recipere ab Ecclesia, ejusque authoritate, re ipsâ professi sunt.

45. Sic florentissimi Galliarum Regni sceptra & titulos, (cùm in Hilderico eatenus Rege ignavo & socorde, deficeret illa ex gentilitate tracta & reducta successio) Pipinus à Zacharia Ecclesiasticæ hierarchiæ præside, pro se, suisque successoribus accepit, sacrâ unctione, Apostolicâ authoritate sibi impensâ à sancto Bonifacio Maguntino Archiepiscopo & Christi Martyre. A quo in hodiernum usque diem omnes ordine sibi succedentes Reges, quò hoc ipsum contestentur, & perpetuò in memoria habeant, non solùm Ecclesiasticæ authoritati se subijci, sed etiam ab eadem accepisse se illam suam dignitatem, & authoritatem Regiam, Ecclesiasticâ consecratione & inunctione, eandem velut legitimo ritu susceperunt. Eandem formam, atque exemplum omnes Christiani orbis Reges sequuti, fasces suos ultrò submiserunt Ecclesiæ: re ipsâ hoc contestantes, quòd non nisi Ecclesiasticâ inunctione & consecratione legitimam authoritatem se fateantur recipere. Quâ ex re adeò nihil authoritati eorum & existimationi apud fidelem populum deperijt, ut plurimum etiam accesserit. Et quò quisque fideliùs se impendit, ut serviret Ecclesiæ, authoritatique Ecclesiasticæ, tantò etiam plus authoritatis invenit apud suos subditos, & Divini Numinis favorem sibi efficaciùs ac paratiùs adesse sensit.

PROBATIO II.

Prioris continuativa, & ab adsurdo, per oppositam sententiam secuturo, petita.

46. EX præfactis namque facilè quisque intelliget, quale sit, & quò spectet, quod docent Adversarij, Neoterici præcipuè, Romano Pontifici non competere ullam jurisdictionis superiorem authoritatem super Episcopos, reliquosque Ecclesiasticos gradus & ordines, nec super magistratus sæculares, Principes, Reges, Imperatores. Quam illi super omnes, qui ad Christi Regnum & ovile se pertinere agnoscunt, ex ejusdem Christi commissione competere, evidentissimum fecimus.

47. Et miror sanè, quòd dubitare quisquam possit, an in hoc suo Regno & Ecclesia, quam ipsa constituit & ordinavit Æterna illa Dei Sapientia, ipla quoque providerit, & constituerit, quod in unaqualibet humanæ societatis specie, necessariâ ratione coacti inter se constituunt homines: ut sit inter ipsos aliquis, penes quem sit præcipua authoritas: cui teneantur deferre cæteri: qui singulis sua habeat officia præscribere, à singulis eorundem rationem exigere, negligentias, defectus, excessus commissos seu in officijs, seu ab uno adversùs alterum, convenienti suæ authoritati, & formæ societatis modo corrigere: sinè quo nec ad momentum ulla posset subsistere societas, ulla inter multos conservari unitas. Quòd hoc illa ignoraverit suæ illi tam numerosæ, quam congregavit, societati Ecclesiasticæ necessarium: sinè quo nec decem hominum unitam societatem conservari posse, omnes homines intelligunt. Mihi sanè quisquis de hoc dubitare potest, videtur de Christo sentire non admodùm piè & sobriè.

48. Quin & ita hanc rem tecum æstima. Si una, ut est, à Christo instituta est ejus Ecclesia, & ita una, ut ejus unitatem ad finem usque conservari voluerit: an dubitare quisquam meritò debeat: ab eodem eidem provisum fuisse de omnibus, quæ ad unitatem eam conservandam sunt, & fuerunt prorsus necessaria?

49. Finge cogitatione, qualem Adversarij à Christo institutam volunt Ecclesiam, absque ullo hygemonico, principante, rectore, aut præside, absque ulla distinctione graduum sacri Ordinis Ecclesiastici, absque primatibus, Archiepiscopis, Episcopis: imò absque sacerdotibus alicujus sacratioris ordinis dignitate distinctis à laica multitudine: sed tantùm, quos una quælibet plebs sibi deligit, Verbi & Sacramentorum ministros, æquales omnes, & unum in nullo subjectum alteri.

Quid videres in hac Sunamite? nunquid choros castrorum? an non potiùs Babylonem confusissimam: in qua uno anno tot essent, tamque pugnantes de fide & religione sententiæ, quot & quàm diversa sunt capita? Et introductâ semel in eandem istiusmodi pugnâ & controversiâ, quis foret modus resarciendæ alicujus unitatis & concordiæ? Istiusmodi fœdissima & confusissima Babylon dignúmne tibi videretur tali artifice & architecto opificium: cui nemo hominum, qui vel parum ratione, & mente polleret, non magis convenientem ad suum illum finem, decentem & decoram formam cogitatione effingeret?

50. Ad hæc cogita, quod res est, in una domo Ecclesiastica, aut Christi Regno multos esse principantes, qui civiles magistratus gerunt: quorum nemo subditur alteri, nec alium supra se recognoscunt principatum civiliter. Ut Imperator, Rex Galliarum, Rex Hispaniarum, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ, & alij quàm plurimi. Num tibi videretur, (si posses ipse, quam utilissimam toti Ecclesiæ judicares, formam, speciem atque ordinem solo cogitatu constituere) utilius fore Ecclesiæ, & conservandæ ejus paci congruentius, hanc tantam principantium in eadem Ecclesiastica domo multitudinem, uni superiori authoritati, totius Ecclesiasticæ rectori, subjectam facere; quæ posset subortas inter nos quæstiones & controversias suâ authoritate componere, cui deferre omnes tenerentur? An verò nolles hos cujusquam obnoxios esse superioris authoritati & judicio? Non puto, quemquam esse tam malè ad veritatem affectum, qui non intelligat, utrum horum magis congruat conservandæ unitati ac paci in domo Ecclesiastica. Nam ad secundum horum, necessariò sequeretur, continuis bellis intestinis tumultuari domum Ecclesiasticam. Necesse enim foret, quicquid inter hos tam multos oriretur quæstionis & controversiæ, in qua uni non videretur cedendum alteri, ut id armis decideretur. Cùm prior ea proposita Ecclesiæ forma & species, superintendente illâ omnibus authoritate, cui essent omnes obnoxij, omnes facilè omnium horum quæstiones & controversias tolleret & componeret; & ut intus pulcherrimam pacis pulchritudinem facilè conservaret: ita faceret, eandem omnibus hostibus suis externis formidabilem: & adversùs vim omnem munitissimam, quippe omnibus omnium viribus conspirantibus in utilitatem & salutem totius Ecclesiæ, per authoritatem illius hygemonicon superintendentis illis omnibus, & sui imperij habenis ad communem utilitatem & salutem revocantis omnia.

51. De quo, ut per se evidenti, cùm omninò dubitari non possit, nec de hoc quidem quisquam meritò dubitare poterit, hàc ne, an illâ formâ & specie Christus suam constituerit, atque ordinaverit Ecclesiam, nempe perfectissimâ: & ad conservandam ejus unitatem, pacem & concordiam, finemque, ob quem congregavit eandem, quàm congruentissimâ: etiamsi nullis hoc ipsum Scripturis demonstraretur aliter. Nunc verò, cùm etiam irrefragabili divinarum Scripturarum authoritate evidentissimè demonstraverimus, ita institutam atque ordinatam fuisse à Christo, quis hîc dubitandi locus est?

Intelligunt proinde, quibus affectu depravatum non est, sed integrum syncerumque rationis judicium, quàm sint bene meriti de Ecclesia Christi, qui stulto quodam zelo authoritatis sæcularis adversùs Ecclesiasticam, huic illam nolunt subjici: Ethnicam adhuc, & non Christianam dominationem meditantes animo, nec cogitantes, quòd in alieno jam, hoc est Christi Regno, hæc ipsa geratur authoritas. In quo hæc ipsa recepta precariò, non vi introducta illi quoque debet servire fideliter. Extra quod quamdiu fuit, subjecta illi non fuit: postquam verò illud ipsum ingressa est, ut subesse debeat rectori, quem ille nobis sui regni designavit & constituit, nemo est, qui non intelligit.

Itaque non fuerunt ab initio Imperatores, Reges, & Principes subjecti Petro & Apostolis: ut qui in ovile Christi nondum ingressi fuerant: nondum se, suaque sceptra, Christi regno submiserant: imò contrà, Petrus, & Apostoli eorum, sub quibus degebant, authoritati illi civili erant obnoxij. At contra res habet de his, qui in regnum Christi jam intromissi sunt. In quos absque ulla distinctione, aut exceptione omnes data est Petro, & qui ejus locum tenet, curæ pastoralis regiminis authoritas: omnibus imposita est illi obediendi necessitas.

Æquè tamen verum est, quòd nullum suo jure privat Christiana religio: sed qui se illi astringunt ultro, seque Christi regno subjiciunt, necesse est, ut illius quoque legibus pareant: illius sacrosanctis magistratibus obedientiam dependant: ut membra se submittant imperio & habenis hygemonicon, rectoris & capitis. Quod cùm ab his docentur negligere & contemnere, sed quosque ferri suo impetu, judicio, & arbitrio, tale nobis monstrum reddiderunt ex decentissimè ordinatâ & compositâ à Christo Ecclesiâ, quale foret animantis corpus, si cuique membro daremus proprium judicium & arbitrium, non subjectum Imperio hygemonicon: & ex pulcherrima pacis pulchritudine, quæ, conservatâ illâ à Christo constitutâ ejus formâ & specie, in eadem vigeret, turbas, rixas, seditiones & bella plusquam civilia, & penè perpetua, in eandem introduxerunt, pro invictâ ejus adversùs vim omnem externam fortitudine, eandem prædæ ac direptioni hostium suorum omnium exposuerunt. Quæ enim causa est alia bellorum inter nos crudelissimorum, quibus Christiani homines in Christianorum fratrum sæpe innocentum, viscera ferrũ strìugimus, & omnia crudelitatis plusquàm Ethnicæ, plusquàm barbaricæ exempla edimus in nos mutuò, nisi quia Principes nostri ab illis pestilentissimis consiliarijs persuasi, rectoris Christi ovilis authoritati non deferunt, quam tenentur obedientiam: ejus monitis ad Christianam pacem omni studio ipsos exhortantis, (quod certè perpetuò faceret, nisi suam ab ijs negligi, contemnique

authoritatem cerneret) in totius Christianæ Reipublicæ confusionem, excidium, & perniciem, rebelles & contumaces sunt? Quæ causa Turcas ita nobis fecit formidabiles? tot de nobis spolijs, victorijs ac trophæis divites, potentes & glorioſos reddidit? Ea una certè, quia non valet, quantum oportet, in corpore societatis Ecclesiasticæ hygemonicon, ejúsve authoritas: quia ejus hâbenis & imperijs obsequi recusant membra singula: & proinde conservari non potest illa omnium & singulorum in totius utilitatem & salutem, qualem unitas corporis necessariò requirit, conspiratio: sed quodque fertur suo impetu, suo arbitrio & judicio, quisque suum tantùm unius curat, atque agit negotium: totius utilitatem & salutem negligit. Hi sunt fructus præclaræ illius doctrinæ, quam cum suis docent adversarij, Evangelio & doctrinæ Christi planè adversantem & contrariam.

55. Jam & hoc tecum perpende & cogita: si esset liberum tibi, quam convenientissimam putares, & solâ cogitatione posses, Ecclesiæ Christianæ dare formam & speciem: an nullam esse velles in ea authoritatem, quæ enormiter peccantes Imperatores, Reges, Principes, & tyrannicè opprimentes suos subditos, posset corrigere & punire *coactivâ* quâdam potentiâ? Certè, talem requiri, evidens docet ratio: ne, si omnia ipsis impunè liceant, vertantur in tyrannidem, atque adeò belluinam quandam truculentiam. Hoc itaque quin inter nos convenit, illud quoque conveniat, necesse est, provisum esse, oportere, ut correctio ejusmodi fiat sinè graviori nocumento Communitatis, aut Reipublicæ, cui præsident delinquentes corrigendi. Iam cogitet quilibet, à quo, aut quibus velit Imperatores, Reges, Principes, qui nullum magistratum civilem supra se recognoscunt, enormiter delinquentes corrigi? Certè à subjecta illis multitudine & subditis hoc ipsum utiliter fieri non posse, non solùm evidens ratio, sed etiam omnium ab initio Regnorum & Monarchiarum historia comprobat: & semper cessisse infelicissimè, quoties ejusmodi aliquid à multitudine præsumptum, aut tentatum est. Habet enim princeps sibi obæratam, & in quidvis obsequentem militarem manum, quam facillimè immitteret in multitudinis rebellis & seditioſæ excidium. Adhæc coercitionem seu correctionem ejusmodi delinquentis principis, necesse est, ordinem judiciarium præcedere: ita ut ante accusetur & convincatur de crimine, deinde legitimè condemnetur. Multa enim superiorum facta aliter æstimantur à subditis, quàm ad rectam rationem discussa æstimari, oporteat. Sed univetsitas multitudinis, ejusmodi actibus judicialibus adversùs suum principem, neutiquam est idonea. Quæ nec convenire posset ad hujusmodi, invito principe, nec eosdem super illum exercere.

56. Ita proinde res se habet, sinè hygemonicon aliquo non posse rem communem, aut publicam aliquam subsistere: ejusque felicitatem, ex principis bonitate, ad Communę Bonum præcipuè respicientis, maximâ parte pendêre. Attamen quia homines sunt etiam principes, etiam in malum proclives ut cæteri, imò & licentiâ, & quodam etiam rerum ita ipsos trahentium, & transversos rapientium impetu sæpenumerò pejores cæteris, & legitimam dominationem haud rarò convertentes in tyrannidem: nec principatum propter hoc abolere oportet, nec subjicere subjectæ multitudini: quod omnem vigorem Reipublicæ solveret, sed omnes uni totius Ecclesiæ rectoris authoritati, ut convenientissimè subjici, demonstrat recta ratio: ita subjectos à Christo evidenter à nobis demonstratum est. Qui in omnes jurisdictionem exercens, unius Christi, cujus inter nos agit vicarium, est subjectus judicio.

Quare non immeritò in Lateranensi uni- 57.
versali Concilio sanè quàm celeberrimo, quod sub Innocentio III. celebratum est, cuique interfuêre Hierosolymitanus & Constantinopolitanus Patriarchæ. Metropolitani LXX. Episcopi. CCCCXII. inferioris ordinis Prælati Ecclesiastici. DCCC. Regum verò Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, & Cypri Oratores. In hoc, inquam, Concilio, ex omnium Patrum, atque adeò totius Concilij sententiâ non immeritò decretum est, aut potiùs ex ipsis Christi verbis, & formâ Hierarchiæ Christianæ Ecclesiæ ita necessariò fieri, oportere, ab omnibus est recognitum, ut quoties Christiani orbis Principes, qui nullum alium, cujus jurisdictioni subjacerent, supra se recognoscerent, delinquerent alter in alterum, aut in suos subditos, correctionem eorum ad Romanum pertinere Pontificem.

PROBATIO III.

Objectionis in contrarium oppositæ confutatoria.

QUispiam fortassis cavillabitur, Summo 58.
Pontifici, uti Petri Successori, non competere *coactivam* ullam authoritatem super sæculares Principes, quòd ipse Petrus gladio ferire à Christo sit prohibitus, & jussus, ut gladium in vaginam reconderet, quem ut exererent, & vibrarent, potestatibus sæcularibus commissum esse.

Verùm quisquis, hæc objicit, is meritò 59.
intelligat, non ignorâsse Æternam Dei Sapientiam, pastori ad exercendum suum pastorale officium, non solùm perâ, sed etiam baculo opus esse. Non ignorâsse id, quod intelligunt omnes homines, omnem, regendi quamcunque multitudinem, authoritatem inefficacem, imò planè frustratoriam esse, nisi *coactivâ* quoque authoritate aliquâ conveniențer armata sit.

Sed varij *coactivæ* authoritatis, & coa- 60.
ctionum modi sunt, quæ omnibus quidem, quibus aliorum commissa est gubernatio, in subjectos sibi necessariò competit: non tamen eadem omnibus, sed cuique sua: patri-

busfamilias in filios, universamque familiam: dominis in servos: pædagogis, aut magistris in discipulos: Abbatibus in suos Monachos: civilibus magistratibus in sibi subjectos: Ecclesiasticis verò, quos dicimus, in commissos suæ curæ & regimini: in omnes verò & super omnes, qui ad Christi familiam pertinent, dispensatori, & vicem patrisfamilias nobis referenti totius domûs Ecclesiasticæ, atque ejus Hierarchiæ universali præsidi. Omnibus, inquam, his, in sibi, suæque gubernationi commissos & subditos, necessariò competit etiam *coactiva* quædam authoritas, quâ possint delinquentes punire, & errata eorundem corrigere, sed non eâdem; quando nec unus coercendi modus conveniret omnibus. Alius enim patri in filium: alius domino in servum: magistro, aut pædagogo in discipulum: Abbati in suos Monachos: sæcularibus principibus & potestatibus in sibi subditos: alius denique totius Ecclesiæ rectori, in omnes, in Reges, Principes, Regna, & Imperia. Uni enim virgæ conveniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, alteri etiam gladius. At quæ hæc omnia in officio continere debet, potentior & terribilior sit omnibus, oportet: quæ etiam armatos, & gladium portantes principes sibi subjicere, sinè tamen cæde, possit, sinè orbis tumultu & incendio. Hic autem est spiritualis gladius ille, quo Ecclesiasticæ rector familiæ, contumaciter sibi inobedientes, potest interdicere ingressu Ecclesiæ, & communione Christi fidelium: potest resecare à corpore Ecclesiæ, atque ita illis cœlum claudere, ad quod nulli, nisi ex Ecclesia patet aditus. Quæ pœna Christi fidelibus omnibus meritò est omni morte terribilior, magisque formidanda omnibus armis sæcularium Principum: omni eorum *coactivâ* potentiâ delinquentes coercet, frenat, & cohibet efficaciùs, ubi viget Christi religio. Cujus vim expertus in se Theodosius ille, verè Christianus & sapientissimus Imperator, ob seditionem & suorum magistratuum cædem, in Thessalonicenses inconsideratiùs ultam, verè humiliatus, in pulvere sedens & cilicio, atque ex intimis præcordijs singultus trahens & suspiria, Ruffino se consolari volenti: *Meorum*, inquit, *sensu malorum haud tangeris. Ego verò gemo, lamentorq; in consideratione calamitatis meæ: quòd, cùm servis & mendicis pateat Divinum templum, illique liberè ad deprecandum Dominum suum ingrediantur, mihi tum illud inaccessum, tum insuper & cælum occlusum est. Memoriâ enim teneo Dominicam vocem, quâ manifestè dicit.* Quemcumque alligaveris in terra, is & in cælo ligatus erit. Hic illi, & illo tempore, de gladio spirituali sensus erat: qui datus est Ecclesiæ Principibus, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Cujus mucro, quòd nunc hebetcit, quòd nostris principibus nunc minùs sit, quàm illo sæculo fuerit formidabilis, non est, quia hi plus illis sapiunt, sed quòd plus desipiunt: quòd fidei, religionique minor apud hos locus sit. Nam quantum ubicumque viget Christi fides & religio, tantum viget illius gladij efficacia & authoritas. In promptu, inquit ille, habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. Tantum ille cuique terrori est, quantum quisque credit Christo: qui contumaciter inobedientes Ecclesiæ, atque ejus rectori, fieri extra Ecclesiam, & ab ejus unitate præscindi affirmat: extra quam nulli salus, sed omnibus clausum cælum est.

Ex his mihi satis demonstratum videtur, Romano Pontifici, successori Petri, veluti pastori, rectorique totius Christi ovilis, jure *Divino* superiorem jurisdictionis authoritatem competere, non solùm in Episcopos cæteros, Presbyteros, universosque ordines Ecclesiasticos, sed etiam in omnes, qui inter Christi oves censeri volunt: etiam Imperatores, Reges, Principes. Non equidem, quâ tollatur illis sua illa civilis authoritas: sed quâ eosdem delinquentes in ejus exercitio, punire possit secundùm leges divinas & Ecclesiasticas, atque etiam dignitate ac magistratu privare incorrigibiles, ac turbantes pacem Ecclesiæ, aut etiam illi gerendo prorsus inutiles, & in locum eorum alios sufficere de consensu ejus, cui præsunt, universitatis ac multitudinis: aut sufficiendos mandare per eos, ad quos eorum electio speciali alquo jure pertinet. Quemadmodùm non semel fecisse illos, approbante universâ Christi Ecclesiâ, certissimæ fidei historiæ comprobant. Quod ipiquè ab illis factum atque usurpatum, iniquissimè calumniantur adversarij.

Quibus nihil adversantur, quæ contra inducunt Adversarij: & inprimis verba illa Christi apud Lucam, quæ contendentibus inter se de primatu Apostolis, interloquutus est Christus. *Reges gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent meus: vos autem non sic, sed quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & filius hominis non venit, ut ministraretur ei: sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* Quibus verbis, quod illi volunt, omnem superioritatem, aut jurisdictionis authoritatem supra se invicem, aut alios exercere, suis interdixisse Christū, toto abest diametro. Quin potiùs voluisse, ut esset aliquis inter illos major & primus, illis ipsis verbis apertè innuit: sed simul, nemini suâ ipsius causâ, suæ dominationis, sui honoris, ambiendum esse primatum ejusmodi, significavit. Nemo inter vos sit altero major, Princeps, Rex, aut primus: sed Principatus ut à Christiano, atque inter Christianos geri debet, onus & officium describit. Non enim debet is, qui præest, sive civiliter, aut politicè, sive in Hierarchia Ecclesiastica, præesse sibi, ad suum commodum, gloriam, honorem, libidinem, ostentationem (hoc enim esset tyrannicam, non legitimam potestatem exercere) sed solam utilitatem eorum, quibus præest, ad solius Christi & Dei honorem & gloriam.

Debet

Debet meminisse ejus, quod D. Ambrosius Theodosium Imperatorem admonuit, subditos se habere conjunctos sibi solùm genere, sed communi servitio unius Dei. Unum enim esse Dominum & Imperatorem, hujus universitatis fabricatorem: proinde ita sibi commissum principatum ac magistratum gerere oportere, tanquam in oculis cuncta cernentis Domini: & qui paulo pòst districtissimam ab ipso rationem sibi commissorum omnium exacturus sit.

3. Hæc una & sola ratio est, inculpatè & dignè gerendi inter Christianos Principatûs, aut magistratûs cujusque, quam nihil esse præter meram gravemque sarcinam, quis non intelligit? Quis, secundùm hanc principantes, esse aliud dicet, quàm meros servos servorum Dei? Ad quæ respiciens, nunquid Principatum, aut primatum, seu Ecclesiasticum, seu civilem quisquam ambiendum duceret? Tamen ut geratur ab aliquo, ut hanc nobis mutuò servitutem impendamus, ille omnium Dominus vult & præcipit.

4. Nec est, quòd quisquam, hæc dicta à Christo, pertinere ad solos, quos nunc dicimus, Ecclesiasticos, existimet: suis omnibus loquitur: *Scitis*, inquit, *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Hoc est*, inquit Origenes, *non sunt contenti tantùm regere subditos ad unam ipsorum utilitatem, sed violenter eis dominari nituntur.* Aut, ut Chrysostomus, *Principes mundi ita gerunt principatum, ut dominentur minoribus, & eos servituti subjiciant, ut expolient, & ad mortem usque eis utantur ad suam utilitatem & gloriam. Sed hæc Principes gentium, qui ignorant Deum, vos autem non sic. Vos*, inquit, *qui mei estis, non sic: non istar illorum, qui Deum ignorant, sed velut in oculis communis Domini, super conservos & confratres vestros, non ad vestram* (quæ tyrannis esset) *sed ad eorum tantùm utilitatem, & communis Domini gloriam, principatum ac primatum exercebitis.*

5. Hæc sibi dicta noverint, æquè omnes, qui Christi subesse volunt magisterio, qui se Christi haberi discipulos. Non sibi persuadeant Reges, Imperatores, aut civiles Principes, ad Ecclesiasticas, quas dicimus, prælaturas, Ecclesiasticumque primatum, ea tantùm pertinere: ad omnes pertinent, qui Christi sunt. Vos, inquit, mei scilicet, quos tantùm distinguit à gentibus ignorantibus Deum. Quid igitur? Nunquid his verbis prohibuit inter suos Christus esse Reges, Imperatores, Principes? nunquid quemquam ullam super alios præcipiendi, aut obligandi authoritatem habere? nunquid omnes pares & æquales esse voluit? Quæ à Deo sunt, inquit ille, ordinata sunt. Noluit suum regnum Christus esse Babylonem, sed quò omnia ordinatè agerentur á nobis, uni super omnes authoritatem præcipiendi & mandandi commisit: uni dixit, ut regeret universum ovile suum, ut quemcunque obligaret in universo orbe terrarum: modo intrà domum Ecclesiasticam, aut suî illius Regni limites, is ille ad hoc obligaretur coram Deo: voluit, ut ille superintenderet universis membris Ecclesiæ, sacris & profanis magistratibus ac officijs.

Quæ proinde fusior dissertatio huc relata, & repetita fuit, ut appareat, quid Papæ sit authoritatis, si Reges causas Ecclesiasticas ad se trahere quoquo modo attentarent.

§. V.

Corollarium.

66. EX dictis infertur. *Quanta in illis Pontificijs circa causas Galliæ Regnum concernentes processibus sit necessitas citationis ac probationum?* Author *Libert. Gallic. eod. lib. 6. cap. 8.* rem ita prosequitur. Citationem, inquiens, de jure *naturali ac Divino* necessariam esse, consentiunt omnes ferè Doctores; ita scilicet, ut nemo condemnetur, nisi se defendendi facultatem habuerit. In eam sententiam adducuntur varia sacræ Scripturæ loca, præsertim *Genes. 4. vers. 9. Ait Dominus ad Cain, &c.* ubi Glossa Interlinearis sic ait; *Non quasi ignorans ut discat, sed ut reum puniat*; quia scilicet nemo puniendus est, nisi aut convictus, ut sponte confessus. Non patitur Bonum publicum, ut impunita remaneant scelera; sed multò minùs, ut plectantur insontes, qualis autem quisque sit, nemo meliùs novit, quàm ipse; nec alijs meliùs innotescere potest, quàm ipsius verbis; quæ si sincera sint, veritatem manifestant; si mendacia, non ita componi, aut promi possunt, ut vel ex contextu, vel ex modo, vel ex collatione cum alijs indicijs, & probationibus, aliquam non præbeant Judici criminis detegendi ansam; ut neque famâ, neque testibus solis, neque aliâ quâvis ratione tutè omninò, ac expeditè, reo non audito, ad criminis, vel innocentiæ cognitionem perveniri possit. Etenim licèt factum ipsum possit omninò notorium, & evidens esse: tamen ejus bonitas, & malitia plurimùm ab adjunctis, seú circumstantijs pendet, quarum saltem aliquas nemo alius præter ipsum facti auctorem certò noviſse potest, v. g. quâ intentione ductus fuerit, quod maximè in ferendo de qualibet actione judicio attendendum est; quia, ut Divina docent Oracula, si oculus intentionis fuerit simplex, totum corpus actionis, quæ bene ac malè fieri potest, erit lucidum: sin autem nequam fuerit intentionis oculus, tenebrosum erit totum actionis corpus. Jurisperiti etiam in criminibus, an dolus interceſſerit, diligenter inquirendum monent.

67. Eâ de causâ inhumana semper habita sunt illa judicia, quæ contra absentes non auditos, nec vocatos prolata fuerant. Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. *Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Verba sunt Festi ad Judæos S. Pauli damnationem urgentes, relata *Act. 25. v. 16.* Seneca eam esse putabat, ante sententiam audiendæ utriusque partis necessitatem, ut sa-

pienter pronunciaverit; *Qui parte inauditâ alterâ, aliquid statuerit, licèt æquum sit, quod statuit, haudæquus fuit.* In Med. vers. 199. & 200.

68. Eam injustitiam sibi à suis Adversarijs factam gravissimè conqueritur S. Joannes Chrysostomus in Epistola ad S. Innocentium Romanum Pontificem. *Quæ ab ipsis facta, contrà omnem ordinem, contra omnes leges, contra Ecclesiasticos Canones. Et quid dico, Ecclesiasticos Canones. Neque in Gentilium judicijs, neque in Barbarorum Tribunalibus talia attentata sunt unquam, imò verò neque Scythæ, neque Sauromatæ unquam judicârunt, judicium dandum uni parti, absente eâ, quæ accusatur, &c.*

69. Sanctus Augustinus *epist. 162.* ita in Donatistas invehitur: *Vbi est, quod Scriptura clamat: Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaveris, corripe justè; si ergo nec vituperari, nec corripi, nisi interrogatum Spiritus sanctus voluit, quantò sceleratiùs non vituperati, aut correpti, sed omninò damnati sunt, qui de suis criminibus nihil absentes interrogari potuerunt.*

70. Nec puto, à quoquam dubitari, quin audiendus, vel saltem citandus sit reus, antequàm in eum, vel etiam pro eo feratur sententia: de citandi tantùm ratione interdum ambigitur. Bonifacius VIII. in Constitutione *rem non novam. de dol. & contumac. in Extravag. commun.* quam occasione dissidij cum Philippo IV. Francorum Rege dicitur edidisse, statuerat, ut citationes authoritate Apostolicâ de quibuscumque personis, undecumque, & ubicumque essent, præsertim, si impedirent, ne citationes ipsæ ad se pervenirent, sive loca tutè ac liberè adiri non possent, factæ in audientia litterarum Apostolicarum, aut in Aula Palatij, postmodùm affigendæ in valvis majoris Ecclesiæ loci, in quo Romana Curia resideret, sic valerent, ac arctarent citatos, sicut si eos personaliter apprehendissent, seu ipsismet significatæ fuissent. Quia verò vox illa, *præsertim*, indicare videbatur, id etiam in alijs casibus, ultra expressos in Constitutione, locum habere debere, cæteros omnes Clemens V. in Concilio Viennensi excluserit, his verbis; *Præfatum modum citandi restringimus ad illos tantùm, & in illis locum volumus sibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant, per se, vel per alios, quoquo modo, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilia, sive loca non possunt tutè, liberè ve adiri.* Clement. Dudum. de judic.

71. Ergo, de jure *Divino*, ac *Naturali* est, ut nemo condemnetur, nisi sese defendendi facultatem obtinuerit. Quamobrem oportet, ut citetur, meliori, quo potest modo; ita tamen, ut quantum est ex jure *Divino*, vel *Naturali*, satis sit, quòd citatio ad ejus cognitionem perveniat, aut ut, ne pervenire possit, ipse vel efficiat, vel procuret. Cæterùm quantum ad specialis citationis conditiones, pro varijs personarum, & negotiorum circumstantijs, Canonibus & Legibus standum est, quamdiu aliqua urgentissima causa diversum ordinem sequi non suadet. Si autem hujusmodi causa subsit, justitia præscriptis formulis, quæ propter commodiùs servandam justitiam excogitatæ sunt, anteponenda est, præsertim à supremo judice.

72. Porrò si reus sincerè crimen suum, aut aliud quid sibi contrarium fateatur; ulteriori probatione non est opus; præsertim si de scelere non agatur, cui pœna mortis debeatur (quo casu non esset audiendus, perire volens) quia non est verisimile, homines, ad privatum sui amorem propensissimos, velle suis rebus nocere, etiam cum veritatis dispendio, quam contra plerique propriarum rationum conservationi postponunt. Sed cùm deest rei confessio, necesse est, imò, cùm adest confessio, est utile, alias conquirere probationes, ut nonnisi plenè comperto facto, jus dicatur.

73. Cujusmodi autem debent esse probationes, ut plenam fidem facere censeantur, vel ut judex ad ferendam certam sententiam procedere queat: pro causis quidem ordinarijs duo testes omni exceptione majores ex jure *Divino*, in varijs Scripturæ locis promulgato, & ex multis legibus humanis, requiruntur, & sufficiunt. Frequenter tamen plures necessarij sunt, seu probationes majores: aliquando sufficiunt pauciores probationes, pro rerum, & personarum conditione, prout crimina, de quibus est quæstio, clam, aut palam solent perpetrari; prout pœna gravior, aut levior infligenda est, ac pro cæteris circumstantijs. Quocirca id sequendum est, quod præscribunt leges, & consuetudines, aut Judicis arbitrio standum, ubi res à legibus ei permissa est, ut ubi judex supremus est, cujus sententia legis vim habet, quoties juri Divino, aut naturali apertè non repugnat.

74. Dubitatur autem, utrùm, si pœna pro vero, sed non comperto crimine imponeretur, valeret sententia? Eam certè rescindendam esse, probat Joannes Monachus plurimis, gravissimisque rationibus. Unde necessariò consequitur, abstinendum esse à ferendis hujusmodi judicijs. Reus non tam sui, quàm aliorum causâ punitur à Judice, ut scilicet similis pœnæ timore à malo retrahantur. Si autem crimen confessione, aut aliâ juris ratione ad publicam lucem deductum non fuerit, non magis malis, quàm bonis terror incutitur, nec potiùs culpæ Reorum, quàm injustitiæ Judicum pœna adscribitur. *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore Accusatoris*, ut habet Glossa *in cap. 4. Genes. vers. 10.* Indiget tamen examine, ut patet *in cap. 18. Genes.* ubi Deus, cùm de peccato Sodomorum & Gomorrhæ dixisset, *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis;* subjungit nihilominùs; *Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Ubi Glossa; *Vt à præcipitatione judicij compesceret, mala Sodomæ priùs voluit probare, quàm judicare.*

75. Cæterùm Superiorum sententia, etiam injusta, præsertim si injustitia circa modum duntaxat versetur, contemni non debet, ne contemptus dignum reddat pœnâ, quæ fortè injustè fuerat inflicta. Quocirca sapienter monet S. Gregorius *homil. 26. in Evang. Pastor ergo vel absol-*

absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat: ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsâ tumidæ reprehensionis superbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.

DISQUISITIO V.

De Jure Appellationum ad Romanum Pontificem.

PRÆFATIO.

1. HVjus Disquisitionis intentum Ellies in suæ de antiqua Ecclesiæ disciplina Dissertationis secundæ Præloquio *reducit ad tria principia. Quorum* primum *sistit in hoc puncto, quòd scilicet in omni societate sit necessum, aliquos esse controversiarum judices, nec nov aliquam reperiri formam judicandi circa res illas, quæ finem & salutem societatis respiciunt. Cùm ergo finis societatis fidelium sit vita æterna, per fidem & bonos mores adipiscenda, bonúmque illud Commune sit conservatio Fidei, & integritas morum in singulis Ecclesiæ membris, subinfert is Parisiensis Theologus, haud dubium esse, quin Ecclesia suos habere debeat judices, qui de causis ejusmodi statuant ex legitimâ & certâ quapiam judicandi formâ.*

2. Secundum *principium est hujus tenoris: quòd inter omnes constet, illos esse in Ecclesia controversiarum Iudices, qui Christianos in fide & moribus instituunt, quales fuerunt Apostoli, & post Apostolos Episcopi & Pastores, qui singuli in Ecclesijs, quibus præsunt, judices dici possunt. Si verò aliqua gravior quæstio sit exorta, tunc Iudices illos oportere, ut in communi conveniant ad mutuò deliberandum, & finem controversiæ imponendum: quemadmodùm Apostolos convenientes cum senioribus Hierosolymis finisse quæstionem de Legalibus. Post quos eandem consuetudinem mansisse, & certam quandam judicandi formam esse statutam. Cùm enim Episcopi in singulis Ecclesijs essent constituti, qui supra Presbyteros eminebant, his personarum, quæ in illorum Ecclesijs degerent, controversiarum illic ortarum judicium attributum esse; sedita, ut simul cum Clero hoc est, cum alijs Presbyteris judicárint. Ab horum autem judicio provocationem concessam fuisse ad Metropolitanum Episcopum, cum quo judicabant cæteri Episcopi Provinciæ.*

3. Tertium *principium involvit isthanc controversiam;* Utrùm scilicet à Metropolitani & Synodi Provinciæ judicio ex veteri Ecclesiæ disciplinâ concessa fuerit provocatio ad Romanum Pontificem? *Pro cujus resolutione, ait Doctor ille Parisiensis, solere duplex distingui causarum genus, quarum aliæ* majores, *aliæ* minores *dicantur.* Majores *esse illas, quæ vel Episcopos, vel graviorem aliquam disciplinam respiciunt:* minores *verò dici eas, in quibus agitur de Presbyterorum & Clericorum judicio, vel de leviori aliquo disciplinæ capite, privatam aliquam Ecclesiam attingente. De quo proinde utroque causarum genere quæri;* Utrùm provocatio detur ad Romanum Pontificem? *Alios namque in omnibus, alios verò in* majoribus *tantùm provocationem habere locum, contendere: cæteris negantibus, antiquitus à judicijs quibuslibet Synodorum provocatum esse ad Romanum Pontificem. Ad hanc igitur controversiam decidendam, cum prætacto Auctore impræsentiarum discutiemus;* Quid de jure sentiendum sit circa appellationes ad Romanum Pontificem?

§. I.

Quid juris circa Appellationes ad Romanum Pontificem statui possit ex quinto *Concilij Nicæni Canone?*

4. HIc Canon ita se habet. *De his, qui communione privantur seu ex Clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, placuit, per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ, discutiantur ejusmodi quæstiones, & sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur; usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat, humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschæ, ut omni dissensione sublatâ, munus offeratur Deo purissimum; secundum verò circa tempus Autumni.* Ex quo proinde Canone Ellies ius *præsenti Dissertatione 2. §. 1.* infert, omne in causis Ecclesiasticis judicium definitivum Episcopis Provinciæ committi sine ullo recursu, aut provocatione. Quæ conclusio, quanti sit momenti, accuratiori trutinâ hìc expendere lubeat.

5. *Primò* namque prætendi solet, quòd in eo Canone agatur de minorum duntaxat Clericorum in causis criminalibus judicio, non de Episcoporum damnationibus: veluti evincitur ex ipsismet Canonis verbis disertè statuentis de illis, *qui suo evidenter peccaverunt Episcopo.* Verùm Ellies ius *in fine citati §.* reponit: Canonem illum specialiter quidem loqui de Clericis Episcopo subjectis, quia illæ causæ erant frequentiores; sed præterea ex Canonis illius verbis colligi, eandem fuisse disciplinam servatam in judicijs Episcoporum, imò Canonis ejusdem fuisse intentionem, ut eadem in Episcopis atque Clericis inferioribus proportionaliter servaretur disciplina: nam si quæ Episcoporum prærogativa, ac peculiaris quæpiam ad eos judicandos forma in usu fuisset, utique oportuisse, ut Concilium Nicænum in suo Canone casum hunc exciperet.

6. Verùm *in istâ Ellies ianâ exceptione* occurrit notatu dignissima primæ instantiæ confusio cum secundâ appellationis instantiâ. Dum enim causa cujuspiam, qui vel ex Clero, vel ex laico erat ordine, *ab Episcopo, cui peccaverat, seu quem offenderat,* priùs erat discutienda, clarè insinuatur primæ coram ipsius tribunali

bunali instantiæ judicium, cui nullus alius Episcopus poterat esse subjectus: sicque adeò istud judicium in Clericos duntaxat Episcopo inferiores exercendum fuerat. Quando autem prætactus Canon Nicænus sanciebat, bis in anno per unamquamque Provinciam esse celebranda Concilia, quibus coram omnibus Provinciæ Episcopis simul congregatis, discuterentur hujusmodi quæstiones ad effectum, *ut, qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimarentur*, tunc ista secunda judicij instantia erat ad modum appellationis, *cujus sententia regularis obtineret in tantum, ut hi, qui à communione abjicierentur ab Episcopis per unamquamque Provinciam, non reciperentur ab aliis.* Quandoquidem igitur ea sit primæ ac secundæ in judicijs instantiæ natura, ut hujus seu appellationis judicium protendi non possit ultra id, quod judicatum erat in primæ instantiæ judicio, istud verò juxta prætallegatum Nicænum Canonem, fuerit de ijs, *qui suo peccaverunt Episcopo*, adeoque de illis, qui inferioris Episcopo Ordinis erant; quos proinde in Provinciali Episcoporum Concilio oportebat, rursus trahi ad judicium, *ut excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimarentur*: manifestum hinc evadit, totum Canonis illius tenorem, quatenus procedit tum de prima Episcopi, tum de Concilij Provincialis per appellationis viam secundâ instantiâ, non decernere de Episcoporum, sed de Clericorum inferiorum causis judicandis.

7. Et hinc facilè evanescit prætallegata Ellie-sij exceptio contendentis, eundem circa Episcoporum ac inferiorum Clericorum judicia ex prætacto Nicæno Canone statutum morem esse tenendum, *cùm, si quæ peculiaris ad Episcopos judicandos forma in usu fuisset, oportuisset, ut à Concilij Nicæni Canone fuisset exceptus.* At nunquid judicij erga Episcopos forma per eum sacrum Canonem satis noscitur excepta à normâ judicij erga Clericos inferiores exercendi; dum ex ejusdem Canonis verbis elucet, primam judicij instantiam contra Presbyteros & Diaconos eatenus competere Episcopo, nullum super alio Episcopo *judiciariam* potestatem obtinenti, ut consequenter secundæ quoque instantiæ, seu appellationis judicium ibi descriptum, non valeret ulteriùs progredi; sed in ordine ad Episcopos ex causa alicujus delicti judicandos, non nisi primæ institantiæ judicium in Concilio Provinciali locum habere posset. De qua proinde primâ Episcoporum judicandorum instantiâ supereſt jam quæstio; *An penes provincialem Synodum sit ultimata, quæ ad nullum altius tribunal per viam appellationis trahi possit?*

8. Hanc quæstionem priusquàm decidamus, lubeat pro *secundo*, rursus audire Ellieſium *loco cit.* prætendentem, *quòd Canon ille Nicænus non modò latus sit de judicio unius Episcopi in Clericum, aut Laicum, sed etiam generatim de judicio plurium Episcoporum in quemlibet*: juxta istháec ejusdem Canonis verba, *de his, qui communione privantur ab Episcopis, per unamquamque Provinciam &c.* Unde non dicit, *ut, qui abjiciuntur ab uno Episcopo, ab aliis non recipiantur*; sed, *ut, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Quare Concilium loqui de omni Excommunicationis genere, sive ab uno Episcopo, sive à pluribus lata fuerit, tum adversùs Clericos, tum adversùs laicos: *Episcopum autem ex Clero esse, & excommunicari posse à Synodo Provinciali.*

Verùm is Parisiensis Theologus denuò redarguendus venit *de primæ ac secundæ instantiæ per dictum Canonem Nicænum tam luculenter distinctarum attentatâ confusione.* Ejus namque Canonis verba initialia, quibus *de his, qui ab Episcopis per unamquamque Provinciam excommunicantur, seu abjiciuntur*, sancitum fuit, *ut ab aliis non recipiantur*; hæc, inquam, verba intelligi possunt vel de singulis per provinciam Episcopis aliquem de Clero, seu laico ordine ob peccati contra se reatum, sive offensam excommunicantibus; vel de Episcopis in unam Provinciæ Synodum coadunatis *ad Excommunicationis, an rationabiliter ab Episcopo facta sit, quæstionem dijudicandam*: veluti hoc utrumque dilucidè insinuat prædicti Canonis contextus, duplicem adeò judicij erga inferiores Clericos Episcopis, horumque proinde singulari tribunali subjectos statuens instantiam, primam scilicet, à quovis sigillatim Episcopo determinandam, & secundam ab omnibus Provinciæ Episcopis intrà Synodum collectis decidendam. Et sic verum equidem dicit Ellieſius, quòd Canon ille non modò latus sit de unius Episcopi, sed generatim de plurium Episcoporum in Clericum judicio, ita tamen, ut hoc secundæ instantiæ ab Episcopis in Provinciæ Concilio ferendum, extendi non possit ultra illos, qui à singulis Episcopis in primâ instantiâ judicati fuerant. Unde quantumvis Episcopus sit etiam de Clero, nequeunt tamen ejus Canonis verba de ipso intelligi, utpote nulli singulari Episcopo, quoad primam instantiam subjecto, nec adeò secundæ quoque per appellationem instantiæ intrà Concilium Provinciale discutiendæ capace; tametsi ab hac Episcoporum per Provinciam colligendorum Synodo judicari queat in primæ instantiæ quæstione, de qua tamen Canonis illius littera nihil disposuit.

Sed pro *tertio* replicat idem Ellieſius. Eo ipso, quòd excommunicationum ab Episcopis in Clericos latarum examen prætallegatus Canon Nicænus concedat Concilio Provinciali, oportere, penes istud stare judicium de Episcopo; adstipulante etiam usu & disciplinâ temporis Synodo Nicænæ coævi, quo erat consultum, *causas Episcoporum in Synodis Provinciæ tractari & judicari.*

Verùm is Theologus meritò distinxerit tum id, quod ex rei quasi naturâ subsistit, nempe Episcopum Concilio Provinciali eatenus esse subjectum, ut ad hoc de illius judicio, imò ut Episcopus pro prima etiam instantia trahi queat ad Synodi Provincialis tribunal: tum id, quod ex prætallegato Canone Nicæno perperam expositò prætenditur, ac si

ac si sanxisset, quæstiones adversùs Episcopum motas, & in Concilio Provinciali decisas, non posse appellando ad sublimius Tribunal trahi. Illud ergo prius tam ex rei natura, quàm per litteram, vel etiam consequentiam illius Canonis, minimè verò posterius evinci potest: ipsomet Ellieſio *circa finem præcedentis Dissert. 1. §. 13.* fatente, per Concilij Chalcedonensis Canonem *sextum* dari recursum à Synodo Provinciæ ad Synodum Diœceseos: quod minimè cohæreret præadducto Nicæno *Canoni quinto*, si per hunc interdiceretur ulterior à Synodo Provinciali recursus ad superius Tribunal faciendus.

12. At pro *quarto* reponit Ellieſius. Iudicium Synodi Provinciæ, cujus in Nicæni Concilij *Canone quinto* fit mentio, esse ultimum, nec ab eo dari ullam provocationem. Iuberi enim à Synodo, excommunicatos tamdiu extra communionem manere, donec eisdem Episcopis visum fuerit, humaniorem ferre sententiam. Si verò post illorum sententiam, aliqua fuisset concessa provocatio, non hoc dicturum fuisse Concilium, sed potiùs asserturum fuisse, *dummodò Superior, ad quem provocatio facta fuerit, confirmet judicium.*

13. Verùm priusquàm *directè* respondeamus, scisciari lubeat ex illo Parisiensi Theologo: si Rex Christianissimus supremo alicujus Provinciæ Gallicæ Senatui concesserit facultatem super causis criminalibus ad judicium suum delatis eatenus pronuntiandi, ut sententia ab eo lata inviolabiliter tenenda sit, donec eidem Regio Senatui visum fuerit, humaniorem ferre sententiam; num per hoc dicere fas sit, ipsimet etiam Regi adimi, seu negari auctoritatem mitigandi, seu *judicialiter* corrigendi sententiam ab illo supremo Senatu prolatam? Neutiquam: sed secundùm ipsam rei naturam, excepta censenda est Regiæ authoritatis potestas, omnimodæ cujuscunque Senatûs Regiæ *judiciariæ* facultati supereminens. Sic profectò ex illo Ellieſiano argumento haud evincitur (dum Canon Concilij Nicæni non adjecit eam exceptionem, *modò Superior, ad quem facta fuerit provocatio, judicium confirmet*) denegari superiori authoritati potestatem mitigandæ, seu *judicialiter* moderandæ sententiæ, à Concilio Provinciali latæ, sed juxta ipsam rei naturam dicendum est, abstrahi ab illa exceptione: ut proinde Concilio Chalcedonensi *superiùs* allegato fas fuerit, adhuc statuere, admittendum esse à Concilio Provinciæ recursum ad Concilium Diœceseos. Quidni ergo perinde, imò à fortiori dicendum erit, sub illâ Canonis Nicæni recursum ad superiorem Ecclesiæ authoritatem haud denegantis, sed ab hoc duntaxat abstrahentis, dispositione, debere *ex ipsa rei natura* subintelligi supremæ in Ecclesia per Christum tum Papæ, tum Concilio Oecumenico *immediatè* concessæ authoritatis sacrosanctum tribunal?

14. Cujusmodi exceptionis pro *quinto* sequentem ex præfato Nicæno Canone accipe rationem. In hoc enim notatu dignissimum est, quòd teste Ellieſio, ita sit legendum, *ut, qui abjiciuntur ab uno Episcopo, ab alijs non recipiantur.* Nunquid enim ille, qui abjicitur ab uno Episcopo, recipi potest à Concilio Provinciæ? Quomodò igitur verborum illorum veritas subsisteret, nisi dicatur *per Tò ab alijs*, (ceu voce similium repetitivâ) non sublimiori auctoritati, qualem respectu cujuslibet Episcopi sigillatim sumpti Concilium Provinciale obtinet, sed pari duntaxat seu simili singulorum aliorum Episcopotum auctoritati denegari potestatem, illos, qui ab uno Episcopo excommunicantur, recipiendi ad communionem? Quandoquidem igitur tum Concilium Diœceseos, tum multò magis Concilium Oecumenicum, tum *absoluta* clavium in Papâ potestas sit longè sublimioris auctoritatis, quàm provinciæ Synodus; omninò dicere oportet, ab ejusmodi Concilij Provincialis judicio dari adhuc recursum tum ad Diœceseos Concilium, tum à fortiori ad Synodum Oecumenicam, tum etiam ad Papæ *absolutam* clavium auctoritatem, Canone illo Nicæno nequidquam obstante: ita ut, tametsi verba Canonis illius, juxta novissimam Parisiensem editionem tali modo essent accipienda (*quod ij, qui excommunicantur ab alijs, haud debeant ab alijs recipi ad Communionem*) nihilominùs ex propriâ illius vocis similium repetitivæ significatione, oporteat, id intelligere de illis, qui paris solummodò, non autem superioris sunt auctoritatis.

§. II.

Canonis Nicæni expositio præinsinuata firmatur ex variarum Synodorum decretis.

ELlieſius *præsentis Dissert. 2. §. 2.* nititur, intentum suum firmare ex sequentibus Synodorum decretis, quæ mox demonstrabimus, nostræ sententiæ apprimè inservire.

15. Inducitur *primò* secunda Generalis Synodus *Can. 2. Tom. 2. Conciliorum colum. 954.* relata, administrationem rerum Ecclesiasticarum Synodo Provinciæ vi prælegati decreti Nicæni commissam, affirmans sub his verbis: *Servatâ, quæ præscripta est, de gubernationibus regulâ, manifestum est, quòd illa, quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Synodus Provinciæ administret, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.* At inter ea, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt (subsumit is Theologus) est Episcoporum delinquentium correctio & depositio. Hæc igitur ex sententiâ Nicæni & Constantinopolitani Concilij tota pertinet ad Synodum Provinciæ.

16. Verùm isthâc argumentatione prorsus admissâ, suppono inprimis, quæ per unamquamque Franciæ Provinciam occurrunt causæ judiciariæ, administrari à Regio illius Provinciæ supremo Senatu. Hinc verò scisciter ex illo Parisiensi Doctore, an ex illâ Regij Senatûs auctoritate judiciariâ inferre ausit, illam administrationem supremo in qualibet Provincia Senatui, in causis judiciarijs etiam

criminalibus commissam, *privativè ad Regem* intelligi debere, ita ut dicendum sit, ex ea Regi ademptam esse & *cumulativam* & *supereminentialem* in administratione hujusmodi, causisque judiciarijs eidem annexis auctoritatem? Quomodo igitur Ellies̃ius, utique *negativè*, respondebit ad isthanc quæstionem, eo modo stabit in salvo auctoritatis Ecclesiasticæ Synodo Provinciali superioris, imò in Papa & Concilio Oecumenico supremæ, non *cumulativæ* duntaxat, sed etiam *supereminens* potestas. Et hinc quando Innocentius III. *in Epist. ad Victricium Rhotomag. cap. 3.* dicit: causas, vel contentiones inter Clericos tam superiores, quàm inferiores exortas, ab Episcopis ejusdem Provinciæ secundùm Synodum Nicænam congregatis esse terminandas, *absque tamen præjudicio Romanæ Ecclesiæ*; immeritò contendit Ellies̃ius, hanc clausulam indebitè superaddi; cùm per ipsam rei naturam debeat subintelligi, dum non *privativè* ad Sedem Apostolicam accipiendus est ille Nicænus & Constantinopolitanus Canon, sed salvâ nedum *cumulativâ*, verùm *supereminente* etiam, clavium Cathedræ Apostolicæ Romanæ ex Christo concessarum auctoritate.

17. *Secundò* inducitur ex opposito Africanum Concilium *in Epist. ad Cælestinum*, ubi sic eum alloquitur. *Præfato debitæ salutationis officio impendiò deprecamur, ut deinceps, ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem velitis admittere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum, facilè advertit Venerabilitas tua: nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia à communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinatò, vel præpropere, vel indebitè videantur communioni restitui, quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimèque providerunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi sunt orta, finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam S. Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.* Ex quo infert Ellies̃ius, apertissimè constare, Episcoporum non secùs ac Clericorum judicia in Concilio Provinciæ, juxta Nicæni Synodi regulam, terminari debere.

Verùm præterquàm, quòd illa judiciorum terminatio à Synodo Provinciæ facienda, juxta dicta *superiùs* nequeat *privativè* ad auctoritatem Concilio Provinciali superiorem intelligi: sed salvam supponat nedum *cumulativam*, sed *supereminentialem* Concilij Diœceseos, & à fortiori Synodi Oecumenicæ, atque Petri Cathedræ Apostolicæ auctoritatem: meritò insuper in illis Africani Concilij litteris annotandæ hîc occurrunt sequentes clausulæ, *tum quòd Patres imibi deprecentur Papam, ne deinceps facilius admittat, & ad communionem restituat à se, nempe Provinciæ Synodo, excommunicatos.* Quomodò autem hujusmodi deprecatio ad excommunicatos non facilè admittendos subsisteret, nisi ab illâ Synodo fuisset in Romano Pontifice agnita superior auctoritas, cùm cæteroquin non *facilè* tantùm illi non fuissent admittendi, sed nullo prorsus modo fas fuisset Papæ, illis à Synodo Provinciali ad ipsum recurrentibus, restituere communionem. Tum quòd *in eadem Epist.* dicatur, videri *de inferioribus duntaxat Clericis, vel Laicis à Nicæno Concilio præcaveri.* At si hujus Concilij Canon per apertam litteram sanxisset etiam de Episcopis, quomodò videri posset, eo duntaxat cautum esse de inferioribus Clericis, vel Laicis? Attentâ equidem Canonis Nicæni ratione, ne scilicet per nimios ad Sedem Apostolicam ex remotioribus provincijs recursus, justo major fieri posset quietis Ecclesiasticæ perturbatio, subinferebant exinde Patres Africani, præfatæ Synodi intentioni ac menti consonum esse, ut de Episcopis etiam observaretur, ne, *qui in sua Provincia à communione suspensi sunt, à Pontifice Romano vel festinatò, vel præpropere, vel indebitè restituantur communioni.* Sed ad quid tantæ restrictiones adhibendæ fuissent ab Africanis, nisi isti agnovissent in Papa recursum ejusmodi admittendorum potestatem, cujus tamen circumspectam deprecabantur moderationem ex causâ, quòd *prudentissimè, justissimèque sit provisum, quæcunque negotia in suis locis, ubi sunt orta, esse finienda.* Ad cujusmodi proinde circumspectæ moderationis rationem prudentialem, auctoritatis tamen Concilio Provinciali semper supereminentis, minimè, peremptoriam respiciebat Cyprianus *Epistolâ 24.* in hæc scribens verba.

Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justùm, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio Gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actûs Domino redditurus: oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcurs̃are, nec Episcoporum concordiam cohærentem sibi subdolâ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possit. 19.

Inducantur *tertiò* Canones Concilij Antiocheni à Synodo Oecumenicâ Chalcedonensi, ac in Ecclesiâ universâ in auctoritatem admissi: quorum *decimus quintus* ita habet. *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, eundemque consonantes eandem contra eum formam Decreti protulerint, tunc apud alios minimè judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere auctoritatem.* Quòd si verò Episcopi non convenissent in unam sententiam, statuit eadem Synodus *Can. 14. ut Metropolitanus Episcopus à vicinâ Provinciâ Judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul & comprovinciales Episcopos, quod justum fuerit, approbetur.* An non igitur hîc extat manifestè sancitum; ut omnis causa, ipsos etiam Episcopos concernens, Provincialis Episcoporum Synodi, si conveniant, vel si varient, finitiorum, unà & Comprovincialium arbitrio plenè terminetur, nullo relicto loco 20.

appel-

appellationis ad superius aliquod Ecclesiasticum tribunal?

21. Verùm dum Ellieſi gloriaris, eos Concilij Antiocheni Canones in auctoritatem admissos esse à Concilio Chalcedonensi, à quo tamen, *superiùs* asseverabas, extare statutum, ut à Synodo Provinciæ detur recursus ad Synodum Diœceseos: quomodò absque apertâ contradictione fas tibi fuit, asserere, quòd ex prælegatis Concilij Antiocheni Canonibus, nullus posteà relictus sit locus appellationi ad superius aliquod Ecclesiasticum Tribunal interponendæ? Sicuti ergo Chalcedonense Concilium illos Antiochenos Canones non ita intelligendos censuit, ut per eos esset denegata appellatio, sed ab hac, utpote quæ *per ipsam rei naturam* subsistebat, ibi abstraheretur, sicque adeò recursus adhuc patèret ad Concilium Diœceseos, ita planè, imò à fortiori, nullatenus dici potest, per eos Canones fuisse eliminata appellatio ad Sedem Apostolicam. Quinimò si, uti apertè profiteris, in ejusdem Concilij Antiocheni *Canone duodecimo ad majorem adhuc Synodum à Concilio Provinciæ datur recursus, quando obtentum fuit ab Imperatore rescriptum, quo causa jam judicata retractari jubebatur*: an non Sedis Apostolicæ major habendus fuisset respectus, ut eâ jubente, causam retractari, ad alterius, Synodo Provinciæ majus, ipsius etiam Apostolicæ Cathedræ tribunal admitti deberet recursus? Eò vel maximè, quòd *Canone sexto* Concilij Constantinopolitani esset quoque provisum: *Si eveniret, ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata fuerant, corrigere non possent, tunc accederent ad majorem Synodum Diœcesis illorum Episcoporum, pro hac causa convocatorum.* Quidni ergo istud haberet locum erga sanctissimam Apostolicæ Cathedræ tribunal, vel jubente Papâ, erga Concilium quoque Oecumenicum ipsius auctoritate convocandum.

22. Quo igitur jure, mi Ellieſi, audiendos contendis Orientales, quos dicis Occidentalibus succensuisse, quòd *vellent judicia in Oriente finita* (non utique coram alio, quàm Sedis Apostolicæ auctoritate insignito Tribunali) *refricare*: ideoque illos in Concilio Philippolitano fuisse conquestos, quòd *Athanasius in Oriente damnatus, ad communionem ab Occidentalibus esset receptus*; quam ob causam Orientales noluisse Occidentalibus communicare in Synodo Sardicensi, eò quòd Episcopos à se damnatos non projecissent, sicque Concilio Orientis non tribuissent dignum honorem. Nunquid verò æquum fuerat, tam Orientales, quàm Ellieſium cum suis asseclis magis deferre Sardicensis Concilij Apostolicæ auctoritatis, sicque Oecumenicæ Synodi charactere dotati decretis *proximè* referendis, quàm proprio suo judicio, nullius Oecumenici Concilij, uti *hactenus visum est*, definitione nixo? Nunquid ipsimet per Christum *Matth. 18.* constitutæ sanctioni deferre potiùs fas est, juxta quam universos Ecclesiæ Episcopos, adeoque cum Occidentalibus ipsos etiam Orientales in unum Oecumenicum, vicario Christi penes Papam Romanum existente charactere insignitum, sicque universalis Ecclesiæ repræsentativum Concilium, convenire oportet? Nefas igitur est, eam Orientalium ab Occidentalibus fieri & probari divisionem, per quam, juxta Eusebianorum detestabilem prætensionem, res Orientis non nisi in Orientali Concilio, res verò Occidentis, non nisi in Occidentali Synodo terminari deberent.

§. III.

Quid à Concilio Sardicensi de appellationibus ad Apostolicam Romani Pontificis Cathedram interponendis, fuerit sancitum?

E Llieſius *præsentis Dissert. 2. §. 3.* præloquitur in hæc verba. Cùm Occidentales viderent ab Orientalibus judicia quædam injustè in Episcopos Orthodoxos v. g. in Athanasium esse lata, cogitâsse de Synodorum Provincialium auctoritate per Synodum Sardicensem imminuendâ; & idcircò non quidem jus appellationum, sed aliam prærogativam Pontifici Romano detulisse. Ita verò se habent præinsinuati Sardicensis Concilij ad præsens institutum facientes Canones. 23.

Canon III. Sardicensis Concilij.

OSius Episcopus dixit, illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de suâ Provincia ad aliam Provinciam, in quâ sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à Fratribus hujus invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra Fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne unus è duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quòd si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliquâ causâ, & putat, se causam bonam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinârunt, Iulio Romano Episcopo, & si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det Iudices; si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet. Respondit Synodus, placet. 24.

Canon IV. Sardicensis.

GAudentius Episcopus dixit, addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut, si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat, rursus sibi defensionis negotium competere, non priùs in Cathedram alius substituatur, quàm Romanus Episcopus, causâ cognitâ, sententiam tulerit. 25.

Canon V.

26. OSius Episcopus dixit, placuit, ut, si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem Regionis Episcopi eum gradu moverint, ac veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit, ejus rei examinationem renovari, Coepiscopis scribere dignetur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet, suum negotium rursus audiri, & ad ejus supplicationem Romanum Episcopum movere visum fuerit, ut è proprio latere Presbyteros mittat, sit in potestate ipsius id, quod placuerit, & si decreverit Romanus Episcopus, aliquos, oportere, mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, à quo missi sunt, & hoc ponendum est, si autem sufficere crediderit ad rei cognitionem Episcopi (lege *Episcoporum* sententiam) faciet, quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi, quæ dicta sunt, placuerunt.

27. Quibus præsuppositis, audiamus Elliesium, illa Synodi Sardicensis decreta conferentem cum Nicæni & Antiocheni Concilij statutis, quæ, ait, convenire cum illis, quòd Provinciæ Episcopis utrinque tribuatur primum circa Episcopos judicium: sed inter se dissidere, quòd in Synodo Antiochena cautum fuerit, *ut dissidentibus Provinciæ Episcopis, finitimi accerserentur*; Concilij econtra Sardicensis Canonibus vetantibus, *ne advocentur finitimi Episcopi.*

28. Verùm is Parisiensis Theologus meritò debuisset, accuratiori examine expendere *quintum* dicti Concilij Canonem, in quo placitum fuit: *Ut, si Episcopi Regionis alterum coram se accusatum Episcopum de gradu suo dejecerint, ipso appellante, & confugiente ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum, in hujus staret arbitrio, scribere Episcopis, qui in finitimâ & propinquâ sunt Provinciâ, quatenus omnia diligenter requirerent, & juxta fidem veritatis definirent.* An non igitur ex clarissima horum verborum litterâ patet falsitas asserti Ellesiani, ac si Concilij Sardicensis Canonibus vetitum fuisset, finitimos accersiri Episcopos ad judicium contra Episcopum à Concilio Provinciali latum revidendum, & pro causæ meritis definiendum, si placeret Romano Episcopo? An non hâc Canonis Sardicensis parte cum ejusdem subsequentibus verbis collatâ, denuò patet, optimè inter se cohærere, quòd causa Episcopi ita posset à Provinciæ Concilio pro primâ instantiâ terminari, ut hoc tamen minimè obstante, jus esset confugere ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum, in cujus tunc esset arbitrio, vel finitimis tantummodò Episcopis causæ judicium committere, vel in hunc finem mittere Legatos de latere, habituros ejus, à quo destinarentur, authoritatem? Quâ igitur ratione ex hoc, quòd Concilium Antiochenum Synodi Provincialis de Episcopo aliquo dejiciendo sententiam trahi permiserit ad plenius, ex finitimis quoque Episcopis adaugendum Concilium; Ellesius inferre ausus est, ac si per hoc esset sublata facultas recurrendi ad Romanum Pontificem, cùm tamen isto recursu etiam admisso, locus adhuc supereresset illi ex finitimis Episcopis accersendis, per Synodum Antiochenam præscripto remedio?

Secundò. Sed pergit Ellesius, à Concilij Anthiocheni statutis, in eo præsertim differre Sardicensis Synodi sanctionem, quòd hæc definiat, posse Provincialis Synodi judicium in Episcopum latum renovari, si ita videatur Romano Pontifici, ad quem proindè confugere possit Episcopus damnatus, non quidem, ut ejus causa Romæ judicetur, sed tantùm, ut ibi inquiratur, num causa ejus sit talis, quæ *novum desideret examen.* Et, si Romanus Pontifex intellexerit, causam in Provinciâ non satis examinatam fuisse, concedi ei, ut *præter Episcopos Provinciæ ex finitimis Provincijs Cognitores tribuat, qui renovent examen, datâ etiam illi facultate, ut Legatos à latere mittat ad judicium istud posterius: Si verò intellexerit, causam non esse talem, quæ retractari debeat, manşurum firmum Provinciæ judicium.*

Verùm in hac Canonum Sardicensium summariâ relatione duo meritò displicent, tum quòd eis aliqua cum Antiochenis Canonibus contrarietas affingatur: tum quòd dicatur, à Provinciæ judicio eatenus duntaxat licere confugere ad Romanum Pontificem, *ut ejusmodi tamen causa Romæ non judicetur.* Sub hac namque assertione, si intendat Ellesius, *positivè* excludi facultatem, per quam licet Romano Pontifici *personaliter*, seu *in suo proprio tribunali*, atque adeò *Romæ* causam illam judicare, id prorsus alienum est à sensu dictorum Canonum Sardicensium. Cùm enim per istos agnoscatur in Romano Pontifice facultas inquirendi de meritis causæ, ad effectum seu constituendi ex Provincijs finitimis cognitores, seu mittendi Legatos de latere tanquam delegatos judices, quomodò potest non *implicitè saltem* ac *virtualiter* ibidem supponi potestas Pontificis, ad causam ejusmodi suo etam judicio immediato terminandi, quippe cùm facultas delegandi per istam rei naturam in delegante debeat necessariò supponere auctoritatem judiciariam super causâ delegabili, *per se*, vel *per Tribunal suum* decidendâ?

Deinde *ex antecedentibus* constat, per Canones Antiochenos non fuisse *positivè* negatam Romani Pontificis facultatem, quam posteà statuerunt Sardicensia decreta, sed ad hæc habuisse illam se duntaxat *abstractivè.* Quia ergo abstrahentium non est affirmatio, vel negatio, idcircò, quæ per Canones Sardicenses est sancita Romani Pontificis auctoritas, ad eam nullatenus *contrariè* se habebant Antiocheni Canones; sed intactam relinquebant, ceu ex ipsâ natura quasi præsuppositam Pontificis à Sardicensi Synodo posteà expressam potestatem. Unde prorsus concludendum est, Canones Antiochenos Concilio Provinciali potestatem judicij super Episcopis concedendo, minimè intendisse,

imò nullatenus potuisse, pernegare supereminentiorem tum Synodi Diœceseos à Concilio Chalcedonensi posteà sanctam, tum Apostolicam Petri Cathedræ ex Christi concessione inexistentem auctoritatem.

32. At pro *tertio* contendit Ellies. Illis Sardicensibus Canonibus novi quidpiam statui, veluti evincatur ex Osij verbis; *si vestræ*, inquiuntis, *Dilectioni videtur, Petri memoriam honoremus.* Ubi consultò animadvertendum esse, *non dici; jus Romanæ Ecclesiæ conservemus*, sed tantùm, *Petri memoriam honoremus, si vobis videatur.* Quare commentitiam esse horum Canonum explicationem, quâ nonnulli contendunt, verbis illis, *Petri memoriam honoremus*, significari, quòd appellationes Episcoporum ad Summum Pontificem ceu Petri successorem, primatu adeò Apostolicæ auctoritatis dotatum, sint juris *Divini.* Cùm enim Osius *non absolutè*, sed sub istâ clausulâ restrictivâ, *si vobis placet*, dixerit, *Petri memoriam honoremus*, fore consequens, quòd præfatus Osius Synodi Sardicensis arbitrio permisisset Petri primatum, si iste sub ijs verbis significaretur.

33. Verùm in eo, quòd Osius efflagitabat à Sardicensi Concilio, ut juxta hujus placitum honoraretur Petri memoria: oportet, discernere id, quod *juris*, & quod *facti* erat. Circumspectam namque *facti* ponderationem respiciebat quæstio hujusmodi, utrùm scilicet in eo rerum statu, *quo Episcopi per Romanum Pontificem restituti denuò spoliabantur, insimulabanturque, appellando ad istum, crimina cumulare criminibus*; expediret, consultiusque videretur, placeretque adeò Patribus, Canone Synodali firmare recursum ad Sedem Apostolicam? Ad istam *facti* quæstionem applicandam puncto *juris* hâc in re versantis, utique debebat requiri placitum seu consultum Patrum in Concilio Sardicensi coadunatorum. Non ergo id, quod *juris* erat, nempe Romani Pontificis primatus, una cum appellationum ad Cathedram Apostolicam deferendarum *jure* permittebatur Synodi Sardicensis judicio, sed jus illud pro indubitato supponebatur sub illis verbis, *Petri memoriam honoremus.* In quo enim isthæc Petri memoria se teneret, aperte declaratur *quinto Sardicensi Canone*, quo placitum Synodi exaratum habetur: *Ut ab his, qui causam examinárunt, Romano scribatur Episcopo, atque hoc judicante, renovandum esse judicium, ab ipso deputentur judices.* En igitur, Romano Episcopo haud novum illis Canonibus tribui jus auctoritatis judiciariæ, sed causæ statum ita debere deferri ad ipsius judicium, ut ejus arbitrio stet deputatio Judicum. Atqui deputatio hujusmodi ad causam *judicialiter* decidendam supponit in delegante radicatam jam auctoritatem judiciariam, quæ transfundi valeat in Delegatos. In aperto igitur est, illo Sardicensi Canone nihil novi sancitum esse pro judiciariâ Romani Pontificis auctoritate, sed hanc in Apostolicâ Petri Cathedrâ jam fundatam, supponi ad Episcoporum appellationes tum coram suo tribunali judicandas, tum committendas Judicibus à semet delegandis.

34. Pergit pro *quarto* Ellesius *præcitatus* in id incumbere, ut probet: *Synodum Sardicensem jus revisionis tantummodò concessisse Romano Pontifici, non autem potestatem judicandi appellationes ab Episcopis factas.* Cujus asserti sui argumentum profert ex eo, quòd Episcopus damnatus hoc unum sperare possit, tum ut judicium, seu Concilium renovetur *ex Can. 3.* tum ut Pontifici scribatur, quatenus ipse videat, *num opus sit, judicium renovari*, tum, si judicaverit, *judicium esse renovandum, ut ipse det judices, non Romæ judicaturos, sed ex finitimâ & propinquâ Provincia accersendos. Ex Can. 7.* Unde Theologus ille Parisiensis concludit, Romanum Pontificem non habuisse jus causæ intrà Curiam Romanam judicandæ, sed ad summum ipsi concedi, *ut Legatum mittat ad secundum judicium.* Nec inquirere Romanum Pontificem in suo judicio, utrùm malè vel bene judicatum sit, sed utrùm causa sit talis, *quæ iterum judicari debeat*: nec confirmare judicium Provinciæ, rescindendo appellationem, sed tantùm declarando, causam non esse talem, quæ iterum ventilari debeat, ceu potiùs *non decernendo, ut iterum judicium renovetur.*

35. Verùm, quomodocunque, mi Ellesi, torquere nitaris sensum præductorum Sardicensium Canonum, universa molimina tua perimuntur, vel ex solâ illorum litterâ nimis clarâ & apertâ. Nam in *tertio* Canone expressè decernitur, ut, si Romanus Pontifex judicaverit, renovandum esse judicium, *renovetur*, ab ipsoque *dentur judices.* At contextus ostendit, in quo facienda sit ista renovatio judicij, nempe *in causâ, in qua judicatus fuerat Episcopus, putans, se justam habere causam, ut judicium renovetur.* Quandoquidem igitur ista renovatio judicij sit efflagitanda à Romano Pontifice, cujus tunc erit dare Judices, evidenter hinc evincitur, causam Episcopi judicati à judicio Provinciæ, ita devolvi ad judiciariam Papæ potestatem, ut hanc delegare, sicque mediante suo delegato, in secundâ appellationis instantiâ terminare possit. Cui conformiter *in Can. quarto* ita sancitur, *ut, cùm aliquis Episcopus depositus fuerit coram Episcoporum in vicinis locis commorantium judicio, ipseq; proclamauerit, agendum sibi Romæ, post appellationem ejus alter Episcopus non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romæ determinata.* En igitur, quam clarè appellatio cum suspensivo etiam sententiæ à Provincialibus, seu finitimis Episcopis latæ effectu, concedatur ad Romanum Pontificem, cujus judicio sit causa determinanda. Hinc in subsequente *Canone quinto* statuitur, Episcopo à Regionis suæ Episcopis condemnato, & dejecto, ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum *appellante*, ita stare debere in arbitrio ejusdem Summi Pontificis, ut vel solis finitimæ ac propinquæ Provinciæ Episcopis, vel suis de Latere Legatis, una cum illis causam terminaturis, faciat suæ judiciariæ Potestatis delegationem. Quid ergo luculentius desiderari posset pro appellatione ad Romanum Episcopū à Concilio Provinciali per Episcopum ab hoc condemnatum interponendâ cum effectu tum suspensivo judicij prioris in-

stantiæ, tum devolutivo ad judiciariam Summi Pontificis auctoritatem cum potestate vel judicandi, causamque terminandi, vel dandi Iudices in partibus, vel mittendi etiam Legatos de latere, eisque impertiendi delegatam facultatem judicandi, unà cum finitimæ, seu propinquæ Provinciæ Episcopis?

36. At pro *quinto* pergit Ellies̃ius, illos Canonem explicare per similitudinem sequentis exempli. Nempe sicuti, dum causa aliqua civilis in supremo Senatu Regio est terminata, non datur provocatio, sed qui manifestè oppressi sunt, aut contra formam Iudiciorum damnati, supplicem libellum Regi, ejusque Consiliarijs offerunt, à quibus non de ipsâ causâ judicatur, sed inquiritur, num causa sit bene & convenienter discussa, an non prævaluerit quorundam gratia, & ambitus, & an non manifestè læsa sit justitia, & si quod istorum vitiorum in Senatûs judicio deprehenderint Regis Consiliarij, ad eosdem remittunt Iudices, jubentque, causam iterum examinari & judicari. Sic prætendit ille Parisiensis Doctor; si Episcopus à Concilio Provinciæ depositus ostendere non possit, judicium in se injustè ac per violentiam contra præscripta Canonum esse latum, tunc in vi statutorum Sardicensium ei non concedi renovationem judicij, neque Romanum Pontificem judicare posse de causâ ipsâ, sed tantùm de judicio Episcoporum, nec inquirere, utrùm damnatus sit nocens, nec ne, sed utrùm sententia in ipsum lata, sit contra formam judiciorum, an non per vim extorta, aut ex odio & gratiâ sit profecta. At verò ab omnibus sciri, quantum sit discrimen inter jus istud *revisionis* decernendæ, & jus *appellationis* admittendæ; cùm appellatio causam in inferiori tribunali judicatam ad superiorem transferat in ordine ad litem excutiendam, & in suo tribunali definiendam, ita ut, quamdiu durat appellatio, sententia inferioris non possit executioni demandari.

37. Verùm ex Ellies̃io hunc in modum ratiocinante disquiro inprimis, an, dum Regi suo super causis à Senatu supremo decisis concedit jus *revisionis*, per hoc velit sublatum jus *appellationis*? Eo ipso sanè, quòd Regi concedatur auctoritas de Senatuum suorum judicijs judicandis, nequit non ipsi concedi judiciaria potestas super ipsâ etiam causâ per Senatum præjudicatâ, cùm hæc non minùs, ac illud Senatûs judicium contineatur sphærâ judiciariæ Regi inexistentis auctoritatis. Pari ergo ratione jure *revisionis* penes Summum Pontificem erga Concilij Provincialis contra quempiam Episcopum, latam sententiam præsupposito; ex hoc ipso jure auctoritatem Synodo Provinciali superiorem subinferente, rectè concluditur jus quoque *appellationis* super causâ Episcopi ab ejusmodi Concilio præjudicatâ, sed per appellationem devolutâ ad tribunal judiciariæ Romani Pontificis authoritatis in causis Ecclesiasticis supremæ, ex cujus proinde stabit arbitrio, causam eo modo devolutam, vel per se, vel per Delegatos suos, seu Iudices à se constitutos *ultimatè* terminandi.

38. Cujus ulteriorem rationem accipe Ellies̃i ex ipsa per temet allatâ appellationis definitione. An non enim causa in Provinciæ Synodo judicata, vi *quarti Canonis* Sardicensis, per appellationem ita transfertur ad tribunal Romani Pontificis, ut hujus judicio sit determinanda, ac interea sententia Synodi Provincialis de aliquo Episcopo deponendo lata, nequeat demandari executioni? Quia porrò, mi Ellies̃i, contendis, hoc fieri per modum duntaxat *revisionis*, quâ judicium Episcoporum in Provinciæ Concilio præjudicantium, à Romano Pontifice judicetur: nunquid per hoc dilucidè jam fateris, tribunal Romani Pontificis esse superius, non singulorum duntaxat Episcoporum tribunali, sed horum in Provinciali Concilio aggregatorum judicio? Quid ergo, quæso, *juxta appellationis à temet allatam definitionem* deest, quò minùs stricta per *Canonem quartum Sardicensem* dicatur sancita & comprobata, à Concilio Episcoporum Provinciæ ad Romanum Pontificem appellatio?

Quibus ita se habentibus, pro *sexto* facilè 39.
evanescunt, quas ulteriores Ellies̃ius facit exceptiones. Inprimis dum in *Canone quarto Sardicensis Concilij* decernitur, *si Romanus Episcopus judicaverit, renovandum esse judicium Provincialis Concilij, & ab ipso Iudices esse dandos*; per hoc intelligi Iudices, qui non Romæ, sed in provinciâ, unà cum hujus Episcopis retractent judicium ab illis priùs latum.

Verùm isthoc integrè concesso, nosci- 40.
tur jam esse in confesso, quòd non de circumstantijs duntaxat, uti Ellies̃ius priùs contendebat, sed de substantiâ judicij retractandâ disponitur in Concilio Sardicensi, agnoscente in Romano Pontifice auctoritatem *dandi judices* pro causæ novâ discussione ac terminatione. An non igitur hinc etiam elucet causæ in inferiori tribunali judicatæ devolutio ad superius Pontificis Romani suam auctoritatem delegaturi tribunal? Quando idem porrò Ellies̃ius excipit, *Romanum Pontificem juxta Canones Sardicenses non aliter infirmare posse judicium à Concilio Provinciæ latum, nisi indicendo aliud judicium*: nunquid per hoc dilucidè profiteri dicendus est, quod in *quarto Sardicensi Canone* statutum habetur, ut scilicet post appellationem Episcopi à Provinciæ Concilio depositi, ita debeat suspensivus effectus de alio non ordinando prævalere, ut hæc suspensio non priùs sit relaxanda, quàm causa fuerit determinata in judicio Romani Episcopi? Nunquid verò hinc *strictæ* etiam à Provinciæ Concilio ad Romanum Pontificem appellationis vires prorsus integræ dignoscuntur? Quando præterea Ellies̃ius contendit, *judicij à Concilio Provinciæ lati ex appellatione ad Pontificem Romanum sublatâ suspensivum effectum, non tollere Episcopi appellantis depositionem, sed prohibere, ne alius interea in ejus locum ordinetur Episcopus*: cuperem hinc ab ipso edoceri, ex quo adeò fundamento ista nova Episcopi suffectio impediatur, nisi ex hoc, quòd jus Episcopatûs ob interpositam appellationem non fuerit sublatum ab Episcopo, quem deponendum judicaverat Provinciæ Synodus? An non igitur effectus præjudicij

à Pro-

à Provinciæ Concilio lati, *quoad depositionem juris Episcopalis peremptoriam* suspensivus integrè subsistit, in vi illius ad Romanum Episcopum interpositæ appellationis? Quando denique Ellieſius excipit, vi Canonum Sardicenſium non ſtatui, *ut in Concilio Romani Pontificis determinetur causa per appellationem delata ad ejus judicium, ſed ut inquiratur, an causa ſit retractanda in Provincia, nec ne*: vellem, ut hic Theologus accuratiùs expendiſſet *quartum & quintum* dictæ Synodi Canones, per quos ſtat in arbitrio Pontificis, tum cauſam determinandi in judicio ſuo Romano, tum eam delegandi vel Provinciæ Epiſcopo condemnato propinquæ, vel unà cum iſtius Antiſtitibus ſuorum de latere Legatorum judicio. Quo ita conſtituto, quid luculentius adferri poſſet pro appellationis per Epiſcopum à Concilio Provinciæ depoſitum ad Romanum Pontificem interponendæ jure demonſtrando? Et hinc dignoſcitur dilucidè evaneſcere hæc quoque Ellieſianâ exceptio, ac ſi in illis Canonibus nomen appellationis non eſſet *ſtrictè* accipiendum, ſed *latè* pro quolibet confugio ad ſuperiorem.

41. Nihilominùs pro *ſeptimo*. Cùm Ellieſius jam faſſus ſit, ex Sardicenſis Concilij Canonibus evinci *jus confugij à Provinciali Synodo Epiſcopum dejiciente ad Romanum Pontificem tanquam ſuperiorem*: perquiro ex ipſo, *in quo principio ſit fundatum hoc jus confugij?* Iſtud equidem *in præſentis cap. §. ultimo*, diſcutiemus ex inſtituto: impræſentiarum tamen ſufficiat, id reducere in Cathedræ Apoſtolicæ à Romano Pontifice poſſeſſæ, & ſuper univerſos Eccleſiæ Epiſcopos, eorumque cauſas protenſæ ſupremam auctoritatem. Quâ præſuppoſitâ, uti nefas foret, Regi Franciæ ſupremo Monarchæ *reviſionis* duntaxat, non verò *appellationum* à Senatibus per Regnum ſuum, cum ſupremi etiam tribunalis jure conſtitutis, ad ſuam Majeſtatem interponendarum jus attribuere: ſic profectò nefas erit, in præallegatis Sardicenſibus Canonibus vocem *appellationis* non niſi ſub reſtrictiori ſignificatione accipere, atque coarctare velle ad præciſam reviſionem. Cæterùm circa Sardicenſes Canones plura adhuc differendi locus ſupererit *in ſubſequentibus*.

§. IV.

Quanam circa appellationis ad Romanum Pontificem Epiſcoporum recurſus, poſt Sardicenſem Synodum ſancita fuerit diſciplina?

42. A Bellieſio *ſuæ præſentis Diſſert. 2. §. 4.* inducitur *primò* aliqua Canonum Sardicenſium immutatio facta à Concilio Chalcedonenſi, tum *Canone 9.* ita ſe habente: *Si Clericus cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo negotium, aut litem habeat, à Provinciæ Synodo judicetur: ſi autem cum ipſius Provinciæ Metropolitano Epiſcopus, vel Clericus controverſiam habeat, Diœceſis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis Conſtantinopolis Thronum, & apud eum litiget.* Tum *Can. 17.* cujus tenor eſt talis: *Si quis autem injuriâ afficiatur à proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœceſis, vel Conſtantinopolitanum Sedem litiget.* Circa quos equidem Canones viſum eſt Petro de Marca, Pariſienſi Archiepiſcopo, in vi illorum tribui Conſtantinopolitano Patriarchæ omnium omninò, qui erant in Oriente, Metropolitanorum judicium: Ellieſio econtra arbitrante, mentem non fuiſſe Concilij Chalcedonenſis, ut Metropolitani Exarchatui Alexandrino & Antiocheno ſubjecti, traherentur ad judicium Conſtantinopolitani Epiſcopi, ſed illas ſanctiones decernere duntaxat de Metropolitanis Aſiæ, & Ponticæ Diœceſeos.

Verùm quomodocunque accipienda videatur illa Chalcedonenſis Conſtitutio, nihil propterea derogatur Epiſcoporum ab Orientis Concilijs Provincialibus damnatorum recurſui ad Apoſtolicum Romani Pontificis tribunal, ſed hic potiùs inde firmatur. Etenim ille ad Diœceſis Exarchum, vel Conſtantinopolitanam Sedem contra Metropolitanos recurſus inceperat habere locum, ex quo huic Sedi conceſſa fuit præeminentia Patriarchalis dignitatis. Quòd ſi ergo in Romano Pontifice non tam conſideretur Patriarchalis per Occidentem prærogativa, quàm Apoſtolicus per totum Chriſtianum orbem Primatus, licebit per illius Chalcedonenſis ſanctionis argumentum à fortiori concludere, fas eſſe, ad ipſius ſupremum quibuſcunque Eccleſiaſticis judicijs ſupereminens tribunal in caſu gravaminis à quocunque Eccleſiaſtico Iudice ab ipſomet etiam Provinciæ, ſive Diœceſeos Concilio illati, appellando recurſum habere. 43.

Ab Ellieſio inducitur *ſecundò* Edictum Gratiani Imperatoris ad preces Synodi Romanæ pro compeſcendâ Urſicini factione latum ſub hoc tenore: *Volumus, ut quicunque judicio Damaſi, quod ille cum Concilio quinque, vel ſeptem habuerit Epiſcoporum &c. ſi injuſtè voluerit Eccleſiam retinere, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab Illuſtribus viris præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, ſive à Proconſulibus, ſive vicarijs auctoritate adhibitâ, ad Epiſcopale judicium, ut ad urbem Romam ſub proſecutione proveniat: aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas everſerit, omnis ejus cauſæ dictio ad Metropolitæ in eâdem Provincia Epiſcopi deducatur examen, vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus Iudices dederit, ſinè dilatione contendat. Quòd ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cujuſcunque iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum accerſitum, liceat provocare, modò ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.* Quam Imperatoriam legem prætactus Pariſienſis Theologus conferendo cum Sardicenſis Concilij conſtitutionibus, ſubinfert: nonnulla ibi tribui Romano Pontifici, quæ Sardicenſis Synodus ipſi non tribuerat, nempe tum ut cauſas Epiſcoporum Galliæ atque Italiæ, nec non Metropolitanorum in longinquioribus Provinciæ partibus degentium poſſit ad ſe evocare: tum ut is, cui ſuſpecta eſt gratia, vel iniquitas Metropolitani, 44.

ſive

sive Provinciæ Episcoporum, possit *immediatè* ad Romanum Pontificem provocare. Contra quam proinde Legem Imperatoriam, idem Ellies. excipit, *quòd nunquam fuerit promulgata, nec usu recepta.*

45. Verùm quia illud Gratiani edictum est latum ad preces Romani Concilij, auctoritatisque in Pontifice Romano à refractarijs spretæ manutentionem, Imperatori ceu Ecclesiæ Romanæ Advocato incumbentem decernit, idcircò haud est contemnendum; ejus tamen expositio, *quatenus in ordine ad Galliæ ac Italiæ Metropolitanos, prætenditur disponere de Patriarchali Romani Pontificis intrà Occidentem præeminentiâ*; meritò rejicienda est: sed perinde, ac de Sardicensibus Canonibus constat, dicenda est illa Gratiani lex de Apostolicâ, non autem Patriarchali Romani Pontificis auctoritate loqui: cujus evidens est argumentum, quòd extendatur etiam ad longinquiores, extra Occidentem scilicet positas Provincias, ac Metropolitas, cujusmodi extensio neque Metropolitanæ, neque Patriarchali dignitati, sed Apostolico Romanæ Ecclesiæ, per Christum sancito Primatui competere dignoscitur.

46. At pro *tertio* excipit Ellies. A se neutiquam concedi, quòd, uti Gratiani lex sancire videtur, *Galliæ Metropolitani, omisso medio, subjecti unquam fuerint Romani Episcopi judicio.* Tum quòd Gallicani Antistites Canones Nicænos, Antiochenos & Africanos, nec non licèt seriùs, Sardicenses in auctoritatem admiserint, & pro regulâ eos habuerint, per quos administratio Provinciæ, judiciumque Metropolitanæ ipsius Synodo defertur. Tum quòd lex Gratiani nusquam à Pontificibus Romanis allegata legatur, quamquam illi nihil non moliti fuerint, ut judicia Episcoporum ac præsertim Metropolitanorum ad se traherent. Tum quòd Innocentius I. *in Epist. ad Victricium* disertè asserat, *omnes omninò causas Galliæ non ante judicium Provinciæ ad Sedem Apostolicam referri deberi.* Tum quòd innumeris exemplis constet, Metropolitanos à Synodo Provinciæ dejectos fuisse: ipsâmet etiam Gallicanâ Ecclesiâ Canonibus suis, nempe Synodi Aurelianensis III. *Can. 4. & 15.* id sanciente.

47. Verùm, dum is Theologicæ Parisiensis facultatis Doctor unicè jam negat, *Galliæ Metropolitanos, omisso medio Provincialis Synodi, fuisse subjectos Romani Episcopi judicio*; vel ex hoc evincitur, fateri Metropolitanorum Gallicanæ Ecclesiæ erga Romani Pontificis tribunal in secunda appellationis instantiâ subjectionem. Quare totum præsens institutum nostrum ex hac ipsius confessione videtur evictum, ipsomet insuper confitente, Sardicenses Canones, licèt seriùs (quanquam antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ erga Romanam Apostolicam Sedem Religio, neque hanc moram faciat credibilem) fuisse in Francia admissos in auctoritatem, habitosque pro regulâ, unà cum Nicænius & Antiochenis Canonibus: quos *superiùs* ostendebamus, nihil præjudicij feciisse tum *supereminentiali*, tum *cumulativæ* cum Metropolitanis & Provincialibus Concilijs, judiciaris super Episcopis quibuscunque Apostolicæ Sedis auctoritati.

Sed mirum est, Ellies. ex eo, quòd 48.
Romani Pontifices legem Gratiani nusquam allegâsse legantur, contendere, *statim extinctam fuisse.* Cùm enim brachium Iæculare Imperatoris ceu Advocati Romanæ Ecclesiæ semper extiterit in potestate Summorum Pontificum, quid opus fuerat ad hoc imploradum, allegare Gratiani legem, quando ipsæ auctoritatis Apostolicæ vires ad id obtinendum (ut sæpe factitatum noscitur) prævaluerant? Quando porrò Innocentius I. *loco cit.* asseruit, *Galliæ causas majores non ante judicium Synodi Provinciæ, vel post Episcopale judicium referendas esse ad Sedem Apostolicam*: oportet, in hoc discernere inter id, quod *Iuris* est, & quod secundùm prudentiæ ac benignitatis Apostolicæ ordinationem est *Facti.* Hujus namque posterioris ratio, ut plurimum expostulabat, ut priusquàm causæ Ecclesiasticæ devolverentur ad Sedem Apostolicam, in quarumcunque Provinciarum partibus ventilarentur: quamvis attento jure Oecumenicæ in Papâ super cunctas Ecclesiarum causas supereminentis Apostolicæ auctoritatis, in hac fundaretur non pro appellationis duntaxat, sed primâ quoque judicij instantiâ, judiciaria *etiam cumulativa* potestas, cum quâ tamen optimè cohærere posset Synodi Provinciæ tribunal, ad Metropolitanos dejiciendos in primâ instantia præpotens, conformiter præinsinuatis Gallicanæ Ecclesiæ Canonibus, speciatim *capit. Carolin. lib. 7 cap. 251.* ubi decernitur, ut, *si adversùs eiusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem, & apud ipsum judicetur, aut apud Sedem Apostolicam.* Quid proinde clariùs adduci posset, ad ipsius etiam Apostolicæ Sedis judiciariam potestatem *cumulativam* cum Primatis Galliarum, (adeóque Provincialis etiam Synodi) tribunali comprobandam? Quas porrò Ellies. adversùs Christiani Lupi argumenta impræsentiarum profert exceptiones, has non tam prætermittere, quàm paulisper differre, ac *inferiùs* discutere placuit, ubi præsertim, de Africanæ Ecclesiæ, hanc in rem prætensionibus differendi major se offeret occasio.

Interea pro *quarto* haud prætermittendum est, quod Ellies. *in præsenti §. 4.* adversùs S. Leonem Papam conqueritur, ac si iste Pontifex contra Canones Sardicenses contendisset, *primam cognitionem causæ Metropolitanorum ad Sedem suam pertinere, appellationes à Synodo Provinciæ faciendas, posse à se Romæ judicari.* 49.

Verùm ex prælegatis Canonibus Sardi- 50.
censibus manifestè constat, Romano Episcopo esse potestatem Episcopi à Provinciæ Synodo dejecti causam post appellationem, vel in judicio suo determinandi, vel ejus decisionem finitimæ Provinciæ Antistitibus, vel etiam suis à latere Legatis committendi. Et dum Metropolitani intrà Occidentem, nulli prætet Romanum Episcopum Patriarchæ seu Exar-

cho

cho subjecti, de jure agnoscunt Papam, tanquam suum ex Sedis Apostolicæ Primatu *immediatum* Superiorem, quomodò prima causarum ipsos concernentium cognitio, non attribuenda esset eidem Romano Pontifici, Canonibus Sardicensis Concilij (uti ex ipsorum patet litterâ) necquidquam in contrarium statuentibus? Ad cujusmodi proinde, imò majora adhuc Sedis Apostolicæ jura manutenenda, Imperator à S. Leone imploratus, ceu Ecclesiæ Romanæ Advocatus, isthanc edidit sanctionem: *Nè scilicet quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum contra veterem consuetudinem liceat, sinè viri Venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare, sed illis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas, ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus, venire neglexerit, per moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur.*

Sed quid pro *quinto* ad istam sanctionem respondeat Ellies. 51. ius, lubeat ex ipso audire. Ait enim, legem illam, tametsi ob Galliam fuerit specialiter condita, non esse in hoc Regno observatam: imò ipsos etiam Romanos Pontifices Leonis Successores appellationes tantùm causarum, in Provincijs judicatarum, ad se traxisse, solosque Metropolitanos *immediatè* à se judicari postulâsse, reliquorum Episcoporum judicio Metropolitanis, & Provinciarum Episcopis relinquentes: quamquam Vigilius *in Epist. ad Eucherium*, & Pelagius *in Epist. 1. ad Ioann. Constantinop.* quarumlibet appellationum ad Romanam Sedem ante Provinciæ Episcoporum sententias, judicia sibi reservaverit, si ij, qui judicandi erant in Provinciæ Synodo, ante hujus cognitionem provocaverint ad judicium Romani Pontificis.

Addit is Theologus, Gregorium quoque Magnum duo sibi vindicâsse, nempe tum appellationes à judicijs Episcoporum in Provinciâ, circa quas liberum esse sibi, arbitratus est, vel eas Romæ judicare, vel judicandas in Provinciam remittere: tum primam cognitionem causarum, quæ Metropolitanos attinebant, quas sibi reservari voluit, *Si quis contra Metropolitanum*, inquiens *lib. 7. Epist. 8. aliquid causæ habuerit, ob hoc Sedis Apostolicæ petat judicium, quod per Canones antiquorum Patrum est institutione permissum.* Subdit denique, per tempus illud, quod à Leone ad Gregorium effluxit, Sardicenses Canones in auctoritatem esse admissos, & Episcopis ad Sedem Romanam appellantibus post judicium Provinciæ, concessum fuisse, ut illic judicarentur.

Nunquid autem pro *sexto* illa Summo- 53.
rum Pontificum primam etiam super Metropolitis cognitionem sibi vindicantium praxis, dicenda est pugnare cum Lugdunensi Concilio anno 567. primam circa Episcoporum causas cognitionem Metropolitanis concedente? Præterquam quòd isthoc primæ circa Episcopos instantiæ judicium, dici queat *cumulativè* spectâsse tum ad Metropolitas, tum ad Romanum Pontificem, utpote cujus Oecumenica auctoritas non sit supereminens duntaxat, sed etiam concurrens cum qualibet inferiore eidem subordinatâ jurisdictione Ecclesiasticâ: dicendum planè est, ab Elliesio ineptè notari quandam prætacti Concilij Lugdunensis cum Romanæ Sedis præinsinuatâ praxi contrarietatem; quippe cùm ista de Episcopis per Metropolitanos judicandis, illa verò de Metropolitanorum, vel etiam Episcoporum ante Provinciæ judicium ad Romanum Pontificem provocantium causis disponat: illo ipso Theologo Gallicano insuper fatente, circa annum 374. extare exempla nonnulla appellationum in Gallia ad Romanam Sedem, fuisseque hanc consuetudinem, diu post hanc ætatem capitulis Adriani I. & capitulis Caroli Magni in Gallia receptis *cap. 13.* firmatam, cui proinde haud potuit derogari per Concilij Francofordiensis *Canonem sextum*, utpote qui contra Ecclesiasticæ immunitatis jura, Clericorum provocationes à Metropolitano ad Principem perperàm admiserit.

Sistendo præterea intrà Galliæ Regnum 54.
pro *septimo*, Elliesius præsenti *pag. 132.* in Decretales *octavo* labente, vel *nono* incipiente sæculo editas, impostura eas redarguendo, improbè invehitur, eò quòd in ijs non modò jus appellationis Romano Pontifici tribuatur, sed etiam à nonnullis earum judicium Episcoporum Synodis Provinciæ interdicatur, inconsulto Episcopo Romano, & sinè Sedis ejus auctoritate assumendum. Quas proinde Decretales à Summis Pontificibus (in quorum gratiam calumniatur, esse confictas) avidè acceptatas, & ubique promulgatas esse, inprimis verò à Nicolao I. *in Epist. ad Episcop. Galliæ in causa Rotadij Suessionensis.* Sed Gallicanos Episcopos ferre minimè potuisse prætacti Nicolai, *Episcopum se inconsulto, à Provinciæ Synodo depeni potuisse* negantis propositionem: tametsi ei non negarent appellationes, seu Episcoporum confugia, secundùm Canones Sardicenses facienda & expedienda. Pariter Adrianus II. *in causâ Hincmari Laudunensis* adduxit auctoritatem earundem Decretalium, quibus tamen non attentis, Gallicanos Episcopos ad Hincmarum deponendum processisse, ait Elliesius, *ulteriùs* asseverans, *dictos Episcopos Romam propterea vocatos, parère renuisse, Sardicensis Concily decreta pro se allegando.* Et quia his minimè obstantibus, Summi Pontifices Romam vocabant Episcopos Gallicanos, Hincmarum Rhemensem nomine Caroli Calvi egregiam scripsisse Epistolam, quâ disciplinam à Nicænis & Sardicensibus Canonibus sancitam defenderit, & novam fictis (per calumniam ita vocatis) Decretalibus inductam rejecerit, solemniter adversùs eam protestando.

Verùm in eo inprimis, *quòd Elliesius De-* 55.
cretales tam calumniosè tractet, vix dignus est integri Theologi nomine, dum earundem auctoritas ex Catholicorum Canonistarum ac Theologorum in publicis etiam Scholis, & probatis Universitatibus concordi sententiâ, maximum habere pondus jam dignoscitur. Quòd autem in causis Episcoporum primæ quoque instantiæ judicium, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, non sit permitten-

dum Provinciæ Concilio, quin ad Romani Pontificis tribunal in vi prædictarum Decretalium evocari queant; hoc Elliesius cum Gallicanis Episcopis immeritò contendit, repugnare Sardicensibus Canonibus. Quâ enim auctoritate nisi Apostolicâ, Oecumenicis per Christi vicarium, Papæ in terris proprium nomen, ceu formam sui constitutivam subsistentibus Concilijs, Divinitus impertitâ, illi Canones primam judicij erga Episcopos instantiam Provinciæ Synodis concedebant? Num verò rationi consentaneum est dicere, ex Canonibus illis factam fuisse qualemcunque Apostolicæ, ex quâ tamen subsistere debebant, auctoritatis tum Concilio Oecumenico, tum etiam extra Concilium Pontifici Romano inexistentis diminutionem? Hoc asseverare foret perinde, ac si diceretur, substantificum illorum Canonum principium fuisse per hos evacuatum seu peremptum, quod planè absurdissimum esse, luce meridianâ clariùs apparet. Quare in vi Canonum Sardicensium non nisi ex Apostolicâ auctoritate subsistentium, quatenus Concilio Provinciali primam judicij erga Episcopos instantiam permittebant, nihil obstaculi fuit positum, quò minùs per eandem Apostolicam auctoritatem seu Concilio Oecumenico, seu Papæ inexistentem, statui posset, ut judicia Episcoporum in Primâ etiam instantiâ Romam vocarentur, vel non nisi sub aliquo Pontificis Romani desuper consulendi moderamine, valerent decidi à Provinciæ Synodo.

56. Hoc utique pro *octavo* integerrimæ profectò rationis trutinâ expendebant Gallicani Episcopi, quos, minùs decenter ac prorsus indecorè ait Elliesius, sub *tertiâ* Regum Francorum Dynastiâ ita molles fuisse, ut sæpe sæpius passi sint, Episcopos Gallicanos apud Romanos Pontifices primùm accusari, & ab ijsdem Romam vocari, ac ibidem judicari contra antiquos Canones (quæ tamen contrarietas est ficta) moresque in Galliâ receptos: Pontifices quoque Romanos tunc temporis causarum omnium majorum, in primâ etiam instantiâ Romæ judicandarum, privilegium audacter sibi vindicâsse. Sic enim Leonem I. *in Epist. 4. ad Africanos* negare, Episcopos sine sententiâ Romani Episcopi damnari posse, vel deponi, eò quòd sanctis Canonibus esset institutum, ut omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri Sedem à Successoribus ejus definirentur. Gregorium VII. *in Dictatu* suo magnâ confidentiâ affirmare, quòd Papa solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare. Ac demum Innocentium III. asseruisse, jure *Divino* sibi competere depositiones, cessiones & degradationes Episcoporum. Quin etiam tempore Concilij Basileensis rem eò redijsse, ut levibus omninò de causis partes Romam vocarentur etiam ante judicium in Provinciâ latum; utque post judicium, vel tempore judicij, frivolè appellaretur: cui malo remedium afferre conatos esse Basileensis Concilij Patres *Sess. 31.*

Verùm cujus auctoritatis pro tunc fuerit Basileense Concilium, legitimæ Oecumenicæ Synodi charactere jam destitutum, ex ijs, quæ *circa secundum Cleri Gallicani articulum* disserebamus, liquidò constat, ut propterea posset meritò hîc præteriri. Nihilominùs, ut ostendatur Elliesianarum in præsentiâ etiam quæstionis statu contra auctoritatem Pontificiam exceptionum infirmitas; ob oculos ponimus ipsissimum illum, quem Elliesius *prætactus* profert Sanctionis prædictæ sensum, sub hisce relatum verbis; statuisse nempe Synodum, *ne quisquam amplius Romam vocetur, aut ad Romanum Pontificem ante judicium Ordinarij provocet, sed ut omnes causæ, exceptis majoribus in jure expressis, & electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, primò in Provinciâ judicentur, deinde ut nulla fiat appellatio à gravamine, sed tantùm post judicium terminatum &c.* En igitur de minoribus duntaxat, non autem de majoribus Episcoporum causis Romam non statim evocandis, agi in illâ Basileensi sanctione, prout eruditissimum quoque Parisiensis Facultatis Doctorem profiteri, ipse Elliesius fatetur.

Sed longiùs adhuc progressus pro sua confitetur, Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reformat. cap. 5.* omnem prorsus judicandorum Episcoporum potestatem alijs ademisse, solique Pontifici Romano reservâsse sub hisce verbis: *Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositionem, aut privationem dignæ sunt, ab ipso tantùm Summo Pontifice cognoscantur & terminentur.* Subdit ille Parisiensis Theologus, hoc unum, imò præcipuum videri ex capitibus disciplinæ, in Concilio Tridentino sancitæ, quod à Gallicanâ Ecclesiâ improbatum fuerit. Verùm in hoc, & quovis alio intrà Concilium Oecumenicum, infallibili Spiritûs S. assistentiâ munitum, sancito disciplinæ sacræ decreto, oportet distinguere obligationem, tum in fide radicatæ, *moralem* virtutis cujuspiam honestatem præferentis (*specificationis*, tum *practicam* ex prudentiali circumstantiarum *moralium* conveniente circumspectione statuendæ, *quoad exercitium* necessitatis. Ad hanc equidem *exercitij moralem* necessitatem seu obligationem *practicam*, requiritur legis promulgatio ex varijs circumstantijs prudenter pensanda: cujus intermittendæ consilium, talibus quandoq; rationibus *moralibus* innixi potest, ut prudentiæ prorsus consentaneum sit, ne intrà Provinciam quampiâ, seu Regnum ejusmodi Legis obligatio fuerit *actualiter* introducta: de quâ proinde *actuali* intrà Galliæ Regnum per præsumptam præsertim Legislatoris voluntatem non introductâ prætacti Tridentini decreti obligatione, nolumus hîc disserere.

At sufficiat, decretum illud à sacrosancto Concilio Tridentino sancitum, attentâ ejusdem in fidei principijs radicatâ, & virtutum *moralium* honestati consentaneâ, specificatione, sive *quoad specificationem* (uti Theologi loquuntur) necessitate, ita se habere, ut ab omnibus Concilij Oecumenici, Spiritûs S. assi-

assistentiâ muniti infallibilitatem agnoscentibus Theologis comprobari debeat; nefasque adeò sit, illud ceu à fide ac Religione alienum reprobare, quamvis *actualem* sui *in exercitio* obligationem intrà Galliam ex defectu v. g. promulgationis, non obtinuisset.

60. Ex quo proinde honestatis, & *quoad specificationem* in fide ac religione radicatam, necessitatis *moralis* fonte pro *decimo* indubiè scaturiebant varij, quos Ellies ius pergit enumerare, præsenti instituto convenientes, publicos etiam actus: quantumvis adversùs illos postmodùm reclamâsset Clerus Gallicanus. Haud leve scilicet, (ait idem Parisiensis Theologus) fuisse libertati Gallicanæ Ecclesiæ infictum vulnus temporibus Cardinalis Richelij, cùm is Breve quoddam Apostolicum obtinuit ab Urbano VIII. à quo quatuor Episcopi Gallicani sunt delegati, quorum operâ Episcopos quosdam ex Aquitania & Aremoricâ majestatis reos dejici procuravit. Et licèt super hoc actu Cleri Gallicani conventus fuerit protestatus, hæc tamen protestatio non in tantum prævaluit, quin Episcopi Gallicani in causâ Jansenij postmodùm à Sede Apostolicâ judicium poposcerint, hæc præfati: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro suo iure postulat, æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati suæ scribendum esse, censuimus.*

61. Tametsi autem pro *undecimo* Antistites Gallicani factum hoc suum posthæc anno 1660. excusâ int, eò quòd tunc temporis Synodus, aut conventus Generalis Cleri Gallicani haberi non potuisset, & idcircò necesse fuisset, ad ejusmodi remedium recurrere. Nihilominùs postmodùm in causâ quatuor Episcoporum, qui accusabantur ut minùs obsequentes constitutioni Innocentij X. & Alexandri VII. circa quinque Jansenij propositiones emisse; ipsemet Christianissimus Rex, teste Ellies io, petijt à Pontifice Alexandro VII. ut duodecim Episcopos in Gallia nominaret, qui de quatuor illis Episcopis, omni appellatione remotâ, judicarent. Unde clarum deducitur argumentum, Episcoporum judicium, cum potestate delegandi, fuisse in Papâ recognitum ab ipsomet Galliarum Rege. Nec obstare potest, quòd idem Christianissimus Rex indignè tulerit responsionem à Romanis factam, mentem Pontificis fuisse, ut unus tantùm nominaretur Episcopus, velut Executor judicij Romæ lati, in gratiam tamen Regis Christianissimi tres ab eo fore nominandos, qui ut meri Executores agerent. Sic sic adeò quorundam, vel etiam plurium de Clero Gallicano, adversùs Sedis Apostolicæ erga ejusdem Regni Episcopos primæ etiam instantiæ judicium prætensa reclamatio, non fuerat tantæ efficaciæ, quin dictæ Apostolicæ Cathedræ judiciaria in causis Ecclesiasticis supereminens, semper prævaleret auctoritas: divinorum nempe Oraculorum mox adducendorum veritate semper ac ubique prædominante.

§. V.

Ex sacris Litteris ostenditur Romani Pontificis in quibuscunque causis Ecclesiasticis seu quoad primam etiam instantiam, cum Episcopis & Metropolitis, sive Patriarchis, Concilijs, tum Provinciæ, tum Diœceseos cumulativa; *seu in via Appellationum præcipuè*, supereminens *judiciaria auctoritas.*

QUis namque ausit negare, hæc *Matth. 16.* 62. ad Petrum, ejusque successores prolata Christi Domini, verba: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; non in foro duntaxat *interno* Conscientiæ, sed in *externo* etiam judicij Ecclesiastici foro habere locum? At nihil in quibuscunque Ecclesiastici judicij foris, seu pro primâ instantiâ, seu pro cujuscunque ad superius Tribunal provocationis, & appellationis recursu est intelligibile, quin contineatur sub illo, Regni cælorum, seu Ecclesiæ clavibus subjecto *Quocunque*. Pro nulla igitur sive primæ instantiæ, sive quorumcunque ulteriorum recursuum, atque appellationum statu, est quippiam in causis Ecclesiasticis excogitabile, quod non subjiciatur Cathedræ Apostolicæ sacrosancto foro judiciario.

DISQUISITIO VI.

Quænam in via Facti *circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solidæ probationis argumenta.*

QUatuor *paragraphis* hoc argumentorum genus expedit Ellies ius. In *primo* referuntur ac examinantur *judicia, quæ Synodum Nicænam præcesserunt.* In *secundo* discutientur *exempla appellationum in Iudicijs quarto sæculo latis.* In *tertio* expediuntur exempla *causarum Africanarum quinto & sexto sæculo ad Sedem Apostolicam delatarum & judicatarum.* In *quarto denique nonnulla judiciorum Ecclesiasticorum, in Occidente præsertim, peractorum exempla* perstringuntur. Quibus tandem subjungetur discussio Epilogi ab Ellies io impræsentiarum factæ.

§. I.

Examinantur Episcoporum Iudicia ad Sedem Apostolicam devoluta, Synodum Nicænam antecedentia.

IN notis ad Concilium Sardicense *tom. 3. Concil. edit. Parisiens. col. 71. relatis litt. I.* habetur, Jure *Divino* non tantùm permissum, ut Episcopi injuriam passi, ad Summum Ecclesiæ, & Romani Pontificis Tribunal provocarent; verùm & frequenter ante hæc (Concilij Sardicensis) tempora de facto observatum fuisse, ut tam Presbyterorum, quàm Episcoporum

porum appellationes ad Apostolicam Sedem admitterentur; adeò, ut verissimum sit, quod scribit Leo *Epist. 89. ad Episcopos Galliæ*, hanc esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Ad Pium I. Marcion, ad Cornelium Fortunatus & Felicissimus in Africâ: ad Stephanum Pontificem Basilides in Hispaniâ depositus appellârunt. Unde manifestum est, quòd Patres Concilij Sardicensis de jure, & appellandi potestate nihil noviter concesserint, sed tantùm declarârint usum & exercitium hujus potestatis, de quo dubitabatur, *num Ecclesiæ universali omninò expediret*, partim, ne si omninò appellationes sinè discrimine causæ admitterentur, nullus litigandi finis esset: partim, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores Judices Episcopi tunc tyrannidis occasionem adipiscerentur.

2. Adversùs hunc igitur appellationum in antiquâ Ecclesiâ usum insurgens Ellies. *præs. §. 1.* excipit *primò*. Perperam induci Marcionis ad Ecclesiam Romanam appellantis exemplum, cùm ipse à patre suo damnatus, non petierit causam suam Romæ retractari, sed tantùm deprecatus sit, ut in communionem reciperetur: nec porrò Ecclesia Romana sibi tunc arrogârit jus rescindendi judicij, aut causæ retractandæ, sed à Senioribus Romanis, teste Epiphanio, retulerit responsum *contra ipsius Patrem Episcopum, utpote cujus una secum esset fides, & consensio animorum, se non posse quidquam moliri.* Unde infert is Parisiensis Theologus, Presbyteros Romanos censuisse, quòd non possent hominem ab alio Episcopo communione privatum, sinè hujus assensu communioni restituere, cùm, si credidissent, appellationis, seu remissionis jus sibi jure *Divino* competere, sinè Episcopi assensu potuissent causam ejus retractandam decernere.

3. Verùm insistendo Epiphanij ab ipsomet Ellesio adductis verbis, liquidò constat, Seniores, seu Presbyteros Romanos Marcioni absolutionem excommunicationis ab ipsius patre Episcopo inflictæ denegâsse prætendendo, *se non posse quidquam contra hunc moliri.* An non ergo hinc evadit manifestus Marcionis ad Romanam Sedem recursus contra patrem suum Episcopum, ad hujus scilicet sententiam retractandam susceptus, quamquàm ex defectu legitimæ de istius injustitiâ probationis, præsumptione propter integram ejusdem Episcopi fidem, & cum Romanâ Ecclesiâ consensionem meritò prævalente, Marcioni denegata fuerit petita absolutio, seu patre non consentiente, communionis restitutio. Nullius ergo valoris est prædducta Elliesiana illatio, cùm appellationis, seu revisionis jus Sedi Apostolicæ jure licèt *Divino* concessum, non det facultatem, sinè probabilibus innocentiæ argumentis rescindendi sententiam ab Episcopo latam. Qualis probabilitas Marcioni defuisse dignoscitur.

4. *Secundò* excipit Elliesius. Cùm in causâ Paschatis tempore legitimo celebrandi, Victor Romanus Pontifex in Asianos Episcopos commotus, à communione suâ istos removisset, non hos duntaxat, sed alios multos Galliæ præsertim Antistites, unà cum Irenæo monuisse Victorem, *ut ea potiùs sentire vellet, quæ paci & unitati, charitatique erga proximum congruebant, litteris suis graviter perstringendo illum Pontificem*: cujus tamen objurgationem iniquam futuram fuisse, si ipsi licitum fuisset, judicia intrà Asiam lata retractare, Asiaque præbere debuisset judicijs à Romano Pontifice latis.

Verùm hujus in Romano Pontifice ad Asianorum Episcoporum judicia retractanda, atque ad hos in suorum Decretorum obedientiam adigendos, & cùm non parèrent, à communione suâ removendos potestatis, clarum argumentum elucescit ex illo Victoris exemplo, quem non tam oportuisset dehortari, ut ex majori pacis atque charitatis studio mitiùs ageret, quàm pro nullo habere ejus judicium, si ad hoc ferendum, nulla ei fuisset legitima potestas. Cùm equidem potestate suâ abuti Galli de statu causæ necdum plenè edocti crediderant; posteà tamen compertum fuit, optimè ac prudenter fuisse actitatum à Victore: quippe cùm sententiæ ab hoc reprobatæ author præcipuus fuerit Blastus, teste Tertulliano *de præscript. in fine.* paulatim judaismum introducere conatus, ac docens, Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Mosis decimâ quartâ die Mensis Martij: hanc enim hæresim suam cœpisse Blastum, Victoris Papæ tempore etiam Romæ seminare, testatur Eusebius *lib. 5. hist. cap. 15.* Cui proinde hæresi maturè occurrendum censuit dictus Romanus Pontifex, gravius ejusdem propter agendo adversùs Asianos Episcopos, tuli errori adstipulantes. An non igitur hinc patet, authoritativæ in Papâ erga Episcopos potestatis solennis & publicus actus.

5.

Tertiò. Adversùs sequens pro recursibus ad Romanam Sedem allegari solitum, & à Cypriano *lib. 1. Epist. 3.* relatum exemplum, quando scilicet Fortunatus & Felix in Africâ à Cypriano depositi, Romam navigaverunt, atque ad Cornelium Papam appellârunt, adversùs hoc, inquam, exemplum excipit Elliesius, Cornelium Romanum Episcopum neque de causâ Felicis ac Fortunati Romæ judicâsse, neque ejus retractationem decrevisse; imò ne quidem illos, utpote ab Episcopis suis damnatos, audire voluisse: de quorum proinde confugio sic judicâsse Cyprianum in suâ ad Cornelium Episcopum Epistolâ. *Navigare, inquiuntur, audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre. Quæ autem causa veniendi, & Pseudoepiscoporum contra Episcopos factum nunciandi: aut enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseverant; aut si displicet, & recedunt, sciant, quò revertantur: nam cùm statutum sit omnibus nobis; & æquum sit pariter ac justum, ut unusquisque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actûs Domino redditurus; oportet utique, nec eos, quibus præsumus, non circumcurrere, nec ipsos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdolâ & fallaci*

fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi, si paucis desperatis & perditis, minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africâ constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam, judicij nuper gravitate damnârunt. Jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est. Nec censuræ congruit Sacerdotum, de mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi.

7. Verùm nunquid ex his ipsis Cypriani verbis patet, dictorum in Africâ damnatorum seu Episcoporum, seu Presbyterorum ad Cathedram Petri confugium? Quemadmodùm autem verus appellationis recursus subsistere potest, dum Judex *à quo* ad judicem *ad quem* mittit litteras refutatorias: sic profectò litteræ Cypriani confutatoriæ querelarum, & allegatoriæ rationum, quibus legitimarum probationum substantialium ex parte appellantium defectus subesse demonstratur, minimè obsunt, quò minùs ille ad Petri Cathedram recursus à Cornelio Pontifice propterea repulsam passus, in numero verorum de appellationibus ad Sedem Romanam exemplorum reponatur. Nisi enim tale jus de appellatione ex remotioribus etiam regionibus à Romano Pontifice recipiendis & discutiendis, re ipsâ substitisset, ad quid Cypriano opus fuisset, litteras refutatorias ad Cornelium dare, dum vel ipsa appellationis nullitas securos fecisset Africanos Episcopos de sententiâ suâ adversùs Felicem & Fortunatum latâ, validè, & cum effectu nequaquam retractandâ, seu immutandâ.

8. *Quartò.* Pro appellationum ad Romanam Sedem usu antiquo adferri solet Cypriani *Epistola 67.* ad Stephanum Romanæ urbis Episcopum scripta sub hoc tenore: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à se litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur.* Hinc enim apertè ostenditur Romani Pontificis in Episcopo Marciano hæresis Novatianæ reo abdicando, primæ etiam cognitionis judicij suprema potestas.

9. At Ellieſius excipit, Cyprianum non rogâsse Stephanum, ut judicet Marcianum, sed ut ad plebem Arelatensem Marciani ad Novatianos deficientis impietate commotam, ejus tamen societati adhuc addictam litteras scribat, quatenus omni cum eo societate ruptâ, alius in ejus locum eligatur Episcopus.

10. Verùm quomodò Cyprianus in Stephano Romano Pontifice agnoscere potuisset potestatem decernendi novam Episcopi Arelatensis, Marciano remoto, subrogationem, nisi ei præ alijs cunctis Episcopis talem in Episcopo ob dictum Novatianæ hæreseos reatum removendo ac deponendo, authoritatem inesse, pro certo habuisset? Quomodò enim plebi Arelatensi fas fuisset, suâ privatâ potestate absque altioris publicæ authoritatis interventu in Episcopi priùs legitimè instituti locum subrogandi alterum? Et si isthæc authoritas non specialiter ac supereminenter extitisset in Romano Pontifice, cur non à Galliæ Episcopis per Cyprianum æquè efflagitaretur?

11. *Quintò.* De Basilidis Episcopi à Provinciali Hispaniæ Synodo ad Romanum Pontificem recursu sic scribit Cyprianus *Epist. 68. Basilides post crimina sua, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Papam longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret injustè, se reponi in Episcopatum, de quo fuerat depositus.*

12. Sed excipit Ellieſius, eundem Cyprianum ab Hispanis Episcopis consultum consuisse, non obstante hoc recursu, eatenus validam fuisse alterius in Basilidis locum suffecti Episcopi ordinationem, ut Papa non posset *hanc iure perfectam ordinationem rescindere.* Verùm nisi Episcopi Hispaniæ decentem illi recursui respectum habuissent, quomodò tam soliciti fuissent, ut à Cypriano peterent consilium, acceptumque haberent responsum, ubi alterius Episcopi ordinatio jure jam esset perfecta, non posse hanc à Romano Pontifice rescindi: maximè cùm Basilidis depositi non tam abolita fuerint delicta, quàm ad superiora ejus peccata crimen quoque fallaciæ ac circumventionis accesserit? En igitur, non ex defectu legitimæ in Papa ad appellationis erga se recursum faciendum & admittendum potestatis, sed propter jus alteri in Basilidis locum subrogato Episcopo jam quæsitum, & propter cujuscunque à Papa per falsitatem, & circumventionem acquirendi rescripti invaliditatem, negâsse Cyprianum, quòd Stephanus Papa posset *ordinationem jure jam perfectam rescindere.*

13. *Sextò.* Cùm Dionysius Alexandrinus perperam licèt accusatus de Arianismo, Filium Dei creaturam asserente, propterea què à Concilio, Dionysioque Romano reprobatus fuisset, fert historia, ipsum sui purgandi causâ edidisse apologiam. An non igitur licet cum Baronio, alijsque hinc concludere, primarum præcipuè Sedium Episcopos rectè accusari posse apud Summum Pontificem. Nec obstat Ellieſij exceptio, ac si Dionysius apud Romanum Pontificem non *juridicè* fuisset accusatus, ut in eum ferretur sententia, sed siniſtri ejus mentis interpretes de eo fuissent coram Papâ duntaxat conquesti. Ut quid enim, si hæc querela non erat interposita ex respectu superioris in Romano Pontifice authoritatis, Romam usque propterea recursus intentaretur? Et licèt foridica sententia inde non emanâsset, sufficiebat tamen, ab ipso fidei rationem, non privatâ utique, sed eo ipso, quòd ad Concilium res esset delata, publicâ etiam authoritate fuisse ab ipso exactam.

14. *Septimò* Cùm Paulus Samosatenus ad duplex Antiochiæ habitum Concilium delatus, in primâ quidem Synodo Orthodoxam Ecclesiæ fidem simulans, evitâsset depositionem, in alterâ autem hæreseos convictus, fuisset depositus, Domno in ejus locum substituto, sed domo Episcopali excedere abnuisset: exinde Imperatoris Aureliani brachio implorato, fuit ab hoc illius Decreti Conciliaris executio sub istis imperata verbis, *ut scilicet Eccle-*

siæ traderentur illis, quibus Religionis Christianæ Antistites, & Romanus Pontifex scriberent, eas demandandas. Ut quid verò ab Imperatore facta fuisset ista ad Pontificem Romanum remissio, nisi sublimior circa instituendos ac destituendos Episcopos in eo fuisset recognita authoritas?

17. *Octavò.* Quod præsentis instituti argumentum adferri solet à Cæciliani Episcopi à nefario Africano Conciliabulo depositi, sed per Melchiadem Papam restituti, id accipe ex ipsismet sancti Augustini verbis *Epist. 162.* ita scribentis: *Iudicante Melchiade tunc Romanæ urbis Episcopo, cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc in Episcopatu fuisse confirmatum, Donatum verò, qui adversùs eum tunc auderet, improbatum.* Quid profectò clariùs dici posset ad ostendendum, judicium Cæciliani stetisse unicè penes Melchiadem Romanum Pontificem, nullo prorsùs apice asseverante, eos, qui ad preces Donati ab Imperatore Romam fuerant cum Cæciliano missi Episcopi, pares cum Melchiade Iudicis partes egisse, quin potiùs Donatus ipse fuerat in eo judicio improbatus, Cæcilianus verò à Melchiade in Episcopatu confirmatus?

18. Hinc quando idem S. Augustinus *inferiùs* ita pergit scribere: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus Melchiades cum collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare, quod ab Aphris septuaginta, ubi Primas Tisigitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid, quòd nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de totâ illâ causâ, quod justum videretur, statuerent.* Ex quibus, si cum præcedentis S. Doctoris verbis conferantur, planè manifestum redditur, quos Imperator miserat judices assessores, *principaliter* reduci in solum Melchiadem, atque hunc ex propriâ suâ, non Imperatoriâ sibi delegatâ potestate usurpâsse sibi judicium, quod ab Africano Provinciali Concilio priùs fuerat terminatum, nec profectò judices assessores Imperator fuisset ad ipsum missurus, nisi in eo agnovisset supremam Iudiciariam in causis Ecclesiasticis authoritatem, quam idem Divus Augustinus *in eâdem Epistolâ* contestatus, fuerat scribendo, Cæcilianum paratum fuisse *dicere causam in Romanâ Ecclesiâ, in quâ semper Apostolicæ Cathedræ viguerat Principatus.*

§. II.

In quo fit discussio causarum *quarto* Ecclesiæ sæculo judicatarum.

19. Quatuor ex *quarto* Ecclesiæ sæculo argumentorum genera contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam deferendarum, Ellies. *præf. suæ 2. Dissert. §. 2.* proponit. *Primum* petitur ex illis, qui à Patriarchali, seu Metropolitanâ, sive Provinciali Synodo damnati, non provocârunt ad Romanum Pontificem. *Secundum* genus desumitur ab illis, qui per injuriam, seu vim depositi, suisque Episcopatibus privati, nullâ licèt interpositâ provocatione, à Pontifice Romano fuerunt restituti. *Tertium* genus est illorum, qui recurrebant quidem ad Romanum Pontificem, quorum tamen causa non fuit ab hoc recepta. *Quartum* genus est illorum, qui ad Sedem Apostolicam, vel Concilium aliquod Oecumenicum appellantes, hujus authoritate restituti sunt.

In *primo* igitur non appellantium genere numerantur *primò* Arius & Melitius. Hicà Petro Alexandrino depositus, Romam non provocaverat, ut restitueretur, nec alterum majus requisivit judicium, sed cùm nullam aliam retinendæ authoritatis viam sibi superesse arbitraretur, ab Elliesio dicitur, hanc ob causam schisma conflâsse. At quia hic nequam vel ex causæ suæ diffidentiâ, vel ex superioris authoritatis, Apostolicæ præsertim Cathedræ contemptu, maluit schisma potiùs conflare, quàm per appellationem, quippe cùm isthanc, hæresi non abjuratâ, haud profecuam sciebat, sibi consulere, num hinc momenti alicujus argumentum adversùs Sedis Apostolicæ jura proferre fas est?

Similis profectò indignitatis est argumentum ab Ario desumptum, de quo Elliesius ait, cùm Verbi Divinitatem negaret, ab Alexandro Episcopo Alexandrino, deinà Synodo Ægypti damnatum, & gradu dejectum, nullam sibi superesse provocationem putâsse, ad Episcopos Palæstinæ sibi faventes confugisse, & ne tunc quidem, ubi dissidium in dies cresceret, provocatum esse ad Romanam Sedem, neque causæ hujus cognitionem ad se traxisse Pontificem Romanum, sed Imperatorem hujus controversiæ sopiendæ causâ, Synodum Generalem indixisse. Nunquid verò ex appellationis ob causam sibi per hæresin obdurato planè infensam intermissæ non actu, argumentari licet ad negandam potentiam tum appellandi, tum causam ex appellatione deferendi ad Sedem Apostolicam, tum per hujus judiciariam sententiam controversiæ finem imponendi? Arianâ hæresi invalescente, cur Constantinus Imperator ad remedium tanto malo ac dissidio adeò pernicioso adferendum, tanquam Ecclesiæ sanctæ Advocatus non se solo, sed uti *in VI. Synodi actione 18.* fertur, unà cum Sylvestro Papâ indixerit Generale Nicænum Concilium, sicque Romanum Pontificem præ omnibus Orientis Episcopis in istâ causâ interpellârit, eundemque per suos Legatos Concilio præsidere passus sit, quæ alia potest esse ratio, nisi quia in illo agnovit authoritatem Oecumenicam, ex quâ ceu Vicario Christi charactere ita subsistere deberet substantia legitimi Concilij Generalis, ut meritò jam dici debeat, recursum, quem Constantinus Magnus in causâ extirpandæ hæreseos fecit ad Concilium Oecumenicum, necessariò respexisse ad Pontificiam quoque authoritatem, ceu primamriam, & quà cum Synodo Generali conjunctam, fidei controversiarum *ultimatè* decisivam? Ex illo igitur exemplo elucet recursûs ad Sedem Apostolicam ab ipso etiam Imperatore Ecclesiæ sanctæ Advocato facti manifestum argumentum.

Secun-

22. *Secundò*. Sub *primo* illo non appellantium genere recenset insuper Elliesius sequentes Episcopos: nempe Eustathium Antiochenum, Paulum Constantinopolitanum, Lucium Hadrianopolitanum, Saturninum Arelatensem. De Eustathio igitur Antiocheno refertur, cùm ab Orientis, sive Diœceseos suæ Episcopis injustè fuisset damnatus, ex amore sanctæ quietis acquievisse judicio, nec ad Pontificem, aut aliam Synodum provocâsse. At numquid, ubi eveniret, quempiam à Regio Senatu etiam injustè damnatum non provocare, sed quibusdam ex causis acquiescere judicio, hinc arguere liceret, nullum superfuisse jus ad Regem provocandi, seu appellandi?

23. De Paulo autem Constantinopolitano scribitur, quòd damnatus judicio, non equidem provocârit ad Romanum Pontificem, sed, invitis etiam adversarijs, Sedem retinuerit, donec per vim ex ea ejiceretur. Numquid verò, si, quos Regia Majestas Franciæ propter hæresin damnaverat, vi & armis resistere valuissent, ne Regis judicium adversùs ipsos prævalere potuisset, num propterea supremum in Rege judiciariæ authoritatis tribunal fas esset negare?

24. De Lucio Hadrianopolitano, & alijs fermè omnibus, quos Ariani injustè damnaverant, dicit Elliesius neque provocâsse ad Romanum Pontificem, neque ab eo litteras, per quas restituerentur, obtinuisse. Verùm, dum isti apud Papam non se insinuabant, quomodò illis præbuisset authoritatis suæ brachium, vel dum spes non erat, alicujus ex authoritate Pontificia apud Arianos proficui remedij, quomodò manum suam pro ijs, quos iniquè oppressérant, saltem absque prævio ad se recursu indifferenter extendere ex prudentiæ rationibus potuisset?

25. De Saturnino Arelatensi à Gallicanis Episcopis depositio ait Elliesius *pag. 162.* ipsos Synodi Parisiensis Episcopos testari, quòd nullus ei supereresset appellationis locus. At istud minimè dicit ea Synodi Parisiensis attestatio, sed ait *duntaxat, ipsum ceu saluberrimorum statutorum violatorem, propterea que excommunicatum, ab omnibus Gallicanis Episcopis ob vetera insuper jam diu denudata crimina, novaque temeritatis epistolis suis editam indignitatem, se fecisse indignum nomine Episcopi.* Esto igitur, hæc scelera, cæteraque indignitas ejus ipsum ceu statutorum saluberrimorum temeratorem cohibuissent ab appellatione, an præterea fas est, hinc inferre, nullum Sedi Apostolicæ appellationum admittendarum jus fuisse?

26. Quod reverâ jus neque Priscilliani à Synodo Burdegalensi in Galliâ depositi ad Imperatorem, non ad Romanum Pontificem recurrentis temeritas obscurare valet; quanquam in hoc Elliesius sibimet videatur contradicere subjungendo, ipsum insuper Pris. cillianum cum Instantio & Salviano damnatum à Cæsaraugustanâ Synodo, confugisse Romam, ut illic sibi objecta purgaret, Damaso licèt eos non suscipiente, sed ne in conspectum quidem admittente, eò quòd in Synodali adversùs eos sententiâ additum fuerit, ut, si quis damnatos in communionem susciperet, in se eandem sententiam esse promendam, sciat.

27. Num verò credere fas est, sub istâ adjectione fuisse à Cæsaraugustana Synodo intentum, ultra suæ potestatis sphæram, atque adeò adversùs Romanum quoque Pontific m extendere Excommunicationis comminatoriam sententiam? An non è contrario Priscillianus una cum Instantio & Salviano, ut objecta sibi crimina purgaret, Romam confugiens hujus Tribunalis supereminentē a thoriratem agnovit, Damaso licèt eos reijciente, non utique ob Excommunicationis, à Synodo Cæsaraugustensi intentatæ metum, sed ob illorum causæ indignitatem.

28. *Tertiò*. Sub *secundo* præsentis instituti genere numeratur Marcellus, quem Julius Pontifex cum Athanasio in communionem suscepit, damnatum ab Orientalibus in Constantinopolitanâ Synodo. At contra istud exemplum excipit Elliesius *præs. pag. 159.* Marcellum non appellâsse ad Pontificem, nec ab eo fuisse restitutum, sed à Synodo Sardicensi: imò hâc etiam restitutione factâ, neminem in Oriente ipsum pro hæretico non proscripsisse, quamvis Athanasius à ferendo in eum judicio abstinuerit.

29. Verùm quia Concilium Sardicense ex Apostolicâ Papæ authoritate noscitur subsistisse, an non oportet igitur, Marcelli ex Sardicensis Concilij Decreto restitutionem in ipsum etiam Julium Summum Pontificem reducere? Et licèt quàm plures Orientales tum Synodo Sardicensi, tum Julio Pontifici se se opposuerint, num isthæc pertinacia derogare potest, vel Oecumenicæ Synodi, vel Summi Pontificis authoritati? Ex eo proinde exemplo liquidum evadit Papæ sive solius, sive Concilio Generali stipatam authoritatem supereminuisse Synodo Constantinopolitanæ, illo Christi vicario Papæ proprio, Concilijque quà Oecumenici substantifico charactere destitutæ.

30. *Quartò*. Progredimur ad *tertium* contrà appellationum ad Sedem Apostolicam jura ab Elliesio allatum argumenti genus, in quo unicè occurrit Bonosus. Cujus de hæresi circa Mariæ Deiparæ virginitatem delati judicium cùm à Synodo Capuensi fuisset remissum ad Thessalonicensem Metropolitanum, vicinosque Episcopos, hi verò causam ejusmodi graviorem arbitrati, cùm Syricium Papam consuluissent, atque istius sententiam rogâssent, hunc in modum respondit præfatus Romanus Pontifex: nempe sibi competere non posse judicandi formam, eò quòd Concilij Capuensis judicium fuerit, ut finitimi Bonoso, ejusque accusatoribus judices tribuerentur præcipuè Macedones, una cum Episcopo Thessalonicensi, de ejus factis cognitionem accepturi, quorum proinde sit, hoc facere judicium, sententiamque ferre de omnibus, nullâ vel accusatoribus datâ refugiendi,

giendi, sive elabendi copiâ. Cùm porrò Bonosus Episcopus post præinsinuatum Papæ judicium, misisset ad Ambrosium Episcopum pro consilio petendo; *An liceret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi*, ait Ellies, *fuisse eidem responsum, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter & ordine gerenda sint, neque contra sententiam sit aliquid tentandum.* Ex quo duplici rescripto, ait prætactus Ellies, patêre, tum quòd Papa sit fassus, sibi non competere formam judicandi, ubi causa Bonosi Metropolitano ac Episcopis vicinis est commissa, sed ita horum esse, ferre sententiam, ut nulla accusatoribus, vel accusato sit copia refugiendi, aut elabendi: tum quòd Papa & Ambrosius censuerint, post Synodi Provinciæ judicium nihil contra hoc tentandum esse, nec licere ulli etiam Romano Antistiti, causam ad se ampliùs evocare, sicque adeò nullis alijs, quàm vicinis Episcopis, ipso etiam Syricio teste, formam judicandi competere.

31. Verùm, si penes Romanum Pontificem non existeret circa Episcoporum judicia aliqua Concilio, vel ex Provinciæ, vel ex finitimis Antistitibus consistente, supereminentior authoritas, ad quid Metropolitanus Thessalonicensis cum Episcopis Macedonibus recurrisset ad Sedem Apostolicam, priusquam suum super Bonoso ferret judicium? In hoc enim ad Syricium Papam recursu fuisse ab illâ Episcoporum Synodo requisitam stricti judicij formam, evincitur ex hoc, quòd responsio convenire debeat cum petitione; Syricius autem responderit, sibi non competere judicandi formam (quam ipse quoque Ellies de stricto intelligit judicio) postquam Concilij Capuensis judicium jam erat latum, ut finitimi, Macedones scilicet Episcopi cum Thessalonicensi Metropolitano de Bonosi factis (*judicialiter*) cognoscerent. Ut igitur illud Pontificium responsum cum Macedonum Episcoporum petito cohæreat, oportet, id taliter intelligere, ut Pontifex non absolutam judicandi formam ab illis Episcopis requisitam, sed judicij ad se trahendi decentiam duntaxat negaret, ubi causa jam erat in manibus ejusmodi Thessalonicensis Concilij à Capuensi Synodo requisiti. Quare Syricius eatenus dixit, Macedonum Episcoporum esse hoc judicium, unà cum potestate ferendi mandatum providendi, ne vel accusato, vel accusatoribus detur refugiendi, aut elabendi copia. Nunquid verò istud Syricij mandatum præsupponebat in hoc superiorem Concilio illo authoritatem? Quando proinde Ambrosius à Bonoso consultus, negavit, eidem licere, interdictum temerare, ingrediendo Ecclesiam, atque negavit, licere contra sententiam illorum Judicum aliquid tentare, ita in his probavit judiciariam authoritatem, ut summa sit ineptia, ex hac inferre velle, ac si nulla ejus causæ, si hujus meritum ac rei status tulisset, judiciaria, eaque supereminentior authoritas substitisset in Romano Pontifice.

32. *Quintò.* Circa præinsinuatum argumenti genus *quartum* occurrit inprimis S. Athanasius, qui in Tyri Synodo, & postea in Antiochenâ Synodo damnatus, Romam confugit, atque à Pontifice Julio benignè exceptus, in suum Episcopatum fuit restitutus, Concilio Sardicensi, invitis ejus adversarijs, confirmante illud restitutionis judicium.

At Ellies *præf. Dissert.* 2. *pag.* 158. repo- 33.
nit, Athanasium non à Synodo Provinciæ, aut Diœceseos, sed à Synodo extraneorum Episcoporum fuisse damnatum, Constantino Imperatore istorum judicium, utpote contra leges latum, non habente ratum, ac propterea ad se evocante Episcopos ejus Concilij, ut facti sui rationem redderent. Quare Athanasium ita damnatum non provocâsse ad Romanum Pontificem, nec ab eo petisse, ut videret, num ejus causa esset talis, quæ deberet iterum examinari, sed confugisse ad Imperatorem, ut hic rescinderet, quæ contra formam judiciorum ac leges ab adversarijs facta fuerant: quem proinde non ex Synodi Decreto, sed Imperatoriâ authoritate fuisse ejectum in exilium, suâque privatum Sede, neque ut hanc recuperaret, Romani Pontificis auxilium impetrâsse, sed à filio Constantini fuisse restitutum. Cùm deinde Eusebiani iterum accusationes in eum renovarent, non Athanasium, sed illos ipsos Julio Romano Episcopo causæ arbitrium detulisse, & ab eo Synodum petijsse, Julio rescribente, *justum esse, ut ubicunque vellent, Synodum fieri.* Unde Julium à partibus electum judicem, potuisse equidem Eusebianos ad se evocare, & detrectantes damnare, ac Athanasium absolvere: neutrum tamen fecisse, nec ullum tulisse judicium, sed auditâ Athanasij Apologiâ, suam cum eo communicationem confirmâsse, & pro Episcopo habuisse, neq; hoc fecisse solùm, sed Concilium ad Eusebianorum preces esse convocatum: prout id constat *ex litteris Julij apud Athanasium.* Quia porrò Orientales falsò supponebant, Julium id judicium à se ultrò ipsi delatum usurpâsse, fuisse illos exinde conquestos, eum contra Canones & regulas judicâsse: Julio eapropter adversùs Eusebianorum expostulationes factum suum defendente, eò quòd ab ipsis fuerit electus judex, missis etiam ad se Legatis. In quâ etiam defensione Julium non suam, sed Concilij à se ad illorum preces congregati jactare auctoritatem, in vi cujus potuerint acta Synodi Orientalis in aliâ Synodo examinari: cùm præsertim Athanasius contra formam judiciorum absens damnatus fuerat. Nec proinde Athanasium à Julio Sedi suæ restitutum esse, sed in Occidente subsitisse, donec à Sardicensi Concilio restitueretur, Sardicensem verò Synodum retractâsse Athanasii causam ex rescripto Imperatorum. Ipsum præterea Athanasium Occidentalium per Sardicense Concilium lato judicio haud contentum, Orientalium quoque judicium postulâsse, & ab ijs tum subscribentibus epistolæ Synodicæ Concilij, tum seorsim per eorum litteras esse pronuntiatum innocentem. Quibus ita se ha-

ben-

bentibus, facilè intelligi, *tum quòd Athanasius nihil egerit, ex quo concludere possit, eum ad Iulium appellâsse, tum quòd Iulius nihil sanxerit, ex quo perspici possit, eum jus habuisse retractandæ causæ, sed judicium in Athanasium latum fuisse necessariò irritum, quia factum fuerat ab extraneis contra formam judiciorum per vim & ambitum, cùm absens foret, cùmque innocentia ejus esset omninò manifesta, non solius Iulij, sed omnium Occidentalium sententiâ, additis etiam Ægyptiorum & Orientalium quàmplurimorum suffragijs.*

34. Verùm ne historicæ contentioni immorando, longioribus hinc inde contradictionibus involvamur, sufficiat, paucis ob oculos hîc ponere, quæ circa Athanasium puriori fert relatio, quòd nempe è suâ Ecclesiâ sæpe ejectus, sæpe etiâ in eandē & Julij Romani Pontificis auctoritate, & Constantis Imperatoris, Constantijq́; fratris patrocinio, decretis quoque Concilij Sardicensis ac Jerosolymitani sit restitutus. Quo supposito, pergo ad argumentandum ex ipsissimâ Ellesij relatione. Dum enim hic Theologus ait, ab Eusebianis in Athanasium accusationes renovantibus fuisse Julio Romano Pontifici delatum arbitrium, num credere fas est, hos Athanasij infensissimos hostes tantum delaturos fuisse Papæ, nisi hujus supereminentiorem existimâssent authoritatem? Sed Synodum petijsse Papam, ait idem Ellesius? Cur hoc? Nisi quia in ejus authoritate sciebant situm, ut Synodus Oecumenicum ex eo reciperet characterem. Et verò cùm idem Parisiensis Doctor fateatur, Julium ab ipso etiam Athanasio fuisse electum Iudicem, quomodò hinc non patet ejusdem ad Romanum Pontificem recursus?

35. Dum autem reponitur, Iulium non aliter nisi quâ Judicem à partibus electum potuisse ad se vocare Eusebianos, detrectantesque damnare, ac Athanasium absolvere: quomodò in tantum contra detrectantes prævalere potuisset, nisi altiori potiretur Jurisdictione, quâ invitos constringere, imò damnare valuerat? Dum insuper Julius, auditâ Athanasij Apologiâ, communicationem cum eo confirmavit, & pro Episcopo eum habuit, nunquid authoritatis publicæ in Julio actus contra Eusebianorum attentata hinc comprobantur? At id non *à solo Iulio*, sed unâ & Concilio eam ob causam congregato factum, replicat Ellesius. Nunquid verò istud quoque Concilium dicere fas est, habuisse authoritatem ex solo arbitrio Eusebianorum? Hoc profectò cum sacro Evangelio repugnans, quàm nefariè asseritur, tam evidenter probat Julij in Concilio Sardicensi congregando, & per vicarium Christi characterem suum authorizando, Provincialibus, vel quibuscunque sive legitimis, sive illegitimis Synodis supereminentem authoritatem, quam eo ipso venerati sunt, quotquot ex Orientalibus etiam Episcopis subscripserant Synodicæ Epistolæ, indeque Athanasium suis quoque litteris innocentem pronuntiârunt.

36. *Sextò.* Unum prætereà in causâ Athanasij sibi objici posse, ait Ellesius, quòd nempe Iulius in *suâ Epistolâ* videatur innuere, non licuisse Orientalibus, Athanasium damnare absque suâ authoritate. Nam *si*, inquit, *ut dicitis, omninò in culpâ fuerunt, oportuit, secundùm Canonem, & non isto modo, judicium ferri, oportuit, scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur.* Et posteà, *An*, inquit, *ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit. Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum suscepta fuerat, adhuc ad nostram Ecclesiam referri debuit.* Quid clarius scribi potuisset ad demonstrandam Sedis Apostolicæ super causis Episcoporum authoritatem?

37. At excipit ille Parisiensis Theologus, *Iulium non loqui de suâ sententiâ, sed de omniū Occidentalium consensu: queri enim, quòd Orientales Athanasium Antistitem sinè consensu Occidentalium, imò his inscijs, damnâssent. Hinc reciprocam ab Orientalibus factam esse querelam: quòd hanc novitatem molirentur (Occidentales) inducere, quam horret vetus consuetudo, ut in Concilio Orientales Episcopi, quod fortè statuissent, ab Occidentalibus revocaretur.* Prætendisse igitur Orientales, se pares haberi cum Occidentalibus, quorum judicia in Novatum v. g. Sabellium & Valentinianum lata, sinè novo examine fuerint confirmata ab Orientalibus.

38. Verùm hæc ipsa Ellesiana exceptio egregium pro intento nostro præbet argumentum. Cur enim Iulius Pontifex succensuisset Orientalibus, quòd absque communi Occidentalium quoque consilio in causis gravioribus statuendi potestatem sibi arrogaverant, dum tamē Orientales econtra, Occidentalibus unà cùm Papâ fidei Dogmata *Conciliariter* sancientibus, nullam refricandi causam & potestatem habebant: nisi quia illis, contra quas Iulius conquestus fuit, Orientalium Synodis defuerat authoritas Pontificia, unicus Concilij quâ Oecumenici character, Christum eatenus vicariè repræsentans, ut exinde Synodus in nomine Christi congregata dici valeat, potiri infallibili Christi & Patris Æterni, unâ ac Spiritûs sancti assistentiâ? Non est igitur paritas inter præcisam Orientalium Synodum tali vicario Christi charactere destitutam, & Occidentalium (inter quos Papa recensetur) Concilium authoritate Christi vices gerente insignitum.

39. *Septimò.* Inservit instituto nostro exemplum Eustathij Sebasteni. Hic depositus in Synodo Constantinopolitanâ, & ab Arianorum factione vexatus, Romam confugit ad Liberium, à quo litteras obtinuit, per quas restitueretur; uti habet S. Basilius *Epist.* 74. At Ellesius *præf. pag. 163.* hoc Basilij Magni testimonium refutare nititur, asserendo, *Eustathium non venisse in Occidentem ad Liberium, ut restitueretur, quippe qui depositus non fuerat à legitimis Iudicibus, sed à Synodo Constantinopolitanâ Anni 359. quæ erat Acacianorum.* Numquid verò authoritatis supereminentis est, non tantùm contra Iudiciariam sententiam inferioris legitimi Iudicis, sed etiam contra vim alterius per

violentiam sibi usurpantis judicium, facere restitutionem illius, qui passus est injuriam? Quòd autem Liberius eum non priùs Sedi suæ restituerit, quàm fidei Nicænæ de Liberij mandato emiserat professionem, utpote qui suspicionem hæreseos ex Semianorum ad Liberium legatione incurrisset; hoc rursus probat, hujus Pontificis in ipsis etiam fidei causis authoritatem, in vi cujus idem Eustathius receptus in communionem, & tanquam verus Catholicus Tyanensi Synodo per Liberium declaratus, meritò ab hoc Concilo obtinuit executionem mandati Pontificij, de ipso in Sedem suam restituendo, & sic à Liberio restitutum fuisse, optimè scripsit prædictus Basilius.

40. *Octavò.* Partis argumenti energiam adfert exemplum Maximi Episcopi, qui Constantinopoli pulsus, ad Occidentales confugiens, in Synodo, quæ videbatur ex totius orbis Episcopis præscripta, causam suam egit. Nec obest, Occidentales solos cum Summo Pontifice non eatenus sibi usurpâsse judicium, quin Orientales *in communis arbitrij consortium vocaverint.* Etenim Oecumenici Concilij per Christum *Matthæi 18.* instituti naturâ penitiùs inspectâ, ita est universorum, ac quorumcunque Sedis Apostolicæ communionem obtinentium Episcoporum par suffragium, seu paris in Concilio arbitrij consortium, ut eorum tamen judicium haud subsistat, nisi ex accessu authorizativi per Papam, Christi vicarium nomen præferentem præstiti consensûs. Et hinc dum Maximus exemplo Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum ita confugit ad Occidentales, ut hi paris cum Orientalibus arbitrij consortium, non nisi sub vicario Christi charactere Papæ proprio intrà Generale Concilium pro causâ illâ decidendâ expeterent, manifestum hinc redditur, illud Maximi ad sublimiorem authoritatem confugium vel maximè respexisse Romanum Pontificem ceu Caput ejusmodi Generalis Concilij. Et hinc conficitur, quàm indebitè Orientales, postquàm in Synodo Constantinopolitanâ Flavianum deposuerant, reclamantibus Occidentalibus, atque Concilium Generale pro eâ causâ examinandâ postulantibus, contenderint, Nectarium loco Flaviani à Constantinopolitanâ Synodo substitutum, secundùm Canones Nicænos esse manutenendum, quippe cùm isti Canones, velut *in antecedentibus* extat probatum, nullatenus exclusam unquam voluerint Concilij Oecumenici, per vicarium Christi charactere authorizati, omnibus seu Diœceseon, seu Provinciarum Synodis supereminentis ex Papâ simul quâ Capite, & totius Christiani orbis Episcoporum convocatorum, in pauciori licèt numero comparentium Hierarchico Ecclesiæ sanctæ corpore subsistentis authoritatem. Sic sic adeò Ellies suis machinationibus haudquaquam prævalere potest, quin semper supereminеat Papæ ceu Capitis Ecclesiæ, Apostolica Christi vicaria authoritas.

Nonò denique hîc occurrit S. Ioannis Chrysostomi exemplum, ex Ellesio *pag. 166.* verbis sequentibus referendum ac explicandum. Nempe sanctus hic Episcopus in Synodum ad Quercum vocatus, judicium istud recusavit, hanc præcipuè ob causam, quòd *oporteat, in quibuscunque Provinciis negotia tractari, nec adeò congruum sit, ut hi, qui in Ægypto sunt, judicent eos, qui in Thracia.* Cujus tamen, aliarumque contestationum nullâ habitâ ratione, cùm Chrysostomus judicaretur absens, ad majorem Synodum provocavit. Hinc revocatus ab Imperatore, cùm suæ ad Synodum majorem appellationi insisteret, hisce minimè attentis, ab altera Synodo fuit damnatus, eò quòd judicatus à Synodo, sinè alterius Synodi authoritate Sedem suam recepisset, post quam damnationem ejectus, cùm nihil reliquuum esse sibi videret, litteras ad Innocentium Romanum Pontificem scripsit, quibus obsecrabat, ut ab eodem Papa rescriberetur, *quòd hæc tam iniquè contra se absentem, & judicium non declinantè facta non habeant robur: sicut neque naturâ suâ habeant: illi autem, qui nec convicti fuissent redarguti, neque habiti uti rei, communione fruerentur.* Quibus ita se habentibus, concludit dictus Parisiensis Theologus, ex ijs, quæ in causa Chrysostomi gessit Innocentius, probari, *eum sibi non arrogâsse jus rescindendi judicij in eum lati, sed quòd contra Canones esset factum, ipsâque adeò naturâ suâ irritum, solummodò improbandi: quale judicium, teste Gelasio Epist. ad Faustum non solùm Apostolico Præsuli, sed cuicunque Pontifici facere licere.*

Verùm accuratiori trutinâ expendendum relinquo ipsimet Ellesio: si Episcopus à Synodo, non attentis ullis etiam de incompetentiâ Fori contestationibus, judicisque suspecti recusationibus, indebitè ac per vim depositus, provocet ad majorem Synodum, nec ab Imperatore revocatus, à sua ad majorè Synodū appellatione desistere volens, coram alterâ proinde Synodo eapropter aggregatâ damnetur, *eò quòd judicatus à Synodo, sinè alterius Synodi authoritate Sedem suam recepisset*: indéque rejectus ad Romanum Pontificem recurrat eidem supplicando, ut rescribat, quòd talia, reo etiam absente, & judicium non declinante, tam iniquè facta nullum habeant robur, sicuti ipsâ etiam naturâ vigorem non obtineant, ideoq; illi, qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum Legum subjaceant, ipse verò reus nec convictus, nec redargutus, nec habitus tanquam reus, litteris dicti Romani Pontificis declaretur innocens, ad aliorum, prout anteà fruebatur, societatem admittendus: Pontifex autem sic requisitus judicium à Synodis dicto modo latum ceu contra Canones factum, & naturâ suâ irritum improbet, an non hæc improbatio authoritatem Synodis supereminentem probet? Quomodò enim quis superiori ejusmodi potestate carens, cum aliqua efficacia (vel absque ludibrio in ipsum relapsuro) per litteras Apostolicæ etiam Cathedræ charactere præferentes, facere posset talem authenticam judiciorum à Synodis latorum, ceu sacris Canonibus repugnantium, ipsaque adeò naturâ suâ

râ suâ irritorum improbationem, jurisdictionis ac Processûs Judiciarij substantialium in prioribus judicibus, integris etiam Synodis, defectuum declaratoriam?

43. Excipit equidem Ellies̃ius, ex Gelasij *Epist. ad Faustum* sententiâ *non solùm* Præsuli Apostolico, sed cuicumque Pontifici licere talem facere improbationem judicij, contra Canones facti, ipsaque adeò naturâ suâ irriti declaratoriam.

44. At hoc discriminis est inter Apostolicum, alterúmve Præsulem, quòd hic intrà suam solummodò sphæram in ordine ad judices sibi subordinatos, ille verò contra Episcoporum etiam Synodos, suæ adeò Apostolicæ authoritati de jure subjectos tale quid facere possit. Cùm igitur in causa S. Chrysostomi status ita se habuerit, quemadmodùm *superiùs* fuerat repræsentatus, prorsus evincitur inde, Romani Pontificis super Synodis (*formaliter* saltem non Oecumenicis) quibuscunque supereminentia, ut proinde recursûs ad illum prætacto modo facti, & hinc judiciorum anteactorum, quâ cum sacris Canonibus pugnantium, & naturâ ipsâ irritorum declaratoria improbatio, in Papa præferant clarum superioris judiciariæ authoritatis, appellationumque adeò admittendarum juris argumentum.

§. III.

Expenduntur exempla Appellationum, quæ circa causas Africanorum Episcoporum proferri solent.

45. PRimò ad præsens institutum producitur causa Cælestij Pelagiani, qui in Synodo Carthaginensi anno 412. damnatus, ab Africanorum sententiâ appellavit ad Innocentium Romanum Pontificem. Quâ appellatione minimè obstante, nec exspectato Innocentij, ad quem fuit appellatum, judicio, ait Ellies̃ius *præs. pag.* 172. Africanos iterum damnâsse Cœlestium: quod argumento esse, Innocentium non admisisse appellationem Cælestij, cùm cæteroqui posterius Africanorum judicium haud comprobâsset, sed aut ipse de Cælestio sententiam tulisset, aut judices in Provincia dedisset.

46. Verùm & hoc superioris in Judice *ad quem* authoritatis argumentũ est, si appellatione ad se interpositâ, vel hanc non acceptet, vel sententiâ à priore Judice latam comprobet, permittendo etiam Judici à *quo* facultatẽ, ut sententiam à se priùs latam recenseat, & confirmet. Mortuo equidem Innocentio, ad ejus successorem recurrebat Cælestius, novum (uti Ellies̃ius fatetur) ab eo petens examen, suamque prætexendo innocentiam, non parum faventem obtinuit Epistolam, quâ citabantur Africani ad ipsum accusandum: quibus non comparentibus, graviter expostulaverat Zosimus, ut propterea Episcopi Africani in unum convenientes, Cælestij & Pelagij errores anno 417. damnaverint, & apud Zosimum conquesti fuerint, nimiam ab ipso esse fidem Cælestio adhibitam, missis ad eundem causæ actis, seu gestis cum Cælestio. Unde Pontifex ille æquior factus, postquàm Sedis Apostolicæ commendaverat authoritatem, negabat, se in omnibus Cælestio fidem accommodâsse, contestando præterea, se nihil definivisse, aut sinè maturo examine definiturum esse.

Quibus proinde, juxta ipsius etiam Ellies̃ij relationem, ita se habentibus, *an non hinc apparet prævalidum Iuris ad Sedem Apostolicam appellandi argumentum?* Maximè cùm judicij ab Africanis Episcopis lati examine per Cælestium petito, illi fuerint per Zosimum citati, & licèt non comparuerint intrà terminum præfixum, quòd scilicet Synodus, quæ Cælestium damnaverat, tam citò haud potuisset denuò convenire ad causæ statum communi voto Pontifici Papæ rescribendum: nihilominùs quia hæc ipsa Synodus, præhabito communi consilio, causæ acta, & cum Cælestio gesta miserat ad Zosimum, manifestè hinc evincitur; ab illius Provinciæ Episcopis agnitã fuisse Romani Pontificis in causis, per appellationẽ ad se delatis authoritatem judiciariam, quam ipsemet quoq; Zosimus claris verbis contestabatur, quãdo Apostolicæ Sedis authoritatem suo rescripto cõmendans, asseruit, se nihil definivisse, aut sinè maturo examine definiturum esse. Quomodò enim hoc dicere ipsi licuisset, nisi ex actis ad se transmissis meliùs informatus (ipsomet iterum Ellies̃io fatente) causæ illius definiendæ potestatem in se agnovisset? Imò quia hic Pontifex ad judicium posteà vocavit Cælestium, atque hunc adesse renuentem, ex urbe profugum prædamnavit, an non judiciariæ suæ authoritatis evidens tunc specimen dedit? 47.

Secundò. In ijs quidem, quæ deinceps *quoad appellationis jura* inter Romanos Pontifices ac Afric anos Episcopos agitabantur, ipsimet etiam nostratum temporum Neoterici, ansam præripiunt, asseverandi, Concilium Carthaginense anno 419. celebratum appellationes transmarinas ad Sedem Romanam explosisse. 48.

Verùm appellationes Episcoporum à Concilio Provinciali ad Sedem Romanam fuisse illo etiam tempore ab Ecclesia Africana ratas habitas, constat ex sancto Augustino *Epist. 162. & 261.* in quorum priori dicitur, jus fuisse Carthaginensi Episcopo ad Romanam Ecclesiam, *in quâ semper viguerit Apostolicæ Cathedræ principatus*, provocare, causamque suam ibi dicere. In posteriori autem recensentur aliquot exempla appellationum ab Episcopis Africanis ad Sedem Romanam interpositarum, & ab hac sancta Sede judicante, vel judicia primæ instantiæ (uti Augustinus *citatus* loquitur) firmante terminatarum. In qua porrò epistola hic sanctus Ecclesiæ Doctor apertis verbis defert appellationis causæ ad Sedem Romanam interpositæ. 49.

Tertiò. His prælibatis, agendum nobis est cum Ellies̃io *præs. Dissert. 2. pag.* 174. multis recensente Apiarij Presbyteri à sui Siccensis Episcopi judicio contra se lato recursum habentis ad Zosimum Romanum Pontificem. 50.

Ex quo recursu magna Africanorum, arbitrantium, Papam in recipiendo Apiario, antiquos violâsse Canones, est facta commotio, fuitque propterea aggregata magna eorundem Episcoporum Synodus, in qua Apiarius non quidem Ecclesiæ Siccensi restituebatur, honor tamen presbyterij eidem fuit servatus, gravi hinc inter Africanos & Romanum Pontificem exortâ controversiâ circa Episcoporum appellationes, & formam judicandi Clericos, pro cujus controversiæ decisione Pontificij Legati ad Synodum illam destinati *Septimum* Canonem Sardicensem sub nomine Nicæni Concilij allegabant, ubi verò iste Canon neque in suis, neque in alijs ab Alexandrino & Constantinopolitano Antistite ad suam instantiam transmissis dictæ Synodi Nicænæ exemplaribus fuisset repertus, in malam partem ab Africanis Episcopis accepta fuit ea Pontificiorum Legatorum allegatio.

51. Verùm Sardicense trecentorũ septuaginta sex ex triginta sex Provincijs universi orbis Christiani Episcoporũ Conciliũ, æquè ac Nicænum fuisse Oecumenicum ac legitimum, constat ex sancto Athanasio *in princ. Apol. 2.* Augustino *Epist. 162.* Sulpitio *lib. 2. sacræ hist.* Socrate *lib. 2. cap. 16. hist. Eccles.* ac ex actis Concilij *præsertim in fine*: nec adeò aliquis authoritatis majoris fucus fieri potuisset, etiamsi Canon à Sardicensi Concilio editus sub nomine Nicæni Concilij esset allegatus. Et verò Concilium Sardicense nullibi ponitur separatim à Concilio Nicæno, sed post illud *secundo* loco statim numeratur Constantinopolitanum. Quæ igitur hujus est ratio? nisi quia Sardicensis Synodus cum Nicæna censetur una & eadem, partim quòd utrique interfuerint ijdem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicensi Concilio constituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmârint, ejusque Canones duntaxat explicârint; partim quòd Canones utriusque Concilij, Sardicensis nimirum ac Nicæni in Romanâ Bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco convertit, quodque etiamnum adhuc Attrebati in Monasterio sancti Vedasti extat, ita conjuncti habeantur, quasi unius Concilij Canones essent, *ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.*

52. His taliter constitutis, pro *quarto* Synodus Africanorum Episcoporum Sardicensis Concilij Canonibus circa Episcoporum & Clericorum judicia disponentibus meritò detulisset non illo duntaxat intermedio tempore quo ex Alexandrino & Constantinopolitano Antistitibus exquirebantur Concilij Nicæni exemplaria, sed licèt isthæc non complectebantur *septimum*, ac reliquos in Sardicensi Concilio postmodùm sancitos Canones, isti nihilominùs, ceu ab Oecumenica Synodo compare Concilio editi, fuissent recipiendi à Patribus Africanis, quos tamen è contrario, ait Elliesius, peremptorio statuisse decreto, *non esse tolerandas Episcoporum ad Romanum Pontificem appellationes, nec Clericorum improba refugia probanda esse*; talibus in hanc sententiam litteris sub Aurelij, aliorumque Concilio Carthaginensi antehàc præsentium nomine ad Cælestinum Papam rescriptis: quòd scilicet impendiò deprecarentur, ne ad Romanam Sedem *ex Africâ venientes* faciliùs admittantur, nec ab Africanis excommunicati, à Papa excipiantur in communionem: cùm hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè adverti queat; quamvis enim de inferioribus Clericis, vel laicis videatur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluisse observari, *ne in suâ Provinciâ à communione suspensi, vel præproperè, vel indebitè videantur à Pontifice communioni restitui* Subdebatur *ibidem* deprecando eundem Cælestinum, ut Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia repellat, *quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris, sive superioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos, Metropolitanis apertissimè commiserunt, prudentissimè enim, justissimèque viderunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare.*

53. Hæc igitur sunt, in quibus præallegatus Doctor Parisiensis tantoperè gloriatur, ac si Cælestinus videns, Afros Episcopos jus suum tam constanter tueri, à proposito deterrius esset, *utpote qui non amplius fuerit conatus Apiarium restituere; nec Legatos in Africam miserit, nec appellationes Episcoporum susceperit, nec Clericos Afros ad se confugientes, restitui curaverit, nec tamen propterea ab illorum communione discesserit, sed se ab ijs victum esse, haud ægrè passus fuerit.*

54. Verùm mi Elliesi, quid sibi vult, quòd Africani Episcopi sint solummodò deprecati Cælestinum, *ne faciliùs* (non absolutè ac omnimodè) *admittat Transmarinorum ad Sedem suam recursus?* Num hi ipsi fortassis Antistites in *quintò* Nicæni Concilij Canone animadvertebant, dum in hoc extat statutum, *ne, qui abjiciuntur, seu excommunicantur, ab alijs recipiantur*; per vocem *ab alijs* (similium scilicet repetitivam) illo Decreto Nicæno non imponi legem supereminentiori Apostolicæ Sedis authoritati, sed suppari duntaxat potestati, ita ut Episcopo nefas sit, ab altero Episcopo, & à fortiori, à Synodo Provinciali excommunicatum recipere? veluti *apertè sonat sexti quoque Nicæni Canonis littera.*

55. Quid rursus sibi *quintò* vult, quòd in eâdem Aurelij Pulchri, aliorumque fortassis Africanorum Episcoporum epistolâ *expressè* dicatur, Concilij Nicæni Decretum videri equidem de Clericis Episcopo inferioribus, vel Laicis præcavere, voluisse *tamen hoc de Episcopis eatenus observari, ne in suâ Provincia suspensi, præproperè ac indebitè restituantur communioni?* Quia porrò ipsissimis verbis istis Africani Episcopi expressè fatentur

litteram

ram prædducti Nicæni Canonis non complecti Episcopos, sed Clericos hisce inferiores, attamen Decretum istud ex ejusdem Synodi mente extendendum esse etiam ad Episcopos, ne *si isti in sua Provincia fuerint à communione suspensi, præpropere vel indebitè per Romanum Pontificem communioni restituantur*, nunquid dicendum est, per hujusmodi restrictivas voculas, non tam recursus ad Romanum Pontificem interdici, quàm Concilij Nicæni insinuationem exprimi, ne sub istis recursibus per præproperum & indebitum judicium fiat transgressio limitum, ipso etiam naturæ Iure requisitorum ad judiciarij processûs substantiam?

56. Dum præterea in prætactis Africanorum Præsulum litteris supplicatur Romano Pontifici, ut repellat Presbyterorum ac subsequentium Clericorum improba refugia, tum quòd *nullâ Patrum definitione hoc derogatum sit Ecclesiæ Africanæ, tum quòd Nicæna Decreta, sive inferioris, sive superioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos apertè commiserint Metropolitanis.*

57. Num quia juxta apertam Africanorum confessionem, VI. Concilij Nicæni interdicta refugia non nisi Presbyteros ac subsequentes Clericos complectuntur, fas erat, ejusmodi interdictum ad ipsos etiam Episcopos extendere? Quo etiam posito, minimè tamen concessо, dum secunda Generalis Synodus *Can. 2.* omnem rerum Ecclesiasticarum administrationem Synodo Provinciæ juxta Concilij Nicæni Decretum, asserit commissum, num dicere fas est, hanc Synodo Provinciæ commissam administrationem *privativè ad sublimiorem etiam authoritatem* demandari, ut ne ad Oecumenicum quidem Concilium superesse possit recursus? Quod uti negabit Elliesius, ita fateri debebit, ex tali Canone non intelligi excluſum Apostolicæ authoritatis sublimius judicium.

58. Et hinc dum in ijsdem Africanorum litteris subditur, *Decreta Nicæna ipsos etiam Episcopos apertissimè committere Metropolitanis*, num dicere fas est, *hanc commissionem ad sublimioris potestatis quæcunque tribunalia recursus per ipsam etiam rei naturam gravatis concessos interdicere?* Quantumvis enim justissimè ac prudentissimè sit provisum, ut quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finiantur, ipsissimæ tamen illæ Africanæ litteræ disertis verbis asserunt, unicuique concessum esse, si judicio *Cognitorum* fuerit offensus, posse ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam Universale provocare. Quid ni ergo sit æquè concessum, ad Apostolicæ Sedis authoritatem Concilio Provinciali superiorem, & Synodo universali haud inferiorem provocare? Sicuti enim Concilium Universale non in eo statim loco, ubi negotium cœpit, celebrari potest, sic perinde, ac in causâ Cælestij faciebat Africanæ Provinciæ Synodus, ad Romanum Pontificem mitti poterant acta, per quæ integer causæ status valeat dijudicari. Nullum ergo illis Africanorum Episcoporum litteris solidioris rationis argumentum adduci potest, per quod Episcoporum ad Romanam Sedem appellationes expugnentur.

59. Sed pro *sexto* pergit Elliesius, Africanos Episcopos rogâsse Pontificem, *ne fumosum sæculi typum in Ecclesiam inducat, mittendo executores Clericos.*

60. At quis sit iste mundi fumosus typus, constat ex S. Augustini *Epist. 161.* Nempe cùm Autonius Fussatensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellâsset, causamque suam ibi egisset, rumor sparsus fuerat, de ipso per publicam militaris manûs à Pontifice submittendæ potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumosum (ut Concilium Carthaginense ad Cælestinum Papam scripsit) sive tanquam violentum (uti Augustinus *citatus* scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ex hoc ipso clarè constat, jus appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicebat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

61. Ad præsens intentum nostrum *ulteriùs* firmandum, pro *septimo* faciunt antiquissima appellationum ad Romanum Pontificem exempla, quorum *in præcitatâ Divi Augustini Epistolâ* fit rememoratio. *Existunt* (inquit hic sanctæ Ecclesiæ Doctor) *exempla, ipsâ Sede Apostolica judicante, vel aliorum exempla firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos, quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsariensis, & clamet alius ejusdem Provinciæ Victor, & clamet tertius ejusdem Provinciæ Laurentius &c.*

62. Sed hoc Divi Augustini tam disertum testimonium elidere nititur Elliesius *præf. pag.* 184. dicendo, hæc oratorio more, & ad captâdam Cælestini gratiam, fuisse scripta, quam ob causam Augustinum minimè cõmemorare antiqua exempla, sed tantùm recentia, quæ nihil sibi obsint, cùm eo contigerint tempore, quo fiebat conquisitio Græcorum exemplarium Nicæni Concilij, ad videndum, an Canon à Legatis Pontificijs allegatus, verè sancitus esset à dictâ Nicænâ Synodo.

63. Verùm idem Elliesius meminisse hîc debuerat, quod *pag. 178.* scripserat, non diu, post illam condictionem, (quâ Africani promiserant, se appellationibus ad Romanam Sedem delaturos, usque dum ex Græciâ afferrentur Nicæni Concilij exemplaria) nempe eodem adhuc anno à Græcis Antistitibus fuisse in Africam transmissa illa exemplaria. Quomodò igitur dicere fas fuit, intrà tam breve intervallum contigisse universa illa recentia appellationum à Divo Augustino ad suum de Fussatensi Episcopo judicium firmandum recensita exempla? Quod verò de isthoc sanctæ Ecclesiæ Doctore dictum fuit, ac si oratorio tantùm more, ad captandam Cælestini gratiam, locutus fuisset in rememorandis antiquis appellationum ad Sedem Romanam exemplis, videtur exceptio hæc prorsus indigna Doctore Theologiæ Parisiensis Facultatis.

§. IV.

Nonnulla tum Gallicanorum, tum aliorum Occidentis, imò & Orientis Episcoporum exempla examinantur.

64. PRimò. Ad authoritatis Apostolicæ circa Episcopos etiam Gallicanos judicia ab exemplis comprobanda allegatur, quòd Zosimus Pontifex causæ Proculi Massilienſis cognitionem ad se traxerit, ac de Episcopatu dejiciendum judicaverit ad instantiam Patrocli Arelatensis. At Ellieſius *præsent. Dissert. 2. pag. 200.* excipit, tum quòd per istud primæ circa Episcopi causam cognitionis exemplum, noscatur Zosimus, violâsse Sardicensis Concilij sanctiones: tum quòd nec Proculus, nec Episcopi Gallicani paruerint sententiæ Pontificis, sed ille retinuerit suam Sedem, hi verò causam ejus probaverint, veluti probet Quenellius *Dissert. 5. apologet. pro S. Hilario.*

65. Verùm *in antecedentibus* demonstravimus, dum Concilium Sardicense primam causæ Episcoporum cognitionem tribuit cujusque Provinciæ Synodo, non posse hoc intelligi *privativè* ad supereminentem, præcipuè Apostolicæ Sedis, aut Concilij Oecumenici authoritatem. Esto verò Proculum ad Romani Pontificis tribunal, quò vocabatur, non accessisse, prout Ellieſius *ex epistolâ Zosimi ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis* probare contendit: num illhæc Proculi contumacia elidere poterit authoritatem Apostolicam *super quocunque in Regnum Cœlorum ordinabili*, forum quoque externum attinente, *morali*, omniquè adeò fori Ecclesiastici causâ vi juris Divini protensam? Et hinc, si verum esset, quod is Parisiensis Doctor iteratò reposuit, ac si Episcopi Gallicani depositionem Proculi à Zosimo factam non habuerint ratam, noscerentur hinc, in ipsam à Christo constitutam, & Petri successori destinatam authoritatem Apostolicam impegisse: quanquàm hanc notam immeritò ipsis inurat Quenellius, asseverando, quos Zosimus *in epistolâ ad Massilienses* vocat inquietæ mentis homines, Proculi damnati fautores fuisse (indifferenter) Gallicanos Episcopos, non attentâ etiam eâ turpitudine, de quâ postmodùm etiam Cælestinus Papa *in epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis* eit conquestus, quòd scilicet consensisset in necem fratris sui à Tribuno quodam Barbaro factam ad jussionem occultam; uti Prosper scribat.

66. *Secundò.* Ipsomet Ellieſio *pag. 203.* fatente, Valentinos Clericos rectà Romanum Pontificem adiisse, & suum Episcopum apud illum accusâsse; quamvis causa semper fuerit à Pontificibus remissa ad Synodum Provinciæ. Excipit equidem is Parisiensis Theologus, tum quòd ille ad Romanam Sedem recursus factus sit *ex occasione contentionis inter Episcopos Narbonensis Provinciæ tunc vigentis*: attamen hoc ipsum probat, Valentini Cleri de Romanæ Sedis authoritate cunctis Narbonensis Provinciæ Episcopis supereminente sensum.

67. *Tum quòd illa ad Synodum Provinciæ remissio non fuerit à Pontifice facta per modum delegationis.* At nunquid causæ à superiori Tribunali ad inferiores remissio, hoc ipso denotat illius authoritatem huic supereminentem, si præcipuè fiat per modum Decreti, quemadmodùm fecerat, *Decrevimus*, inquiens, *vestram debere intrà Provinciam esse judicium.*

Instituto præsenti satis infervit protestio causa inter Celidonium & Hilarium Arelatensem à Romano Pontifice discussa & judicata, cujus summaria ex Ellieſio *pag. 204.* desumpta relatio ita se habet: Nempe Hilarius Arelatensis Metropolita Ecclesias Viennensis Provinciæ sibi subditas prætendens, indictâ Episcoporum Synodo, Celidonium ejus Provinciæ Episcopum varijs ex causis Episcopatu dejecit.

Celidonius igitur in Synodo damnatus, ad Leonem Pontificem contendit, ibiéque conquestus est, se injusto rigore damnatum; quem Romam usque secutus Hilarius talem exposuit querelam, quòd nempe *aliqui apud Gallias publicam meritò excipientes sententiam, in urbe sacris altaribus interessent*: Prætereà insinuando, *se ad officia, non ad causam venisse, protestandi, non accusandi, actúque suggerendi ordine.* Cujusmodi tamen protestatione non attentâ, Leo absolvit Celidonium, ac restituit, talem ferendo, ac litteris ad Gallos Episcopos insinuando sententiam, per quam tum Celidonius fuit absolutus, quoniam præsente etiam Hilario manifestâ testium responsione monstraverat, se injustè fuisse Sacerdotio dejectum: tum Hilarius fuit Provinciæ Viennensis, quam malè usurpaverat, potestate privatus, factâ eidem inhibitione, *ne ulteriùs audeat Conventus indicere Synodales, & Sanctorum Domini judicia turbare.* Hæc igitur per ipsum met Ellieſij calamum recensita Leonis Papæ acta manifestissimum præferunt exemplum Apostolicæ super Episcoporum causis authoritatis: de qua idem Pontifex *in prænotatâ epistolâ* ulteriora proferens argumenta; *Nobiscum* (scribebat ad Gallicanos Antistites) *vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentiâ, à vestræ Provinciæ Sacerdotibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodùm vetus consuetudo poscebat, appellationum causarum, aut retractata, aut confirmata esse judicia.*

Unde quas Leo consultationes ac relationes tam apertè distinguit ab appellationibus, immeritò eas confundendo Ellieſius *præs. pag. 205.* non nisi per manifestam injuriam Leoni impingit isthanc confusionem, eâ etiam ex parte graviter redarguendus, quòd *pag. 205. post medium* sanctum Leonem coarguat, acsi in causa Celidonij multis modis peccâsset in Canones Sardicenses, cujusmodi tamen redargutiones facilè evanescunt, temeritatisque evincuntur ex his, quæ circa illos Canones *in antecedentibus* multifariam sunt à nobis deducta.

Quartò. Ellieſius *pag. 210.* affirmat insuper, sub Innocentij Pontificatu Bubalium & Taurianum damnatos in Illyrico, ad Pontificem hunc confugisse, & licet causâ illorum ab eo retra-

retractatâ, iterum fuerint damnati, ægrè tamen istud Innocentij factum tulisse Illyricos, ac per litteras bis apud ipsum conquestos esse; quibus proinde querimonijs, ut satisfaceret Innocentius, non specialem Sedis suæ prærogativam, nec Sardicenses Canones in medium protulisse, sed dicere tantùm, grave videri non debere Episcopis, si judicium suum ab alijs retractetur, cùm veritas inde magis eluceſcat. Ex quo equidem Pontificis responso is Theologus Parisiensis enervare nititur appellationum, & in causis Ecclesiasticis judiciorum jura Pontificia. Quia tamen ipsissimum illud Innocentij responsum inculenter supponit authoritatem retractandi judicia ab alicujus Provinciæ Episcopis lata, nequit nisi per summam ineptiam exinde impugnari tale jus Pontificium, quod usus & praxis tam manifestè præfefert.

71. Hîc superaddi possent appellationum ex Illyrico exempla, desumpta ex epistolis Pontificum, recitatis in actis Concilij Romani sub Bonifacio II. Anno 431. Quibus tamen supersedeo, partim quia Ellies̃ius, nullo licèt solido fundamento nixus, ait, ea utpote ex Bibliothecæ Barbarinæ Manuscripto novissimè edita, in dubium à nonnullis vocari: nolo autem in ijs, quæ meri *facti* sunt, contentionem aliquam hîc inire: partim quia dum ille ipse Theologus ea exempla referendo, ac enervare conando, talia præbet Apostolicæ in Papâ Synodis Provincialibus supereminentis authoritatis argumenta, Imperatorijs etiam rescriptis illi adstipulantibus, ut, quod refutationis loco assumit, apertam nostræ causæ probationem facere, ipsemet Ellesianæ *præsentis paginæ 210. usque ad 213.* Lector facilè
72. animadvertere possit.

Quintò. Ab Occidente in Orientem regredienti occurrunt mihi causæ Eutychis, Theodori, ac Flaviani. Etenim Eutyches (ut Ellesij sumarijs verbis solummodò utar) cùm in Synodo Constantinopolitanâ damnatus esset à Flaviano, quasi cum Apollinari sentiens, ad sententiam in se latam devitandam (secretò licèt) appellavit ad Concilium Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, & Thessalonicensis Episcopi. Ubi verò Eutyches viderat, nullam suæ appellationis haberi rationem, querimoniæ de communione sibi ademptâ libellum misit ad Leonem. Quo libello querimoniæ accepto, Leo ad Flavianum & Theodosium *epist. 20. & 21.* scripsit, conquerendo, quòd Flavianus nihil ad se retulisset de judicio in Eutychen lato, nec ullam appellationis ejus habuerit rationem, petijtque, ut de criminibus Eutychi objectis instruatur, ad finem judicandi de cognitis. Hinc Flavianus Leoni rescripsit, Eutychen ob Valentini & Appollinaris errores fuisse damnatum, ipsaque in eum acta transmisit, ut Leo *hoc cognoscens, illius impietatem omnibus Episcopis* manifestaret, atque per suas litteras hæresin, quæ surrexerat, in tantum destrueret, ne opus esset Concilio, quod divulgabatur indicendum. At Leo Synodum haud inutilem fore arbitratus, scripsit ad Imperatorem de eâ intrâ Italiam convocandâ: quamquam Imperator jam priùs, quàm eas Leonis litteras acceperat, Synodũ indixerit.

Quibus juxta Ellesij relationem taliter 73.
constitutis, supposito inprimis, quòd Flavianus appellationem Eutychis, utpote secretò, absque debitâ proinde Juris formâ factam vel ignorârit, vel non attenderit, liquet tamen ex actis, Eutychen post primæ suæ appellationis suppressionem ad solum Romanum Pontificem provocâsse, sanctumque Leonem, ubi appellationis ad se factæ nulla habebatur ratio, eâ cum efficaciâ fuisse conquestum Flaviano, ut hic etiam acta transmiserit, hæresisque surgentis reprimendæ præpotens patrocinium quæsierit ex Apostolicâ illius authoritate in tantum prævalturâ, ut Concilij indictio non videretur ulteriùs necessaria. An non igitur clara hinc elucent argumenta Apostolicæ in Papâ authoritatis Concilio illo Constantinopolitano, à quo Eutyches fuerat damnatus, in tantum supereminentis, ut Flavianus transmitteret judicij acta, Leonisque cognitioni causam committens, hæresis repressionem ex ejus quæreret Apostolicis litteris? Nec obstat, quòd S. Leo præelegerit Concilij Oecumenici convocationem, tum quia istius quoque authoritas subsistere debebat ex Vicario Christi, proprio Papæ charactere: tum quia turbarum juxta Flaviani litteras non modicè jam prævalentium ratio, ipsomet etiam Imperatore ad Eutychetis partes aliqualiter inclinato, efficacius exposcebat remedium ex Concilio Oecumenico substituturum sub Capitis Christum *Vicariè* repræsentantis, unâ & Hierarchici Ecclesiæ Corporis auctoritativo consensu.

Sextò Flavianus postea in Synodo E- 74.
phesinâ, quæ latrociniũ dicitur ob Dioscori & Eutychetis fautorũ violentias, cùm esset injustè damnatus, ubi sententiam in se à Dioscoro pronuntiatam audiverat, fertur juxta Ellesij *pag. 218.* relationem, dixisse, *recuso te.* Cujus tamen recusationis nullâ habitâ ratione, cùm nihil reliquum sibi videret, libellum appellationis dedisse Legatis; *veluti ipsemet Leo testetur.* Ex cujus insuper *epistolis 41. 42. & 45.* liquet, quòd *Leo admiserit appellationem Flaviani, ipsumque revestierit Episcopatu, firmáritq; in Episcopali ad omnes Ecclesias communione, atque illius appellationi dederit effectum suspensivum.* Quantumvis ergo Ellesius nitatur, hæc enervare dicendo, Leonem non speciale tulisse judicium, sed quæ per vim & contra jus erant gesta, poposcerit à Theodosio *epist. 4. ut omnia in eo statu esse juberet, in quo fuerant ante omne judicium.* Nihilominùs illius Ellesianæ exceptionis infirmitas vel cæco extat manifesta. Quomodò enim, nisi Apostolica in Leone potestas præmineret, Flavianum Episcopatu revestire, eumque in Episcopali ad omnes Ecclesias communione firmare valuisset: judicij quoque sui de cunctis in statum pristinum, in quo fuerant ante Ephesinum latrocinium, restituendis, executionem præpotentem efflagitando ab ipsius etiam Theodosij sæculari brachio?

Septimò

Septimò. Theodoretus Episcopus Cypri in Synodo Ephesinâ Dioscori pariter damnatus *juxta relationem* Ellies. *à pag. 223.* ad Leonem Pontificem scribebat in hæc verba: *Ante omnia rogo, ut sciam à vobis, an injustæ huic depositioni oporteat acquiescere, an non, vestram enim exspecto sententiam, ut si judicatis, me stare debere assertis, stabo.* An non igitur Theodoretus hinc noscitur efflagitâsse Romani Pontificis sententiam super judicatis à Concilio Ephesini latrocinij?

76. In hunc planè scopum collimat, quod *in Epistolâ eiusdem Theodoreti eodem tempore ad Renatum Romanum* scriptâ habetur sub hisce verbis. *Hâc igitur de causâ tuam oro Sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo, ut apostolicâ utatur authoritate, & præcipiat ad vestrum convocare Concilium.* Quæ profectò nimis remota sunt à Gloss. Ellies. hæc & alia Theodoreti verba, quibus petebat, ut *sublimitas Apostolicæ authoritatis rectè institutis finem imponat*, in tantum contorquentis, ac si is Episcopus à Leone consilium duntaxat & opem implorâsset, petendo intereà ab Imperatoribus, ut in Concilio Occidentalium judicaretur. Numquid enim istud Occidentalium Concilium absq; Apostolicæ Pontificiæ authoritatis charactere subsistere, ac prævalere potuisset Orientaliũ Ephesino Concilio? Subjungere hîc liceret, quæ Ellies. refert ex manuscripto Codice Cardinalis Casanatæ, quia tamen quoad plures *facti* circumstantias, oporteret, cum dicto Theologo contendere, quod à meo intento alienum *superiùs* dicebam: idcircò ea exempla impræsentiarum prætermitto.

77. *Octavò.* Ioannes Talaia Patriarcha Alexandrinus per Petrum Mongum, consentiente Acacio Constantinopolitano, Episcopatu deturbatus, acceptis à Calendione Antiocheno intercessionis litteris, appellavit ad Romanum Pontificem Simplicium, cujus successor Clemens per Legatos petijt ab Imperatore, ut Petrus Mongus propterea exturbaretur, & Acacius Romam mitteretur, ad dicendam causam citandus, ni sponte vellet eò proficisci. Illi verò Legati, quia isthoc mandatum non fuerant executi, sed cum Acacio communicaverant, atque Petri nomen in Dypticis publicè recitari permiserant, à communione suspensi sunt à Romanâ Synodo tunc celebratâ, fuitque excommunicationis sententia lata in Acacium, quæ tamen in Oriente effectum non sortiebatur.

78. Ex quibus infert Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus, in causis Fidei ad Romanum Episcopum appellari posse etiam ab Orientis Synodis. At Ellesius *præs. pag. 229.* excipit adversùs illam Petri de Marca illationem, tum quòd nullum in Ioannem Alexandrinum fuerit latum judicium, à quo appellare potuisset: unde quando Liberatus dicit, eum appellâsse, impropriè id accipiendum esse, quatenus ab injustâ sui vexatione confugit ad Sedem Apostolicam pro ope implorandâ. Et licèt Pontifex Romanus Ioannis restituendi & Acacij ad causam dicendam evocandi jus, secundùm Canones Sardicenses sibi vindicârit, minimè tamen ex hoc probari, Orientales jus istud detulisse Pontifici. Tum quòd non solus Papa, sed in Synodo Occidentalium judicaverit, Talaiæ causam, quæ ex utriusque partis consensu devolvebatur, teste Gelasio *in epist. 13.* asseverante, *Acacium & Imperatorem promisisse Legatis, eam causam Sedi Apostolicæ esse reservandam.*

Verùm mi Ellesi, vel hinc advertere debuisses, quanta authoritatis Apostolicæ in Papâ fuerit ab Imperatore & Acacio habita ratio, ut promitterent, causam illam Sedi Apostolicæ reservandam esse. Nunquid ergo Acacius huic suæ promissioni defuit, dum unà cum alijs Orientalibus causam illam secundùm Sardicenses Canones à Pontifice Romano judicatam, non probavit? Num ergo Orientalium quorundam contumacia in reprobando illo Pontificis judicio, ab Ellesio justè allegatur ad extenuandam Papæ authoritatem, à Sardicensi etiam Concilio non ex proprio Patrum cerebro, sed ex sacri (uti aliàs probatum est) Evangelij Oraculis Divinis agnitam? Sed quâ fronte prætactus Parisiensis Theologus negat, Nestorij causam confirmare Marcæ Archiepiscopi Parisensis *superiùs* adductam sententiam, eò quòd Cælestinus Papa non ad se traxerit primam causæ Nestorij cognitionem, sed quòd ipse Nestorius & Cyrillus causam hanc detulerint ad Cælestinum? Ex quo namque alio fundamento Cyrillus, unà cum Nestorio, censuit, eam causam esse deferendam ad Romanum Pontificem, nisi quòd scirent, in hoc supereminere Apostolicam super fidei causis dijudicandis authoritatem? Nec obest, Cælestinum in Synodo Romæ tunc celebratâ, fecisse ejus causæ discussionem, cùm neque istius authoritas subsistere valuisset absque vicario Christi charactere Papæ proprio. De reliquo ipsum Lectorem requiro, ut cæteras Ellesij adversùs alia nonnulla exempla exceptiones, brevitatis causâ hîc omissas pervolvat, ipse namque in ejusmodi Ellesianis oppositionibus reperiet insignia Pontificiæ supereminentis authoritatis argumenta.

Nonò denique *præs. Dissert. 2. §. ultimo* sponte fatetur Ellesius, *in Occidente post quintum sæculum appellationum ad Romanos Pontifices usum invaluisse: quamvis nonnulli extent appellationum eiusmodi vel rejectarum, vel non in multo pretio habitarum exempla.* Numquid verò ille usus prævalere potuisset, nisi ex solidioribus fundamentis agnita fuisset Sedis Apostolicæ supereminens authoritas? Numquid vel rejectio, vel improbatio appellationum in judice *ad quem* supponit potestatem authoritativam, vel reprobandi, vel recipiendi, justitiâ ita exigente, appellationes ad se delatas? uti factum esse in Pauli Archiepiscopi Cretensis appellatione, testatur dictus Parisiensis Theologus, Romano Pontifice judicante, esse inconvenientem. Num juri authoritatis Apostolicæ derogare valuit, quam refert Ellesius quorundam Gallorum protervia,

dum Contumeliosus Rejensis à Cæsarij Arelatensis sententiâ provocans ad Pontificem, appellatione pendente, fuit spoliatus Episcopatu, ipso tamen Romano Pontifice Agapeto hoc præjudicium reprobante? Num pariter juri Pontificio derogare potuit, quòd Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapincensis in Concilio Lugdunensi Anno 567. dejecti, cum bonâ etiam Regis venià Romam appellantes, nullo Episcoporum Gallicanorum, qui reos accusaret, comparente, Joannis III. literis, Regisque per has implorato brachio restituti, minùs grati fuerint nonnullis Gallicanis Præsulibus, Victorem Episcopum eorum antehac accusatorem, quòd in gratiam & communionem cum ipsis redijsset, propterea suspendentibus a communione? Num ex hoc, quòd aliqui Episcopi in Synodis Gallicanis dejecti non provocârint ad Sedem Apostolicam, hujus capropter supereminenti authoritati præjudicium fieri potuit? Num ex eo, quòd nonnulli quandoque Episcopi Gallicani nullam appellationum ad Romanos Pontifices habuerint rationem, inferre fas est, juris ejusmodi in Apostolicâ Sede nullitatem?

EPILOGUS.

81. QUæ Ellies*ius in præf. Dissertat. 2. Epilogo* reassumit, cùm pateant sufficienter jam discussa *ex anterioribus*, superfluum duximus, impræsentiarum ijs immorari. Unum tamen discussione dignissimum hîc occurrit, quod idem Theologus *pag. 239. n. 5.* statuit principium, in hæc differens verba: Cùm omnes Episcopi unum ac solidum habeant Episcopatum, ad singulos eorum spectat, laboranti Ecclesiæ in gravi necessitate succurrere in quavis mundi parte. Tunc enim omnes Episcopi sunt quodammodò fidei, & Canonum vindices, quando vident, periculum esse, ne aut fides detrimentum capiat, aut leges Ecclesiasticæ violentur, nec debent stare segnes & otiosi, sed omnibus modis laborare eos oportet, ut fides in tuto sit, utque Canones observentur. Hujus sententiæ author est Cyprianus, qui multis in occasionibus eam secutus est.

82. Addit deinde, Romanam Ecclesiam minimè notam invidiâ fuisse, quòd alij Episcopi Ecclesijs omnibus invigilarent, imò eos ad id faciendum invitâsse. Docet id Clerus Romanus scribens ad Cyprianum de Privato Lambesitano: *Omnes enim*, inquit, *nos decet, pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare.* Et Cælestinus *in Epistola ad Synodum Ephesinam*: *Hæc ad omnes*, inquit, *in communi Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit, hæreditario in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicunque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur, ite, docete omnes gentes, advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, & omnes id nos agere voluit, quibus in commune mandavit officium, necesse est, ut competenter nostros sequamur authores.*

83. Concludit denique. Tametsi ad omnes Episcopos totius Ecclesiæ cura quodammodò pertineat, omnesque teneantur laboranti Ecclesiæ succurrere; agnoscendum tamen esse, id præstanti quadam ratione primæ Sedis Episcopo competere. Nam si in qualibet societate, qui in eâ Princeps est, maximè tenetur invigilare, ne quid illa detrimenti capiat. Quis æquus rerum arbiter negare possit, quin præ cæteris ad Romanum Episcopum, qui Primæ ac Maximæ sedi præest, pertineat, in illud sedulò incumbere, ut ab omnibus omninò Christianis fides illibata custodiatur, utque Canones ubique observentur. Hoc sensu intelligendum videtur illud Gregorij, *cunctos Christianes, ubi peccant, Sedis Apostolicæ correctioni subjectos esse* Hoc ego Romani Episcopi privilegium non secùs ac ejus Primatum constanter tenco, & si quid adversùs illud mihi in istis dissertationibus exciderit, quod tamen factum esse, non arbitror, illud pro dicto haberi nolo, & si quis ostenderit, paratus sum emendare.

84. Huic triplici Ellesianæ assertioni ex Pallavicino *lib. 6. historiæ Concil. Tridentini cap. 3.* repono inprimis Ecclesiæ faciem à perfido Suavi Polano confictam. *Hierosolymitanæ Synodi exemplo*, inquiuntis, *Episcopi subsecuti existimabant, cunctas Christianorum Ecclesias unam esse, Episcopos verò ita pariter in unum coalescere, ut ex eo quilibet unam partem obtineret, non veluti propriam, sed ut omnes totum regerent, singulis tamen magis in eâ regendâ occupatis peculiariter suæ curæ demandatâ, sicuti sanctus Cyprianus in aureo libello* de unitate Ecclesiæ *demonstrat.*

85. Adversùs quod proinde commentum Suavianum, Cardinalis *præcitatus* pro *secundo* ita progreditur. Hic homo, si verba faceret apud Sinas, nostrarum rerum ignaros, posset facilè sibi fidem invenire; & fortasse inveniret apud nonnullum, qui alicujus politicæ calliditatis peritus, simulque expers conditionis Ecclesiasticæ, legerit Suavis historiam, impulsus rerum politicarum aviditate; sed ex Ecclesiasticis eas, tamquam indubitatas recipiat, quas ibi cernet enarratas ceu manifestas. Quamquam verius quicunque rerum civilium prudens æstimator numquam putabit, posse re ipsâ constitui hujusmodi Rempublicam ex Platonicis formis, ut sic loquar, exsectam; & hanc non in unica tantùm civitate, uti Plato constituit ipsius individuum dominatum, sed in totius Ecclesiæ amplitudine. De cætero, volebat etiam ille Philosophus, uti peculiares curæ inter varios administratores, possessores ac magistratus partirentur, ut fusiùs explicat *in decem suis de Republica libris.* Et tamen hujusmodi Respublica perspicuis planè rationibus refellitur ab Aristotele, qui alioquin in politicis disciplinis magistrum sæpe laudat, ac sequitur. Multò magis eadem ab experientia refellitur, cùm exploratum sit, in tantâ gubernationum varietate, sive rectè, sive perperàm instituta fuerit, numquam videri usurpatum id, quod à tam insigni Philosopho

non modò commendatum legitur, sed planè delineatum. Ad rem accedamus. Quid, quæso, agebatur, cùm alicui peculiari Diœcesi deerat Episcopalis muneris administrator? Num opus erat, extemplò reliquos Episcopos convocare ex cunctis terrarum Orbis provincijs, qui successorem sufficerent? At hoc perinde fuisset, ac ad itinera perpetua Præsules cogere, desertis sibi commissis Ecclesijs. An id muneris in priùs occupantem deveniebat, sive idoneum, sive ineptum? At quæ forma regiminis magis deformis, magisque fortuita?

86. Perge pro *tertio*: Si tota jurisdictio in unoquoque sita erat, unicuique igitur licebat, quocunque mallet, pergere, & ovilis alieni Pastorem agere, doctrinas tradere, controversias dijudicare, & moderari subditorum animos pro arbitratu. Animadvertit ex se quisque, designatum in his pauculis verbis turbarum chaos, ad quas evitandas, unaquæque Respublica varias causarum rationes distribuit varijs Magistratibus, varias oppidorum classes varijs moderatoribus, varias militum legiones varijs Ducibus, numquam admissâ ea potestate singulorum in totum, ut proinde, ubi discordia inter illos contingeret, ignorarent subditi, cuinam jure obtemperandum.

87. At *quarto* obtrudit Suavis Charitatis fervorem in Ecclesia primæva cuncta dissidia longè removentem. Benè est. Hinc igitur idem concedat, cùm Deus voluerit ad posteriora tempora divinitus deducere hanc excellentiam charitatis, consensionisque, supra modum conditionis humanæ, noluisse pariter eam formam Episcopatûs indistincti protrahere: adeoque per consecutionem fateatur, Episcopatuum distinctionem esse de jure *Divino*: cùm certè Christus haud præscripserit Ecclesiæ suæ regimen pro eo solùm brevi statu, naturæ vim superante, sed pro alio naturæ consentaneo, longè, si numerentur sæcula, diuturniore; si cultores, ampliore. Hæc ad confutationem satis; sed non satis ad veritatem. Eam individuam concordiam, & exquisitam sanctimoniam priorum fidelium liceret quidem Suavi aniculis persuadere, non item Latinæ linguæ tantum scienti, quantum sacris Ordinibus suscipiendis sufficit. S. Pauli Epistolæ clarâ voce invehuntur in enormissima scelera, & inter reliqua, in schismata, seditionesque, per ea Reipublicæ Christianæ primordia. Cujus certa testimonia voluit Deus in Scripturis à se dictatis nobis relinquere, ne censores sui temporis, ac veteris laudatores, opinionem insinuent, quâ credatur vera Jesu Christi Sponsa, non esse Ecclesia membris tam deformatis compacta, quam ea, quæ in Catholico corpore deprehenditur. Quòd si hæc nascenti Ecclesiæ evenêre, quid jam dicendum de subsecutis temporibus usque ad ætatem S. Cypriani, qui de Suavis sententiâ nos edocet, tamquam etiam tum perseverantem eam individuam Episcoporum jurisdictionem? Numquid ille non deflet in eodem aureo libello lamentaria eorum dissidia, qui Ecclesiam administrabant? Nónne scatent historiæ Ecclesiasticæ dissensionibus nocentis exempli vel inter Christi Athletas, qui in dies singulos carnificinam sui corporis in vinculis præstolabantur?

Hæ profectò rationes (pro *quinto*) argumentatione convincente conficiunt, hujusmodi regimen Ecclesiasticum, cujusmodi nobis objectat tamquam pro certo ponendum Suavis, & nititur fusè persuadere Salmasius, illi & arrogantiâ & ignorantiâ par, monstrum esse ex partibus insociabilibus confectum: sed cùm commune sit adagium, ad evincendam litem plus valere drachmam unam facti, quàm multas libras juris, operæpretium est, probatis etiam testibus ostendere, quod hi affirmant, vanum esse commentum. Hic non vacat pro eo ac fit in judiciorum quæstionibus, plures producere; unus satis mihi sit antiquissimus inter Patres, qui aliquem ex Apostolorum discipulis novit, sanctus, inquam, Irenæus. Hic eos redarguens, qui docebant adversùs, quàm habetur ex traditione Apostolicâ, in Ecclesijs, quibus Episcopos primò constituerunt Apostoli, & alij postea illis suffecti, serie haud interruptâ, sic scribit: *Sed quoniam valde longum est, hoc volumine omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes.* Mox refert, à duobus Apostolis fuisse traditam Romanæ Ecclesiæ administrationem Lino & Anacleto, vel Cleto, ut alij legant, quos ambos dubium pariter est, an intelligat Irenæus, fuisse à Petro & Paulo electos, ut futuros Romani Pontificis successores, ubi Sedes vacâsset; an uti functionum curatores, dum ipsi abessent. Postea enumerat Clementem ac deinceps alium ex alio, ad suam usque ætatem; atque hujusmodi monumenta dicit, servari in aliarum Ecclesiarum tabularijs, nominatim verò in Smirnensi, ubi Polycarpus sibi notus, fuit impositus à S. Joanne. Idem affirmat Tertullianus, non admodùm Irenæo posterior *in libro de præscriptionibus*. Idem pro certo posuit S. Augustinus *Epistolâ* 165. & *cap. 40. in Epistolam Fundamenti*. Idem cuncti reliqui Patres, quos adversùs Salmasium eruditè congessit Dionysius Petavius *lib. 1 de Hierarchia Ecclesiastica*.

88. Pro *sexto* equidem Suavis ad suum intentum contorquet testimonium S. Cypriani in laudato libello, quem ipse meritò *aureum* appellat, *de Unitate Ecclesiæ*. Equidem miror Suavis confidentiam, audentis ante oculos ponere aurum illud, cui collatum, statim spurium deprehenditur, quicquid conflat ipsius fornacula. Libellus ille, quantus est, totus est in comprobanda unitate Fidei apud Ecclesiam, arguendisque sceleratis ac perditis eorum animis, qui ab hac unitate secedunt. *Hinc*, ait, *hæreses & factiæ sunt frequenter ortæ, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discor-*

discordans unitatem non tenet. Et paulò pòst: *Unitatem simul ac dilectionem magisterio sui docet, Prophetas omnes, & Legem præceptis duobus includit. Quam verò unitatem servat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, Fidem destruit, pacem turbat?* Panegyrimne, an potiùs diras hæc verba conficiunt in Lutherum, qui planè heros est Suavianæ epopejæ, hoc est, fictæ narrationis?

90. Sed his omissis, pro *septimo* accedamus ad id, de quo nunc agitur. Quidnam affimat *ibi* S. Cyprianus? Ecclesiam unum existere Episcopatum, & singulis Episcopis esse *in solidum* partem in toto. Quis hoc inficiatur? Inficiantur hæretici, quippe sacræ Monarchiæ oppugnatores; non verò Pontifex, qui idcircò consuevit, se nuncupare *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*; adeoque universam Ecclesiam tamquam unum Episcopatum agnoscit. Quid hinc Suavis contendit deducere? In hoc universali Episcopatu non inesse plures peculiares Episcopatus? Ridicula planè deductio. Quis umquam, eò quòd exercitus unus sit, & unus omnium Imperator, quodque pro se quisque ex ducibus in solidum partem obtinet in communis boni, omniumque victoriæ procuratione, argumentatus est, equitum magistro in pedites esse potestatem, vel in equites peditum præfecto? Eodem pacto de eo, qui tormentis præest, vel cataphractos ducit? Vnum etiam Episcopatum esse in Ecclesia universa, alio modo significamus; ratione videlicet Ordinis, quo Episcopus redditur idoneus ad illius gradûs ministeria in quascunque Orbis partes, & in quemtumque exercenda, si legitimè illis admoveatur. Ita facultas legum Civilium interpretandarum unica pariter est, & cuicumque illâ instructo licet, earum magistrum ac interpretem agere in quacumque exedra & Academia; non tamen ita, ut jure suo possit in quavis exedra, vel in quavis Academia docere. Similiter inter Cassinenses Monachos unica est Abbatis dignitas, per quam is aptus evadit, ut in quocunque Monasterio præsit; & ex illius vi huic modò, modò alij præest: hinc tamè haud fit, ne unius Monasterij Abbas distinctam obtineat jurisdictionem ab ea, quam alterius Monasterij Abbas obtinet, eique liceat, sese immittere in cujuscumque Monasterij administrationem, nisi ab ipso Ordine illi peculiariter demandatam.

91. Pro *octavo* audiamus insuper Cyprianum dicentem, cunctos Apostolos accepisse à Christo æqualem potestatem promulgandi Evangelij, postquam redivivus eorum missionem habuit. Sed hoc pariter haud negatur: quin affirmatur communiter à Catholicis scriptoribus, atque ab ijsdem censetur uti necessaria conditio Apostolorum muneri, prout illud reliquis inferioribus eminet. Verùm in hoc duo declaranda: *primum* est, eam universalem potestatem in solo Petro fuisse ordinatam, ejusque muneri affixam; in reliquis Apostolis nec ordinariam, nec per manus ad successores traducendam, sed delegatam, atque ipsis peculiari nomine attributam. Etenim Apostoli, Divinæ gratiæ præsidio in amicitia cum Deo confirmati, & copiosis supra naturam viribus communiti, nulli discordiæ periculo subdebantur: cui cùm posteriores Antistites ex humana imbecillitate obnoxij futuri essent, nequaquam expediebat, ut indistincta illa jurisdictio esset in Apostolis ordinaria, adeoque successoribus hæreditaria. Exemplo res pateat. Aliud est, in aliqua Republica, ex peculiaribus conditionibus, præstantique virtute unius administri, à Principe potestatem amplissimam extra ordinem illi concedi; aliud est, in eadem Republica stabile munus constitui, in quo ea potestatis amplitudo sit ut ordinaria continuanda. Quare quòd Episcopi Apostolis in ordinaria jurisdictione successerint, non ex eo conficitur, illis etiam successisse in hac indifferenti, universalique delegatione; itidem ac nec illis suffecti sunt in auctoritate scribendi libros Canonicos, alijsque prærogativis. *Secunda* illius S. Cypriani dicti declaratio est, cunctos Apostolos nihilominùs fuisse S. Petro subjectos, cui ex ordinario suo magistratu, & in successores abituro, cæli claves concessæ sunt, jurisdictionisque Ecclesiasticæ plenitudo; quamquam cunctorum Apostolorum virtus ac sapientia ea esset, ut nullus penè fuerit Petro locus, hujusmodi jurisdictionis exercendæ in viros sanctimoniâ ac prudentiâ perfectissimos. In reliquum necesse fuit, ut unius potestas cæteris præpolleret, nisi fuisset instituendum in Ecclesia Polyarchiæ regimen, ejusdem Ecclesiæ commodis planè adversum, ut alibi ostensum est.

92. Nec quidem juvat respondere: Cùm concordia inter Apostolos ex afflatu Divino perturbari non posset, in pluribus etiam monarchiam perstituram, quamquam inter se mutuò liberis ac supremis; ut quidam de duobus Apostolis Petro & Paulo recèns excogitavit: nam securitas perpetuæ concordiæ inter omnes collegas, tametsi sufficeret adevitanda incommoda, quæ suâpte naturâ inferret Ecclesiæ Polyarchicum regimen; non tamen satis esset Monarchico statuendo, cujusmodi novimus ex Scripturis ac Patribus constitutum à Christo fuisse, ut hic auctor fatebatur. Fingamus Venetum Senatorem, cui divinitus & datum, & significatum fuerit, in sententiam suam semper iturum Senatum universum: fingamus insuper, datam illi à Senatu potestatem peragendi, ex auctoritate communi, quidquid ipsi libuerit, nullo priùs habito collegarum consensu: non tamen idcircò is evadet Monarcha, nisi obtineat jus regendi absolutum à quocumque consensu, dissensúve collegarum; quemadmodùm nec evaderet Monarcha, supremusque mundi Dominus, quod spectat ad dominium, sive jurisdictionis illud sit, sive proprietatis, is, cui à Deo fuisset promissum, quidquid ipse nomine legitimè gubernantium, seu jure possidentium umquam fecerit, semper illis ratum fore. Hujusque rei ratio est, quia utrumque dominium, tam jurisdictionis, quàm proprietatis,

secum affert auctoritatem ipsam, hominibus imperandi, & res ipsas pertractandi jure suo, alijs etiam dissentientibus.

93. Hinc ergo pro *nono* videamus, an huic doctrinæ perspicuæ, quam hactenus exposuimus, dissonent, an concinant S. Cypriani verba, quæ sunt hujusmodi: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam; & tibi dabo claves regni cælorum; & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post suam Resurrectionem dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur. Et Pastores sunt omnes, sed unus grex ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascuntur.* Et infrà: *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se Fidem, credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse, confidit?* Num fortè per hæc verba relinquitur dubitatio, an ex Cypriani sententiâ S. Petrus, ejusque Sedes summum in Ecclesia Dei principatum obtineant? An sejunctio ab ijs, qui in ea sedent, queat conjungi cum hujus communione? Quòd si cui fortassis in mentem veniret, Cypriani sententiam esse, supremum Petri Principatum, imperijque unitatem in eâ tantummodò prærogativâ fuisse sita, quòd Petrum Christus ante alios nominaverit, quodque ab unico ex rectoribus fuerit incepta numeratio, constitutâ nihilominùs posteà integrâ æqualitate, atque regendi libertate inter ipsos, eorumque successores; insipientem profectò disserendi rationem ex sapientissimo illius egregij Doctoris ore depromeret: perinde quasi satis sit, ut unitas Principatûs constituatur, multorumque gubernatio tollatur, si supremi Rectores atque Collegæ post alium alius deinceps, & non omnes unicâ locutione nominentur.

94. Pro *decimo* & postremo concludere jam licet, S. Cyprianum apertè contradicere Suavi ac Ellieſio. Etenim si à Cypriano docemur, unum esse Episcopatum, cujus partem suam quicumque Episcopus obtinet *in solidum*, dum multos Episcopos æquiparat multis radijs, qui tandem unum solis lumen conficiunt, multisque ramis, qui eundem omnes vigorem trahuntab eodem trunco, hæc planè exempla Suavis doctrinam oppugnant. Unus è solis radijs num fortè ad illuminandum transgreditur locum ab alio illuminatum? Unus ramus alterius frondes ac folia enutrit? Quid plura? Nónne disertis verbis mentem suam explicat Cyprianus? *Primum*, inquit, *est Caput, una origo, & una mater.* Hæc est unitas, quam ille affirmat in Ecclesia, unitas Ordinis in singulis æqualis, & quâ singuli redduntur idonei ad exercenda ubique locorum Episcopi ministeria: unitas Capitis, hoc est, Petri, ejusque Successorum, in qua Christus fundavit Ecclesiam, & cui perstant innixæ omnes hujus Regiæ columnæ, non verò Diœceseon confusio.

DISQUISITIO VII.

Quid authoritatis habeat Romanus Pontifex circa Beneficia & Bona Ecclesiastica?

§. I.

1. NEque hanc disquisitionem *absolutè*, sed sub respectu ac relatione ad Gallicæ Regnum hîc tractare, est nobis animus, ideoque præmissâ Divi Thomæ hanc in rem sententiâ, reliquam causæ hujus discussionem ex unico Auctore *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 6. cap. 10.* ob lectoris oculos ponere intendimus. Doctor itaque Angelicus *2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.* docet, penes Summum Pontificem directionem esse bonorum Ecclesiasticorum, non autem dominium. *Quamvis enim*, inquit, *res Ecclesiæ sint ejus* (Summi Pontificis) *ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris.* Quem locum sic commentatus est Cardinalis Cajetanus; *Nota, quòd, cùm potestas Papæ quoad res temporales Ecclesiæ non sit potestas Domini, sed Dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non exeat limites potestatis Dispensativæ, &c.* Et inferiùs; *Ex eodem quoque fundamento, scilicet quòd Papa non est Dominus, sed Dispensator, sequitur, quòd de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiæ, cui voluerit, aut consanguineis, &c. sed teneatur fideliter dispensare, ut recta ratio suadet, juxta illud: Hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Et rursus: Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, & non ad libitum, quantùm volet.*

2. Quo præsuppositio, prætactus Auctor *à n. 6.* ità disserit: longissimè, inquiens, inter se distant bona sacra, & prophana, licèt utrorumque solam dispensationem hominibus concreditam doceant sancti Patres. Ita in omnes usus non prohibitos expendi possunt, quantum est ex ipsorum conditione. Quod addo, quia ex hominis affectu in eo sæpissimè peccatur: sacra verò nisi in operibus verè pijs, & sanctis insumere, nefas est. Hoc nomen ipsum manifestè significat; sanctum enim,

enim, aut sacrum idem est, quod ab omni usu prophano semotum & cultui Divino mancipatum, sive *immediatè*, ut vasa sacra, quibus ad peragendam rem Divinam utimur, sive *mediatè*, ut decimæ, & alia, quibus templa sartatecta, & ornata conservantur, Altaris ministri aluntur, aliaque opera pia perficiuntur.

3. Licèt autem Papa non sit absolutus bonorum omnium Ecclesiasticorum Dominus; tamen quæ rationes à jure *naturali, & positivo, Divino & humano* ductæ probant, eum, qui Altari servit, de Altari vivere debere, eædem etiam demonstrant, Romanum Pontificem, cùm omnium Ecclesiarum sit Primas, cùm teneatur, ut illarum Pastores officio fungantur, invigilare, delinquentes corrigere, atque, si peccatum exigat, plectere, illorum jura tueri, aliaque probi Patris, & Pastoris officia exhibere, posse de reditibus Ecclesiarum omnium ea capere, quibus ad congruam suam, Officialiumque sibi collaborantium sustentationem indiget.

4. Itaque, quamvis certa sint Ecclesiæ Romanæ, sicut & reliquis alijs, bona destinata; si tamen illa non sufficiant, licebit, quæ deerunt, ex alijs Ecclesijs conquirere. Ut enim multiplicem personam sustinet Pontifex, ita multiplices sumptus facit; & unius quidem Diœceseos necessitatibus providenti sufficerent fructus inde percepti; at non totum Christi gregem pascenti, atque regenti. Si ergo Reges consumptis dominij, ut vocant, reditibus, qui proprijs, & Regni expensis erant destinati, sinè injuria possunt exigere subsidia, ad bella pro Regni tuitione, aut securitate suscipienda, vel sustinenda, aliaque gerenda negotia, publico bono utilia: quidni poterit Summus Pontifex, ijs, quæ à speciali Diœcesi percipit, ad ipsiusmet Diœceseos bonum expensis, ab omnibus alijs Ecclesijs, quibus prospicere tenetur, necessaria subsidia sibi assumere. *Quarta potestas*, inquit Cancellarius Parisiensis *lib. de vita Spirit. anim. lect. 3. Naturaliter Papæ conveniens habet, & requirit, ut tanquam superior & tutor, atque conservator honoretur, & juvetur ab omnibus.*

5. Concilium Basileense, quod in id maximè incubuisse videtur, ut Summi Pontificis jura quàm angustos posset, in fines arctaret, cùm Annatarum usum abolendum decerneret, hoc tamen tēperamento Decretum lenivit; *Pro oneribus autem, quæ ipsum* (Romanum Pontificem) *pro regimine universalis Ecclesiæ subire, oportet, próque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum necessariorum Officialium hoc sacrum Concilium, ante sui dissolutionem omninò debitè, & congruenter providebit. Quòd si contingat, aliquam circa hoc provisionem non facere, per hoc eadem sancta Synodus, non intendit in aliquo modo præjudicare sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ. Datum Basileæ in Majori Ecclesia in Sessione publicâ, celebratâ anno Domini 1433. 30. Julij.*

6. Itaque Clerus Gallicanus, qui tam alacriter, tamque liberaliter Regi suo, tum singulis annis certa rataque, tum quinto quoque anno nova & extraordinaria subsidia confert, quibus Regnum ab hæresi liberet, aut tueatur, iniquus esset, si Summo Pontifici, qui totius Ecclesiæ curam ex Divino mandato gerit, ea sinè injuriâ denegari posse arbitraretur, quibus ad rectum, & felix totius Christianitatis regimen indiget. Quæ injustitia clariùs appareret, si Summo Pontifici non tam pro sua, suorumque sustentatione, quàm pro totius Ecclesiæ adversùs Infideles defensione auxilium postulanti non obtemperaretur.

7. Nec justa esset excusatio, si objicerentur nonnulli abusus, qui fortè olim in exigendis hujusmodi subsidijs irrepserunt, ut optimè notavit Joannes Gersonius, *sex considerationes super statu Summi Pontificis & Dominorū sanctæ Ecclesiæ Cardinalium* ponens. Statutis enim in duabus *primis* considerationibus dignitate, atque authoritate illius statûs; nec non jure capiendæ sustentationis, considerationem *tertiam* hanc addit; *status prædictus non ideo perdit jura sibi convenientia, quæ possit propositio duplex præcedens, si fortè fuerint abusus aliqui personales, olim, vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversùs omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem; quòd dissipandus est, deserendus, & perdendus; quoniam in multis offendimus omnes.* Gersonius *tom. 1. col. 188.*

§. II.

Quanta ex præjactis fundamentis sit Summo Pontifici potestas in exigendis à Clero Gallicano pro Ecclesiæ universalis necessitatibus, præcipuè adversùs infideles subsidijs.

8. JTa pergit *præcitatus* Author *cap. II.* Docet nos B. Paulus, & post illum unanimi consensu sancti Patres, ac Doctores Catholici, Ecclesiam corpus esse; *Ipsum* (Christum) *dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, inquit Apostolus Ephes. 4. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Col. 1. v. 14. Illius corporis membra sunt omnes fideles; *Sicut enim corpus unum est, & membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* 1. Corinth. 12. v. 12. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* ibid. v. 27.

9. Quæ autem sint membrorum inter se affectiones, & officia, explicat Apostolus 1. *Corinth. 12. v. 25. & 26.* his verbis; *Idipsum pro invicem solicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Quemadmodùm igitur in corpore naturali sola membra rescissa, vel arida cæterorum dolore non afficiuntur; ita in mystico Ecclesiæ corpore, qui singularum Ecclesiarum infortunijs, ac persecutionibus non moventur, se viva mystici corporis Christi membra non esse, declarant.

10. Cæterùm mutua illa membrorum solicitudo non in solo sistit passionum communione, sed ulteriùs in præstandâ operâ & auxi-

lio, ut imminens, aut jam vexans malum propulsetur. Læsâ manu, accurrunt oculi, ut vulnus intueantur, pedes ad remedium properant, lingua illud postulat, altera manus admovet, singula denique membra propria officia obeunt, ad unius partis offensæ solatium. Non ergo Christianæ charitatis præcepto faciunt satis, qui afflictis condolent, nec opem ferunt. Cùm Christiani Ierosolymitani magnâ laborarent egestate, tanto cum affectu illis cæteri succurrerunt, ut effusam illorũ liberalitatẽ moderari ferè opus fuerit; *Quia secundùm virtutem & supra virtutẽ voluntarij fuerunt. 2. Cor. 8. v. 3.* Itaq; modum hunc præscripsit Apostolus, *non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fit æqualitas.* ibid. v. 13. & 14.

11. Cùm Saladinus Babyloniæ Rex Saracenus terram sanctam infestaret, ac Hierosolymam cepisset, Philippus II. Rex Franciæ, Henricus II. Rex Angliæ, cùm anteà inimici essent, Guillelmo Archiepiscopo Tyri prædicante, & Domino per gratiam, & per signum miraculosum cooperante, facti sunt amici, susceptâque de manu illius Archiepiscopi Cruce, statuerunt, ut omnes (exceptis illis, qui ipsam peregrinationem susciperent) ad impensas expeditionis decimam redituum, & mobilium suorum persolverent. Hoc autem, ut notant Rigordus *in vita Philippi*, & Rogerius de Hoveden *in vita Henrici*, factum est, consentientibus Episcopis, & Baronibus.

12. Porrò si fideles, etiam laici bonorum propriorum partem in pium illud opus erogârunt, quantò æquius est, ut Ecclesiæ bona, quæ ideo sacra dicuntur, quòd Divinis usibus sint destinata, in rem ad Dei gloriam, & animarum salutem tantoperè conducentem impendantur? Si laici fratrum suorum calamitates tenentur sublevare, quantò magis Pastores, & in Christo parentes? Si etiam adhibitâ excommunicationis sententiâ, ut testatur Rogerius, & innuit Rigordus, renitentes laicos ad solvendam decimam de rebus & mobilibus profanis indictam adegerunt: nónne turpe esset, si ipsi de bonis sacris, quorum sunt tantùm dispensatores, opem in fidei, libertatis, ac vitæ periculo constitutis ultrò non offerrent?

13. Præivit illis nuper ipsorum Caput: quis enim obsessâ à Turcis Viennâ, toti ferè Ecclesiæ non metuebat exitium? Quis Othomanicæ potentiæ in Germaniam, Italiam, ac remotiores deinde Provincias irrumpenti obstitisset, Christianis Principibus inter se concertantibus, nisi providentia Summi Pontificis in se ipsum avari, & in Ecclesiam liberalissimi, suis consilijs, vigilijs, ac curis assiduis, effusam thesauri sui largitionem adjunxisset, quo Principes, ad communem Christiani nominis hostem repellendũ armatos, juvaret; ac cùm proprijs ipsum manibus pugnare non deceret, effusis pecunijs vinceret? Magnum quid præstare sibi videbatur Innocentius III. in Concilio Lateranensi triginta millia librarum ad expeditionem in terram sanctam offerens. Sed quàm exiguum donum, si conferatur cum magna illa vi auri & argenti, quam Innocentius XI. in Germaniam & Poloniam misit? An exemplum adeò insigne reliquorum Episcoporum, & inferioris Ordinis Clericorum animos ad deprimendos Christianorum Principum conatus non accẽdet? Cæteri Pontifices præceptis, atq; censuris egerunt: Innocentius XI. exemplo invitavit. Sed si qui præeuntẽ non sequerẽtur, an de jubẽte, vel etiã cogente justè conquererẽtur.

Spontanea, inquies, debet esse obligatio. 14. Is sanè quidem modus pietati Christianæ congruentior est. Verùm posse, urgente necessitate, reluctantes, saltem Clericos cogi, docent plurimorum Decreta Conciliorum: solo præcepto usum est Lateranense *quartum*. At Lugdunense *primum* censuram adjecit; *Sciant que, se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quòd illi, qui super hoc fraudem scientes commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.*

Sed ne quis, hanc potestatem solis Con- 15.
cilijs competere, contendat, suadet ratio, ac praxis confirmat, eam etiam penes Summum Pontificem existere. Est ille paterfamilias, ad quem spectat cura totius domûs, Pastor universi gregis, & Caput visibile universæ Ecclesiæ, ad cujus proinde officium & authoritatem spectat solicitudo de universis domesticis Dei, de singulis Christi ovibus, de cunctis mystici ejus corporis membris.

Sanè ita hodie refrixit charitas, totẽpus 16.
congregandis Concilijs obstant impedimenta, ut peritura esset maxima Christianitatis pars, si eâ tantùm ratione auxilium esset expectandum. De sapientissimo igitur Ecclesiæ institutore certò credendum est, ipsum Vicario suo, cùm ei sponsam suam commisit, facultatem quoque largitum esse, cuncta peragendi, quæ ad securam ejus custodiam, ac defensionem essent necesseria.

Plurima sunt Pontificum hâc facultate 17.
utentium exempla; Clemens IV. è Gallia oriundus, pietate atque integritate maximè conspicuus, anno 1267. Decimam omnium redituum Ecclesiasticorum S. Ludovico Francorum Regi ad expeditionem in terram Sanctam sese accingenti ad triennium concessit, cúmque Capitula Ecclesiarum Cathedralium onus detrectarent, ea graviter increpuit, & excommunicationis, Beneficiorumque privationis interminatione in ordinem redegit. Vide Raynaldum ad an. 1267. *num.* 53. & *seqq.* Urbanus IV. etiam natione Gallus antea, ut videre est apud eundem ad an. 1256. *num.* 13. non Capitula solùm (ne quis suspicetur secundi tantùm Ordinis Clericos cogi solitos) Archipræsules Nemensem, Senonensem, & Bituticensem renitentes compulerat. Alia passim in eodem Raynaldi volumine legi possunt exempla, ex ipsorummet Pontificum litteris ab eo citatis educta.

Sed ea est hujusmodi subsidiorũ, dum neces- 18.
saria sunt, justitia, ut, qui se morosos in

ijs

ijs præstandis exhibuerũt, non tam authoritatis ad ea exigenda defectum in Summo Pontifice, quàm abusus quosdam, aut nimiam in exigendo severitatem causari sint. Verùm præterquàm quòd longè abessent hodie omnium illarum excusationum colores, cùm Innocentius XI. suos thesauros exhaurire malit, quàm extra Italiam Decimas imponere, & reliquos Episcopos exẽplo allicere, quàm præcepto urgere; non continuò negãda esset Papæ potestas, ut *superiùs* cũ Gersonio notavimus, etiãsi ejus usu nonnulli olim abusus admixti fuissent.

Unum duntaxat video superfuturum Clero Gallicano, & alijs prætextum, si res eò perducerentur, ut Pontifex, consumptis suis reditibus, non posset Christianarum aliquarum Provinciarum adversùs Infidelium impetus securitati consulere, nisi exacto ab alijs subsidio: nimirũ non jam de recuperanda terra Sancta, sed de tuendo, vel restituendo Principum sæcularium dominio agi. Quasi verò solius Palestinæ causâ olim petitæ sint Decimæ, ac non unicum sit Ecclesiæ corpus; aut ideo deferendi sint Christiani in fidei periculo constituti; quia si eis manus porrigatur, nonnihil utilitatis illinc in Principes Christianos derivabitur. Nihilne Reges Franciæ percèperunt emolumenti ex compressis in partibus Tholosanis Albigensibus, quâ occasione Honorius III. Philippo Augusto partem etiam pecuniarum subsidio terræ Sanctæ destinatarum concesserat, ut videmus *in ejus Epistola in append. 2. Tom. 5. Ducheſne relatâ sub num. 10.* Martinum IV. Natione Gallum Philippo III. Francorum Regi Decimas ad triennium concessisse, ut bellum gereret contra Petrum Aragoniæ Regem, Siciliæ invasorem, testantur ejus litteræ ad Joannem Legatum datæ, ut Præsules ad solvendas Decimas cogeret, & citatæ ab Oderico Raynaldo ad an. 1283. *num.* 35. Nec dubitavit pius ille Pontifex, ut ostendunt litteræ ab eodem Historico citatæ *ibid. n.* 41. exactas à Clero pro instaurandis Syriæ rebus Decimas, olim decretas in Concilio Lugdunensi, ad defendendam Siciliam derivare. Narrat idem scriptor, & citatis ejusdem Pontificis libris probat *num.* 10. ipsum non solùm à Gallis, sed ab alijs quoque Præsulibus opes in id conferri voluisse. Siculos similiter, tum Provinciæ, atque Arelatensis Archiepiscopatûs Præsules Decimas Regi Carolo, ut hostem Regno ejiceret, solvere; atque ad id à Legato adigi præcepisse. Hæc autem ab eo perperam gesta non fuisse, suadent virtutes & miracula, quibus claruisse, fertur apud Historicos. Honorius ejus successor, quas ille Decimas Philippo III. jam pro Aragoniâ armis comparandâ attribuerat, Philippo IV. ad quadriennium permisit, ut narrat Raynaldus ad an 1286, *num.* 27. Sed de his hactenus, quæ in praxim redigere, utinam nunquam opus sit.

§. III.

Quócnam Summo Pontifici jus sit erga beneficia Ecclesiastica intrà Galliam consistentia?

HAnc rem ita prosequitur Author præfatus *cap.* 12. Nullâ in re, inquiens, laudabilior foret Gallorum pro defensione libertatum Ecclesiæ Gallicanæ zelus, quàm si antiquorum Canonum observantiam, circa Beneficiorum dispositionem factam tectam servarent, nec Summum Pontificẽ cogerent suâ supra Concilia, & eorum Canones, authoritate uti.

Restiterunt quidem Galli dispensationi super regula, quæ sæcularia Beneficia Regularibus personis conferri præcipit, quando Summi Pontifices beneficia Galliæ Italis, aut alterius Nationis viris, de Ecclesia benemeritis distribuebant. At ubi ex Caroli VII. Francorum Regis Edicto anno 1431. dato non nisi indigenis (intellige sinè Regis licentiâ) ea largiri licuit, Commendarum usus in favorem sæcularium adeò invaluit, ut quamvis antiqua Canonica disciplina Concordatis confirmata fuerit *tit. de Regiâ ad Prælaturas nominatione faciendâ. §. Volumus.* Philippus Probus *in addit. ad Gloss. Pragmat. Sanction. tit. de collat. §. Cui rei. num. 17.* in hunc modum conqueratur. *Hodie tamen sit contrarium, adeò quòd in Gallia vix posset reperiri decimus Abbatum numerus professionis Regularis. Unde non immeritò videmus, omnes penè Domos Regulares ad nihilum in vita, & moribus, prout & rebus reduci, & caducitatem amplecti, Monachósque Mendicantium Ordinum fieri, & extra septa Monastica potiùs eos languescere, quàm vivere. Quæ sit horum occasio, vel causa, dicitur ex eo, quòd Commendatarijs aperta est superiorum porta, quibus his, & alijs de causis poterit claudi janua cæli.* Qui abusus ex eo tempore magis ac magis excrevit. 22.

Eaque fuit una ex causis, cur Concilium Tridentinum à Curia Franciæ non fuerit receptum. Primam enim recusationis rationem eam attulerunt Regina, & magnus Cancellarius Nuncio, Concilij receptionem urgenti. Quòd Concilium Tridentinum vetaret, Beneficia Regularia in Commendam tradere, cùm Rex hujusmodi Commendis multos Primates viros sibi devincirer, quorum auxilio difficillimis illis temporibus indigebat. Palla vicinus *Hist. Concil. Trid. lib. 24. cap. 11. num. 4.* 22.

Adeò non servantur in Gallia *Canon 15.* Synodi Nicænæ, *21.* Antiochenæ, & *5.* Chalcedonensis, ut in nulla Christiani orbis parte frequentiùs violentur, cùm innumeræ fiant Episcoporum translationes. Unde plurimorum in illâ Ecclesiâ malorum seminarium exi- 24.
stit. Non enim tanto affectu Ecclesiæ, quam quis semel gubernándam suscepit, adhæret: non tam sedulò invigilat; non tam facilè permansura opera aggreditur: libentiùs in Aulæ studia, quàm in tuenda Ecclesiæ suæ jura propendet, qui Aulæ beneficio ad pinguiorem se conscendere posse confidit: hoc ut assequatur, non solùm magnatibus blanditur, sed obsequitur, etiam cum Ecclesiastici juris, & libertatis jacturâ: ambitione tenetur: hinc avaritiâ, illinc prodigalitate peccatur: ac demum futuri, non animarum, sed honoris, & divitiarum lucri expectatio ita tempus, & cogitationem abripit, ut obeundis

suscepti

suscepti regiminis officijs nihil reliquum sit; & proprium gregem non perpetui Pastoris animo curet, sed temporanei mercenarij more exsugere festinet.

25. Quot excidissent in Gallia è proprio gradu tum Episcopi, tum inferioris Ordinis Clerici, si Beneficiorum pluralitas eâ pœnâ mulctaretur, quam indixit Canon *decimus* Concilij Chalcedonensis? Quæ regula si valeret, & vigeret, non tanta plerosque ambitio, vel avaritia inflecteret ad Aulicorum officia, aliorumque, quorum ope Beneficia Beneficijs accumulaturos se esse, sperent. Non tantus esset Ecclesiasticarum rationum neglectus.

26. Præcipua Ecclesiæ Gallicanæ libertatum pars olim in eo posita est, ne Romanus Pontifex Beneficiorum dispositionem sibi assumeret. Verùm tum, cùm de illa dispositione Galli acerbiùs conquerebantur, Concilium ipsum Basileense jus illud Summi Pontificis agnovit, ei aliquorum Beneficiorum dispositionem reservans *Sess. 31. Decreto de collatione Beneficiorum*, ubi sic legitur. *Non tamen intendit prohibere hæc sancta Synodus hoc præsenti Decreto, quò minùs futuri Romani Pontifices tempore Pontificatûs sui modo honesto, & convenienti, de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultra disponant ..... Neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impedire.*

27. Quin etiam Universitas studij Parisiensis, cuæ tantoperè Curiam Romanam à conferendis Beneficijs arcere contendebat; tamen Romani Pontificis circa illa potestatem sæpe imploravit, nedum agnovit. Hic unus erat ex articulis Martino V. Eugenij Decessori porrectis; *Item cùm nonnulli Doctores, & Magistri infrascripti à Sanctitate vestra gratias expectativas obtinuerint in primo & principali Rotulo dictæ Vniversitatis per sanctitatem vestram sub data 4. Kalendas Februarij anno primo signato, quibus vigore earundem gratiarum de Beneficijs Ecclesiasticis minimè provisum extitit, dignetur Sanctitas vestra eisdem concedere, quòd dictis gratijs uti, & gaudere valeant, unà cum gratijs in præsenti Rotulo per sanctitatem vestram, ut speramus, faciendis: salvis tamen perintegrè articulis superiùs expressis.* Cui articulo Papa respondit; *Fiat pro omnibus, & quibus non est provisum ..... Datum Romæ anno 1424. 25. Maij, Pontificatûs præfati Domini nostri Papæ (Martini V.) anno septimo.* Refertur *in Historia Vniversitatis Parisiensis tom. 5. circa prædictum annum 1424.* Extant alia multa exempla similia apud eundem Authorem.

28. Verùm cùm Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Franciæ Regem inita, usuque subsecutus contentionibus hac de re nasci solitis imposuisse finem videantur, non est diutiùs immorandum, sed expectandum, donec Deus eos, quibus beneficiorum provisio incumbit, ad revocandam ex omni parte antiquam Canonicam disciplinam circa rectam illorum dispositionem moveat.

29. Si omnes collatores, aut Patroni præ oculis semper haberent, quàm stricta sit obligatio ea dignioribus conferendi, non autem indignis, vel etiam minùs dignis propinquis, aut à quibus aliquod receptum est, vel recipiendum speratur officium, quamque terribile futurum sit supremi Patrisfamilias judicium adversùs eos, qui in constituendis in Domo Ministris & Officialibus, propria commoda, privatosque affectus magis attenderint, quàm ipsius gloriam, & cultûs decorem, aut animarum salutem, certè magis metuerent, ne non satis dignos, aptosque servos Domino suo eligerent, quàm gloriarentur de jure suo, aut illud indebitè sibi vendicare contenderent.

Cæterùm non est, cur Galli Doctores Italicos accusent quasi nimiùm extulerint Romani Pontificis circa dispensationem Beneficiorum potestatem, cùm Doctores Galliæ non minùs latè illam explicuerint. Petrus Rebuffus *in concordatis tit. de Mandatis Apostol. §. Et ut obvietur. verb. Gravare.* scripsit. *Papa jure præventionis omnia jura potest conferre, cùm totum mundus sit Diœcesis Papæ.* cap. Cuncta per mundum. Et cap. Per principalem. 9. quæst. 3. *Vnde non est mirum, si in sua Diœcesi, & sic per totum mundum conferre possit.*

CONCLUSIO.

IUs Summi Pontificis erga totius orbis Christiani beneficia Ecclesiastica fundatur in *jure Divino*, estque illimitatum, nisi in quantum ejus usus ex specialibus concordatis fortè coarctatur, accipitque moderationem suam ex regulis Cancellariæ Apostolicæ, salvâ semper plenitudine potestatis Pontificiæ.

Explicatur & probatur. Romani namq; Pontificis in conferēdis Beneficijs Ecclesiasticis authoritas subsistit ex *indefinitâ* per Christum sibi concessâ authoritate, habetq; jus illimitatum super universis, cujuscunque sint conditionis & qualitatis, Ecclesiasticis beneficijs, ut ea liberè conferre possit quibuivis personis idoneis. *Ex cap. Cuncta per mundum. q. 2. Cap. 2. De præbendis. in 6. & Clement. 1. Vt lite pendente.* Neque libera hæc Summi Pontificis potestas Divinitus concessa ligari potuit ex hoc, quòd Ordinarijs, alijsque Prælatis sit concessa facultas, conferendi certa beneficia Ecclesiastica, vel aliter super ijs providendi: quia hæc concessio non habet se *privative*, sed solùm *cumulativè* ad illam Summi Pontificis authoritatem. Imò Papa concedens Ordinarijs ejusmodi facultatem, nullatenus potuit se privare potestate per ipsummet Christum sibi concessâ; juxta *Cap. Dudum. De præbendis. in 6.* ubi decernitur in hæc verba: *Nos igitur attendentes, quòd, etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominùs remansit major.*

Ex quo redditur indubitatum, si Pontifex præveniat Ordinarium in alicujus beneficij collatione, hanc esse præferendā collationi factæ per Ordinarium, nisi forte ista habeat præ-

prærogativam seu prioritatis, seu etiam possessionis; juxta *Cap. Si à sede. De præbend. in 6. & Clement. 1. §. Neutro. Ut lite pendente.* cùm cæteroqui meritò habenda sit ratio per *cit. Cap. Dudum.* adducta, cui subnectitur: *Propter quod nostra, qui eandem* (imò majorem in collatione beneficiorum) *occupavimus potestatem, potior esse debet conditio.*

Solet equidem Summus Pontifex regulariter se non ingerere in collatione beneficiorū, quæ liberæ collationi (præsentationeque patroni præsuppositâ) institutioni Ordinariorum permisit; tamen vel Summus Pontifex derogare potest huic juri, suâque absolutâ authoritate uti in conferendis beneficijs, vel etiam de facto sibi reservavit seu generaliter, seu specialiter, aut etiamnum potest reservare certa beneficia. 13.

§. IV.

Corollarium.

INfertur; *Quibus vijs ac mediis Ecclesia Gallicana ad onera beneficijs Ecclesiasticis imposita extendenda, sibi adsciverit libertatem à se nunc prætendi consuetam?* Author *præcit. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 16.* hanc rem ita describit. Ex omnibus malis, quæ dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quamplurimorum causa fuit schisma. Cùm enim Clemens V. Philippi operâ ad Summum Pontificatum evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subsequentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit. Eo Romæ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majori ex parte Galli erant, Bartholomæum Prignianum Barij in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalium severum animadversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa infensos habuit, illi Anagniam primùm, deinde Fundos recesserunt, ubi Conventu facto, electionem Urbani VI. utpote gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciârunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque Ioannes Grangius, Gallicè *la Grange*, Cardinalis & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratiâ Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense, abrogatâ de Pontificatu contendentibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Gregorij in Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, quique solus postea legitimus Pontifex agnitus est. 4.

Tempore autem illius schismatis cùm uterque Pontifex ad tuendam suam dignitatem maximis sumptibus, & potentibus amicis indigeret, gravia Beneficiarijs onera imponebat, Beneficiorū collationē sibi reservabat, multaq; contra disciplinam antiquam committebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacij VIII. avita erga Summos Pontifices observantia, aliquantum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas Studij Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solùm in Ecclesia, sed etiam in Republica authoritas, quæque molestè ferebat, viris litteratis Beneficia non conferri, de excutiendo illo jugo cogitârunt, quare Regis, Senatûs Parisiensis, & Regni Primatum opem implorârunt, ac promptam nacti sunt. Itaque sub Carolo VI. cùm adhuc ætate, ac deinde mente debilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesiæ contra Pontificum exactiones, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cætera omnia, quæ nimis gravia videbantur, in quo potentia sæcularis cum Clero consensit, eumque maximopere juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multò magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam librandæ Pontificiæ authoritatis, ne ultra positos sibi à Christo terminos in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia Oecumenica examinanda, libertas illa protenta est. 35.

Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiæ Gallicanæ nomine censeri voluit, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilij Basileensis Decreta, exactionibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquamdiu hæc Sanctio, ceu Thesaurus, ac Promptuarium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatûs convellebatur authoritate. 36.

Verùm Summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis fœtum tunc temporis editum, cùm Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papâ, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum Summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quò convocati fuerant etiam Patres Basileæ degentes) quorumque decreta, utpote à Capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant anteponenda. Tandem Pontificum diligentiâ Pragmatica illa sanctio primùm à Ludovico XI. deinde à Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta. 37.

Senatus quidem, & Universitas Studij Parisiensis, imò Clerus universus dintissimè illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut sæpe significârunt, 38.

inviti. Nam adhuc anno 1636. cùm in Comitijs Cleri Gallicani Procuratores, seu Promotores inter Acta Cleri paulò ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. relata fuisse, atque inde *tacitum* Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortassis inferendam monuissent, Comitia authenticè declarârunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illic fuisse insertum. Itaque licèt titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur, ea fuisse Statuta loco *dictæ Pragmaticæ Sanctionis, ac omnium Capitulorum in ea contentorum*: tamen adhùc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expressè contraria non sunt.

39. Cæterùm Ecclesia Gallicana, quæ, ut se à Summorum Pontificem exactionibus, & Beneficiorum reservationibus liberam servaret, ad Potestates sæculares recurrit. Potestatis sæcularis facta est serva, & cùm Romani Pontificis jurisdictionem molestè ac graviter tulit, suam, à laica ferè omninò absorptam ingemuit. Testantur enim Parlamentorum placita, Advocatorum libri, imò frequentes Cleri Gallicani querelæ, prætextu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusuum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sæculari esse ferè penitùs extinctam.

40. Nec magna futuræ restitutionis spes affulget. Cùm enim Summi Pontificis authoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, alijsque Ordinis Ecclesiastici viris ad defendenda sua jura opem ferre. Atnunc eâ imminutâ, etiam postulante Clero, aut potiùs constricto ejus potestatis usu, parùm efficax auxilium à sanctaSede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad Majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriæ suæ partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse positam, suamq; authoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesiæ libertate seriò impendat.

41. Sicut igitur Gallia ipsa exactionibus, & Beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus, vel ab eorum Officialibus premi conquerebatur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut viciniores haberet, ac postmodùm in schismate inter plures Pontifices Avenionensium partes amplectens; sic etiàm ut se adversùs illa onera contra Potestatem Ecclesiasticam tueretur ad laicam recurrens, ab ista in duriorem, ac miserabiliorem servitutem redacta est. Hoc utrumque testantur scriptores Gallicani. Genebradus *Chron. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificiæ*, ista scripsit; *Denique hæc Sedis Apostolicæ translatio valde fœdavit antiquam Ecclesiæ faciem. Nam præter inauditas dispensationes, & sanctorum Canonum enervationes, periit illud Divinum jus, sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus; maximè in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquam Babylonicæ (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, jura denique confudit, corrupitque) Patriæ, & Principibus impiè favere gestiunt.* En servitutis origo, en libertatis vindicandæ occasio.

Pragmaticam Sanctionem Judicibus sæcularibus ad opprimendam, & ferè extinguendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse, docet *Tractatus de Iurisdictione Ecclesiastica to. 1. cap. 9. Actorum Cleri, editionis 1673. exscriptus.* 42

Non est tamen hîc omittendum, Edmundum Richerium Doctorem ac Socium Sorbonicum *in Libello de Ecclesiastica, & politica potestate num. 13.* Gallicanarum libertatum originem appellationibus ab abusu tribuere; *Hæc ratio procedendi Gallorum*, inquit, de appellationibus loquens; *originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus*, ut eas vulgò nominant, Quæ certè origo, si vera est, & plurimùm est Ecclesiæ odiosa, nec multùm antiqua. 43

DISQUISITIO VIII.

Quid possit Summus Pontifex circa Ecclesiam Gallicanam, ejúsque specialia jura & libertates?

§. I.

MEritò hîc præmittenda venit descriptio Ecclesiæ Gallicanæ, de cujus prætensa libertate hîc agitur, quod ex sæpe dicto Authore *tractatûs de libertat. Ecclesiæ Gallic. lib. 1. cap. 2. à n. 6.* hîc exhibemus. Quamvis igitur Ecclesiæ nomen pro Clero frequentiùs usurpetur: tamen cùm de libertatibus Gallicanis agitur, ea vox non solùm Antistites, sed & Laicos complecti, maximè Regem, ejúsque Officiales, à nonnullis dicitur; adeò ut Ecclesia Gallicana significet fideles omnes in hoc Regno degentes, cum aliquo tamen ordine ad Religionem, ad quam refertur omnis Ecclesia apud Christianos: qua in re solùm cavendum est, ne sub nominis æquivocatione fraus contegatur, quod revera contigisse, conqueritur Illustrissimus & doctissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montispessulani in ea ad Stephanum Baluzium epist. quæ ante libros D. de Marca *de concord. Sacerd. & Imp.* edita est. *Incidi*, inquit, *in locum ejus scriptoris anonymi, qui ementito Gallicanæ libertatis propugnandæ titulo librum notâ censoriâ jam olim adustum, Regiâ sanctione proscriptum, ac perpetuis tenebris damnandum, in lucem edere ausus est: illo falsam thesim (scilicet Laicorum æquè ac Clericorum cœtum Ecclesiam Gallicanam componere, ejúsque communi decreto publica ejus Ecclesiæ negotia decidi, & non Episcoporum judicio, ad quos propositionem de difficilibus negotijs, qua ad ipsorum vocationem spectant, tantùm pertinere) & auctoritate amici nostri fulcire nititur. Quamvis fraudem scriptoris facillimè detegerem, & delusam ejus mentem in æquivoco, ut loquuntur Logici, cùm libertatis, tum Ecclesiæ nomine animadverterem. Alia est enim significatio Ecclesiæ, dum fideles omnes complectitur, ut & libertatis, quâ singulos*

singulos fonte Baptismatis renatos Christus donavit : alia Ecclesiæ, quæ etiam apud antiquos scriptores solum Clericalem ordinem, ut & libertatis, quæ jus & facultatem, seu potestatem universam regendi Ecclesiam Sacerdotali ordine, in primis Petri Apostolorum Coriphæi successoribus, Divinâ constitutione traditâ, comprehendit.

2. Nec est, quòd aliquis circa hoc nomen quæstionem moveat, quòd cæteris quidem cœtibus præesse unum aliquem Pastorem cernat, puta Ecclesiæ universæ Summum Pontificem, Diœcesi Patriarcham, aut Exarchum, Provinciæ Metropolitam, Parochiæ Episcopum; Gallis autem omnibus, ut à cæteris Regnis discernuntur, unus quispiam non sit præpositus. Rex namque, cujus imperio subjacent, eos in unum quidem corpus politicum conjungit, sed non in unam Ecclesiam, cùm in Laicorum ordine censeatur. Observandum enim est, Romanum Pontificem tanquam Summum Pastorem, totius Ecclesiæ Caput existere, totius autem Occidentis tanquam ejus Patriarcham; Galliæ verò Caput specialiùs posse nuncupari propter antiquiorem, & strictiorem illius Regni cum Ecclesia Romana conjunctionem. Nec enim, ut Ecclesia Gallicana una sit, opus est, ut intrà se unicum Caput habeat, sed satis est, ut ejus membra non unius regiminis politici tantùm, sed unius quoque Religionis vinculo arctiori conjuncta, totius Ecclesiæ Capiti etiam intimè cohæreat, illud præcipuis observantiæ, atque obedientiæ officijs excolat, ejusque vicissim amoris, ac sollicitudinis specialis beneficio potiatur.

3. Hujus igitur Gallicanæ Ecclesiæ libertates variæ, uti hactenus visum est, prætenduntur : inter hæc autem referri potest, quòd existimetur, *Summorum Pontificum constitutiones, imò Conciliorum quoque Oecumenicorum Canones nisi circa fidem dicantur, non valere, priusquàm fuerint discussa & verificata à Parlamentis.* id enim satis expressè affirmat Carolus Feuretus *lib. 1. Sum. cap. 4. num. 11. 24. & 25.* adjiciendo, *Galliam suis libertatibus uti cum tacito Romanorum Pontificum consensu.*

4. Hæc expendens Author *citati tract. de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 2. cap. 10. à n. 2.* rem ita prosequitur. Non quærimus, inquiens, utrùm, quando Rex legitima sua jura impeti metuit, damnum præcavere possit, adhibito Actuum, qui à Curia Romana emanant, examine, aut à Clero, & populo suo manifestam injuriam propulsare, sed an in Gallia Judicum, & aliorum fidelium tuta sit conscientia, si Ecclesiæ universæ, aut sanctæ Sedis mandata, circa res spirituales, & Ecclesiasticas non evidenter injusta rejiciantur, aut non acceptentur à Senatu, à Clero autem, vel à Populo executioni non demandentur.

5. Error esset intolerabilis, si à Senatu, aut Rege ipso Summi Pontificis authoritas circa res spirituales, & Ecclesiasticas pendêre crederetur. Hæresis est ista jam pridem ab Ecclesia damnata, & Scripturæ oraculis contraria. Cùm enim Christus vicarium interris suum, ac in ejus personâ legitimè successuros Pontifices creavit, supremæ suæ potestatis participes fecit, eamque potestatem soli Deo subjecit. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis : & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, Matth. 16.

6. Si Christus Principibus omnibus supremis Ecclesiæ jurisdictionem submisisset, jus illud etiam Paganis & Hæreticis, penes quos est legitimum dominium, sinè dubio competeret, quod ab omni ratione, ac Religionis sensu alienissimum est. Quis enim credat, voluisse Deum Ecclesiæ suæ regimen infensissimis suis hostibus supponere ? Ergóne invalida fuissent primis sæculis, dum Imperium, & Regna penes Imperatores, & Reges infideles, aut hæreticos erant, Summorum Pontificum, & Conciliorum decreta tunc edita, utpote à Principibus illis, & Christianæ Religionis persecutoribus non examinata, non probata, non recepta, non promulgata ?

7. Sed quid juris circa hoc Principibus accessit, dum ad Christianam fidem conversi sunt, nisi quòd baptismali charactere insigniti, in Ecclesiæ filiorum, ac subditorum numero conscripti fuerunt, ex quo non solùm ad exequenda illius mandata, sed etiam ad procurandam, adhibitâ potestate sibi Divinitus traditâ, illorum executionem tenentur. De ijs, qui foris sunt, ut loquitur D. Paulus, id est, qui extra Ecclesiam, & per baptisma in illam nondum ingressi sunt, non judicat Ecclesia. At certè quicumque se Christianos profitentur, debent Ecclesiam audire, ac ejus præceptis obtemperare. Sic habuerunt, ac professi sunt, quotquot veri Christiani, ac pij Principes extiterunt, ut produnt varia Ecclesiasticæ historiæ monumenta : id multoties declaravit Constantinus Magnus, præsertim in Rescripto ad Episcopos Concilij Arelatensis primi : *Meum Judicium*, inquit, *postulant* (Donatistæ) *qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officina, ut verè dixi, diabolij ? perquirunt sæcularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia ! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia deprehendi* (reprehendi legendum arbitror) *potest, magis ad majora judicia authoritate interpositâ ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore, ecce iam proditores, &c.*

8. Theodosius Junior, & Valentinianus III. in Constitutione, quâ Decretum S. Leonis I. contra Hilarium Archiepiscopum Arelatensem executioni demandari jusserunt, expressis verbis declarant, Summi Pontificis sententiam sinè Imperatorum intercessione vim suam obtinere. *Lata sententia*, inquiunt,

per Gallias etiam sinè Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulteriùs vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari, sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obviare. Artibus enim talibus fides, & reverentia nostri violatur Imperij.

9. In eo pietatis, ac justitiæ sensu Imperatoribus inferiores non extiterunt Reges Christianissimi; quod sæpe de se ipsi contestati sunt. De Carolo Magno Ivo Episcopus Carnotensis, Gratianus, alijque quamplures verba ista referunt, tamque Christianissimo Rege, atque Imperatore digna. *In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Romanam, & Apostolicam Sedem, ut, quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & piâ devotione toleremus.*

10. S. Ludovicus, ut *alibi* notavimus, inter alia, quæ Philippo III. filio suo conscripsit, eum, ut non solùm Ecclesiæ Romanæ, sed etiam Summo Pontifici subjaceret, admonuit: non enim pijssimus ille Rex ad infringendam, & imminuendam obedientiam, ut plerique hodie faciunt, Pontificem à Sede separabat. *Sis devotus, & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici tanquam Patri spirituali.* Tantum aberat, ut Augustissimi illi Principes Ecclesiæ Romanæ, ac Summi Pontificis, & Ecclesiæ universæ à Concilio Oecumenico repræsentatæ Decretorum Iudices agerent, ut illis, etiamsi gravia viderentur, sese humiliter subjicerent.

11. Sed & Philippus IV. qui primus omnium cum Romano Pontifice apertiùs disceptavit, si sanctæ Sedis Decreta à se, vel à suo Senatu non probata vim obligandi non habere sensisset, an non Bonifacij VIII. constitutiones contempsisset? An censuras à Benedicto XI. sublatas, deinde à Clemente V. expressiùs tollendas curâsset?

12. Non igitur de Christianissimo Rege, aut ejus Officialibus, & Iudicibus, multò minùs de Clero, & plebe præsumendum est, in ea esse sententia, ut Ecclesiastica mandata vim obligandæ conscientiæ à potestate aliqua sæculari mutuari arbitrentur, aut prohibente illâ, exequenda non esse, si modò justa sint, qualia æstimanda sunt, quoties non patet injustitia. Eò tantùm spectat illorum examen, ut Regi, aut Regno non fiat injuria, aut Edicta injusta per obreptionem, aut subreptionem evidentem obtenta, effectum sortiantur. Cæterùm si illa occasione Senatus sanctæ Sedis Iudicem se constituat; si perperam ejus mentem interpretetur; si sinè justissimis causis ejus decretorum executionem impediat, non libertates Ecclesiæ Gallicanæ defendit, sed Ecclesiam Romanam simul, & Gallicanam in servitutem redigit, ac se omnibus censuris contra illa sacrilegia inflictis illaqueat.

Quamobrem non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus vani sunt prætextus illi, quibus aliquando justissima sanctæ Sedis Decreta repudiantur; scilicet quòd in ijs observatæ non fuerint formulæ constitutionibus Regijs, vel Senatûsconsultis inductæ, aut quòd edita sint proprio motu, vel cum consilio alicujus Congregationis, cujus authoritas non agnoscatur in Gallia: quæ quidem excusationes si sufficerent, cùm semper earum aliqua præstò sit, tota Summi Pontificis potestas corrueret, vel, quod in idem recidit, à Francorum arbitrio penderet omne illus exercitium.

Nec illa Iudicum sæcularium injustitia illis prodest, qui eo tantùm prætextu debitam Ecclesiæ obedientiam denegant, cùm certissimè sciant fideles, non potestatibus Laicis, sed Apostolis, eorumque successoribus dictum à Christo Domino nostro esse. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Matth. 18. Atque adeò posse quidem Senatûsconsulta à pœnis temporalibus, non autem à Censuris Ecclesiasticis, multò minùs à Dei judicio liberare.

Hæc equidem in Pontificijs constitutionibus examinandis libertas præsumi haud potest à Gallis reduci in hoc, ac si Pontifici Maximo non esset potestas pro Franciæ Regno novas condendi leges Ecclesiasticas, sed creditur potiùs niti communibus Iuris principijs de promulgatione & acceptatione necessariâ legum, ad hoc, ut obligare valeant.

§. II.

De authoritate Pontificia ad novas condendas leges pro universo Christiano orbe, ejusque Regnis, ac Provincijs.

AUthor *præcitati tract. de libert. Eccl. Gallic. cap. 11.* centrũ præfẽtis difficultatis statuit in hoc puncto; *An Romanus Pontifex, adversùs quem vel omninò, vel præcipuè convertantur libertates Ecclesiæ Gallicanæ, condendarum pro aliys, ultra suam specialem provinciam, orbis Christiani partibus, legum habeat potestatem?* Asseverat equidem, nefas esse, de Christianissimo Regno suspicari, quòd hæc Summi Pontificis authoritas in dubium à Gallis revocetur. Quia tamen aliquorum facta cum verbis pugnare videntur, dum ita leges Pontificis habent, quasi à Superiore non emanâssent, non fore inutile, jus illud Summi Pontificis monumentis antiquissimis, atque adeò in hac materia maximi ponderis, confirmare, ut ex Gallorum, & ex Summorum Pontificum testimonijs liqueat, summâ cum veneratione jam à primis susceptæ fidei temporibus obtemperatum fuisse ab inclytæ illius Nationis hominibus sanctæ Sedis Decretis, non adhibitis illis formulis, quæ posterioribus sæculis in illo Regno excogitatæ sunt, ad examinandas leges Ecclesiasticas, & quæ alio prætextu

textu excusari non possunt, nisi forte quòd hæc cautela necessaria sit, ne quid à Summo Pontifice, vel ab ejus Officialibus per obreptionem, ut subreptionem impetretur, quod vel loco, vel tempori minùs conveniat.

17. Ad hoc firmandum, inducitur S. Innocentius à Victricio Rothomagensi Episcopo de Clericis incontinentibus, aliisque capitibus anno 404. consultus, qui decretum Syricij Papæ *in epist. 1.* quæ est ad Himerium Tarraconensem *cap. 7.* ferè ad verbum exscripsit; prout videre licet in utriusque illius Pontificis epistolis, quarum argumenta præsenti nostro instituto deservientia, & in continenti proponenda excerpsit Dionysius Exiguus magnæ apud Gallos authoritatis.

ARGUMENTUM I.

Ex Rescripto S. Innocentij à Victricio Rothomagensi Episcopo consulti.

MUlta circa Pontificis Rescriptum occurrunt notatu digna. *Primum* est. Tametsi Victricius esset rerum Ecclesiasticarum peritissimus, Romanum tamen Pontificem adijt, non ut Doctorem peritiorem, sed ut Pontificem, à quo norma, & authoritas esset requirenda. En epistolæ Innocentij principium. *Innocentius Victricio Episcopo Rothomagensi, Salutem. Etsi, frater charissime, pro merito, & honore Sacerdotij, quo plurimùm polles, vivendi, & docendi secundùm Ecclesiasticas regulas nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minùs collectum esse videatur. Tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam, atque authoritatem magnoperè postulâsti, voluntati tuæ morem admodùm gerens, digestas vitæ, ac morum probabilium disciplinas annexas litteris meis misi.*

19. *Secundò* responsum suum, indicat Summus Pontifex legis loco habendum, nec ullum supponit futurum ejus examen, aut formulam aliquam receptionis, sed satisfore, ut cognoscatur ex significatione ab eodem Victricio faciendâ: *Per quas* (disciplinas) *advertant Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus, & regulis Christianorum vita in sua cujuscumque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romæ Ecclesijs disciplina. Erit dilectionis tuæ, per plebes finitimas, & Consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesijs præsident, regularum hunc librum quasi didascalicum, atque monitorem sedulò insinuare: ut & nostros cognoscere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare.*

20. *Tertiò* profitetur, se anteriorum Pontificum, & Patrum vestigia sectari. Is enim, ut alibi notavimus, Summorum Pontificum, æquè ac Gallorum, imò magis, mos fuit, disciplinæ regulas, ut erant antiquissimæ, ita maximè venerari. *Non quòd nova aliqua præcepta imperentur*, inquit, *sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus: quæ tamen Apostolicâ, & Patrum traditione sunt constituta.*

21. *Quartò* nec id tantùm decrevit Innocentius, quia fuerat à Victricio consultus, sed quia ejus erat, omnium Ecclesiarum abusibus, ut sibi denuntiati fuerant, opponere remedium; Ecclesiarum autem, eam admittere curationem; *Ergo*, addit idem Pontifex, *ne silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente Domino: Videbas furem, & currebas cum eo, hæc sunt, quæ deinceps intuitu Divini judicij omnem Catholicum Episcopum expedit custodire.*

ARGUMENTUM II.

Petitum ex epistola ejusdem Innocentij anno 405. ad S. Exuperium Episcopum Tolosanum scripta, nec non ex Siricij Papæ Apostolicis litteris ad Himerium Episcopum Tarraconensem anno 385. scriptis.

ETenim Innocentij præfati ad S. Exuperium rescripta epistola inchoat sub hisce verbis. *Innocentius Exuperio Episcopo Tolosano salutem. Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie sentirem: pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa, respondi, quid sequendum, vel docilis ratio persuaderet, vel authoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Equidem dilectio tua institutum secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubijs custodire potiùs, quàm usurpatione præsumptâ, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere.* 22.

Deinde respondet ad quæsitum de incontinentia Sacerdotum in eundem modum, quo anno 385. Siricius Papa Himerio Episcopo Tarraconensi. Sed (quod diligentissimè animadvertendum est, & probat, Summorum Pontificum responsa legum vim habuisse, licèt non essent solemniter promulgata, vel acceptata) cùm ad pœnam venit, quæ à Siricio contra incontinentes decreta fuerat, licèt Himerio Siricius suam epistolam non præcepisset, saltem expressè, cum Gallicanis Ecclesijs communicare, declarat Innocentius eos, qui in Gallia illam non ignorâssent, omnium pœnarum in illa contentarum reos habendos: *Sed ea planè dispar, & divisa sententia est. Nam si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter, & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse: his ignorationis venia remittetur ..... Si qui autem scisse formam vivendi missam à Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.* 23.

Fecerat quidem Siricius Gallicorum mentionem, Himerio injungens, ut epistolam suam in illorum notitiam deduceret. Sed eo nomine Pontifex significabat illos, qui vulgò *de Galizia*. Porrò quæ fuerit mens ipsius Siricij circa publicationem, & receptionem ordinationum Pontificiarum, indicant ejus verba: *Hæc, quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, & non solùm eorum, qui in tua sunt Diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses* 24.

nenses, & Bethicos, & Lusitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde Provinciis, hæc, quæ à nobis sunt salubri ordinatione dispositа, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur, & quamquam statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum: utiliùs tamen & pro antiquitate Sacerdotij sui dilectioni tuæ esse admodùm poterit glorioſum, si ea, quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ solicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ à nobis non inconsultè, sed providè sub nimia cautela, & deliberatione sunt & salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus inposterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patère poterit, obstruatur.

CONCLUSIO.

25. DE fide certum est, existere in Summo Pontifice potestatem legislativam erga Vniversam Ecclesiam.

Explicatur ex illis Christi Domini *Matth. 16* ad Petrũ prolatis verbis: *Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Hisce namque verbis Christus promiserat Petro potestatem Pontificiam, quam ipsi *actualiter* contulit, dicendo *Ioannis 21. Pasce oves meas.* Num verò ishæc verba admittere possunt coarctationem aliquam, ne in universas Christiani orbis provincias extendi valeant? Quo sic constituto, ita licebit jam argumentari.

PROBATIO I.

Ex prætactis Christi Domini *Matthæi 16.* & *Ioannis 21.* exaratis, ac inter se collatis verbis petita.

26. EA namque Domini nostri verba potestatem ad ligandum conferentia, cùm sint omninò indefinita, illam vel maximè potestatem inferunt, quæ est maximè necessaria ad gubernandum & pascendum Oves Christi, seu Ecclesiam, ejusque concives fideles: ejusmodi autem vel maximè est potestas legislativa. At eo ipso, quòd potestas illa sit ordinaria, non erat annexa personæ, sed officio. Hoc autem officium est *Moraliter* unum in successoribus, & hinc dicitur perpetuum, quod nunquam mori potest. Illis ipsis igitur Christi verbis universalem gubernandi Ecclesiam, atque adeò leges ferendi erga fideles potestatem pastorali Petri officio annectentibus, fuit in omnes ejus successores eo jam tempore *Virtualiter* translata illa authoritas; ita ut Pontifex Summus illam pastoralem dignitatem, ac Universalissimam erga fideles legislativam potestatem ab ipsomet Christo *immediatè* accipiat statim, ac per electionem est legitimè designatus Pontifex, ita ut hæc electio nihil Jurisdictionis conferat, sed personam duntaxat Petro succedentem designet, Christo ex vi illorum verborum transferente in ipsum illam officio Papali de se perpetuò annexam jurisdictionem.

PROBATIO II.

Desumpta ab exemplis, quæ apud Patrem Sirmondum, & alios Authores Gallos habentur apud *præcitatum* Authorem *tract: de libert. Eccles. Gallic. 2. cap. 11. à n. 10.*

INter hæc continetur exemplum libelli Symmacho Papæ à Cæsario Episcopo Arelatensi oblati, qui sic orditur: *Sicut à persona B. Petri Apostoli Episcopatus sumit initium; ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesijs, quid observare debeant, evidenter ostendat.* Idem Symmachus *Epistolam* 11. sic inchoat. *Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Gallias consistentibus, Symmachus: Sedis Apostolicæ instituta prædicanda sollicitant, ut de concordia universalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est, pervigili curâ tractemus. Quæ tunc precipuè efficaciùs adolescit, si ea, quæ à Patribus statuta sunt, ætas subsequens reverenter observet.* 27.

Vigilius epistolâ ad Episcopos Galliæ anno 545. *Quantum nos*, inquit, *Divina potentia Apostolorum primi Sedem non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate habere constituit, tantum nos de universarum Ecclesiarum dispositione, & pace, & statu curam habere convenit.* 28.

Cælestinus Papa Episcopis Provinciæ Viennensis, & Narbonensis jurisdictionem suam in universas Ecclesias his verbis exprimit; *Nec silere possumus, cùm ad hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officij nostri provocemur instantia: in speculis à Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda sunt, resecemus, & quæ observanda sunt, sanciamus. Circa quamvis longinqua Spiritualis cura non deficit; sed se per omnia, quà nomen Dei prædicatur, extendit.* 29.

Denique anno 860. quo tempore Antistites Gallicani pro suis juribus cum Summis Pontificibus frequenter altercabantur, sic tamen alloquebantur Nicolaum primũ, *Apostolicis documẽtis, & Pontificalibus Decretis multipliciter informamur, ut vestri sanctissimi Apostolatus apicem, Principis Apostolorum fide, & nomine consecratum, quoties S. Ecclesia aliquâ novitate pulsatur, humiliter adeamus, ibique veri consilij salubberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis Magister Christus, & Summum Caput nostrum fundamentum Ecclesiæ posuit.* Apud Sirm. tom. 3. *pag. 158.* 30.

§. III.

Quænam promulgatio legis Ecclesiasticæ sit necessaria ad ejus obligationem, in Regno præsertim Gallicano inducendam.

LIbertati ad elidendas novas leges Pontificias inservire potest illa quoque non nullorum. 31.

lorum Canonistarum sententia, quæ eandem in legibus *Canonicis*, ac *Civilibus* promulgandis requirit solemnitatem, ita ut, dum Pontifex saltem aliud expressè non declarat, non obligent, nisi post duorum mensium à die publicationis terminum, debeatque promulgatio fieri in singulis provincijs. In ordine ad hujusmodi proinde promulgationem vacat tempus sufficiens ad legem examinandam; *An scilicet digna sit, quæ acceptetur?* De cujusmodi proinde examine, in quantum sit licitum, duo hîc proferemus argumenta, non ex proprio, sed alieno potiùs judicio statuenda.

ARGUMENTUM I.

Vtrùm novæ leges Ecclesiæ, priusquàm acceptentur, *licitè* examinari possint?

32. AUthor *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 2. cap. 3.* hoc quæsitum ita decidit. Quod sanctissimus Pontifex Leo I. *in epist. ad Rusticum* docet, *quædam, quæ nullâ ratione possint convelli*, ad fidem, & mores pertinere, ut scilicet quæ à supremaveritate, & omnis veritatis fonte Deo Ecclesiæ revelata sunt circa Christianæ Religionis mysteria, vel mores secundùm Divinam legem, & rectam rationem instituendos, stent semper immota, nulliq; mutationi obnoxia. Quod autem subjicit: *Multa esse, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari*, de disciplina est accipiendum. Cùm enim disciplinæ legibus is propositus sit scopus, ut fideles faciliùs & efficaciùs in fide Orthodoxa, & in probis moribus permaneant, & semper charismata meliora æmulentur, nec eâdem ratione debeant, aut possint omnes omni tempore, aut in omni loco in illis officijs contineri; necesse est, ut Ecclesia, quemadmodùm alibi diximus, suas leges interdum mutet, mutatis personarum & negotiorum circumstantijs, maximeque semper attendat, quid, quo tempore, quibusque personis utilius futurum sit.

33. Itaque cùm cuipiam Regno, aut Provinciæ proponitur lex, superioris est, & circumspicere diligenter conditiones omnes, à quibus pendet ejus utilitas; nec ægrè ferre, si subditi propter aliqua incognita Legislatori, cujus notitia non potest ad singula quæque pertingere, damni plus allaturam legem, quàm utilitatis viderint, reverenter significent, ac remedium petant.

34. Canones Ecclesiæ, qui ad fidem, & mores spectant, infallibili Dei revelantis authoritate nituntur, ideoque obedientia eis quasi cæca debetur, quanquam nemo clariùs videt, quàm qui Deo assentiendum judicat, etsi rerum causas, rationesque minimè penetret: leges autem, quæ in disciplina versantur; hominum, quòd suprà diximus, conditionibus, ut fructum optatum referant, aptandæ sunt, nec nisi rationabile obsequium desiderant.

35. Solemne est Ecclesiæ, ut in gubernandis fidelibus, Divinum regimen imitetur, nec solùm attingat à fine usque ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaque honoris Principibus debiti meminit, illorum jura servat illæsa, ordinem, & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia, & usus attendit, omniaque ita ponderat, ut consensum, & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat; suadeat, quàm præcipiat; amore alliciat, quàm timore impellat: nec infirmitati solùm parcit, sed interdum etiam malitiæ cedit in ijs, quæ cum Religionis periculo non sunt conjuncta.

Verùm lumen illud sancti Spiritûs, quod 36.
Summo Pontifici adest, cùm explicandâ sunt fidei mysteria, & tradenda morum præcepta, non perpetuò illi hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes; improborum mendacia detegit, non adversùs ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia, immotos servat. Quid si, quod tamen sinè gravi fundamento suspicari nefas est, Summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregandarum divitiarum, augendæ familiæ, alióve pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut justitiæ repugnans? Nec enim altitudo, & sanctitas solij sanctum facit, & à peccato securum. Num, si quid hujusmodi contingeret, ab exequendo mandato non liceret abstinere? Quod autem in mandatis singularibus, etiam in communibus legibus liceret, quamvis longè difficiliùs legibus desit justitia, quàm præceptis particularibus.

Possunt igitur, dissimulantibus Summis 37.
Pontificibus, expendi novæ leges, antequam recipiantur, ut, si quæ prodierint, quibus non sit necesse, vel etiam expediens parêre, suspendatur executio, ac suspensionis causæ significentur, dummodò id cum bona fide, reverentia debita, & intentione sincera fiat.

Etenim generatim, ut lex aliqua ad sui 38.
observantiam adstringat, duo requiruntur ex parte legislatoris, scilicet intentio, & authoritas. Duo etiam ex parte subditorum, notitia, & facultas. Itaque si legis Conditor, aut omni careat authoritate, aut ejus potestas ad materiam legis non se extendat, vel ejus intentio certum tempus, certas personas, loca, vel negotia eximat ab onere; si subditi legem rescire, aut illam exequi non possint, parendi necessitate non tenebuntur. Quocirca examen aliquod requiritur.

Primò igitur videndum est, an à legitimo 39.
superiore orta sit lex, nec venerando, quod interdum præfert, nomini statim est concedendum. Quot enim in Gratiani Decreto v. g. deprehensi sunt Canones Concilijs, Summis Pontificibus, aut alijs authoribus adscripti, à quibus, constat, non fuisse conditos? Sunt etiam nonnulli, qui ab eorum mente, quorum nominibus insigniuntur, longè absunt, ut videre est in libris ad ejus emendationem scriptis. Canones Augusto Apostolorum nomine celebres, non solùm sanctissimorum illorum Ecclesiæ parentum fœtus non

sint,

sunt, sed etiam nonnulla tradunt Ecclesiæ doctrinæ, acusui adversa. Nunquid ergo sinè ulla discussione fuerant excipiendi, aut agnitâ suppositione, sinè discrimine in usum inducendi?

40. *Secundò* dum legis Author certus est, & constans legislatoris authoritas, potest ejus dubia esse intentio, vel etiam liquère, quòd lex omnia loca, omnes personas, omnia tempora non comprehendat: sic v. g. præceptum de consecrando pane Azymo ad solam Ecclesiam Latinam, non autem ad Græcam pertinet. Sic præceptum Apostolicum de abstinendo à suffocato, & sanguine, ad tempus duntaxat erat positum, &, ut censet Baronius, pro quorundam tantùm locorum Christianis, ad quos epistolam direxerant Apostoli.

41. *Tertiò* in Ecclesiastica Hierarchia, sicut & in Cœlesti illuminantur & perficiuntur à superioribus medij, & à medijs infimi. Quamobrem Decreta Ecclesiastica primùm quidem Episcopis, ab illis deinde inferioribus Sacerdotibus, & à Sacerdotibus plebi sunt intimanda; adeò ut si aliâ viâ perferantur, in suspicionem meritò veniant, ne satis sit, ut fidelibus quoquo modo innotescant, nisi consueto more promulgentur, si nempe potuerit solitus ordo commodè servari.

42. *Quartò* cùm Ecclesiæ, sicut & Christi ejus sponsi jugum suave sit, & onus leve, Christusque ipse illos reprehenderit, qui hominum humeris onera importabilia imponunt, quando lex impossibilis est, aut incommodum aliquod maximum secum trahit, præsertim à superiore ignoratum, non videtur fieri ei injuria, si non statim caput jugo supponatur. Usus antiquis moribus, præsertim non perversis, contrarij vix inducuntur sinè scandalo, cujus causâ vitandi Summi Pontifices præcepta sua, alioquin justa, suspendi velle censentur. *Consultiùs duximus*, inquit Cælestinus III. cap. Quòd dilectio. de consanguinit. & affinit. *observatæ consuetudini deferre, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populi statuere, adhibitâ quâdam novitate.*

43. Eandem Summis Pontificibus mentem tribuere convenit, quotiescunque injustum aliquid in lege, aut præcepto continetur. Alexander III. *cap. Si quando de Rescript.* eam his verbis prodit; *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod nobis fuerit pravâ insinuatione suggestum.* Eam etiam indicat *cap. Cùm teneamus. de præbend.*

ARGUMENTUM II.

An leges justæ, etiamsi non fuerint acceptatæ, inducant obligationem?

44. PRæcitatus Author *seq. cap. 4.* præsupponens hanc difficultatem non tam *Iuris* esse, quàm *Facti*, disserit in hunc modum. Qui leges, inquiens, ante acceptationem vim non habere, contendunt, illis præcipuè ad id credendum rationibus inducuntur. *Primò*, quòd leges cum ea intentione dantur à Principe, ut eas velit non obligare, nisi accedente subditorum consensu; quod si de facto verum sit, id est, si superior consensum subditorum tanquam conditionem requirat, sinè qua legem robore careret velit, nemini dubium est, quin isti liberi sint ab ejus observandæ debito. Utrùm autem ea sit superioris intentio, nec ne, prudentis est determinare, aut potiùs superioris ipsius expressiùs significare, ne infirmis laqueus prætendatur.

45. *Secundò*, cùm superiores à populi consensu, & voluntate suam obtinuerunt authoritatem, non censetur populus eam potestatem in superiores contulisse, ut inconsulto sibi possent leges præfigere, & se invitum ad earum executionem adstringere. Quæ ratio in Prælatis Ecclesiasticis à Domino nostro Jesu Christo institutis locum habere nequit, sed neque etiam fortassis in Principibus sæcularibus, qui, licèt ab hominibus primùm electi fuissent, à Deo tamen acceperunt facultatem ea præcipiendi, quæ ad bonum publicum essent necessaria, & reservata præstandi à populo consensûs necessitas, non de injusta voluntate illius, sed de justa causa, & recta ratione esset interpretanda.

46. *Tertiam* alij rationem afferunt, nempe legem eam præsumendam fore inutilem, aut perniciosam, quæ à tota Republica refutaretur, sed in eo casu non tam acceptationis, quàm justitiæ, aut intentionis Legislatoris defectu legis obligatio cessaret.

47. Ergo injustæ leges non obligant, quidquid intendat illarum Conditor; nec justæ, si aut *tacitè*, aut *expressè* annuat, ut non prius subditos ligent, quàm fuerint ab eis receptæ. Posset autem faciliùs præsumi consensus ille *tacitus* superiorum à subditis scientibus, eas non esse ab illis admissas, ad quorum curam, & officium pertinet illarum promulgatio, nam difficile foret, ut infimi contra mediorum sententiam, & voluntatem, supremorum obsequerentur mandatis, quorum aliunde justitiam non ita perspectam haberent.

48. Nec semper argumentum omninò certum est contrariæ superiorum voluntatis, si legem recipiendam, & exequendam urgeant; hæc enim instantia desiderium potiùs superioris arguit, quàm præceptum contineat. Quis enim æstimet de supremo Ecclesiæ Pastore, velle illum genus quoddam schismatis inter inferiores Pastores, & animas illis specialiter commissas inducere? Peccant, qui sinè causa legem rejiciunt; sed qui rejectam non observant, eò quòd sinè gravi dissensione, aut alio incommodo non possint, immunes videntur à culpa, quando superior silentio suo testatur, se optare quidem, ut mandatis suis obtemperetur; nolle tamen infirmorum aut illaqueare conscientias, aut pacem & quietem, fortunas, vel alia bona, sinè majoris boni spe, in discrimen adducere. Tutius tamen semper est, superioris intentionem diligentiùs scisciari.

49. Quòd autem, si & lex justa sit, & superior eam quamvis non receptam, vim habere intendat, subditi ad eam acceptandam tenentur,

antur, &, si violent non acceptatam, peccati rei sunt, plures adeò certum habent, ut de fide esse, affirment.

50. Præstat sæpissimè, in similibus casibus prudentiæ regulas consulere, quàm propriæ potestatis gradus metiri; nec solùm videre, quid quis possit, sed etiam, quid liceat, quid deceat, quid expediat, atque ita se unumquemque habere, ac si omninò id non posset, quod sibi non liceat, Divinumque honorem, bonum publicum, animarumque salutem legem supremam existimare, quod est optimũ S. Bernardi ad Eugeniũ III. monitum de Consider. lib. 3. c. 4. *Puta, tibi non licere (etsi aliàs fortasse liceat) quidquid malè fuerit coloratũ, spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine dijudicetur, omne opus suum trin à quâdam consideratione præveniet: primùm quidem, an liceat, deinde an deceat, postremò, an expediat. Nam etsi constet, in Christiana utique philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire nisi quod decet, & licet: non continuò tamen omne, quod licet, decere, aut expedire, consequens erit.* Non est tamen inutile, uniuscujusque potestatis limites nôsse, ut eas, & superiores non excedant, & subditi venerentur, & hoc pacto in pacem omnes faciliùs consentiant, & concordent.

51. Suarez non solùm ejus est sententiæ, ut credat, legum Ecclesiasticarum vim ab acceptatione non pendêre, verùm id etiam secundùm fidem negari non posse, affirmat *lib. 4. de legibus cap. 10.* Sed, ne ad Doctorum extra Galliam, opinionem Gallos vocemus, Michaël Mauclerus Doctor Parisiensis eandem amplectitur sententiam, & similibus verbis exponit *de Ecclesiastica Monarchia par. 2. lib. 4. cap. 3. obligationem inferre potest in conscientia*, inquit Doctor ille loquens de Summo Pontifice, *observandi leges Canonicas à se conditas, & sufficienti promulgatione orbi Christiano communicatas, ut Alphonsus à Castro, Turrecremata, aliique de meliori notæ Doctores crediderunt: Quod adeò verum esse credo, ut secundùm fidem negari non posse, putem.* Et ne quis putaret verba illa, *sufficienti promulgatione*, acceptationem supponere, subjungit; *Neque propterea lex minùs legis nomine, & honore dignabitur, si justa, & sufficienter promulgata non recipiatur à populo, nec minùs peccabit contra Dei jussa, si illam sinè causa repudiet.*

52. Sed quid opus est singularium Doctorum mentem referre. Tota Schola Theologiæ Parisiensis in Decreto diutissimè ponderato super doctrinâ Lutherianâ sic censuit an. 1521. *de constitutionibus Ecclesiæ.* Propositio. *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus ullius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.* Censura. *Hæc propositio est à debitâ subditorum erga Prælatos, & Superiores subjectione, & obedientiâ retractiva, legum positivarum seditiosè destructiva, ac in fide, & moribus erronea, & est error damnatus VValdensium, cum errore Arianorum conveniens.* In hist. Univers. Paris. tom. ult. ad illum annum.

53. Idipsum senserant Antiquiores; *Hujus*, inquit Ivo Carnotensis *epist. 8. de Sede Apostolica verba faciens, judicijs, & constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pro Ecclesiæ libertatibus Martyr *epist. 122. edit. Patris Lupi ad Gilbertum Londoniensem Episcopum* scribit: *Solus infidelis, aut schismaticus Apostolicis obtrectat obedire mandatis.*

CONCLUSIO.

54. PRorsus asserendum est, constitutiones Pontificias Romæ promulgatas, statim habere vim obligandi in tota Ecclesia absque ulteriori publicatione, nisi aliud caveatur.

EXplicatur. Cùm sacri Canones pro legibus Ecclesiasticis non determinent tempus obligationis, modumque promulgationis, ideo arbitrantur nonnulli Canonistæ, standum in hoc esse determinationi Juris *Civilis*: sicuti enim leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum Canonum statuta juvantur Principum constitutionibus. *Can. 1. De novi operis nuntiat.* Adversùs quam opinionem sequentia proferemus argumenta.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, circa constitutiones Pontificias promulgandas, earumque obligationem *actualiter* inducendam, non habere locum solemnitates, à Jure Civili præscriptas.

55. ETenim leges *Civiles* sunt quidem à sacris Canonibus receptæ ad causarum, quæ nullo sacro Canone sunt definitæ, decisiones *judicialiter* faciendas: attamen quoad leges ferendas, nullo sacro Canone cautum est, ut servari debeat modus in Iure Imperatorio præscriptus, quin potiùs praxis stet in contrarium. Tum quia Pontifex *in Canone 1. post init. de Concessione Præbendarum.* extra casum Privilegij, Indulgentiarum, seu concessionum specialium, videtur approbare, quòd lex, seu constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquàm ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intrà quod ignorari minimè debuissent. Ex quo patet, duos esse terminos obligationis actualiter constringentis, à Pontifice positos; alterum scilicet habitæ notitiæ, alterum verò temporis, infra quod lex ignorari non debuisset. At verò iste posterior terminus est secundùm præsumptionem Iuris, utpote legis ignorantiam non præsumentis, prior verò est secundùm ipsam rei naturam, non quidem respectu obligationis in actu *primo*, sed in actu *secundo* inducendæ. Videtur proinde, constitutiones Pontificias, nisi aliud in ijs exprimatur, non exigere promulgationem, nisi quæ de Iure naturali necessaria sit, cujusmodi est sufficiens, si fiat in Curiâ Romanâ.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur, Summo Pontifici arbitrarium esse, ut pro legis obligatione inducendâ vel statuat ulteriorem terminum, vel promulgationem extra Curiam Romanam quoque faciendam decernat.

56. ETenim Pius IV. in Bullâ Concilij Tridentini promulgatoriâ trium mensium spatium assignavit Et Decretum Matrimonia absque præsentiâ Parochi ac Testium contracta irritans, ex constitutione Concilij Tridentini *Sess. 24. de Reform. cap. 1.* non nisi post promulgationem in singulis Parochijs sortitur effectum.

57. Extra ejusmodi proinde speciale provisionem, prorsus dicendum est, quòd Leges Pontificæ intrà Urbem promulgatæ statim obligare incipiant, suam tamen *actualem* obligationem diffundant *successivè*, ita ut, cùm legis in Romanâ Curiâ promulgatæ notitia in uno Episcopatu intrà mensem, in alio autem non nisi post tres menses *moraliter* haberi possit, obligatio ejusmodi Romæ à primo statim publicationis die, alibi autem pro distantiâ locorum seriùs, aut citiùs constringat in actu *secundo*, vi tamen obligandi in actu quasi *primo* spectatâ, legibus essentiali, mox à primo promulgationis instanti universam Ecclesiam afficiente, nisi aliud caveatur ex speciali voluntate seu benignitate Pontificis.

PROBATIO III.

In qua fit retorsio authoritatum, quas Petrus de Marca allegat, ad probandum, vim legis pendêre à promulgatione, unâ & acceptatione in singulis provincijs.

58. ILle equidem Author *lib. 2. suæ concord. cap. 16. n. 5.* ait, *leges* Ecclesiasticas eâdem tertiâ *conditione, quâ* civiles *adstringi, scilicet, ut parendi necessitate Christianos non teneant, donec ita sint receptæ*: dicitque, *hanc non solùm Gallorum omnium, sed etiam celeberrimorum quorumcumq; Doctorum esse sententiam.*

59. Cujus asserti oppositum demonstrat Author sæpe *dicti tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 2. cap. 7. à n. 2.* hunc in modum disserens. Vera sunt hæc de utrisque legibus, si vel *tacitus* superioris consensus adsit, vel à lege absit justitia. Sed si subintelligantur duæ conditiones à nobis *suprà* expositæ, ut scilicet & lex justa sit, & superior omninò, & non obstante consensûs defectu, eam obligare intendat, & pauci Galli, & pauciſſimi celeberrimi Authores necessariam omninò promulgationem affirmabunt.

60. Huic sententiæ non favebit Gratianus, qui *primo loco* citatur; nec enim *tacitum* illum superiorum consensum excludit, licèt illum non exprimat, dum ait, *leges institui, cùm promulgantur: firmari, cùm moribus utentium approbantur.* Invisus ferè Gallis est Gratianus, quòd plurima collegerit, quæ illis videntur Summorum Pontificum authoritatem nimis extollere, nec illum controversiarum de libertatibus Ecclesiasticis Iudicem reciperent lubentes. Itaque non est in explicandâ illius mente ampliùs immorandum; quamquam sic illum authorem interpretantur communiter Iuris Doctores, ut *tacitum* Principis consensum ad non exequendam, vel ad abolendam legem requirat, quod in ipsis animadvertere licet, quos deinde citabimus ex prædicto Marcâ. Imò seipse videtur corrigere *§. ult. ejusdem distinctionis 4.* dum addit; *Nisi fortè quis dicat, hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta. Decretum verò necessitatem facit: exhortatio autem liberam voluntatem excitat.*

61. *Secundò* sanctus Augustinus, quem putat Marca inclinare in contrariam sententiam, *lib. de vera Religione cap. 31.* non inferiorum, sed superiorum judicio permittit leges, cùm fiunt. Hæc sunt illius verba; *In ipsis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cùm eas instituunt* (certè non subditi, sed superiores, leges instituunt, imò nec adsunt quidem inferiores, nisi fortè pauciſſimi, dum leges conduntur) *tamen cùm fuerint institutæ, atque firmatæ, non licebit judici de ipsis ju, dicare, sed secundùm ipsas.* Si judici, qui Principis vice fungitur, non licet de legibus, sed secundùm leges judicare, quomodò id permittetur inferioribus? Non enim dicit S. Augustinus, cùm receptæ, sed cùm institutæ, atq; firmatæ fuerint, quod totũ ad Principis authoritatẽ pertinet. Sed quòd S. ille Doctor de Legislatoribus, non de inferioribus doceat, posse de legibus judicare, cùm instituuntur, declarat ipse manifestiſſimè verbis, quæ post jam relata immediatè sequuntur; *Conditer tamen legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundùm ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandúmque discernat.*

62. Covarruvias, quem dictus Marca celeberrimum Authorem vocat, utriusque conditionis supradictæ mentionem expressam facit in illis ipsis verbis, quæ sunt ab illo exscripta è *libro 2. variar. resol. cap. 15. num. 6.* scilicet; *Leges à Principe dari eâ conditione, ut non aliter obligent, quàm si fuerint à Republica receptæ. . . . & maximè præsumendam esse eam legem, quæ à Republica non recipitur, minimè ei convenire.* Ergo econtra si Princeps intendat, ut leges etiam non receptæ obligent, & illæ aliunde Reipublicæ conveniant, ad illarum observationem subditi tenebuntur.

63. Navarrus, qui est alius author à præfato Marca citatus tanquam celeberrimus, necessitatem *taciti* consensûs Principis expressè meminit. Dixi, inquit, *receptam: quia antequàm recipiatur saltem per majorem partem Universitatis, cujus pars est transgressor, non ligat. Quamtam promulgari videtur cum conditione, si recipiatur saltem per majorem partem*, ut singulariter dixit Domin. *in §. Leges per Recentiores ibi*, & *in cap. 2. de constit.* & profundiùs Felix *in cap. 1. de treuga, & pace. num. 12.*

Citan-

64. Citantur ad marginem alij Authores, qui duas possunt in classes dividi. *Prima* est eorum, quos vulgò Summistas, aut Casuistas appellant, *secunda* aliorum Theologorum. In *prima* classe reponendi sunt Bartholomæus Fumus Ordinis Prædicatorum, cujus liber inscribitur: *Summa Aurea Armilla nuncupata.* Angelus de Clavasio Ordinis Minorum, cujus liber *Summa Angelica* dicitur; & Sylvester. Horum trium nullus non supposuit consensum Principis, ad detrahendam legi vim, esse necessarium: sive quia tum debet adesse, cùm lex publicatur, aut in desuetudinem abit, sive quia generaliter constitutum est, ut post certum tempus, ac cum certis conditionibus leges inobservatæ robore carerent.

65. Ecce verba Summæ Aureæ *Armilla* nuncupatæ verbo Lex. num. 11. *Et dicit Gloss.* in cap. Quocirca. de consang. & affin. *quòd tolerantia, & dissimulatio Principis in actu de jure prohibito, inducit dispensationem: quod Dominus Antoninus intelligit, quando constitutio Papæ à principio non recipitur, Papâ sciente, & tolerante, quo casu tolerantia excusat à peccato: non autem, si à principio recepta fuit à majori parte, secundùm quod limitat Panormitanus.* Nota hæc verba, *Papâ sciente, & tolerante.*

66. Angelus autem de Clavasio *verbo Constitutio. §. 1.* sic quæstionem proponit: *Vtrùm constitutio Papæ, quæ à principio communiter non recipitur, ipso sciente, & tolerante, obliget ad peccatum?* Item *verb. Consuetudo. §. 10. Ex quo,* inquit, *per binum actum factum est contra Legislatorem scientem, & valentem contradicere, & non contradicentem.* Non disputat igitur Angelus, utrùm lex non accepta subditos arctet, urgente, ac præcipiente superiore, ut acceptetur, sed supponit, ipsum scire, & tolerare non receptionem.

67. Sylvester *verb. Lex. num. 6.* adhuc clariùs illum consensum docet esse necessarium, imò majorem in hoc authoritatem vindicat Summo Pontifici, quàm Imperatori, ut mirum sit, in patrocinium advocatum fuisse sententiæ Petri de Marca. Audi ergo Sylvestrum *verb. Lex. num. 6. Quæritur, quæ, & quot requirantur ad hoc, quòd lex habeat vim obligativam in se, sive in communi, & dico, quòd multa ..... 4. quòd per inferiores sit suscepta, & approbata* dist. 4. In istis. §. Leges ..... *Etsi opponatur, quòd hoc sit absurdum, quia potestas condentis legem penderet à subditorum arbitrio. Dico* primò, *hoc non esse inconveniens in Principe sæculari, id est, Imperatore; quia, ut recitat, & sequi videtur Archidiac.* dist. 3. Lex. *Quidam, ut Landul. dicunt, populum posse auferre Imperatori authoritatem, quam in eum transtulerunt, juxta §.* Sed quod Principi. Instit. de Iur. natur. *sicut judex, qui delegavit.* (Ecce quomodò Sylvester suffragatur opinioni Marcæ, in eo, quòd *lib. 2. cap. 2.* docet, non solùm authoritatem Regiam manare à Deo, sed etiam specialiter singulis Regibus à Deo immediatè conferri) *sed omnes Ecclesiæ non possunt auferre authoritatem à Papa, qui eam habet à Domino.* Vide si vis Archiepiscopum *3. par. tit. 18. cap. unic. col. 3.* (S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum intelligit, à cujus authoritate possemus novum accersere argumentum) *Esto tamen, quòd illud sit inconveniens in Imperatore, sicut in Papa: Dico, quòd hoc non sequitur, quia potest Princeps deputare executorem compellentem ad observantiam legis: quo casu necessaria erit susceptio legis subditis compulsis.* (Vide, an Sylvester cum Marca doceat, nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit) *& dato, quòd compelli non possint; adhuc non sequitur illud inconveniens: quia eo casu, quo Princeps vult compellere, sed nequit, non receptio non impedit vim legis, cùm eo modo eam impediat, quo consuetudo tollit, scilicet quia Princeps scit, & tolerat.* Non ergo defectus acceptationis, sed Principis consensus robur justæ legis suspendit.

§. IV.

An legum Ecclesiasticarum obligatio pendeat ab acceptatione Regnorum seu Provinciarum?

68. VIdetur ad excutiendam legis novæ obligationem, plurimùm conducere posse illa seu Theologorum, seu Canonistarum opinio, quæ dicit, de benignitate saltem Pontificis præsumi posse, quòd populi consensus, & acceptatio expectetur, priusquàm lex vim & obligationem fortiatur. Hanc sententiam multis argumentis firmare nititur Petrus de Marca *lib. 2. de Concord. sacerdot & Imper. cap. 16.* docens, in universum leges omnes tam *Politicas*, quàm *Ecclesiasticas*, donec acceptatæ fuerint, vim non habere, imò eam acceptationem Ecclesiasticis legibus magis esse necessariam.

ARGUMENTUM I.

Petri de Marca circa leges in universum spectatas.

69. ETenim de necessitate legis est, quòd debeat esse Reipublicæ utilis. At ejusmodi utilitas est dignoscenda ex populi acceptatione. Et ideo nolunt Principes, ut suæ leges robur accipiant, donec à populo fuerint receptæ.

Responsio.

70. AUthor *cit. tract. de Eccles. Gallic. libert. lib. 2. cap. 6. n. 1.* in hæc respondet verba. Solis equidem legibus utilibus ad Bonum publicum, non autem otiosis, aut perniciosis vim obligandi concedimus, tacitúmque Principis consensum sufficere fatemur, ut illarum obligatio suspendatur. Cæterùm Principem justas leges in subditorum optione relinquere, nisi ex certis indicijs colligatur, haud facilè credimus, nec ipse Dominus de Marca credidisse, postmodùm testatus est his *secundæ præfationis* verbis: *Ad eum verò consensum adhibendum subditos ex officio teneri juxta præscriptum Iuris Divini, nisi leges eorum commodis apertè officiant. Ab hac regula nunquam discedo, quando*

de legibus Ecclesiasticis agitur. Optandum esset, ut declarâsset luculentiùs, quid sub illis vocibus *eorum commodis* intelligeret, ut, qui libertates Gallicanas aversantur, ab ea opinione dimoverentur, Gallos ex temporalibus tantùm rationibus, non autem ex bono spirituali, aut Ecclesiasticâ disciplinâ de legibus Ecclesiæ admittendis, vel rejiciendis decernere.

ARGUMENTUM II.

Petri de Marca concernens indifferenter leges tam *civiles*, quàm *Ecclesiasticas.*

71. *SAnè contrario usu, & tacito consensu omnium, leges per desuetudinem abrogantur, & non solùm suffragio Legislatoris, uti dicebat Iulianus; ita etiam etsi non suffragium, consensus saltem tacitus populi, quirebus ipsis, & factis constat, necessarius erit, ut leges receptæ dici possint.*

Responsio.

72. PRæcitatus Author *n. 2.* respondet in hunc modum. Probat quidem hoc argumentum, consensum populi necessarium esse, ut lex recepta dicatur; nihil enim aliud est receptio, quàm consensus populi, sed supponit, illam receptionem requiri, ut lex adstringat, quod esset demonstrandum. Præterea inobservantiâ, vel desuetudine legi vigor non adimitur sine Principis consensu, qui licèt non semper necessariò exprimendus sit, ut censeatur abolita quælibet lex, dandus tamen fuit saltem semel pro semper; cùm scilicet legibus statutum est, aut requiri acceptationem, ut inciperent valere leges, aut sufficere desuetudinem per tempus à Iure determinatum, ut vigere desinerent.

73. Quocirca plerique Authores discrimen inter leges Ecclesiasticas, & civiles reponunt, opinioni Domini de Marca è regione oppositum. Volunt enim, leges civiles ijs, quos diximus, modis à populi voluntate pendêre, non autem Ecclesiasticas, eò quòd Principes à populo, Ecclesiæ Pastores à Christo potestatem acceperint. Duplicem adduxit Illustrissimus ille Præsul suæ opinionis rationem.

ARGVMENTVM III.

Petri de Marca procedens *specificè* de legibus *Ecclesiasticis.*

74. HIc igitur Author *cit. cap. 16. n. 6.* ita argumentatur. *Quia potestas Ecclesiastica conceptis verbis data est in ædificationem, non autem in destructionem, ut testatur Apostolus. Vnde sequitur, nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo modo possit; atque adeò Legem Ecclesiasticam minùs commodam pro non scripta esse habendam, quia, ut inquit Chrysostomus, hæc est Christianissimi regula, & illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens, publicæ utilitati consulere.*

Responsio.

AUthor *prætacti tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. cap. 6. n. 4.* ita respondet. Mirum certè; quòd tantum hominem talis argumenti non puduerit; *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica data est in ædificationem, non autem in destructionem.* Ergóne potestas laica data est in destructionem, non autem ædificationem? *Nihil obtrudendum est*, inquit, *fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit.* Ergóne à faciendis legibus erit abstinendum? Lex justo non est posita, sed injustis, quorum semper major extitit numerus. Leges remedia sunt, quæ tum curandis morbis, tum præcavendis adhibentur. Unde si expectandus sit hominum, ab adolescentia ad malum pronorum assensus, ut vetitis, in quæ nituntur, legum timore coerceantur, nulla erit pietas, nulla religio. Quotus enim quisque est, qui sponte suâ, vel etiam Spiritûs sancti gratiâ ità tendat ad bonum, ut à corruptæ naturæ pondere non trahatur etiam ad malum, & in lubrico positus, non egeat interdum legum authoritate retineri? Quæ lex sancta, & justa non *offendet aliquo pacto* vitijs jam deditos, aut ad illa propensos? Quæ lex non videbitur minùs commoda? An regulæ, quæ *publicæ utilitati consulunt*, maximam hominum partem non offendunt? An non illæ ipsæ sunt, quæ minùs commodæ videntur? Porrò si offensio illa, vel commoditas, bonorum judicio metienda est, non offendentur illi legibus justis, nec eas minùs commodas existimabunt; justas autem duntaxat valere diximus, etiamsi receptæ non fuerint.

ARGUMENTUM IV.

Petri de Marca *specificè* concernens leges *Ecclesiasticas.*

HUjus argumenti ratio exprimitur illis verbis. Quia nempe Christus ipse discrimen *politicæ* ac *Ecclesiasticæ* potestatis in præceptis dandis authoritate suâ constituit: *Reges gentium* (apud Matthæum & Lucam dicens) *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, Benefici vocantur, vos autem non sic.*

Responsio.

AUthor *præcitati tract. à n. 5.* sic respondet. Verba illa non vim ipsam legum, sed procurandæ executionis rationem continent. Nec enim Deus fidelium mentes artiùs adstringit ad obsequendum legibus Principum sæcularium, quàm Ecclesiæ; in eoque solo posita est differentia, ut ex communi sanctorum Patrum, & celebriorum Interpretum explicatione probatur, quòd superiores Ecclesiasticos, oporteat, præcipere, & obedientiam obtinere suavitate potiùs, & charitate, quàm severitate, & timore. Id luculenter docent verba ipsa Origenes à Domino de Marca relata, in quibus non potestas superiorum Ecclesiasticorum cum potestate Principum

pum sæcularium, sed unius usus cum alterius exercitio comparatur. *Principes Gentium non contenti tantùm regere subjectos suos, violenter eis dominari nituntur; inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc.* Mox de Prælatis spiritualibus subjungit. *Principatus eorum in dilectione debet esse potiùs, non in timore carnali*; Quæ duo ultima verba notanda sunt, ne quis putet, Ecclesiam nullo posse pœnarum timore malos cohibere; *Quid vultis*, inquiebat S. Paulus, *in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis*? 1. Corinth. 4. vers. 21.

78. Multa extant in sacris Scripturis, etiam Novi Testamenti testimonia: quæ Ecclesiæ facultatem illam fontes plectendi asserunt. Satis est, ut meminerimus, Christum, ut diximus, Apostolos suos, eorumque successores, excommunicationis, cæterarumq; censurarum gladio armâsse, quo contumaces à malo deterrerent. Quamobrem Origenes non timorem omnem ab Ecclesiastico regimine removet, *sed timorem carnalem.*

79. Sanctus Thomas, & alij plures Interpretes in eundem sensum verba Christi explicant, ut scilicet non de potestate, sed de potestatis usu, non de jure, sed de facto intelligantur. *Principes Gentium dominantur eorum* Matth. 20. *id est*, interpretatur S. Thomas, *in servitutem redigunt subditos*: Ezechiel 22. *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapaces*; *item aliqui habent eminentiam non in dignitate, sed in potestate, ut aliqui nobiles, & consuetum est, quòd qui potestatem habent, non utuntur ad beneficium, sed potestatem exercent in eos, scilicet ad opprimendum, non ad justitiam*; *sed Dominus illam consuetudinem non vult in Ecclesia sua servari.*

80. Alij interpretes super hæc verba Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum*, plurimas congerunt authoritates, ut probent: Principibus etiam sæcularibus congruere benignitatem. Olim epithetum Regis erat, *bonus*. Homerus nihil aliud in Rege desiderabat, nisi ut esset fortis in hostes, & bonus in cives. Imò Præsulum epithetum erat *Optimus*. Unde Paulus Felicem Præsidem cognominat *optimum*. Act. 23.

81. Non igitur docet Christus, quales debeant esse, sed quales sint plerique Principes. Cæterùm & Ecclesiasticis, & sæcularibus Prælatis competit, ut subjectos possint legibus obligare, & ad illarum executionem contumaces adigere, illi pœnis spiritualibus & Canonicis; isti temporalibus, & corporalibus. Sed proh dolor, carnales homines, quia temporalia bona tantùm diligunt, non nisi temporales pœnas metuunt, nec spirituales, licèt tantò magis metuendas, quantò animus corpori præstat, formidant. Unde fit, ut Ecclesiæ præcepta parvi pendantur, nisi Magistratus sæculares brachium suum, id est, auxilium, ut debent, illi commodent.

ARGUMENTUM V.

82. Petri de Marca de legibus *Ecclesiasticis.*

ETenim *Regum imperium à Sacerdotali in eo maximè distat, quòd illi non solæ singulorũ civiũ rationes commissæ sint, sed totius Reipublicæ salus: Unde fit, ut in cives etiam invitos ad fovendum totius Reipublicæ corpus jus illi competat, quemadmodùm anteà dixi, quod aliter se habet in Episcopali Ministerio, cui Ecclesiæ sollicitudo ita est commissa, ut singulorum saluti præcipuè invigilare debeat, nec curare possit universum corpus aliquorum membrorum pernicie: sed ad exemplum Magistri nonaginta novem oves deserendæ illi sunt, ut centesimam ad caulas reportet.*

Responsio.

83. AUthor *præinsinuati tract. cit. cap. 6. n. 10.* respondet in hæc verba. Quis rursus humani ingenij non demiretur imbecillitatẽ, cùm eruditissimum hominem, tam absurdè ratiocinantem, audierit? Quis credat, Ecclesiam universum corpus minùs curare debere, quàm aliqua membra? Quis credat, nonaginta novem oves illi omninò deserendas, ut unam ad caulas reportet? Consulit Ecclesia bono publico, & quidem magis, quàm privato; sed in hoc excellit ejus regimen, quòd, cùm sæculares Magistratus multa dimittant inulta, dum societati civili non officiant, Ecclesia omnibus remedia pro viribus conferat, secreta secretis, publica publicis, nec nonaginta novem justas perire sinit, ut unum salvet peccatorem: sed aliquamdiu illorum curam non necessariam intermittit, aut imminuit, ut istum interim quærat, & justorum numero apponens, simul omnium salutem, quantum potest, promoveat. Id autem & bonum publicum exigit, ut scilicet oves in tuto positæ aliquantulum deserantur, quò congregandis alijs, & gregi adjungendis, liberiùs vacetur. Neque enim si nonaginta novem pariter periclitarentur, postponeretur illarum salus unius recuperationi.

84. Monet Ecclesia privatim peccatores occultos, sed publicè peccantes, ac scandalosos publicè arguit, &, dum est inutilis correptio, eos ab aliorum communione sejungit, mavultque, ut lupi faucibus exponatur ovis una morbida, quàm totum gregem inficiat: quanquam etiam unius illius salutem exoptat, eamque ideo etiam sejungit, ut dum se à grege senserit exulem, pudore suffundatur, ac illuc redire optet, & festiner. Non tam exigit pœnam, quàm morborum curationem, non vult mactare, sed salutem conciliare. Sed eundem sibi finem debent præstituere Principes, ut scilicet bonum publicum curent, non autem ut perdant, & destruant singulares homines, nisi fortè quatenus bonum publicum reorum mortem exigit. *Si non ad bonum commune multitudinis*, inquit S. Thomas opusc. de regim. Princip. lib. 1. cap. 1. *sed ad bonum privatum regentis regimen ordinetur, erit regimen injustum, atque perversum. . . . . bonum siquidem gregis Pastores quærere debent, & Rectores quilibet bonum multitudinis sibi subjectæ.*

85. Sed utrique, & Pontifices scilicet, & Reges, dum pro bono publico singulares subditos plectunt, etiam istorum bono consulere debent, quantùm possunt. Sanè nemini fas

est, quantumvis potenti, mortem alicujus, aut aliud malum sub ratione mali petere.

86. Quòd autem Principes aliquando privatis hominibus vitam auferant, ut communitati nocere desinant; quòd etiam subjectos ad solvenda tributa, quorum dubia est justitia, compellant, non est indicium arctioris obligationis in legibus politicis, quàm in Ecclesiasticis, sed majoris timoris in hominibus à pœnis temporalibus, quàm à spiritualibus. Quamobrem rectè concludit Dominus de Marca cum Theodoreto; *Aliam esse rationem legum Regiarum, & Canonum; quòd illæ severas pœnas à reis exigant, hi autem errantes in viam reducere, & ægris remedia parare conentur; quando peccatum est in leges Evangelicas, aut mores receptos.* Hinc tamen non consequitur, vim obligandi, majorem inesse legibus politicis, quam Canonicis.

87. Sed quæ causa est, ut præfatus Author Principibus, *si non jure ordinario, sed summo jure agere velint, earum Constitutionum executionem urgere posse concesserit, quæ de jure dubio feruntur, & ab invitis civibus obsequium extorquere sinè ullâ Tyrannici Imperij exprobratione*: illam autem facultatem Summis Pontificibus, aut Ecclesiæ universæ denegaverit? Numquid in dubio præsumendum est pro justitia legis civilis, & pro injustitia Canonicæ? Nónne etiam legibus Ecclesiasticis convenit ratio boni publici; quam subjungit? *Etsi enim*, inquit, *dura sint aliquando Regum Imperia, ordo ille imperandi, & parendi id exigit, ut subditi Dominorum mandatis cedant, quemadmodùm Apostoli disertissimè docuerunt.* Quidni etiam Ecclesiæ præceptis parendum sit, etiamsi gravia videantur?

CONCLUSIO.

88. OMninò tenendum est, quòd lex Ecclesiastica quoad obligationem inducendam, sit independens ab acceptatione.

Explicatur & probatur. Quia ex fide Divinâ certum est, legislativam Ecclesiasticam potestatem Papæ *immediatè* à Christo, inferioribus autem Prælatis à Summo Pontifice collatam, non pendère à populo. Nisi ergo præsumi possit de voluntate Papæ nolentis suâ lege pro casu aliquo obligare, nemo excusatur transgrediendo ejus legem debito modo promulgatam. Hic verò Papæ consensus præsumptus generatim duplex est, *legalis* scilicet, qui fundatur in sacrorum Canonum constitutionibus; & *personalis*, qui est per tolerantiam scientis & tolerantis non observationem alicujus à se latæ legis.

89. Quare 1. legis obligatio usu non recepta ex legali Papæ consensu cessat per desvetudinem legitimè præscriptam. Ratio est. Quia consuetudo legi contraria post lapsum temporis præscriptioni necessarium, tollere potest legem usu jam receptam. *ex Can. ult. de Consuetud.* Ergo à fortiori desuetudo, seu non usus legis potest impedire obligationem legis nondum receptæ. Ad hoc tamen requiruntur duæ conditiones, quarum *altera* est, ut iste non usus sit introductus à totâ communitate, vel saltem majori ejus parte. Hîc autem nomine communitatis non tantùm venit universa Ecclesia, pro quâ latæ sunt leges Pontificiæ, sed quælibet etiam particularis communitas, seu civitas aliqua. *Altera* autem conditio est, ut legislatore non sciente, legem à se latam non servari, interveniat tempus pro præscriptione necessarium. Et quamvis pro legibus Canonicis per non usum, nesciente Papâ, abrogandis exigatur tempus 40. ann. hoc tamè accipi debet de legibus jam receptis, non verò de legibus in usum nunquàm deductis, ad has enim abrogandas sufficere decennium, tradit communis sententia. Cujus ratio est. Quia ut lex censeatur *absolutè* non acceptata, & per non usum abrogata, sufficit consuetudo longi temporis, ex Panormit. *in Cap. Cum olim. n. 4. de Cleric. conjug.* At tempus decennij sufficit, ut dicatur consuetudo seu præscriptio longi temporis; juxta *Gloss. in cap. ult. de Consuet. in 6.*

Quòd si 2. Legis non observantia fiat sciente legislatore, nullum certum tempus necessarium esse pro legis abrogatione, sed sufficere tot actus contrarios majoris partis communitatis, qui *moralem* conjecturam de tolerantiâ legislatoris efficere valeant, docent Theologi. Ratio est. Quia tunc abrogatio legis fit per *tacitum* legislatoris consensum *personalem*, pro quo præsumendo, nullum tempus est jure præscriptum, sed prudenti arbitrio definiendum est, quando legislatore statuti à se lati non observantiam tolerante, possit rationabiliter præsumi *tacitus* ipsius de ulteriùs non obligando consensus. In quo adeò casu, licèt illi, qui legem ejusmodi non observare inceperunt, omninò peccârint, ex subsequente tamen Principis, per tolerantiam ipsius præsumpto consensu, eatenus cessat, vel suspenditur legis obligatio, ut citra culpam possit non servari. 90

Ex simili præsumptâ legislatoris voluntate, dum lex pro aliquâ provinciâ, seu communitate est difficilis observationis, vel adversatur consuetudini receptæ, excusariquempiam ab ejus observatione, saltem quousque Papa, seu Princeps informetur de difficultate, seu receptâ consuetudine, tenent insignes Theologi, quorum aliqui addunt, cùm talis interposita est supplicatio, legem eatenus esse suspensam, ut, si legislator auditâ supplicatione populi, nihil respondeat, sed taceat, censeatur consentire, & legis obligationem *tacitè* auferre. Ratio est. Tum quia locorum specialium consuetudines & statuta, cùm sint *facti*, & in facto consistant, eatenus potest Papa probabiliter ignorare, ut ipsis, dum rationabilia sunt, per constitutionem à se noviter editam (nisi expressè caveatur in ipsâ) non intelligatur in aliquo 91

derv-

derogare. ex Can. 1. de Constitut. in 6. Tum quia in Can. Si quando. 5. de rescriptis. ita habetur: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.*

92. 4. Denique Serra *in fine cit. dubij* refert, aliquos existimantes, etiam in casu dubij, utrùm lex sit usu recepta, vel per non usum præscripta? licere in foro conscientiæ sequi sententiam, quæ negat, usu receptam esse. Et hinc, cùm aliqui dubitant, an Bulla Clementis VIII. de largitione munerum sit usu recepta, illos, qui stante tali dubitatione, contra illam aliquid efficerent, non incursuros pœnas latas adversùs contravenientes. Idem esse etiam de *Extravagante. Ambitiosæ* Pauli II. contra alienantes Bona Ecclesiastica: aliquos enim putare, quoad pœnas dictam Bullam non esse receptam.

PROBATIO 1.

Desumpta ex authore *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 2. cap. 5.*

93. IN hanc normam argumentatur iste Author. Cùm Deus Optimus Maximus superiori authoritatem confert ad gubernandum, & præcipiendum, ex consequenti obligationem imponit subditis ad sequendum & obediendum; sunt enim, ut loquuntur Dialectici, duo correlativa, quorum unum non est sinè altero, & frustra esset potestas regendi ex una parte, nisi ex altera responderet necessitas obediendi.

94. Id luculenter declaravit Christus ipse, cùm *Lucæ cap. 30.* Apostolis dixit: *Qui vos audit, me audit*; & ne quis leviorem æstimaret culpam, quæ contra præcepta ab hominibus facta perpetraretur, quàm si Christus proprio aliquid ore præcepisset, addidit; *Et qui vos spernit, me spernit*, quibus in verbis obedientia, & contemptus non ad personas, sed ad doctrinam referuntur, nec discrimen ponitur inter materiam fidei, & morum, vel disciplinæ; atque *ita nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Non est etiam illud Christi oraculum de contemptu, quem in scholis *formalem* vocant, interpretandum, sed de simplici inobedientia, quemadmodùm ex verbis sancti *Matthæi cap. 10. vers. 14.* colligitur. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras, &c.* Quis igitur neget, Apostolos, eorumque successores posse fideles, etiam renuentes, obligare ad recipiendas leges, & ad illas servandas, nisi fortè affirmare ausit, aut Christum ipsum id non potuisse, quæ execrabilis esset blasphemia, aut suam potestatem cum Ecclesiæ Prælatis non communicâsse, quod Evangelij verbis repugnat.

95. Quibus potuisset meliùs verbis Christus significare potestatem illam, quam S. Petro, & in illo cæteris Ecclesiæ Pastoribus contulit, hominum acceptatione non indigere, quàm istis; *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Verbum enim *ligandi* repugnantiæ superandæ vim significat.

96. Si leges superiorum Ecclesiasticorum non obligarent, recusatæ etiam sinè causa; major esset subditorum potestas vim illis aut conferentium, aut detrahentium per acceptationem, vel recusationem, quàm superiorum, quibus expectandus esset subditorum consensus. Etenim cùm obligatio necessitatem inducat, & sit quasi quoddam vinculum; si lex, cùm à legislatore profertur, non ligat, nec ad obediendum adstringit; utrumque autem præstat post consensum, & acceptationem: sequitur, legem non à conditore vim obligandi trahere, sed à subditis ipsis, quâ ratione potiores partes in proprio regimine obtinent.

97. Nec potest argumenti hujus robur infringi, reponendo, consensum subditorum esse tanquam conditionem, non autem causam obligationis, quam lex infert, dum est acceptata, quemadmodùm in contractibus minorum non Curatoris assensus, sed minoris voluntas validum efficit pactum, quamvis desideretur etiam assensus ille Curatoris. Hæc enim comparatio magis confirmat argumentum, quàm elidat. Nam *primò* contractus minoris naturaliter obligat, etiamsi non interceserit Curator. *Secundò* hinc fit, ut etiam in foro *externo*, quæ ex vi hujus contractûs soluta sunt, repeti nequeant, nisi speciali lege id cautum sit. *Tertiò* secundùm Gallorum Jurisprudentiam rati sunt hujusmodi contractus, & validi reputantur, donec Principis beneficio minori se læsum asserenti succurratur, ut possit à conventione resilire. Quæ omnia non conveniunt legi secundùm eorum mentem, qui acceptationem omninò necessariam arbitrantur; atque adeò ex illorum mente, ut lex obliget, plus efficit subditus acceptans, quàm superior ordinans.

98. Nemini unquam committitur Jurisdictio, sinè facultate cogendi. Ridicula enim esset potestas homini à Principe collata in hunc modum: *Ego te constituo illius Provinciæ, aut Civitatis Gubernatorem, vices meas tibi committo, authoritatis meæ participem te facio, gratum, ratúmq; habiturus, quidquid à te præstitum fuerit, tanquam à me ipso effectum, quisquis mandata tua contempserit, tanquam mea despexerit, reus habebitur, &c. cum hoc tamen pacto, ut cives ad nihil eorum, quæ jusseris, obligentur, nisi libuerit, illúdque faciendum receperint.* Nónne ipsum à naturâ inditum lumen rationis perspicit, mancam, & inutilem fore Gubernatoris authoritatem, si ad sua, & Principis præcepta adimplenda nequiret adigere subditos, etiam renuentes?

99. Quis enim in animum possit inducere, gladium Principibus, & Magistratibus eo tantùm fine à Deo porrectum, ut eo tunc solùm

lùm uterentur, cùm homines, quibus præpositi sunt, in eas leges peccarent, quæ fuissent ab ipsis acceptatæ, non autem ut ad eas acceptandas, dum essent justæ, sinè justa causa recusantes, compellerent? Num autem Christus vicarios suos Ecclesiæ Pastores reliquit inermes? Illorum quidem arma carnalia non sunt, sed armis tamen non carent. Potestas ligandi, & censuris innodandi, non versatur in solis ulciscēdis contra præceptaDivina patratis criminibus, sed etiam in puniendā fidelium contumacia, qui Ecclesiam non audiunt, Divinæ legis observantiam suis ordinationibus adjuvantem.

100. Non patitur forma legum Ecclesiasticarum, nec sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum, de illarum vi loquentium, verba, ut intelligamus, illas eò usque robore carere, dum fuerint à subditis acceptatæ. Nam v.g. quæ illis censuræ apponuntur, indicant, etiam reluctantes ad illarum executionem teneri. Qua in re, cùm non fiat mentio acceptationis, neque distinctio inter privatos, & communitates, imò interdum expressè ad communitates pœnæ dirigantur, non debet obligatio ad privatos tantùm, aut etiam ad communitates ipsas post acceptationem factam, referri. Et si quandoque Legislator acceptationis meminit, exceptio in illo casu firmat regulam pro cæteris.

101. Innumeros ferè Canonici Iuris interpretes, & Doctores possemus huc congerere, qui licet varia inter se sentire videantur, quia circa eandem hypothesin non versantur, ut vidimus in exemplis *suprà* expensis: in hoc tamen omnes conveniunt, ut doceant, legem justam, secundùm Principis intentionem subditos obligare, nisi justam habeant non parendi causam; sed ab iis referendis supersedemus, quia hujusmodi authoritati non satis tribuunt Galli. Videri possunt apud Prosperum Fagnanum *in cap. Treugas. de Treuga & pace*, ubi hanc quæstionem fusè prosequitur, præsertim *à num. 48.* & in hunc modum concludit; *Intrepidè concludendum est, legem Ecclesiasticam post publicationem ligare à sui principio ante ullam populi acceptationem.*

102. Absit, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ instabili, atque odioso illo fundamento nitantur, quod plerique suspicantur, qui libertates illas nihil aliud esse putant, quàm facultatem, seu licentiam faciendi, quod libuerit, refutandi, quod non arriserit. Justam causam aut habent, aut habere se putant; cùm quid aut amplectuntur, aut respuunt, quicumque injustos se apertè non profitentur.

PROBATIO II.

Refutatoria authoritatum pro parte contrariâ allegatarum à *præcitato* Petro de Marca.

103. AB hoc Authore citantur duo magni nominis Theologi, ad probandam necessitatem acceptationis, ut leges obligent, scilicet Ioannes Gerson, & Ioannes Major. Verùm de hisce Doctoribus reponit *præallegatus Author tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 2. cap. 8.* Licèt, sicut & Nicolaus Cusanus abeodē de Marca *alibi* allegatus, eo tempore scripserit, quo Summi Pontifices, seu legitimi, seu falsi, Galliam insolitis oneribus ferè oppresserant, tempore scilicet schismatis inter Pontifices Romæ, & Avenione sedentes, aut tempore bellorum, ideoque vehementiùs incusaverint abusus authoritatis Pontificiæ contra sanctam, & priscam Canonum disciplinam, nusquam tamen non meminerunt legitimæ Vicariorum Christi potestatis, & debitæ ab omnibus fidelibus erga sanctam Sedem non solùm venerationis, sed etiam obedientiæ.

Joannes Gerson *in tractatu de vita spirituali lect. 4.* quæ signanter citatur à Marca, hæc habet *corollario primo. Nulla transgressio legis naturalis, aut humanæ, ut naturalis est, vel humana, est de facto peccatum mortale.* Sed hæc doctrina nihil juvat ad stabiliendam necessitatem acceptationis, distinguit enim tantummodò, Theologorum Scholasticorum more, duas, ut ipsi loquuntur, formalitates in eadem lege. *Prima*, quòd dicatur à ratione naturali, vel constituta sit ab hominibus. *Secunda*, quòd à Deo sit posita, vel firmata; & ab hac *secunda*, non autem à *prima* potat habere, quòd obliget sub pœna peccati mortalis; sed in omni lege justa reperitur utraque illa ratio, seu formalitas. Hæc Gersonis mens manifestè patet ex probatione, quam adducit, scilicet, *quia lex naturalis, & humana, ut tales sunt, non possunt attingere ad cognitionem æternitatis in pœna, vel præmio; non ergo feruntur ad finem talem supernaturalem.*

Corollar. 4. concludit in hunc modum: *Et ita quantùm lex aliqua habet admixtum de lege Divina præceptiva, tantùm, & non amplius est ejus transgressio mortaliter vitiosa.* Et corollar. *7. Nulla lex appellanda est, neque ferenda tanquam necessaria ad æternam salutem, quæ non est de jure Divino in aliquo quatuor graduum, quos lectio præcedens exposuit.* Hæc doctrina primâ specie videtur ab omni peccato mortali eximere violationem cujuscumque legis humanæ, nisi sit etiam lex Divina. Verùm contraria mens apertè significatur *in corollario 6.* cùm de præcepto abstinendi ab operibus servilibus, & sacrosanctum Missæ sacrificium audiendi, sic loquitur Gersonius. *Quòd si peccat quis mortaliter transgrediendo limitationem istam Ecclesiæ, hoc non est propriè ex hoc, quòd Ecclesia sic præcipit; sed quia sic limitare expediebat pro communitate: Et jam homo sit contemptor Divini præcepti* (hucúsque soli Divinæ legi vim obligandi tribuere videtur: sed Prælatorum authoritatem statim asserit) *& suorum superiorum, quibus sponte se submisit, aut submittere debuit pro utilitate sui, & communitatis, cujus pars est.*

Sed *in lect. 2.* ad quam remittit *in corollario 7.* omnem

y omnem aufert dubitandi occasionem. Distinguit enim quatuor gradus legis ad Divinam legem pertinentis, ad quorum aliquem præcipuè *tertium*, vel *quartum* evidentissimè reducitur quæcunque lex, manifestam non continens injustitiam; *Dicamus, quòd illa lex est pertinens solùm ad Divinam, quæ, licèt deduci non possit à veritatibus solis Divinis, deducitur tamen ex eisdem coassumptis aliquibus veris probabilibus, quæ piè & rationabiliter negari non possunt..... In* tertio *gradu sunt leges, quæ ad sui deductionem per leges Divinas requirunt propositiones dubias, quæ tamen plus incitant & ædificant ad devotionem, quàm oppositæ, aut quas tutius est, concedere, quàm negare. Exempla multa, & quotidiana sunt in Canonibus Summorum Pontificum, & Decretalibus. Illi quippe Canones, aut Epistolæ Decretales innituntur legibus Divinis, utpote talibus universalibus; Qui vos audit, me audit: Obedite Præpositis vestris: Quæ dicunt, facite, & similibus. Sed subsumendo pro minori propositione, aut in consequentia coassumuntur sæpiùs propositiones, quæ non sunt de lege Divina, aut quæ dubiæ sunt, aut non prorsus certæ, quòd proficiunt observantibus. Tamen in multis tutius est, eas concedere, nec pertinaciter impugnare, &c Postremus gradus continet leges, quæ ex legibus Divinis non plùs deduci possunt, aut minùs, quàm oppositæ.* Quæ lex amabò, si justa sit, non pertinebit ad legem Divinam aliquo ex istis modis.

Sed progreditur ulteriùs Gerson, nam 107.
Corollar. 3. lect. 4. docet, in dubio judicandum esse pro lege; verba inferiùs exscribemus. Demonstrabimus etiam alibi, quomodò Summi Pontificis authoritatem defendat, & hæreseos arguat illius impugnatores, ut hinc pateat, Gersonium, dum authoritati Summi Pontificis aliquid videtur detrahere, ad abusus suo tempore frequentes respicere. *Diutiùs spe nostrâ*, inquit hujusce tractatûs lect 3. *tenuit nos sermo de hac potestate Summi Pontificis, quoniam tempestas præsens ad hoc impulit, pro qua magis necesse est, potestatem hanc ad clarum cognoscere, atq; secernere, quàm olim antea, præsertim ad videndum subtractionis factæ justificandæ, vel cassandæ rationem, præsuppositis eis, quæ facta sunt.* De subtractione loquitur à Benedicto XIII. Pontifice Avenionensi, cui paruerunt Galli tempore schismatis, de quo *alibi* fusiùs.

Joannes Major post Gersonium scripsit, 108.
& se Universitatis Parisiensis sententiam sequi professus est, *in 4. sent. dist. 15. quæst. 4.* qui locus citatur à Marca. Ad Gersonis sententiam interpretandus est, ut scilicet non obligent leges ad legem Divinam nullo modo pertinentes, id est, injustæ, vel justâ de causâ recusatæ. Puderet, ni fallor, Doctores celeberrimæ Facultatis Theologicæ Parisiensis affirmare, leges etiam justas posse repudiari, quamvis renitente Principe, ac sinè justa causa. Contrarium suadent eorum Decreta *alibi* referenda.

PROBATIO III.

Prioris continuativa.

PErgit namque *præfatus* Author *dicto cap. 8.* 109.
à n. 7. quæ à Petro de Marca in suam sententiam adducebantur authoritates, in ipsum retorquendo. Etenim Joannes Driedo Professor Lovaniensis *lib. 1. de libert. Christianæ cap. 9. docum. 2.* citatus à Marca, docet quidem, legem in foro conscientiæ non habere vim obligandi, *quando non est moribus utentium recepta*, sed supponit *tacitum* consensum Principis metuentis turbationem Reipublicæ. *Tum enim*, inquit, *lex illa non expedit Reipublicæ sic dispositæ, cùm plus damni, & turbationis, quàm boni inde sequeretur. Neque enim posset lex illa moribus utentium confirmari, dum Princeps non posset absque turbatione Reipublicæ punire illius legis transgressores, populo legem illam non acceptante.* Dispositio tamen Reipublicæ prædicta vix culpâ vacaret, si lex omninò justa esset.

Cæterùm authoritatem Superiorum & eis 110.
parendi obligationem, dum nihil præcipiunt legi Divinæ contrarium, in illo ipso loco validissimè defendit: *Ex his*, inquit, *manifestum est, falsam esse doctrinam eorum, qui dicunt, Ecclesiæ Prælatos, superioresque Potestates non plus facere posse imperando, quàm faciunt Magistri, aut Doctores Dei legem, seu præcepta docentes, & Prælatos nihil aliud posse facere, quàm faciunt medici, qui ægrotis intimant, quis cibus mortiferus sit corpori, quis salutaris..... Nam & sunt alia innumera sacræ Scripturæ testimonia, ex quibus liquidum est, Prælatorum, & superiorum potestatum officia esse, non solùm docere, aut intimare, quid Deus jubeat, sed & imperare, dirigere, & coercere populum. Deinde & scire oportet, supradictas Scripturas à sanctis Patribus sic intellectas esse, ut ex illis sequatur, etiam nos oportere obedire in his, quæ non sunt secundùm se præcepta lege Divinâ, quemadmodùm latiùs declarabitur infrà, & in solutionibus argumentorum.*

Testimonia Innocentij I. & Gelasij, quæ 111.
profert præfatus Dominus de Marca *loco citato cap. 8.* in alienum sensum ab eo detorquentur. Cùm enim Innocentius *epist. 18.* quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochensem, quædam decrevisset circa jus Metropoliticum, & de rejectione Clericorum Arianorum, scribit, ut hæc Decreta mittantur ad cæteros Episcopos, ut ab omnibus unanimiter observentur. Qua in re non illorum arbitrio permittit, ut vel acceptentur, vel repudientur, sed provideret tantùm, ut ab eis non ignorentur, quod sufficere putat, ut communi consensu ab omnibus executioni demandentur. Et licèt hanc significationem in Synodo fieri cupiat, satis tamen esse insinuat, si ad Episcopos pervenerit; *Gravitas itaque tua*, inquit, *hæc ad notitiam Coepiscoporum, vel per Synodum, si potest, vel per harum recitationem facias pervenire, ut ea, quæ ipse tam necessariò percontatus es, & nos tam eliminatè respondimus, communi omnium consensu, studiòque serventur.* Gelasius autem dicit, Constituta Conciliorum Universalium

fieri ex assensu Universalis Ecclesiæ; non autem statuta Conciliorum ab assensu Universalis Ecclesiæ pendêre, ut vim habeant obligandi; ac in hoc magnam Apostolicæ Sedis authoritatis partem collocat, quòd Synodorum Decreta confirmet, exequatur, & observari faciat. *Confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscuiusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam. Quæ & unamquamque Synodum suâ authoritate confirmat, & continuatâ moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu.*

112. Ex eo, quòd Anastasius Bibliothecarius, non omnes ubique Canones vigere, affirmat *ad marginem 6. Canonis septimæ Synodi*, ubi mentio habetur cujusdam Canonis Trullani, nequit Marca inferre, necessariam esse acceptationem, ut lex vi suâ polleat, cùm à quamplurimis alijs causis procedat hæc inobservatio, præsertim ex *tacito* Summi Pontificis consensu.

113. Non magis urgent verba Diurni Romani ab eodem Marca relata, quibus pollicebatur olim Pontifex, se servaturum *omnia Decreta Canonica Prædecessorum Apostolicorum Pontificum, quæcunque ipsi Synodaliter statuerint, & probata erant.* Nec enim hâc voce probata significatur necessitas consensûs subditorum, ad hoc, ut Superiorum legibus teneantur, sed designantur Constitutiones desuetudine, vel contrarijs Constitutionibus, aliâve legitimâ ratione non abrogatæ: quod ex verbis sequentibus colligitur, *sicut ab eis* (Pontificibus) *statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire.*

114. Denique verba illa Philippi II. Francorum Regis à Marca *loco citato* exscripta, *Ecclesia non recipit quamplures Canones, qui per desuetudinem abierunt, vel ab initio non fuêre recepti*, intelligi debent de Canonibus ab Ecclesia Romana non receptis, v. g. Trullanis, vel cum consensu *expresso*, aut *tacito* Summorum Pontificum in usum non redactis. Nec enim illud Philippi testimonium, aut alia suprà relata definiunt, posse subditos, Superiorum justas suas leges acceptari, & observari contendentium, voluntati sinè peccato obsistere.

§. V.

Corollarium.

115. EX dictis infertur. *In quantum fas sit, deferre Ecclesiæ Gallicanæ libertatum fundamentis, nempe facultati retinendæ antiquæ disciplinæ Canonicæ, & examinandi, utrùm novæ leges sint utiles futuræ, eáque, si cum utilitate conjunctæ non sint, repudiandi?* Hoc equidem fundamentum posterius sufficienter discussum est *in antecedentibus.* Quare de priori duntaxat superest, ut *in præsenti Corollario* agamus.

ILLATIO I.

In quantum sit laudandus antiquorum Canonum usus. Ex Authore cit. tract. de libert. Eccles. Gallicanæ lib. 2. cap. 1.

IPsis equidem Spiritûs sancti oraculis admonemur, antiquam disciplinam scisciari. *Hæc dicit Dominus*, inquit Hieremias cap. 6. v. 16. *state super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ.* Ne quis autem reponat, monitum illud eò tantùm pertinere, ut inter vias antiquas optimam eligamus: arctiùs nos alibi ad disciplinam illam antiquam obstringit Spiritus sanctus, extra semitas illas excurrere vetans; *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Proverb. 22. v. 28.

Eodem ferè modo procedunt gratia, & natura, & in utraque, sicut quæque res ad suum principium proximè accedit, ita ipsius perfectionem maximè consequitur; quò autem recedit longiùs, eò deficit magis ab ejus virtute. Hinc fit, ut Religiosi Ordines primis institutionis temporibus ferventiores, & diligentiores sint in sequendis præceptis, quæ fuerunt à fundatoribus tradita, & imitandis illorum exemplis: processu autem temporis tepescat ille ardor, ac tandem relaxatâ omninò disciplinâ regulari, abolendi sint, nisi fortè ad antiquam formam, renovato religionis spiritu, revocentur.

Pari quoque ratione, licèt Ecclesia Catholica columna sit, & firmamentum veritatis, navis à nulla tempestate submergenda, domus Dei, adversùs quam portæ inferi nunquam prævaluræ sint; tamen in pluribus, & aliquando præcipuis suis membris infirmitatis humanæ defectus patitur, & refrigescente charitate, abundat iniquitas. Quantum enim, heu, distamus à primis illis Christi discipulis, quorum vita, virtutes & mors ipsa efficacissima erant argumenta veritatis, & sanctitatis Christianæ Religionis.

Quid igitur mirum, si ad finem usque mundi magnâ veneratione prosequendæ sint sacræ illæ regulæ, quæ tunc constitutæ sunt, cùm abundantiùs sese Spiritûs sancti gratia effundebat in Christianos, maximè autem in Pastores, penes quos erat legum ponendarum facultas.

Tanta solet incommoda invehere legum mutatio, ut vel eo solo nomine commendandum sit antiquæ disciplinæ studium, & in eâ retinenda firmitas. Hanc tradit doctrinam Doctor Angelicus 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 2. his verbis; *Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimùm valet consuetudo, in tantum, quòd ea, quæ contra consuetudinem communem fiunt, etiamsi sint leviora de se, gravia videantur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo: & ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantùm recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur.* Et

infrà;

infra; *Vnde dicitur à Iurisperito, quòd in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut rectè recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.*

121. Sed etsi omni aliâ probatione hæc doctrina destituta esset, illius veritatem abundè demonstraret experientia. Nam si omnes Rerumpublicarum, Regnorum, aliorumque Cœtuum calamitates, & eversiones inspiciamus, ab innovatione aliquâ imprudenter factâ sæpissimè occasionem accepisse, advertemus, ut verè dixerit S. Augustinus *epist. 119. ipsa mutatio consuetudinis etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

122. Complectitur autem antiqua disciplina Decreta Conciliorum Oecumenicorum, Summorum Pontificum Constitutiones, imò & Conciliorum Provincialium Canones, specialem tamen erga Concilia Oecumenica venerationem præseferunt Galli, dum suas libertates allegant.

123. Equidē, si Dominus noster Iesus Christus, ubi forent duo, vel tres in nomine ejus congregati, se quoque futurum, pollicitus est, quis dubitet, illum in Cœtu omnium Ecclesiæ Pastorum simul congregatorum præsentiorem fore, & luminis, ac gratiæ vim majorem in eos effusurum.

124. Apostoli Spiritu sancto repleti exortas circa circumcisionem, & alias observantias Legales, difficultates non seorsim, ut facilè poterant, enodârunt: sed in Concilium congregati post longam disquisitionem, solverunt. Notanda sunt autem verba, à quibus incipit illud decretum Apostolicum: *Visum est*, inquit, *Spiritui sancto, & nobis.* Quæ quidem verba argumento sunt, quòd Spiritus sanctus Concilijs, maximè Oecumenicis præsit, ea illustret, & ad veritatem infallibiliter dirigat. Porrò cùm primum in unoquoque genere sit mensura, & regula cæterorum, illud Apostolorum exemplum sequi debent, qui in illorum locum succedunt, quando tempora incidunt, quæ id exposcant.

125. Is fuit omnibus retrò sæculis Catholicæ Ecclesiæ sensus, quæ maximam vim habere Concilia Oecumenica, semper putavit ad conservandam, vel restaurandam fidei puritatem, & morum sanctitatem. Quin etiam congregata sunt sæpe Concilia ad constituendam disciplinam in rebus, quæ hodie non tanti momenti viderentur, ut illarum causâ evocandi essent undique à suis Diœcesibus Pastores.

126. A Concilijs generalibus, in quibus Summus Pontifex Caput visibile Ecclesiæ, & præcipua ejus membra, id est, Pastores conjunguntur, repræsentatur Ecclesia illa, quæ ab Apostolo dicta est *columna, & firmamentum veritatis, 1. ad Timoth 3.* quam qui non audit, debet, ut Ethnicus, & Infidelis exterminari. Quæcunque ab Ecclesia sic congregata oracula proferuntur, à promissione Divina plenissimam obtinent authoritatem.

127. Addi alia ratio potest, quæ plurimùm valet, ut Christiani Concilijs Oecumenicis obsequantur libentiùs. Cùm enim in augustis illis Cœtibus cujusvis Nationis, & Provinciæ Antistites intersint, fidemque omnium ubique Christianorum, variosque illorum mores, & usus liberrimè promant, faciliùs assentiuntur fideles Decretis post tam accuratam rerum cognitionem prolatis, & sibi à proprijs Pastoribus denuntiatis, assignatis item, si quando expediat, rationibus & authoritatibus, quibus ducti fuerint Judices. Certior etiam inde fit populus, non adulterata fuisse Decreta, ut in Concilijs minùs frequentibus aliquando contigit.

128. Licèt autem aliquando mali etiam Pontifices in hujusmodi Conessibus prophetizent, fit, nescio quomodò, ut sanctiora habeantur, quæ à sanctioribus statuta sunt, quales scimus, multos fuisse ex ijs, qui primis præsertim in Concilijs Oecumenicis sederunt, unde maxima illis accessit veneratio.

129. Utinam Ethnici, & Hæretici hâc in parte rationem, nullâ perturbatione, nulloque proprij sensûs, aut effectûs præjudicio præventi, consulerent! Mirum, quanta in eo tractandarum rerum Ecclesiasticarum modo illis elucescerent argumenta veritatis, & sanctitatis, quæ Religioni nostræ insunt. Quis enim non perspiciat, Cœtum numero, sapientiâ, scientiâ, sanctimoniâ, & alijs dotibus, quibus præditi sunt viri, ex quibus constat, illustrissimum, augustissimumque, nonnisi vera, & justa decreturum? Hujus rationis pondere quasi oppressi duo Episcopi Provinciæ Avenionensis, qui hæretici ad Concilium Tridentinum accesserant, Catholicæ fidei jugo mentem submiserunt, ut refertur in vita Gallicè conscripta Illustrissimi Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracharensis *lib. 3. cap. 1.*

130. Nemo igitur jure merito accusetGallos, quòd antiquam disciplinam venerentur, eamque retineant, ubicumque facta in personis, aut negotijs mutatio novas leges non requirit.

ILLATIO II.

Ita tenenda est antiquorum Canonum disciplina, ut tamen sit aliquando necessarium, per novas leges antiquis derogare. Ex præcitato *Authore* ubi supra cap. 2.

131. FAtebitur enim, quisquis ratione utetur, accommodandas esse leges moribus eorum, quibus præstituuntur, atque variandas secundùm personarum, locorum, & temporum conditionem, non ita quidem, ut regulæ ad arbitrium hominum, fortè perditorum, inflectantur, sed ut, pensatis illorum dotibus, affectibus, usibus, tales ei præscribantur leges, quæ illorum saluti, vitæque rectè instituendæ aptiores videantur. Cùm autem hominum mores, sicut & aliæ res omnes, mutationi sint obnoxij, necesse est, ut, si antiquis moribus novi adversentur, per regulas antiquis contrarias ad bonum publicum deducantur. Non jisdem ægrudinibus

animi semper laborant: sed quemadmodùm in corporibus nunc ille, nunc contrarius morbus grassatur; unde contraria, pro vario morborum genere, medicamenta sunt adhibenda: ita mentes successivè contrarijs erroribus, & vitijs subjacent, quibus modò istis, modò illis legibus occurrendum est.

123. Habet quidem plurima incommoda legum mutatio, si cum levitate, aut imprudentia conjuncta sit, non per necessitatem quasi extorta. Quamobrem, ut docet S. Thomas *1. 2. quæst. 97. art. 2.* non statim, ut scie melius aliquid offert, quàm quod à lege intendebatur, immutanda est, sed opus est, ut hanc mutationem aut maxima necessitas postulet, aut evidentissima utilitas. Verùm, quæ ratio est, ut, quod ad bonum publicum institutum est, si pernicioſum evadat, etiam contra bonum publicum retineatur.

133. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis antiquæ disciplinæ acerrimus propugnator, & in defendendis Gallicanis libertatibus, à plerisq; scriptoribus in exemplũ adductus, *etsi absque necessitate mutari non debere, quæ semel in concilijs statuta, vel judicata sũt*, opusculo sic inscripto, contendat, differi tamen non potest, quin occurrente necessitate, mutatione opus sit, quod quamplurimorum Summorum Pontificum testimonijs ibidem confirmat. Inter alia refert *ex epistola 95. Leonis I.* quæ est *ad Rusticum* verba sequentia: *Sicut quædam sunt, quæ nullâ possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.*

134. Egregiè admodùm explicat Summi Pontificis in temperandis Canonibus authoritatem Gelasius I *in ea epistola*, quæ est ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos *cap. 1. Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum Decreta librare, & retrò Præsulum, Decessorúmque nostrorum præcepta metiri, ut, quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quò nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, & reparandis militiæ Clericalis officijs consulamus.* Et cap. 2. *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus Constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus Ecclesijs, quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeò dispoliatæ servitijs, ut plebibus ad se pertinentibus Divina munera supplere non valeant, tam instituendi, quàm promovendi Clericalis obsequij, sic spatia dispensanda concedimus, ut si quis, &c.*

135. Quocirca cùm omnia, quæ in condendis antiquis legibus intercesserunt, ad substituendas novas, consentiunt, scilicet authoritas Conditoris, utilitas subditi, facultas parendi, aliæque conditiones, cur robore carebit, quod de novo præcipietur? Quicumque igitur Decreta omnia, quæ nova sunt, solius novitatis obtentu repudiaret, non solùm iniquus esset, sed & desipere videretur. Sane qui Ecclesiam non eandem hodie credit esse, quæ Apostolorum temporibus extitit, aut eadem authoritate præditam negat, vel eodem spiritu gubernatam, cum Luthero, & Calvino inter hæreticos censendus est. Numquid enim potestas à Christo Ecclesiæ collata certis temporum spatijs definita est? Numquid se cum Ecclesia usque ad consummationem sæculi futurum non pollicitus est? Numquid hominum mores, quibus, ut diximus, accommodandæ sunt leges, varijs mutationibus non subjacent? Numquid quod hominibus certo modo affectis prodest, illis non obest contrario modo dispositis? Itaque qui manus Ecclesiæ ligare contenderet, ne medicamentis contrarijs filiorum suorum morbos, novis legibus novos abusus curaret, is tanquam Reipublicæ Christianæ hostis habendus esset.

Nec inconstantiæ accusanda est Ecclesia, cùm propter evidentem necessitatem, aut maximam utilitatem, abrogatis prioribus Canonibus, novos condit; hæc enim mutatio non in Ecclesia fit, sed in hominibus Ecclesiæ subditis. Nam & Deus ipse, à quo Ecclesia omni tempore regitur, licèt immutabilis sit, leges mutavit, Novumque Testamentum Veteri substituit. Idem semper est finis, sed media non semper eadem, quia homines non in eodem semper statu permanent.

Hanc, exigente necessitate, posse mutationem fieri, tanus nemo diffitebitur: sed cujus est, de illa necessitate decernere, &c, utrùm innovandum sit aliquid, dijudicare? Hic est unicus, aut præcipuus controversiarum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, prout communiter describuntur, cardo diligenter inspiciendus.

DISQUISITIO IX.

Quanta sit Romani Pontificis authoritas circa Patriarchalia, & Archiepiscopalia, & consequenter Episcopalia jura?

§. I.

EX horum quoque descriptione patet, quæ potestas vel ampliatio, vel coarctatio libertatis à Gallicana Ecclesia erga Pontificam authoritatem prætensæ. In quem finem opportunè præmittitur distinctio, ac distributio dignitatum Ecclesiasticarum ab Authore tractatûs *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. I. cap. 2.* verbis sequentibus eleganter expositæ. Nempe Christus ascensurus in cælum, prædicare, baptizare, & docere per universum mundum omnibus Apostolis præcipit his verbis *Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Verùm quamvis quilibet Apostolus posset in qualibet mundi parte ea omnia efficere: tamen ex communi consen-

su,

su, & ex sancti Spiritûs instinctu diviserunt sibi orbis terrarum provincias, ac in quam quisque profecturus esset, decreverunt, ut sic ordo servaretur, & faciliùs adimpleretur Psalmistæ vaticinium. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, Psal. 18.

2. Joannes Gersonius ita factam suspicatur inter ipsos etiam Apostolos divisionem, ut non posset quilibet in quemlibet uti suâ potestate, sed tantùm in assignatam sibi provinciam, ut jam tunc Monarchicum regimen exerceretur. *Et fortè*, inquit Gersonius de potestate Ecclesiastica consid. 9. *quoad usum, vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ sic evenit ipsis etiam Apostolis, & discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque scilicet potestatis, & usûs, factam à Christo, postmodùm crescente numero fidelium, fuit ad tollendum schisma, & ad exemplar dandum posteris. Limitatio facta talis potestatis quoad usum, & hoc per Petrum Summum Pontificem de consensu totius Ecclesiæ primitivæ, vel generalis Concilij, ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate suâ, attentâ Christi ordinatione primariâ, quâ voluit, Ecclesiam suam regi principaliter sub uno, & ab uno Monarcha, sicut est una fides, unum Baptisma, & una Ecclesia unitate Capitis tam primarij, quàm Vicarij, quoniam iste est optimus Principatus præsertim in spiritualibus ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes.* Non tamen adeò scrupulosè observata videtur ab ipsis Apostolis illa provinciarum distinctio, ut, si qua sese offerret occasio, non susciperetur ab uno cura illorum, qui videbantur ad alterum pertinere, dummodò nulla hinc oriretur perturbatio. Itaque Paulus postmodùm convertendis præcipuè Gentibus, destinatus, circa Judæos plurimùm laboravit, similiter & Petrus, qui Judæorum peculiarem sibi curam assumpserat, prædicavit etiam Gentibus, atque apud eas Primatûs sui Cathedram constituit.

3. Quoniam autem Apostolis nec ubique adesse, nec semper vivere datum fuerat, necesse fuit, ut potestatem suam cum alijs communicarent, qui Apostolica munia, defunctis illis, aut absentibus, obirent: *Hujus rei gratiâ*, inquit Paulus ad Tit. 1. *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Sed quæ in Apostolis plenissima, & unita fuit, inter alios est divisa pro Apostolorum arbitrio, à quibus alij uni tantùm civitati præpositi sunt, alij pluribus; alij plebi tantùm, alij etiam Pastoribus; unde orta creditur Patriarcharum, Exarchorum, Primatuum, Metropolitanorum, & Episcoporum varietas: quæ eò pertinet, ut ordinatè cuncta in Ecclesia gerantur, quemadmodùm de divisione inter Apostolos ipsos factâ notavit Gersonius.

4. Limitatam ab Apostolis Episcoporum jurisdictionem fuisse, colligunt ex illis B. Pauli ad Titum verbis S. Joannes Chrysostomus ejusque interpretationum sectator Theophylactus; ista sunt S. Chrysostomi verba *homil. 2. in Epist. ad Titum. Et constitueres*, inquit, *per civitates Presbyteros. Episcopos hic intelligi vult, quemadmodùm aliàs sæpius diximus: ut ego tibi constitui, si quis est sine crimine. Per civitates*, inquit. *Neque enim profectò volebat Insulam totam uni viro permitti; sed unicuique propriam curam, ac solicitudinem indicit.*

5. Mirabilem illum variorum graduum Ecclesiasticorum ordinem elegantissimè describit S. Leo *Epist. 84. cap. ult. Etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret, de qua forma Episcoporum orta est distinctio, & magnâ ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluereret, & nihil usquam à suo Capite dissideret.*

6. *Epistolâ* verò 89. docet, non solùm Ecclesiæ curam per varios gradus ad B. Petum tanquam ad Caput reduci: sed & ab illo Capite per Dei dona in omne corpus Ecclesiæ manare; *Hujus*, inquit, *muneris sacramentum ita Deus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocârit: & ab ipso quasi quodam Capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterij intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Locum hunc clarè interpretatus videtur Mauclerus 2. p. lib. 2. cap. 15. *S. Petrus à Christo Domino tanquam Vicarius ejus, ac Princeps totius Ecclesiastici Cœtûs, & orbis, solus potestatis juridicæ claves accepit; ut in persona totius Ecclesiæ, id est, omnium Pastorum, & Prælatorum Ecclesiasticorum, ut, quidquid jurisdictionis Ecclesiasticæ à quocumque Pastore exerceretur, id totum S. Petro supremo Ecclesiæ Principi, ac visibili Capiti acceptum referretur, ab ejusq; authoritate in totum corpus Christi Domini, quod est Ecclesia, visibile diffunderetur.* Vide S. Bonaventuram *cap. 12.* referendum.

7. Non exstant quidem antiqua monimenta, quibus doceamur, quonam tempore, aut quonam modo fuerit facta prima distributio Diœceseon, aut Provinciarum Operarijs Evangelicis, qui convertendis ad fidem, aut jam conversis plebibus præfecti sunt. Ordinem tamen à B. Petro observatum eum fuisse, quem secuti sunt ejus successores, vel illi simillimum, prudens quisque sibi facilè suadebit. Eximium ejus exstat exemplum *in lib 12. Epist. 15.* S. Gregorij Magni, qui collapsam in Anglia Religionem, cùm per S. Augustinum illuc missum restituisset, regendi populi fidelis formam præscripsit, & varia officia instituens, unicuique suam contulit authoritatem, ut scilicet S. Augustinus cæteris omnibus præesset; Archiepiscopus Londonensis duodecim sub se haberet Episcopos; Episcopus Eboracensis totidem, si modò tum ab illa civitate, tum à circumvicinis fides susciperetur, ac numerum illum Prælatorum,

numerus fidelium exigeret. Nec præsenti tantùm necessitati occurrit; sed & futurum regimen disposuit, puta Londoniensem Archiepiscopum à Synodo propria consecrandum, Eboracensem Londoniensi non cessurum, sed priorem fore, qui priùs fuisset ordinatus: communi utriusque consilio generalia illius Christianitatis negotia gerenda. Ut autem nunquam non meminissent, à quo fonte profluxisset illorum authoritas, voluit, ut uterque à Sede Apostolica pallium acciperet.

8. Aliud habetur exemplum *in Capitulari Gregorij II. art. 3* ubi Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, &c. in Bavariam missis ita præcipit; *Vt consideratis locorum spatijs, juxta gubernationem uniuscujusque Ducis Episcopia disponatis, & subjacentia singulis Sedibus terminetis. Et si tres, aut quatuor, vel majoris numeri visæ fuerint constitutæ Sedes, reservato præcipuæ Sedis loco pro Archiepiscopo residendo, adhibito trium Episcoporum conventu, probabiles fide, ac boni testimonij, & eruditos sanâ doctrinâ viros ordinetis Antistites ex authoritate B. Petri Apostoli, & in subsequentis vigoris traditâ dispensatione locis eis traditis collocantes.* Quibus præsuppositis, sequentia in rem præsentem videntur discutienda. Primum est. *Qualiter dignitas & authoritas Ecclesiarum Patriarchalium à B. Petro, ejúsque Successoribus orta sit?* Secundum; *Qualiter Primates, & Metropolitani in Gallia præsertim, suam à Summo Pontifice authoritatem traxerint?*

§. II.

Ecclesiarum Patriarchalium dignitas & authoritas ostenditur orta fuisse à B. Petro, ejúsve Successoribus cum debita ac perpetua ab his dependentia.

ARGUMENTUM I.

Desumptum ex Actis primævæ Ecclesiæ, imò ipsius Christi Domini, deductis ab authore *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 8. cap. 3.*

9. NAm Christum, antequàm ex hoc mundo proficisceretur, nullam Parochiarũ, Diœceseon, Provinciarum, Exarchatuum, vel Patriarchatuum distinctionem constituisse, ex tota Evangelij serie colligitur, præsertim ex verbis illis, quæ in cælum profecturus ad Apostolos habuit *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes*, quæ indistinctam, & illimitatam missionem continent; licèt fortè Apostolis formam præscripserit, juxta quam disponendi essent Pastorum gradus & officia, quò cuncta suaviùs administrarentur & utiliùs, essetque Ecclesia hostibus suis *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Amplissima erat potestas omnium Apostolorum, prout exigebat pro illo tempore rerum status, cùm nimirum non tam regenda, quàm efformanda erat Ecclesia. Tunc enim dispergendi erant per totum orbem Pastores, qui oves undique ad Christi caulam adducerent; Piscatores, qui collectis undique piscibus, Ecclesiæ sagenam implerent; venatores, qui ubique venantes, viventem prædam in domum Dei reportarent.

10. Verùm cùm maxima extitit fidelium copia, constituenda fuit totius regiminis Ecclesiastici forma. Quamobrem sicut in exercitu Imperator seu Dux unicuique Officiali præsertim primario, suas partes, suumque munus assignat, imò & dignitatem tribuit, nisi jam id à Principe præstitum fuerit; ita B. Petrus, quem suum in terris Vicarium & supremum omnium fidelium Pastorem Christus creaverat, varias dignitates Ecclesiasticas, & officia instituit, secundùm formam à Christo acceptam, vel à Spiritu sancto suggestam, ultra ea, quæ per se Salvator ipse ordinaverat.

11. Itaque Sedem suam in Ecclesia Romana defigens, eam cæterarum omnium Matrem, ac Magistram esse voluit, eique ultra reliquarum communem solicitudinem specialem reservavit Occidentalium curam. Alexandrinam & Antiochenam ad Patriarchalem dignitatem evexit, plurimarum eis Provinciarum præfecturam committens. *Est ergo*, inquit Gelasius I. in Concilio Romano anno 494. prima *Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid ejusmodi.* Secunda *autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus Discipulo & Evangelista consecrata est, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicans, & gloriosum consummavit martyrium.* Tertia *verò Sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis, eò quòd ille, priusquàm Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen novellæ gentis exortum est.* Baronius, & alij putant hæc ad verbum desumpta ex alio antiquiori Concilio habito sub Damaso anno 382. Similia etiam habet Nicolaus I. *in respons. ad consulta Bulgarorum cap. 92.*

ARGUMENTUM II.

Ex attestationibus sanctorum Summorum Pontificum, petitum à *præcitato* Authore à *n. 4.*

12. ILlarum namque Ecclesiarum fundationem ac exaltationem S. Petro luculentiùs adscribit S. Gregorius *lib. 6. Epist. 37.* quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *Quis enim*, inquit, *nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum; cui rursus dicitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Iterumque, Simon Ioannis amas me? Pasce oves meas. Itaque, cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in authoritatem convaluit. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evange-*

listam

listam Discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis quamvis discessurus sedit.

13. Licèt autem majorum urbium Episcopis sæpe in plures alios tributa sit authoritas, quia commodior erat ad illos recursus, ob frequentia negotia, quæ illuc ex circumjacentibus provincijs Præsules evocabant : tamen non à civili urbium excellentiâ, sed à S. Petri authoritate præstantiam suam consecutas esse illas Ecclesias, affirmat sanctus Innocentius I. *epist. 18.* quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochensem *cap. 1.* ubi de Antiochena Ecclesia loquens; *Advertimus*, inquit, *non tam pro civitatis magnificentiâ hoc eidem attributum, quàm quòd prima Primi Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæq; urbis Romæ Sedi non cederet, nisi, quod illa in transitu meruit, susceptum ista apud se, consummatúmque gauderet.*

14. Ridet S. Gelasius I. *epist. 13.* quæ est ad Episcopos Dardaniæ, illos, qui Ecclesiarum prærogativam ab urbium politicâ dignitate repetunt; *Risimus autem, quòd prærogativam voluit Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ civitatis? Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitùs deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurpærunt?*

ARGUMENTUM III.

Ex varijs authoritatibus à præfato Auhore *n. 7. & 8.* deductis.

15. ETenim Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis *in Opusc. 55. Capitulorum cap. 16.* Ecclesiarum Patriarchalium dignitatem ad B. Petrum referendam multifariam ostendit; *Sedes Ecclesiarum*, inquit, *scilicet Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ, idcircò specialiter legimus, Sedes dici, cùm plurimæ Sedes, & Apostolorum, sicut Iacobi Hierosolymæ, & Ioannis apud Ephesum, in qua sedit & Timotheus B. Pauli Discipulus, & multæ aliæ principalium Civitatum, quoniam Sedes sunt, quin potiùs, licèt disparentur longinquitate terrarum, una Sedes sunt magni Petri Apostolorum Principis, &c.*

16. Beatus Petrus Damiani *lib. 2. epist. 16.* propositâ sibi difficultate circa Ecclesiarum excellentiam, quòd scilicèt Hierosolymitana cæteris præferenda videatur, quòd Hierosolymis perfectum est Redemptionis mysterium, respondet, Ecclesiarum dignitatem non Christi, qui omnibus præsidet, excellentiâ; sed Petri privilegio esse metiendam; *Quoniam Hierosolymis passus est Dominus, universis Ecclesijs non Romana, sed Hierosolymitana potiùs præesse deberet Ecclesia. Verumtamen cùm ex authoritate Canonum, Romana Ecclesia primum teneat locum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Constantinopolitana quartum, Hierosolymitana jam quintum; constat, Dominum Salvatorem non unicuilibet Cathedræ specialijure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere. Liquet ergo, Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta privilegium Petri, non secundùm incomparabilem excellentiam Redemptoris.* Quod ait Petrus Damiani, *ex authoritate Canonum Romanam Ecclesiam primum tenere locum*, non ita accipiendum est, quasi Canones hanc illi Ecclesiæ prærogativam contulerint, sed tantùm, quòd illi collatam fuisse, declaraverint. Itaque sensisse illum, dubitare non sinunt alia ejus verba, præsertim *Opusc. 5. cap. 1.* ubi mirum in modum Ecclesiæ Romanæ dignitatem, & authoritatem explicat; *Romanam*, inquit, *Ecclesiam solus ipse fundavit, & super Petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, terrenì simul & cælestis Imperij jura commisit, &c.*

ARGUMENTUM IV.

Prioris continuativum ex dicto Authore *n. 9.*

17. CUm enim ejusdem sit, concedere, ac in concessorum possessione confirmare; si quando ambitio Ecclesias privilegijs à B. Petro concessis spoliari tentavit, earum tuitionem pro viribus susceperunt ejus successores. Ita cùm Anatolius Episcopus Constantinopolitanus, acceptâ occasione depositionis Dioscori Alexandrini in Synodo Chalcedonensi factæ, nec non destitutionis Domni Antiocheni à latrocinio Ephesino tentatæ, & à S. Leone perfectæ, utriusque illius Ecclesiæ jura invadere moliretur, & à Concilio Chalcedonensi usurpationem suam probandam curâsset, obstitit ei validissimè S. Leo, ut ex multis patet ejus epistolis, præsertim *ex 46. cap. 5.* ubi hæc inter alia leguntur; *Nihil Alexandrinæ Sedi ejus, quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri Discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pertinaciâ corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesiâ, in qua primum, prædicante Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt Sedes, aliud Præsidentes.* Quia verò Episcopi Concilij Chalcedonensis sanctæ Sedis Legatis tùm absentibus, ac posteà reclamantibus, Patriarchalem dignitatem prædicto Anatolio detulerant, eorum Decretum, seu Canonem cassavit S. Leo, ut patet ex ejus *epistola 55.* quæ est ad Pulcheriâ Augustâ *cap. 3. Consensiones verò*, inquit, *Episcoporum sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus.*

18. Nec inanem fuisse illius Pontificis conatum in comprimendâ Episcoporum Constantinopolitanorum ambitione, testantur ejus litteræ tum ad Anatolium, tum ad Marcianum Imperatorem. Ad illum sic scribit *in epist. 71. cap. 3. Illam autem culpam, quam de augenda potestate, alienâ (ut asseris) adhortatione*

tatione contraxeras, efficaciùs ac sincerius, tua charitas diluisset, si quod tentari sinè tua voluntate non potuit, non adsola Clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur; sed gratum mihi, frater charissime, est quòd dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit, &c. Epistolâ verò 59 Marcianum dignitatis Patriarchalis Episcopo Constantinopolitano delatæ abrogationi acquievisse, averte insinuat his verbis: *Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quòd probâsse vos observantiam meam de custodia Canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicatis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religiosissimè placere cognosco, ut & Fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.*

19. Idem confirmat Gelasius *epistolâ 13.* quæ est ad Episcopos Dardaniæ. *Audiant*, inquit, *Marcianum, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum; quòd Canonum regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium Clerum Constantinopolitanum potiùs, quàm se, talia tentasse confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate.* Anatolij Epistola ad S. Leonem edita est in collectione Romana Lucæ Holstenij in secunda sectione Synodi Romanæ sub Bonifacio secundo *num. 22.* In ea & se excusat Anatolius, & S. Leonis potestatem agnoscit; *Quæ Constantinopolitanæ gratiâ Sedis sancita sunt*, inquit, *in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me. Et infra; Cùm & sic gestorum vis omnis, & confirmatio authoritati vestræ Benedictionis fuerit reservata.*

20. Acacio similiter eâdem de causâ obstitit Gelasius, ut videre est in ejus *epistolâ 13. suprà citatâ*, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; nec minorem adhibuerunt diligentiam subsequentes Pontifices in conservandis Patriarchalium Ecclesiarum privilegijs. Idcircò Dioscorus Diaconus, ut ipse scribit ad Hormisdam Papam *in epistolâ*, quæ exstat *post 65.* prædicti Hormisdæ, impedivit, quò minùs Paulus Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Patriarcham Antiochenum electus, ordinaretur Constantinopoli, ne adversùs Ecclesiam Antiochenam hæc ordinatio, tanquam præjudicium opponi aliquando posset. Hinc, inquit Dioscorus, *etsi post labores, etsi post intentiones plures Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum voluerunt, & tentaverunt hîc ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor contradixi dicens: Jussit D. vester Beatissimus Papa secundùm antiquam consuetudinem ibi* (scilicet Antiochiæ) *eum Episcopum ordinari. Hoc obtinuit, quod præcepistis.*

21. Leo Papa IX. *epistolâ 5.* quæ est ad Petrum Episcopum Antiochenum, suam ei opem pollicetur ad tuenda Patriarchalia jura Ecclesiæ Antiochenæ. *Pro cujus* (B. Petri) *excellentia etiam a Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuæ gloriæ causâ, sed pro Sedis, cui ad tempus præsides, antiquâ honorificentiâ. Nec revocetis ab hac intentione cujuslibet pompâ, vel arrogantiâ, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ Ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum Patrum Concilia. Ad quod utique, si opportuerit, Maxima Mater, Romana scilicet, atque Prima Sedes, tam dilectæ sibi filiæ, mùd consortia, nusquam deerit, quia quosdam conari minuere audivimus, Epistolâ 6 corripit Michaelem Archiepiscopum Constantinopolitanum, quòd Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum suæ potestati subjicere conaretur.*

CONCLUSIO.

NUllus Ecclesiæ sanctæ Præsul, præter Summum Pontificem, habet *formaliter & actu* jurisdictionem *immediatè* à Christo, vel ex *jure Divino*, sed quæcunque sive Patriarcharum, sive Primatum, sive Archiepiscoporum, ac Metropolitanorum, Episcoporumque prærogativa (extra potestatem Ordinis, & huic connatam, *radicalem* duntaxat jurisdictionis potestatem) sunt ex concessione Summi Pontificis. 18

Explicatur. Nam pro Episcopis videntur quidem stare Christi Domini verba Matth. 18. dicentis ad Apostolos: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Nam illa verba vel intelligi possunt de Apostolis, eorumque adeò successoribus Episcopis *collectim* sumptis, quatenus nomine, id est, vicariâ authoritate Christi, congregati in Concilio Oecumenico, repræsentant Ecclesiam universalem, velut eruitur *ex contextu tam antecedente, quàm consequente.* Vel intelligi possunt illa verba de Apostolis etiam *figillatim* spectatis, quo modo *indefinita* & universalis ad ligandum, & solvendum potestas illis promissa fuit, quæ postmodùm *actualiter* eisdem tradita est, quando *Ioan. 20.* Christus ijsdem Apostolis dixit; *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Cujusmodi proinde missio, cum potestate priùs promissa, atque ex tunc *actualiter* concessa transire videtur etiam ad Episcopos Apostolorum successores. At eoipso, quòd i la Christi Domini verba sint connexa cum insufflatione mox subsecutâ, sub quâ iterum dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, sub quibus verbis perficitur consecratio Episcopalis: videtur hinc evinci, potestatem sic traditam fuisse Ordinis, non *Iurisdictionis formalis*, sed *radicalis* duntaxat.

PRO-

PROBATIO I.

Desumpta ex potestatis Ordinis sacerdotalis comparatione ad potestatem *actualis* jurisdictionis pro absolutione peccatorum necessariæ.

NAm sub prælegato sacro contextu collata etiam fuit Apostolis potestas remittendi ac retinendi peccata, quæ in Presbyteratûs Ordine confertur universis Sacerdotibus, & tamen præter hanc potestatem ex Ordine Sacerdotij subsistentem, ad valorem Sacramenti pœnitentiæ in Sacerdote adhuc requiritur concessio *actualis* Iurisdictionis. Sicuti ergo per traditionem hujus à peccatis absolutoriæ potestatis non conceditur *actualis* & *formalis*, sed *radicalis* duntaxat & *habitualis* jurisdictio, in actum reducenda, ex hoc, quòd aliqui de universitate fideliũ pro tali conscientiæ foro per Ecclesiæ authoritatem ipsi subjiciantur: sic ex potestate *Ordinis* inest quidem Episcopo habilitas omnimodæ jurisdictionis super eos Christi fideles, quos sibi per sanctæ Ecclesiæ claves subjici contigerit: nihilominùs uti hæc subjectio non stat ex præcisâ potestate *Ordinis*, sic ejusdem correlativa Iurisdictio *formalis* & *actualis* nullatenus subsistit ex præciso illo jure Divino, præfatis Christi Domini verbis sancito, *formaliter* spectante ad Sacramentum *Ordinis*, sed supervenire oportet, designationem subditorum cum Diœcesi per Summum Pontificem, ex authoritate quidem in se *immediatè* à Christo derivatâ, sed hâc mediante duntaxat, in Episcopos traducendâ.

Probatur hoc assumptum. Nam licèt ipsemet Christus ascensurus in cælum, Apostolis designârit subditos, unà cum universo orbe, erga quos potestatem sibi priùs traditam exercerent, atque adeó idem Dominus præfatis Apostolis *actualem* concesserit pro toto orbe jurisdictionem, Matthæi *ultim.* dicendo: *Euntes docete omnes gentes.* Nihilominùs dicere haudquaquam licet, hanc subditorum, ac territorij universalis designationem, atque adeò in toto orbe jurisdictionem *actualem* ex Apostolis transijsse in Episcopos, quos proinde, nefas est, dicere, Apostolorum quoad hanc successores, sed quoad *Ordinis* duntaxat, & *radicalem* seu *habitualem* ligandi & solvendi potestatem seu jurisdictionem succedere Apostolis, dicendum est. Ipsemet enim Paulus Apostolus *2. ad Corinth. 5.* dicendo, se Apostolorum legatione fungi pro Christo, videtur insinuâsse, talem potestatem Apostolicam Oecumenicæ *jurisdictionis* à Christo *actualiter* collatæ, non fuisse per modum juris in successores tranferibilis, sed personalem esse, ad præcisas Apostolorum personas restrictam, adstipulante Ecclesiæ universæ consensu, per quem nefas esset dicere, ullum præter successorem Petri, Romanum scilicet Pontificem, potiri Apostolicâ totum orbem respiciente authoritate. Quandoquidem igitur in Episcopis jus succedendi in Apostolorum potestate sit restrictum ad potestatem *Ordinis*, & *Iurisdictionis radicalis* duntaxat seu *habitualis*, in ipso ejus *Ordinis* charactere consistentis, absolutè negandum est, jurisdictionem *formalem* & *actualem* in Episcopis esse juris *Divini*, à Christo *immediatè*, sed mediante duntaxat Summi Pontificis authoritate, concessam.

Et hinc quia non tantùm hujus jurisdictionis rxercitium, sicuti in Apostolis erat Petri Oecumenicæ authoritati subordinatum, sed ejusdem quoque collatio *actualis* & *formalis* dependet à Summo Pontifice, idcircò in hujus potestate est, illam vel extendere, vel coarctare, sibique reservare, prout in Iure quàm plures extant ejusmodi reservationes. Et ideo communi illi adagio, *Quidquid Papa potest in universo orbe, potest Episcopus in suâ Diœcesi*; non est absolutè locus, sed cum restrictione Papæ arbitrio subjectâ. 25.

PROBATIO II.

Petita ex Summorum Pontificum erga Patriarchas reservationibus factis in signum superioritatis, ac deductis à præfato Authore *tract. de libert. Eccles. Gall. cit. lib. 8. cap. 3. à n. 14.*

NE excideret è memoria Episcoporũ, unde suam mutuati fuissent dignitatẽ, reservata sunt nonnulla Summo Pontifici in signũ superioritatis. Varia enim sunt in historijs Ecclesiasticis exempla petitæ Patriarcharum confirmationis à sancta Sede. Quædam affert D. Petrus de Marca *lib. 6. cap. 5. §. 2.* ex Epistolis S. Leonis, & S. Simplicij: sed illa communionis Ecclesiasticæ signa, non veras confirmationes esse vult. Verùm ipse textus contrarium suadet. Etenim *in epist. 44.* S. Leonis plurima sunt, quæ authoritatem Summi Pontificis declarant. Ut. ista *cap. 2. cùm secundùm suæ consecrationis* (Anatolij Episcopi Constantinopolitani, qui Patrtarchatum ambiebat, nondum tamen adeptus erat) *authores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm justiores esse voluimus.* Et ista *cap. 3. Satis sit, quòd prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu Episcopatum tantæ urbis obtinuit* (Anatolius) *Non dedignetur Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem.* Et *in epistola sequenti*, quæ est ad Pulcheriam Augustam *cap. 2. Frater & Coepiscopus meus Anatolius parùm considerans, quanto pietatis vestræ beneficio, & mei favoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus, non tam de acceptis gavisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est.* 26.

In *epistola* autem *17.* S. Simplicij, quæ est ad Acacium, clariùs exprimitur confirmatio; *Nuper ab Ægyptiaca Synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ est communione fulta, atque ab ipso omni propemodùm Clero Alexandrinæ Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quemdam* (vel quondam) *Coepiscoporum nostrum obisse Timotheum, inque ejus vice consonâ fidelium voluntate Ioannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur* 27.

tur omnia, subrogatum, ut nihil omninò restare videretur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus Nobis, atque gaudentibus, sinè strepitu, quòd Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votivam sumeret firmitatem, &c. Hoc igitur, quod restabat, erat necessarium ad firmitatem electionis, scilicet *Apostolicæ moderationis assensus.*

28. Prætermitto ordinationes authoritate Summorum Pontificum in Patriarchalibus Sedibus factas, vel suspensas, & alia subjectionis signa. Istud tantùm addo, in quo exhibetur velut typus Constitutionis Patriarchalium Dignitatum. Quando in Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. facta est unio Græcorum cum Ecclesia Latina, quæ occasio postulabat, ut Græci à Latinis humanissimè haberentur, non aliter confirmata est Patriarcharum dignitas, quàm adjectâ conditione de testificatione superioritatis Romanæ Sedis, ut habet *cap. 5.* illius Concilij Decretorum, cujus sunt hæc verba; *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacrâ universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, & Magistra; Constantinopolitana primum, Alexandrina* secundum, *Antiochena* tertium, *Hierosolymitana* quartum *locum obtineant, servatâ cuilibet propriâ Dignitate, ita quòd postquàm eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.*

§. III.

Primarum & Metropolitanorum dignitas in Gallia præsertim ostenditur orta fuisse à Romano Pontifice cum perpetuâ & debitâ ab hisce dependentiâ.

29. AUthor *sæpe nominati tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 8. cap. 5.* hâc de re ita disserit. Primates illos, qui olim in varijs Galliæ partibus à Romano Pontifice ad vitam duntaxat constituebantur, suam ab eo jurisdictionem habuisse, nemo dubitabit, qui constitutionis formam attenderit. Nam vicariâ tantùm authoritate pollebant, ut expressè docent Summorum Pontificum epistolæ, quibus illa concedebatur. Sic S. Remigius à Papa Hormisda, vel ut alij volunt, à Symmacho in Regno Clodovei recenter ad fidem conversi; sic Arelate Cæsarius à Symmacho; Auxanius & Aurelianus à Vigilio; Sapaudius à Pelagio I. Virgilius a Gregorio Magno, sic alij ab alijs in Gallia constituti sunt Vicarij Apostolici, & S. Bonifacius in toto Regno à Zacharia, ut ex Summorum illorum Pontificum epistolis constat. Ubi autem primatus non personæ, sed Sedi, sive personæ pro successoribus datus est, ut Archiepiscopo Lugdunensi in quatuor Provincias Lugdunenses; quæ sunt Lugdunensis propriè dicta, Rothomagensis, Turonensis, & Senonensis, non ideo minùs debetur hæc Dignitas sanctæ Sedis authoritati, quia cum ampliori favore concessa fuerit.

ARGUMENTUM I.

Quo ostenditur omnimodæ dignitatis sive Patriarchalis, sive Metropolitanæ Ecclesiasticæ derivatio facta ex plenitudine Sedis Apostolicæ.

PRæcitatus Author *dicto cap. 5. n. 2.* demonstrat hoc ex sequentibus authoritatibus. 30.
Divus namque Bernardus *epist. 13.* sic differit: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativâ Apostolicæ Sedi donata est; qui igitur huic potestati restitit, Dei ordinationi restitit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, itaut de Episcopis treare Archiepiscopos liceat, & è converso, si necesse visum fuerit.* Eam potestatem Iacobus de Thermis Abbas Carolioci ejusdem Ordinis Cisterciensis magis explicat *in Tract. contra impugnatores exempt. & privil. Posset*, inquit, *facere ex justa, & rationabili causa, quòd in aliquo Regno, vel in regione, ubi sunt Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi, non esset Primas, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha, ita quòd omnes Episcopi sibi immediatè subessent.* Et de Primatibus quidem disquisitio tantæ utilitatis non est, cùm in Gallia, præter Lugdunensem, qui appellationes ab alijs Provincijs etiamnum recipit, cæteri vel in sua tantùm Provincia eo jure utantur, vel solo Primatis titulo sinè ulla jurisdictione gaudeant.

Meropolitanorum dignitas antiquissima 31.
quidem est; à Christo tamen *immediatè* instituta nullibi legitur in sacris Scripturis. Apostolos illius authores extitisse, plerique conjiciunt, ex quibusdam novi Testamenti locis, præcipuè ex potestate à B. Paulo traditâ B. Tito discipulo suo, Episcopos, quos nomine Presbyterorum intelligit, per civitates constituendi: quod Metropolitani munus est, *Cujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego constitui tibi.* Tit. 1. Christus solum Petrum cæteris Apostolis præposuit. Itaque nemo cæteris Episcopis jure Divino præest nisi Petri successor.

Nihil autem opus est, modò quæstiones il- 32.
las agitare, utrùm illimitata reliquorum Apostolorum Jurisdictio fuerit tantùm delegata, an ordinaria? Utrùm ex consensu tantùm B. Petri Episcopos Provincijs integris præfecerint? Utrùm sic præfectorum Episcoporum successores potestatem ordinatâ serie accepisse censeantur ab ipsis Apostolis? *cùm manifestum sit* (ut verbis utamur S. Innocentij I. *epist. 1.* quæ est ad Decentium Eugubinum Episcopum) *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulásque interjacentes nullum instituisse Ecclesias,*

fias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes.

33. Metropoliticam dignitatem à Romana Sede in Gallia institutam fuisse, cùm non esset, ex eo etiam colligitur, quòd ab ea illic restituta est, cùm defecisset. Cùm enim per annos ferè 60. nullos habuisset Metropolitanos Regnum illud, licèt extarent adhuc Metropoliticæ Sedes seu Ecclesiæ in primarijs Provinciarum civitatibus, implorata est Zachariæ Summi Pontificis authoritas, qui eam illis dignitatem restauravit per S. Bonifacium, ut ex utriusque litteris constat, idque juxta preces Principum Pippini, & Carlomanni; *Francì* (verba sunt S. Bonifacij ad S. Zachariam) *ut seniores dicunt, plusquàm per tempus 80. annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, &c.* Sanctus autem Zacharias scribit ad S. Bonifacium; *De Episcopis verò Metropolitanis, id est, Grimone, quem nos jam compertum habemus, & de Abel, & Artherto, quos per unamquamque Metropolim per Provincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, & pallia dirigimus, ad eorum firmissimam stabilitatem, & Ecclesiæ Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu.*

ARGUMENTUM II.

Prioris continuativum ex præfato Authore à n. 6.

34. PRincipio quidem, cùm à Romano Pontifice ordinabantur Metropolitani, non ita facilè ab istorum animis deleri poterat memoria receptæ ab illo authoritatis: sed coegit locorum distantia, ordinationem vel Episcopis comprovincialibus, vel viciniori Metropolitano permittere, ut de Metropolitanis Mediolanensi & Aquileiensi testatur Pelagius I. in epistola, cujus fragmentum refertur à Gratiano 24. quæst. 1. Can. 33. *Nempe is mos antiquus fuit, ut, quia pro longinquitate, vel difficultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerit ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis, & Aquileiensis ordinari Episcopi debuissent: ita tamen, ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuisset; ut & ordinandi electio à proprio Ordinatore, ex consensu universalis, cui præficiendus erat, Ecclesiæ melius ac faciliùs potuisset agnosci, & in suâ, qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia.* Hanc tamen concessionem postea Sedes Apostolica revocavit, ut ex S. Gregorio Magno edisc imus. Sic enim scribit epist. 31. lib. 1. *Obitum Laurentij Ecclesiæ Mediolanensis Episcopi Excellentiam vestram jam credimus cognovisse: & quia, quantum ex Cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro Diacono ejusdem Ecclesiæ, omnium consistit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer convenire cognoverit, à suis Episcopis, sicut vetustos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari.* Et lib. 2. epist. 68. quæ est 29. indictionis undecimæ: *Latorem præsentium Ioannem Subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut electum vestrum suâ imminentiâ Dei omnipotentis solatio secundùm morem prædecessoris ejus faciat Episcopum consecrari. Nam sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.* Deniq; epist. 65. lib. 8. quæ est ad Mediolanenses: *Ut igitur in ordinando eo, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Panualeonem Notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, annuente consensûs nostri authoritate faciat consecrari.*

35. In Illyrico Vicarius Apostolicus, Episcopus scilicet Thessalonicensis, Metropolitanos ordinabat, & ab eis consulebatur in singulorum Episcoporum ordinatione, ut ex pluribus Summorum Pontificum litteris edocemur, præsertim è S. Leonis epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, ad quem sic scribit: *Nullus te inconsulto, per illas Ecclesias ordinetur Antistes: ita enim fiet, ut finis de eligendis matura consilia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopus contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos statûs sui noverit esse firmitatem, eósque usurpationis suæ rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provincijs jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari.* In Synodo Rom. *collect. Holsten. n. 24.* vide etiam *epist. 84. ejusdem Sancti cap. 6.* Ex qua epistola, & ex alijs ejusdem, ac subsequentium Pontificum apertissimè constat, totam Episcopi Thessalonicensis in reliquos Illyrici Metropolitanos authoritatem à Romano Pontifice pependisse, non ab illo imaginario Patriarchatu, quem ei affinxerat Petrus de Marca *lib. 6. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 5. n. 3.* quod se alibi accuratè explicare asserit, quodque potiùs improbare videtur in dissertatione de Primatu Lugdunensi, & cæteris Primatibus, quæ adjuncta est à Philippo Labbe Concilio Claromontano sub Urbano II.

36. Hoc jurisdictionis suæ exercitium, & authoritatis signum in Illyrico sibi reservandum duxit Romanus Pontifex, veritus fortasse, ne accideret aliquando, quod re ipsâ tandem contigit, ut Episcopus Constantinopolitanus Imperatorum potentiâ partem illam Patriarchatûs Occidentalis, Constantinopoli, quàm Romæ viciniorem, invaderet. In alijs autem Occidentis Provincijs, in quibus similis usurpatio non timebatur, quibusque propter distantiam promptè providere non poterat Ecclesia Romana, permissa est, ut diximus, Metropolitanorum ordinatio Episcopis comprovincialibus, aut Metropolitanis vicinioribus.

CONCLUSIO.

37. SUblimiores Episcopatu præeminentiæ seu Patriarcharum, seu Primatum, seu Metropolitanorum & Archiepiscoporum derivantur ex constitutionibus Ecclesiasticis, à Summorum Pontificum authoritate dependentibus.

Explicantur istarũ Ecclesiasticarũ præeminentiarũ speciales prærogativæ. Nam inprimis Patriarchæ nomẽ sonat perinde, ac si diceretur Patrũ Princeps, uti ex Isidoro dicitur *in cap. Cleros. §. Patriarchæ. Dist* 21. Quare Patriarchæ non dignitate duntaxat, sed etiã potestate, ac jurisdictione sũt majores cæteris §. Ecclesiæ Prælatis. *Arg. Cap. Antiqua. De privilegijs. Cap. Exigit. & Cap. Felicis. De censibus. in 6.* Siquidem ad ipsos post Apostolicam sedem referenda sint Episcoporum omnium, & Archiepiscoporum negotia, ac causæ majores. *Cap. 1. dist. 80.* Et ideo habendi sunt Ordinarij omnium sui districtûs Archiepiscorũ & Episcoporũ, à quibus jure recipiant appellationes, potiunturq; prærogativâ, non tantùm in suo Patriarchatu (sicuti Archiepiscopis pro suâ duntaxat provinciâ concessum est) sed ubique, extra præsentiam Summi Pontificis, ejúsve Legati de latere, præferendi Crucem *Ex cit. Cap. Antiqua*, & *Clement. Archiepiscopo. De privilegijs.*

38. In hoc Patriarcharum censu veniebant olim quatuor, Constantinopolitanus scilicet, primum locum obtinens propter Imperatorum Græcorum Constantinopoli residentiam, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Qui enim præter istos gaudent titulo Patriarcharum nempe Aquilejensis, Venetus, nec non Indiarum, ac Aethiopiæ, minimé potiuntur pari cum illis privilegiorum prærogativâ, sed ipsorum jurisdictio, & authoritas vel ex specialibus indultis Apostolicis, vel ex consuetudine singulorum locorum determinanda est; veluti Ludovicus Engel *cit. tit 33. n. 24* advertit.

39. Deinde Primatis nomen inter Episcopos, obtinent nonnulli potentiores Archiepiscopi, obtinentes Metropoles præcelsiores alijs Archiepiscopatibus. Primates hujusmodi non sunt absimiles Patriarchis minùs principalibus, non tam jure Patriarchatûs *superiùs* exposito, quàm titulo, cum speciali privilegiorum prærogativâ fulgentibus, si excipiatur Archiepiscopus Toletanus, cui ex privilegio Martini V. eadem cum quatuor principalibus Patriarchis est potestas; uti refert Barbosa *cit. cap. 6 n. 47.* addens *n. 48.* ipsi cum Archiepiscopo Bracharensi esse contentionem, quisnam eorum sit Hispaniæ Primas: dum cæteroqui in Gallia Archiepiscopi Bituricensis, Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, & Viennensis, in Hungaria Strigoniensis, in Polonia Gneinensis, in Anglia Cantuariensis, & in Africa Carthaginensis, in Germania olim Magdeburgensis, nunc verò Salisburgensis Archiepiscopus, gaudet istâ prærogativâ, quæ non tam est Iuris Communis, quam consuetudinis, seu privilegij Apostolici.

40. Porrò Archiepiscopus comparatus ad suam Diœcesin, eadem ortitur jura, ac Episcopus: at in comparatione ad Episcopos Suffraganeos, eorumque Diœceses, potitur juribus proximè exponendis. Nomen igitur Archiepiscopi derivatur ex idiomate græco, in quo nomen Archos primum seu Principem denotat; perindeq; sonat, ac si diceretur *Princeps Episcoporum.* Altero insuper vocabulo appellari solet Metropolitanus, hâc denominatione desumptâ vel ex mensurâ civitatum, nam juxta *Epist. 1. Pelagij 11.* relatam *in Cap. Scitote. 6. q. 3.* consuetum erat, ut Archiepiscopus decem, aut duodecim civitates sub se contineret. Placet tamen Barbosæ *Iuris Ecclesiast. universf. cit. lib. 1. cap. 7.* quòd Metropolitani denominatio petatura matrice Civitate, quæ sit Metropolis, nempe Civitas illa, quæ Provinciæ caput existat, sitque Sedes, ac Diœcesis Metropolitani, sive Archiepiscopi. Hinc in Archiepiscopo distinguere oportet, tum Diœcesin sibi perinde ac Episcopo subjectam, cujus jura *inferiùs* explicabuntur, tum Archidiœcesin quæ est collectio cunctarum Diœcesum in unam quasi provinciam coadunatarum, ut earundem post Summum Pontificem (& in Græciâ olim etiam post Patriarcham) esset caput & Princeps, cui subicerentur earundem singuli Episcopi, Suffraganei dicti, propterea, quòd oporteret, ipsos suffragari Archiepiscopis, adjuvando ipsos in consecrationibus, vel Concilijs Provincialibus, aliisque publicis provinciæ causis Ecclesiasticis. Hæ igitur cunctæ seu Metropolitanorum, seu Archiepiscoporum, seu Primatum & Patriarcharũ præeminentiæ pendent ex constitutionibus Summorum Pontificum.

PROBATIO I.

Ab inductione talium præeminentiarum ex constitutionibus Pontificijs dependentium.

41. NUlla equidem in substantia Ordinis Episcopalis est Archiepiscopi eminentia qui reliquis Episcopis præmineat, ad majoris tamen officij dignitatem, sublimiori jure Episcopos Suffraganeos, earumque Diœceses, ac subditos jurisdictione condecoratum, singularis honoris signo denotandam, à Summo Pontifice conceditur ipsi Pallium, quali potiebantur olim quatuor Orientis Patriarchæ, ipseque Summus Pontifex etiam, utpote præter Oecumenicum totius orbis Christiani Principatum, præfulgens etiam titulo Archiepiscopi Romani, imò & Occidentalium partium Patriarchæ.

42. Unde Pallium hoc rectè definitur à Ludovico Engel *cit. tom 1. lib. 1. tit. 8. esse singulare ornamentum desumptum ex corpore Divi Petri, à Summo Pontifice datum Archiepiscopis, designans plenitudinem pastoralis Archiepiscopalis officij.* Hoc pallium ex ovium lanâ conficitur ad significandam pastoralem solicitudinem, consecratumque à Summo Pontifice, defertur ad altare Divi Petri, in memoriam corporis ibidem requiescentis, indeque traditur Archiepiscopis, seu ipsorum procuratoribus: hæc est causa, cur secundùm Canonem *Significasti. 4. De elect.* ejusmodi pallium dicatur detumptum ex Corpore Divi Petri; veluti explicat Glossa *in dict. Cap. Significasti.*

43. In quantum verò pallium hoc dicitur designare *plenitudinem pastoralis officij*, oportet, illa verba saltem respectu Archiepiscoporum, &

& Patriarcharum accipi in sensu *collectivo*, ita ut plenitudo pastoralis officij, quæ absolutè soli competit Summo Pontifici, ex adjuncta voce *Tò Archiepiscopalis*, restringatur ad plenitudinem huic officio commensuratam, & circumscriptam limitibus *inferiùs* exponendis. Sub hâc ipsâ nihilominùs loquendi formulâ speciale quid denotatur, quòd nempe Archiepiscopus suæ dignitatis officio fungi non possit, priusquam receperit pallium, ita ut, licèt confirmatus & consecratus esset, ante pallij de Summi Pontificis manu receptionem neque Archiepiscopus nominari debeat, neque ea, quæ Archiepiscopalis officij sunt, exercere valeat. *Ex cap. 3. De Authoritate & usu pallij.* Imò ne illa quidem Ordinis Episcopalis munia, quæ vel inter Missarum solemnia, vel cum Pontificalibus ornamentis peraguntur, veluti sunt confectio Chrismatis, consecratio Ecclesiarũ, ordinatio Clericorum, exercere debet ante receptũ Pallium, eò quòd videretur illhæc facere non quà simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. *Ex Cap. Quod, sicut. 28. §. Præterea. De elect.*

44. Verùm quoad Jurisdictionem, fas est Archiepiscopo confirmato, exercere actus, Episcopali officio universim competentes, non verò actus, qui proprij sunt Archiepiscoporum, velut sunt visitatio provinciæ, celebratio Concilij Provincialis. Et hinc quamvis Archiepiscopus ante acceptum pallium (uti *superiùs* dictum est) ordinare non valeat, nihilominùs (si confirmatus jam obtineat jurisdictionem Episcopalem) alteri Episcopo delegare potest, ut subditis suis conferat sacros Ordines, eò quòd talis delegatio non sit exercitium *Ordinis*, sed *jurisdictionis*. Ex *cap. Suffraganeus. 11. De elect.*

45. Insuper quoad usum Pallij, hoc discrimen est in Summo Pontifice & Archiepiscopo; quòd ille solus, utpote in absolutam pastoralis pro Universa Ecclesia officij plenitudinem semper & ubique inter Missarum solemnia utatur pallio. Verùm Archiepiscopis in partem duntaxat pastoralis, respectu particularium Ecclesiarum ac Diœcesum in unam provinciam coadunatarum, *solicitudinis* vocatis, non nisi in festis principalioribus, seu Ecclesiæ proprijs, sicut etiam in anniversario suæ Consecrationis, ac Clericorum Ordinationibus, seu Ecclesiarum Consecrationibus uti licet *pallio*, juxta *Cap. 4. & ult. junctâ Glossâ dicto tit.* Neque citra speciale privilegium, pallij gestatio extra Ecclesiam, id est, provinciam suam Archiepiscopo est permissa. Ex *Cap. Tuarum. 4. De usu, & authorit. Pallij.*

46. Archiepiscoporũ supereminens jurisdictio est part m respectu Episcoporum Suffraganeorum, partim respectu Diœcesum, & subditorum, sub istorum ordinariâ potestate consistentium. Archiepiscopus proinde est ordinarius judex suorum Suffraganeorum. Ex *Cap Quia cognovimus. caus. 10. quæst. 3. Cap. Pastoralis. De officio Ordinar. Cap. Solicitudinem. De Appellation.* Quamquàm hujus ordinariæ in Suffraganeos Episcopos jurisdictionis exercitium valde limitetur per hoc, quod cum Hostiensi *in Cap. 2. De translat. Episcop.* adfert Barbosa *citatus*; nempe Archiepiscopum nihil habere potestatis in Suffraganeos suos, nisi quatenus in jure expressum reperitur. Hoc nihilominùs pro certo habendum est, quod extat definitum in sacro Concilio Trident no *Sess. 24. De Reformat. cap. 15* ut causæ *criminales Episcoporum graviores tantùm à Summo Pontifice, minores verò tantùm à Concilio Provinciali, vel ab illo deputandis terminentur.* Id sacram Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium deputatam Congregationem extendere etiam ad causas Civiles, testatur Barbosa *cit. cap. 7. n. 46.* In quo tamen, priusquàm istud Congregationis sacræ decretum exhibeatur in formâ authentica, difficultatem rationibus minimè destitutam movet Ludovicus Engel *cit. tit. 33. n. 28.* Porrò in casibus ad ipsius forum spectantibus potest Archiepiscopus adversùs suos Suffraganeos ferre censuras, eâ tamen conditione, ut non statim procedat ad excommunicationis sententiam, ne Episcopus per hanc privetur jurisdictione non absque dispendio suæ Ecclesiæ: sed oportet, p ius ipsi interdici ab ingressu Ecclesiæ. Verùm Archiepiscopi Vicario, nisi ille agat in remotis, ob reverentiam Pontificalis Officij prohibetur, ne contra Episcopos ferat censuras. Ex *Cap. 1. De offic. Ordinarij. in 6.*

Quoad subditos, ac Diœceses Episcopo- 47.
rum Suffraganeorum, Archiepiscopus juxta *Cap. Pastoralis. De officio Ordinarij. Cap. Venerabilibus. De sentent. Excom. in 6.* nullam ordinariè obtinet Jurisdictionem, nisi in casu Appellationis ad ipsum interpositæ, ac visitationis per suorum Suffraganeorum Diœceses peragendæ. Quare Archiepiscopus non potest in primâ instantiâ judicare causas eorum, qui *immediatè* sunt subjecti dictis Suffraganeis. *Ex Cap. Duo simul. de offic. Ordinar.* Unde Panormitanus *in præcit. Cap. Pastoralis n. 2.* infert, si Episcopus contra subditum suum moveat litem, non posse in causa etiam spirituali convenire ipsum in primâ instantia coram Archiepiscopo, sed coram arbitris utrinque eligendis, à quibus tamen, ceu juris arbitris necessarijs, datur tunc appellatio ad Archiepiscopum. Ex *Cap. Ab arbitris. 11. De offic. delegati. in 6.*

Ne compellere quidem potest Archiepis- 48.
copus subditum sui Suffraganei, ut testimonium coram se dicat, sed opus est, ut testimonium requirat per litteras *mutui compassûs*; nequit enim testis compelli, nisi à suo *immediato* judice. *Cap. 1. §. Neque de foro compet. in 6.* Nihilominùs rationem rei litæ, vel contractûs, aut delicti, si nempe quis contraxit, aut deliquit in suâ Diœcesi, vel res litigiosa intrà hujus limites consistat, nullatenus dubitate licet, posse subditum Suffraganei etiam in primâ instantiâ conveniri coram Archiepiscopo. Verùm ex appellatione per Suffraganeorum subditos ad se devolutâ, uti etiam in provinciæ visitatione, acquiri Archiepiscopo jurisdictionem erga illos, constat ex *Cap. Romana. De Appellat. in 6. & Cap. fin De censibus. in 6.* Ubi decernitur, Archiepiscopum visitando pro-

vinciam, posse audire in confessione Sacramentali subditos Suffraganeorum, illosque absolvere à censuris & casibus Episcopo suo reservatis. Ex *Cap. fin. De foro compet.*

49. In ipsum etiam Vicarium Episcopi Suffraganei, si delinquat in officio sibi commisso, vel impediat causam appellationis ad tribunal Archiepiscopi delatam, vel utatur jurisdictione Episcopi sui excommunicati, vel non servet privilegia Sedis Apostolicæ, competere Archiepiscopo jurisdictionem, evincitur ex *Cap. 1. & Glosâ ibi verb. Rationabili. De officio Vicarij in 6.*

50. Cæterùm modo quasi extraordinario, nempe in casu negligentiæ Episcoporum Suffraganeorum (uti restringendum censet Sylvester *in Sum. verb. Archiepiscopus*) posse Archiepiscopum crimina notoria ab illorum subditis commissa, etiam extra visitationem punire, patet *ex Cap. 1. §. Sanè. De censibus. in 6.* Et hinc Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi Suffraganei etiam in hoc, quòd iste deneget absolutionem, vel dispensationem ex æquitate debitam, seu ultimæ voluntatis executionem, sive institutionem præsentati à patrono; uti rectè advertit Engel *cit. n. 1.* Insuper injurias sibi, vel familiæ suæ, aut nuntijs, in jurisdictionis suæ exercitio à Suffraganeorum subditis illatas plectere, constat ex *Cap. 1. De pœnis in 6. Argumento legis nullum. Cod. de testibus.* Ubi cuilibet judici permissum est, injurias sibi illatas punire, ne coram alio judice litigare cogatur.

51. Archiepiscopis denique competit potestas tum præcipiendi suis suffraganeis, ut, quæ servat in sua Diœcesi, modò sint fundata in Iure Communi, vel sancita in Concilio Provinciali, serventur etiam per illorum Diœceses; impositâ etiam pœnâ illis, qui contraveniunt, sublatisque pravis contrarijs consuetudinibus, eò quòd ad ipsum pertineat solicitudo totius Provinciæ. Ex *Cap. Dilectus. 30. De simonia.* Tum prædicationis officium in tota Provincia, atque adeò in Suffraganeorum Diœcesibus ex causâ rationabili interdicendi, malefactoremque promeritum extra universam Provinciam relegandi. *Ex Cap. Tuarum. De privileg. Cap. 2. De arbitrijs*, juncto Commentario Barbosæ *ibi. n. 4.* Tum indulgentias in dedicatione cujuslibet Ecclesiæ unius anni, & in illius anniversario quadraginta dierum taliter concedere potest, ut prosint etiam subditis Suffraganeorum ad eas lucrandas eò convolantibus, juxta *Cap. Cùm ex eo. De Pœnit. & remissionibus.*

PROBATIO II.

Desumpta ex Pallij Archiepiscopalis à sancta Sede recipiendi obligatione, nec non Metropolitarum adversùs suffraganeos inobedientes ad sanctam Sedem recursùs necessitate per Authorem *præcitatum dicto cap. 6. à. n. 3.* fusiùs deductâ.

52. IN *Pallio* namque, uti scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Poloniæ apud Baronium ad annum 1102. *plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia juxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum pallium Metropolitanis minimè licet aut Episcopos creare, aut Synodum celebrare.* Consentiunt cæteri Pontifices, ut S. Gregorius Magnus, cujus verba *suprà* retulimus, & Nicolaus I. cujus sunt istæ; *Sanè interim non in throno sedentem* (Patriarcham, vel Archiepiscopum) *& præter Corpus Christi, non consecrantem priùs, quàm pallium à Sede Romana percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Nicolaus I. *in responsione ad consul. Bulg, cap. 73.*

Metropoliticæ dignitatis confirmationem à Patriarchis pendêre, ac pallium ejus confirmationis signum esse, supponit evidenter 53. *alia* Synodus Oecumenica his verbis *Canone 17. Priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum* (Sedium Patriarchalium) *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manûs impositionem, sive per pallij datione Episcopalis dignitatis confirmationem accipiunt, potestatem habeant, videlicet, ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cùm fama eos super quibusdam delictis forsitan accusavit.*

Cæterùm Paschalis II. in epistolâ mox 54. laudatâ suspicionem amovet, quam aliqui, ut Marca *loco suprà citato*, concipiebant, pallij concessionem eò spectare, ut protenderetur Summi Pontificis authoritas; absurdum enim, nihil exigi, quod ab omnibus Episcopis non debeatur, etiamsi non requireretur; *Quod non, etiam præter exactionem nostram, ab omnibus debeat Episcopis observari.*

Nicolaus I. Hincmaro Archiepiscopo 55. Rhemensi privilegia Sedis suæ confirmari postulanti appositè respondet *epist. 28.* iniquè impugnari ab illo Archiepiscopo privilegia Ecclesiæ Romanæ, sine quibus cõstare non possit Ecclesiæ Rhemensis privilegia; *Privilegia petereà ab Apostolica Sede vestræ Ecclesiæ confirmanda deposcitis, qui tamen nostra privilegia, quantum in vobis est, infirmare satagitis. Portum salutiferum, sanctam Romanam Ecclesiam appellatis, qui tamen in eo, ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodò, rogo, privilegia tua stare poterunt, si ita privilegia illa cassentur, per quæ tua privilegia initium sumpsisse noscuntur?* Idipsum agnovit ipse Rhemensis, quandoquidem scripsit ad Nicolaum Papam; *Favente Domino, in hac devotione manebo sicuti, privilegium Metropolitanæ Sedis Rhemorum, cui me Divina dignatio servire disposuit, in summo privilegio sanctæ Sedis Romanæ manere, & privilegium esse Sedis Romanæ, si suâ authoritate privilegium sibi subjectæ Sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare.*

Deinde dum Metropolitanis negata est 56. à Suffraganeis debita obedientia, invocata est Sedis Romanæ authoritas, ut inde robur & auxilium acciperent privilegia Metropolitica, unde originem duxerant. Exemplum suppeditat epistola Ioannis XIII. ad Episcopos Britanniæ, hæc inter alia continens; *Arduinus Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, venien-*

niens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quòd jura sui Archiepiscopatûs, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum Pontificum sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ suis prædecessoribus concessa, & confirmata fuerunt, à vestro Archiepiscopo sublata videntur, &c.

7. Sed, ut redeamus ad Metropolitanum Rhemensem. (Divina enim providentia illos ipsos, qui sanctæ Sedis authoritatem ægrè ferunt, aut laturi sunt, ad illam confugere non raro compellit, ut quam sponte agnoscere recusant, vel inviti fateantur.) Hincmarus, qui contra sanctam Sedē tam frequenter recalcitraturus erat, non aliter suam dignitatem securè possidere potuit, quàm obtentâ Romani Pontificis confirmatione: & ne causari posset, adhibitam à se hanc cautelam ex prudentia ob privatam necessitatem; eâ occasione Summi Pontificis potestatem professi sunt omnes Episcopi Gallicani, ut perhibent acta *secundi Concilij Suessionensis anni 853. parte tertiâ* his verbis; *Porrexit etiam* (Hincmarus) *epistolam totius Galliæ Episcoporum manibus subterscriptam ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.*

§. IV.

Corollarium.

De imaginario molimine præficiendi Ecclesiæ Gallicanæ Patriarcham.

58. NOn abs re fore arbitrabar, hîc ob oculos ponere, quæ hanc in rem disseruit Author *sæpe citati tractatûs de Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus lib. 8. cap. 4.* Editis in lucem, inquit, duobus voluminibus Petri Puteani *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, suspicatus quidam ob doctrinam in illis contentam, & ob alia indicia consilium esse creandi Patriarchæ in Gallia, epistolam Paræneticam scripsit sub nomine Optati Galli ad omnes Episcopos illius Regni, ut huic molimini sese maturè opponerent. Exagitata est illa suspicio cùm ab Isaacio Haberto Theologo Parisiensi, ac posteà Episcopo Vabrensi, opusculo quodam stylo oratorio conscripto, tum ab Illustrissimo Petro de Marca libris de Concordia Sacerdotij & Imperij compositis. Insedit nihilominùs plurium animis concepta de affectato Patriarchatu opinio, quam fovent subobscuri quandoque rumores. Vanæ quidem sunt eâ de re minæ, ac in flectendis ad prætermittendum officium animis sapientum, quorum interest, minùs idoneæ: quia tamen simpliciores hinc commoveri videntur, propiùs ad idealem illum Patriarcham admovenda est consideratio.

ILLATIO I.

Quibus ex talis Patriarchæ creatione aliquod inferri posset præjudicium?

59. HOc præfatus Author *à n. 2.* ita prosequitur disquirendo; *Cui metuendum esset ab illo imaginario Patriarcha?* Certè non Summo Pontifici, cujus authoritas, cùm Christum ipsum habeat authorem, nullis humanis machinationibus imminui potest ab ijs, qui in Religione Christiana perseverare statuerunt: *Præsertim*, inquit Nicolaus I. *epist. 8.* quæ est ad Michaelem Imperatorem, *cùm Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesiâ ipsa disposita, antiquitùs observata, & à sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cunctâ Ecclesiâ jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. Et quod Deus statuit, firmum, validúmque consistit. Illeque potissimùm peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, illius Sedis, vel Ecclesiæ perpetuâ sunt Divinitus radicata, atque plantata sunt. Impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt.* Insinuaverat eidem Pontifici Hermintrudis Regina Franciæ, Carolum Calvum Regem Sedis Apostolicæ jura impeturum, nisi quod optabat, à Papa consequeretur, auctarum verò, si compos fieret; sed intrepidè respondit Nicolaus *ep. 36. Quòd autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum Ecclesiæ nostræ privilegijs generetur. Nos certissimè credimus, quia privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio, quam Cælestis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quæ Summus posuit Architectus, queunt quibuslibet, & quantislibet fluctuationibus amoveri. Epistolâ* etiam *24.* juxta aliam epistolam Gelasij ad Orientales; *Privilegia sua*, inquit, *à Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est.*

Verisimilior esset timendi ratio Episcopis ipsis Gallicanis, si, quando in Principem æquitatis & religionis minùs amantem, ac in Archiepiscopum urbis Regiæ ambitiosum, & Regis studio, atque authoritate fultum inciderent, ne, instituto Patriarchatu, libertate Canonicâ, & magnâ proprijæ dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est Episcoporum Metropolitanorum, Exarchorum, ac denique Patriarcharum Orientalium depressio, nisi ab Episcopis Constantinopolitanis ambitionis æstro percitis, & Imperatorum potentiâ armatis? A quibus etiam deinde totus Oriens in schisma, & demum in hæresim attractus est, homines scilicet carnales, dignitates Ecclesiasticas ex urbium amplitudine, ac Principum illic comorantium majestate, non ex Apostolorum, vel Ecclesiæ primariâ dispositione metientes, putarunt, sicut civitates Regiæ cæteris præeminent, ita qui in eis sedent Præsules, Coepiscopis posse dominari. Quâ in re ipsimet Coepiscopi eorum apud Principem gratiam modò metuentes, modò implorantes, proprijæ servituti colla partim sponte, partim inviti submiserunt. 60.

ILLATIO II.

A quo creandus esset ejusmodi Patriarcha?

61. AUthor *præallegatus à n. 4.* pergit hoc discutere sub hisce interrogationibus; *A quo igitur is Patriarcha suam acciperet dignitatem, & authoritatem?* Num à Christo? A Summo Pontifice? A Rege? Ab Episcopis ipsis Gallicanis? Non à Christo: quis enim ita desipiat, ut arbitretur, dignitatem Ecclesiasticam in Evangelio per septendecim sæcula non detectam, ab Apostolis, ipso jubente, non collatam, ab ipso rursus de cælo descendente foretribuendam? Fidem non inveniret hujusmodi constitutio extraordinaria sinè plurimorum miraculorum confirmatione.

62. Christiani sunt & Catholici, qui Regnum Franciæ incolunt, atque adeò verendum non est, ne Patriarchalis dignitatis cum authoritate spirituali creandæ jus Regi adscribant. Illam sinè authoritate Romani Pontificis instituì, aut alicui Ecclesiæ impertiri non posse, quantumvis intercedat Principum sæculariũ voluntas, docet S. Leo *epist. 44.* quæ est ad Marcianum Augustum *cap. 3.* occasione Anatolij Episcopi Constantinopolitani, dignitatem Patriarchalem ambientis; *Habet*, inquit, *sicut optamus, Constantinopolitana civitas suam gloriam, & protegente dexterâ Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum sæcularium, alia Divinarum; nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit illa constructio.* Idem etiam scribit Nicolaus I. respondens *ad consulta Bulgarorum cap. 73.* verbis *infrà* referendis. Imò Concilium Chalcedonense dignitatem, quâ ex assensu Imperatoris Episcopum Constantinopolitanum auxerat, stare sinè Romani Pontificis authoritate non posse, sensit; ut in ejus Synodica ad S. Leonem videre est. Certò si Principes non possunt Metropolim Ecclesiasticam facere, quî poterunt Sedem Patriarchalem constituere? Aut quam habebit jurisdictionem spiritualem Patriarcha hoc modo creatus?

63. A Summo quidem Pontifice posset quis ad Patriarchalem dignitatem provehi; sed tunc Patriarcha non minùs, imò magis subjectus esset sanctæ Sedi. Vocaretur enim in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ipsâque solicitudinis participatione ad arctiorem cum supremo Ecclesiæ Capite conjunctionem adstringeretur. Verùm exemplis Constantinopolitanorum, & aliorum Episcoporum edocti Pontifices, quam difficile sit, ut ambitio adeptis tranquillè fruatur, & ulteriora, etiam vetita, non appetat, vix ad indulgendam illam exaltationem inducerentur.

ILLATIO III.

An possent Episcopi, Curiæ Regiæ id forte optantis favorem aucupantes, vel indignationem metuentes, sibimet Caput unum imponere, ac suam in id potestatem conferre?

PErgit ille Author *à n. 7.* hunc in modum disserere. Certè, si juxtà vulgatam juris regulam, *nemo plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse habeat. ff. De jur. l. 54.* non eximeret Episcoporum consensus Patriarcham à Summi Pontificis authoritate, cui nihilominùs subjacerent ipsi, nec prorsus successores suos ligarent. Etenim, si, ut communiter docent Iuris Canonici periti, Episcopus sinè Summi Pontificis licentiâ Ecclesiæ suæ servitutem nequit imponere, & quæ circa hujusmodi fiunt, suos tantùm tenent Auctores; non magis ad successores transiret Patriarchæ ab ipsis constituti, quàm Vicarij ab ipsis nominati potestas.

Accedit, quòd Summi Pontificis est, omnium Ecclesiarum jura defendere, sedulamque operam dare, ne vel ab ipsis Præsulibus lædantur. Atqui Gallicanæ Ecclesiæ maxima ex creato Patriarcha detrimenta paterentur. Plurimùm enim earum imminueretur libertas, si Episcopis omnibus novus Superior præficeretur. Metropolitanorum dignitas obscuraretur, ac ferè deperiret, si vigeret Patriarchalis.

Denique non potest major dignitas à minore constitui, Patriarchalis à Metropolitica, vel ab Episcopali, ut monet Nicolaus *I. in respons. ad cons. Bulg. c. 73.* his verbis: *A quo autem sit Patriarcha ordinandus, interrogatis: Et idcircò scitote, quia in loco, ubi nunquam Patriarcha, vel Archiepiscopus constitutus est à majori est penitus instituendus: quoniam secundùm Apostolum, minus à majore benedicitur. Deindè verò licentiâ acceptâ, & pallij usu ordinat ipse sibi deinceps Episcopos, qui Successorem valeant ordinare. Vos autem sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice Sedis beati Petri, à quo & Episcopatûs, & Apostolatûs sumpsit initium, hunc ordinari, valetis.* Præter rationem generalem, specialem aliam considerabat Nicolaus, quòd scilicet Bulgari ad fidem Catholicam fuissent conversi ope Romani Pontificis, quæ ratio etiam locum habet in Gallia, in qua ex Innocentio I. à beato Petro, aut ab ejus Successoribus, sive illorum authoritate omnes illic fundatæ sunt Ecclesiæ.

Sanè licèt, ut diximus, Episcopi Concilij Chalcedonensis, favente Imperatore Marciano, Ecclesiam Constantinopolitanam Patriarchali dignitate insignire, refragantibus Apostolicæ Sedis Legatis, tentâssent, Canon ille diu effectu caruit, renitentibus Summis Pontificibus, nec plenè obtinuit, donec accessit eorum assensus.

Concludamus igitur cum S. Leone *epist. 89.* quæ est ad Episcopos per Provinciam Viennensem constitutos in causa Hilarij Arelatensis

latensis Episcopi, aliquam juris Patriarchici partem ambientis, neminem debere jus indebitum in alios Episcopos usurpare, neque posse Episcopos propria dignitatis jura in alium transferre, & ad sanctam Sedem pertinere, hujusmodi usurpationem castigare. *Alienum jus*, inquit S. Leo, *alter sibi non audet vindicare. Suis limitibus, suis terminis, sit unusquisque contentus, & privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit, non licere. Quòd si quis negligens Apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui intra Provinciam antiquitate Episcopali cæteros prævenit Sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.*

DISQUISITIO X.

De Ecclesiasticarum Dignitatum gradibus ac præeminentijs.

Sub isthac Disquisitione fiet discussio argumentorum ac Exceptionum, quæ Ludovicus Ellies du Pin sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor in sua circa antiquam Ecclesiæ disciplinam Dissertatione 1. digessit.

Præfatio.

1. *In refutandis præinsinuatis seu argumentis, seu exceptionibus Elliesianis reflexionem faciemus ad duo, per eundem auctorem* in suo præloquio *exposita principia: quorum* unum *in eo se tenet. Nempe omnem hominum societatem, ut sit firma & stabilis, debere aliquâ regiminis formâ temperari: si namque homines sinè ullis legibus inter se coirent, nullâque certâ ratione regerentur, sed cuilibet, prout lubitum est, suis moribus vivere liceret, necessum fore, societatem primùm innumeris turbis, bellisque confundi, ac tandem penitus dissolvi. Cùm ergo Ecclesia sit societas hominum fidem Christi profitentium, necessum fuisse, ut aliqua forma regiminis in ea constitueretur, quam, licèt pro variâ temporum ratione non parum immutata fuerit, suas semper leges habuisse, primùm inolitas per consuetudines, dein communi consensu receptas, ac demum Synodorum decretis confirmatas. Quemadmodùm* quarto *præsertim Ecclesiæ sæculo factum fuerit.*

2. Alterum *in hoc puncto Elliesij principium sic se habet. Apostolos scilicet Ecclesiæ nascentis initio, in illud solummodò incubuisse, ut fidem Christi per totum Orbem spargerent, singulisque Ecclesijs Episcopos, qui eas regerent, præcisse, nondum solicitos de exteriori politiâ. At post disseminatam per totum Orbem Christi fidem, cogitari cœptum esse de Ecclesiarum inter se invicem communione ac societate, nec non de exteriori regiminis formâ. Sic Ioannem jam seniorem videri, aliquam Ecclesiarum Asiæ formam constituisse. Cujus exemplum secutos viros Apostolicos, mirum in modum exornâsse hanc sparsam: rem deinde abijsse in consuetudinem, quæ pro lege tum erat: ac demùm, cùm Religio Christiana sub Constantino externum accepit splendorem, Synodorum decretis confirmatas esse veteres consuetudines, nonnullis quoque novis legibus sancitis: quibus deinceps pro variâ temporum ratione additum, vel detractum fuisse, donec longâ sæculorum successione ita sunt immutatæ, ut vix agnosci queant. Hoc tamen pro certo esse habendum, optimam ac convenientissimam fuisse disciplinam, quæ* quarto *Ecclesiæ sæculo sancita est, semperque fuisse mentem Ecclesiæ, ut illa, quantum fieri posset, servaretur. Hujus igitur duplicis principij accuratiorem discussionem facimus, acturi* de statu Hierarchico Ecclesiæ, seu formâ ac distributione Ecclesiarum ex variis Episcoporum gradibus, ac Patriarcharum, Metropolitarumque prærogativis subsistente. *Post cujus rei discussionem expendemus*; An Metropolitica, aut Patriarchica dignitas fuerit instituta à Christo, vel Apostolis?

§. I.

De Hierarchico Ecclesiæ statu.

3. PRimò. Hierarchia Ecclesiastica habetur dilucidè expressa ab Apostolo *Roman. 12. v. 4.* ita disserente. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro.* Si proinde de corporis humani ex membris adeò diversis coalescentis formâ, sit quæstio, multiplicem hujus unitatis rationem reperies, partim in mutuâ membrorum *activæ* ac *passivæ* communicationis coordinatione, partim in organizationis corpus heterogeneum constituentis integrali coadunatione, partim in formæ viram substantialem universis membris impertientis unitate. Illam igitur similitudinem ab Apostolo *præcitato* hierarchicum Ecclesiæ corpus, cum organico corpore humano comparante inductam, hisce verbis ulteriùs explicat Paulus, asseverando *ibidem*, quòd fideles sint quidem *in Christo unum Corpus, attamen singuli sint alter alterius membra, habentes donationes secundùm gratiam differentes, sive prophetiam secundùm rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrinâ, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine.*

4. *Secundò.* Quòd si igitur de Ecclesiæ membrorum mutuâ inter se, tum *activâ*, tum *passivâ* communicatione sit sermo, affirmandum est, *passivam*, seu influxûs Ecclesiæ susceptivam, in Sacramentis recipiendis capacitatem, subsistere ex charactere Baptismali: *activam* verò communicationem in conferendis Sacramentis sitam esse in potestate Sacramenti Ordinis, cui annexa est communicatio gubernativa, quæ prodit ex jurisdictione Ecclesiasticâ, diversis gradibus distinctâ, nempe Apostolatûs, seu Summi Pontificatûs, Patriarchatûs, sive Exarchatûs, Metropolitanatûs, seu Archiepiscopatûs, & simolicis Episcopatûs. De cujusmodi adeò gradibus proximè disseremus.

§. II.

De præinsinuatis Episcoporum gradibus.

DE his differit Elliesius præsenti *1. Dissertatione à §. 1. usque ad 6. §.* Cujus summariam seriem hîc afferemus, omni præcisâ concertatione.

5. *Primò* igitur Metropolis ex græci nominis etymo, significat primam & præcipuam cujusque Provinciæ urbem, veluti reliquarum matrem. Quo sensu S. Athanasius *in Epist. ad solitariè degentes* Romam vocat totius Romaniæ, id est, Imperij Metropolim. Quo insuper sensu Synodus Nicæna *can. 4.* Metropolitanum dicit illum Episcopum, qui primæ urbi alicujus provinciæ præpositus est, ac propterea in cæteras Provinciæ hujusmodi Ecclesias specialibus fruitur privilegijs ac juribus. Erant tamen antiquitus aliquæ solùm nominetenus Metropoles, nullum obtinentes jus Metropoliticum, sed honorem tantummodò; quemadmodùm Nicænus Episcopus *actione 13. Concil. Chalcedon.* obtinuit nomen Metropolitani, quamvis cæteris provinciæ Episcopis honore duntaxat fuerit præpositus; uti fusiùs ifthæc traduntur ab Elliesio *præsenti §. 1.*

6. Porrò Archiepiscopi nomen ipsi quandoque Romano Pontifici, vel Patriarchis adtribuebatur: successu tamen temporis id ipsum nomen sibi vendicabant insigniores quidam, simplices licèt Episcopi, nullis potiuntes Suffraganeis: at plerumque usurpatur jam de Metroplitis universis; uti latiùs hoc prosequitur Elliesius *præsenti §. 2.*

7. Antiquioribus præterea temporibus Metropolitanus vocabatur Primas Provinciæ, uti liquet ex ijs, quæ Elliesius *loco citato* deducit, animadvertens *ibidem*; posterioribus sæculis cœpisse Primatum distingui à Metropolitano, dum scilicet plures magnarum in Occidente urbium Episcopi, quibus aliquæ supra cæteras Ecclesias prærogativæ sunt attributæ, hunc titulum fuerunt consecuti.

8. *Secundò.* Metropolitis majorem in Ecclesiâ dignitatem obtinebant Exarchi, uti clarè evincitur ex Concilij Carthaginensis *17. Can.* quo decernitur in hæc verba: *Si quis injuriâ afficiatur à proprio Metropolitano; apud Exarchum Diœcesis, vel Constantinopolitanam sedem litiget.* Ubi, uti in alijs quoque Canonibus, nomine Diœcesis non venit unius tantùm Episcopatûs (quemadmodùm hodie accipi solet) sed plurium Provinciarum districtus. Exarchus igitur propriè is est, qui Diœcesi, hoc est, pluribus Provincijs præest: quamvis apud Græcos titulus Exarchi, quibusdam etiam Metropolitanis, imò Abbatum quoque Primicerio attributus fuerit, veluti Elliesius *præsenti §. 4.* fusiùs ostendit, *sequenti §. 5.* demonstrans insuper, Exarchos intelligi nomine Patriarchatum: qui olim ternario complectebantur numero, Romanus scilicet, Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ, juxta Concilij Nicæni *6. Canonem* ita sonantem: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo paritis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteràsque Provincias sua privilegia serventur Ecclesijs.* Plura de Patriarchæ nomine videri possunt apud Elliesium *cit. §. 5.*

Tertiò. Mirari quis posset, cur *in præallegato Nicæno Canone* Episcopus seu Patriarcha Alexandrinus coæquetur cum Episcopo Urbis Romæ. Sed admiratio hæc statim cessabit, si cum Elliesio *in admonitione ad Lectorem super Pag. 18.* observetur, hanc comparationem fieri duntaxat quoad jus Exarchicum, seu Patriarchatum, non verò quoad Primatum, quem Romana Sedes habet à Christo. Sicuti ergo Primatus Romani Pontificis ambit totum Christianum orbem, sic ejusdem Patriarchatus ex constitutione SS. Canonum, est circumscriptus limitibus Provinciarum suburbicariarum; de quarum extensione, vel coarctatione fusè agit Elliesius *præsenti 1. Dissert. §. ultimo à pag. 87.* Nobis autem sufficiat hîc rememorari, quòd Syrmondus Patriarchatum Romani Pontificis per totum Occidentem porrigi, probet Græcorum, speciatim Zonaræ & Balsamonis confessionibus, juncto Divi quoque Hieronymi testimonio: quamvis hoc refutet Elliesius *præsenti §. 11.* quò Lectorem remitto: cùm nostro instituto haud conveniat, hîsce immorari.

Quartò. Prænominatis tribus Patriarchis successu temporis jungebantur alij duo, nempe Constantinopolitanus, ubi hæc urbis cœperat, esse Imperatoria Sedes, nec non Hierosolymitanus Episcopus ob singularem ex Christo, redemptionis nostræ opus ibi peractæ, prædicationisque Evangelicæ ibidem inceptæ honorem ac reverentiam, cui proinde in Concilio Chalcedonensi *actione 7.* pro sua Diœcesi tres assignatæ fuerunt Palæstinæ, relictis Antiocheno Orientis Diœcesin obtinenti duabus Phœnicijs & Arabiâ. At Constantinopolitano Patriarchatui per Synodi Constantinopolitanæ, atque Chalcedonensis Canones attributa est jurisdictio in Pontum, Asiam & Thraciam; uti hæc multis prosequitur Elliesius *cit. §. 11.* animadvertens *eodem in loco*; Ephesinum quoque, ac Cæsarienſem Episcopos aliquid, præ cæteris Metropolitis habuisse privilegij, & Diœcesium suarum Patriarchas ac Exarchos fuisse.

§. III.

De juribus & prærogativis Metropolitanorum, atque Patriarcharum seu Exarchorum.

ELliesius *præsenti §. 12. & 13.* rectè supponit, Primatis ac Metropolitani, atque Patriarchæ jura & privilegia duplicis esse generis: nimirum honoris & potestatis: subditque, honoris præeminentiam esse clariorem, quam ut indigeat explicari; at potestatem jurisdictionis consistere in tribus, nempe in jure ordinationis Episcoporum provin-

cis,

ciæ, seu Metropolitanorum Diœceseos; in facultate convocandi Concilij Provincialis, seu Diœcesani, & insuper in inspectione super universam Provinciam, aut Diœcesin, ut fides & disciplina in ea servetur.

12. *Primò.* Jus ordinandi Episcopos Provinciæ in Metropolitano hîc describitur à *præcitato* Ellieſio. Nempe Clerum & populum urbis, cujus Episcopus modò defunctus erat, elegisse Episcopum: quia verò fieri non poterat, ut in eligendo non parum errarent, hominemque Sacerdotio indignum promoverent ad tantam dignitatem; ideo electiones examinandas & discutiendas fuisse ab illo, à quo debuerat ordinari. Quoniam verò magna fuisset orta turba, si cuivis passim Episcopo licuisset Episcopum noviter electum ordinare, idcircò statutum fuisse, ut Episcopi electio confirmaretur ab Episcopis Provinciæ, præsertim verò à Metropolitano. Hîc igitur, ubi electionem secundùm Canones factam, electumque Sacerdotio dignum esse, intellexerat, simul cum Episcopis Provinciæ illum ordinabat; veluti hoc jus Metropolitani probatur ex Concilij Nicæni *canone 4. & 6.* Item Concilij Laodiceni *can. 12.* & Concilij Carthaginensis *can. 12.* nec non Chalcedonensis Concilij *can. 25.* variisque Summorum Pontificum testimonijs, adductis à præallegato Auctore.

13. Quibus tamen minimè obstantibus, Pontifices Romanos succedentibus temporibus jus ordinandorum per universum Occidentem sibi vindicâsse, fatetur idem Ellieſius, asseverans, Metropolitica ordinationum jura Romanos Pontifices ad se trahere conatos esse per concessionem Pallij: eò enim datum fuisse Pallium a Pontificibus, ut Metropolitani possent plenâ authoritate suæ Provinciæ Episcopos ordinare. Deinad Pontificem Romanum devolutas esse appellationes judiciorum, quæ à Metropolitanis lata erant circa controversias exortas in electionibus. Insuper si Electores fuerant negligentes, aut si hominem minimè idoneum elegerant, devolutam esse electionem ad Romanum Pontificem. Ad hæc Romano Episcopo reservatû esse jus admittendi cessiones Episcopatuum, decernendique translationes & coadjutorias, cum futurâ successione. Denique confirmationem electionum omnium Episcoporum concessam esse Romano Pontifici, atque jus istud confirmatum esse Concordatis: quantumvis ad XII. usque sæculam Metropolitani in Galliâ jura sua sarta tectaque conservârint.

14. *Secundò.* Quoad Jus convocandi Concilij provincialis, rem in Metropolitano ita se habere, pergit *præcitatus* Ellieſius *pag. 69.* Cùm scilicet Ecclesiasticæ Provinciæ negotia in commune essent tractanda & tamen sinè Episcopo Metropolitano nihil fieri posset, ideo hujus fuisse, locum, & tempus Synodi indicere, & ad eam convocare Episcopos Provinciæ, quod minùs recte ab alio fieri potuisset. Hoc ergo jus etiam ante Concilium Nicænum ex consuetudine verisimiliter habuisse Metropolitanum: at post Concilium Nicænum ab Antiochenâ Synodo *cap. 20.* id jus apertè fuisse delatum Metropolitano. Quin etiam *Canonibus*, Synod. Laodicenæ 40. Ecclesiæ Africanæ 7. & Concilij Chalcedonensis 19. sancitum fuisse, ne Episcopi à Metropolitano vocati venire recusarent, pœnis etiam in contumaces latis.

15. *Tertiò.* Jus inspectionis super totam Provinciam Metropolitano, juxta præallegati Ellieſij §. 12. inferebat generalem curam, ut omnia secundùm Canones, rectumque ordinem fierent, utque Provinciæ Episcopi suo fungerentur officio. Quâ de causâ vetitum fuit Episcopis *Can. Apostolorum 34.* & Antiocheni Concilij 9. aliquid majoris momenti sinè Metropolitanorum auctoritate & consilio gerere. Quæ proinde inspectio ad varia extenditur. Metropolitanus namque est Judex Episcoporum suæ Provinciæ, dissidiorumque Ecclesiasticorum, quæ sunt adversùs ipsum Episcopum: quo tamen munere non solus, sed simul cum Synodo Provinciæ fungitur, juxtà Concilij Chalcedonensis *canonem 9. & 17.* Item Concilij Carthaginensis III. *can. 6. & 7.* Metropolitanus pariter cum Synodo judex est appellationum, quæ fiunt à sententiâ Episcoporum. Ex Concilij Nicæni *can. 5.* Antiocheni *can. 12. & 20.* Sardicensis *can. 17.* & Carthaginensis II. *can. 8.* Quòd si propter negligentiam, aut malitiam Episcopi sui, Ecclesia patiatur detrimentum, Metropolitani cura extenditur ad bona etiam temporalia, juxta *can. 11. septimæ Synodi.* Nec porrò sinè Metropolitani approbatione licere Episcopo ab Ecclesia suâ discedere, sancitum habetur in Antiocheno Concilio *can. 11. & 13.* Item Sardicensi *can. 7. & 96.*

16. *Quartò.* Patriarcharum seu Exarchorum potestas & jurisdictio pariter extendebatur ad ordinationes Metropolitanorum, atque ad facultatem Synodi Diœceseon convocandi, & ad aliquam super Diœcesim universam inspectionem. De quo primo Patriarcharum jure Ellieſius *præsenti §. 13.* fusiùs tractans asseverat, id nec antiquissimum esse, nec ubiquè observatum. Olim enim Metropolitanos ab Episcopis comprovincialibus esse ordinatos. Sed quia post mortem Metropolitani inter Episcopos comprovinciales nullus occurrebat majoris authoritatis, à quo possent dissidia inter provinciæ Episcopos forsan oriturâ componi, procedente tempore consuetudinem hanc invaluisse, ut post electionem Metropolitani à Clero & populo, itemquè post confirmationem ejus ab Episcopis comprovincialibus factam, Patriarcha totius Diœcesis acciretur, ut is Metropolitanum consecraret. Cujusmodi jus in Concilio Chalcedonensi unà cum Patriarchatu concessum esse Constantinopolitano Episcopo. Idem de Antiocheno Patriarcha affirmari ab Innocentio Papa *epist. 16. ad Alexandrum Antiochen.*

De Alexandrino & Romano Patriarchis rem extra dubium esse, utpote qui non modò Metropolitanos, sed universos Patriarchatûs sui Episcopos ordinâssent. Jus porrò ordinandi Metropolitanos intrà Palæstinas *actione 7. Concil. Chalcedon.* delatum esse Jerosolymitano Præsuli. Ipsos denique Patriarchas solitos fuisse ordinari ab Episcopis ex Diœcesi universâ, præcipuè verò ex ea provinciâ, cujus Metropolis erat Patriarchalis sedes, convocandis. Qua de re plura videri possunt apud Elliesium *præsenti §.* 13.

17. *Quintò.* De posterioribus Patriarcharum prærogativis, Concilij scilicet convocandi potestate, & super totam Diœcesim inspectione, observat Elliesius *in fine dict. §. 13.* vix ullam posse difficultatem esse. Nam statim, atque recursus datus est à Synodo Provinciæ ad Synodum Diœceseos, velut in Concilio Chalcedonensi *can. 9.* extat sancitum, haud fuisse dubium, quin Patriarchæ jus habuerint, Episcopos ad Concilium invitandi. Cætera verò jura inspectionis, servatâ eadem proportione, ita competere Patriarchæ super Diœcesin, sicuti Metropolitano conveniunt supra Provinciam. Nullum porrò Patriarcham habuisse majorem in suâ Diœcesi potestatem; quàm Ajexandrinum. Nam præter omnium Episcoporum ordinationes, adeo fuisse ab ipso dependentes cæteros Episcopos, ut nihil majoris momenti sinè ipso facere auderent. Hinc in Concilio Chalcedonensi *actione 4.* Ægypti Episcopos adeò enixè obtestari Patres Concilij, ne ad subscriptionem fidei sinè Archiepiscopo adigantur, quia extra sententiam & jussum ipsius nihil ejusmodi facere pôterant.

§. IV.

An Metropolitica, aut Patriarchica dignitas fuerit à Christo, vel Apostolis instituta?

18. DUas hâc de re sententias profert Elliesius *cit. Dissert. 1. §. 6.* Sunt enim, inquiens, nonnulli, qui Metropoliticam & Patriarchicam dignitatem velint à Christo institutam fuisse: alij verò ab Apostolis id factum esse, autumant: quam sententiam tuetur Petrus de Marca. Placeat proinde inprimis videre, in quo censu prætactas sententias habeat ille Theologus.

19. *Primò.* Metropoliticam, aut Patriarchicam dignitatem à Christo institutam fuisse, ad instar meri commenti, omni verisimilitudinis umbrâ carentis habet *præcitatus* Elliesius ex sequenti argumento. Christus enim extra Judæam non prædicavit, nec ullas Gentilium urbes, quamdiu vixit, vel per se, vel per suos ad fidem convertit. Dici ergo non potest, eum de facto Metropoles & Patriarchias instituisse.

20. Si affirmetur, Christum Apostollis præcepisse, ut post conversionem gentium Metropolitanos & Patriarchas instituerent: hoc etiam gratis fingi, contendit idem Elliesius, cùm nullum ejusmodi præceptum sive in sacris Litteris, sive in antiquorum Patrum monumentis extet. Exordiendo namque à primâ Ecclesiæ institutione, Apostoli præcipuis orbis partes peragrârunt, nulli aut urbi, aut loco addicti. Apostolis plures accessêre comites ejusdem laboris ac ministerij participes, quales erant Paulus, Barnabas, Crescens, & Thimotheus: qui Ecclesias innumeras fundârunt, &, ut inquit Clemens Romanus *in epistola ad Corinth.* tàm eorum, qui credidérunt, quàm qui credituri erant, Episcopos & Diaconos constituerunt. Ubi verò illi è vivis excessêre, qui ab ipsis Apostolis constituti erant, in defunctorum locum ab alijs celebribus viris cum consensu totius Ecclesiæ novi tum Episcopi, tum ministri constituti sunt, quin legatur, fuisse vel Metropoles, vel Patriarchias erectas.

Secundò. Pergit Author *præfatus*, fatendum quidem esse, Apostolos in aliquibus locis diutius esse demoratos, vel quia ita poscebat Ecclesiarum illarum, in quibus degebant, status, vel quia jam senio confecti, satis multas Ecclesias fundârunt. Sic namque Joannes extremo vitæ tempore substitit Ephesi, unde Ecclesias Asiæ regebat, cæteris Episcopis Apostolicâ dignitate superior: vel denique quia Ecclesias quasdam præ cæteris elegerunt, in quibus mori voluerunt, ut Petrus & Paulus Romanam. Negari quoque non potest, quin Apostoli cæteris, quos constituerant, Episcopis quodammodò superiores fuerint, uti de Paulo videre est, qui Corinthios tantâ reprehendit auctoritate. Verùm de his non est quæstio, sed hoc unum controvertitur: *Utrùm Apostoli aliquibus Ecclesijs à se fundatis, illarúmque Episcopis peculiaria quædam, aut privilegia præ cæteris, & in cæteras concesserint, illámque Patriarchatuum, Exarchatuum & Provinciarum divisionem instituerint?*

§. V.

Argumenta Petri de Marcâ circa Metropoliticæ & Patriarchicæ dignitatis ab Apostolis factam institutionem confutantur ab Elliesio.

PRimò. Hic Præsul Parisiensis *lib. 6. de concordiâ cap. 1.* contendit, Apostolos Orbem Ecclesiasticum in Provincias distribuisse ad exemplum dispositionis civilis. Cujus assertæ sui probationem desumit ex auctoritate sanctorum Petri & Pauli, quorum primus scribens ad novos Christianos *Epist. 1. cap. 1.* compellat eos per Provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ & Asiæ; alter verò distinguit Ecclesias Macedoniæ, & Asiæ.

Verùm Elliesius *cit. §. 6.* reponit, hanc rationem non probare, Ecclesiarum in Provincias distributionem ab Apostolis institutam fuisse: sed tantùm distinctas fuisse Ecclesias, propter distinctionem Urbium & Provinciarum. Ecclesias quippe nihil aliud esse, quàm fideles; cùm ergo fideles in variis

rijs provincijs degerent, non potuisse Petrum meliùs designare illos, ad quos scribebat, quàm Provinciarum istarum nominibus.

24. *Secundò.* Idem de Marca *loc. cit.* asseverat insuper, Apostolos, cùm Ecclesias distribuerent in Provincias, habuisse in animo, ut in ijs Corpus Episcoporum statueretur sub præsidentiâ Episcopi Metropoleos. Probat id ex illo Pauli *Epist. ad Titum. cap. 1. Reliqui te Cretæ, ut constituas Presbyteros.* Quibus verbis putat Marca, probari Metropolitani institutionem.

25. Verùm Elliesius admodùm levem dicit isthanc rationem. Si quid enim valeat, probabit, Apostolos Metropolitanos fuisse illarum omnium Provinciarum, in quibus Episcopos ordinabant. Sed posito, Titum præfuisse toti Insulæ Cretæ, hinc tamen inferri nequit, Metropoliticam dignitatem ab Apostolis institutam fuisse, hoc enim privilegium erat Tito peculiare, nulli Sedi, aut Urbi alligatum. Adhæc non est omninò certum, Presbyteros illos à Tito institutos, fuisse Episcopos, sed unicus fortassis in Cretâ Titus erat Episcopus, cæteri omnes Presbyteri tantùm. Nec refert, quòd Paulus Presbyteros istos statim dicat Episcopos, nomen enim Episcopi tam potest convenire Presbytero curam animarum habenti, quàm nomen Presbyteri Episcopo.

26. *Tertiò.* Prætactum intentum suum conatur Marca ulteriùs ostendere ex eo, quòd in Asia quondam fuerit Corpus Episcoporum in modum provinciæ; uti colligitur *ex Apocalypseos cap. 1.* ubi litteræ scriptæ sunt septem Angelis, seu septem Episcopis Asiæ, quorum unus erat Ephesinus.

27. At Elliesius reponit, hoc argumentum nullius esse momenti. Quantumvis enim Ioannes in Apocalypsi inter omnes Asiæ Episcopos compellet septem: hinc minimè licet concludere, institutam tunc fuisse Metropoliticam dignitatem. Addit idem Elliesius, nullius quoque roboris esse isthanc consequentiam; quâ ex eo, quòd Paulus instruens Asianos, scripserit ad incolas Ephesinæ urbis, quæ Asiæ Metropolis est. Et licet Apostolus hic in actis legatur Epheſi per triennium esse commoratus; haud tamen concludere hinc fas est, Metropoliticam Ecclesiæ dignitatem fuisse ab ipso institutam.

28. *Quartò.* Idem de Marca ex eo, quòd urbs Corinthiorum fuit Metropolis Achajæ, sicque adeò Paulus Epistolam ad Corinthios scribens, hanc non pro illis duntaxat, sed pro fratribus etiam, qui erant in Achaja, exaratam volverit; hinc subinfert, speciale Metropolitici juris à Paulo observati argumentum depromi posse.

29. Verùm Elliesius hanc consequentiam confutans reponit, concesso etiam, quòd Paulus suam ad Corinthios Epistolam, non his duntaxat, sed etiam fratribus Achajæ, cujus erat Metropolis Corinthus, scriptam voluerit, eò inde tamen haud confici, propositum fuisse Paulo, ut Corinthi Episcopus jura Metropolitica in omnem Achaiam obtineret, sed quam universis Achaiæ civibus scribebat Epistolam, ideo à Paulo inscriptam fuisse ad Corinthios, quia urbs illa notior erat, facileque poterat Corinthiorum operâ illa pervenire ad Achaiorum omnium notitiam.

Pergit Elliesius, idem dari posse responsum ad simile exemplum petitum ex Epistola ad Thessalonicenses, in quâ Paulus simul ad omnes Macedoniæ fratres scribit. Hæc etenim & alia ejusmodi probant solummodò, illas urbes, in quibus erant sitæ Ecclesiæ, fuisse Metropoles, easque primas ac maximas totius Provinciæ: at Ecclesias ipsas Metropoliticas fuisse, minimè demonstrat. Hæc igitur est inter Elliesium & Petrum de Marca concertatio, cujus judicium relinquo Lectori, meam hâc de re sententiam *infrà* adducturus. 30.

Quintò. Pergit Elliesius asseverare, non magis probabilem Patriarchatuum institutionem afferri ab ijs, qui volunt, eas ædes, quas Petrus fundârat, esse Patriarchicas, atque hac de causa Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ Ecclesijs jura Patriarchica esse concessa. Nam si inde repetenda esset Patriarchatuum dignitas, innumeræ forent Patriarchales Sedes, quia innumeras Petrus fundavit, & rexit Ecclesias. Unde infert ille Parisiensis Theologus, latum esse discrimen inter Apostolicam sedem & Patriarchalem. Nam multæ Ecclesiæ, quas Apostoli instituerunt & rexerunt, dici possunt, & olim dictæ sunt Apostolicæ, non item Patriarchicæ. Sic enim Tertullianus *in lib. de præscriptionibus. Percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.* Inter quas nominat Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, quæ Sedes Patriarchales nec sunt, nec unquàm fuerunt: quin etiam Ierosolymitana, in quâ Christus tamdiu habitavit, & in qua non modò Petrus, sed cæteri Apostoli primis Ecclesiæ temporibus sederunt, primitus non fuit Patriarchalis: quam tamen Augustinus *contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 5.* non veretur facere Apostolicam. Econtra verò Alexandrina Ecclesia, quam Marcus Petri discipulus, non ipse Petrus fundavit & rexit, secundum habuit inter Patriarchales sedes locum, quem deinceps Constantinopolitana obtinuit. Ergo Patriarchalis dignitas non repetitur a dignitate eorum, qui Ecclesiam fundaverunt, & primi rexerunt. 31.

§. VI.

Quantumvis provinciarum ac Diœceseon Ecclesiasticarum dispositio facta esset ad formam politici regiminis: jurium tamen ac prærogativarum seu Metropoliticarum, seu Patriarchalium institutio in altioris rationis principium foret reducenda.

PRimò. Elliesius *cit. Dissertatione 1. §. 7.* hâc de re ita disseruit. Nemo, inquiens, non novit, Imperium Romanum in Regiones & Provincias distributum fuisse, & Regionum 32.

ac Provinciarum quasdam urbes primarias fuisse seu Metropoles, unde cæteræ totæ pendebant. Itaque cùm ad eas ob civilia negotia Provinciarum incolæ convenirent, inde tum judicia, tum etiam merces &c. petere solebant. Simile aliquid in rebus Ecclesiasticis Christiani fecêre, & sive cùm ordinandus, aut deponendus erat Episcopus, sive aliqua divisio erat in Ecclesia, sive cùm in commune de rebus Ecclesiæ deliberandum erat, Apostolis jam in cœlum sublatis, par fuit, adire Metropoleos Episcopum, idque paulatim per consuetudinem invaluit, sicque tota Ecclesiarum distributio facta est ad formam Imperij, urbesque Metropoles fuerunt Ecclesiæ quoque Metropoles, & illarum Episcopus super universam Provinciam habuit potestatem, tum ad ordinandos, aut deponendos reliquos Episcopos, tum ad componenda Ecclesiarum dissidia, tum ad convocandas Synodos &c. ita tamen, ut sinè comprovincialium Episcoporum consilio nihil faceret. Quæ consuetudo Canonibus deinde confirmata est, totaque Ecclesia ad formam politici regiminis, disposita & distributa fuit.

33. *Secundò.* Pergit is Parisiensis Doctor. Eâdem ratione, inquiens, urbes illæ, quæ Diœceseos, seu regionis alicujus, pluriumque Provinciarum erant capita, successu temporis quædam regiminis etiam Ecclesiastici jura in cæteras obtinuêre. Demum in tribus præcipuis totius Orbis Romani civitatibus, Româ in Occidente, Antiochiâ in Oriente, & Alexandriâ ad Meridiem, tres fuerunt præcipuæ Ecclesiæ, quæ primum inter alias honorem consecutæ sunt, successuque temporis quædam in illas jura vel sibi vindicârunt, vel à Synodis concessa receperunt. His accessit postea Constantinopolis, quæ secunda mundi urbs evasit, & Ierosolyma, quæ hunc honorem non propter magnitudinem civitatis obtinuit, sed propter venerationem illius urbis, in qua primùm à Christo instituta fuerat Ecclesia, & ex qua Evangelium ad cæteras Orbis partes perlatum fuerat.

34. *Tertiò.* Quòd prærogativæ & privilegia Ecclesiarum reducantur in consuetudinem ceu sui originem, præfatus Auctor probat ex Concilij Nicæni *6. can.* Ubi statuitur, ut in hoc puncto *antiqua obtineat consuetudo.* Quòd autem in dignitate Metropoliticâ alicui Ecclesiæ decernendâ, respectus sit habitus ad politicam civitatis præcellentiam, arbitratur ille Theologus, evinci ex Concilio Taurinensi, ubi sancitur, Primatum deberi illi Episcopo, *qui suam civitatem demonstrâsset esse Metropolim*: adstipulante pariter Concilio Chalcedonensi *actione 4. & 13.*

35. *Quartò.* Ad demonstrandum, quòd Provinciarum & Diœcesum Ecclesiasticarum distributio facta sit ad formam politici regiminis; Ellies. *cit. Dissertatione 1. §. 7.* præsupponit, orbem Romani Imperij quatuor Prætorij Præfectis fuisse à Constantino Imperatore commissum, quorum *primus* Orientem, *secundus* Illyricum, *tertius* Italiam, *quartus* Galliam sortitus fuerat.

Verùm attento, quòd nonnisi tres in Ecclesiasticorum regimine primitus numerati sint Exarchatus, ille verò, qui postea erigebantur, Constantinopolitanus & Hierosolimitanus Patriarchatus, minimè corresponderint illis Prætorij Præfecturis, manifestum hinc elucet, Diœcesium Patriarchalium distributionem haud fuisse coæquatam normæ politici regiminis: maximè cùm sub Orientis Præfecto contentæ fuerint quinque Diœceses, in quarum *prima* Caput erat Antiochia, decem sub se complectens Provincias, in *secundâ* verò Ægypti scilicet Diœcesi Caput erat Alexandria, tribus distincta Provincijs: reliqui, nempe Ponti, Asiæ & Traciæ Diœcesibus seriùs, vel nunquam in tanto saltem numero, quantus tot Diœcesibus responderet, Patriarchalem prærogativam consecutis.

Nec porrò in Præfecturâ Illyrici, cui duæ subjectæ erant Diœceses, altera Macedoniæ octo complectens Provincias, altera Daciæ quatuor distincta Provincijs, Regiones hujusmodi quoad Ecclesiasticum regimen proportionabiliter exornabantur Exarchatûs præeminentiâ.

Sed quomodò res se habeat de Italiæ Præfecturâ, audire lubeat. Italiæ namque Præfecto parebant Vicariatus Romæ in decem divisus Provincias, & Vicariatus Italiæ, cujus Caput erat Mediolanum, septem constans provincijs: præter quas ad eandem Præfecturam spectabat Occidentalis Africa, & post mortem Constantis Illyricum quoque Occidentale. Num ergo dicere fas est, hisce singulis Italicæ Præfecturæ subjectis Diœcesibus singulos respondisse Exarchatus Ecclesiasticos?

Ne Metropolitanos quidem Africanæ Provinciarum semper ejusdem fuisse Sedis Episcopos, pluribus ostendit Ellies. *præsenti §. 9.* demonstrans insuper *cit. §. 1. & sequenti §. 10.* Galliam in quatuordecim Provincias divisâ, unâ cum Hispaniâ quinque Provincijs distinctâ, nec non cum unâ triplici Britanniâ in quinque Regiones dispertitâ, & Galliarum Præfecturæ subjectâ, non esse sortitam Patriarcham peculiarem ab Ecclesiastico Exarchatu Romano diversum: imò Galliam ne huic quidem subjectam, nulloque Patriarchatu dotatam, contendit Ellies. *in loc* proinde *dicti §. 8.* fateri compulsus longè exactiùs in Oriente ac Illyrico Ecclesiam Imperij Romani distributione respondisse, quam in Occidente, illic enim vix ullam (cujus ramen oppositum constat *ex antecedentibus*) occurrisse alicujus momenti diversitatem, hîc verò non unam: nam in Africa Metropoles Ecclesiasticas non respondisse Civitatibus, in Italia verò quatuor tantùm fuisse Metropolitanos, Romanum, cujus Provincia latissimè patebat, Mediolanensem, Ravennatensem, & Aquilejensem, ac præter hos in Insulis adjacentibus, Sicilia nimirum & Sardinia, Syracusanum & Calaritanum, posterioribus verò sæculis exortam esse in Italia magnam Metropolitanorum turbam.

Quintò. His taliter constitutis, clarum redditur, Ecclesiasticarum Provinciarum & Metro-

Metropolitanorum terminos, nec non Diœceseon & Patriarchatuum limites indebitè statui ex politici regiminis formâ. Et licèt hæc aliquam illi viam (uti constat *exum. 3.*) præstruxisset quoad *materialem* duntaxat finium ejusmodi descriptionem, ista tamen in Ecclesiastici regiminis constituendis sphæris, ac juribus seu Paræcialibus, seu Episcopalibus, seu Metropoliticis, seu Patriarchalibus, ex altiori quopiam principio definienda erat. Videtur equidem Ellies. varijs in locis, seu paragraphis *præsentis Dissert.* Metropolitanarum seu Patriarchalium dignitatū institutiones unà cum eorundem differentijs ac prærogativis, reducere in antiquas Ecclesiarum consuetudines, adstipulante etiam *sexto Can.* Nicæni Concilij, quo decernitur, *antiquam servandam esse consuetudinem per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.*

41. Nihilominùs de hac ipsa consuetudine disquirere licet, quænam fuerit primæva ejus origo: siquidem ad consuetudinem publici juris vires obtinentem introducendam, ex jure tam Civili, quàm Canonico requiratur publicæ auctoritatis consensus vel *expressus* ac *personalis*, seu *tacitus* & *juridicus*. *Ex Can. final. de Consuet. & lege De quibus. ff. De leg.* Unde quæstio oboritur, quænam fuerit, non politica utique, sed Ecclesiastica auctoritas, per quam subsisteret jurium ac limitum Metropoliticorum, Patriarchaliumque origo ac præscriptio? Ipsemet namque Ellies. *post medium præsentis §. 12.* Jus Metropoliticæ super Provinciæ suæ limitibus inspectionis reducit etiam *in 34. Canonem Apostolorum.* Quomodò igitur istud jus in consuetudinem potiùs, ceu primævam sui originem, quàm in auctoritatem Apostolicam reducere fas erit? Quâ enim veritatis specie dicere liceret, in primitivâ Ecclesiâ Episcopos civitatibus secundùm statum Politicum Metropolitis præpositos sponte ac citrà majorem sibi assistentem auctoritatem, sibi cœpisse arrogare aliquam simplici Episcopali jurisdictione superiorem suprà cæteros Episcopos Provinciæ præeminentiam? Quomodò ex ratione credere fas est, Episcopos in tanto numero, quantus est in qualibet seu Provinciâ, seu amplissima etiam Antiochenî, vel Alexandrini Patriarchatûs Diœcesi, absque majoris authoritatis interventu, se ipsos sponte ac liberè subjecisse tum Metropolitarum, tum unà cum istis, Patriarcharum illorum jurisdictioni? Quomodò ejusmodi Hierarchica Episcopalium jurium erga Metropolitas, atque horum erga Exarchos seu Patriarchas subordinatio, vel ex aliquorum ambitione, vel ex præciso ad Politici Imperij fines respectu, absque superemineniori quapiam auctoritate statui valuisset? Hanc igitur supereminentiorem auctoritatem Hierarchicam, jurisdictionum, seu Episcopalium, seu Metropoliticarum, seu Patriarchalium, seu Christi in terris vicariæ coordinationis principium & originem mox inquiremus.

§. VII.

An Metropolitica & Patriarchica dignitates cum earundem juribus in Christum, vel in Apostolicam saltem à Christo *immediatè* promanantem auctoritatem, ceu suum principium reducendæ sint?

42. PRimò. Cùm Ecclesiastica Hierarchia, secundùm sacrosanctum Tridentinum Concilium *Sess. 23. Can. 6.* Divinâ ordinatione sit instituta, videtur consequens, gradus quoque Metropolitarum atque Patriarcharum, ex quibus unà & Papatûs præeminentiâ, Episcopaliquè jurisdictione redintegratur Hierarchicus Ecclesiæ status, subsistere ex Christi Domini institutione.

43. Verùm distinguere oportet in Ecclesiâ duplex genus Hierarchicum, quorum *alterum* complectitur Ordinum Sacramentalium divinitus constitutam subordinationem: in quo genere non est distinctio simplicis Episcopi, ac Metropolitani, seu Patriarchæ, imò ipsius etiam Papæ, cùm in omnibus istis sit unus specie, idemque character Episcopalis Ordinis, nec adeò gradus isti inter se constituunt ordinum Sacramentalium Hierarchiam, nisi quatenus cum Sacerdotij ac Diaconatûs, aliorumque Altaris Ministrorum ordinibus conferuntur: atque de hoc Hierarchiæ genere loquitur *præcitatus Canon Tridentinus*, dum eam decernit Divinâ institutam ordinatione. *Alterum* proinde Hierarchicum genus in sancta Christi Ecclesiâ importat jurisdictionis Ecclesiasticæ coordinationem, cujus Caput noscitur esse Papatus, Divino institutus jure, cui subordinantur gradus tum Patriarchalis, tum Metropoliticæ dignitatum, utisimplicis etiam Episcopatuum jurisdictionis: qui gradus tum quoad Diœceseon ac Provinciarum, districtuumque Episcopalium limites, tum quoad speciales prærogativas (in quibus Patriarchâ Metropolitis intrà suam Diœcesin constitutis, & Metropolita Episcopis suâ Provinciâ contentis, non honore duntaxat, sed etiam jurisdictionis potestate præest, ac præeminet) nequaquam sunt juris Divini à Christo *immediatè* sanciti: quamvis mediantibus Apostolis seu Apostolicâ saltem auctoritate, perpetuo S. Ecclesiæ statui annexâ interveniente, in Christum ac jus Divinum sint meritò reducendi, unà cum Hierarchicâ eorundem inter se coordinatione; uti mox elucidabitur.

44. *Secundò.* Si de Apostolorum personis circa rem præsentem sit sermo, ipsemet Ellies. tum *in suæ Dissertationis 1. præloquio*, tum *in §. 6.* fatetur, Joannem cæteris Episcopis Apostolicâ dignitate superiorem, jam seniorem videri aliquam Ecclesiarum Asiæ constituisse formam, perinde ac cæteri quoque Apostoli fuerant Episcopis à semet constitutis superiores. Esto igitur, Apostolos Ecclesijs à se fundatis, illarumque Episcopis jura quædam peculiaria præ cæteris, & in cæteras minimè concessisse, atque Patriarchatuum seu Exarchatuum & Provinciarum divisiones

siones non instituisse, attamen ex præinsinuatâ Ellieſij confessione extat manifestum, Apostolicæ saltem auctoritatis omnigeno Episcopatûs, Metropoliticæque ac Patriarchalis dignitatis gradu superioris potestatem prævaluisse, ad formam Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quoad diversimodas jurisdictionum Ecclesiasticarum prærogativas instituendam. Ac quæ Apostolis *collectivè* sumptis, seu in unum Oecumenicum Concilium coadunandis, tum singulariter Petro, ejusque adeò successori Divinitus est collata Apostolica auctoritas, ad perpetuum Ecclesiæ statum noscitur ex vi Divinæ institutionis propagata, & indefectibiliter propaganda. Quæ ergo post Apostolos in Ecclesia successu temporum sunt institutæ Patriarchalium & Metropolitanarum Sedium, præ simplicibus Episcopatuum jurisdictionibus dignitates, meritò reducuntur in ejusmodi auctoritatem Apostolicam.

45. *Tertiò.* Cùm Ellieſius præsentis *Dissertationis pag. 63.* asseveret, antiquitus jam esse statutum, ut Episcopi electio confirmaretur ab Episcopis Provinciæ, præsertim à Metropolitano, disquiro, ex quâ, nisi Apostolicâ ad perpetuum Ecclesiæ statum vi Divinæ ordinationis transfundendâ auctoritate profluere potuerit hæc Metropolitani prærogativa? Ex quo enim fonte emanavit illud antiquitatis statutum, oportuit, majori Episcopis in terris pollere auctoritate, quæ antecedenter ad Patriarchatuum & Metropolitarum institutionem, non poterat alia esse, nisi Apostolica. Dum prætactus Auctor *pag. 66.* rursus affirmat, Pontifices Romanos ordinandorum per universum Occidentem Episcoporum, potestatem sibi vindicasse, quo alio, quàm Apostolicæ auctoritatis jure id facere potuissent. In hac enim fundatur Pallij quoque Archiepiscopalis cum plena in suam Provinciam potestate concessio, cui eodem Ellieſio fatente, antehac annexa erant Metropolitica quoque, ordinandorum Episcoporum jura. Quandoquidem Regni Francici Metropolitanorum jura, *specificè* quoad Episcoporum electorum confirmationem, ipsismet etiam Regijs concordatis adstipulantibus, Ellieſio *ubi supra* teste, sint translata in Romanum Pontificem: quî fieri hoc potuisset, nisi ad hujus auctoritatem Apostolicam, Episcopali & Metropoliticâ dignitate superiorem habitus fuisset respectus? Quando ipsomet insuper Ellieſio *pag. 69.* fatente, etiam ante Concilium Nicænum Metropolitis ex consuetudine jus fuerat, Episcopos Provinciæ convocandi ad Synodum: unde hoc jus nisi ex potestate Episcopis ac Metropolitis superiore, adeoque Apostolicâ, potuerat ortum habere? Et quia jus Metropoliticæ inspectionis subsistebat *ex 34. Apostolorum* per Ellieſium *allegato Canone*, quâ ratione negare quis ausit, id fundari in auctoritate Apostolicâ, tanquam primævo sui principio? Cùm præterea secundùm Ellieſium *præsenti §. 13.* Metropolitæ olim fuerint ordinati ab Episcopis comprovincialibus; sed consuetudo postmodùm invaluerit, ut confirmarentur à Patriarchis: quâ nisi superiore, adeoque Apostolicâ in terris relictâ auctoritate, fieri poterat hujusmodi juris vel dispositio, vel immutatio? Qualis Apostolica in Oecumenicis Concilijs etiamnum existens auctoritas ab auctore illo *pag. 70.* planè adstruitur, dum ait, à Synodo Chalcedonensi fuisse illud ius concessum Patriarchæ Constantinopolitano, nec non Præsuli Ierosolymitano, ad Patriarchicâ erga Palæstinas dignitatem evecto. Cujus præterea Oecumenici Concilij auctoritate Apostolicâ factum esse, *præcitatus* Parisiensis Doctor *pag. 80.* asseverat, ut à Synodo Provinciæ fas esset, recursum habere ad Synodum Diœcesis.

Ad cujus rationis nostræ majorem firmitatem pro *quarto* expende mox deducendam rationem à priori, ex ipsilmet Christi verbis auctoritatem Apostolicam instituentis petitam. Duplex namque in Ecclesia Christi pro perpetuo ejus statu exstitit Apostolica auctoritas. Altera *16. Matth. cap.* ad solum Petrum cum jure successionis directa, consistit in Clavibus Regni Cælorum, *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate stipatis. Altera dein *Matth. 18.* Collegio Apostolico quà Ecclesiæ repræsentativo, sicque Concilio Oecumenico, vicariâ Christi Apostolicâ auctoritate coaptato, per Christum concessa *indefinita* ligandi & solvendi potestas noscitur ex præfentibus Ellieſij *12. & 13. §.* in pluribus Oecumenicis Synodis sanxisse varia Metropolitica & Patriarchalis dignitatis jura, quemadmodùm Concilij quoque Nicæni *Canon sextus* suâ auctoritate Apostolicâ firmavit consuetudinem præeminentiarum Patriarchalium, Exarchis Alexandrino & Antiocheno intrà limites ibidem descriptos competentia: quamquam posteriores generales Synodi in his postmodùm aliquam vel immutationẽ, vel restrictionem fecerint, pluribus præterea Patriarchalibus Sedibus erectis. Quis proinde negare audit Apostolicæ *indefinitæ* Concilijs Oecumenicis per Christũ concessæ ligandi & solvendi auctoritati vim inesse, sui ipsius aliquam communicationem sub majori, minorive extensione seu coarctatione faciendi, sicque tum districtus simplicium Episcopatuum, tum Provincias Metropolitarum, tum Diœceses Exarchatuum seu Patriarchatuum, cum quadam inter se subordinatione, jurium que adeò solvendi & ligandi vel præeminentiori sublimitate, vel depressiore quapiam subjectione constituendi? Et quoniam clavium *indefinita* potestas Apostolica *Matth. 16.* Petro, ejusque successoribus promissa, *Ioannis 21.* fuit collata *actualiter*, per Christi ad unicum Petrum prolata verba, *Pasce oves meas: Pasce agnos meos*, idcircò cùm & Episcopi & Archiepiscopi, & Patriarchæ sint Christi oves seu agni, noscuntur isti eatenus subjecti illi pastorali Oecumenico muneri, ut consequenter per illam potestatem Apostolicam possint Episcopi Metropolitanis, & hi Patriarchis subordinari, altioribus semper gradibus partem aliquam super subditis, de ligandi & solvendi potestate

state majorem communicando, sicque adeò Hierarchicæ subordinationis gradationes intrà Ecclesiam decernendo: prout circa ipsam quoque Galliam à Romanis Pontificibus factitatum esse, mox ostendetur.

47. Nam *quintò*. Ipsemet Ellies. *præsenti §. 10.* profitetur, Arelatensem Episcopum in Gallia Sedis Apostolicæ Vicarium constitutum legi *Epist. 5.* hujus Pontificis ad Galliæ Episcopos, ubi hujus Vicariatûs prærogativas etiam videre licet. Cujus Vicariatûs jura latiùs extendisse videtur Symmachus Papa *Epist. 10. ad Episc. Arelat.* Eundem Vicariatum in Gallijs confirmat Auxanio Vigilius *Epist. 8.* & Pelagius *Epist. 21.* Gregorius item Magnus vices suas in Regno Childeberti, usumque Pallij Vigilio Arelatensi concedit *lib. 4. Epist. 40.* Ac demum Ioannes VIII. suas in Gallia vices Rostagno Episcopo Arelatensi commisit. Idem postea titulus Bonifacio Moguntino Episcopo delatus est à Zacharia Papa *Epist. 5.* Rhemensi insuper Metropolitæ Primatum suæ Diœceseos concessit Adrianus I. *Epist. 15.* ad Tilpinum Rhemensem. Trogoni Metensium Episcopo suum Vicariatum tribuit Sergius, juxta ejusdem Pontificis Epistolam relatam *Tom. 7. Conciliorum columnâ 1799.* Ioannes VIII. Vicariatum in Galliæ & Germaniæ provincias contulit per litteras ad Episcopos Galliæ datas, & relatas *Tom. 9. Concil. pag. 221.* Denique Gregorius VII. Primatum Ecclesiæ Lugdunensi concessit super quatuor Provincias, juxta litteras adductas *Tomo 10. Conciliorum columnâ 220.* & *221.* quam Primatûs, aut Vicariatûs potestatem à Romanis Pontificibus Episcopis Gallicanis concessam, Ellies. *circa finem dicti §. 10.* revocat ad sequentia capita: tum Formatarum tribuendarum, tum convocandi Concilij Diœcesani: tum referendi ad Pontificem de majoribus causis, tum cavendi, ut Canones observarentur, fidesque maneret illibata: superaddito quandoque etiam jure appellationum à Metropolitanorum judicijs. En igitur clara inter Galliam argumenta præeminentiarum Ecclesiasticarum in Metropolitanos & Primates collata per auctoritatem Apostolicam Romanorum Pontificum.

DISQUISITIO XI.

Quanta sit Romano Pontifici authoritas erga jura Regia, causas Ecclesiasticas præsertim concernentia?

§. I.

1. HUic disquisitioni ansam præbent, quæ *tertio* Declarationis à Clero Gallicano Parisijs anno 1682. editæ articulo habentur asserta: *Valere scilicet regulas, mores, & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta.* Num enim sub Regni institutis ac moribus, seu regulis hujusmodi intelligendæ etiam eæ consuetudines, ac prætensa Galliæ jura, quæ ex Petro Puteano *de particularibus seu Regni, seu Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus*; nec non à Petro de Marca *de concord. Sacerdotij ac Imperij*; uti etiam à Richerio circa *Ecclesiasticam & politicam* potestatem jactitari solent, tametsi prætacti Puteani volumen, statim, ac prodijt in lucem, fuerit improbatum à Rege Christianissimo simul & Gallicano Clero. Quia verò ipsissimus hic liber Regni Gallicani Politicis ut plurimùm est in usu, operæpretium visum est, ejus saltem Summarium limpidos virorum sanctæ fidei puritatis studiosorum ob oculos ponere, ad effectum, à Christiani orbis partibus arcendi periculosissima ejusdem axiomata. Quibus tamen consultò est præmittenda spiritualis ac temporalis potestatis distinctio ab ipsismet etiam Jurisconsultis Gallicis per Authorem *tract. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 10. cap. 1.* relatis egregiè asserta & comprobata.

ARGUMENTA

Caroli Fevret *tract. de abusu lib. 1. cap. 7. n. 10.* illius duplicis potestatis discrimen ostendentis & probantis.

HIc igitur Author affert in hunc finem duos sequentes Canones. Unus *in Cap. Duo sunt. dist. 96.* adductus ita se habet: *Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Alter ab eodem citatus Canon ita se habet: *Si Imperator Catholicus est, (quod salvâ pace ipsius, dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere: habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis Divinitus consecutus est, ut ejus beneficijs non ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nil usurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas .... Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis, non præferre.* Idem omnibus istius distinctionis Canonibus statuitur. 2.

Adducit etiam Fevretus *ex Can. Quoniam. dist. 10.* qui pars est Canonis, *Cum ad verum. dist. 96.* hæc verba nonnihil immutata: *Sic Deus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis utriusque potestatis officia discrevit, ut & Christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium imperialibus legibus uterentur. Quatenus spiritualis actio à carnalibus distet incursibus; & militans Deo, negotijs non se implicet sæcularibus: ac vicissim Divina non attingat, qui est temporalibus intentus.* Sunt etiam in hac *dist. 10.* alij Canones huc pertinentes. 3.

Laudat Justiniani *Novell. 6. in proœm.* unde parva exscribit, sed, omissis illis, quæ clariùs distinctionem designant. Sic autem habet Novellæ 6. præfatio: *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à supernâ collata Clementiâ, Sacerdotium, & Imperium: illud quidem Divinitus administrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex uno eodémque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* 4.

5. Adjungit Fevretus; à Deo sunt *immediatè* Papatus & Imperium, & ideo Deus æternus duos constituit Vicarios, unum in spiritualibus, alterum in temporalibus. De Rosell. *tract. De potest. Pap. & imp.* duas illas potestates distinguit ex eo, quòd una exerceatur in animas, in corpus altera; quòd unius gladius *spiritualis* sit, alterius autem *materialis*; quòd non solùm actus, seu functiones, sed etiam objecta, & fines diversos habeant; quòd sint duo Principatus, duo genera hominum, duo gladij, duæ jurisdictiones; una *spiritualis*, altera *temporalis* Addit testimonium Synesij Episcopi Tolemaidis.

6. Ex Hincmaro *in epist.* ad Episcopos quosdam Franciæ profert hæc verba: Sicut in Pontificibus, ac Regibus ordinum sunt divisa vocabula, ita sunt in unaquaque professione divisa ordinationum officia. Ex quodam Procuratore Regio ista; duas illas jurisdictiones, quibus principaliter mundus regitur, à Deo fuisse ab invicem separatas, distinctas, & divisas, ita ut neutra alteri subesset. Ex Poeta Gauthero in gestis Federici Enobardæ hoc distichum.

Ecclesiam regat ille suam, Divinâque jura
Temperet, Imperium nobis, fasces que reliquat.

Ex S. Fulgentio *lib. de prædest. & grat.* sequentia: *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo Christiano nemo Imperatore celsior.*

7. Parum juvaret, nosse distinctionem inter duas illas potestates intercedere, nisi sciretur, quæ sint utriusque munia & officia. Hæc, ut inquit Fevretus, ab eodem Deo assignata sunt, à quo constitutæ sunt ipsæ potestates; scilicet *Paralip. lib. 2. cap. 19.* unde ista excerpsit, aliquibus prætermissis: *Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, ubicunque quæstio est de mandato, de lege, de cæremonijs, de justificationibus, Amarias sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Dominum pertinent, præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iudæ, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Et Deuteron. cap. 7. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram ..... venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore.* Quocirca Lyranus observat duarum jurisdictionum differentiam his verbis: *In spiritualibus recursus est ad Summum Pontificem, & ab inferioribus Principibus, & judicibus sæcularibus ad Regem, seu Imperatorem.*

8. Denique ambas illas potestates, & inter ipsarum munia distinctionem cunctis nationibus innotuisse, probat Fevretus multis authoritatibus, quarum luculentissima videtur Bobadillæ Hispani *lib. 2. Politic. cap. 18.* cujus est ista sententia; Reipublicæ eversio ex officiorum perturbatione nascitur; speciatim, quòd potestates & Judices Ecclesiastici, & Sæculares alteri alterorum jurisdictionem invadunt, & administrare, exercere, atque usurpare ambiunt utrumque gladium, non reddentes, quod Cæsaris est, Cæsari, & quod Dei est, Deo. Ita disputat Fevretus; sed utrùm cum hâc doctrinâ consentiant, quæ in duobus Tractatûs illius voluminibus scripsit, judicabit Lector quilibet, si modò ratione utatur, & aliquam justitiæ legem sequatur, ne dum si pietatem & Religionem.

ARGUMENTA

Petri de Marca *lib. 2. de concord. Sacerd. & Imper. cap. 1. à n. 4.* duplicis illius potestatis differentias exponentis.

HIc igitur Author *loco cit.* ita rem hanc prosequitur. *Quibus finibus regi debeant supremæ illæ potestates*, inquit Marca *n. 4.* satis *antiqui Patres nobis præiverunt; ut difficile non sit, tritissimâ viâ eorum vestigia sectari, nisi quis malo consultò, & datâ operâ in errores impingere. Legium Imperium quietem publicam; Episcoporum solicitudo felicitatem æternam hominibus procurat, testante Apostolo: Reges sæcularibus, Pontifices spiritualibus ordinandis se impendunt.* Verissimè autem subjungit: *Quamdiu neutra potestatum in alienos limites insiliet, mutuâ concordiâ res Christiana amplificabitur.*

In cujus etiam discriminis probationem sequentia adferuntur argumenta. *Prima* nempe probatio, est Osij Episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem admonitio à S. Athanasio *in epist. ad solitariam vitam agentes* relata: *Tibi Deus*, inquit Osius, *imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et qui admodùm, qui tuum imperium maligno oculo carpit, contradicit ordinationi Divinæ: ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Date, *scriptum est*, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. *Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & Sacrorum potestatem habes, Imperator.* Constantiam illam longè posteà imitatus est S. Theodorus Studita Leonem Armenum sic allocutus; ut testatur Thesterictus in vita S. Nicætæ apud Surium ad diem 2. Aprilis: *Respondit autem, & Theodorus vehemens Ecclesiæ Magister, Dux Studitarum: nec tentes nunc, ô Imperator, Ecclesiasticum statum dissolvere; ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem, ô Imperator, civilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura, Ecclesiam autem Pastoribus & Doctoribus (ut ait Apostolus) derelinque.* Ita Theodorus Leoni Armeno anno 814.

Secundò. SS. Patres, & alios Scriptores, nonnullos etiam Imperatores refert Marca, Gregorium Nazianzenum, Isidorum Pelusiotam, Joannem Chrysostomum, Synesium, Gelasium, Symmachum, Gregorium II. Nicolaum I. Innocentium III. Metrophanem, Valentianum, Justinianum, & Ludovicum Pium. Concludit; *Possem in hanc sententiam plurimos Ecclesiæ Gallicanæ Authores laudare, Hinc-*

marum

marum, Ivonem, Bernardum, Petrum Blesensem, sed satius esse duxi, in re nota parcere diligentiæ, quam nimiâ sedulitate fastidium movere Lectori. Addit tamen testimonium Lupi Ferrariensis *epist. 18.* scribentis, *quòd Christus potestatem suam ad gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges; ut, quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.*

Reflexio

Authoris *tract. de libertat. Ecclesiæ Gallic. cit. lib. 10. cap. 1. à n. 11.*

12. HIc Author hunc in modum concludit. Nempe Petrus de Marca *n.* 5. dixerat, Gelasij potestatis utriusque terminos constituentis definitionem amplexos esse gregem, Episcopos, & Proceres Ecclesiæ Gallicanæ in Concilio Parisiensi, & in libris Capitularium. Rem eandem postea prosecutus est anno 1646. *in libello Barcinone edito, & libris de concordia*, dum iterum prodierunt in lucem, præfixo.

13. Posito igitur illo principio tanquam certissimo, & omnium sententiâ comprobato; nimis distat spirituale à temporali, sacrum à profano, quàm ut possint eorum limites sinceri, ac veritatem & justitiam potiùs, quàm proprium commodum, & honorem sectantis Judicis cognitionem effugere. Si quæ post examen supereſt difficultas, aut obscuritas, ab iniquo affectu plerumque ortum habet, nec unquam vulgatæ illæ allegationes, executionis Canonum, possessorij, abusûs Ecclesiasticæ potestatis, ac similia, probabilem æquis hominibus, nedum Deo infinitè sapienti, & justo, efficient alienæ jurisdictionis usurpationem. Sed quoniam communia, &, ut Dialectici loquuntur, abstracta non ægrè conceduntur, quia non incommodant, descendamus ad singularia, percurramusque Capita Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ad quæ revocatæ sunt à Puteano illarum probationes.

§. II.

Summarium ex Petri Puteani axiomatibus circa Regni Francici libertates collectum, una cum refutatione eorundem, conclusioneque super ijsdem reflexivâ.

Axioma *primum* Puteani *ex ejusdem 4. & 5. capite.*

14. HIc Author *locis insinuatis* contendit, Regios quoque Officiales, dum sua exercent officia, non posse subjici excommunicationibus.

Refutatio istius axiomatis.

15. AUthor *tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 10. cap. 3. à n. 2.* respondet in hæc verba. Scimus equidem, Franciæ Regibus plurima privilegia, etiam circa censuras, à Summis Pontificibus esse concessa, quibus, ut liberè gaudeant, nemo debet ægrè ferre. Quocirca ita monet D. Petrus de Marca *lib. 3. cap. 10. n. 3. Sanè dubitandum non est, quin eximia quædam jura in rebus Ecclesiasticis Reges nostri obtineant, quæ cæteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet, qui privilegiorum multitudinē ex officiorum magnitudine metietur. Contenderet profectò Ecclesia Romana, nec suppeterent illi facultates, quibus cum Gallorum Regibus decideret, nisi liberalitatis, & perfectæ donationis titulo, immensam beneficiorum suorem molē in eam contulissent. Si ergo liberalitate Pontifices rependere volunt, quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est, cur cæteri Principes nobis invideant benigniorem erga Reges nostros Romanæ Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit, de privilegio quoque nobiscum certare.*

16. *Meruit*, inquit Clemens V. in diplomate dato Lugduni Kal. Februarij Pont. sui an. 1. *charissimi Filij nostri Philippi Regis Francorum illustris, sinceræ devotionis ad Nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt; meruit insuper fida Regnicolarum pietas, ac devotionis sinceritas, ut tam Regnum, quàm Regem favore benevolo prosequamur.* Meruerunt igitur Christianissimi Principes, Regnumque Christianissimum, non solùm ut sua illis jura servarentur illæsa, sed præcipuis & singularibus beneficijs, gratijs, & favoribus ab Ecclesia cumularentur, quamdiu Majorū vestigia sectantes, in Ecclesiam liberaliter refunderent, & in ejus protectionem, & exaltationem insumerent, quod accepissent ab ea.

17. Sed rem Christianissimi Regis pessimè gerunt, qui eximia, quæ ab Ecclesia obtinuit, privilegia de Jure Communi esse, aut Regiæ Coronæ propria contendunt. Cùm enim ipsa rerum natura, & Juris Communis notitia, hujusmodi prærogativas Regi ob suam Coronam competere non posse, certissimè suadeant, atque aliunde nullo fulciri privilegio Authores illi, *tacitè* saltem, fateantur; injustè ac violenter usurpatas nemo non suspicatur, quod avitam Regum Galliæ pietatem, ac gloriæ splendorem obumbrat.

18. Indultum est plerisque Regibus Galliæ, ut ab alijs, quàm a Romanis Pontificibus excommunicari non possent: Gallici authores generatim asseverant, Galliæ Reges, & eorum Officiales excommunicari non posse, quæ propositio non solùm contra praxin antiquam, sed etiam contra fidem manifestè pugnat, si benignâ interpretatione non temperetur, ac in eo sensu intelligatur, quem præferre videntur verba, quibus apud aliquos Authores; ut apud Carolum Fevret *lib. 1. de abusu cap. 6. n. 9. & sequentibus* exprimitur; ut scilicet neque ab Episcopis, neque à Summo Pontifice in Principes, aut eorum Officiales, aut Regna possint ferri censuræ.

19. *Esse de grege Christi* (verba sunt Michaelis Maucleri Doctoris Parisiensis *in Tract. de Monarchia Divina Ecclesiastica, & seculari Christiana par. 2. lib. 3. cap. 15.*) *& non subjici directioni, & correctioni Pastoris à Christo Domino super ovile suum constituti, manifesta contradictio,*

sinè extraordinaria quadam ab ipso Domino ordinata in sacris apparente Scripturis exemptione, aut miraculo aliquo, certâque revelatione alicui factâ, censeri debet. Neque enim ovis aliqua sinè Pastore concipi potest, nisi extra ovile vaga, & errans rapacibus lupis facta præda, citò strangulata devoraretur, juxta illud Prophetæ Regij: Erravi sicut ovis, quæ perijt; *unde dogma illud schismaticorum illorum tempore Henrici Imperatoris cum impietate mordicùs asserentium, Regem, aut alium Principem à Romano Pontifice excommunicari non posse, hæreticum ab Ecclesia judicatum est, sacris obsistens Scripturis, Ecclesiæ decretis, sanctorúmque Patrum doctrinis oppositum.*

20. Si quis Mauclerum existimat, nimiùm authoritati Ecclesiasticæ favisse, audiat Regiæ defensorem. *Insuper*, inquit Iacobus Almain *quæst. resumptivâ de Dominio naturali civili & Ecclesiastico secundæ conclusionis 2. parte: Cùm illi potestati* (Ecclesiasticæ) *non ex institutione humanâ, sed Divinâ cuncti fideles subjiciantur, & quando aliquis subjicitur alicui, non ex proprio consensu, sed authoritate alicujus, non potest ab illa subjectione eximi, nisi authoritate ejus, qui eum subjecit, vel authoritate sui Superioris, si habeat Superiorem, hinc est, quòd contra obedientiam debitam Ecclesiæ præscribi non potest, & multi Imperatores, & Reges hâc potestate fuerunt excommunicati.*

21. Plurima sunt in Francorum historijs excommunicatorum, non solùm à sancta Sede, vel à Concilijs, sed etiam ab Episcopis, Regum exempla, & eorum vel resipiscentiæ, vel castigatæ à Deo etiam in hac vita contumaciæ. De Chariberto in *primâ* Dynastia sic scribit Gregorius Turonensis *hist. Franc. lib. 4. cap. 26.* Posthæc Manovefam Merofledis sororem conjugio copulavit. Pro qua causa à S. Germano Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cùm eam Rex relinquere nollet, percussa Dei judicio obijt. Nec multò post & ipse Rex post eam decessit Charibertus.

22. In *secunda* Dynastia Lotharius II. Imperatoris Lotharij filius ob repulsam uxorem, & superinductam pellicem à Nicolao I. excommunicationis vinculo innodatus, & ab Adriano II. datâ fide de recipienda uxore, absolutus fuit. Sed Româ rediens, obijt Placentiæ, & milites ejus morbo consumpti sunt: quam mortem Regino, & Signius datæ fidei violationi adscribunt.

23. In *tertia* Dynastia Robertus, aliàs meritò Pij nomen consecutus, ob incestas nuptias simili censurâ perculsus fuerat, sed ea pœna medicina ei fuit, quæ ad salutarem eum pœnitentiam induxit. Rem scitu, & admiratione dignissimam narrat Cardinalis Petrus Damiani *lib. 2. epist. 15.* quæ est ad Desiderium Abbatem Cassinensem, & Cardinalem, ejusque Monasterij Monachos. *Robertus*, inquit, *Gallorum Rex avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptra successit, propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem, quos etiam, virum scilicet, & uxorem, omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicavêre sententiâ, cujus Sacerdotalis edicti tantus omnem undique populum terror invasit, ut ab ejus universi societate recederent, nec præter duos sibi servulos ad necessarij victûs obsequium, qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabilia judicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tantum Rex coarctatus angustijs, ad sanum consilium rediens, divertit incestum, initque legale connubium.* Videt, quanta fuerit olim Regum, ac Regni Religio circa Ecclesiasticas censuras, & quanta obedientia à subditis & servis etiam Regis, adversùs ipsummet Regem, Ecclesiæ præstita; sed vides etiam, quis fuerit illius religionis & obedientiæ fructus.

Philippus item 1. Roberti Nepos anno 24
1094. in Concilio, cui Hugo Archiepiscopus Lugdunensis Legatus Apostolicus præfuit, anathemate obstrictus est, quòd dimissâ uxore legitimâ, aliam duxisset; quæ censura confirmata est anno sequenti ab Urbano II. Papa è Gallia oriundo, in Synodo Claromontana, cui interfuerunt 13. Archiepiscopi, & 215. Episcopi; eo tamen vinculo absolutus fuit anno 1104. à Legato Paschalis II. ut docet Ivo *epist. 166. & 169.* Philippus etiam II. eandem expertus fuisset censuram, rursùs repudiatâ concubinâ, uxorem legitimam recepisset post interdictum Regnum. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1198. *n. 9. Rex præsentiens, Legatum velle procedere contra ipsum, per Nuntios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari. Legatus, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatenus mandatum apostolicum alibi commodiùs adimpleret, tandem apud Divionem facto Concilio, interdicti sententiam promulgavit, mandans universis Francorum Prælatis sub pœna suspensionis, ut & ipsi illud observari facerent. Illorum verò nonnulli illud frustrà observârunt, alij verò minimè, donec rursùm ab Innocentio jussi, omnes humiliter paruerunt.*

Ex quibus patet, Reges Galliæ, & Regnum aliter olim de censuris Ecclesiasticis, quàm modò, sensisse, easque magis reformidâsse. Quamquam non defuerint etiam posterioribus sæculis similia religionis indicia. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1589. *n. 16.* & colligitur ex *epist. 113.* Cardinalis Ossati, quæ est ad Henricum IV. Regem Franciæ, Henricus III. ejus Prædecessor Ecclesiasticâ sepulturâ caruit à prædicto anno 1589. usque ad annum 1610. jubente Summo Pontifice ob excommunicationem, quam incurrerat propter illatam Cardinali Guisio necem. Unde si qui adulatores Regibus Christianissimis persuadere nitantur, illos ab omni censurarum fulmine tutos esse, quid aliud præstant, nisi ut Principes suos falsâ illâ securitate ab avita religione subducant, & ad perpetranda quælibet crimina impunitatis spe alliciant: ac sic eò digniores censuris efficiant, quò eos censuras contemnere docent? Regios Officiales censuris obnoxios esse, quis dubitet? Illas etiam præterito sæculo refugisse, demonstrat exemplum Senatûs Aquensis, qui missis ad Concilium Lateranense Legatis, occurrit censuræ, ad quam infligendam se accingebat Leo X. ut perhibent acta ultimi Concilij Lateranensis *Sess. 8.* Ma-

26. Maxima certò cautela est adhibenda, dum de Regibus excommunicandis agitur; nec sinè gravissima necessitate, ac frustra tentatis alijs medijs, illuc deveniendum. Oportet tamen, ut Principes meminerint, se, si filij sint, extra disciplinam non esse: *Quis enim filius, quem non corripit pater*, ut Divinitus ratiocinatur S. Paulus *ad Hebræ. 12.* Suis igitur in hoc, & in alijs gaudeat privilegijs Rex Christianissimus; sed Ecclesiam Matrem semper agnoscat, à cujus dilectione, & obedientia in rebus ad salutem animæ spectantibus nullo potest eximi privilegio, multò minùs Regiæ Coronæ dignitate; ac si quid supra cæteros Principes circa res Ecclesiasticas obtinet, Ecclesiæ referat acceptum. *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegijs Apostolicis, non autem mero jure Regio, ut quidam autumabant*, protestatus est in libello Barcinone edito anno 1646. Illustrissimus Petrus Marca.

27. Ut autem ad Puteanum redeamus, ejusque probationum vim experiamur: Non Canones, ut postularet libertatum Gallicanarum definitio, profert, sed testimonia, quæ ipsi adversantur, vel suspecta sunt, ut probationem hâc in re nullam efficiant, v. g. *n. 1.* refert fragmentum vitæ Ludovici Pij Imperatoris, in quo hæc habentur: *Cùm verò rumor usquequaque diffusus fereret de cæteris, quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorúmque Imperatoris voluntati: parùm quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus voluntati succumbere; sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum Canonum authoritas.* Ubi vides, responsum Episcoporum tribui *præsumptioni audaciæ*, licèt tunc de Imperio ageretur.

28. Sub *eodem n. 1.* recitat verba quædam quasi à Gallis proposita, cùm Rex Lotharius conjugem legitimam repudiâsset: *Dicunt sapientes, quia iste Princeps nullorum legibus, vel judicijs subjacet, nisi solùs Dei, qui eum in Regno, quod suus pater illi dimisit, Regem constituit, si voluerit pro hac, vel pro alia causa, ibit ad Placitum, vel ad Synodum, & si voluerit, liberè & libenter dimittet, & sicut à suis Episcopis quidquid egerit, non debet excommunicari; ita ab alijs Episcopis non debet judicari, quoniam solius Dei Principatui debet subijci, à quo solo potuit in Principatu constitui, & quod facit, & qualis est in regimine, Divino sit nutu; sicut scriptum est: Cor Regis in manu Dei est; quòcunque voluerit, vertet illud.* Mirum, quòd non erubuerit Puteanus hoc testimonio uti, locum, unde sumptum est, designans. Audi enim, quomodò relatis his verbis, respondeat Hincmarus Rhemensis Opusc. de divortio Lotharij Regis, & Tetbergæ Reginæ, unde illa extraxit Puteanus: *Hæc vox non est Catholici Christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu diabolico pleni, &c.* Deinde prædictam confutat objectionem.

29. *Numero secundo* producit testimonium Ivonis, ut probet, eum, qui à Rege in gratiam, aut ad mensam receptus sit, posse ad Communionem Ecclesiasticam admitti. Sed hoc testimonium ad suam originem relatum, ad materiam non pertinet. Excerptum enim est ex Concilio Toletano XII. *cap. 3.* Editus autem est Canon ille adversùs eos, *qui contra Regem, Gentem, vel Patriam egerant.* Quibus, si Rex parceret, volebant Patres ab Ecclesia quoque indulgeri. Vide notas Garsiæ Loaisæ *in illud caput.*

30. Quæ *numero quarto* refert ex Matthæo Parisiensi, Historico Romanis Pontificibus parum æquo, licèt, si vera sint, ostendant, Francos non omninò probâsse excommunicationem, ac depositionem Friderici Imperatoris à Gregorio IX. factam: jus tamen illud penes Ecclesiam fuisse, si Imperator hæreticus extitisset, ostendunt.

31. Universitas Studij Parisiensis, cujus conclusiones sub *n. 5.* adducit, declarat quidem, non esse obediendum cuidam excommunicationi in Regem, & Principes latæ. Sed quid mirum, nam *conclusione secundâ* definit, quòd ejus censuræ Author *Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cujuscunque dignitatis, nec sibi obediendum est tanquam Pastori, sub pœnis fautorum schismatis*; ac reverà indignissimè in in Gallia habitum, exhibet *eod. n. 5.*

32. Quòd autem *n. 31.* ejusdem Universitatis circa potestatem Ecclesiæ in Principes, præsertim hæreticos, decretum producitur, alio Universitatis decreto infirmatur, de quo fit mentio apud Henricum Spondanum ad annum 1590. *n. 3.* qui Henrico IV. Francorum Regi, cujus occasione utrumque editum est, non potuit esse infensus, cùm multis ei nominibus debitor existeret.

Axioma *secundum* Puteani ex ejusdem *cap. 6. & 8.*

33. Hic Author *locis citatis* Regijs Judicibus & Officialibus tribuit facultatem eximendi à censuris. Præteritur hîc *septimum cap.* Puteani, quæ enim ibi dicuntur de Regis in temporalibus à Summo Pontifice independentiâ, expendenda sunt ad regulam Decretalis Innocentij III. ab eodem Puteano *dict. cap. 7. n. 4.* relatæ, in vi cujus Papæ negatur *directa* erga temporalia jurisdictio, sed eidem *indirecta* ratione scilicet peccati asseritur.

Refutatio istius axiomatis.

34. Author *tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 10. cap. 4.* ita respondet. Quantum ad potestatem Judicum sæcularium circa censuras, inprimis notandum est, quod in alijs ferè omnibus licet observare, non solùm non niti Canonibus, sed cum Canonibus etiam pugnare, quorum observatio libertas Ecclesiæ dicitur ab ipsismet Ecclesiasticæ libertatis impugnatoribus. Senatûsconsulta proferuntur ad constituendam Sena-

tûs in negotijs spiritualibus jurisdictionem; sed Summorum Pontificum Decreta & constitutiones opponimus. Si autem testimonia Pontificum tanquam in propria causa loquentium recusantur; rejiciatur authoritas sæcularium sibi jus dicentium, & cùm de rebus Ecclesiasticis agatur, ad Canones, præsertim Conciliorum Oecumenicorum, quibus ex omnium consensu præsidet Spiritus sanctus, & adsunt etiam Laici pro jurium suorum defensione, recurratur.

35. Vult Puteanus, posse Iudices sæculares excommunicationes abusivas declarare, atque Iudices Ecclesiasticos cogère ad absolvendum ad cautelam eos, qui excommunicati fuerint. Quomodò id probat? Varijs Senatuum Placitis, ac similibus documentis. Contrarium ostenditur pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus. Utris credet Catholicus? An neutris? Stet saltem Conciliorum statutis.

36. Concilium Generale Lugdunense sub Gregorio X. cui Rex Franciæ per suos Legatos interfuit, libertatem Ecclesiæ circa censurarum usum duabus Constitutionibus, scilicet *20. & 31.* asseruit. *Vigesimæ* verba sunt ista: *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententiâ, vel quamcunque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim & metum extortam præsentis constitutionis authoritate omninò viribus vacuamus. Ne autem sivè vindictæ violentiæ crescat audacia, eos, qui absolutionem, sive revocationem hujusmodi sive metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Constitutio autem *31.* sic se habet: *Quicunque pro eo quòd in Reges, Principes, Barones, Ballivos, vel quoslibet Ministros eorum, aut quoscunque alios excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententiæ fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu aliàs in personis, aut bonis suis, vel suorum, gravandi eos, qui tales sententias protulerunt, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integrâ revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.*

37. Manifestiùs repugnat Concilio Tridentino doctrina Puteani *cap. 6. 8. & 9.* adscribentis Judicibus sæcularibus jus præcipiendi Superioribus Ecclesiasticis, ut à censuris absolvant. Hæc sunt Concilij verba *Sessione 25. de Reform. cap. 3. Nefas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut talem excommunicationem revocet, sub prætextu, quòd contenta in præsenti decreto non sint observata; cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Quæ ultima verba notanda sunt, ne quis existimet, praxin Gallicanorum Magistratuum posse jus facere adversùs hanc Ecclesiæ jurisdictionem. Respuetur fortasse à Gallis hujus Concilij authoritas: sed utrùm in materia spirituali Concilio Oecumenico adhibenda sit fides potiùs, quam Curijs sæcularibus, quarum Placita proferuntur, nescio, quomodò possit à Catholicis in dubium revocari.

Quid, quòd ab ipsis etiam Regibus Christianissimis illa Parlamentorum praxis fuit prohibita? Id constat ex edicto Melodunensi edito anno 1579. *art. 3.* à Puteano citato *cap. 1. n. 8. sub finem*, & relato *tom. 5. parte 3. tit. 2.* 38. Ectorum Cleri Gallicani Prohibemus, inquit Hencicus III. sigillorum Cancellariatum nostrorum Custodibus, ne rescripta Appellatoria, (Gallicè Letres de Relief.) expediantur, quibus jubeatur, ut in carcere detenti Iudicum Ecclesiasticorum authoritate, illinc educantur, aut ut beneficium absolutionis illis conferatur, qui à prædictis Iudicibus fuerint excommunicati. Edicti etiam Melodunensis anno 1571. *art. 18.* sic decretum fuerat: *Atque, ut omnis amoveatur difficultas ab art. 18. constitutionum nostrarum Aurelianensium anni 1560. statuimus, ut Prælati, Pastores & Curati possint monitionibus & censuris Ecclesiasticis uti, in quibus licet per sancta decreta & Concilia.* Refertur etiam hoc edictum *loco citato* Actorum Cleri Gallicani, & articulus iste seorsim *to. 2. par. 1. cap. 19.* ubi notatur, eum fuisse verificatum, ut illic dicitur, eâ conditione, ut Clerici pro debitis pecuniarijs non excommunicentur, atque Senatûsconsultum huic edicto consonum fuisse prolatum 22. Januarij an. 1573.

Carolus Fevret. *lib. 7. de abusu cap. 2.* luculentiùs affirmat, potestatem absolvendi ab excommunicatione ad cautelam, ad Curias sæculares pertinere, quod hæresis manifesta est; nisi fortè ab ea nota excusetur, quia initio illius numeri, finem excommunicationis ad cautelam, eum assignat; *ut litigantes legitimam haberent personam standi in judicio, ut testabiles, vel testes esse possint; denique, ut lis cum eis legitimo Marte decurrere posset.* Verùm postea effectum spiritualem ejusmodi absolutioni tribuit, cum ait: Duluc *in suis Placitis, seu arrestis lib. 2. tit. 2. Arresto 9* meminit clausulæ supra positæ in rescriptis Appellatorijs inseri solitæ, & ait, Curiam jure merito concedere illas absolutiones ad cautelam, cùm pium ac Religiosum esset, ut Christianus sathanicæ tyrannidi addictus, modis omnibus in libertatem assereretur. Dixerat autem antea, hujusmodi absolutiones regulariter quidem ab Ecclesiasticis Iudicibus impertiendas esse; quia tamen illi difficiliores, ac morosiores se præbebant, recursum esse ad Magistratus Civiles, præsertim ad Curias supremas, utpote ex Ecclesiasticis, & ex Laicis Judicibus constantes, quasi non esset minimus in Parlamentis Senatorum Ecclesiasticorum numerus, & non haberentur hujusmodi Curiæ simpliciter sæculares, nullatenus autem Ecclesiasticæ.

Hæreticum igitur esset, Curijs sæcularibus, 40. quod videtur Puteanus intendere *cap. 6.* præsertim *in tit. n. 11.* & *in n. 19.* potestatem tribuere, illos, qui verè sunt excommunicati, ab hujusmodi vinculis liberandi, & sententias de rebus spiritualibus à Iudicibus Ecclesiasticis prolatas evertendi, atque ut vulgò dicitur, cassandi & annullandi. Si autem Senatûsconsulta ita interpretari pietas suadeat, 44. non ut excommunicatos absolvant, sed verè excommunicatos non esse, declarent; præ-

terquàm quòd extra proprios limites semper excurrunt (Theologorum enim est, non Juris Civilis Consultorum, de censuræ validitate, aut invaliditate decernere, vel Episcoporum, aliorumque judicum Ecclesiasticorum, si judicialis sententia proferenda sit) quid juvat Iudicis sæcularis declaratio, ut à censuræ vinculo solvatur, qui reverà illo innodatus coram Deo existit?

41. Licèt autem benigniùs Puteani & Fevreti mentem interpretemur, & supponamus, eos non aliter jus circa absolutiones ad cautelam vindicâsse Curijs sæcularibus, quàm ut possent imperare Iudicibus Ecclesiasticis, eosque cogere ad absolvendos excommunicatos (quod tamen ipsis non licere, certum est) quomodò ferendus erit idem Fevretus in eo, quod illis Curijs permittit, quem voluerint Iudicem Ecclesiasticum, quamvis personæ absolvendæ non sit superior, committere? Si enim Curia ipsa neminem potest absolvere, cùm non Magistratibus politicis, sed Apostolis, eorumque successoribus dictũ sit *Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Quomodò absolvendi potestatem, quam non habet, conferre poterit, præsertim cùm majus aliquid sit, potestatem aliquam alteri communicare, quàm per se illam exercere.

Axioma *tertium* Puteani ex ejusdem *9. 10. & 11. Capite.*

41. Hic Author *ibidem* contendit, causas quascunque non posse è Francia Romam evocari, litterasque Apostolicas in Gallia executioni demandari non posse absque assensu seu Regis, seu Officialium ipsius, atque Regi fas esse, convocare Concilia Ecclesiastica.

Refutatio hujus axiomatis.

43. Author *cit. tract. cap.* 5. ita respondet. Circa *nonum* Puteani caput est distinguendum Jus Commune à privilegijs, aut concordatis particularibus, itemque causæ spirituales & Ecclesiasticæ à temporalibus, & sæcularibus. Equidem in Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. *tit. de causis*, & *tit. De frivolis appellationibus*, præscribitur modus procedendi in controversijs, sive in prima instantia, sive in causa appellationis, à quo non est recedendum, cùm ita inter sanctam Sedem, & Franciæ Regnum convenerit; ac præterea, quæ ibi constituta sunt, maximâ æquitate nitantur. In causis etiam merè temporalibus, & sæcularibus nullo privilegio, nulloque concordato est opus, ut Galli Romam non evocentur. Cæterùm & contra Concordata, & contra Romani Pontificis Primatum, & supremam jurisdictionem pugnaret, qui universim assereret, in nullo casu debere Gallos in Romana Curia litigare, neque per se, neque per Procuratores.

44. Pontificiæ jurisdictionis usum & exercitium Puteanus *cap. 10.* Regi Galliæ, ejusque Officialibus subjicit. Vult enim Compilator iste, Bullas, seu litteras Apostolicas in Gallia executioni demandari non posse absque assensu, seu, ut ipse loquitur, *absque Pareatis*, à Rege, vel ab ejus Officialibus concesso. Istæne sunt Ecclesiæ Gallicanæ libertates, ut indiscriminatim quæcunque à sancta Sede proficiscuntur, ab arbitrio Potestatum sæcularium pendeant? Itáne antiqui Galli, quorum religio tantoperè laudatur, erga sanctam Sedem se habeant?

45. Sed qui sunt illi Canones, quibus constat hoc libertatis caput? An Arresta, & litteræ Regiæ Canones nuncupantur? Non enim alias invenit sui lemmatis probationes Puteanus; & quas affert, sunt omnes schismate, à quo sunt cuncta in Gallia confusa, posteriores. Dum Rex aliquid contra suum Statum à Bullis Pontificijs metuere, ideoque ab illis sibi cavere velle asserit, probabilis videtur excusatio. At verò, quin justa mandata Summi Pontificis in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis executioni mandentur, per vim quidem, & injuriam impediri, à potestatibus sæcularibus potest; nullus tamen obstare valet, quò minùs quodcunque successor Petri ligaverit super terram, sit ligatum & in cælis, nisi fortè, ut loquitur sanctus Paulus *1. Corinth. 10. v. 23. Dominum quis æmuletur, ac fortior illo sit.*

46. *Capite undecimo* probat, Synodos indictas, eisque puncta tractanda proposita fuisse à Regibus Franciæ, ab ijsque postulatam statutorum confirmationem, & ad executionem auxilium. In hoc quidem capite referuntur aliquorum, non quidem Generalium, sed Particularium Conciliorum fragmenta: sed non minùs violatur vera libertas Ecclesiæ ex consilio Authoris, si ex eo, quod olim factum est, probari intendit, non solùm jus esse Principibus Synodos convocandi, illis deliberanda proponendi, illarum Canones roborandi, & executionem curandi, sed etiam sine ipsorum authoritate Prælatos non posse legitimè convenire, negotia, nisi quæ ipsi jusserint, definire, & fideles ad Decretorum suorum executionem obligare. Horret omnis veri Christiani animus ad doctrinam, quæ fideli, ac disciplinæ negat consuli posse, nisi ex præscripto Principum sæcularium.

47. Triplex probationum genus est in hoc *cap. 11. Primæ* desumptæ sunt ex Concilijs sub *prima* Regum Dynastia celebratis. *Secundæ* à Concilijs habitis sub *secunda* Dynastia. Reliquæ ex posterioribus Concilijs, & ex Curiarum sæcularium monumentis. *Primæ* quidem ostendunt, Reges Franciæ consensum convocationi Synodorum præbuisse. Qui quidem consensus honoris causa vocatur jussio, ut in Aurelianensi I. vel præceptio, ut in Aurelianensi II. Interdum tantùm consensus, ut in Arvernensi anno 535. Aliquando invitatio, ut in Parisiensi II. Alij alijs nominibus designantur, ut animadvertere licet in exemplis à Puteano adductis.

48. Sed Synodus Turonensis II. anni 567. quam citat *n. 5.* non relatis ejus verbis, docet

cet *Can. 21.* omnibus illis nominibus solum consensum esse intelligendum. Etenim quamvis Episcopi Concilij Aurelianensis I. dicant: *Clodoveum glorioſissimum Regem omnes Sacerdotes ad Concilium venire jussisse*: Concilium Turonense idem ita exprimit: *In Synodo Aurelianensi, quam invictissimus Rex Clodoveus fieri supplicavit.* Ubi jussionem supplicationem interpretatur, utrumque autem idem significat, scilicet consensum, quo nomine omnium maximè proprio, utitur Concilium Arvernense; ut diximus.

49. Ampliorem in Concilijs authoritatem exercuerunt Principes *secundæ* Dynastiæ. Verùm id sine Summorum Pontificum assensu, imò & rogatu factum non fuisse, ostendemus, ubi de Capitularibus Regum Francorum disserimus.

50. Quæ *tertio loco* afferuntur ex Curiarum sæcularium documentis, sicut & alia quàmplurima, quæ in hoc volumine sparsa sunt, arguunt tantùm Ecclesiasticam authoritatem maximum in Gallia detrimentum posterioribus sæculis passam fuisse, ac Laicos Episcoporum, & Synodorum potestatem ferè omnem ad se pedetentim traxisse; Episcopos autem, si quid præter antiquam Ecclesiæ libertatem, & Canonicam disciplinam admiserunt, vel invitos cessisse, vel non debere in exemplum proponi, utpote qui à majoribus fuerint degeneres. Quæ ad Concilia Gallicana spectant, fusiùs disputabuntur *inferiùs Disquis. 12* occasione Domini de Marca.

Axioma *quartum* Puteani ex ejusdem *12. 13. & 14. capite.*

51. Hic Author *ibidem* contendit, pro authoritate Concilij Generalis supra Papam, pro appellationibus à Papa ad futurum Concilium, nec non pro libertate Conciliorum Generalium in Gallia receptionis, ac publicationis.

Refutatio hujus axiomatis.

52. Author *præinsinuati tract. cap. 6.* respondet in hunc modum. Ex comparatione Summi Pontificis cum Concilijs Generalibus, de qua *art. præced.* disputatum est, colligi potest, quid judicandum sit de ijs, quæ *cap. 12 & 13.* probanda suscipit Puteanus. Sufficit hîc circa ejus probationes animadvertere, posse omnes in eum retorqueri, ac juxta methodum illa ipsa exempla in favorem Summorum Pontificum converti. Sunt enim exempla Episcoporum, aut Principum Summis Pontificibus repugnantium; quibus opponitur authoritas Summorum Pontificum in illis ipsis casibus Episcopis, aut Principibus præcipientium. An non æquius est, præsumere in hujusmodi disceptationibus, supremos Ecclesiæ Pastores rectè egisse, quàm inferiores jure restitisse, nisi aliunde contrarium evidenter demonstretur.

53. Sunt aliqua ex ijs exemplis magis suspecta, ita quòd *n. 2.* ex Glabro Rodulpho refertur, falsum esse *inferiùs* videbimus, & ex ipso Domino de Marca, qui eâ etiam authoritate utitur.

Capite 13. Appellationum à Summo Pontifice ad Concilium profert exempla, quorum omnium vetustissimum, saltem pro Gallia, est Philippi Pulchri, quem nemo eorum, qui sanctam Sedem & Papam, ut par est, colunt, imitatione dignum judicabit, cùm nullus ex Francorum Regibus tam injuriosè Summum Pontificem habuerit. Ejusmodi res, ut obliterarentur tanquam sibi, totique Galliæ probrosæ, maximoperè conatus est ipsemet Philippus. Itaque, qui eas in memoriam hominum revocant, quasi essent laude dignæ, Regis illius honori apud veros Christianos plurimùm detrahunt, ac erga sanctam Sedem, & Christi Vicarium, se non rectè affectos produnt. Quis enim ignorat, Regem illum, licèt ei Benedictus XI. censurarum omnium absolutionem ultro concessisset, Clementem V. ad Pontificiam dignitatem varijs artibus evehendum curâsse, ut plenioremconsequeretur remissionem? Hanc enim *primam* ab eo conditionem exegit. Bulæus *histor. Universi. Paris. tom. 4 ad an. 1305.* rem ita narrat; Rex (Philippus IV.) aliàs sibi infensum Bertrandum ad oppidum Angelinum evocat, monet, quæ agerentur, pactoque inito, eum sacramento adegisse dicitur, ut quinque capita sibi, si Pontifex foret, concederet. Primum amplam veniam capti Bonifacij, læsæque Majestatis Pontificiæ. Ac re ipsâ multi in actis Pontificijs ad illud dissidium pertinentia jussu Clementis V. deleta sunt.

Sed nec illud prætermittendum est, quòd Philippus, eique adhærentes à Bonifacio VIII. appellantes, supponebant, eum non esse legitimum Pontificem, conscij scilicet, appellationem suam alioquin omni colore fore carituram. Quod ex eo etiam colligitur, quòd ad futurum legitimum Pontificem, perinde atque ad Concilium appellabant, ut habetur in instrumentis à Puteano exscriptis. In primo de Pontificis accusatoribus ista leguntur: *Moti, ut dicebant, fervore fidei, sincera devotionis affectu, & zelo charitatis inducti, sacrosanctæ Romanæ, universali Ecclesiæ Matri suæ, quam sub dicti Domini Bonifacij præsidentiâ periculis deprimi, ac deformationem enormem, & jacturam pati dicebant, compatientes ab intimis, ac Christianæ fidei, in quâ salus animarum consistit, & quæ suis temporibus, prôh dolor miserabiliter contabescit, & deperit, ut dicebant, periculo condolentes, ad ipsius Ecclesiæ, & totius Christianitatis salubre regimen, & bonum statum, ac reparationem, & exaltationem Catholicæ fidei votis, ut dicebant, ferventibus intendentes* (necessaria erat verborum illorum, *ut dicebant*, frequens repetitio: est enim difficile creditu, accusatores Bonifacij, zelo, quem præseferebant, verè motos fuisse) *maximè cùm eidem Ecclesiæ, fidei fundamento, & animarum saluti summè expediat, ut Dominici gregis ovile, non nisi verus, & legitimus, ac verè & legitimè electus Pastor præsit.*

Ipsi autem deliberantes sic concludunt: *Pro nobis, Ecclesijs, Parochis & subditis nostris, ac pro nobis adhærentibus, seu adhærere volentibus in hac parte, ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum, & le-*

& legitimum Summum Pontificem, & ad illum, vel ad illos, ad quem, vel quos de jure fuerit appellandum, provocamus, & appellamus, &c. Idem observare licet in alijs instrumentis, ut in appellatione ipsiusmet Philippi, quæ refertur *n. 5. ejusdem capitis*, in appellatione diversarum Civitatum linguæ Occitanæ, quæ habentur *ibidem art. 7.*

56. Post tempus schismatis, cujus sæpe facta est mentio (ut videas, quâ occasione, nempe dissidiorum, vel schismatis, natum sit illud genus appellationum) appellârunt etiam alij Reges; sed eorum consilium intelligitur ex titulo præfixo litteris Ludovici XI. datis 20. Novembris 1478. & exscriptis *in eodem cap. 13. n. 12.* nimirum facultatem dari Legatis Regijs appellandi ad Concilium futurum, si Papa negaret, quod ex parte Regis rogaretur, aut vellet contra ipsum, ejusque subditos procedere. Hujus Principis technam detegit Henricus Spondanus ad annum 1478. *n. 8.* his verbis: *Quòd videlicet* (ut putatur) *non tam hæc seriò ageret, quàm ut scrupulum Pontifici moveret, in gratiam Florentinorum, hujusmodi simulationum insignis artifex &c.*

57. Non ita constans est inter Gallos doctrina sanctæ Sedis privilegijs adversa, quin unius articuli obliviscantur, etiam dum alium statuere nituntur. Ludovicus XI. prædictis litteris appellationem ad Concilium Summo Pontifici minatur, ut propositum sibi finem consequatur; sed ei facultatem tribuit, Principes Turcæ bellum inferre recusantes, abjiciendi & puniendi. Sed quomodò poterit Papa renitentes plectere, si ipsis liceat ad Concilium generale appellare, ad quod tamen provocat Ludovicus, si non plectat? utram appellationem admittet? An Ludovici, an renuentium Turcæ bellum indicere? Utramque non poterit, quia contrariæ erunt. En verba Ludovici: *Ut pacem cum Illustrissima Liga velit* (Papa) *componere, illam tueri, & defendere à dicto illo perfido Turco, & alijs infidelibus, & nullos confœderatos, seu cum ipso perfido Turco, & immanissimo intelligentiam, aut abstinentiam Guerræ habentes sustinere, aut illis favorem exhibere: quin imò tales tanquam reos criminis læsæ Majestatis Divinæ, abÿcere, aut punire: & casu, quo ipse Summus Pontifex præmissa facere denegaverit, seu plùs debito distulerit, vel aliqua in contrarium præmissorum, aut aliquid contra nos, Regnum, & Regnicolas nostros fecerit, seu in futurum attentare præsumpserit, ad intimandum, & appellationem ab ipso interjectam in Congregatione prædicta Aurelianis, & de novo, si opus fuerit, appellandum ab ipso Summo Pontifice malè consulto ad eundem Summum Pontificem benè consultum, seu præfatum proximum futurum Concilium Vniversalis Ecclesiæ &c.*

58. Adhæsit Universitas Parisiensis appellationi Philippi IV. & ipsa etiam aliquando ex eo tempore, quo cœperunt plures ejus Doctores Concilium Summo Pontifici præponere, pro suis juribus appellavit. Sed notanda est formula, ejus præsertim instrumenti, quod refertur à Puteano *n. 5. A Sanctissimo nostro Papa Innocentio VIII. minùs debitè consulto, ad se ipsum meliùs consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum Vniversalem celebrandam, illúmque, vel illos, ad quem, seu ad quos de jure provocare, & appellare nobis licet, in his scriptis tam pro nobis, quàm pro nostris adhærentibus, & adhæsuris, quàm etiam pro Vicarijs dictorum Magistrorum, Doctorum, & Scholarum, eorúmque in beneficijs Divinis deservientium provocamus, & appellamus.* Illa ad diversos Judices appellatio innuere videtur, dubitare appellantes, an ad alium, quàm *ad Papam meliùs consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam de jure provocare, & appellare ipsis liceat.*

59. Citat quidem *in fine dicti cap. 13.* appellationes aliorum extra Galliam Principum, sed nihilo laudabiliores. *Prima*, & antiquior Philippi Regis, est Friderici II. Imperatoris, seu ejus Legati, quem cæteri Principes imitari videntur. Verùm Friderici Legatus non à Papa ad Concilium, sed à Concilio Generali, scilicet Lugdunensi *primo* ad aliud generalius provocavit, sub eo prætextu, qui à quovis facilè poterit obtendi, ut omnia Ecclesiastica judicia eludat, quòd illud non esset satis generale.

60. Libera erit omninò Gallia, sed à justitia, si posteriores quidam ejus libertatis vindices audiantur. Nam si Pontificis decreta non arrideant, vel omninò contemnentur, utpote offendentia *regulas, mores, instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta*, vel ab eis ad futurum Concilium provocabitur. Concilij autem decreta non recipientur, atque adeò non obligabunt, juxta illorum Scriptorum doctrinam. *Non hæc quidem protuli*, inquit Ioannes Gerbasius *dissert. de caus. major. art. 12. n. 6. ut ab hac Tridentini Concilij singulari lege eximantur Galli, cùm ne ulla quidem alia, acceptationis defectu, eos liget.* Ægrè ferrent hæc verba aures verè Catholicæ à Procuratore Regio prolata; sed quis à Theologo posset hæc audire? Quid igitur, acceptatio à Clero facta nullam inducit obligationem? Itáne mutata est postremis his temporibus authoritas Conciliorum Oecumenicorum? Clerus Gallicanus anno 1625. Parisijs congregatus professus est, se teneri ad observationem Concilij Tridentini, Gerbasius econtra nullâ ejus lege Gallos ligari, affirmat.

61. Falsum est, ut *in 2. lib.* demonstravimus, acceptationem esse necessariam, ut lex justa obliget: & falsum est, nullam Concilij Tridentini legem fuisse acceptatam in Gallia. Utramque falsitatem evertit decretum Cleri Gallicani prædicto anno 1625. editum *tom. 1. Actorum Cleri*, & à Puteano *cap. 14. n. 3.* relatum. Ejus decreti verba latinè reddita sunt ista: Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & alij Ecclesiastici viri, repræsentantes Clerum universum Franciæ, congregati annuente Rege, Parisijs in Conventu Augustinianorum, post maturam circa publi-

cationem Concilij Tridentini deliberationem unanimiter agnoverunt, & declarârunt agnoscunt, & declarant, se obligari pro suo officio, & conscientia ad recipiendum, sicut re ipsâ receperunt, & recipiunt præfatum Concilium, & spondent, se illud observaturos, quantum possunt per functionem suam, & authoritatem spiritualem, & Pastoralem. Quæ deliberatio singulorum subscriptionibus, ac juramento ad sancta Evangelia, confirmata fuit. Recepit igitur tunc temporis Clerus Gallicanus Concilium Tridentinum, & professus est, se teneri non solùm ad observandum Concilium, postquàm illud acceptâsset, sed etiam ad illud acceptandum. Augustissimus erat Cœtus; siquidem aderant tres Cardinales, quinquaginta Episcopi, triginta verò *secundi* Ordinis. Non fuit præceps deliberatio, cùm antea sæpissimè, vehementissimeque institissent Prælati apud Reges, ut reciperent Concilium, quod testantur acta Cleri quàmplurima, citata à Puteano, *ubi supra*; acceptatum præterea fuit in varijs Concilijs Provincialibus.

62. At non fuit acceptatum à Rege; ne id quidem verum usquequaque est, quandoquidem multa ejus decreta in ordinationes Regias translata sunt; sed quare non fuit *absolutè* receptum? Causas *in 1. lib.* notavimus. Hoc tantùm monemus eos, qui vim legum Ecclesiasticarum à principum arbitrio pendere volunt, ut considerent, quantum periculi subitura sit Religio, si principes mali extiterint.

63. Oblitus est Puteanus *in hoc capite* protestationis à se factæ in præfatione ad Lectorem. Ibi enim ait, summoperè cautum est, ne quid ex actis deduceretur, aut quæ inde sequantur, declararentur. *Faciet quisque, ut sibi videbitur.* In hoc autem *cap. 14. n. 2.* relatâ declaratione Caroli VII. Francorum Regis, addit; Ex hoc instrumento infertur, Decreta Conciliorum Generalium, quæ ad politiam spectant, effectum in Francia non sortiri, nisi Regum nostrorum edicta accedant. De facto duntaxat eum loqui crederem, nisi titulo capitis ad Conciliorum Generalium receptionem, & publicationem in Francia, non solùm permissionem, sed etiam authoritatem Regis concurrere statuisset.

64. Cæterùm in pluribus famosæ Pragmaticæ Sanctionis locis indicatur, non ita liberum esse Galliæ, Decreta Conciliorum Generalium respuere, vel immutare, v. g. in litteris, quæ Decreta præcedunt, habetur hæc declaratio: *Sacræ Basileensis Synodi decreta, ordinationes & statuta aliqua simpliciter, ut jacent, alia verò cum certis modificationibus, & formis non hæsitatione potestatis, & authoritatis condentis, & promulgantis, ipsius scilicet sacræ Basileensis Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus regionum, & personarum sæpe fatorum nostrorum Regni, & Delphinatûs congruere, convenireque conspexerunt; prout* inferiùs *plenius annotatur, & inseritur, illicò indilatè recipienda consenserunt, & acceptanda deliberaverunt.* Circa varia etiam decreta Congregatio Gallicana, dum illa temperanda censet, ad Concilium recurrendum monet, ac generatim in conclusione ait; *Illa decreta, circa quæ steterunt factæ prænotatæ modificationes, acceptentur, prout etiam acceptantur. Sub spe scilicet, quòd ipsæ modificationes per sacrum Concilium admittentur; Pro quo Regij Oratores instabunt vice Regiâ, & Ecclesiæ Regni, & Delphinatûs.*

Axioma *quintum* Puteani in 15. ac intermedijs capitibus ab eodem deductum usque ad caput *vigesimum secundum.*

HIc Author *cap. 15.* prosequitur ea, quæ spectant ad Prælaturarum Ecclesiasticarum dispositionem: capite autem *decimo sexto* agit de materia Regaliæ: capite *decimo septimo* de juramento fidelitatis ab Episcopis Regi præstando: capite *decimo octavo* agit de residentiâ Episcoporum à Rege præcipiendâ: *decimo* autem *nono* capite de licentiâ Regis ab Episcopis requirendâ, ut extra Franciæ Regnum ipsis fas sit, etiàm Romam proficisci. In capite porrò *vigesimo* revocantur ad memoriam, quæ schismatis, atque cum Summis Pontificibus dissidiorum temporibus sunt facta à Regibus: in capite insuper *vigesimo primo* tractatur de Beneficiorum, renuente Summo Pontifice, per sæculares potestates intrà Galliam collationibus: in capite denique *vigesimo secundo* agitur de pecuniarum ab Ecclesia Gallicana per Curiam Romanam exactione. 65.

Refutatio, seu examinatio ejusmodi axiomatum.

AUthor *tract. de libert. Eccles. Gallic. dist. lib. 10. cap. 7.* causam hanc ita prosequitur. Quoniam, inquiens, quæ ad Prælaturarum dispositionem pertinent, per Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Regem Francorum sunt constituta, supervacaneum esset, & Lectoribus prolixitate ingratum, singulorum, quæ Puteanus *cap. 15.* affert de anteriori Franciæ praxi, examen. 66.

Materia Regaliæ, de qua agitur à Puteano *cap. 16.* tam diligenter, tamque eruditè versata fuit, scriptis tum latinè, tum Gallicè tractatibus, ut nihil illi lucis accedere posse videatur. Eâdem etiam occasione video, actum esse de juramento fidelitatis, ab Episcopis Regi præstando, de quo Puteanus *cap. 17.* nihilque hodie difficultatis esse scio circa hujusmodi juramentorum praxin, nisi circa ejus insinuationem, seu registrationem, quam volunt ad finem Regaliæ imponendum necessariam, quâ de re optimè etiam disseruerunt, qui de Regalia nuper scripsêre. 67.

Nisi circa necessaria tantùm immorari, mens esset, multa notari possent circa ea, quibus prædicta Puteani capita constant; prætermittendum tamen non est, Reges Franciæ vicissim Episcopis juramentum præstare solitos. Extant antiqua exempla inter Capitularia Regum Francorum à Stephano Baluzio collecta, & viget adhuc usus, ut Rex, 68.

dum

dum inauguratur, juret, se privilegium Canonicum servaturum, quod cùm ad veras Ecclesiæ libertates pertineat, taceri non debuit, quasi hoc Regiam Majestatem dedeceret, unde illi maximus decor accedit.

69. Tot sunt Ecclesiæ Canones de Episcoporum, & Parochorum residentiâ, quam melioris notæ Doctores de jure *Divino* esse affirmant, ut laudandus sit Regum Christianissimorum zelus in præstandâ exequendis illis Legibus Ecclesiasticis authoritate; plurimumque commendandus esset Rex Christianissimus, si Prælatos, quos in Curia magis, quàm in propria Diœcesi commorari delectat, quorumque aliqui nullum forte aliud negotium apud suam Majestatem magis solicitè, quamvis minùs apertè, prosequuntur, quàm ut nova, vel pinguiora beneficia consequantur, ad commissum ovile remeare præciperet, exemplo suorum Prædecessorum, & Justiniani *Novellâ 6. cap. 2.* & aliorum: sic enim exequeretur Canones, Episcopis ad comitatum sine necessitate, ac matura deliberatione accedere prohibentes. Pudendum e contra est, quòd Pastores Gallicani tot actis ad residentiam cogentibus, quot referuntur à Puteano *cap. 18.* præbuerint occasionem, dimissis frequenter ovibus sibi à Christo concreditis; quæ culpa in plures Augusti illius Cleri Rectores non cadit, quandoquidem omni ævo multi ovili suo assiduè, sedulòque invigilârunt, & omnes probi Pastoris partes expleverunt.

70. Regem autem tanquam sanctorum Canonum executorem Prælatos ad residentiam compulisse, par est credere, cùm in plenisque actis expressa fiat Canonum mentio. Res est aliunde tam justa, tamque necessaria, ut Principum illam procurantium zelum excitare Ecclesia censeatur.

71. Prælatos licentiâ Regis, vel præcepto indigere, ut à Regno proficiscantur, *capitis 19.* titulus est, imò etiamsi à Summo Pontifice ad Concilium Generale evocarentur; ut indicatur *n. 8. Prima* lemmatis probatio hunc habet titulum: Ex *Concilio Agathensi sub Clodoveo Rege anno 506. can. 35.* Frustra fit mentio Clodovei à Puteano, cùm ne unus quidem Episcopus Regni Francorum huic Concilio interfuerit, ut patet ex subscriptionibus, & notavit Dominus Marca *lib. 6. cap. 18. §. 1.* Sed concedamus ejus, utpote in loco modò Regi Franciæ subdito, celebrati Concilij decreta vim legis obtinere; quid statuitur Canone illo 35. ut Episcopi Metropolitano *ad ordinationem Summi Pontificis, aut ad Synodum* invitanti pareant, *excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione Regia.* Sed hoc non probat intentum; non enim agitur de exeundo à Regno, siquidem omnium Episcoporum Agathæ congregatorum Metropolitani erant intra idem Regnum Tolosanum Visigothorum; nisi forte, quod verisimile nequaquam est, ordinatio Summi Pontificis, non de quolibet Episcopo, sed de Romano tantùm intelligatur. Verùm ne tunc quidem aliud probaret Canon, quam exulandum Episcopum Romam non euntem, non solùm si graviter ægrotaret, sed etiam si ex præcepto Regis alteri negotio incumberet, alioquin enim diceretur, *excepta prohibitione, non, excepta præceptione Regia.*

72. *Secunda* probatio est exemplum Salonij, & Sagittarij à Rege Gunthramno licentiam accedendi Romam postulantium, & impetrantium; ut refert Gregorius Turonensis *hist. Franc. lib. 5. cap. 21.* Sed hoc exemplum parùm efficax est. Quid enim mirum, si Episcopi de homicidijs, adulterijs, alijsque sceleribus convicti, patrocinium imploraverint Regis, quem, ut ait Gregorius, *propitium sibi nôssent.* Non enim solâ licentiâ, sed & favore indigebant. *Rex verò*, addit Historicus, *annuens petitionibus eorum, datis epistolis* (quæ de sola licentia non videntur intelligendæ) *eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne exponunt, se nullius rationis existentibus causis, dimotos. Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eos restitui jubet. Quod Rex sinè mora, castigatis priùs illis, verbis multis, implevit.* Num Rex, qui Summo Pontifici *sinè morâ* parendum censuit, perditos homines, qui à nemine illorum accusationem prosequente, innoxij reputati fuerant, restitui jubenti, juris sui esse duxisset, Episcopos ad Concilium Generale à Papa vocatos retinere?

73. Afferuntur deinde duo loca Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, negantis, posse Episcopos à Regno decedere sinè consensu Regis. Sed jam *lib. 3. cap. 7.* vidimus, ipsum *de facto* loqui, non *de Iure*: & ex alio ejus loco, scilicet *epist. 17. tom. 2.* evidenter ostendimus, ipsum sensisse, Episcopos Romam à Pontifice vocatos accedere debere. Minoris momenti est exemplum Philippi IV. à Bonifacio VIII. dissidentis, & Caroli VII. Basileensibus contra Eugenium IV. faventis. Quid enim mirum, si primus sciens, Episcopos adversùm se Romam vocari, eos illuc proficisci non fiverit, & contra suam prohibitionem profectos malè habuerit; alter suscepto Concilij Basileensis patrocinio, ab ipsismet Episcopis rogatus, Ferrariam, quo ab Eugenio vocati fuerant, ire vetuerit.

74. At nónne, sicut in rebus temporalibus & sæcularibus, Regi, ita in spiritualibus & Ecclesiasticis Summo Pontifici tenentur Præsules obedire? Cùm ergo commune totius Ecclesiæ bonum postulat, ut Prælati aliò se conferant, Pontificem jubentem potiùs, quàm verantem Regem debent audire, nisi fortè per vim detineantur, aut graviora inde mala consecutura sint. Si aliquis insedisset justitiæ amor consarcinatoris animo, propositionem ad eos casus retriuxisset, in quibus Episcopi gravi suspicione laborarent, alicujus contra Regem, vel Regnum machinationis; aut dixisset, duntaxat debitum Regiæ Majestati reverentiæ officium esse, eo insalutato non abire.

75. Quandoquidem Puteanus suas omnes probationes *à facto*, & authoritate ducendas putavit, cur hic, ut alibi, ei displicuerunt exemplum & sententia S. Ludovici? An servitus est, Gallorum nobilitate indigna, Sanctos

imitari ac sequi? Guillelmus de Nangiaco *in vita S. Ludovici* refert epistolam sancti illius Regis ad Imperatorem Fredericum, in qua hæc habentur *Vos unitatem pacis & concordiæ disrumpentes, Prælatos Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide, quàm ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari, quod molestè ferimus, capi fecistis, & ipsos sub gravi custodia detinetis.* An majoris ponderis est authoritas Philippi Pulchri, aut Caroli VII. quàm sancti Ludovici? Nota hæc ejus verba: *Cui* (Sedi Apostolicæ) *tam ex fide, quàm ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata.*

76. Non soli B. Ludovici religioni, sed veritatis certitudini tribuenda est illa sententia. Scripserat anteà S. Bernardus *epistolâ 131.* quæ est ad Mediolanenses; *Potest* (Papa) *à finibus terræ sublimes quascunque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit.*

77. Quid juvat Puteanum *in cap. 20. hujus voluminis, ac in alio integro volumine*, ab isto, quod percurrimus, distincto, schismatis, & dissidiorum perpetuâ oblivione delendorum memoriam revocare? An Regno Gallicano gloriosum est cum Summis Pontificibus disceptasse? An à justitia ita stetit Gallia & in causa & in modo, ut tantoperè cavendum sit, ne pereant illa monumenta? Qui veras & sinceras earum rerum historias legerunt, hinc non parùm imminutam nôrunt antiquæ pietatis, & religionis laudem, Gallicano Regno egregijs in sanctam Sedem, & Summos Pontifices officijs partam.

78. Quin potestas sæcularis in aliquibus saltem ex ijs, quæ *in eodem cap. 20.* referuntur, modum suum excesserit, non videtur à Catholico posse negari; v. g. quòd Senatûs Placito *n. 43.* relato, Archiepiscopum Turonensem delegaverit, seu commiserit ad conferendum beneficium curatum, ut illa collatio eundem haberet effectum, quem habuisset in Curiâ Romanâ facta: quòd Henricus IV. Rex Franciæ & Navarræ litteris *n. 44.* exscriptis Oeconomum spiritualem deputaverit ad conferenda beneficia, Parochias, Prioratus, & Dignitates, quodque Oeconomus ille spirituales beneficia contulerit sub hac forma, quæ legitur in ejus litteris ibidem extantibus: *Virtute dicti Oeconomatûs contulimus, & donavimus, &c.* Quis enim Catholicus affirmare audeat, posse Parochum absolvere à peccatis, vel Priorem posse excommunicare Monachos potestate solùm acceptâ à Rege, vel à Senatu, aut ab eorum delegatis?

79. Idem cum proportione dicendum de collatione aliorum beneficiorum, licèt in eis non sit æquale periculum. Quamvis enim jurisdictionem non habeant annexam, adeoque minùs aliorum fidelium saluti noceat beneficiariorum intrusio; nullum tamen est, quod spirituale aliquod jus non habeat.

80. Patet certè ex actis *in 21. cap.* contentis, potestates sæculares in Gallia, renuente Summo Pontifice, vel Episcopis, aliquando beneficia de facto contulisse, vel alicui facultatem legitimam non habenti officium illud commisisse. Sed quid inde concluditur, nisi conculcatos fuisse Canones innumeros, quibus sub gravissimis pœnis prohibetur, ne laici beneficia Ecclesiastica conferant, vel Clerici ab eis collata recipiant? Magistratuum sæcularium Placita titulos Canonicos non esse, quibus in turo ponatur conscientia Beneficiariorum, nemo non videt, nisi jam præ avaritiâ & ambitione in mentis cæcitatem, & cordis duritiam prolapsus sit. Tœderet Canones referre, per hanc portam in beneficia ingredi vetantes, quòd à nemine ignorentur, & à pluribus Authoribus collecti sint; ut à Gratiano *Can. 16. q. 7.* quam his verbis inchoat: *Quòd autem Ecclesias de manu laicorum accipere, nec Abbati, nec alicui liceat, omnium Canonum testatur authoritas*: Ab Antonio Augustino, Juris Pontificij veteris Epitome *lib. 15. tit. 7.* & ab alijs. Vide rursus, quomodò speciosa libertatum Gallicanarum definitio plerisque illarum capitibus conveniat, id est, quàm *directè* illis opponatur.

Quæ circa *caput. 22.* notanda essent de pecuniarum ab Ecclesia Gallicana per Curiam Romanam exactione, partim dicta sunt *lib. 6.* partim circa duo ultima capita istius voluminis dicentur.

Axioma *sextum* Puteani ex ejusdem *cap. 23. & 24.*

HIc Author *ibidem* expendit; quantum Regi sit potestatis circa sanctæ Sedis Legatos, ac Vicelegatos, in examinandis eorum facultatibus & mandatis Apostolicis.

Refutatio hujusmodi axiomatis.

AUthor *sæpe citati tract. de libert. Eccles. Gallic. cap. 8.* rem hanc ita prosequitur. Romanus Pontifex omnium Christi fidelium Pastor est, ac simul multarum Provinciarum Princeps temporalis. Itaque duplicis generis Legatos mittere potest, scilicet pro negotijs politicis, ac pro spiritualibus. Equidem, qui ab eo tanquam Principe temporali mittuntur Legati, omnibus à jure Gentium, vel à consuetudine, inter alios Principes Christianos inductis legibus obnoxij sunt, nisi quòd in Papa non ita præscinditur temporalis ratio à supremi Ecclesiæ Pastoris dignitate, quin ejus Legatis, quæcunque negotia gerant, specialis reverentia debeatur, præsertim cùm Princeps non sit, nisi quia Successor B. Petri, cujus Patrimonium vocatur, quod habet dominium temporale Romana Ecclesia.

Si autem spiritualibus tantùm & Ecclesiasticis rebus tractandis, Legati deputentur, Legationis suæ litteras tenentur exhibere. Hoc enim tam Canonico, quam Civili jure cautum est. *Cap. Cùm in Iure peritus. De Offic. Delegati.* Et *Leg. un. Cod. De mandatis Principum.* Sed eorum facultates, aut jurisdictionem restringere, aut etiam examinare, ad potestatem sæcularem non pertinet. In hujusmodi enim rebus Principes Papæ subsunt, nec sinè ordi-

ordinis à Christo instituti confusione ejus mandata suæ, vel Iudicum suorum, censuræ subjicere possunt.

85. Equidem si Regi justa esset timendi causa, ne quod ex Legatione detrimentum in legitimis suis Iuribus pateretur, non illi vitio verteretur, quòd illud modo congruo præcaveret. Ita refert Henricus Spondanus ad annum 1625. *n. 5.* & Puteanus *cap. 23. n. 82.* Cardinalis Francisci Barberini facultates, non nisi cum hac conditione admissas fuisse, quòd intrà sex septimanas Breve Pontificium obtineret, quo titulus Regis Navarræ per incogitantiam omissus diceretur, non autem, ut inde aliquod præjudicium Regi Franciæ in jus Regni Navarræ fieret. Sed obtentu conservandorum Regis, aut Regni jurium, omnia Papæ mandata circa res spirituales, & Ecclesiasticas, Iudicum sæcularium arbitrio permittere, justitiæ, antiquorum Gallorum religioni, & Ecclesiæ Romanæ authoritati repugnat. Itaque omnia illa exempla, quæ à Puteano *cap. 23. & 24.* afferuntur, eà tantùm ratione justa esse possunt, si Regibus Franciæ, aut eorum Curijs propositum fuit, vera jura Regia tueri, non autem potestatis Pontificiæ exercitio impedimentum præstare.

86. Id agnoverunt Reges Franciæ, etiam Philippus IV. tempore dissidij cum Bonifacio VIII. ut probat unus ex articulis missis à Bonifacio ad Philippum per Cardinalem sanctorum Marcellini & Petri cum responsione Regis. Est enim articulus ille hujusmodi, à Puteano relatus *cap. 23. n. 2. Item ad denuntiandum, & declarandum eidem, quòd Romanus Pontifex Legatos de Latere, ac Nuntios liberè mittere potest ad quævis Imperia, Regna, vel loca, prout vult, absque petitione cujuslibet, vel consensu, usu, vel consuetudine, contrarijs non obstantibus.* Non poterat jus sanctæ Sedis clariùs, & apertiùs explicari. Quid igitur ad hoc respondit Rex Philippus, quem vel Ecclesiæ cum suorum jurium dispendio, vel personæ ipsius Pontificis, jam sibi odiosæ, impensiùs favisse nemo suspicabitur? *Respondet Rex, quòd non impedivit, nec impedire intendit Legatos, Nuntios, vel alias quascunque personas, quò minùs liberè ingredi valeant Regnum suum, nisi sibi & Regno sint legitimâ ratione suspecti, vel aliàs habeat justam causam.*

87. Quæ prædictus Puteanus sub numeris sequentibus exscripsit, schismate, quod, uti jam sæpe notavimus, maximam disciplinæ Canonicæ confusionem invexit, posteriora sunt; & quid factum fuerit, non quid fieri debuerit, plerumque ostendunt. Numero autem *primo* proponit exempla epistolæ fidei publicæ, seu salvi conductûs à Carolo Majoredomûs dati Bonifacio Episcopo misso S. Petri in Franciam venienti, sed quòd Legati sanctæ Sedis protegantur, & defendantur, ad officium Principum spectat; qui eos suæ Legationis exercitio juvare debent, impedire nequaquam sinè injuria possunt. Citat præterea Glabrum Rodulphum, cujus testimonium alibi expendemus: & epistolam Concilij Africani ad Papam Cælestinum, de qua modò pauca dicenda sunt.

Adverte hìc, quod in pluribus alijs locis licet observare, quomodò erga sanctam Sedem sit affectus Puteanus, præmissis enim exemplis, in quibus moderatio, & justitia magis elucent, ea tantùm seligit, in quibus vel animi commotione, vel ignorantiâ, vel aliquâ aliâ causâ est aliquid actum adversùs Summos Pontifices, etiamsi ad propositum non faciant. Miserat Papa Zosimus paulò ante mortem Legatos in Africam occasione appellationis, quam Apiarius Presbyter a sententia Episcoporum Africanorum ad sanctam Sedem emiserat, ijque à Concilijs Africanis recepti fuerant. Sed quia eorum facultas, seu jus sanctæ Sedis ad mittendos ad Provincias Legatos pro judicio interpositarum ad se appellationum, Canonibus Concilij Sardicensis, sub nomine Nicæni, à Zosimo confirmatum fuerat: & Episcopi Africani, quibus ignoti erant Canones veri Concilij Sardicensis, quique inter Nicænos non legebant eos, qui sibi allegabantur, scripserunt ad Bonifacium, Zosimi interea defuncti successorem, rogantes, ut ab Ecclesijs Orientalibus exemplaria Nicæni Concilij sibi mittenda curaret, & spondentes, se interim servaturos, quæ in Commonitorio Legatorum continebantur. Apiarius petitâ veniâ restitutus, in nova crimina relapsus est, propter quæ rursus ab Episcopis Africanis est excommunicatus, sed a Cælestino, Bonifacij successore in communionem receptus est; missusque Faustinus Legatus in Africam, ut ejus causâ maturè discussâ, definitivum ferret judicium. Apiarius crimina sua in Concilio confessus, justè se excommunicatum fuisse, demonstravit. 88.

Episcopi Africani indignati, quòd scelerati criminum pœnas evaderent, aut saltem diu effugerent, atque adeò justorum judiciorum vim eluderent;, rescripserunt Cælestino epistolam illam, quam inauit Puteanus, quamque hæretici, & alij, qui Sedis authoritatem impatienter ferunt, tam frequenter, tamque importunè obtrudere solent. Eam sanctæ Sedis juribus minimè adversari aliqui arbitrantur, nec in ea appellationes ad sanctam Sedem, vel Legationes in Provincias ad judicandas illas appellationes improbari, sed modum duntaxat; idque significare videntur hæc Concilij Africani verba, seu adverbia: *Facilius, festinatò, præcipitanter, præpropere, indebitè.* Sic enim scribit: *Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra vestris accipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia à communione suspensi, à tua Sanctitate* vel festinatò, *vel* præpropere, *vel* indebitè *videantur communioni restitui.* Cælestinus autem ideo in antecessum Apiarium absolverat, quia eum ad se provocâsse crediderat, ut notat idem Concilium: *Quem tua Sanctitas credens appellâsse (quod probare non potuit) communionis* 89.

munioni reddiderat: quæ verba, jus appellationum recipiendarum Summo Pontifici competere, innuunt.

90. Equidem tam frequenter Romani Pontifices hæreticorum, atque improborum technis decepti, recta Episcoporum judicia suspendebant, ut justa videretur Africanorum querela, sicò tantùm spectabat, ut major adhiberetur ad vitandas ejusmodi fraudes cautela. Non enim solus restitutionem suam suffuratus fuerat Apiarius, sed paulò ante Pelagius, & Cælestius Zosimo Catholicos se fingentes, ab eo ut Catholici habiti fuerant.

91. Si autem, ut aliqui ex illius epistolæ contextu colligunt, etiam appellationes ipsas ad sanctam Sedem, atque adeò Legationes ad illas judicandas rejiciebant Episcopi Africani, ea erat causa, quia, ut *supra* diximus, Canones veri Concilij Sardicensis ignorabant, & disciplinam in illis constitutam in Canombus Nicænis, sub quorum nomine, quia nimirum Nicæni cæteros præibant, secundùm usum jam inductum, citabantur, non reperiebant. Sed ubi tenebræ illæ dissipatæ sunt; & appellationes ad sanctam Sedem, & ejus Legationes in Africa, sicut in alijs Provincijs Christianis, liberè admissæ sunt, quod pluribus exemplis comprobari posset. Videri potest S. Leo *epist* 87. non longè post id tempus scriptâ, & S. Gregorius, qui *lib. 2. epist. 33.* ad Columbum Episcopum scribit in hunc modum: *Fraternitatem tuam scriptis præsentibus duximus adhortandam, ut veniente ad te Hilario Chartulario nostro, adunato Episcoporum universali Concilio, habito præ oculis terrore venturi judicis, causa eadem* (scilicet Maximiani Episcopi, qui præmio corruptus Donatistarum Episcopum fieri permiserat) *subtili, ac solerti debeat indagatione perquiri.*

92. Sed & ante tempus scriptæ epistolæ supradictæ authoritatem suam in Episcopos Africanos Romanus Pontifex exercuerat, teste S. Augustino, qui unus fuit ex Patribus epistolæ prædictæ Authoribus. Is enim paulò ante sancti Cælestini judicio se submiserat, ut patet ex ejus epistola 262. in qua alia refert exercitæ jurisdictionis exempla: *Existat*, inquit, *exemplo ipsâ Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet priscus Provinciæ Cæsariensis Episcopus &c.*

93. Denique quorsum hanc epistolam citat Puteanus, cùm in ea nulla Principum, pro quibus tamen ipse in hoc capite certat, fiat mentio? Satis nimirum illi est, ut authoritatem sanctæ Sedis deprimat: nam facilè postea Episcopi, quibus favere adversùs Summos Pontifices videtur, Regum potestati subijcientur.

94. Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 6. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 19. n. 7. & seq.* affert exempla, *primò* Vigilij Papæ scribentis ad Auxanium Episcopum Arelatensem: *Se pro ejus pietatis affectu, & pro gloriosissimi Regis Childeberti Christianâ devotione mandatis suas ei vices conferre.* Et ad Aurelianum Auxanij successorem, se eandem administrationem committere *Childeberti Francorum Regis Christianâ, & Deo placitâ in perhibendo ei testimonio voluntate accedente. Secundò* Pelagij I. ad Childebertum scribentis, se *secundùm petitionem ejus* Legatum constituisse, seu Vicarium, Sapaudum Arelatensem. *Tertiò* S. Gregorij à Regina Brunechilde mittendi in Galliam Legati licentiam postulantis. Ex quibus infert, necessarium esse Regum consensum, ut Legati facultatibus suis utantur in Gallia. Verùm ex his exemplis aliud quidquam inferri non potest, quàm postulatum aliquando illum consensum, ut res ex ambarum potestatum concordiâ feliciùs gererentur, & Principes libentiùs opem suam præstarent Legatis, si quando eâ indigerent; aliquando ipsosmet Principes intercessores adhibitos ad obtinendam Legationem; non autem necessarium omninò esse prædictum consensum.

95. Si ad spiritualia tantùm negotia destinentur Legati, eo Principum consensu non egere, nisi ut eorum ope, quæ sibi sunt injuncta, facilius exequantur, per se patet, & probari potest pluribus exemplis Legatorum à Summis Pontificibus, non petitâ ullâ Principum licentiâ, missorum. Ita missus est Petrus Damiani ab Alexandro II. circa annum 1062. ut constat ex hujus Pontificis epistola 21. apud Philippum Labbeum *tom. 9. Concil.* in qua nulla fit Regis mentio. Ita Callixtus II. Cardinalem quendam misit, eumque Ludovico VI. commendavit his verbis, quæ significant, Principum quidem esse, Legatos juvare, non autem circa eorum Legationem aliquam jurisdictionem exercere: *Sanè charissimum filium nostrum, sanctæ Sedis nostræ Presbyterum Cardinalem nobilitati tuæ attentiùs commendamus. Nos enim à Latere nostro eum secundùm antiquæ Sedis Apostolicæ consuetudinem ad terram Potestatis tuæ pro corrigendis & confirmando, quæ corrigenda, & confirmanda jusserint, delegamus. Rogamus igitur Excellentiam tuam, & in Domino commonemus, ut eum tanquam Vicarium nostrum reverenter suscipias, honestè habeas, & ita ei facultatis tuæ consilium, & auxilium præbeas, quatenus sibi injunctum possit ministerium adimplere.* Callist. II. *epist. 23.* Nec afferri potest exemplum aliquod magno schismate antiquius, vel certum aliod argumentum, quo prædicti consensûs necessitas ostendatur.

96. Imò Principes, sicut & cæteros, Legatis Apostolicis obtemperare debere in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, ratio suadet, & confirmant exempla. Gregorius VIII. *epist. 5. append. 2.* apud prædictum Labbeum *tom. 10.* scribit, non solùm *omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus*, sed etiam *Regibus, Principibus, Clericis quoque ac Laicis in Narbonensi Gallia, Guascoma Hispaniâve Regione.* Et tamen indiscriminatim ab omnibus recipi jubet Amatum Oloronensem Episcopum S. R. E. Legatum: *quem*, inquit, *sicut nostram, imò B. Petri præsentiam, vos suscipere, Apostolicâ authoritate jubemus.*

97. Gregorij forsitan ingenio tribueretur ea for-

formula, quæ authoritatem maximam significat. Sed alij Pontifices ante ipsum, licèt animi minùs generosi, aliam etiam vivaciorem usurpant. Ioannes VIII. mitis adeò indolis, ut ignaviæ ab aliquibus accusaretur, licèt ageretur de Dominio Principum Francorum, Legatos misit, & eorum Legationem hâc clausulâ corroboravit *epist. 5.* apud Sir. *tom. 3.* quæ est ad Episcopos in Regno Ludovici Regis Bojariæ constitutos. *Nam cujuscunque sit gradûs, ordinis, sublimitatis sive professionis, qui cum præsentibus Legatis nostris, Ioanne Siculensi, itemque Ioanne Tuscanensi, venerabilibus Episcopis, quos vice nostrâ illas in partes ad examinanda, simúlque definienda Canonicè, sive Legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emersêre negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, authoritate Dei omnipotentis, sanctorúmque Apostolorum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps denegari, nec amodò communionis nostræ, ut verbis sanctissimi Prædecessoris nostri utamur, futurum esse consortem, quisquis esse noluerit disciplinæ.* Hanc ultimam clausulam repetit *epist. 4.* quæ est ad Comites in eodem Regno constitutos.

98. Ultimis quidem temporibus inductus est usus, ut non solùm de assensu Regum Christianissimorum Legati suis facultatibus utantur, sed etiam ut illæ facultates verificentur, imò aliquando modificatæ sunt. Sed ipsa rei novitas eum usum à libertatibus Gallicanis, quæ antiquitate nituntur, excludit. Nam ut ait prædictus de Marca *dicto lib. 6. cap. 31. n. 8.* prima omnium modificatio singillatim facta continetur in litteris Francisci I. pro Legatione Cardinalis Carnosini anno 1514. quod tempus causam indicat, nimirum gravissima dissidia, quæ paulò ante intercesserant inter Ludovicum XII. Francorum Regem, & Iulium II. Romanum Pontificem, quæque inter eorum successores nondum plenè composita fuerant, ut non mirum sit, si eâ diligentiâ voluerit Rex præcavere, ne quid in Regno suo contra se Legati Apostolici molirentur. Verùm ex hujusmodi casibus prorsùs extraordinarijs regulam generalem conficere, contra omnes Juris, & rationis leges est.

Axioma *septimum* Puteani ex ejusdem *cap. 25. & 26.*

99. Hic Author *ibidem* Regi confert potestatem impediendi, ne absque suâ, vel Parlamentorum licentiâ indulgentiæ publicentur, néve quærantur eleemosynæ illarum occasione, néve instituantur Societates, seu Confraternitates: attribuit insuper temporali potestati jus, super possessorio cognoscendi in causis beneficialibus.

Refutatio ejusmodi axiomatum.

100. Author *præallegati tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. cap. 9.* rem ita prosequitur. Puteanus *cap. 25.* in Regem confert potestatem impediendi, ne absque suâ, vel Parlamentorum licentiâ indulgentiæ publicentur; ne quærantur eleemosynæ illarum occasione; néve instituantur Societates, seu Confraternitates. Si qui abusus in hujusmodi publicationem, quæstum, aut Societates irrepserint, Canonum contra illos editorum executionem Principes laudabiliter urgebunt; ac si quid sub pietatis specie contra Regem, aut Regnum, aliqui machinarentur, possent à Magistratibus comprimi. At, si ea Religionis officia ad id, ad quod sanctè sunt instituta, colliment, ea bona impedire posse, non est Ecclesiæ libertas, nec jus Principum Christianorum. Earum rerum cura ad Episcopos, non ad Magistratus sæculares spectat.

Redditus beneficiorum temporales sunt; 101.
sed jus eos percipiendi non nisi spirituale dici potest, utpote fundatum in celebratione Divini Sacrificij, recitatione horarum Canonicarum, administratione Sacramentorum, exercitio spiritualis jurisdictionis, & cæteris spiritualibus operibus. Quare nemini unquam dubium fuit, quin Simoniæ crimen ab ijs patretur, qui beneficia vel emere, vel vendere, alióve contractu, non gratuitò distrahere, vel accipere præsumpserint, quod necessariò res esse sacras, & spirituales, supponit. Quomodò ergo ad judicium sæculare spectaret controversiarum beneficialium decisio?

Unde Judicibus laicis esset potestas, Cu- 102.
ratos, Canonicos, alioscque Beneficiarios, suis Placitis, seu, ut vocant, Arrestis constringere? Numquid si vitiosus sit ejus, cui favent, titulus, possent ipsi jurisdictionem spiritualem conferre, ut valida sint, quæ confecturus est, sacramenta?

Fatentur, qui laicam jurisdictionem ad 103.
has materias protendunt, judices sæculares non de petitorio, sed de possessorio, non de jure, sed de facto debere sententiam ferre, hoc est, non definire, quæ provisio sit canonica, vel vitiosa, sed quis magis legitimè possidere videatur, ut is in sua possessione servetur, donec de jure prolata fuerit ab Ecclesiastico Judice ultima sententia; idque ne partes ad arma concurrant, quod frequenter accidit, dum plures rem eandem possidere conantur; quodque ne accidat, Principis est impedire. Sed nónne de possessorio, sicut de petitorio per plurima sæcula jus dixerunt Officiales Ecclesiastici in Gallia, sicut in alijs Provincijs Christianis? Cur ergo gens adeò antiquitatis retinens, à veteri illa disciplina recessit? Hæc certè immutatio Episcopis tribuenda non est. Fatetur enim Carolus Fevretus *lib. 4. de abusu cap. 11. n. 6.* ab illis ægrè admodùm admissam.

Primam prætensi à Judicibus sæcularibus 104.
juris probationem petit Puteanus a quadam deliberatione Senatûs Parisiensis anno 1411. vetantis: *Ne Cardinalis Pisanus Ioannis XXIII. ad Carolum VI. Regem Franciæ Nuntius, seu Legatus diceret, Regem, ejusque judices, præcipuè Curiam ipsam, non posse de causis possessorijs beneficiorum cognoscere.* Hæc quidem verba probant intentionem Senatûs, sed non ejus justitiam.

stitiam. Cæterùm tunc usus ille adeò erat Pontificis illius Curiæ incognitus, adeoque ijs, qui eum nôrant, improbatus, ut prædictus Cardinalis scripserit in epistola, circa quam deliberabat Senatus; *Deus scit, quantum Ecclesiasticæ jurisdictionis* (notentur hæc verba) *quotidie usurpatur. De omnibus causis Ecclesiasticis possessorijs distinctè cognoscunt inter personas Ecclesiasticas, Religiosas, Abbates, Episcopos, ac etiam Cardinales. Et totum procedit à Clericis, qui sunt in illa Curia.* Licèt autem tunc schismatis tempus esset, multáque permittere cogerentur Pontifices, quorum partes Gallia sequebatur, adversùs Ecclesiasticam libertatem, magnam tamen retinebant authoritatem in Ecclesia Gallicana etiam circa controversias beneficiales, ut testantur prædicti Ioannis XXIII. litteræ, præsertim quæ referuntur à Bulæo *in tomo 5. histor. Univers. Paris. ad annum 1412. ante finem.*

105. Puteanus *numeris 2. & 3.* profert duas constitutiones Martini V. declarantis pœnas aliâ suâ constitutione latas in eos, qui ad Iudices sæculares recurrerent in causis Ecclesiasticis, nominatim in beneficialibus, non afficere subditos Regis Franciæ. Verùm illæ litteræ, judicum Regiorum conscientiæ in tuto ponendæ, impares sunt. Confirmant etiam duntaxat jus, si quod erat, nullum autem concedunt. *Per hoc autem nullum jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, conservari.*

106. Allegatum enuntiatur, *ipsum Regem, & suos Progenitores super omni possessorio à tanto tempore, quod de ejus contrario memoria non existat, consuevisse cognoscere.* Quæ conditio deficiebat, cùm nondum eo tempore passim, & constanter lites de beneficijs coram Judicibus sæcularibus agitarentur, ut monimenta etiamnum extantia testantur; unde mirum est, Carolum Fevret, qui *lib. 4. cap. 11. n. 3.* authoritate Ioannis Galli, & Guidonis Papæ probat, eum usum tempore Martini V. non fuisse constantem, renitentibus nimirum Episcopis, imò testimonio Philippi Probi confirmat centum post id tempus annis, Ecclesiasticos Judices de possessorio beneficiorum cognoscere potuisse *cumulativè* cum Laicis, quibus eam cognitionem permiserat Romanus Pontifex: mirum, inquam, est, eum in illo ipso numero affirmare, Possessorium beneficiale nunquam in Curijs Ecclesiasticis fuisse tractatum, *& n. 2. ejusdem cap.* Coronæ jus illud esse, ac verè Regium. Ita scilicet constant libertates Gallicanæ, ut qui eas justas ostendere nituntur, sibi ipsis non possint non contradicere.

107. Constitutiones illæ, seu privilegia indicant, facultatem Judicum Regiorum exerceri tantùm *in Clericos, Ecclesiasticásque personas, ad beneficiorum suorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes*, puta, ne quis per vim à sua possessione deturbetur, *præsertim in casu possessorij retinendæ possessionis.* Itaque beneficiorum fructus essent tantummodò sequestro committendi, ut diremptâ lite apud Ecclesiasticum tribunal, victori consignarentur, vel potiùs ille, cujus titulus Episcopi judicio magis probatus fuisset, in possessione esset defendendus, aut si per vim ab ea fuisset deturbatus, authoritate Regiâ restituendus. At nónne super tituli validitate pronuntiant Judices laici, siquidem, ut notat Petrus Rebuffus, discrimen inter profanum, & beneficiale possessorium interponitur, ut in profano sola possessio, à qua quis se dejectum conqueritur, in beneficiali autem provisio, seu titulus attendatur.

Etiamsi *possessorij* nomine donentur causæ beneficiales apud sæculares Judices, re verâ tamen ut *petitoriæ* judicantur: tum quia, ut diximus, ex titulis dirimuntur: tum quia super ijs judicium ab Ecclesia non profertur. Pars enim, quæ in possessorio succubuit, factis primæ litis sumptibus, qui maximi sunt, plerumque secundæ prosequendæ impar est, nec dilationes & cavillationes partis adversæ, quæ, cùm fructibus gaudeat, processum, si possit, in infinitum protrahet, se unquam superaturam confidit. Imò, ut insinuat Carolus Fevret *tract. de abusu lib. 4. cap. 11. n. 6.* post Loüetum, datâ super possessorio sententia, non sineretur quis ab Ecclesiastico Judice contrarium judicium obtinere, vel illud executioni demandare, nisi forte novum jus coram sæculari non allegatum superveniisset, quasi tanta sit Judicis sæcularis de re spirituali decernentis peritia, tanta ejus authoritas, ut possessionem tantùm discutiens, jus ipsum certissimè attingat.

Possessio propriè rerum temporalium est. Cur ergo, quod in beneficijs est spirituale, Ecclesiæ non dimittitur omninò? Cur Episcopo, cui sæpe constat, alterum ex litigantibus jus nullum habere, non licet alteri, cujus Canonicus est titulus, beneficia exequenda committere, præsertim cùm jurisdictionem spiritualem requirunt, ac sinè illa salus animarum certissimæ ruinæ patet? Cur arguetur tanquam suâ potestate abusus Prælatus, si confessiones audire inhibeat ei, quem nôrit, verè non esse Curatum, atque adeò nullâ jurisdictione præditum, imò fortè jurisdictionis incapacem? An toleranda erunt innumera sacrilegia, ne lædatur reverentia Judici laico debita, apud quem causa possessionis tractatur?

Delicatior erat conscientia Judicum sæcularium tempore Ioannis Galli, hoc est, circa initium *quinti* sæculi. Is enim *quæst. 130.* testatur, tunc non admittendam fore querelam (Galli vocant *Complainte*) pro possessione beneficij Curati, aut ejus fructuum, quia, inquit, hoc erat merè spirituale.

Post Martini V. declarationes affertur à Puteano *n. 4.* alia Eugenij IV. earum primam confirmantis. Verùm illa provisionalis tantùm est; donec aliud authoritate præfatâ desuper ordinatum fuerit. Neque generalis est, cùm primam tantùm Martini V. declaret; atque adeò malè hoc ei lemma præfixit Puteanus; Bulla Eugenij IV. quâ declaratur, Bullas Pontificum circa possessorium beneficiorum non habere locum in Francia.

Breve

112. Breve Leonis X. ad Præsidentes, & Consiliarios Parlamenti Curiæ Tolosanæ exhibet Puteanus *n. 7.* ut ostendat, Judicem in Francia cognoscere de possessorio beneficiorum, approbante Papâ. In eo Brevi, quod non extat in Regestis Pontificijs, supponitur commendari Senatui Tolosano Ioannes de Anseduna litterarum Apostolicarum Abbreviator, cui Papa beneficia contulerat, super quibus lis erat in dicto Senatu. Verùm præterquàm, quòd hoc non est, approbare saltem expressè usum judicandi de possessorio beneficiorum; ejus Pontificis mens certiùs perspicitur in ijs, quæ Concilio Generali præsidens fecit, quàm in litteris, quæ ab Officiali Curiæ suæ proprio commodo studente, furtim obtineri potuerunt. Leo X. à quo datum dicitur prædictum Breve die 17. Novemb. 1513. mense sequenti, hoc est, mense Decembris ejusdem anni in Concilio Lateranensi *Sessione VIII.* monitorium pœnale decrevit adversùs Senatores Parlamenti Aquisextiensis, Ecclesiasticam jurisdictionem violantes in varijs capitibus, quorum unum erat de cognitione causarum beneficialium. Quocircà id, de quo Judices sæculares in Francia cognoscunt, possessorium fictè duntaxat dici, sed revera petitorium esse, significavit, eumque usum abolere deliberavit. Erat enim articulus ille prædicti monitorij expressus his verbis: *Causas spirituales, & beneficiales non tantùm super possessorij conficto colore super titulo audiunt &c.* Nónne illa est possessorij ratio, quam hodie Judices Galli ad suam jurisdictionem pertinere contendunt? Non tantùm de possessorio, cujus cognitio ad petitorij Judicem de jure spectat, sed de petitorio ipso, quantumvis spirituali, hoc est de titulo, possessorij conficto colore judicant. Nec enim, quis de facto possideat, sed quis justiorem possidendi titulum habeat, examinant, & eum tuentur, etiamsi beneficijs animarum cura, vel jurisdictio spiritualis insit.

Axioma *octavum* Puteani ex ejusdem *cap. 27. 28. 29. 30. & 31.*

113. Hic author *ibidem* contendit pro authoritate Regia tum de puniendis Clericis in officio laico delinquentibus, seu hæreticis quietem publicam turbantibus, seditiosisque Concionatoribus: tum de alienigenis ad beneficia Regni non admittendis: tum de officijs Divinis Ecclesiæ Gallicanæ à Rege ordinandis.

Refutatio istorum axiomatum.

114. Author *prætacti tractatûs cap. 10.* hunc in modum progreditur. Capiti *vigesimo septimo*, inquiens, hunc titulum præposuit Puteanus, posse Regem de crimine Officialium suorum Clericorum, quod in officiorum suorum exercitio admiserint, judicare non obstante privilegio Clericali. Hoc probat *n. 1.* quodam Senatus-consulto post medium sæculum 13. dato. Agebatur de cæde duorum hominum in carcere Cathalaunensis Episcopi. Quæstio erat, an ejus rei Iudex esset Senatus? Negabat Episcopus, allegans privilegium Clericale; affirmabat pars altera, eò quòd ageretur de culpâ admissâ occasione jurisdictionis laicalis, Episcopo tanquam Baroni & Pari Franciæ competentis, atque ita judicatum est. Sed hoc judicium non dirigebatur propriè in personam ipsius Episcopi, sed in exercitium jurisdictionis à Rege acceptæ. Neque fuisset ei pœna indicta, si ulteriùs processum fuisset, & probata fuisset Episcopi negligentia (non enim addit Puteanus, an illud Senatûsconsultum effectum aliquem sortitum fuerit) nisi in jurisdictione ipsâ; ut patet ex instrumento sequenti.

115. Nam post id tempus, scilicet anno 1313. Rex, qui, ut probat Henricus Spondanus, tunc erat Philippus IV. dictus Pulcher, in litteris à Puteano *ibidem n. 2.* exscriptis declarat, Parlamentum Guilielmum Boutellum Clericum Reportatorem Regium Inquestarum privâsse officio, eò quòd processuum, & Inquestarum secreta revelaret; sed hoc modo: *primò* ad requisitionem Officialium Parlamenti. *Secundò* per Officialem Episcopi Parisiensis, & ipsius Ordinarij captus fuerat, & ejus bona mobilia sequestro commendata. *Tertiò* consultus fuerat Rex; an ulteriùs esset procedendum; qui respondérat, puniendum esse, quantum ad ipsum pertineret. *Quartò* reus per propriam confessionem, & alijs probationibus convictus, officio Regio privatus fuit. *Quintò* intrà hos terminos stetit Parlamentum; *Adjungentes* (verba sunt ipsius instrumenti, seu litterarum Regiarum) *quòd ipsi dictum Officialem* (Episcopi Parisiensis) *non intendebant impedire, quatenus ipse de dicto Guilielmo, & ejus bonis prædictis, prout ad eum pertinet, faciat, quod rationabiliter fuerit faciendum.*

116. Ubi aliud est notatu dignum, & hodiernæ Gallorum doctrinæ adversum; scilicet de bonis saltem mobilibus Clericorum judicium, etiam ex Regis jurisdictionis suæ studiosissimi, & acerrimi vindicis sententiâ, ad Officiales Ecclesiasticos pertinuisse.

117. *Numero 3.* exstat Senatûsconsultum anni 1476. (notanda epocha, tempus scilicet dissidij inter Alexandrum VI. Pontificem, & Carolum VIII. Francorum Regem) quo quidem Senatûsconsulto ad pœnas, officij Regij privatione majores, damnatus est Clericus in Parlamento Parisiensi Consiliarius. Sed *n. 4.* profertur Bulla Clementis VII. quæ tum prædicti Senatûsconsulti, tum aliarum, si quæ sint, probationum vim elueret. Quamobrem laudarem Puteanum hîc, & alibi sæpe de bona fide, quia testimonia efficacissima contra seipsum adducit, nisi ex proprijs suis lemmatibus constaret, eum in ejusmodi probationibus attendisse non ad id, quod Ecclesiæ jus manifestè asserere perspicitur, si ab æquo Judice legatur, sed quod ei adversari videbatur, quâ de causâ magnoperè cavit, ne quid afferret ex ijs, in quibus solius Ecclesiæ jus elucet. *Numero* igitur *quarto* extat Bulla Clementis VII. Francisco I. concedentis facultatem punien-

dorum Clericorum in officiorum Regiorum exercitio delinquentium.

118. Fuit autem data hæc constitutio *primò* ad instantiam Regis; *Pro parte tuæ Majestatis nobis nuper exhibita petitio continebat..... Pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum..... Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati. Secundò* pro Clericis uxoratis, non bigamis officia merè laica exercentibus; *Quòd quandòque tuæ Majestatis Officiales Clerici uxorati officia merè sæcularia in Regno tuo, & aliis locis tibi subjectis exercentes, eo sibi velamine confecto, quòd cum unica, & virgine conjugati privilegio Clericali gaudere debeant, & à judicum sæcularium examine, & correptione exempti existunt, &c.* Ex quibus constat, ante id tempus, id est, ante annum 1530. non fuisse, saltem legitimè judicatos à judicibus sæcularibus Clericos, nisi qui privilegio Clericali carebant. *Tertiò* facultas puniendi Clericos conjugatos Officiales Regios, eâ conditione Regi concessa est, ut Clericos etiam conjugatos, qui non essent Officiales Regij, privilegio Clericali faceret gaudere: *Dummodò alios Clericos conjugatos privilegio Clericali gaudentes, tuos Officiales non existentes, dicto privilegio Clericali gaudere facias. Quartò* non solùm Pontifex in ea Bulla, sed etiam Rex in litteris patentibus ad ejus verificationem datis, & *ibidem* à Puteano relatis, declaravit, illam facultatem non à jure Regio, sed à concessione Pontificis emanâsse: *Authoritate Apostolicâ*, inquit Papa, *tenore præsentium licentiam concedimus*, scilicet puniti faciendi Clericos conjugatos, etiam monogamos in officiorum sæcularium exercitio delinquentes. Rex autem enuntiat, se ad Papam recurrisse, Bullam prædictam impetrâsse, eamque post examen judicatam supplicationi suæ conformem, & Regni sui bono admodùm utilem. *Quintò* privilegium illud, factâ expressâ Bullæ mentione, ab eodem Francisco I. & ejus filio Henrico II. adductum, probant exempla *ibidem* à Puteano subjuncta.

119. Nescio, quomodò non vidit Puteanus, sibi etiam apertissimè adversari, quod refert *ultimo loco* ex constitutionibus Barcinonensibus manuscriptis Iacobi II. Aragoniæ Regis anno 1291. scilicet; Item quòd aliquis Clericus, vel alius homo, qui habeat tonsuram, non possit tenere aliquo tempore aliquod officium nostrum, salvis Cancellario, & Consiliario nostro & Eleemosynario nostro, & Judicibus, qui scirent jus, pro eo, quòd si delinquerent in aliquo, quòd nos possemus eos punire inde. Quomodò inde assumptum suum probat Puteanus (nimirum posse Regem Clericos in officio Regio delinquentes punire, non obstante privilegio Clericali) cùm econtra Rex Aragoniæ ideo nolit habere Clericos Officiales, quia non posset eos punire? An quia excipiuntur Cancellarius, Consiliarius, Eleemosynarius, & Judices jus scientes? Sed hæc exceptio ad prohibitionem refertur, non ad privilegium Clericale. Absurdum enim esset, ita Regis mentem interpretari, ut intelligeret, se inferiores quidem Officiales in officio à se accepto peccantes, non posse plectere, obstante privilegio Clericali, posse autem, nihil obstante illo privilegio, in Eleemosynarium, Cancellarium & alios præcipuos animadvertere. Supponit è contra Rex, hujusmodi eximia officia non fore gerenda, nisi à viris, quorum perspecta sit probitas, quique sub spe impunitatis ob privilegium Clericale peccaturi non sint, atque adeò nec puniendi, vel saltem id tam raro eventurum, ut eorum privilegium Regi non sit allaturum incommodum.

Capiti 18. hunc Puteanus titulum præfixit *De judicio hæreticorum publicæ quietis perturbatorum.* Sed quod sit ejus consilium, non sane apparet. Certum est, & plerisque actis illic relatis constat, ad Ecclesiam pertinere de controversijs fidei judicare, quâ in re Procurator Regius Senatûs Aquensis respondens quibusdam articulis querelarum Officialium Pontificiorum, anno 1527. declaravit articulum 16. æquum esse, ut de crimine hæresis Iudicibus Ecclesiasticis relinqueretur judicium, ac reverà nunquam de illo Iudices Regios jus dixisse, nisi fortè seditio cum hæresi fuisset conjuncta, quæ declaratio refertur à Puteano *in cap. 36. n. 17.* Ultrò fatetur Senatus Parisiensis, cujus Deputatorum oratio ad Carolum IX. Regem Franciæ anno 1560. habita refertur *n. ult.* Imperatores, Reges, Principes, & alias cujusvis ordinis & conditionis personas Ecclesiæ subesse. Certum etiam est, posse, imò & debere Potestates sæculares opem, authoritatemque suam ad extirpandas hæreses apertas, & corrigendos, vel puniendos subditos suos, doctrinam ab Ecclesia declaratam hæreticam profitentes, impendere, eoque tendunt reliqua ferè omnia in eo capite contenta. Certum adhuc est, in profligatione hæreseos, ac hæreticorum punitione, unicuique potestati suam jurisdictionem salvam esse debere, atque plura ex illis actis testantur, sæpe unamquamque suis partes in Gallia expleviſſe. Contigit quidem interdum, ut potestas sæcularis Ecclesiasticæ fines ingrederetur; sed tuendæ fidei necessitas ad hujusmodi transgressionem attendere non sinebat, magisque laudabatur zelus, quàm reprehendebatur excessus.

Laudatur in eo capite, atque in sequenti exercitium Inquisitionis, quod tamen Galli moderni tantùm abest, ut probent, ut etiam gravi odio prosequi videantur, quasi rem utilissimam, sub prætextu quorundam abusuum damnare præstet, quam abusus, si qui illapsi sint, amputare. Nimiam queruntur à quibusdam Inquisitoribus severitatem, nonnullos avaritiam sectatos. Verùm hæc & similia, personarum vitia sunt. Sed nescio, quæ de Galli, ut sacro illi tribunali odium conciliet, illud accusant, aut sacram Indicis Congregationem, quasi Regum interfectoribus patrocinetur, eò quòd notaverit Senatusconsultum prolatum adversùs Ioannem Castellum Henrico IV. Regi mortem inferre conatum; cùm nonnisi per atrocem & apertam calumniam sacræ Congregationi tribui possit, quòd probaverit tantum scelus, gravissimis

mis pœnis expiatum, quandóquidem id tantùm in eo Senatûs-consulto displicuit, quòd censuris Apostolicis authoritas detraheretur.

122. Hæc autem non eò spectant, ut Inquisitionis exercitium in Gallia renovandum significem, sed ne sacrum illud tribunal, Ecclesiæ tantoperè necessarium, & à quo Gallia maximos olim, uberrimosque fructus percepit, debitâ apud fideles reverentiâ careat. Illud quidem etiam viri verè Catholici non necessarium in eo Regno arbitrantur, ob Episcoporum vigilantiam, ac Regis pro fide zelum, sed illud convitijs, ac detractionibus prosequi, hominis est admodùm iniqui, vel criminum sibi conscij, propter quæ à sacro illo tribunali plecti mereretur.

123. Prædicandi munus, si quod aliud in Ecclesia Dei, spirituale sinè dubio est, ac proprium Episcoporum. Apostolis enim, quibus successerunt, præcepit Christus *Marci ult. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quod ut exequerentur, curam pauperum, quantumvis laudabilem dimiserunt Diaconis. *Nos verò*, inquiunt *Act. 6. orationi, & ministerio Verbi instantes erimus.* Si quid igitur in eo peccetur ab ijs, qui Episcoporum vice illud obeunt, ab Episcopis corrigendi sunt, qui nimis hodie Regi fideles sunt, quàm ut desides sese præbituri sint in eo officio, si quid adversùs Regiam Majestatem, aut contra publicam pacem prædicaretur, ut eorum negligentiam à se supplendam esse, non possint causari Magistratus sæculares. Debet quidem laica potestas brachium suum, si opus sit, Prælatis ad correctionem eorum, qui ministerio verbi scandalosè abutuntur, commodare, ut præstitum est nonnullis actis à Puteano *cap. 29.* exscriptis: suo autem jure non potest personas Deo sacras in functione Divinissima peccantes plectere. In exemplis, quæ adducit Puteanus, præterquàm quòd sæculo proximè elapso antiquiora non sunt, & solius potestatis sæcularis authoritate sunt munita, aut Ecclesiæ tantùm ad exequenda judicia sua, & decreta collatum est auxilium, aut Reges, quorum nutabat Imperium, quique plures in Clero patiebantur Adversarios, jus suum, quod prædicationibus publicè impugnari audiebant, non aliâ posse tueri ratione arbitrati sunt, quàm si Prædicatores per suos etiam Iudices comprimerent, quod etsi legitimè factum fuisset, in consequentiam nullatenus trahi deberet, vel certè Iudices laici falcem in alienam messem miserunt contra Canones, & contra morem antiquum Regni etiam Gallicani.

124. Quamvis secundùm jus Canonicum in conferendis beneficijs plerumque non sit attendenda personæ patria; rationes tamen non paucæ postulare videntur, ut uniuscujusque Regni beneficia indigenis conferantur, quod Actis *in cap. 39.* à Puteano relatis statuitur, dummodò digni reperiantur. Sed hujusmodi statuta, cùm circa rem spiritualem, nempe beneficiorum dispensationem, versentur, ab Ecclesia edenda essent, non à Principibus, nec tunc vim habere debent, cùm propter indigenarum defectum, aut aliam justam causam magna Ecclesiæ necessitas, aut evidens utilitas illis derogari postulat, quæ omnia de Regularibus, de quibus etiam illic agitur, intelligenda sunt pari, & fortè majori ratione, quia illorum status à negotijs sæcularibus longiùs distat, & regimen minùs est cum administratione politica connexum.

125. Missalium, & Breviariorum Ecclesiasticorum particularium Franciæ mutationem mandato, seu ordini, & permissioni Regis subjicere, quid aliud est, quàm Ecclesiam in rebus Divinioribus sæcularis potestatis servam facere?

126. Num sicuti sinè Regis mandato, aut licentiâ mutari non possunt libri sacrificij conficiendi formam continentes, ita è contra indiscriminatim poterunt de ejus mandato, ac licentia? Si quis ergo Regis religionem fefellerit, ac facultatem impetraverit inducendorum codicum, in quibus desunt verba consecrationis, admittendi erunt, ac juxta illos, celebranda Divina Mysteria, & officia, etiamsi Clerus, & milites obsistant, & Deus ipse contrariam voluntatem miraculis significet, quemadmodùm contigisse in Ecclesia Toletana, narrat Rodericus Toletanus in fragmento exscripto à Puteano *cap. 31. n. 4.* quod tamen fabulæ, quàm historiæ similius mihi videtur. Talibus scilicet Canonibus nituntur, quas ipse Author vocat libertates Gallicanas. Id ab eo libertas reputatur, quod in eo fragmento his verbis exprimitur; *Sed cùm Rex* (scilicet Castellanus & Legionensis Alfonsus) *esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus, voluit inclinari, sed mortis supplicia, & direptionem minitans resistentibus, præcepit, ut Gallicanum officium in omnibus regni sui finibus servaretur, & cunctis flentibus, ac dolentibus inolevit proverbium: Quò volunt Reges, vadunt leges.*

127. Verùm, si hæc vel historia, vel fabula referenda putabatur, titulo capitis insinuandum erat, mandato Regio præire debere præceptum Ecclesiasticum. Ita enim in principio fragmenti legitur: *Gallicanum officium suscipere à Legato, & Principe cogebantur.*

128. Ex reliquis actis in prædicto *cap. 13.* relatis, illa, quæ antiqua sunt, nullam Regibus circa Divina officia tribuunt authoritatem, sed ostendunt solummodò, Ecclesiam Gallicanam suas habuisse orationes speciales, vel ab Ecclesia Romana, perente Rege, acceptas; quæ autem acta recentia sunt, præterquàm, quòd generatim novitate sunt suspecta in materijs, ubi pro conservanda antiquitate certari dicitur; rationes, quæ Theologiæ Parisiensi adscribuntur, adversùs eos, qui Breviarium ex decreto Concilij Tridentini correctum antiquo Parisiensi substituendum putabant, stylo adeò irreverenti, & temerario scriptæ sunt, & partim adeò ineptæ, ut meritò instrumentum eas continens Sorbonæ decreto proscriptum sit. Quòd autem Puteanus, qui decreti illius meminit, adjungit, Curiam contra illud

authoritatem suam interposuisse, atque ita instrumentum tutum servâsse, magis hac in parte Curiæ vim inferentis religionem obscurat, quàm justitiam demonstrat.

129. Ego quidem fateor, eam, quam de Augusti illius Senatûs religione, & æquitate opinionem, lectis antiquis ejus sapientissimis, pijs, justisque Placitis, & præclaris pro Ecclesia & Republica gestis, conceperam, plurimùm imminutam ob ea, quæ posterioribus temporibus adversùs Ecclesiasticam jurisdictionem tentavit. Misera certè Ecclesia Gallicana, siquidem ejus jura, testantibus in processu verbali Episcopis anno 1681. Parisijs congregatis, cæteri omnes illius Regni Iudices minùs, quàm Senatûs Parisiensis servant illæsa. Quid enim v. g. Ecclesiasticæ libertati, & jurisdictioni magis infestum, quam quòd Arresto à Puteano relato *ibidem n. 7.* statuitur in materia Divinorum Officiorum. *Declarat malè & abusivè processum, ordinatum, & executioni demandatum, cùm à dicto Episcopo* (Andegavensi) *tum ab ejus Officiali & Promotore.* Ordinat, *quòd servitium Divinum ordinarium in Ecclesia Trinitatis continuabitur. Inhibuit, inhibétque dicto Episcopo, quidquam innovare in exercitio, & celebratione Divini servitij in Ecclesijs suæ Diœcesis absque authoritate Regis.* En libertas Ecclesiæ Gallicanæ. En religio ejus defensorum, & protectorum. Major potestati sæculari adscribitur circa Divina officia authoritas, quàm exercere sineretur Episcopus, imò Summus Pontifex, vel Ecclesia universa in Concilio Oecumenico, Tridentino scilicet, de cujus exequendo decreto circa Divina officia agebatur.

130. Sed gravius, quia generalius, est vulnus, quod in dicto Arresto sequitur (nisi fortè aliquis Typographi error est) *Ejus quoque Promotori & Officiali* (inhibet) *ne curam, jurisdictionem, aut cognitionem suscipiant, nisi quæ ipsis à constitutionibus* (Regijs) *tribuitur.* Constitutiones ergo Regiæ, jurisdictionis Ecclesiasticæ circa Divina officia origo sunt.

131. Æquitati ac religioni magis consentaneæ videntur litteræ Regiæ, quæ subinde afferuntur, cùm Missalis & Breviarij Ecclesiæ Romanæ usum permittant. Nihilominùs Ecclesiæ libertas offenditur, quòd in hujusmodi rebus necessaria putetur Regis authoritas. Ut enim notat jurium Regiorum non negligens vindex Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 2. cap. 7. n. 1. Cùm ipsum Clericorum ministerium jure Divino sit institutum, quæ necessaria sunt ad illud explicandum, aut vindicandum, ei potestati commissa censentur, quæ jus imponendarum manuum à Christo Domino nostro accepit.*

Axioma *nonum* Puteani *ex ejusdem capite 32. usque ad 38.*

132. Hic Author *ibidem* Regiam authoritatem protendit tum super novorum in Gallia Monasteriorum extructionem, absque Regia authoritate non faciendam, tum circa varias alias materias Ecclesiasticas in progressu sequentis refutationis exprimendas.

Refutatio hujusmodi axiomatum.

Author *prætacti tract. cap. 11.* causam istam ita prosequitur. Novos Regularium Ordines in Galliam admitti non posse, vel illic stabiliri, aut nova Monasteria construi, absque expressa Regis licentia, *cap. 32.* à Puteano probandum suscipitur. Quâ in re cùm possint interdum rationes civiles, & temporales cum spiritualibus commisceri, uniuscujusque potestatis est, quod ad ipsam pertinet curare; sed sub eo prætextu spirituali Regularium regimini, sive circa electiones, sive circa Capitula generalia, sive circa delictorum correctionem, de quibus agitur *cap. 33.* sese Magistratus sæculares immiscere sine injuria non possunt, præsertim dum eorum auxilium juxta Canonum præscriptum non imploratur. 133.

Quâ in re multifariam est peccatum; atque adeò graviter, ut mirum sit, non erubescere virum Catholicum (qualem nescio non fuisse Puteanum) hujusmodi exemplis in libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensionem adducere. Quomodò enim cum fide Catholica cohæret, ut censurarum usus penes laicos legitimè reponatur? Affert ille *in prad. cap. 33. n. 23.* Senatûs-consultum anni 1599. quo Capucino cuidam, nomine Archangelo à Podio, indicta est suspensio ab officio prædicationis per sex menses. Simplicem esse prohibitionem ad removendum scandalum, quod ex concionibus creandum timeretur, factam interpretaretur, nisi temporis spatium suspensioni præscriptum censuræ Ecclesiasticæ formam exhiberet. Non enim per sex menses duntaxat vitandum est scandalum. Itaque prohibitio illa pœna erat, non cautela duntaxat. 134. 137.

Repugnat religioni, & antiquæ Gallorum pietati, ut adolescentibus, cùm ad ætatem à Canonibus præscriptam pervenerunt, tollatur libertas, quæ ipsis jure Divino, ac naturali competit, genus vitæ, quod sibi ad salutem opportunius judicant, deligendi, sub prætextu servandi honoris parentibus à filijs debiti. Quid enim, si parentes, ut sæpe contigit, proprio affectui, aut familiæ utilitati, aut gloriæ magis consulant, quàm Divino cultui, & propriorum filiorum perpetuæ felicitati? Hæc certè Iurisprudentia cum omnium Theologorum, ac cum sanctorum Patrum doctrinâ pugnat. Quomodò v. g. Senatûs-consultum anni 1602. *prædicto cap. 33. n. 26.* relatum Capucinis prohibens generatim, filios absque consensu patrum ad habitum, aut professionem admittere, concordat cum exhortatione S. Hieronymi *epist. 1.* quæ est ad Heliodorum, quam quidem exhortationem ceu Divinum oraculum omnibus deinde sæculis venerata est Ecclesia; *Licèt sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te enutrierat, mater ostendat licèt in limine pater jaceat, per calcatum pergat patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem?* Numquid sanius, & sacris Canonibus magis con- 138.

sentanèe, judicatum fuerat anno 1583. referente Puteano *ibidem n. 22.* vetandum esse parentibus, ne filium ab ingressu Capucinorum deterrerent, si legitimam ætatem adeptus in ea voluntate perseveraret? Sed ita crescit in eo Regno pietas, & religionis profectus præsertim apud Laicos.

136. Atque hæc sunt justa Dei judicia, ut personæ Ecclesiasticæ sive sæculares, sive Regulares, quæ superiorum Ecclesiasticorum tribunal fugientes, ad laicorum Curias recurrerant, quò se sanctiori disciplinæ subtraherent, aut fortassis etiam, ut veras injurias repellerent, postmodùm jugo, quod sibi ultrò, ac contra sacrorum Canonum prohibitionem imposuerunt, adeò premantur, ut officia magis spiritualia, & proprio statui magis convenientia, liberè exequi non sinantur. Ita dum Episcopi adversùs Regulares privilegijs se tuentes; Regulares adversùs Episcopos Hierarchicâ suâ authoritate utentes; Clerici adversùs Episcopos, Regulares adversùs Religionis superiores, laicos Iudices adeunt, Ecclesiasticarum, & spiritualium rerum dispositionem ad ipsos devolvunt; unde regimen Ecclesiæ penes sæculares potestates potiùs, quàm penes Ecclesiæ Pastores residere in Gallia hodie videtur, quod verendum est, ne Deus altiori pœnâ ulciscatur. Id probant diversa acta in hoc, & in alijs capitibus à Puteano descripta.

137. Utinam pro Monasteriorum reformatione toties à sacris Concilijs præscriptâ, suam authoritatem impenderent potestates sæculares, ac non potiùs reformare conantibus hodie obsisterent. Tamen dum Reformatoribus auxilium legitimè præstant, non jure proprio ipsis agere licet, ut intendere videtur *cap. 34.* sed ad executionem Canonum Ecclesiasticorum. Idem dicendum de varijs Ecclesiasticæ disciplinæ articulis sub *cap. 35.* collocatis, in quibus tamen, ut patet ex actis illic relatis, Magistratus sæculares Ecclesiasticæ jurisdictionis terminos sæpe invadunt: quod ex ipsa rerum temporalium, & spiritualium, profanarum, & sacrarum distinctione facilè dignoscitur.

138. Applicanda est eadem doctrina *capiti 36.* cujus titulus est; *Miscellanea diversarum materiarum ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ spectantium.* Nec excusat Iudices sæculares, quòd, ut jam diximus, ipsæmet personæ Ecclesiasticæ jurisdictionem eis detulerunt, sive quòd, cùm essent reæ, sperarent, eos sibi magis propitios ob hanc voluntariam submissionem fore (quod facilè præsumi potest, v. g. de Episcopo illo Meldensi, qui, ut habetur *ibi n. 17.* anno 1525. protestatus est; se, si reus probaretur, ab ea Curia puniri velle; illud tribunal alijs omnibus præeligere; neque alios postulare Iudices) sive quia Iudicum Ecclesiasticorum præjudicia suis desiderijs magis adversari sciebant. Non enim minùs sacra est jurisdictio Ecclesiastica, quàm sæcularis, ut ista non possit, possit illa ex consensu partium transferri ad judices sæculares, ut observare potes in responsionibus Procuratoris Regij Senatûs Provinciæ, quæ referuntur *n. 19. ejusdem capitis.* Nam in responsione ad *primum* articulum Officialium Romani Pontificis, defenditur usus incarcerandorum à Laicis Sacerdotum, aliorumque Clericorum, ex eo, quòd pro debitis pecuniarijs sigillo rigoroso Provinciæ se submiserint, in responsione verò *ad 13.* negatur, posse Laicos sese jurisdictioni Ecclesiasticæ submittere, nisi in casibus à jure præscriptis.

139. Sed non est prætermittendus *primus* articulus, notatu scilicet dignissimus; nempe; Urbem Gratianopolitanam locum esse, in quo Reges Franciæ, ac Summi Pontifices sese invisebant. Is est titulus *n. 1.* præfixus. Numquid hinc concludendum est, libertatis Ecclesiæ Gallicanæ partem esse, ut Papa Gratianopolim sese conferat, cùm eum illuc vocare, Regi visum fuerit? Sub hoc *num.* ponitur epistola Hugonis Regis, ad Ioannem Papam sic scribentis: *Gratianopolis civitas in confinio Italiæ & Galliæ sita est, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere solitis fuerunt. Hoc, si vobis placet, iterare possibile est. At si nos, & nostra invisere libet, summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus, morantem, ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur.*

140. Verùm non advertit Puteanus, quàm adversa esset suis libertatibus hæc epistola. Non enim reverentiam tantùm Regis, cujus plurima continet specimina, sed etiam subjectionem significat in re admodùm cara. Arnulphum Lotharij Regis defuncti filium, ac Ludovici, qui ei successerat in Regno, quique posteà & ipse mortuus fuerat, fratrem, Hugo Capetus, in quem excluso Carolo Lotharij fratre, ac Ludovici Patruo, nuper translata fuerat Regia dignitas, ad Archiepiscopatum Rhemensem evehendum curaverat, ut eum hoc beneficio suas in partes traheret; captâ autem, & direptâ Rhemorum civitate à Carolo, de Regno adhuc cum Hugone contendente, Hugo Arnulphum, licèt à Carolo abductum tanquam bello captum, licèt gravibus censuris deprædatores civitatis persequentem, de proditione suspectum habuit. Quamobrem, ut ab Episcopali dignitate deponeretur, effecit. Sed huic depositioni viriliter obstitit Ioannes XV. Pontifex, ad quem eâ occasione scripsit Hugo epistolam à Puteano relatam: sed in ea illud vel maximè observandum est, quòd protestatur Rex, se Summi Pontificis, licèt de crimine læsæ Majestatis ageretur, judicium non declinare. Addit enim statim post verba *supra* relata: *Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis, & cognoscatis, Nos, & nostros vestra nolle declinare judicia,* ac re ipsâ in suam Sedem restitutus est Arnulphus.

141. Nihil frequentiùs videas inculcatum in actis à Puteano relatis, ac in alijs, quæ à Curijs sæcularibus Galliæ emanant, vel etiam in libris Scriptorum sæcularium illius Regni, quàm Regem, ejusque Officiales esse Protectores & vindices sacrorum Canonum; ab eis abusus circa Canonum violationem medijs appellationibus, quæ tanquam ab abusu dicuntur, emendari; eam esse veram libertatem

tem Ecclesiæ Gallicanæ, ut secundùm Canones ei vivere liceat; & alia his similia, quæ speciem præseferunt eximiam: sed cùm ad particularia capita descenditur, Canonibus violationem Canonum substitutam deprehendis, ut multis jam exemplis comprobavimus. Tale est, quod continetur *sub n. 24. hujus cap. 36.* circa quod versamur. Legibus enim tum Ecclesiasticis, tum civilibus vetitum est, ne Clericis in rebus, quas ex Ecclesia perceperunt, parentes, aut propinqui succedant, ut *alibi* ostendimus; & tamen hîc variis statutis consuetudinarijs probatur, propinquiores cognatos succedere beneficiarijs, etiam in fructibus à beneficijs provenientibus. Itaque Ecclesiæ libertas est, servandorum Canonum obligatione solvi: Ecclesiæ bona, resistentibus Canonibus, in familias sæculares transferri.

142. Quod de Regularium Ordinibus, Monasterijs, ac disciplina, circa *cap. 32. 33. & 34.* est dictum, ad Universitates, & Scholas publicas accomodandum est, quas negat Puteanus *cap. 37.* sinè authoritate, ac consensu Regis reformari, nedum constitui posse.

143. *Trigesimum octavum* caput inscribitur; *De exemptionibus Ecclesiarum, Capitulorum, Abbatiarum, & Monasteriorum à Prælatis legitimis, & ordinarijs*, sub quo titulo collocat nonnulla monumenta, ex quibus constat, olim Episcopos privilegia spiritualia, Reges verò temporalia Monasterijs concessisse, ut Monachi majori cum quiete Deo servirent, sed continet etiam aliqua Senatûs-consulta circa exemptiones Capitulorum ab Episcopali jurisdictione, quæ materia fori Ecclesiastici, non sæcularis est, ut per se patet. Hinc igitur nihil concludendum est, nisi Curias sæculares, postremis præsertim temporibus, causarum Ecclesiasticarum cognitionem usurpâsse; ut *supra* notavimus.

Axioma *decimum* Puteani ex ejusdem duobus postremis capitibus.

144. Hic Author *locis insinuatis* contendit pro authoritate Regia, tum in subsidijs à Clero exigendis, tum Summo Pontifici non nisi de consensu Regio præstandis.

Refutatio istorum axiomatum.

145. Author *sæpe cit. tract. lib. 10. cap. 12.* rem expendit in hunc modum. Æquum est, inquiens, ut subsidia & Regibus, & Summis Pontificibus à Clero Gallicano aliquando conferantur, de quo Puteanus *in duobus ultimis Capitibus.* Sed cùm Ecclesiæ bona sacra sint, iniquum est, ut in eis exigendis Summus Pontifex à consensu Regiorum Officialium pendeat, Rex autem, quæ sibi necessaria duxerit, non expectato Summi Pontificis consensu, exigat.

146. Profert quidem Puteanus *cap. 39. n. 10.* Bullam Bonifacij VIII. declarantis Regibus Franciæ licere, occurrente necessitate, à Clericis ipsis subditis, ad tuitionem Regni auxilium pecuniarium accipere, inconsulto etiam Romano Pontifice. Sed sufficit modò, huic constitutioni aliam in Corpore Juris clausam, & ab eodem Bonifacio editam opponere, scilicet *Clericis Laicos. De immunit Eccles. in 6.* quam suum robur aliquamdiu obtinuisse, constat ex eo, quòd Clemens V. ad instantiam ejusdem Regis, cujus favore ad Summum Pontificatum evectus fuerat, eam temperavit; ut patet *Clement. un. de immunit. Eccles.* ita tamen, ut decreta Concilij Lateranensis *tertij* sub Alexandro III. *cap. 19.* & Lateranensis *quarti* sub Innocentio III. *cap. 46.* observari voluerit; *Quæ*, inquit, *nos sub obtestatione Divini judicij præcipimus observari.* Glossa *super verbo Quoniam ex constitutione. Rex Franciæ*, inquit, *qui fuit causa passiva constitutionis, fuit activa causa revocationis*; atque adeò æquum est, ut Gallia revocationis conditionem impleat; præsertim cùm executionem Conciliorum generalium præcipiat.

En igitur Concilij Lateranensis IV. *cap. 46.* quod alterius Concilij etiam Lateranensis decretum commemorat. *Admonet Consules, ac Rectores Civitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos tallijs, & collectis, & exactionibus alijs aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit: Transgressores, & fautores eorum, excommunicationi præcipiens subjacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verùm si quando Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda: prædicti Laici humiliter & devotè recipiant cum actione gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum priùs consulant Pontificem, cujus interest, communibus utilitatibus providere.*

Huic autem conditioni, postulandæ Summi Pontificis licentiæ, paruerunt tum Reges subsequentes, ut testatur Henricus Spondanus ad annum 1336. & alijs in locis, tum ipsemet Philippus IV. ut scribit Odericus Raynaldus ad annum 1306. *n. 41.* Alia exempla ministrat ipsemet Puteanus *cap. 49.* præsertim *n. 2. & 5.* ut nemini dubium esse possit, quin Reges Christianissimi lege illâ teneantur.

Si verò Clerus non expectato Papæ consensu, Regibus subsidia conferre se posse arbitratus est, justas luit suæ libertatis pœnas: aut verius, quia oblitus libertates suas in observandis Conciliorum decretis se reposuisse, à præcepto Concilij Lateranensis IV. recessit, jugum sibi tum Decimarum, tum doni gratuiti imposuit, quod nescio, an unquam deponet. Commodum id quidem plerisque Deputatis, qui eâ ratione Principis gratiam promerentur, ex qua maxima aliquando beneficia consequuntur; sed reliquo Clero grave, cujus quidem donum est gratuitum, quia mercedem non sperat, sed nescio, an ita voluntarij.

Si quando Reges bellum, aut aliud negotium suscipiunt, quod religioni conducat, dubium non est, quin Ecclesia teneatur eis necessaria subsidia subministrare. Cùm enim, ut sæpe notavimus, bona Ecclesiæ, Dei bona sint, in quos possent convenientiùs sumptus impendi, quàm in perferendam Dei notitiam

ad barbaras, & infideles gentes, aut ad tuendam fidem, & religionem in terris Christianorum. Sic Philippo II. sic sancto Ludovico, aliisque Regibus Galliæ concessæ sunt decimæ, & alia adjumenta temporalia, ut Christianis infidelium tyrannide oppressis opem ferrent, aut hæreticos in proprio Regno comprimerent.

151. Sed numquid etiam ob temporalem Regni necessitatem possent hujusmodi subsidia ex bonis Ecclesiasticis colligi? Sanè securitas Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum cum incolumitate statûs politici conjuncta est, præsertim cùm ab hostibus infidelibus, aut hæreticis impetitur. Itaque tunc Ecclesia Regem ejus ope indigentem juvans, proprijs etiam rationibus consulit.

152. Verùm necessitatibus Regni, quibus opitulari tenetur Ecclesia, non intelliguntur, Regia magnificentia, Imperij merè læcularis propagatio, aliæve rationes omninò temporales. Patet enim, eum usum longè ab illo distare, cui destinatum est sacrum Ecclesiæ patrimonium; metuendumque esset, ne non tam juvaretur Rex, aut Regnum, quam concitaretur ira Divina, si quæ ad Divinum cultum, ad ministrorum Christi, & pauperum alimoniam deputata sunt, expensis profanis consumerentur.

153. Statuerat Rex Clotharius, tertiam reddituum Ecclesiasticorum sui Regni partem fisco addicere, consentientibus (non tamen omninò liberè) Episcopis, sancto Injurioso Episcopo Turonensi excepto, qui ab aliorum sententia discrepans, Regem ab eo consilio deterruit, eam objiciens rationem, fore, ut Deus Regnum Clothario auferret, si ipse bona Deo consecrata tolleret. Rem narrat his verbis Gregorius ejusdem Sedis Episcopus *hist. Franc. lib. 4 cap. 2. Denique Clotharius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent. Quod licèt inviti, cùm omnes Episcopi consensissent, atque, subscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus respuens, subscribere dedignatus est dicens; si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo alere debes, horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum munera, veniam precans, & hoc, quod fecerat, damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.*

154. Antistites in Concilio Meldensi congregati, Carolo Calvo constanter, sapienterque declarârunt, mala, quibus tunc Gallia premebatur, Ecclesiasticorum bonorum usurpationi esse adscribenda. Quocirca prudenter Baronius ad annum 860. *Francorum*, inquit, *tunc quidem enituit robur, cùm in Regibus cultus pietatis excelleret, elanguit, cùm defecit, & Ecclesiæ sunt prostitutæ Laicis, quorum redditibus non sunt illi roborati, vel vecti, sed enervati, penitusque depressi.* Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsis, Reverendissimi Patres in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus appositè remedia, sed recusavit ille (*Carolus Calvus*) ea omnia suscipere, unde justo Dei judicio factum est, ut, qui latas à sanctis Patribus leges subitè renuit, à Northmannis coactus sit, durissima suscipere jura; & qui Ecclesiarum bona Laicis tradebat, coactus sit, sua largiri Northmannis. Sed sicut nulla est secuta emendatio in Rege, ita nec quievit Northmannorum flagellum in manu Dei.

155. Philippus Augustus Rex Franciæ, cum Ottone Imperatore certamen initurus, militibus suis spem victoriæ suadebat hâc oratione, quæ refertur à Rigordo in historia de ejus gestis ad annum 1215. *Rex autem, antequam congrederetur, hâc brevi & humili oratione suos sui milites allocutus: in Deo tota spes & fiducia nostra est posita. Rex Otto & exercitus suus à D. Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici, & destructores rerum sanctæ Ecclesiæ, & pecunia, quâ eis stipendia ministrantur, de lacrymis pauperum, & rapinâ Ecclesiarum Dei, & Clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communione & pace sanctæ Ecclesiæ fruimur; & quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse defendimus libertates. Unde præsumere fiducialiter debemus de Dei misericordia, qui nobis, licèt peccatoribus, dabit de suis, & de nostris hostibus triumphare.* Divinum Numen sibi maximè propitium expertus est, reportatâ gloriosissimâ victoriâ. Plura leguntur in historijs, & in Orationibus à Clero Gallicano ad Reges habitis, ex quibus constat, Deum injustam bonorum suorum acceptationem, etiam facultatum legitimè partarum spoliatione ulcisci.

156. Quamobrem, ut ex decreto Concilij Lateranensis supracitato colligitur, principiò causa considerandæ est, ne, si perperam capiantur Ecclesiæ bona, non tam adjutorium Regi, quam pernicies conquiratur: deindè servandus est modus, id enim, quod ultra necessitatem exigitur, injustè usurpatur. Quæ ratio ubique, sed maximè tunc valet, cùm non Ecclesiæ, aut religionis, sed Regis, aut Regni res agitur. Tunc in primis ex fisco depromenda sunt, quæ potest suppeditare. Quippe cùm fiscus, ut, & Galli vocant, Domanium ideo Regibus reservatum sit, ut hinc fierent sumptus, quos aut justitiæ dispensatio, aut hostium propulsatio, aut alia negotia ad populi quietem conducentia requirunt; tum, si publica deficiant, recurrendum ad privata, & profana. Quoniam sicut ab initio debuit unusquisque pro sua facultate, ac Regni necessitate Principi conferre ea, quibus indigebat ad curandum bonum publicum: ita cùm prima non sufficiunt, tenentur eadem ratione nova superaddere. Sed si sit ea ostium potentia, & Civium egestas, ut Rex impar sit præstandis sumptibus, nisi Ecclesia opem ferat, tum denique Ecclesiastica bona in subsidium vocabuntur.

157. Quocirca mirum videtur, cur Galli, qui suas libertates tunc maximè sibi adhibendas censuerunt, cùm Summus Pontifex, aut, ut ipsi dicunt, Curia Romana subsidium aliquod postulabat, quod gravius videretur, id duram servitutem reputantes; ut habetur *hist.*

Univers. Paris. tom. 7. &c. tamen Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus accenseant jus, quod Regi tribuunt, hujusmodi subsidia exigendi ab Ecclesijs sui Regni, dum ijs opus habet, sed magis adhuc mirum, quòd Summum Pontificem asserant, nihil obtinere posse sinè consensu, ac licentiâ Regis, Regi autem Summi Pontificis consensum necessarium non esse? Puteanus *cap. 22. & 29.* Carolus Fevret *lib. 1. cap. 8. n. 6. & 7.* quasi minor adhibenda esset cautio, dum bona Deo consecrata in juvando Principe sæculari expenduntur, quàm dum à Christi Vicario in Ecclesiæ utilitatem sunt insumenda, aut in ea Rex plus haberet authoritatis, quàm Papa.

158. Non ea fuit olim, ut *supra* insinuavimus, Christianissimorum Principum, ac Cleri Gallicani sententia, quandoquidem Summi Pontificis assensu confirmari optabant dona, quæ Regibus conferebantur, etiam in Ecclesiæ utilitatem convertenda. Exstant tum in medio temporis, tum in alterius sæculi Conciliorum Oecumenicorum actis concessiones decimarum, ad præstandos belli Infidelibus inferendi sumptus, legi possunt acta Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. Concilij generalis Lugdunensis sub Innocentio IV. anno 1245. Concilij generalis Viennensis anno 1311. Vita Benedicti XII. Papæ. Concilium generale Lateranense sub Leone X. anno 1517. &c. Philippus IV. Romani Pontificis consensum tunc tantùm sibi non expectandum volebat, cùm eâ necessitate urgeretur, quæ Romam adeundi tempus non concederet.

159. Sed numquid sufficit Cleri Gallicani voluntas? Expedit certè tum Regis, tum Ecclesiasticorum virorum saluti, ut non sufficiat. Quàm enim verendum est, ne plurimi eorum, qui Comitijs generalibus Cleri interfunt, aut metu, aut spe ducantur ad elargiendos Ecclesiasticos reditus, quorum ipsi minimam partem pendentes, maximam ex alienis bonis liberaliter profusis usuram se consecuturos confidant. Quot enim sunt secundi ordinis Clerici, qui primum ambientes, eoque se non posse sinè Principis favore ascendere intelligentes, ejus captandæ benevolentiæ occasionem avidè arrepturi sunt? Quot ex utroque ordine, qui aut plura, aut pinguiora beneficia exoptant? Quot denique, qui Regi placendum, aut saltem non displicendum, etiam cum bonorum Ecclesiasticorum dispendio, arbitrantur, prætexentes temporalium jacturam Regiâ in spiritualibus protectione abundè compensandam? Cùm igitur consensus hujusmodi debeat Regi esse suspectus, etiam à Summo Pontifice confirmatus: quantò magis, exclusâ illâ confirmatione, præsertim cùm Clerici Dispensatores sint, non Domini.

160. Adhuc majus imminet periculum Ecclesiastici Ordinis viris (quorum esset ad sanctorum Antistitum exemplum Christianissimo Principi significare, quàm pernicioſum sit, Christi Patrimonium in usus non necessarios, & profanos convertere) si præpostera in Regem liberalitate conscientiam ejus temperent, si proprijs utilitatibus inhiantes, beneficiorum, quorum sunt Procuratores, substantiam prodigant: ijsque facultatem adimant restaurandorum, ornandorumque templorum, alendorum pauperum, aliorumque bonorum operum præstandorum.

Denique sicut, nisi justa causa subsit, nec Regis, nec Cleri conscientia tuta est in imponendis subsidijs: ita utrorumque salus periclitatur, nisi cessante causâ, removeatur ab Ecclesia onus. Quid enim juvat præcessisse optimum bonorum Ecclesiasticorum usum, si pravus, aut inutilis succedat?

In his, quæ suggessimus, fideliter custodiendis, vera consistit Ecclesiæ Libertas, in illis contemnendis gravis est sponsæ Christi servitus. Ejus quidem in præsentiarum delicis apparet fructus, sed maximum est periculum, quod qui non metuunt, aut de bonorum Ecclesiasticorum conditione, aut de Divina justitia rectè non sentiunt.

Metu illo se affici, pluries testati sunt religiosi Principes, præsertim Carolus Magnus in pluribus Capitularibus; *Novimus*, inquit *in Capitul. 8.* anno 803. relato in Capitularibus Benedicti Levitæ *lib. 7. cap. 132.* multa *Regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias exspoliaverunt, rèsque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerunt, Episcópisque, & Sacerdotibus, atque, quod majus est, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus defecerunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores exiterunt; sed turga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, Regnáque, & Regiones, & quod pejus est, Regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus, aut successoribus nostris exemplum dare volumus.*

In eodem *Capitulari* 8. refertur petitio populi ad prædictum Imperatorem, in qua declaratur, quâ intentione, & quâ formâ bona Ecclesijs offerrentur. Est autem forma hujusmodi; *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum (aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit) ad serviendum ex his Deo in sacrificijs, Missarúmque solemnijs, orationibus, luminarijs, pauperum, ac Clericorum alimonijs, & cæteris Divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Huic formulæ subjunguntur ista verba; *Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est.*

CONCLUSIO.

PRæadducta Puteani axiomata minimè cohærent cum fidei principijs, ex quibus noscitur subsistere authoritas Pontificia.

Ex-

165. Explicatur. Quemadmodùm Regia potestas nititur lumine naturali, *politicam* quandam, & *civilem* hominum societatem, & inter se coordinationem dictante, atque ad hujus rectum regimen exigente publicam authoritatem *politicam*, cujus proinde fines circumscribuntur sphærâ luminis naturalis, quâ *civilem* hominum in unum Corpus *politicum* coadunandorum gubernationem moderantis. Sic potestas Ecclesiastica innititur lumini fidei, quâ coadunantis homines in unam Christi Ecclesiam, cujus regimen ex Divina institutione commissum est ejusdem Capiti Oecumenico, legitimo Petri successori, ac Pontifici Romano, cujus adeò potestas mensuranda est ex spæra ejusdem fidei luminis, ac institutionis Divinæ. Sicuti igitur in *speculabilibus* inversus teneretur ordo, si lumen fidei subjiceretur lumini Naturæ; hinc enim omnes enatæ sunt hæreses, quòd lumen Naturæ non captivaretur in obsequium fidei luminis, sic *in practicis* & *moralibus* totus inverteretur ordo, si, quæ per fidei principia, & ex Christi institutione in ordine ad Ecclesiasticum regimen, finemque supernaturalem est instituta authoritas Oecumenica, sanciretur dependens ex Regia seu politica potestate in suis agibilibus *moralibus*. Cujusmodi profectò seu dependentiæ, seu Pontificiæ potestatis erga Regiam authoritatem subordinationis, ne dicam, subjectionis argumentum præseferunt præadducta Puteani axiomata; veluti sequentibus probationibus ostenditur.

PROBATIO I.

Refutatoria *primi* ex Puteano allati axiomatis.

166. Si vel Rex, vel Officiales Regij in officijs suis transgrediantur suos naturæ lumine circumscriptos limites, ac involent in jura Ecclesiastica, imò si intrà ipsorum etiam naturalis luminis agibilium *moralium* sphæram agant contra justitiam, atque adeò peccati mortalis reatum contrahant, num dicere fas esset, ipsos non comprehendi Christi mandato *Matth. 18.* prolato: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum &c.* & *si te*, unà cum testibus ad correctionem adhibitis, *non audierit, dic Ecclesiæ, &c.* Quàm ignominiosum esset, seu Regem, seu Officiales ipsius eliminare à consortio illorum, qui sub Christiani characteris insignibus audiunt esse in Christo confratres, tam indecorum foret, ipsos exclusos asseverare ab isto Christi mandato. Quid ergo? Ubi continget, seu Regem, seu Officiales ipsius à Summo Ecclesiæ Præsule, & Capite Oecumenico correptos non audire Ecclesiam. Num salvâ fide, dicere licebit, eos non comprehendi *indefinitâ* Christi censurâ per Ecclesiam denuntiandâ, in vi cujus habendi sint instar Ethnici & publicani? Quemadmodùm igitur nulla in terris authoritas potest hoc Christi mandatum immutare, aut invertere, sic à fide sancta alienum est, dicere, Regem ac Officiales Regios, dum sua exercent officia, non posse subjici excommunicationibus, nisi hoc effatum eatenus temperetur, quatenus ejusmodi Officiales minimè dicendi sunt exercere sua officia, quando extra horum limites exorbitant, vel involando in jura Ecclesiastica, vel contra ipsum etiam naturæ lumen, atque à fortiori adversùs supernaturale quoque fidei lumen peccando.

PROBATIO II.

Refutatoria *secundi* ex Puteano adducti axiomatis.

167. Quandóquidem censura Ecclesiæ, in vi cujus instar Ethnici, & publicani habendus decernitur, qui illam non audit, per Christum *Matthæi 18. cap.* ita sit circumvallata, ut quodcunque manus Apostolica *ligaverit in terris, sit etiam ligatum in cælis*, quomodò cum fidei principijs subsistere jam valet Puteani effatum, contendentis: *Regijs judicibus, atque Officialibus esse facultatem eximendi à censuris Ecclesiasticis*? Quo jure illa per Christum Ecclesiæ, ejusque supremo Præsuli collata solvendi potestas & authoritas præsumitur translata in Regios iudices? Quo jure horum manus protendi jam valebit ad solvendum in terris, quod ligatum est in cælis, nisi prætendant, hanc de solvendo, quod in cælis est ligatum, authoritatem ab ipsomet Christo sibi collatam esse?

PROBATIO III.

Quâ confutatur *tertium* Puteani axioma.

168. Cum Christus *Matthæi 16. cap.* eam, quam Petro pro perpetuo Ecclesiæ statu, atque adeò ipsius successori promiserat, *indefinitam* ligandi & solvendi authoritatem, à nulla in terris potestate dependentem esse constituerit, sed uti Divinitus collatam, voluerit talem in foro etiam cæli sortiri effectum, ut quidquid vel solutum, vel ligatum ab illa fuerit, in cœlis quoque habeatur ratum. Quomodò cum istis dilucidis fidei principijs cohærere jam possunt illa Puteani axiomata, ac si Summo Pontifici, etiam extra Concordata, fas non esset, causas aliquas evocare ad Romanæ Curiæ tribunal, vel etiam non possent absque Regis, seu Officialium ipsius assensu litteræ Apostolicæ demandari executioni? Quomodò etiam Rex sibi adsciscere potestatem convocandi Cœtus Ecclesiasticos, sub vero Concilij Ecclesiastici charactere, quem Christus suo in terris vicario nomini *Matthæi 18.* reservavit?

PROBATIO IV.

Refutatoria *quarti* Puteani axiomatis.

179. De superioritate Papæ erga Concilium fusè disseruimus *præced. art. 2.* atque adeò ostendimus *ibidem Disquis. 5.* nullatenus admittendas esse appellationes ad futurum Concilium. Quæ autem prætenditur libertas Conciliorum Generalium in Gallia publicationis

ac receptionis, utique non extenditur ad fidei dogmata. Quomodò enim dogma ejusmodi ex Concilij Oecumenici definitione positum super candelabrum convincentis prudentialis credibilitatis, atque hâc mediante applicatum ad Primam Veritatem revelantem, posset absque hujus gravissima injuria non recipi? Quomodò etiam Gallicanæ Ecclesiæ fas esset, suas oviculas celare, sicque adeò publicare fidei dogma ab Ecclesia sancitum, & ad credendum universis Christi fidelibus expositum? Quia porrò decreta quoque *moralia* à Concilio Oecumenico definita, in vi omnimodæ huic Divinitus promissæ infallibilitatis, in fide Divina radicatam, adeoque indubitatam honestatis moralitatem obtinent, quomodò salvâ fide fas esset, dicere, talia decreta quoad bonitatis *moralis* specificationem, esse necessaria universis Christianis, hominisque Christiano nomine insigniti libertati eatenus subjacere, ut ea non recipere, seu repudiare valeret? Etsi verò decretorum quoque Conciliarium *quoad exercitium* obligatio supponat eorundem ex jure sancitam publicationem, minimè verò receptionem arbitrariam; uti *in antecedentibus* fuit ostensum. Nihilominùs, quia noscuntur profluxisse ex Apostolica ligandi potestate in cœli etiam, adeoque *conscientiæ* foro obstringere potente, quomodò post illorum solemnem ab Ecclesiæ Capite demandatam promulgationem, in foro cæli, ac judicij Divini tuta jam stabit conscientia cujuscunque Christiani, ligamen illud conscientiæ ab ipso etiam Deo in cœlis ratum habitum repudiantis, seu non recipientis?

PROBATIO V.

Quâ refutantur Puteani axiomata *ex cap. 15. usque ad ejusdem cap. 22.* desumpta.

170. INterrogare lubeat Gallicanæ libertatis defensores, an Regiæ potestatis sphæra latiùs extendi valeat, ac ejusdem fuisset extensio in statu puræ naturæ? Ex elevatione statûs supernaturalis universæ equidem moralitates in homine superinduunt aliquam seu supernaturalem honestatis speciem, seu ab hac *moralem* deficientiam. Et Rex quidem cum suæ Regiæ potestatis exercitio *morali* universo per sui in regnum cælorum ordinabilitatem ex fidei principijs *primo articulo* deductis, noscitur subesse Oecumenici Pastoris Romani Pontificis, per Christum eidem collatæ *indefinitæ* ad ligandum & solvendum super quocunque in terris *morali* protensæ potestati, sicque adeò inversus, cum jure Divinitus sancito repugnans ordo esset, Regiam potestatem efferre supèr ea, quæ ad supernaturalis moralitatis lineam spectant, & quorum ratio in statu puræ naturæ nullatenus potuisset locum habere. At ejusmodi sunt universa illa, de quibus in *quinto* Puteani axiomate sermo est, quæ secundùm suæ moralitatis formalitatem sunt purè spiritualia, atque ad sphæram supernaturalitatis per Christum fundatæ pertinentia. Quæ enim alia est ratio beneficiorum (uti etiam Prælaturarum) Ecclesiasticorum, nisi quæ desumitur ex *intrinseca* ad Christi fideles in vitam æternam perducendos ordine? Quomodò igitur seu Regalia super beneficijs Ecclesiasticis non aliquo ex Papa derivato, sed Regio ex puræ etiam naturæ statu constituto jure prætensa, sive iuramentum fidelitatis ab Episcopis non ratione feudi, alteriúsve causæ politicæ, sed ab illis, quâ Episcopis, seu Ecclesiæ Rectoribus exigendum, seu residentia Episcoporum à Rege secundùm strictum mandatum præcipienda, seu licentia Prælatorum pro suo Oecumenico Pastore personaliter adeundo, sub hac præcisa formalitate à Rege impertienda, seu ipsæmet etiam beneficiorum collationes, remanente Summo Pontifice, per sæcularem potestatem concedendæ, seu pecuniariæ per Curiam Romanam ab Ecclesia Gallicana pro publica Ecclesiæ necessitate, non dici debeant causæ purè spirituales, *intrinsecum* moralitatis supernaturalis ordinem respicientes? Quomodò igitur Regia potestas, si ejusmodi causis se ingereret, dicenda non esset protendi ultra suam lumini naturali commensuratam, ac imperij sui efficaciâ supernaturalem ordinem minimè attingere potentem sphæram?

PROBATIO VI.

Refutatoria *sexti* Puteani axiomatis.

171. NUmquid Regiæ supremæ Majestatis gravissima reputaretur injuria & temeratio, si alter æque licèt supremus Princeps super Regijs mandatis illius Legato, vel Vice Legato commissis sibi arrogaret judicium ad eadem examinanda, facultatesque ijsdem concessas, suæ Regiæ licèt Majestatis sphæram nec quidquam lædentes taxandas? At ex fidei principijs *art. 1.* deductis patet, Oecumenicam Summi Pontificis potestatem protendi super quocunque in terris *Morali* ad regnum cælorum ordinabili, Regiæ adeò authoritatis exercitio, cùm tamen econtra politicæ potestatis sphæra, utpote luminis naturalis limitibus circumscripta, depressior sit, quàm ut ipsa per illâ Oecumenicâ per Christum constitutâ Summi Pontificis authoritate protendi valeat. Quantò igitur magis hujus Divinitus constitutæ in Summo Pontifice authoritatis debita reverentia violabitur, si à Rege Christiano prætendatur circa sanctæ Sedis Legatos, ac Vice Legatos potestas in examinandis eorum facultatibus & mandatis Apostolicis?

PROBATIO VII.

Quâ refutantur Puteani axiomata ex ejusdem *cap. 25. & 26.* desumpta.

172. QUandóquidem Indulgentiarum concessio sit actus clavium Ecclesiæ Oecumenico hujus Pastori Divinitus concessarum, quomodò Regia potestas ab sque harū vilipendio sein-

se ingeret in illis, ad impediendum, ne absque suâ, vel Parlamentorum licentiâ publicentur, néve alia hisce accessoria, quà Regis, seu Regni præjudicium minimè inferentia peragantur? Numquid porrò in causis beneficialibus possessorium quoque est quid spirituale, *specificè* respiciens ordinem supernaturalis moralitatis? Numquid Confraternitates, etiam in merâ suffragiorum spiritualium societate & communicatione consistentes, ut sic putam præferunt spiritualitatem? Quo igitur jure potestas *politica* protenditur tum super hujusmodi confraternitatibus purè spiritualibus, tum super causarum beneficialium possessorio, ut sic merè spirituali?

PROBATIO VIII.

Quâ confutantur Puteani axiomata desumpta ex ejusdem *cap. 27. usque ad 31.*

173. QUæ *locis præadductis* à Puteano tradita sunt politica axiomata, ea diserté pugnant cum immunitate Ecclesiasticâ, personas in Clericali statu constitutas contingente, clarè sancitâ in Jure *Canonico*, & receptâ in Jure *civili* inprimis *in Cap. At si Clerici. Cap. Clerici. Cap. Cùm non ab homine. Cap Qualiter. De judicys. Cap. Diligenter. Cap. Significasti. De foro competente*, ac exinde in Authentica *Statuimus. De Episcopis & Clericis.* Quam equidem Clericalis statûs, atque personarum Deo dicatarum à laica potestate immunitatem plures Doctores per sacrorum Canonum, & Conciliorum authoritates firmant, esse *Iuris Divini*. Nam *in Cap. Continua. 11. q. 1.* & *Cap. Futurum. 12. q. 1.* Imperator Constantinus quorumdam Clericorum querelis respondens: *Vos*, ait, *à nemine judicari potestis, sed judicio DEI reservamini.* Et *in Cap. Quamquàm. De censibus.* decernitur: *Cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm Iure humano, quinimò & Divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes: constitutionem &c.* Consonat Concilium Lateranense sub Leone X. *Sess. 9. in Bulla reformationis Curiæ*, ubi habetur, à jure tam *Divino*, quàm *humano* Laicis nullam in Ecclesiasticas personas attributam authoritatem. Concilium denique Tridentinum *Sess. 25. de Reformat. cap. 20.* decernit: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus esse constitutam.*

174. Nihilominùs mitiori viâ incedentibus nobis statuendum videtur, excepto unico Summo Pontifice, exemptionem à laica potestate solùm *fundamentaliter* esse *Iuris Divini*, *formaliter* autem *Iuris Ecclesiastici*. Cujus in promptu est sequens probatio. Etenim pro Summi Pontificis à vectigalibus Regijs exemptione videtur apertè stare præadductus sacer textus *ex Matth. 17.* desumptus. Eo ipso autem, quòd istius exemptionis prærogativa noscatur ad solum Petrum fuisse directa, videtur hinc consequens, ipsam esse radicatam super supremâ Ecclesiæ gubernativa authoritate, eidem Petro præordinatâ. At cum ejusmodi supremâ Ecclesiæ gubernativâ authoritate non posset stare Summi Pontificis erga laicam potestatem in quibuscumque tam *civilibus*, quàm *criminalibus* subjectio, quandoquidem in vi illius supremæ potestatis, Pontifex semper posset ex plenitudine suæ authoritatis irritare, & annullare, quidquid contra suam Christi vicariâ authoritate præpollentem personam, indigniùs ageretur; nec adeò possibilis erat ulla erga Pontificem potestas, prævalens ad ipsum obligandum ad quæpiam contra ipsius voluntatem demandanda executioni.

Verùm secùs res se habet in reliquo Ec- 175.
clesiæ subordinato Clero. Quamvis enim hujus ad Divinum cultum (per characterem etiam, in Domini sortem segregantem, sicque à laicis discernentem, Ordine minore quoque initiatis *realiter* impressum) Divinitus facta deputatio exigat pro tali statu aliud à Clericali diversum regimen, hinc tamen minimè evincitur, hoc speciale à regimine politico universum regimen debere de Iure *Divino* ultra causas spirituales extendi, quamquàm præseferat magnam congruentiæ rationem, atque adeò fundamentum, ut ab ipsa Christi vicariâ authoritate stabiliatur talis regiminis, personarumque Ecclesiasticarum segregatio, & exemptio à laicali potestate, atque regimine. Quare dicendũ omninò est, talem exemptionem in Clero esse *formaliter* Iuris duntaxat *Pontificij*, *fundamentaliter* autem, & *radicaliter* esse Iuris *Divini*, Clerum in Domini sortem segregantis, & à laicis discernentis. Atque sub hac distinctione expediendæ sunt authoritates ex sacris Canonibus, & Concilijs *superiùs* adductæ.

PROBATIO IX.

Refutatoria axiomatum Puteani *à Capite 32. usque ad cap. 38.*

CUjusmodi immunitatis Ecclesiasticæ cir- 176.
ca personas sacras violatio tantò evidentior est, quantò apertiùs versatur in causis spiritualibus, fidem, Sacramenta, ac cultum Divinum, animarumque salutem concernentibus, in quibus Clericos *Iure Divino* exemptos esse à laica potestate, evincitur ex sequenti fundamento. Quemadmodùm enim causarum spiritualium natura unicè originatur ex Christi constitutione, sic eorundem judicium potest unicè stare penes illos, quibus vel *immediatè*, vel *mediatè* est commissum à Christo Domino. At soli Petro, in ordine ad Ecclesiæ à portis inferi nunquam superandæ perpetuitatem, adeoque illius etiam successoribus commissa est gubernatio Ecclesiæ, atque adeò causarum illarum judicium, Domino *Matth. 16.* dicente uni Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et posteà *Ioannis 20. Pasce oves meas.* Tales igitur spirituales ad Ecclesiæ substantialem gubernationem spectantes causæ, ex *immediatâ* Christi institutione ita subsunt Apostolicæ Petri

successorum authoritati, ut ex hac quoad partem pro regiminis Ecclesiastici exigentiâ moderandam, derivetur potestas aliqua in inferiores Ecclesiæ Prælatos, Regibus ac Principibus sæcularibus ab ejusmodi Ecclesiasticarum causarum judicariâ potestate, penitus ipso etiam Iure *Divino* remotis.

177. Et hinc extra crimina à Iure excepta, nefas est, Iudicem sæcularem extendere manum adversùs Clericos, quantumvis criminosos, dum præsertim agitur de causis spiritualibus; prout habetur decisum in Canonibus *superiùs* allegatis, nec non *in Cap. un. De Clericis conjugatis. in. 6.* Imò ne in exceptis quidem enormibus criminibus, Iudici sæculari competit adversùs Clericum jurisdictio, nisi priùs à Iudice Ecclesiastico fuerit ipsi remissus. *Ex Cap. Cùm non ab homine.* & *Cap. Cùm Clerici. De judiciis.*

178. Nec porrò, attento Iure communi, Clericus fori privilegio fruens, tradi potest Judici sæculari ob quodvis etiam gravissimum scelus, nisi fuerit incorrigibilis; juxta *præcitatum Cap. Cùm non ab homine*: quamquàm ex recepta consuetudine (si delictum nimis atrox sit, & scandalosum, atque à viris prudentibus & pijs censeatur conveniens, ut talis criminosus deleatur de albo Cleri Ecclesiastici) quandoque contingat, non expectatâ incorrigibilitate, degradari, Iudicique sæculari ad extremum supplicium tradi adeò scelestum Clericum, eò quòd privilegium in favorem & honorem statûs Clericalis concessum, non debeat vergere in hujus dedecus; uti præter alios observat Covarruvias *lib. 2. variar. q. cap. 12. n. 7.*

179. Notandus tamen specialiter hîc venit Canon 1. *de homicidio*, ubi in hæc verba decidit: *Sacri approbatione Concilij* (Lugdunensis scilicet sub Innocentio IV.) *statuimus, ut, quicunque Princeps, Prælatus, seu alia quævis Ecclesiastica persona, quempiam Christianorum per assasinos* (ad hoc scilicet conductos) *interfici fecerit, vel etiam mandaverit* (quamquàm mors ex hoc forsitan non sequatur) *aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, & beneficio incurrat sententias, & illa liberè alijs, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus, tanquam Christianæ religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus. Et postquàm probabilibus argumentis constiterit, aliquem tam execrabile scelus commisisse, nullatenus alia excommunicationis, depositionis seu diffidationis adversùs eum sententia requiratur.* Ex quo manifestum redditur, crimen assasinij, utpote diffidationem à populo incurrens, ipso jure tribuere Judici sæculari jurisdictionem in Clericum, tali crimini obnoxium, ut contra ipsum procedere possit: requiri tamen sententiam Iuridicè declaratoriam talis sceleris, quousque fas sit Iudici sæculari, adversùs talem scleratum Clericum procedere. Quæ sententia declaratoria non ab alio, quàm à Iudice Ecclesiastico fieri potest, cùm ante talem declarationem adhuc stet possessio pro immunitate Clericali.

Habetur insuper *in Cap. Filij. 16. q. 7.* quòd negligentibus Prælatis Ecclesiasticis ad providendum rebus Ecclesiæ, fas sit, implorare auxilium Regis, non tamen quà Judicis, sed quà Ecclesiarum protectoris & defensoris. Unde fixum esse debet, quòd in causis Ecclesiarum & Clericorum laica potestas nihil possit *per se*, & propriâ authoritate. At ex consensu Ecclesiæ vel *expresso*, vel tacito licet Judici sæculari quandoque se ingerere in causas Clericorum. Sic enim de mandato Ecclesiastici superioris, Magistratus sæcularis *licitè* capit Clericum, cùm ejusmodi ex authoritate Ecclesiasticâ *primariò* procedens captio, haud censenda sit sæcularis, sed Ecclesiastica. *Ex Cap. Cùm non ab homine. De judiciis.*

Insuper si Clerici delictum sit notorium, ac is de fuga suspectus sit, atque Prælatus Ecclesiasticus non possit consuli, tunc ad effectum præsentandi delinquentem suo Prælato Ecclesiastico, ex hujus voluntate rationabiliter præsumptâ, *licitè* fiet à laica potestate illius Clerici captura, & incarceratio, ea tamen, ut quamprimùm fieri potest, remittatur legitimo ipsius Superiori, ac Judici Ecclesiastico; uti plures tenent Doctores, adjiciendo, posse à laico seu Judice, seu etiam creditore, Clericum capi etiam pro solutione debiti *Civilis*, dum est de fuga suspectus, nec tam citò recipi potuit à Prælato Ecclesiastico mandatum de eo capiendo: at quamprimùm fieri potest, remittendus est, eò quòd in tali casu captura & retentio Clerici non tam sit actus Jurisdictionis, quàm defensionis propriæ; veluti alijs relatis, censet Covarruvias *lib. 2. variar. quæst. cap. 1. num. 9. §. Cæterùm.* adjiciens, alioquin Clericum ob debitum civile ne quidem ab Ecclesiastico Judice capi, & incarcerari posse, *Ex cap. Odoardus. De solution. & Cap. 2. De fidejussorib.* Quare illa de Clerico ob debiti *Civilis* solutionem capiendo, licentia cautè usurpanda est, ne transgrediatur limites quasi defensionis necessariæ.

Ex tali quasi defensionis alienæ jure potest Magistratus sæcularis, vel homo etiam privatus, servatis tamen conditionibus aliàs expressis, capere Clericum, quando aliâ viâ impediri non potest delictum committendum erga tertiam personam; uti docent plures Theologi animadvertentes, ex communi illo jure, quo secundùm legem *Raptores. Cod. Episcopis & Clericis.* cuilibet data est potestas, capiendi deprehensum in flagranti crimine, licere etiam laico seu Judici, seu privato homini, capere Clericum in flagranti scelere repertum: eò quòd talis captura non sit Jurisdictionis, sed defensionis, siquidem intersit tam Reipublicæ, quàm honoris Divini, ut etiam per vim à peccato abripiatur Clericus taliter delinquens. Ultra cujusmodi tamen à peccato flagrante violenter arcendi, vel abstrahendi metam progredi, laico nefas esset, sed ulteriorem processum, oportet, Judici Ecclesiastico remittere.

PRO-

PROBATIO X.

Refutatoria axiomatum Puteani postremis duobus capitibus ab ipso traditorum.

183. Hic specialiter vindicanda occurrit status Clericalis, Bonorumque Ecclesiasticorum à tributis Regalibus immunitas, circa quæ tenendum est, non Ecclesiarum duntaxat, sed etiam Clericorum Bona exempta esse à tributis Regalibus. *Nam in Cap. Non minùs. De immunitate Ecclesiast. Cap. Adversùs. & Cap. Clerici. eod. tit.* subijciuntur excommunicationi Consules ac Rectores Civitatum, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticos viros tallijs, collectis, & exactionibus alijs aggravare nituntur. Cui conformiter *in Cap. Clerici. De immunit. Eccles. in 6. & Clement. ult. De censibus.* præcipitur: *Ne à personis Ecclesiasticis, aut pro suis rebus proprijs tributa exigantur.* Quæ universalitas verborum non complectitur duntaxat Clericorum, spirituali, v. g. decimarum, seu beneficialium redituum titulo quæsita, sed bona etiam acquisita ex hæreditatis, alióve temporali titulo; siquidem talia personarum Ecclesiasticarum bona non possent esse subjecta tributis Regijs, quin hæc ex authoritate Regiâ exigenda essent ab eorundem possessoribus Clericis. In quantum igitur isti sunt exempti à jurisdictione sæculari, in tantum, oportet, ipsorum quoque bona esse sic exempta.

184. Et hinc reprobanda est quorundam Juris Civilis Interpretum sententia, qui ex lege *Ad institutiones. Cod. De sacrosanctis Ecclesijs.* & alijs legibus contendunt, obstringi Clericos ad tributa imposita pro constructione pontium, & itinerum. Quibus tamen legibus apertè resistunt, earumque adeò vim tollunt præcitati Canones *Cap. Non minùs.* & *Cap. Adversùs, De immunit. Ecclesiast.* ubi prohibetur, *imponi tributum Clericis pro ijs communibus necessitatibus, inconsulto Romano Pontifice, vel, si hic adiri non possit, absque consensu Episcopi & Cleri* (Capituli saltem Cathedralis) *tantam necessitatem, & utilitatem aspicientis, ut absque ulla exactione ad reparandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.*

185. Hæc proinde, & alia immunitatis Ecclesiasticæ Jura, ut Reges, Principes, & Magistratus sæculares curent, illibata servari, gravissimis verbis eos hortatur sacra Tridentina Synodus *Sess. 25. de Reformat. cap. 20.* Nec porrò illa Clericorum exemptio est solummodò à tributis, seu oneribus *realibus*, sed etiam muneribus & obsequijs *personalibus*. Hæc enim sunt in triplici differentia. *Alia* namque sunt sordida, ac dedecentia statum Clericalem; veluti fossio arenæ, atque ab his non Clerici duntaxat, sed eorum quoque domestici eximuntur tum per SS. Canones *in Cap. Generaliter. Cap. Iuxta sanctionem. Cap. placet. 16. q. 1.* Tum per Leges etiam Imperatorias *in leg. 10.* & alijs. *Cod. De Episcopis & Clericis. Alia* deinde munera Communitatis sunt honorifica; veluti Rectoratus civitatis. *Alia* denique indifferentia sunt; veluti officium tutoris & curatoris. A cujusmodi proinde civium officijs eximi etiam Clericos, colligitur *ex Cap. Generaliter. 16. q. 1. & toto titulo, De immunit. Ecclesiast.* Nec non *ex titulo, Ne Clerici, vel Monachi.* uti etiam *ex Legibus 1. 2. 9. 10. & 11. Cod. De Episcopis & Clericis.* Quæ tamen aliqualem suscipiunt moderationem ex dicendis in subsequente corollario.

§. III.

Corollarium finale præsentis disquisitionis.

ILLATIO I.

186. EXplicatur; *Quomodò personæ Ecclesiasticæ ex justitia* Legali *obstringantur Communitati quoque politicæ, intrà quam vivunt?* Cùm enim Clerici sint Reipublicæ Civilis membra, seu Cives; uti latè discutit Felinus *in Cap. Ecclesia. n. 69. De Constitut.* ipsi namque indigent etiam Communitate Civili & Politica ad vitæ temporalis conservationem, uniunturque adeò in hunc finem cum Laicis in uno corpore Politico, seu in unâ Civitate. Ideo personas quoque Ecclesiasticas jure naturali, ex vi Justitiæ Legalis oportet, ea pro Communi Civitatis Bono præstare, quæ hujus publicæ necessitati convenientia sunt. Cui tamen doctrinæ videtur obstare exemptio ac immunitas Ecclesiastica, per quam non tantùm personæ Clericorum eximuntur à potestate Civili quoad judicia, seu tribunalia causarum tùm Ecclesiasticarum, tum etiam temporalium, Civilium, atque Criminalium *Ex Cap. Si diligenti. Cap. Significásti. De foro compet.* & Concil. Trid. *Sess. 25. c. 20. De reform.* Sed insuper bona ipsorum exempta sunt à temporalibus tributis ac oneribus, *Ex cap. Non minùs. Cap. Adversùs. De immun. Eccles. Cap. Noverit. De sent. excom. & Cap. Quanquam. De Censibus.* Ad ista tamen, in speciem adversantia, inter se concilianda, duas hîc quæstiones elucidabimus; alteram in præsenti decidendam; *Quomodò scilicet Clerici obligentur legibus Civilibus?* Alteram sequenti Illatione discutiendam; *In quibus nimirum casibus Ecclesiastici tributa solvere possint, ac debeant.*

187. Circa priorem igitur difficultatem *primò* certum est, Ecclesiasticos non ligari civibus legibus, quæ immunitati ipsorum sunt contrariæ. Nam hujusmodi sunt injustæ, sive *directè* ac *expressè* disponant de materiâ spirituali, vel Ecclesiastica; sive solùm *indirectè* violent libertatem Ecclesiarum, taliter circa materiam Civilem disponendo, ut inde redundet aliquid contrà jura Ordinis Ecclesiastici, vel contra privilegia huic à Deo, Pontifice, seu Imperatoribus concessa. Hinc Magistratus, seu Princeps sæcularis in ferendis talibus legibus, gravissimè peccat peccato tum sacri-

legij, virtuti Religionis adversantis, tum injustitiæ, seu *usurpatæ Iurisdictionis*: adeoque non tantùm à Iure Canonico, sed à Iure quoque Civili reprobantur tanquam iniquæ leges hujusmodi. *Cap. Ecclesia. Cap. Quæ in Ecclesiarum. De constitut. Cap. Noverit. De sent. Excommunic. & in plurib. leg. Cod. De Sacrosanct. Eccles.*

188. 2. Asserendum, *Clericos quoad vim Directivam* in conscientiâ teneri legibus Civilibus justis ac necessarijs, quæ pro totâ Communitate populi latæ, materiam Clericis, alijsque Civibus communem respiciunt, & absque indecentiâ, & iniquo Clericorum gravamine ab his servari possunt. Sotus *lib. 1. de Iust. q. 6. a. 7. in princ.* Bellarm *lib. 1. de Clericis. c. 28.* Panormit. *in Cap. Ecclesia n. 13. De constit.* Nam ejusmodi leges per sacros Canones approbantur, & quasi canonizantur in ordine ad Clericos; juxta *Cap. Innotuit. De arbitris. Cap. Lege. Cap. Si in adiutorium. Cap. De Capitulis. dist. 10. & Cap. Cùm ad verum. dist. 96.* Ubi & alijs in locis ait Papa, se curare, ut Imperatoris leges serventur, item Pontifices ipsos pro cursu temporalium rerum temporalibus seu Civilibus uti legibus, quæ proinde à Clericis servand sunt in his, quæ nec sunt contra Canones, nec Clericis præjudicant. Ex quâ sacrorum Canonum provisione infertur, personas Ecclesiasticas obligari legibus Civilibus, non quâ Civiles ac Imperatoriæ sunt, sed ratione sacrorum Canonum, eas pro Clericis approbantium, & ratione juris naturalis, vi cujus Clerici tanquam cives in materia merè Civili, suo tamen statui conveniente, obligantur habere uniformitatem cum cæteris concivibus. Ex quâ ratione, si lex Civilis taxaverit rei cujusdam v. g. tritici pretium, obligantur Clerici ex justitiâ ad non vendendum cariùs: similiter si Magistratus sæcularis contractui alicui Civili, seu confectioni Testamenti præscripsit certam solennitatem substantialem, hâc omissâ, Clericorum quoque contractus seu Testamenta, exceptis tamen pijs legatis, sunt nulla & irrita.

189. Asserendum 3. Leges Civiles non posse unquam Clericos obligare *quoad vim coactivam*: sunt enim extra jurisdictionem Magistratûs sæcularis, gaudentque immunitate Fori, nec adeò ab illo cogi possunt ad suarum legum observationem, vel ob harum transgressiones puniri: ne tamen delicta in ipsis maneant impunita, Prælatis Ecclesiasticis incumbit, pœnam sumere de Clericis temerè violantibus leges Civiles, quamvis non oporteat, imponi pœnam hisce legibus designatam, sed aliam arbitrio Judicis Ecclesiastici taxandam. Covarru. *lib. pract. quæst. c. 33. in fine.* Salcedo *in Pract. Crim. cap. 66.*

ILLATIO II.

190. EXponitur; *In quantum exemptio Clericorum à collectis sæcularis potestatis habeat locum?*

Inprimis namque certum est, omnes Ecclesias & Ecclesiasticas personas à debito solvendi tributa, exemptas esse, quoad bona non tantùm Ecclesiastica, sed etiam patrimonialia. *Ex Cap. 1. De immunit. Eccles. in 6. Clement. Præsenti. De Censibus. Auth. Item nulla communitas. Cod. De Episcopis & Clericis. Leg. Sancimus. Cod. De Sacrosanctis Eccles.* Quam à solutione gabellarum immunitatem esse juris non tantùm humani Canonici, atque Civilis, sed insuper Divini, constat ex verbis Concil. Trident. *Sess. 25. De Ref. c. 20.* decernentis: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse.*

Dicendum 2. In casu aliquo extraordinario posse ac debere Clericos solvere gabellas, quando scilicet causa contribuendi *immediatè* ac *directè* in particulari æquè tangit Ecclesiasticos, atque Laicos, dum v. g. prædonibus agrum, in quo Ecclesia possessiones habet, devastantibus, pro his expellendis tributum imponitur; quo casu, licèt aliqui existiment, Clericos non debere contribuere, nisi Laicorum bona non sufficiant, atque Summi Pontificis obtineatur consensus: attamen oppolita sententia à Doctoribus communiter tradita est simpliciter tenenda; quia causa contribuendi tunc concernit non tam publicam, quàm singulorum Civium & Clericorum privatam utilitatem. Atqui Caput. *Adversùs. De immun. Eccles.* exigens, ut pro tributis per Clericos solvendis consulatur Summus Pontifex, tantùm loquitur de gabellis publicam utilitatem concernentibus. Ergo æquitati consonum est, ut Papæ consensu non obtento, propriæ utilitatis, ac necessitatis causâ, in illo casu Clerici contribuant.

Dicendum 3. Si causa contribuendi sit utilitas publica, *per se* ac *directè* tendens in Bonum Communitatis, ac solùm *remotè* ac *consequenter* cedens in Clericorum commodum, veluti refectio murorum & pontium Civitatis, seu custodia urbis, tunc personas Ecclesiasticas non posse ac debere solvere tributa, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existerent conferenda. *Ex clari verbis Capit. Non minùs. De Immunit. Eccles.* Etsi verò ad istam tributi concessionem olim Episcopi & Clerici ex Cathedrali, alijsque urbis Capitulis atque Vicarijs Forensibus consensus sufficeret. Nihilominùs ex Iure noviori *Capit. Adversùs. eod. tit.* requiritur etiam consensus Summi Pontificis ob aliquorum imprudentiam hoc sibi reservantis: circa quod aliqui Doctores adeò sunt rigorosi, ut dicant, Cleri ac Episcopi in illas contributiones consensum esse *invalidum*, inconsulto Romano Pontifice: alij tamen, probabilius putant, esse *validum*, sed *illicitum*, nisi forte ob urgen-

urgentem necessitatem non possit adiri Papa, vel dispositio *dicti capit. Adversùs.* quoad licentiam à Summo Pontifice in illo casu petendam, alicubi sit legitimè abrogata.

193. Dicendum 4. Si causa contribuendi sit publica totius Regni utilitas, quæ *remotissimè* solùm cedat in commodum Clericorum, tunc gravissimâ urgente, v. g. bellorum necessitate, atque bonis Laicorum ad remedium adhibendum non sufficientibus, tenentur etiam Clerici, Papæ tamen, & Cleri Diœcesani consensu priùs obtento, contribuere ad hujusmodi necessitates. Probatur *ex leg. Nullus. Cod. De cursu publico.* ubi disponitur: nullum debere habere immunitatem tempore expeditionis, licèt sit domus Regia, aut Sacrosancta Ecclesia. Quæ lex non tantùm non corrigitur, sed servatis conditionibus suprà positis, adjuvatur & approbatur *à Cap. Non minùs. & Cap. Adversùs. De Immunit. Eccles.*

DISQUISITIO XII.

In quo censu habenda sit Gallicana libertas prætensa adversùs jura Ecclesiastica?

§. I.

1. HUjus disquisitionis judicium haud difficulter ferri potest *ex antecedentibus*, cujus tamen accuratior discussio consultò videtur facienda ex occasione librorum, quos Petrus de Marca scripsit tum *de concord. Sacerd. & Imper* tum *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Cùm enim ex voluminibus à Petro Puteano editis, *superiúsque* examinatis non Roma duntaxat, sed Gallia quoque fuisset vehementer commota, jussus fuit præinsinuatus de Marca doctrinam ijs libris contentam eatenus temperare, ut schismatis equidem removeret suspicionem, sed libertates Ecclesiæ Gallicanæ integras, ac illæsas servaret. De hoc igitur temperamento dispiciendum hîc est; *An prætensa Gallicana libertas cohæreat cum Iudicibus Ecclesiasticis, & in quo propterea censu habenda sit?*

§. II.

Summarium ex Petri de Marca axiomatibus circa Regis Franciæ erga causas Ecclesiasticas prætensa jura collectum, unà cum earundem refutatione, conclusioneque super ijs reflexivâ.

2. AUthor *tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 11. cap. 2.* axiomatibus Gallicanis ex Petro de Marca petitis peraccommodè præmittit sequentè animadversionem. Quod Christus, inquit, tanquam officium, & debitum Principibus erga Ecclesiam imposuit, hoc politici tanquam jus & authoritatem in ipsam interpretantur, & quos ille sponsæ suæ constituit custodes, protectores, & defensores, ipsi arbitros, duces, ac dominos efficiunt, quam ut matrem colere, audire, ac sequi Christiani omnes tenentur, ei ut ancillæ præcipere, ac leges ponere suadent. Quid enim aliud est Principibus tradere facultatem, non solùm Ecclesiam ad Concilia convocandi, sed etiam Concilijs tractanda proponendi, ita ut de alijs deliberare non liceat: ordinem ac modum præscribendi, à quo si recedatur, inane sit, quidquid fiat: decreta Conciliorum confirmandi, sinè qua confirmatione robore careant: judicata suspendendi, donec novo judicio, aut novo examine probata fuerint: Concilia, ex quibuslibet Episcopis constando, jurisdictionem aliunde non habentibus conferendi: causam unius Provinciæ, alterius Provinciæ Episcopis definiendam committendi: aliaque similia præstandi. Hæc sunt ex Petro de Marca Imperatorum Romanorum in Ecclesiam jura. Præsenserat, illa omnia, si crudè dicerentur, horrorem Christianis animis incussura. Quamobrem *cap. 1. in fine n. 1.* commotioni occurrere festinat his verbis, jam *supra* indicatis; *Quæcunque apud veteres Principes in causis olim viguerunt, locum apud nos habere non possunt.* Quid ni etiam apud vos? An quia hæc olim à Principibus usurpata sunt, contra Ecclesiæ libertatem, & jura, per vim, ac sinè legitima facultate? Nequaquam. Sed quia inquit, *immutata aliquantisper disciplina antiquum illum ordinem nullo pacto admittere potest.* Itaque si rursus immutetur aliquantisper disciplina, quæcunque apud veteres Principes olim viguerunt, locum apud Gallos habere poterunt; quoniam, ut ait Marca *cap. 5. initio. Quemadmodùm Imperij Romani mole in varias partes dissectâ, Galliarum Provinciæ in victoriæ præmium Francorum Regibus, Divini Numinis auspicijs, cesserunt, ita etiam imperij jura plenè, & integrè cum illis communicata sunt.*

Ex ijs pleraque adeò manifestâ cum ratio- 3.
nis, ac fidei regulis pugnant, ut proposuisse, confutâsse sit. Et sanè ipsum etiam authorem illorum puduisset, nisi pro suo more interjectis aliquibus verbis emollijsset. Ne quis autem arbitretur, ea in usum evocari posse, expendenda sunt exempla, quæ profert; raro enim aliud genus probationum adducit, aut adducere potest. Pro causis tam malis militare nequeunt rationes, quarum falsitatem, aut debilitatem detegere in promptu non sit.

Axioma *primum* Petri de Marca.

HIc Author *locis in progressu citandis* prætendit, Regibus esse speciale jus erga convocationem Conciliorum etiam Oecumenicorum, ac præsentiam, præsidentiamque in illis.

Responsio.

AUthor *dicti tract. lib. cit. cap. 2. à n. 5.* ita 4.
respondet. Licèt consensus Principum ad congreganda Concilia de facto necessarius sit, ac possint ipsi etiam de jure illorum convocationem impedire, cùm justis de causis metuunt, aliquid contra sua, vel Regni jura moliendum, ut tempore Ludovici Pij, & alias, quàm.

quamvis rarissimè, contigit : tamen convocandi Concilij jus omne penes Principes reponere, injustum, & Ecclesiæ pernicios issimum est. Hinc enim Principes colligerent, licere sibi pro libitu ea vel permittere, vel vetare, ex quo maxima damna pateretur Ecclesia, quippe quorum remedia vix nisi à Concilijs sperari possint. Hoc demonstrat ipsiusmet Galliæ exemplum, in qua jam dudum nulla habita sunt Concilia Ecclesiastica, etiamsi desierint causæ suspicionum, quæ Reges à permittenda Synodorum congregatione deterrebant; unde fit, ut, quæ in Concilijs Provincialibus determinari solebant, ad tribunalia sæcularia perferantur, in detrimentum jurisdictionis, & libertatis Ecclesiæ.

6. Habita sunt in Imperatorum, & Regum palatijs nonnulla Concilia, ut Nicænum I. in aula Palatij Constantini, quemadmodùm tradit Eusebius *lib. 3. vitæ Constantini cap. 12. Sextum* pariter sub Constantini Pogonati imperio in ea Regiæ parte, quæ Trullus dicebatur. In Gallia non solùm Reges voluerunt; sed & Præsules aliquando postulârunt congregari in Palatio Concilia, adeò certi erant, integram sibi, plenamque fore suffragiorum libertatem. Sed absurdum esset, inde concludere, omnia in palatijs congreganda esse, quasi aptior tractandis rebus Divinis locus Principis, quàm ipsius Dei Basilica. Concilium Constantinopolitanum I. celebratum est in sacra Æde sanctorum Martyrum Pantaleonis & Marini: Ephesinum in Æde B. Mariæ: Chalcedonense in templo S. Euphemiæ: Nicænum *secundum* in Basilica Metropolitana illius urbis: Constantinopolitanum IV. in Ecclesia S. Sophiæ, & alia ferè omnia, præsertim generalia, in alijs Ecclesijs. Certè quæ ratio Aulicis hominibus suasit, penes Principem esse, si libuerit, locum Concilijs assignare Palatium (puta, ut Principes commodiùs interessent, ac suâ præsentiâ Episcopos continerent, moverent, & inflecterent) eadem suadet, non esse jus illud tribuendum Regibus. Nihil enim est tam necessarium cuilibet congregationi, maximè verò Ecclesiasticæ, quàm libertas, quæ plurimùm authoritate sæculari debilitatur; imò etiam Aulicorum propris cupiditatibus impulsorum, artibus, ac potentiâ sæpe omninò tollitur.

7. Prodest quidem præsentia Principis optimè rerum Ecclesiasticarum notitiâ instructi, & erga Religionem affecti. Verùm cùm experientia docuerit, optimorum etiam Principum religionem à Ministris, vel etiam à perversis Episcopis seduci non rarò posse, præstat, integram hujusmodi Cœtibus libertatem relinquere, ac Ecclesiasticis viris Divina, & Ecclesiastica negotia tractanda dimittere; expeditque, ut Principes Concilijs Provincialibus, & Nationalibus, in quibus maximè reformidaretur illorum potentia, non intersint. Factum id quidem aliquoties, ut diximus, præsertim sub *secundæ* Dynastiæ Regibus, quorum erat authoritas necessaria, ob collapsam, & ferè extinctam in Gallia disciplinam Ecclesiasticam, ac innumeras penè difficultates, quas vix superâsset ordo Ecclesiasticus sinè auxilio Principum, qui se ad id præstandum promptos, ac devotissimos exhibebant. At verò cùm hodie Regij Officiales in id conspirâsse videantur, ut Ecclesiasticam authoritatem deprimant, vel potiùs in Regem, ac in se transferant, verendum esset, ne Rex Christianissimus illorum, qui, dum proprijs utilitatibus laborant, jura Regia videntur curare, consilijs inductus, etiam præter suam intentionem, Ecclesiastica jura læderet, Episcopis plerisque dissentire non audentibus. Iustum esse hunc timorem, multorum Episcoporum aulicis artibus injustè, ac per vim depositorum exempla, quæ alibi recensuimus, fidem faciunt. Quamobrem VIII. Synodus Oecumenica Principum in Concilijs præsentiam necessariam non esse, declaravit, imò & absentiam optavit, à Concilijs præsertim non Oecumenicis.

Ea est hodie Principum sæcularium potentia, ut metuendum eis omninò non sit, ne quid in hujusmodi Cœtibus adversùs eorum jura statuatur; ac, si quid fortè incautè decretum fuerit, quod displiceat, facilè illius executionem impediant. Itaque minimè dubium est, quin illorum præsentia minùs sit ad Regias rationes tuendas necessaria, quàm suffragiorum libertati contraria.

Certè si in Concilijs Principes adesse non debent, multò minùs præesse, si præsidentia authoritatem significet. Hæc enim ad Ecclesiam pertinet, id est, ad eum Episcopum, qui cæteris vel jure suo, vel ex delegatione superior sit. Ejus est, primum locum occupare, determinanda proponere, suffragia rogare, ac juxta illorum pluralitatem concludere. Olim quidem aliquando Principibus in Gallia, dum Conventibus intererant, primus locus concedebatur; ipsi sententiam Episcoporum postulabant, aliquando etiam proprio nomine decreta edebant. At illa propriè Concilia Ecclesiastica non erant, sed Regni Comitia, quibus sæcularia etiam tractabantur negotia, & laici jus habebant suffragij. Nam causæ spirituales ab Episcopis seorsim definiebantur; dum autem aliæ causæ Ecclesiasticæ discutiebantur, Principes quasi Ecclesiasticæ disciplinæ promotores à Summo Pontifice rogati, & ab Episcopis acceptati, non autem quasi Iudices, multò minùs tanquam Præsides Ecclesiastici, aderant, nec suo nomine Canones, quasi Conditores, sed quasi Protectores promulgabant.

Antiquum Comitiorum Gallicanorum ordinem descripsit Hincmarus in Epistola ad Episcopos quosdam Galliæ ex Adelardo; *Quæ utraque tamen*, inquit *cap. 35. Seniorum seorsùm cula sic in duobus divisa erant, ut primò omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honorificentiores Clerici absque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel hujusmodi Principes sibimet honorificabiliter à catera multitudine primo manè segregarentur, quousque tempus, sive præsente, sive absente Rege, occurreret: & tunc*

& tunc prædicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici verò ad suam constitutam Curiam, subsellijs similiter honorificabiliter præparatis, convocarentur. Qui cùm separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de sæcularibus, seu etiam commixtis. Similiter si si propter quamlibet discendi, vel investigandi causam, quemlibet convocare voluissent, & re compertâ discedere, in eorum voluntate manebat.

11. Quamquàm, ut verum fatear, tantus erat olim Principum cum Ecclesia consensus, ut mutuis potiùs officijs inter se decertarent, quàm potestatis limites scrupulosè observarent. Dummodò libera essent Episcoporum suffragia, cætera olim non tanti esse momenti judicabantur, ut concordiæ, ac commodis, quæ ex concordia inter utramque potestatem ad bonum commune unanimiter tendentem consequuntur, anteponenda viderentur. Quam ob rem ea exempla, in quibus Principes, quæ ad Prælatos Ecclesiasticos pertinent, exercere videbantur, in legem vertenda non sunt, cùm dispar sit rerum status, ac diversæ circumstantiæ. Sed de his satis. Parum enim hodie Principes de præsentiâ illâ solliciti sunt, quippe qui vel absentes, id quod optant, nullo negotio consequantur.

Axioma *secundum* Petri de Marca.

12. Hic Author *locis in progressu allegandis* vendicat Regi jus præscribendi materias in Concilijs tractandas, ac respectu decretorum Synodalium subeundi munus non *meri* executoris, sed cum cognitione causæ, & cum facultate coercendi ejusmodi decreta inter certos limites.

Responsio.

13. AUthor *præfati tract. dict. lib. 11. cap. 3.* respondet in hunc modũ. Quemadmodùm Episcoporum cura ad cuncta se extendit, quæ ad animarum suæ Diœcesis salutem pertinent, scilicet fidem, mores, ac disciplinam; ita Episcoporum in Concilio Provinciali congregatorum cœtus ijs omnibus providet pro tota Provincia, & insuper causas ipsorummet singularium Episcoporum definit: quibus cùm in propijs Diœcesibus nullus sit superior, æquum est, ut præemineat Concilium Provinciale, reservatis tamen Summo Pontifici causis majoribus, ac semper exceptâ ejus, & Concilij Oecumenici authoritate, quæ sinè dubio Provincialis Concilij potestate major, ac superior est.

14. Equidem si res ipsa sinè circumstantijs spectetur, is quasi naturalis ordo est, ut Episcopus primùm suæ Diœcesi prospiciat. Si quæ gravis difficultas occurrat, ad Metropolitanum, & Concilium Provinciale illam perferat. Si nec illic definiri queat, ad Summum Pontificem recurratur. At verò incidunt aliquando tempora, cùm, prætermisso illo ordine, necesse statim sit ad supremum tribunal accedere: ac tunc iniquum esset, ut cum evidenti justitiæ detrimento, obirentur omnes illi gradus, qui, ne justitia violaretur, instituti, ac distincti sunt. Imò tam frequens posset esse vel fidei, vel disciplinæ, vel justitiæ periculum, ut universim certi cujusdam causarum gravissimarum generis cognitionem trahere ad se, ac Episcopis interdicere, Summus Pontifex deberet.

15. Miror, quî potuerit ea cogitatio in mentem venire Domino Petro de Marca, ut scriberet pluribus in locis, non licere Concilijs alia tractare, quàm quæ à Principe proposita fuissent. *Inter jura Regia*, inquit *libro 6. cap. 22. n. 3. & hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes inter certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto.* Nunquámne igitur Ecclesiæ licebit disciplinam collabentem firmare; collapsam restituere, abusus corrigere; crimina plectere, nisi id à Rege præscriptum sit? Quid si (quod avertat Deus) Rex hæreticus, aut etiam Ecclesiæ hostis evaderet? Quæcunque statuerent Episcopi, si fortè coire possent, nullius roboris forent, defectu propositionis Regiæ?

16. Certè in ijs, quæ ad fidem, & bonos mores, ad quæ omnis refertur Ecclesiastica disciplina, spectant, soli Episcopi judices à Christo constituti sunt. Principi quidem justa præcipienti parendum est; justum autem est ejus præceptum, cùm Ecclesiæ decretum custodiri jubet; justitia tamen illa decretorum, atque adeò robur ad obligandum coram Deo, Canonibus inest, antequàm Principis authoritate confirmentur.

17. Supereſt unicum dubium, sed maximi momenti; utrùm scilicet Principes sint Ecclesiæ decretorum meri executores, an cum cognitione causæ, ita ut, si quid obscuritatis, aut difficultatis emergat, possint Canones interpretari. Id quidem juris videntur velle sibi vendicare Reges Christianissimi, eorumque Senatus, cùm de causis Ecclesiasticis per appellationem ab abusu ad se delatis, eo ferè ordine, ijsdemque formulis judicant, quibus utuntur in judicijs sæcularibus, in quibus ex legibus civilibus jus dicendum est. Verùm licèt possint potestates sæculares executionem Canonum non urgere, dum in particularibus casibus dubitant, an locum habere debeant hujusmodi Canones, propter circumstantias, quæ repugnare videntur: tamen, si ex verbis ipsis Canonis oriatur difficultas, quo scilicet in sensu accipienda sint, quæve fuerit conditorum mens, standum est trito illi Juris utriusque axiomati: *Unde jus prodijt, interpretatio quoque prosedat. Cap. Inter alia. De sent. excom. cum suis concord. & LL. 9. 10. 11. Cod. De Legibus.*

18. Sanè cùm interpretatio illa, de qua loquimur, vim quodammodò legis obtineat, si liceret Principibus Canones interpretari, penes illos esset omnis legum Ecclesiasticarum potestas, ipsique, non Episcopi, quos ad hoc Spiritus sanctus posuit, regerent Eccle-

siam Dei. Non solùm etiam executio, sed & judicium in illorum esset potestate. Alia fuit Ecclesiæ, sed & Principum ipsorum mens, quorum exempla varijs in locis, prout sese obtulit occasio, adduximus.

19. Adeò lucent Ecclesiastici Juris regulæ, ut eorum etiam visum feriant, qui oculos claudere videntur, ne videant, quæ sibi non arrident. Quis non laudet æquitatem Petri de Marca, & eum, ad defigendos Ecclesiasticæ, ac sæcularis jurisdictionis terminos, arbitrum lubens non constituat, audiens, quomodò circa Canonum executionem suas Ecclesiæ partes, Principibus suas, servet *lib. 4. cap. 1. n. 2. Si propriè loqui velimus*, inquit, *executio Canonum jurisdictionem Ecclesiasticam respicit: cujus partes sunt, ut judicia Canonica reddat; pœnis Canonicis, id est excommunicatione, degradatione, & suspensione, & cæteros ejusmodi reos plectat, &, ut omnia uno verbo complectar, ligandi & solvendi Pontificium exerceat. Tuitio verò Canonum à Principibus pendet, quæ Canonum custodiæ prospicit, & nullitatem rerum adversùs Canones gestarum aliquando declarat, atque omnia in integrum restituit, sed ultra non progreditur, scilicet ad executionem Canonum, quam ab Episcopis implendam indicit. Non ergo eâdem authoritate in rebus Ecclesiasticis, ac in rebus sæcularibus utuntur.* Æqua videtur sententia, si quis tamen verba attentè consideret, in eis Authoris ingenium deprehendet. Nam Principibus executionem Canonum, quæ sinè causæ cognitione fieri posset, negat, declarationem nullitatis gestorum adversùs Canones concedit: quo prætextu negotiorum omnium judicium ad se trahere poterunt. Ecclesiæ est, illam nullitatem declarare, Principum autem, post hujusmodi declarationem, Ecclesiam juvare ad omnia in integrum restituenda. Sed quid largitur Ecclesiæ Marca? Non vult, ut Princeps Canones exequatur, sed ei tribuit, ut eorum executionem Patriarchis, & cæteris Episcopis præcipiat, & malè gesta corrigat. Non enim vult observari gradus ad custodiam Canonum, quam Principibus tribuit. *Lex decernitur à Principe post constitutos Canones, quæ eorum executionem Patriarchis, & cæteris Episcopis præcipit. Eadem lex in acta Præfectorum Prætorio refertur, qui una cum Præsulibus Provinciarum violari Canones prohibent. Et, si infracti fuerint, eâ de re ad Principem referant, qui malè gesta corrigat.* Præposterus est ordo, nisi in executione, sicut in conditione Canonum, Ecclesia præcedat. Non enim debent Principes illorum executionem pœnis à se constitutis urgere, quamdiu pœnis spiritualibus Ecclesia illam executionem obtinet: *ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem*, quemadmodùm loquitur S. Isidorus Hispalensis *de summo Bono lib. 3. cap. 53.*

20. Sed quod addit ibidem prædictus Marca, Ecclesiasticam jurisdictionem manifestè lædit; *Inter cæteras autem pœnas, quas in Episcopos, & Clericos eâ lege constituit* (Iustinianus scilicet *Novell. 123.*) *frequens est expulsio à Sacerdotio, quam vi constitutionis suæ fieri, discrè præcipit, aliósque in depulsorum locum subrogari.* Depositionem Episcoporum, & aliorum institutionem, vi Canonis, aut sententiæ Ecclesiasticæ, non autem constitutionis Principis fieri debere, indubitatissimum est. Nec juvat, quod affert *num. sequenti*, Iustinianum in musæo suo cum peritioribus Episcopis de rebus Ecclesiasticis tractare solitum. Quis enim nesciat, ullo unquam tempore defuisse Præsules, etiam doctrinâ conspicuos, qui Principibus Ecclesiæ jurisdictionem usurpantibus abblandirentur.

Nisi Author desiderio protendendæ Principum jurisdictionis, excæcatus fuisset, quomodò potuisset non advertere primum exemplum, scilicet Anthimi à Sede Constantinopolitana remoti, id, quod probare intendit, validissimè confutare. Etenim quamvis Anthimus ab Ecclesia Trapezuntina in Diœcesi Pontica, ad Sedem Constantinopolitanam sola Theodoræ Augustæ authoritate, absque Synodi judicio translatus fuisset, atque adeò Canones apertè violâsset, nec ulla videretur requiri causæ cognitio; tamen Iustinianus S. Agapeti Romani Pontificis sententiam expectavit, eandemque deinde executus est, invasorem illum expellens. Hoc nihilominùs exemplo utendum sibi curavit Marca (ita scilicet efficacia sunt ejus argumenta) quia Marianus libellum in actis Synodi Constantinopolitanæ sub Menna *actione* 1. insertum, & ab omnibus Provinciæ Hierosolymitanæ, & Secundæ Syriæ Abbatibus subscriptum, Iustiniano adversùs Anthimum obtulit, in quo leguntur hæc verba; *Vos ipsissimi, valentes ipsos extraponere, tamen Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis, & cætera*, quæ Marca non est ausus referre, quia manifestè contraria sunt ei, quod hinc concludit; liberum scilicet fuisse Iustiniano, Anthimum removere, quamvis id à Pontifice Romano fieri maluerit. Vox illa, *valentes*, potentiam Imperatoris innuit, non autem jus, ut manifestè patet ex sequentibus, quæ apertissimè declarant, necessarium omninò fuisse Romani Pontificis judicium, ut res legitimè gererentur, & ejus executorem tantùm fuisse Iustinianum. Eam habent sententiam illa verba: *Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos benefaciendo audire voluistis.* Maximè cùm ageretur de causa fidei.

Sed ne conjecturis locus daretur, aut interpretationibus, ipsimet libelli Autheres probant, debuisse Iustinianum Romani Pontificis audire sententiam, eique exequendæ suam operam præstare. Subjunguntur enim; *Illo persuasi, qui dicit: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, seniores tuos, & dicent tibi.* Ne quis autem illa de consilio interpretetur, non de præcepto, prosequuntur in hunc modum: *& Apostolo dicente: Obedite Ducibus vestris, & subditi estote; ipsi enim vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri, &c.* Posteà Imperatorem obsecrant, ut Agapeti judi-

judicium exequatur; *Obtestamur itaque vestrum Imperium (licèt temerarium quid faciamus) per magnum Deum Salvatorem nostrum Iesum Christum, qui protegat honorabile Imperium vestrum, & omnem inimicum, & hostem propter vestram rectam fidem vobis subjiciat, non contemnere justum judicium prædicti S. viri, sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei, ac totum mundum liberare à peste Anthimi, & prædictorum hæreticorum.*

23. *Secundum* exemplum est Irenæi post binas nuptias, contra Canones Apostolicos, Tyriorum Episcopi facti, & ab illa Ecclesia nullâ prævia damnatione Canonicâ, solo Principis imperio dejecti. Sed *primò* tenuis authoritatis est in hac materia exemplum Theodosij Junioris, quem in alijs multis ultra suæ potestatis limites constat excurrisse per id maximè tempus, cùm abfuit à Curia sancta Pulcheria. *Secundò* ex eo, quòd Imperatoris edictum sententiæ Synodicæ non meminerit, non sequitur, nullam præcessisse. Cùm enim & antea, & post Episcoporum destitutio sub Imperatoribus etiam hæreticis, ut Constantio, fieri non consueverit, nisi post alicujus vel legitimi, vel illegitimi Concilij judicium, cur in isto tantùm casu, ac paucissimis alijs, prætermissum hunc ordinem putabimus? *Tertiò.* Etsi revera prætermissus est, cur ex isto exemplo potiùs, quàm ex innumeris alijs contrarijs, juris controversia dirimenda esset; præsertim, cùm illud juri communi repugnet? *Quartò.* Sed colligitur ex *epistola 110.* Theodoreti, quæ est ad Dominum Episcopum Antiochenum, postulatum ea de causa fuisse Concilium. In ea enim epistola Theodoretus, postquàm probavit, ritè ordinatum fuisse à se Irenæum, quem multifariàm commendat, addit; *Et impium ducimus, hominem condemnare, qui multis & variis rebus optimè gestis est exornatus.* Petebatur igitur ab Episcopis condemnatio Irenæi.

24. Minùs valet *tertium* exemplum, scilicet Petri Moggi à Sede Alexandrina Zenonis Imperatoris jussu expulsi. Destituebat enim, & restituebat impius Zeno Episcopos, tantâ cum temeritate, sæpe tantâ cum injustitiâ, ut mirum sit, non puduisse Petrum de Marca in ejus exemplis Principum jura fundare. Eundem Petrum Moggum, quem anno 477. à Sede Alexandrina Zeno dejecit, anno 482. in eandem Sedem hæreticus hæreticum revocavit. Petrum Fullonem Apollinaristam, & Eutichianum Antiochenæ Ecclesiæ, amoto Martyrio, præfecit. Timotheum Ælurum sacrilegum ab Ecclesia Alexandrina destituit; & alia patravit his similia.

25. Potest in hac etiam parte versatile Authoris ingenium observari. *Num. 1.* distinguens tuitionem Canonum ab executione, illam Ecclesiæ, illam Principibus tribuit: *Num. 4.* Principibus in executionem legum ad Canonum tuitionem editarum, facultatem concessit, Episcopos à suis Sedibus expellendi, & alios subrogandi, quod tribus exemplis *supra* dictis probare conatus est *n. 5. & 6.* In hoc *ultimo numero* vulnus Ecclesiæ illatum linit, declarans, *hæc omnia à Principibus acta jure quodam extraordinario, idque in apertissima Canonum violatione, quæ nullâ causæ cognitione, nec judiciorum solemnibus indigeat; sed in mera facti executione versabatur.* Quibus verbis nonnihil restricta videtur Principum in Episcopos licentia. Sed ne Principes de illa restrictione querantur, rursus asseritur illis Episcoporum expulsio à Sede. *Deturbationem enim illam*, inquit, *quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrij esse, putabant.* Sufficiet jamè Principibus hoc arbitrium; cognitionem enim causæ necessariam non fuisse dicentibus quis contradicet? Num fiunt inquisitiones à Ministris Regijs, antequàm in exilium mittantur, per litteras parvi sigilli, quæ in Gallia, *de Cachet*, dicuntur, qui ad aulæ voluntates, ægrè se accommodant? Iterum illa in Episcoporum Sedes aliorum subrogatio, sine licentia Canonica, ita injusta unicuique apparet, ut ab ea Christianissimi Reges, qui aliquam religionis, ac justitiæ laudem consecuti sunt, semper abstinuerint. Fatetur ergo Author, quòd *pœnam illam expulsionis cum vacatione Episcopatûs hodie irrogare non possunt Principes, ob eas causas*, inquit, *quas tom. 2. exponam.* Tomum *secundum*, etiamsi plus 20. annis supervixerit, ipse publici juris non fecit, ut certò scire possimus, quæ sint illæ causæ. Sed vox *hodie* justum creat timorem, fore, ut causæ illæ Principum intentioni, si pœnam expulsionis cum vacatione Episcopatûs irrogare voluissent, nequaquam obstitissent.

Axioma *tertium* Petri de Marca.

26. HIc Author *locis in progressu citandis* authoritatem Imperatoriam super judicijs Ecclesiasticis efferre nititur in tantum, ut asserat, Canones violatos, fuisse ab Imperatoribus restitutos, seu latis legibus, quibus innovationem verasset, seu quando ad ipsos deferebatur querela de violatione alicujus Canonis, hunc redintegrari facerent.

Responsio.

27. AUthor *præcit. tract. lib. 11. cap. 4.* ita respondet. Observat Marca *lib. 4. cap. 2.* duplici modo restitutos ab Imperatoribus violatos Canones, scilicet vel latis legibus, quibus innovationes ultra progredi vetarent, vel amotâ speciali ter alicujus Canonis violatione, si quis ad eos querelam suam deferret. Hujus ultimi modi quatuor profert exempla. *Primum* Eusebij Dorylæi Episcopi, apud Imperatorem Marcianum de injurijs sibi à Dioscoro illatis conquerentis. *Secundum* Basiliani Ephesini quondam Episcopi, eidem Imperatori se injustè depositum exponentis. *Tertium* Eunomij Nicomediæ in Bythinia Episcopi, auxilium ejusdem implorantis adversùs Anastasij Nicæni, a quo usurpatam suæ jurisdictionis partem querebatur, invasionem. *Quartum* S. Athanasij ad Constantinum confugientis adversùs Arianos. Sed hæc exempla docent, quomodò legerere debeant Principes, dum ab Episcopis, aut alijs, eorum invocatur authoritas; ut scilicet querelas hujusmodi ab

Ecclesia examinari, & terminari procurent; quemadmodùm Marcianus trium supradictorum Episcoporum libellos ad Concilium Chalcedonense, cujus actis inserti sunt, remisit. Actione namque I. judicata est causa Eusebij: & talionis pœna, id est, depositio indicta Dioscoro, à quo depositus fuerat. Confirmata est actione XI. & rursus XII. addito quodam temperamento, Bassiani depositio. Actione XIII. dirempta est controversia de juribus Episcoporum Nicomediæ, & Nicænæ.

28. Sed quare ad Marcianum confugerant, si Concilij erat, eas causas judicare? *Primò*, quia tantus erat rerum in Concilio tractandarum numerus, ut metuerent illi Episcopi, ne sinè litteris Imperatoris non audirentur. Quoniam, inquit Eunomius in libello, quem Valentiniano, & Marciano porrexit, *audientia in dilationem cedit, & formidamus, ne fortè dimisso Concilio, jura nostra vacuentur; supplicamus, nutu vestræ Majestatis audientiam nostram sinè dilatione fieri.* Deinde, ut libentiùs exequendo judicio Imperatores operam præstarent, eò magis necessariam, quòd visillata plerumque dicebatur. Denique ut Concilium maturiùs ac benevolentiùs causas discuteret, ac terminaret.

29. Illustrius, & attentione dignius est *quartum* exemplum, nimirum S. Athanasij, quem asserit Marca *n. 4.* à judicio Concilij Tyrij ad Constantinum Magnum appellâsse, eo appellationis genere, quod Galli *tanquam ab abusu* nuncupant. Ecquis hujusmodi appellationes damnare auderet, si tanti viri authoritate, ac exemplo gloriari possent? At certè S. Athanasius ab inimicis suis opprimi, & crudelissimam mortem subire maluisset, quàm Ecclesiasticæ jurisdictioni tam lethale vulnus infligi, quale hodie in Gallia patitur ab appellationibus, *tanquam ab abusu.* Expendamus exempli vim. Imperator Constantinus, qui jam pluries, scilicet Episcopis Concilij Nicæni, & Donatistis, ut tradunt Sozomenus *lib. 1. cap. 17.* Ruffinus *lib. 1. cap. 2.* Nicephorus Callistus *lib. 8. cap. 16.* Optatus Milevitanus *lib. 1. contra Parmenianum*, sanctus Augustinus *epist. 166.* declaraverat, Episcoporum judicium ad se non pertinere, victus tamen importunis Arianorum precibus tandem concessit, ut Synodus Tyri in Phœnicia haberetur sexaginta Episcoporum, quos, ut libuit, elegit, vel potiùs, quos Ariani voluerunt, ad quos scripsit Imperator; *Scripsi, ad quos volebatis Episcopos, ut vestras curas, & solicitudines præsentiâ, & laboribus suis adjuvarent.* Apud S. Athanas. *Apol. 2.* Misit quoque illuc Dionysium Comitem virum Consularem, ut omnia ordinatè, ac pacificè geri curaret. Episcopi congregati omnem judiciorum ordinem pervertentes, accusati inimicos, inter Judices admiserunt: imò ipsi inimici suspectissimos homines, & apertissimos hostes delegârunt ad recipienda contra ipsum testimonia, quæ illo, & absente, nec vocato recepta sunt. Instat S. Athanasius cum Episcopis Ægyptijs, tum ad Episcopos, ne delegationem à paucis decretam communi calculo approbent, tum apud Comitem, ne causa in tanta legum omnium violatione definiatur. Sanctus ille Patriarcha nullam justitiæ, nullam religionis speciem in illo, non judicio, sed latrocinio, servari animadvertens, ad Constantinum ipsum recurrit, impetravitque, ut Episcopis evocatis, ipso præsente Imperatore, vim sibi illatam posset explicare. At Eusebiani novâ confictâ calumniâ, eâque corruptis quibusdam testibus, qui olim à partibus Athanasij steterant, probatâ, Constantinum ementito illo crimine, ita commoverunt, ut S. Patriarcham in Galliam relegaret. Quia nimirum S. Præsul accusabatur, quasi minatus fuisset, se impediturum, quo minùs frumentum ab Ægypto Constantinopolim quotannis deferretur, quod huic urbi plurimum incommodi fuisset allaturum.

Quocirca *primò* notandum est, Concilium illud Tyrium non solùm non legitimum, sed ne quidem Ecclesiasticum habitum fuisse, ut demonstrat epistola Concilij Alexandrini anno 339. quæ directa est ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos; *Quâ fronte*, inquiunt Patres hujus Concilij, *talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? Et ubi speculator apparebat, & Commentariensis, sive Cancellarius pro Diaconis Ecclesiæ advenientes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant; vel potiùs Comiti obsequium suum accommodabant. Ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur. In summa dilectissimi, quæ species ibi Synodi, ubi vel cædes, vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur.* Et inferiùs. *At præclari Eusebiani, quò veritatem, scriptáque sua obliterent, nomen Synodi suis adit prætexunt, cùm res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe ubi Comes præsidet, & milites Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoria edicta, quos ipsi volunt, coire compellant ..... Si veluti Episcopi sese Judices volebant ipsi, quid opus erat vel Comite, vel militibus, aut edictis ad cogendum Imperialibus?* An non ex hujusmodi Cœtu duci debuit argumentum, quo Principibus jus quæratur delegandorum Judicum in causis Episcoporum? An hinc probari possent appellationes tanquam ab abusu, nisi fortè ab abusu sæcularis potestatis? Non enim appellavit Athanasius Constantinum tanquam Judicem criminum impositorum sibi, vel rei in legitimo Concilio gestæ; sed rem sibi sub Comitis authoritate factam ab Imperatore, qui eum miserat, reparari postulavit.

Appellationis quidem mentionem faciunt Episcopi Orientales, qui se à Concilio Sardicensi legitimo segregaverant, & seorsim se congregârant, in epistola sua Synodica apud S. Hilarium in fragmentis. Sed ipse S. Athanasius *apologiâ secundâ* non appellationem à sententia Ecclesiastica, sed querelam adversùs hostes suos se detulisse, profitetur his verbis. *Nos autem adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsederat, Eusebianorum scelera patefecimus.*

Notandum est *secundò*, S. Athanasium ipsi Concilij Tyrij authoritatem non improbasse, licèt ad illud accesserit; quia nimirum invitus,

Mihi, inquit *Apolog. 2. scribitur, ut adsim, atque adeò necessitas veniendi injungitur, ut nisi venirem, invitus adducerer.*

33. Denique S. Athanasius ad Constantinum recurrit, non per appellationem à judicio legitimi Iudicis, sed per supplicationem adversùs vim, Imperatoris ipsius authoritate sibi illatam in cœtu inimicorum, præsidente Comite, ac opitulantibus militibus, S. Patriarchæ adversariorum furori obsequentibus. Quocirca S. Athanasius, ut à Concilio legitimo sua causa discuteretur, à Constantino postulavit; vel, si petitio adeò justa repelleretur, saltem iniquis adversarijs ad se opprimendum arma Imperator non ministraret: ideoque & suam innocentiam, & illorum iniquitatem, sibi exponi pateretur. Constantinus autem intelligens, quò Athanasij preces tenderent, simul pollicitus, & causam ad Concilium tanquam ad legitimum tribunal deferendam, & se nihilominùs partes auditurum, ne non Canonum executioni, sed eorum violationi patrocinaretur. *Imperator*, inquiunt Episcopi Concilij Alexandrini apud S. Athanasium *Apol. 2. rei indignitate commotus, scriptis suis accusatores citat, suamque ipsius audientiam promittens, simúlque Synodum iudici jubet.*

34. In hoc capite curavit Author verbis quibusdam lenioribus Ecclesiæ de usurpata sua jurisdictione conceptum dolorem mitigare. Nam *n. 4* cognitionem de judicijs Ecclesiasticis ab Imperatoribus suscepta dicit; *Eo tantùm fine, ut illis de violentia constaret, quam deinde amovere procurarent.* Sed *n. 6.* ait, *dolum, calumniam, & hostium, qui in illo Concilio* (Tyri) *iudices sedebant, gratiam Athanasio, & Ægyptijs occasionem dedisse, ut Iudicis Ecclesiastici cognitionem ad consistorium Principis transferrent.* Quando autem prætextus *doli, calumniæ, Iudicum suspicionis* deficiet volentem judicia Ecclesiastica trahere ad Principes?

35. Adde, quod *n. 3.* dixerat, non solùm Canonum custodiam Principibus commissam esse, sed etiam civium, & præcipuè Clericorum patrocinium, & tranquillitatis publicæ curam ad eos spectare. Quâ occasione nulla erunt judicia Ecclesiastica, quæ ad Principes non pertineant, cùm nulla sint, in quibus cives, vel etiam Clerici injuriam sibi per violatos Canones factam non obtendant, si causâ ceciderint.

Axioma *quartum* Petri de Marca.

36. Hic author *locis in progressu insinuandis* varios adhuc proximè recensendos jurisdictionis actus erga causas Ecclesiasticas attribuit sæcularibus Principibus.

Responsio.

37. Author *sæpe citati tract. præs. cap. 5.* respondet in hunc modum. Graviùs & apertiùs jura Ecclesiæ violant, quæ Marca *cap. 3. ejusdem lib. 4.* Principibus tribuit, quare invidiam, in quam se incursurum agnovit, avertere his verbis *n. 1.* fatetur. *Quamvis pleraque à nostris moribus sint aliena, atque adeò in usum deduci non possint. quin apertè Sacerdotij, & Imperij concordia violetur.* Quæ verba nos ab onere illa examinandi liberarent, nisi periculum esset, ne mutatis *Gallorum moribus*, justè usurpari posse crederentur.

Primò ergo Imperatores Romanos à Sacerdotibus interpellatos dicit, judices dare potuisse, sed Clericos, qui de negotijs Ecclesiasticis sententiam ferrent. Id si ita intelligeret, ut licuerit Imperatoribus, consensum, imò & operam dare, ut congregaretur Concilium, cujus erat de illis judicare, non facilè redarguendus esset, & menti ejus faverent testimonium Concilij Milevitani II. quod refert, & exemplum, quod hìc repetit, Imperatoris Marciani, qui Bassiani à Sede Ephesina depulsi, & Eusebij Dorylæi causas remisit ad Concilium Chalcedonense. Sed quod ait *n. 3. Non solùm autem eis Episcopis judicium delegabant, qui ordinario jure intrà provinciam suam judicium ferre possent, sed etiam extra territorium jurisdictionem aliquando prorogabant.* Hoc, inquam, aliquando de facto, nunquam sinè injuriâ contigit. 38.

In eo enim exemplo, quod attulerat *n. 1.* Cæciliani à Donatistis injustè damnati, Constantinus, dum Donatistas graviter objurgavit, ut fatetur Author, quòd se criminis Ecclesiastici Judicem esse, postularent, satis testatus est, se judicibus extraordinarijs causam delegare non potuisse, quamvis importunitati Donatistarum cesserit. Non enim jurisdictionem delegatam confert, nisi qui ordinariam *formaliter*, aut *eminenter* possidet. Præterea cùm Summus Pontifex causarum hujusmodi legitimus esset Judex, ordinem Canonicum sequebatur Constantinus, partes ad eum mittens. Episcopos autem, quos Melchiadi adjunxit, cùm ex ejus essent Patriarchatu, Judices esse cum illo nihil vetabat. Nec tamen soli tres illi, quos miserat Constantinus, judicio interfuerunt cum Melchiade, ut patet ex illis S. Augustini verbis *epist. 166. Quod & factum est in Vrbe Roma, præsidente Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis.* Et clariùs ex S. Optato Milevitano, qui *lib. 1. contra Parmenianum* quindecim Italos Episcopos, quorum nomina & Ecclesias recenset, cum supra dictis convenisse testatur, ut ex novendecim constatum fuerit Concilium. 39.

Cæterùm S. Augustinus *epistolâ 162.* non adstruit jurisdictionem Melchiadis à delegatione Imperatoris, quasi Pontifex ab eo potestatem aliquam mutuatus fuerit (ea enim erat causæ conditio, ut absque Romano Pontifice rite definiri non posset, quemadmodùm confitetur ipse Marca) sed Donatistis os obstruit, ne Iudicem incompetentem fuisse, conquerantur; tum quia legitimus erat; tum quia fuerat à Constantino, à quo ipsi Iudices postularunt, nominatus, *An fortè*, inquit S. Augustinus, *non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum Collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris 70. ubi Primas Tingitanus præsedit, fuerat tentatum.* 40.

tum. Quid, quod nec ipse usurpavit: rogatus quippe Imperator, Iudices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent Hoc probamus, & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris. Unde convincuntur Donatistæ, Melchiadem recusari ab ipsis non posse, utpote à Constantino, à quo ipsi Iudices petierant, assignatum.

41. Sed quâ ratione probat Marca istam facultatem Imperatorum, judices aliunde jurisdictionem non habentes, committendi? Authoritate S. Cyrilli Alexandrini Patriarchæ, & Memnonis Episcopi Ephesiorum, conquerentium in libello, quem Concilio Ephesino porrexerunt, in cujus actis habetur *parte 2. act. 4.* se à Joanne Antiocheno depositos, licèt ille *nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale decretum potestatem haberet*; ex quibus ultimis verbis infert Marca, per Imperiale decretum posse constitui Episcoporum Judices, qui aliunde jurisdictione in illos careant, ut Patriarcha Antiochenus in Patriarcham Alexandrinum, & in Episcopum Ephesinum nullam habet. Infirmus sanè argumentum. Nam eo tempore concurrebant Imperatores cum authoritate Ecclesiastica ad convocationem Conciliorum, in quibus tractabatur depositio Episcoporum. Ad illum igitur usum, qui tunc frequentissimus erat propter rationes alibi notatas, non ad jus quoddam imaginarium, aut certè sacrilegum, deponendorum authoritate sæculari Episcoporum, referenda sunt hæc verba Cyrilli, & Memnonis. Etenim libellus sic incipit: *Pium* (Imperatorum nostrorum) *edictum & nos, & vestram Sanctitatem in hanc Ephesiorum Metropolim, eâ de causa convenire jussit, ut & rectum Apostolicæ fidei decretum communi sententiâ confirmetur, &c.* Huic Ephesini Concilij convocationi opponunt, quæ de conventiculo Ioannis Antiocheni dicunt; *Nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale decretum potestatem habuit, quâ sultus, vel quempiam ex nobis judicare, vel omninò simile quidpiam attentare posset.* Evidentiùs demonstraturi erant duo illi Episcopi depositi sententiæ à se latæ injustitiam, etiam Imperiale decretum excludendo: non quòd posset tale decretum jurisdictionem non habenti conferre, sed quia colorem aliquem, aut excusationem apud homines prætexuisset Antiochenus Patriarcha, si ad Episcopos sibi non subditos judicandos Imperiali decreto coactus fuisset: ut ergo & prætextum necessitatis obediendi Principi, & legitimam concurrentis Imperatoriæ authoritatis cum Ecclesiasticâ ad convocandum Concilium, in quo depositi fuerant, atque adeò & fundamentum, & colorem justitiæ omnis defuisse ostenderent, etiam Imperialis decreti defectum commemorarunt.

42. Non est prætermittendum, quod ait Marca, Imperatores judicia à Patriarcha, vel Metropolitano, si qua esset contra eos suspicio, ad aliam Provinciam olim transtulisse. Nescio enim, an non hinc fortassis aliqua Galliæ Parlamenta patrocinium accerserent illi abusui, quo aliquando, interverso tribunalium Ecclesiasticorum ordine, partes ad Judices non suos mittunt etiam, ubi de censuris agitur. Marcæ arridet mirum in modum gesta Theodosij Junioris, quia cùm ad concedenda, quæ rogabatur, puerili facilitate promptus esset, plurima patravit legitimam suam superantia potestatem. Refert igitur Marca exemplum Theodosij Junioris, qui judicium Ibæ Edessenorū Metropolitani, nec non Ioannis, & Danielis Episcoporum Provinciæ Osrhoænæ de hæresi accusatorum, à Domino Patriarcha Antiocheno, apud quē jam fuerat lis contestata, ad Photium Episcopum Tyri & Eustathium Beryti Provinciæ Phœniciæ, cum Uranio, Himeriorum Episcopo avocavit, quod patet ex ejus rescripto inter acta Concilij Chalcedonensis *act. 10.* Sed usurpatum fuisse judicium illud, ex ipsa rei natura fit evidens.

Sanè si hæc potestas penes Principes esset, Canonum non solùm tuendorum, sed etiam evertendorum facultatem haberent; cùm à Concilijs etiam generalibus statutum sit, ut causarum Ecclesiasticarum judicia in proprijs Provincijs exerceantur. Is enim est, nominatim Canonis Nicæni sensus, ad quem respexerunt S. Ioannes Chrysostomus, & Theophilus Alexandrinus, cùm Arcadius Theodosij Junioris pater Theophilum à S. Ioanne Chrysostomo, & mox S. Ioannem Chrysostomum à Theophilo judicari præcepisset. Nam Imperatoris delegationem hujusmodi uterque tanquam Canonibus contrariam improbavit, quippe cùm neuter alteri esset subditus: eam tamen Theophilus, qui, quò minùs adversùm se usurparetur, institerat, adversùs sanctum Chrysostomum acceptavit, aliâ in eum mensurâ utens, quam quæ adversùs Theophilum ipsum à S. Ioanne Chrysostomo adhibita fuerat. Constat hoc ex epistolâ ejusdem Sancti ad sanctum Innocentium I. *Cùm Theophilus*, inquit, *causam dicere nollet, néque urgerent accusatores ejus, revocavit nos Imperator pientissimus, & jussit, ut iremus ad locum, in quo ille agebat, & illic ea, quæ contra illum dicebantur, audiremus. Nos autem ipsentes leges Patrum, vitóque honorem deferentes, habentes etiam super hac re ejus litteras, optavimus, in quibusque Provincijs sua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi, vehementer detestatos mus, ne causam susciperemus judicandam. Denique congruum non est, ut, qui in Ægypto sunt, judicent eos, qui in Thracia.* Et infra; *Domini mei, maximè venerandi, & pij, studium vestrum, & maximam diligentiam adhibete, quò retrudatur hæc, quæ in Ecclesias irrupit, iniquitas. Quippe, si mos hic invaluerit, fas & fuerit cuivis, in alienam paræciam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & ejicere, quos voluerit, & propriâ authoritate quævis pro libidine sua facere, scitote, quòd brevi transibunt omnia, & totus orbis premetur hoc malum indicto, omnibus ejectis, & omnibus ejicientibus.*

Sed & ipsi accusatores Ibæ proficiscri non audent, se judices extraordinarios sponte postulâsse, cùm potiùs agnoscant, post Patriarcham Antiochenum adeundum fuisse Concilium tam Orientale, quàm Occidentale. Sic enim habet libellus Samuelis, & aliorum

rum Presbyterorum Edessæ ad Photium, & ad reliquos Episcopos contra Ibam. *Consequenter, & secundùm Canones adeuntes Concilium tam Orientale, quàm occidentale, oportuit nos, & pissimum, atque Christianissimum Principem nostrum pro his deprecari. Ex hoc ergo, & sanctissimo nostro Archiepiscopo Flaviano pariter decernente, & cum pissimo nostro Principe disponente, à vestra Sanctitate nostrum exerceri negotium, advenimus parati nobis adesse.* Inter acta Concilij Chalcedonensis *act. 10.* Recurrerant igitur ad Imperatorem, ut eorum causa ejus favore à Concilio Orientali, & Occidentali audiretur.

45. Domnus injuriam suæ jurisdictioni ab his Clericis illatæ graviter conquestus est in suo Concilio Antiocheno, cùm ad causæ judicium sese accingens, eorum quosdam ad Imperatorem recurrisse audivit. *Manifesti sunt*, inquit, *desertores, & excommunicationem, & Apostolicum hunc thronum contemnentes, & seipsos submittentes majori damnationis supplicio.* Inter acta Concilij Chalcedonensis *act. 10.* Non ergo sinè Canonum violatione, sinè legitimorum judicum injuriâ, & sinè sæcularis potestatis abusu, translata sunt ab una Provincia in aliam per Imperatores Ecclesiasticorum negotiorum judicia.

46. Iniquius est, quod *in reliqua hujus 3. cap. parte* probat, & jus vocat Marca; scilicet Principes ordinem à Concilijs etiam Oecumenicis servandum præscripsisse, eam observationem per Comites ad id missos curâsse, imò, si quid præter eum ordinem attentatum fuisset à Concilio Oecumenico, in irritum misisse; quis enim Iudex; quis tanquam reus ibi habendus esset, statuisse; nec non cujus Concilij decretorum habenda esset ratio, ut ab eo non posset appellatio interponi; cujus autem sententia non eam vim habere deberet. Nescio, an salvâ fide, tanta Principibus sæcularibus in Concilia tribui possit authoritas. Sed quæ sunt illius iuris fundamenta? Exemplum Theodosij Iunioris ea, quæ à Concilio Ephesino gesta fuerant contra Ioannem Patriarcham Antiochenum, aliosque Episcopos Orientales, rescindentis. *Eò etiam*, inquit Marca, *quòd à formâ litteris suis præscriptâ temerè discessum fuisset. Liberum enim sibi Principes existimabant, ut rerum gerendarum ordinem etiam Concilijs Oecumenicis præscriberent.* Magis videntur expressa verba *n. 3. cap. 22. lib. 6. At non fortuitò, aut per occasionem Synodus deliberat de materia, à Rege proposita; sed quia inter jura Regia, & hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes intrà certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto. Modus hic agendi deprehenditur in litteris Imperatoris Theodosij pro convocatione Concilij Ephesini primi, atque item secundi.* Sed Theodosij fuit illa temeritas: & indignum est, ut proponatur in exemplum, factum, quod tum ab omnibus alijs Scriptoribus Catholicis dedecori Theodosio vertitur: tum ab ipsomet Imperatore improbatum est, ut patet ex actis Concilij Ephesini *parte 3. cap. 14.*

47. At, inquies, improbatum est, quia injustum in se, non quia ab illegitima potestate. Nec enim Synodus expostulavit cum Theodosio de usurpata jurisdictione, sed de obreptione ob falsam Candidiani Comitis relationem. Quasi verò liberum sit, omnia injustitiæ capita Principibus à perversis Ministris seductis objicere; & non cogat potiùs illorum potentia, quæ minùs ægrè ferunt delicatæ eorum aures, scilicet alienum mendacium, ac rei veritatem exponere, dummodò hoc satis, ut damnum illatum reparetur.

48. Nec minùs improbum fuit aliud factum Theodosij, cùm in Conciliabulo *secundo* Ephesino eum cognitioni Synodi ordinem præscripsit, ut Flavianus Episcopus Constantinopolitanus inter reos haberetur, eò quòd sententiam adversùs Eutichen dedisset; licèt secùs actum fuisset anteà erga Episcopos Orientales, qui Antiochiæ in S. Athanasium sententiam dixerant. *Discrimen*, inquit Marca *in fine hujus capitis tertij, ex eo proficiscitur, quòd Concilij Antiocheni ratio habita fuit perinde, ac si appellari ab ejus judicio non posset, sed tantùm retractationis cognitio instituì, ut fieri solebat adversùs sententias Præfectorum Prætorio. At Synodus Flaviani non eo jure potita est, sed eo loco habita, ac si ab ea provocari posset. Quod non aliâ ratione nitebatur, quàm mero Theodosij arbitrio, qui ordini hujus cognitionis, quas voluit, leges præscripsit, etsi à cæterorum judiciorum ordine alienas.* Hujus doctrinæ, ac similium Authores, Ecclesia Gallicana suarum libertatum vindices tantoperè laudat, tantique facit. His adminiculis suffulciuntur celebres illæ libertates. Illi sunt Canones, illa Patrum traditio, quibus nituntur, nempe exempla violatorum ab Imperatoribus sanctiorum Ecclesiæ jurium.

Axioma *quintum* Petri de Marca.

49. HIc Author *locis proximè allegandis* nititur probare, tum quòd Princeps possit sententiæ in judicio Ecclesiastico latæ executionem suspendere, & causæ novam tractationem indicere, tum quòd ab Episcopis Imperatoris rescripto ad causam Ecclesiasticam delegatis possit appellare ipsum Principem.

Responsio.

50. AUthor *præinsinuati tractatûs eod. lib. 11. cap. 6.* rem hanc ita prosequitur. Rursus exemplum Theodosij junioris adhibet Marca *lib. 3. cap. 4. n. 1.* ut probet, Principes posse sententiæ in judicio Ecclesiastico latæ executionem suspendere, novâ Synodo ad causam iterum tractandam indictâ, quia nimirum licèt Cælestinus Summus Pontifex cum Concilio Romano, & cum secutus Cyrillus cum Concilio Alexandrino, Nestorium à communione Ecclesiæ segregâssent, nisi intrà decem dies, ab admonitionis tempore numerandos, nefandam suam hæresin anathematizaret, Theodosius Synodum generalem Ephesi celebrandam indicens, Romanæ, & Alexandrinæ sententiam interim ortiri effectum vetuit, quod ex eo colligit, quòd Nestorius tanquam Episcopus ad Synodum

nodum vocatus, & in Synodo nominatus fuit. Sed, quam habuit vim suspensio sententiæ à Concilijs Romano, & Antiocheno contra Nestorium prolatæ, ea non Imperatoris edicto, sed Summi Pontificis indulgentiæ adscribenda est. Consultus enim Cælestinus Pontifex à S. Cyrillo paulò ante Concilium Ephesinum; utrùm Nestorius tanquam Episcopus habendus esset, quippe cùm effluxisset tempus induciarum ei ad anathematizandum errorem concessarum, respondit, supersedendum exequendo judicio. Quæstio S. Cyrilli concepta erat his verbis; *Vtrùm sancta Synodus recipere debeat hominem à se prædicata damnantem, an, quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret?* Respondit Summus Pontifex; *Super hâc utique consultatione communi, communem Dominum consultamus. Nonne nobis respondet illicò per Prophetam, mortem se nolle morientis; & per Apostolum Paulum, omnem hominem velle salvum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Nunquam displicet Deo accelerata in quocunque correctio.* Epistola Cælestini ad Cyrillum, Labbe *tom. 3. Concil. Ephes. act. 2.*

51. Quomodò potuit Catholicus Author in animum inducere, excommunicationis, & depositionis vim & effectum edicto Imperiali suspendi? Hæc propositio, si de jure, ac in ordine ad conscientiam intelligatur, hæresis labe non carebit. Quamobrem de facto interpretari eam malumus, ut scilicet Principes pro eâ, quâ pollebant potentiâ, impedirent, aut remorarentur nonnunquam judiciorum Ecclesiasticorum executionem: hoc autem ab eis legitimè tunc tantùm fiebat, cùm præeuntem, ac rogantem Ecclesiam sequebantur. Eorum enim auxilium implorare cogebantur Pontifices, & Synodi adversùs contumaces, & interdum rabidos Ecclesiæ hostes, ut videre est in exemplis ab Authore relatis *n. 2 & 4.* ejusdem *cap. 4.* scilicet S. Leonis Theodosium interpellantis, ut suspendi juberet executionem *secundi* Concilij, seu Latrocinij Ephesini, nec non Legatorum sanctæ Sedis, invocantium auxilium Judicum in Synodo Chalcedonensi, adversùs illius Synodi decreta, quæ Canonibus Nicænis erant contraria. Absurdum autem est, eam Legatorum petitionem appellatione tanquam ab abusu explicare: quasi Judices à Martiano delegati fuissent ad judicandas appellationes de Canonibus violatis interijciendas, & ad eos appellâssent Legati S. Leonis à Concilio Chalcedonensi, suis Canonibus Canones Nicænos violante.

52. Jus aliud, inquit Marca *n. 6.* à Justiniano continuatum, vel institutum legimus, scilicet, ut ab Episcopis Imperatoris rescripto delegatis ad controversiam Ecclesiasticam dirimendam, Princeps ipse appellaretur. Sed in Justiniani loco, quem refert *ex Novella 123. cap. 21.* causarum Ecclesiasticarum nulla fit mentio. *Si tamen* (verba sunt Justiniani à Marca exscripta) *Imperiali jussione, aut judiciali præcepto Episcopus judicat inter quascunque personas, appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur.* Verba illâ, *Inter quascunque personas*, indicant potiùs causas profanas, quæ si Episcopis, ut fiebat interdum, commissæ fuissent, & ab eorum sententiâ fuisset appellatum, ad committentem perferenda erat appellatio, inter quascunque personas esset controversia, id est, etiamsi Clericatûs honore essent insignitæ, quia res, non persona tunc attendebatur. Quæ interpretatio ex eo, quod præcedit, confirmatur. Statuit enim Justinianus, ut, si Judex sententiam Episcopi in causa contra Clericum, aut Monachum, sive Monacham, justam cognovisset, eam executioni demandaret, amotâ omni appellatione. Si Judex injustam declarâsset, posset ab ejus declaratione appellari secundùm legum ordinem; id est, ad legitimum superiorem secundùm rerum conditionem. Addidit posteà verba suprà relata, quibus decernit, in causis delegatis ab Imperatore, aut alio, ad ipsum delegantem esse appellationem emittendam sinè personarum distinctione. Sed si de causis profanis id non accipitur; quid aliud effecit Imperator, quàm culpam addidit culpæ, & primam causæ cognitionem delegans, & appellationem sibi reservans?

Hoc delegationis genus non ingratum fuisse S. Gregorio, colligit Marca exijs, quæ posteà gesta sunt in causa Adriani Thebanæ Civitatis Episcopi: sed frustra. Cùm Adrianus à Diaconis suis accusaretur de pecuniarijs, criminalibusque capitulis, Mauritius Imperator Ioanni Episcopo Lariss. causam commisit, sed cur placuit Marcæ hanc delegationem vocare? Cùm enim prædictus Ioannes Metropolitanus esset Adriani, an, qui ex toto Canonibus Ecclesiasticis Judex erat, Principis indigebat delegatione? De pecuniarijs quidem permisit Imperator, ut Metropolitanus ferret sententiam; de criminalibus verò post examen ad se referri voluit.

Si tam religiosus fuisset Marca in conservandis Summorum Pontificum juribus, quàm in extendendâ Regum potentiâ profusus; factum illud ita fuisset interpretatus, ut Mauritius ordinem Canonicum secutus, Episcopum ad proprium Metropolitanum remittens, pecuniarias quidem causas ab eo definiendas duxerit, criminarias verò tantùm examinandas; ut, si fortè reus deponendus esset, Romani Pontificis sententia requireretur. Agebatur enim de neglecta ab Adriano correctione Stephani Diaconi turpem vitam degentis, & de negato Baptismate infantibus, non recepto illo Sacramento defunctis, ut refert S. Gregorius *Regest. lib. 2. epist. 46.* quæ est 7. *indictionis 11.* Nec careret optimis conjecturis illa opinio. Primò enim illa crimina Ecclesiastica sinè dubio sunt, & ad Ecclesiasticam cognitionem magis spectant, quàm causæ pecuniariæ, de quibus Metropolitanus permissus est jus dicere. Secundò re ipsâ de criminibus illis ex Imperatoris assensu judicavit Honoratus sanctæ Sedis Diaconus, cum uno ex Officialibus Imperij, judiciumque ab Imperatore approbatum fuit; si qui-

si quidem fuerat illa Mauritij mens, non immeritò ejus *rectas jussiones* appellavit S. Gregorius.

55. Quod spectat delegationem Ioannis Episcopi primæ Iustinianæ, qui Thebani Iudex ordinarius non erat; S. Gregorius testatur, eam fuisse fraude elicitam. *Nescio*, inquit prædictâ epistolâ 46. *quibus machinationibus exquisitis alia rursus est principalis jussio elicita, ut de cunctis antefactis capitulis Ioannes primæ Iustinianæ Episcopus requirens subtiliter judicaret.* Sunt autem tum in eâ, tum in præcedenti epistolâ multa, quæ demonstrant, Principum delegationes juri superiorum Ecclesiasticorum, præcipue Summi Pontificis non posse, nisi fortè per vim, quidquam detrahere. Nam S. Gregorius sententias contra Adrianum, tum Metropolitani, quem Marca vult jure delegato processisse, tum Ioannis Episcopi primæ Iustinianæ, quem delegârat Mauritius, non obstante delegatione Principis, irritas declaravit, & in ipsos Iudices animadvertit; ut constat ex epistola *supra citata*, & ex præcedenti: quod certe non attentâsset S. Pontifex, nisi suæ sibi potestati conscius intellexisset, supremum illius negotij judicium ad se pertinere, Iudicesque, qui primam tulerant sententiam, quantumvis interveniisset Imperatoris opera, etiam in ea ferenda, à se pependisse, sibique subjacuisse.

56. His Ecclesiæ vulneribus à se inflictis lenimentum apponere simulat Marca *n. 7.* docens, graviora inferri ab Imperatoribus Constantinopolitanis, quorum tamen usum juris nomine decorat, quàm à Regibus Franciæ; *Potiori jure utebantur Imperatores Constantinopolitani, &c. Quæ ideo commemoravi*, inquit, *ut constaret omnibus, Reges Francorum cautiùs, & reverentiùs se gessisse in his controversijs, quæ disciplinam respiciunt.* §. etiam 8. observationibus quibusdam, sed ad sanandum malum non omninò efficacibus, quæ hucúsque dixerat, in isto libro nonnihil temperare conatur. Scribit enim v. g. ad Imperatores Romanos de judicio Canonico ab uno Episcopo reddito, querelam statim rectâ viâ non fuisse delatam in materia fidei, rituum, disciplinæ Cleri, aut in alia quæstione Canonica; sed parum juvabat Ecclesiam ille ordo, siquidem *mediatè*, sub prætextu delegationis, aut alijs modis parùm Canonicis, hujusmodi causas tandem Principes ad se trahebant.

Axioma *sextum* Petri de Marca.

57. Hic Author *lib. 4. de concord. sacerd. & Imper. cap. 10. 11. 12. & 18.* multa profert in favorem Regum, decretis Ecclesiasticis adversari nitentium, quorum specifica mendio fiet in progressu responsionis mox subnectendæ.

Responsio.

58. Author *prætacti tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 11. cap. 8.* rem hanc ita prosequitur. Quamvis injuriam ferre, plerumque laudabile sit, præcipuè cùm ab ijs infertur, quibus aliàs parêre tenearis; eam tamen licet amovere, dummodò institutam à Deo, atque à legibus viam sequaris. Est autem ea prima lex, ut nemo in propria causa Iudex sit, nemo propriam ulciscatur injuriam; maximè ubi superior ejus, qui damnum intulit, adiri potest, ac jus dicere non recusat. Hanc equidem legem ad unguem servatam volunt in Gallia sæculares Judices, in ijs causis, quæ apud ipsos judicandæ sunt, & ab ea, si quis ex Clero vel tantillùm recesserit, appellationes ab abusu, ac mulctæ intentantur. Quid ni ergo Judicibus Ecclesiasticis eâdem regulâ uti licebit? Quia scilicet ad Regem, ut in temporalibus, ita & in Ecclesiasticis devolvere ad supremam authoritatem enituntur Aulici; idque per gradus, & ordine quodam, ne injustitia tam citò deprehendatur.

Dominus de Marca *lib. 4. cap. 10.* refert 59.
litteras Philippi IV. Francorum Regis (cujus, ut jam notavimus, exemplum in rebus Ecclesiasticis, à tempore præsertim dissidij cum Bonifacio VIII. suspectæ authoritatis est) quibus litteris datis anno 1312. continetur, Regem requisisse Episcopum Santonensem, ut abstineret ab exigendis decimis de rebus, de quibus præstari non consueverunt, & inductum novum decimandi modum corrigeret: eique spopondisse, si jus ad hoc habere crederet, se cum deliberatione sui consilij provisurum, prout servatâ pace, & salute Ecclesiæ, & patriæ, faciendum foret: mandâsse autem Bailliaco, seu Senescalco Santonensi, ut, si Episcopus, quod requirebatur, implere recusaret, aut nimiùm differret, bona ejus temporalia sequestrarentur, & ad manum Regiam tenerentur. Æquius fuisset, ut Episcopi Santonensis exactio Metropolitani fuisset authoritate compressa; præsertim, cùm, ut fatetur Marca §. 3. decimarum cognitio, ex ipsiusmet Philippi IV. declaratione pertineret ad Judices Ecclesiasticos. Sed vera, inquit §. 4. ratio, ob quam Philippus negotium istud sibi vendicat, è scandalo petitur. Frustra verò §. 5 authoritate S. Leonis, Anastasij & alterius Leonis Episcopi Santonensis probare nititur, Principum esse, scandala compescere. Id enim verum est in rebus Ecclesiasticis, dum ob improborum potentiam, & protervitam, Ecclesia hæreses, schismata, vel alia scandala sistere non potest, Regumque opem implorat, vel dum sine periculo seditionis, homicidiorum, aliorúmve malorum remedium ab Ecclesia exspectari non potest, quod periculum tunc aberat, & tam raró contigit, ut hinc regula constitui non possit.

Rescriptis Regijs consultum semper fuisse 60.
libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, affirmat idem Marca §. 5. Illud ita factum *semper*, probat hic libellis Comitiorum Turonensium anni 1493. Recentiora sunt illa monumenta, quàm ut inde ostendi possit, idem fuisse factum *semper*. Non negamus certè, postremis his sæculis, Regni illius Ordines, etiam Clerum, Regiam authoritatem invocâsse contra Romanum

Pontificem; sed quæstio est, an laudabilis sit ille recursus, ut possit in argumentum Juris assumi? Sanè, si ex fructibus ferendum est de arbore judicium, usum istum ad minus suspectum habebunt, quicunque jurisdictionem Ecclesiasticam illæsam cupiunt. Viam enim, ut alibi observavimus, laicæ potestati aperuit, non solùm ut imminueretur debita sanctæ Sedi reverentia, sed etiam ut extingueretur ferè jurisdictio Episcoporum, aut potiùs ad tribunalia sæcularia traheretur. Itaque si propter temporis improbitatem, seu propter incommoda, in quæ se Gallia conjecerat, Pontificum Avenionensium partes amplectens, aliquam habuit à necessitate excusationem; non tamen ejusmodi fuit exemplum, quod oporteat imitatione dignum judicare.

61. Prospectum erat executioni Bullarum, quibus certa privilegia Regibus pro terris, & fiscis Dominij Regij, à Romanis Pontificibus concessa fuerant, deputatis Conservatoribus. *Sed quia*, inquit Marca §. 7. *variis ludificationibus, & judiciorum formulis negotium trahebatur, visum est Principi, tuitionis jure rem ad se revocare.* Putásne Conservatores privilegiorum ludificare, variasque judiciorum formulas excogitare, quò negotia, quæ Regibus cordi sunt, tantùm protrahant, ut ipsis necesse sit, authoritate propriâ, per bonorum captionem, & mulctas inflictas, Episcopos cogere ad revocandas excommunicationis, aut aliarum censurarum sententias, non solùm contra prohibitionem Concilij Tridentini Gallis parùm accepti, sed etiam contra constitutionem Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. quod maximi facit Marca *cap. 18. §. 3. & 4.* licèt illius verba detorqueat, ut intento suo obesse non videantur. Ita scilicet securum est, privilegia Principibus conferre, qui prætextu conservandæ gratiæ collatæ, alia jura concedentis, quæ religiosiùs tueri deberent, sensum usurpant.

62. Hanc autem Ecclesiæ injuriam patienter tolerari vult pro more suo Marca §. 8. quia graviores olim intulerunt Imperatores. Ex quo intelliges, quod *alibi* monuimus, eum pessima, & iniquissima exempla sæpe proferre, non ut omninò probet (puderet enim, nisi saltem addito temperamento) sed ut illorum comparatione innocua videantur, aut saltem toleranda, quæ in Gallia fiunt injusta quidem, sed minùs, quàm quæ ab Imperatoribus perpetrata sunt.

63. *Cap. II. §. 1.* Controversiarum de invasa jurisdictione Principum, altum silentium apud veteres fuisse notat, quia ab Episcopis antiquis sola Canonum disciplina curabatur. Si quando se rebus sæcularibus aut judicandis, aut administrandis immiscuerunt, id sibi legibus suo sæculo latis indultum profitebantur. Id planè verum: sed addendum, hodie controversijs hujusmodi tribunalia sæcularia continuò personare; non tam quòd Episcopi Principum jurisdictionem usurpent, vel etiam Canonum disciplinam non curent, quàm quòd Judices sæculares, Ecclesiasticam jurisdictionem invadentes, suam conquerantur fuisse invasam, aut violatos Canones; causasque spirituales ipsi judicent, nedum non permittant Episcopis temporales. Cætera, quæ disputat hîc Marca, sunt *aliàs* examinata.

Laudandus tantummodò est, quòd *in fine hujus capitis* saniùs sentiat de libertatibus Gallicanis, quàm Papirius Massonus: quæ tamen laus non est admodùm insignis.

Concilijs perinde, atque Summis Pontificibus obsistunt Galli, ut probat Marca *cap. 3.* dum sibi adversantur. Quæ quidem resistentia, ut minùs culpabilis appareat, trito illo prætextu excusatur, quòd jura Principum læsa sint; quod si verum esset, non vi, aut minis, sed modestiori, atque honestiori esset ratione reparanda injuria. Cui enim probentur hæc verba Henrici II. Regis Angliæ à Marca, *in fine §. 1.* post Wilielmum Malmesburiensem relata: *Quid ad me de litteris Apostolicis? Jura Regni mei nolo amittere.* Sed nescio, an justum cuiquam videri queat, quòd ipsimet Pontifices pravorum Consiliariorum suggestione inter sua jura, quæcunque libet, recenseant, ac postmodùm adhibitis severioribus pœnis exigant. *Vetuerant Gregorius VII.* (ut verbis Marcæ *§. 1. cap. 13.* utamur) *Urbanus II. & Paschalis II. excommunicationis pœnâ adjectâ, ne Episcopi, aut Clerici hominio, fidelitatem tantùm fidelitate se Principibus adstringerent. Tamen Radulphus in Episcopatum Rhemensem, expulso Gervasio invasore, restitui non potuit, nisi præstito hominio.* Factum excusat Ivo Carnotensis *epist. 90.* ex parte Radulphi, sed quia existimet, ideo excusandos esse Ministros Regios, quia Episcopus Carnotensis cum S. Augustino monet Paschalem, ut ait Marca, *ubi populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid Canonum severitati, ut majoribus malis sanandis, charitas sincera subveniat.* Ita scilicet Aulici homines controversias Ecclesiæ cum Principibus componi curant, non detectâ Principis injuriâ, quæ irrogatur Ecclesiæ, sed intentatis Ecclesiæ majorum malorum minis, (*ubi populorum strages jacent, & majora morbi*) nisi Principum votis sese accommodet.

Apertiùs improbat Ivo coactos Clericos pauperes à Magistratibus Regijs ad persolvendas aliquas præstationes, contra quas Clerus Carnotensis privilegium speciale à Paschali II. impetraverat. Magistratus excusat Marca §. 2. vel saltem excommunicari non debuisse, contendit, quia eorum injustitia erat dubia; *Et quod Clerici de rapina damnabant, Præpositi inter salaria recensebant.* Certè si mutato nomine, res apertè injustæ, evadunt dubiæ; si satis est, ut salarij, juris, alteriúsve tituli colore obducantur, ut ab Ecclesia vindicari nequeant, nihil erit, quod sæcularibus in res Ecclesiasticas non liceat. At ipsâ Præpositorum illorum manifestam fuisse injustitiam, testatur Ivo his verbis *epist. 271. Non enim monuitur aliquid de jure Præpositorum, vel auferitur. Sed Apostolicâ authoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ, & pauperum vexationes, quæ non tantùm Clericis, sed nec laicis licet exercere, vel exigere, &c.*

Capite 18. ut jam *alibi* probat Marca, exemplis scilicet, Reges, eorumque Officiales, per

per pignorum captiones, & mulctarum exactionem cohibuisse Episcopos, jurisdictionem suam adversùs Regiam defendentes censuris; sed sunt ejusmodi exempla, quæ ideo vult admitti, quia pejora, & à sapientibus improbata edidit Justinianus. Quid enim aliud, quam vim illatam innuunt illa verba *epistolæ 137.* Ivonis à Clero Belluacensi consulti circa controversiam inter ipsum, & Ludovicum VI. de cognitione causæ cujusdam Canonici ejus Ecclesiæ, quam Curia Regis ad se evocabat, Ecclesiastica verò retinere conabatur. *Si autem sciremus, vos esse paratos, ut cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, ut sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere.*

8. Quæ *in tribus ultimis libri 4. capitibus* tractat Marca de appellationibus tanquam ab abusu, *lib. seq.* expendemus, alia jam alibi, prout sese obtulit occasio.

9. Sufficiunt, quæ hactenus dicta sunt, ut quilibet agnoscat, Illustrissimum Petrum de Marca concordiam inter Sacerdotium & Imperium procurare his libris voluisse, eâ tantùm conditione, ut quæcunque in Gallia geruntur à Ministris Regijs, & sæcularibus Iudicibus, patienter ab Ecclesia ferrentur, consideratis gravioribus injurijs olim Ecclesiæ illatis, aut etiamnum metuendis, nisi temperamentum illud acceptetur. Nec minùs Episcoporum Gallicanorum, quàm sanctæ Sedis jura, ejus Authoris doctrinâ violari, ideoque non satisconsultò agere, qui tantam ei authoritatem deferunt, ejus eruditionis opinione ducti, aut quòd Galliæ adversùs Romanum Pontificem in nonnullis articulis favere videatur; cùm magis ei cordi fuerit, Principum adversùs Ecclesiam, quàm Episcoporum adversùs Curiam Romanam causæ patrocinari, ac Præsidis Regij eo in opere, ut ipsemet confessus est, potiùs, quàm Episcopi personam sustinuerit.

CONCLUSIO.

PRæinsinuata axiomata refelluntur ab ipsamet justitiæ ratione, cuique jus suum tribuente, atque adeò exigente, ne potestas politica ultra suam sphæram se ingerat in juribus Ecclesiasticis.

70. Explicatur. Miranda prorsus est Gallicanorum Doctorum variatio, quòd aliquando contendant, duas in orbe Christiano jurisdictiones supremas, *Ecclesiasticam* scilicet & *politicam* inter se comparari, ceu duas disparatas, & à se invicem in suis sphæris independentes, ac nullatenus subordinatas potestates: aliquando verò contendant, ea, quæ potestatis Ecclesiasticæ sunt, subdere authoritati Regiæ, ac *politicæ* Majestatis. In *primo* equidem *articulo* confutavimus Gallorum opinionem, ac si potestas Regia quoad sui *morale* exercitium non subjiceretur Papæ authoritati. Ex quo adeò principio adversùs Clerum Gallicanum firmato nefas jam est, Papæ ordinationes subdere Regiæ potestati: præter quod nihilominùs in ipsis fidei principijs fundatum argumentum, ipsa etiam naturæ ratio, dictans politicæ potestatis sphæram circumscribi luminis naturalis limitibus, certissimè ac indubitanter suadet, eam haud protendi posse ad superiorem lumini supernaturali commensuratam sphæram, nec adeò fas ipsi esse, ut ingerat se judicijs & actibus, quà supernaturali isthâc sphærâ comprehensis; uti ex subsequentibus probationibus magis elucidabitur.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, quid muneris sit Romano Pontifici, quid Episcopis & Regibus circa Conciliorum Oecumenicorum convocationem.

71. COncilij namque Oecumenici characterem Christus Dominus *Matthæi 18.* ita sanxit, ut, quibus in Ecclesiâ jus est ligandi, & solvendi, coadunarentur in nomine, seu auhoritate Christi vicariâ. Hanc verò ex inconcussis fidei principijs ostendimus, esse penes Romanum Pontificem. Sicuti ergo ex hujus authoritate constat Concilij Oecumenici character legitimus, sic ejus & convocandi, & & dirigendi, & confirmandi jus immobiliter in ipso subsistit. Quod adeò pro perpetuo Ecclesiæ, infernalibus portis secundùm Christi pollicitationem semper superioris statu, Divinitus constitutum jus, ex nullâ vel negligentiâ, vel scelere tolli potest, quamdiu authoritatis Christi Vicariæ characterem tenet Pontificis persona, isthoc unicè destituenda, ubi à verâ fide, Catholicæ Ecclesiæ *essentiali* formâ deficiendo, eo ipso desinit esse hujus membrum, atque adeò Capitis ex ipsâ rei naturâ, non nisi in Ecclesiæ vero membro subsistere potente prærogativâ, defectu conditiõis Divinitus sancitæ, excidens, amittit Vicariam Christi authoritatem. In quo proinde casu, ubi Pontificis ipso Iure Divino exauthorati persona eam authoritatem ad Ecclesiæ sanctæ perniciem, sibi arrogare pergeret, ex legitimo defensionis jure, cuivis Ecclesiæ membro, Episcopis præsertim in partem Pastoralis solicitudinis vocatis ex muneris sui debito, nec non Imperatori ex Advocati erga Ecclesiam officio, cunctisque Christianis, seu Regibus, seu Principibus, & Magistratibus ex characteris per Baptismum sibi impressi exigentiâ, adversùs Ecclesiæ sanctæ hostes potentiam suam omni cum fidelitate impendere obstrictis fas, imò pro cujusque viribus obligatio est, providere de Concilij convocatione, quò legitimus in sanctâ Sede Apostolicâ subrogetur Petri successor, in quo per ipsissimum Jus Divinum ad Ecclesiam redeat Vicaria Christi authoritas.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur, quomodò Imperatores se habuerint erga Concilia Oecumenica.

72. DE Concilio Nicæno *in 6. Synodi Act. 18.* legimus: Constantinum & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregâsse. Damasus quoque *in Pontificali* scribit, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæâ Concilium. Sed quo discrimine Pontifex & Imperator concurrerint in congregandâ illâ Oecumenicâ Synodo, audiamus ex Ruffino *lib. 10. cap. 1.* asserente, Constantinum ex sententiâ Sacerdotum Concilium indixisse. Unde evincitur, Imperatorem non tam Jus statuendi Concilij indictionem, quàm hujus duntaxat executionem ex sententiâ Sacerdotum, Pontificisque authoritativo jussu, seu consensu usurpâsse.

73. De Constantinopolitano I. pariter refert Theodoretus *lib. 6. historiarum cap. 8.* Theodosium seniorem non tam illud indixisse, quàm litteras Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur, ad Episcopos misisse, sic enim Pontifici scribunt Episcopi congregati in illo Concilio apud Theodoretum *citatum. Mandato litterarum superiore anno à vestra Reverentiâ ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus.* Quare Theodosius non nisi ex mandato litterarum Apostolicarum Concilium indixit.

74. De Ephesino 1. Prosper *in Chronico* indicat, hanc Synodum factam esse Cyrilli industriâ, & Cælestini Papæ authoritate. Constat etiam ex Evagrio *lib. 4. cap. 4* & ex Epistolâ Cælestini ad Cyrillum, quæ habetur *inter opera Cyrilli*, & ex Photio *in lib. de septem Synodis.* Cyrillum profectum esse ad illud Concilium tanquam Legatum Sedis Apostolicæ, quod est argumentum certum, eam Synodum non sinè consensu Pontificis coactam esse.

75. De Chalcedonensi patet ex Epistolâ Martiani Imperatoris ad Leonem Papam *relatâ ante Concilium Chalcedonense*, Imperatorem, cùm vellet indicere Concilium, rogâsse Pontificem, ut ipse veniret, & Concilium faceret; vel si nollet venire, per litteras significaret, quid agi vellet. Et *in fine* concludit, se scripturum ad omnes Episcopos, ut ad certum locum conveniant, & *quæ Christianorum Religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definivit, tuâ dispositione declarent.* Ex quibus patet, illam Synodum non sinè authoritate Pontificiâ, ejusque vel jussu, vel consensu, & approbatione indictam & celebratam fuisse. Quinimò Imperator Martianus vocando Papam, ut ipse veniret, & Concilium faceret, apertè fatus est, Synodum Oecumenicam non subsistere absque authoritate Pontificia.

76. Extat porrò *inter Epistolas ad Concilium Chalcedonense spectantes* quædam Epistola *Episcoporum secundæ Mesiæ ad Leonem Imperatorem*, in quâ sic habetur: *In Chalcedonensium civitate multi sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verò Caput est Episcoporum.* Gelasius etiam Papa *in Epist. ad Episcopos Dardaniæ* dicit: *Solam* (aliàs nimirum Episcopales sedes, non verò Imperatoriam dignitatem excludendo) *Apostolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonensis fieret, suâ authoritate decrevisse.*

Manifestum igitur est, prima illa Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse ex Pontificum sententiâ & consensu. Cur autem tunc non solus Pontifex indixerit, ratio non erat, quia sinè auctoritate Imperatoris coactam, non esset futurum ratum apud Christianos, cùm Athanasius *in Epistolâ ad vitam solitariam agentes* apertè dicat: *Quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Sed quia, cùm Imperatores parte maximâ Christiani orbis potirentur, Concilia in ipsorum ditione semper celebrabantur, legeque cautum erat, ne collegia, cœtusque haberentur eorum injussu ob seditionum suspicionem, præterquàm quòd ipsorum sumptu res toti peragebatur.

77. Neoterici equidem confingunt, Carolum V. habuisse in animo, vetus convocandi Concilij jus Cæsareum sibi vendicare. Verùm oppositum clarissimè elucet ex tota ferè Concilij Tridentini historia. Sed sufficiat, hîc attexere Recessum Ratisponensium Comitiorum de anno 1532. Nempe Cæsar inducitur ibi relationem fecisse de Recessu Augustano, virtute cujus Cæsari incumberet, à Pontifice efflagitare Concilij indictionem: posteà censuit Pontificis ad hoc propensionem, quamquàm difficultas adhuc foret de tempore, loco, & modo Concilij.

78. Dein refertur Electorum ac reliquorum Ordinum ad Cæsarem petitio, ut instanti suâ operâ apud Pontificem procuraret Concilium maturè indicendum, atque hoc apud Pontificem non obtento, Cæsar ex officio Cæsareæ potestatis, ex debito Pacis ac Religionis dissidijs in Germania turbatæ, continuò restituendæ, convocaret Comitia (non Concilium Oecumenicum, uti aliàs Heideggerus contra expressum Recessûs Ratisponensis tenorem perfidè verterat) Imperialia, per quæ malis imminentibus obviaretur. Denique Cæsar præinsinuatis Ordinum consilijs insistens promittit, se totis viribus curaturum, ut Pontifex Romanus Concilium sex mensium spatio indicat, anno proximè sequenti inchoandum. Si verò quovis modo impediretur, Pontifice alioquin ad id satis prono, velle se tunc Comitia Imperialia conscribere, ac in his exponere Statibus causas & rationes obstaculorum Concilij indictionem impedientium, ut pro rerum exigentiâ sive per Concilij convocationem, sive per alia remedia communi Religionis Bono provideri possit.

79. Pergunt porrò Neoterici, Paulum III. ob causam arrogatæ Concilij indicendi potestatis litteris ad Carolum V. datis Anno 1544. huic acerrimis verbis exprobrâsse, *At verum*

qui-

quidem est, Paulum de Caroli Decreto in Comitijs Spirensibus edito, ita conquestũ fuisse: *Tu verò nunc Fili cùm vel de Concilio Generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius inprimis Germaniæ, mentionem facis; vel de Nationali, cujus etiam meministi; vel de futuro ad proximum autumnũ Imperiali Conventu, in quo de Religione, cæterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus nomen ubique* (Hæreticorum nimirũ arrogantiâ in tanto rerum discrimine ad id compulsus fuit, ut tamen Pontificem *positivè* non excluderet, sed ejus duntaxat nomen supprimeret) *cui divina & humana jura, approbante tot sæculorum consensu, supremam cùm cogendi Concilia, tum statuendi de his, & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ unitatem, utilitatémque spectant, authoritatem dederunt. At verò neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesiæ & Majorum abs te morem, atque institutiones Divinas minimè servatas fuisse; sed alia præterea, & ea quidem non pauca peracti jam Conventûs decreta leguntur, quæ maximè & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt &c.*

81. Nihilominùs tantum abest, ut Cæsar hanc exprobrationem refutârit, sed hæretici etiam præsagientes à Carolo in Pastoris virgam tam acerbam recalcitrandum, ita elusi sunt, ut ipsum experiri debuerint non modò in Romanæ Sedis reverentiâ persistentem, sed à profanis illis Decretis Spirensibus receedentem: unde Cæsar probavit Concilium à Pontifice mox indictum, veluti hæc omnia *ex Actis Authenticis* fusiùs prosequitur Pallavicinus *cit. lib. 5. cap. 6. & 7.* Ex quibus proinde elucet, Jus convocandi Concilia in Pontifice illibatum subsistitisse, imò ex spontaneâ Cæsaris per subreptionem nonnihil exorbitantis cessione, magis firmatum fuisse.

PROBATIO III.

Quâ ostenditur origo immunitatis Ecclesiasticæ, in vi cujus Imperatores ac Reges se abstinere debent à causis & judicijs Ecclesiasticis.

82. Neoterici equidem opponere solent, quòd ex *jure Divino naturali* omnis anima debeat secundùm Apostolum esse subjecta Magistratui politico, Nihilominùs hoc jus ita est in se *formaliter* determinatum, ut tamen *materialiter* quoad personam, cui competat ejusmodi authoritas, non extet aliqua *juris Divini* determinatio, sed ab hominum arbitrio, vel constitutione humanâ dependeat designatio personæ, cui potestas illa Divinitus constituta attribuatur. De cujusmodi adeò humanis constitutionibus quæritur, num *Divino & naturali* juri præjudicent, quando authoritatem *Divino* jure *formaliter* constitutam certo personarum generi decernunt? Si *affirmativè* responderetur, consequens foret, à jure *Divino & naturali* exorbitare jus Regiæ successionis ad certam Francicv. g. Regni familiam non ex aliâ, quàm humanâ sanctione hæreditariè determinatum. At potestatem ejusmodi in designandis certis personis, quibus judiciaria Divinitus constituta authoritas in causis etiam *civilibus* ac sæcularibus competat, Apostolus *1. Corinth. 2.* agnovit in fidelibus primævæ Ecclesiæ. *Sæcularia*, inquiens, *judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Quid ni ergo Concilijs Oecumenicis potestas fuerit, in certo hominum genere pro personis Ecclesiasticis quoad causas etiam *Civiles* designare & constituere Iudices Ecclesiasticos? Id proinde statutum legimus in Concilio Chalcedonensi *can. 9. Si Clericus adversùs Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad sæcularia judicia non recurrat, &c.* Concilium porrò Agathense *Can. 32.* ita statuit. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente, pulsare.* Idem habent Concilium Carthaginense III. *Can. 9.* & Toletanum III. *Can. 31.* Matisconense *Can. 8.*

Adstipulantur ijs constitutionibus Ecclesiasticis ipsi etiam Imperatores. Justinianus namque *in Novellis 79. 78. & 133.* Clericos & Monachos eximit à sæculari judicio. Num ergo hoc exemptionis privilegium *Divino, naturalique* Iuri præscribit? Uti profectò Apostolus citra *Divini, naturalisque* juris violationem fidelibus primævæ Ecclesiæ concessit immunitatem à foro Magistratûs politici adhuc Ethnici, authoritatemque constituendi in Ecclesiâ judices. Sic ea Imperatorum privilegia constitutionibus etiam Ecclesiasticis firmata, æquè non præjudicant Iuri *Divino*. Etsi verò prætacta Imperatoria privilegia non in Causis *criminalibus*, sed *civilibus* duntaxat eximant personas Ecclesiasticas, voluerintque Imperator in *criminalibus* cognosci causam, non tamen condemnari Clericum, nisi priùs ab Episcopo fuerit degradatus. Nihilominùs quia ex Paulo *superiùs* adducto liquet, Ecclesiasticæ authoritati fas esse, *judiciariam* etiam potestatem, quatenus Ecclesiæ bonum exigit, ex politico magistratu transferre in alias personas. Idcircò Ecclesia potuit politicæ ac Imperatoriæ authoritati circa Clericorum causas etiam *criminales* ponere modum, atque in his omnimodam statuere immunitatem. Unde Cajus Papa *Epist. ad Felicem Episcopum. Nemo*, inquit, *Episcopum, aut reliquos Clericos apud Iudicem sæcularem accusare præsumat.* 83.

PROBATIO IV.

Quâ vindicatur sententia Petri de Marca relata in scheda, quam Baluzius libris illius *de Concord. sacerdotij & imperij* præfixit, nempe: *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegijs Apostolicis, non autem mero jure Regio.*

84. Huic equidem Petri de Marca sententiæ haut insistit præinsinuatus Baluzius *in variis suis operibus* captans occasionem, Regibus

suis, tanquam Coronæ jus, vendicandi authoritatem erga res Ecclesiasticas. Unde idem Baluzius *in præfat. ad Capitularia Regum Francorum edita anno 1677. §. 10.* dicit; *insignem, atrocémque injuriam sacrosanctæ Principum dignitati fieri ab illis, qui pronuntiant, Philippum, Carolum Magnum, & alios Francorũ Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandã disciplinã Ecclesiasticam condidêre, non suâ præcisè authoritate id fecisse, sed nutu, & permissu Episcoporum, approbantibus Episcopis, & Conciliis, imò pleraque eorum Capitularium, authoritate Romanorum Pontificum condita fuisse.* Quare ad hanc Baluzij vocem refellendam, ita ratiocinatur Author *tract. de libert. Eccles. Gall. lib. 11. cap. 10.* Ane igitur secundùm Baluzium, Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidêre, suâid præcisè authoritate id fecêre? Ergo vel non sunt distinctæ potestates Ecclesiastica & sæcularis: vel solis Principibus data à Christo authoritas, *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condendi.* Utrum concedet Baluzius? Neutrum sanè, quandoquidem Catholicus est. Atqui non datur medium. Si quis enim reponat, inter Pontifices & Principes divisam esse authoritatem, ita ut ambos concurrere necesse sit, negabit Baluzius; *Et insignem atrocémque injuriam sacrosanctæ Principum dignitati factam* conqueretur, si eis *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam condentibus*, adjungatur *nutus & permissus Episcoporum, approbatio Episcoporum, & Conciliorum, authoritas Romanorum Pontificum.* Nam *suâ præcisè authoritate id fecisse*, illos pro virili defendet.

86. Quam ob rem benè accidit Gretsero, quòd *nec instituti ratio, nec angusti præfationis limites siverunt, ut Baluzius ejus scriptionem pluribus verbis refelleret.* Justam enim passus fuisset erubescentiam, quam commeritus est, *quando abusus verbis Christi Domini, quibus claves Regni cælorum Petro, & successoribus ejus promisit, omnem de rebus Ecclesiasticis decernendi authoritatem ademit Principibus, nec Imperatorem, inquiens, nec Regem, quà talis est, ullam Ecclesiasticam jurisdictionem habere.* Verùm si *Imperator, vel Rex quà talis est, de rebus Ecclesiasticis decernendi authoritatem habet*, habuerunt illam etiam Infideles, & Pagani, siquidem veri Imperatores, aut Reges extiterunt, non obstante infidelitate. Itaque potuit Nero, potuit Diocletianus, potuerunt alij similes, *leges Ecclesiasticas, seu Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condere, idque suâ præcisè authoritate.* Quis Catholicus id patiens audiat?

87. Contendunt Galli, supremam Regis in temporalibus potestatem, Ecclesiasticæ potestati nullo modo subjacere, cur similem saltem prærogativam negant Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut laicæ non supponatur in spiritualibus, & Ecclesiasticis? Sint saltem, ut voluit alius scriptor Gallicanus, tanquam duæ lineæ parallelæ, quæ quantumvis procedant, nunquam sibi invicem occurrunt, aut inter se conjunguntur. Claudicat hæc paritas apud Baluzium. Ordo est, seu subordinatio in potestatibus circa leges Ecclesiasticas. Ergo ut in hujusmodi negotijs laici Clericis subdantur. Econtra verò: *Satis erit*, inquit Baluzius, *uno verbo admonuisse; non ita, ut Gretsero visum est, ab Episcoporum nutu, ac permissu pependisse olim potestatem Regum nostrorum in ferendis legibus Ecclesiasticis, cùm contrà constet, Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum in Consistorio Principum examinari solitas ævo Caroli Magni.*

88. Ne objicias, impatiens Lector, de facto loqui Baluzium, non de jure: neque præceps judicium de hujusmodi examine ferendum esse, cùm possit aliquando tam bono fine, ac cum tanta modestia fieri, ut inculpabile videatur. Non patitur Baluzius interpretem, ipse continuò exponit, quorsum *constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum in Consistorio Principum examinari solerent*, subjungens; *Et eorum confirmatione indiguisse, ut valerent. Non solùm, ut interveniente Principum authoritate facilius reciperentur, & efficaciùs executioni demandarentur, sed, ut valerent.*

89. Hinc inferes, quid concludendum sit ex Baluzij & Marcæ principijs, si conferantur inter se potestas Summi Pontificis & potestas Regis Christianissimi circa constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum: quandoquidem Baluzius *in hoc loco* docet, illas *Principum confirmatione indigere, ut valeant: in libro autem 6. de Concord. sacerdotij, & Imperij* Domini de Marca, quem Baluzio debemus, pluribus in locis, præsertim *cap. 14. §. 5.* asseritur, quòd *suprema potestate fruebantur Concilia Provincialia Galliarum, jure consultationis Ecclesiæ Romanæ servato in majoribus causis*; idque illo præcipuè tempore, de quo *supra* loquebatur Baluzius. Sic enim incipit prædicti *cap. 14.* Marcæ *§. 6. Ævo Caroli Magni, Concilijs istiusmodi conservata est suprema potestas in judicandis Abbatibus &c. Capite* autem *15. §. 3. satim atque*, inquit, *Summi Pontifices eboluerint, tàrunt supremam eorum in judicando potestatem, comminati sunt Episcopi, se ab eis celebrandis, quid inutilia futura sint, abstenturos.* Additque, effectum minas secutum. Itaque decreta Conciliorum, Regum confirmatione indigent, ut valeant, confirmatio adeò perniciosa est, ut præstet, nulla celebrari Concilia Provincialia, quàm ut Summi Pontificis confirmationi submittantur.

90. Quomodò autem probat Baluzius, *constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum, Principum confirmatione indiguisse, ut valerent?* Hâc ratione, quam continuo profert; *Sanè Reges nostri tunc putabant, se terræ Dominos esse, non verò Episcoporum Vicedominos, Villicos, ac Ministros, quales eos facere voluisse videtur Gretserus. Testis est Carolus Calvus in epistola scripta ad Hadrianum II. Papam anno 871. in causa Hincmari Episcopi Laudunensis.* Veriùs dixisset; Testis est Hincmarus Rhemensis in Laudunensem, ac in Summum Pontificem Caroli Calvi nomine, cùm non auderet suo, verbis acerbissimis, cùm alio modo non posset, iram suam exprimere quærens. Sed videamus, quid scribat Carolus

lusCalvus, seu Archiepiscopus Rhemensis ejus nomine; *Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini hactenus fuimus computate; & ut Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris Divina potentia præcepit præesse, jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et S. Augustinus dicit: per jura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale imperium Reges Villici fiunt, actoréque Episcoporum.* Formandum erat argumentum, non enim facilè apparet consequentia. *Reges non sunt Episcoporum Villici: ergo constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum confirmatione indigent, ut valeant. Vel; Reges & Imperatores jus stringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt: ergo constitutiones confirmatione indigent, ut Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum convaleant. Vel etiam; per jura Regum possidentur possessiones: ergo &c.*

91. Sed fortasse vel S. Leo, vel Synodus Romana, vel S. Augustinus à Carolo Calvo citati, Principibus illam authoritatem tribuunt. *Primò* S. Leo cum Synodo Romana quidquam simile locutus non est, ut non ignorat Baluzius, qui ad marginem §. 5. *cap. 12. lib. 4.* D. Petri de Marca, ubi citatur hæc epistola, notavit vel ex propria eruditione, vel ex institutione sui Authoris. *Leonis epistola, quæ hâc laudatur, non est Leonis Papæ, ut visum Hincmaro, etiamsi hodie quoque edita sit inter epistolas Leonis: sed est Leonis Byturicensis Archiepiscopi, scripta anno 484. ut observavit clarissimus Iacobus Sirmondus.*

92. Deinde cujuscunque sit epistola, eò spectat, ut *declaret excommunicatos* Clericos illos, qui prætermisso Ecclesiastico judicio, sæcularem adierint potestatem, quod ei summarium præfixit Pater Labbeus. Et ne qui fortasse obtenderent, quòd illuc inviti traherentur; præoccupatur excusatio hâc ratione, quòd etiam Principes hujusmodi negotia à Iudicibus Ecclesiasticis tractari vellent. *Tantâ sæculi potestates circa sacerdotalem hominem reverentiâ prævaluêre, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Divina providentia præesse præcepit, ut jus stringendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta Divalia constituta permiserint.* Non autem affirmatur, illa judicia *Principum confirmatione*, vel etiam permissione *egere, ut valeant*: vel Ecclesiam non habere circa ejusmodi negotia jurisdictionem, nisi à Principibus. Imò insinuatur, hanc eis potestatem ex jure Canonico competere, sequitur enim; *quod cum & juris antiqui formulis, & in latis frequentiùs sit legibus constitutum &c.* Nam jus illud antiquum de Ecclesiastico esse intelligendum, indicat vox illa, *formulis*, quæ in eo sensu usurpatur, cùm paulò post additur; *Quocirca nobis visum est, ut hanc, & sacræ legis, & nostri Ordinis contumeliam, & præsens ulciscereturplena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicunque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, à cælesti arceatur altario: neque ullus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, &c.*

Sanctus autem Augustinus *tract. 6. in Ioan.* 93. unde verba *citata* desumpta sunt, probat, Donatistas ab Ecclesia damnatos, & in schismate obstinatos justè potuisse bonis ad Ecclesias pertinentibus spoliari, non ut ea sibi Princeps adscriberet, sed ut Præsulibus Catholicis reddenda curaret. Quid inde concludendum, nisi, qui ab Ecclesia se separant, posse, postulantibus Catholicis, & legitimis Pastoribus, justè ab Imperatoribus, & Principibus, etiam per privationem possessionum temporalium indebitè occupatarum coerceri? At, inquies, S Augustinus docet, quòd *per jura Regum possidentur possessiones.* An ita, ut possint de rebus Deo consecratis absque ullo Ecclesiæ judicio, vel consensu, pro suo arbitrio, *suâ præcisè authoritate* disponere? Neque S. Augustinum, neque pium aliquem Principem ita verè sensisse crediderim, nisi fortè adulatorum fraude circumventum; cùm etiam de bonis profanis doceat S. Thomas *quodlibeto 12. art. 24. ad 1. quod verum est, quòd omnia sunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum sibi, vel dandum alijs: & si leges tales sunt, tyrannicæ sunt, & non absolvunt à conscientia, sed foro judiciali, & violentia.*

Denique tametsi Principes, quod non 94. credo, de possessionibus terrenis, etiam postquàm Deo consecratæ sunt, leges ferre possent absque prævio Ecclesiæ judicio, vel non accedente illius consensu: licerétne generatim Baluzio pronunciare: *Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidêre, suâ præcisè authoritate id fecisse? Aut jus illud, quo per illas tempestates utebantur Reges in dandis Episcopatibus, ex ipsorum authoritate fluxisse,* non ex concessione Sedis Apostolicæ?

PROBATIO V.

Quâ ostenditur, Reges Galliæ absque authoritate Ecclesiæ non condidisse leges Ecclesiasticas, sive Capitularia.

AUthor *præcit. tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 11. cap. 11.* vindicat Baronium à Baluzio *præinsinuatæ præfat. §. 11.* notatum, quòd scripsisset, ac si omnia Francici Regni Capitularia essent confirmata à Romanis Pontificibus. Hoc equidem Cardinalis ille ad annum 819. variis probat fundamentis, quibus tamen *præcitati de libert. Gallic. tract.* Author *ubi supra* superaddit duo Concilia in Gallia congregata sub Principibus *secundæ* Dynastiæ, ac post luctuosam illam Galliæ calamitatem, quam Zachariæ exponit Bonifacius in epistola, quæ cum responsione refertur ante illa Concilia à Sirmondo, & Labbeo, fuerunt Liptinense anno 743. atque Suessionense anno 744. Liptinense congregatum fuit, postquam Zacharias Bonifacio respondit; *De eo autem, quod nobis intimâsti, quòd te Carolomannus filius noster ad se rogavit accedere, ut in urbe Regni Francorum in sua ditione, sive potestate constituta, Synodum celebrare debeas, eò quòd*

omnis

omnis Ecclesiastica regula, sive disciplina ab eadem Provincia funditus est abolita, quod nimis mœrendum est, quòd per spatia temporum ibidem Synodus Sacerdotum minimè celebrata sit, & hoc libenter concedimus, & hoc fieri præcipimus. Nota in his ultimis verbis, *hoc fier præcipimus*, non nudum assensum à Romano Pontifice præstitum, sed authoritatem interpositam. In præfatione ejus Concilij loquitur Carolomannus, quasi ipse pnæcipuus esset Legislator, Episcopi autem ejus Consiliarij. *In nomine Domini nostri. Ego Carolomannus Dux, & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Domini 743. videlicet Kalendis Maij cum consilio servorum Dei, & Optimatum meorum Episcopos, qui in Regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium, & Synodum pro timore Christi congregavi..... ut mihi consilium dedissent, quomodò lex Dei, & Ecclesiastica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum corruit.* Et *Can. 1. Itaque per Consilium Sacerdotum, Religiosorum, & Optimatum meorum ordinavimus per Civitates Episcopos, &c.* Ita Carolomannus de Concilio Germanico, quod Liptinense præcesserat, quodque à Liptinensi receptum est, eademque dicendi formâ utitur in Canonibus Liptinensibus; *statuimus, præcepimus, decrevimus.* Verumtamen Carolomannum non *suâ præcisè authoritate id fecisse*, probat *epistola 105.* prædicti S. Bonifacij, cujus fragmentum refert Sirmondus *tom. 1. Concil. Gall. pag. 533.* cum hoc titulo: *De Statutis Synodi à Bonifacio jussu Pontificis Romani, & rogatu Principum Francorum, & Gallorum celebratæ.* Sic autem Bonifacius Cudbertum alloquitur: *Quia putamus, vos libentiùs scire velle, quàm nescire, quæ hic Sacerdotes nobiscum servanda decreverunt, vobis emendanda, & corrigenda destinamus. Decrevimus autem in nostro Synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, sine tenus vitæ nostræ velle servare: S. Petro, & Vicario ejus velle subjici. Synodum per omnes annos congregare; Metropolitanos pallia ab illa Sede quærere, & omnia præcepta Petri Canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur, & isti confessioni universi consensimus, & ad corpus sancti Petri Principis Apostolorum direximus, quod gratulando, Clerus, & Pontifex Romanus suscepit, statuimus, &c. decrevimus, &c.* Ex quibus, & alijs verbis liquet, præiviſse authoritatem Ecclesiæ Carolomanno illa Capitula edenti.

96. Id adhuc clariùs patet in Concilio Suessionensi. Nam licèt in præfatione Pippinus ita loquatur. *Ego Pippinus Dux & Princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel servorum Dei consilio, sive Comitum, sive Optimatum Francorum, colloquij apud Suessionis Civitatem Synodum, vel Concilium facere decrevimus, quod ita in Dei nomine & fecimus. Primò inprimis constituimus fidem Catholicam, &c.* Ubi videtur similiter Pippinus statuere, Episcopi autem tantùm consulere: tamen conclusio, sive Canon ultimus sic habet: *Si quis contra hoc decretum, quod viginti tres Episcopi, cum alijs Sacerdotibus, vel servis Dei, unà cum consensu Principis Pippini, vel Optimatum Francorum in Concilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Comitibus;* ubi Canonum constitutio Episcopis, consensus autem Principi tribuitur.

Observa in his exemplis, quàm parùm 97.
fuerint solicitæ olim potestates de discernendis officijs suis, cùm alicubi alteri tribuatur, quod aliunde constat ab altera præstitum, aut communi consensu peractum; ut vix ex loquendi formulis argumentari liceat, ad statuenda cujusque potestatis jura, sed assumenda sint certiora principia. Unde intelliges, non rectè Gallos ad statuendam Regum iuorum potestatem in res Ecclesiasticas, omissa discussione juris, ad exempla recurrere, in quibus non ita relucet Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium. Cùm enim illam in alijs exemplis, in quibus sola videbatur dominari potestas laica, robur suum obtinuisse perfectè conspiciamus, cur eam à reliquis excusam censebimus, in quibus non ita luculenter apparet? Cur non exiſtimabimus, in sequentibus Synodis eundem, qui in Suessionensi, ordinem fuisse servatum, atque adeò *Episcopos constituisse, Principes consensisse*, etiamsi soli Principes decreviſse videantur; quod fortè in ista factum contenderent Galli, ob præfationem, nisi conclusione revincerentur. Cùm Liptinensis, quæ omnium sub *secunda* Dynastia celebratarum prima est, non nisi post consensum, imò & præceptum Romani Pontificis congregata sit; cùm & Liptinensi, & Suessionensi, sicut Germanico præsederit S. Bonifacius, Sedis Apostolicæ Legatus: cùm Zacharias Francis scripserit, ut ad Synodum singulis annis convenirent, & ea, quæ jam ab ipsis decreta erant, probaverit; cur ejus authoritas arcebitur à reliquis Concilijs, in quibus Capitularia edita, vel à quibus desumpta sunt? Trium quidem librorum capitula, quæ collegit Benedictus, fuisse authoritate sanctæ Sedis maximâ ex parte collecta, ipsummet testatum jam alibi vidimus. Non desunt argumenta generalia, quæ suadeant, non abfuisse à reliquis authoritatem Apostolicam.

Ejusmodi sunt, quæ profert Baronius ad 98.
annum *770. ex lib. 6. Capitular. cap. 187. Authoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Unde infert Illustrissimos Cardinalis, Francorum Reges hanc legem secutos. Eundem à sancta Sede præstitum Capitularibus consensum colligit ad annum 813. & ad annũ 819. ex accurata obedientia, quam Carolus Magnus, & Ludovicus Pius sanctæ Sedi præstari volebant. *Ita unanimes*, inquit Ludovicus Pius, ut recitat Benedictus *Capitular. lib. 6. cap. 267. Divinis & Apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini, pia Canonum decreta violari. Ut nulli fas sit, sine statûs sui periculo, vel Divinas constitutiones, vel Apostolica Sedis decreta temerare.* Ut igitur Francorum

Reges,

Reges, qui leges Ecclesiasticas, seu Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidêre, non suâ præcisè authoritate id fecisse sentiamus, sufficit, ut sciamus, per *Apostolicæ Sedis decreta*, quæ *temerare* non licet, vetitum esse sæcularibus, de rebus Ecclesiasticis propriâ authoritate decernere. Sic enim decernitur in Concilio IV. Romano sub Symmacho, *Laicis, quamvis Religiosis, nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas.* Refertur *dist. 96. Cap. Bene quidem. & in Capitular. Regum Franciæ lib. 5. cap. 403.* ubi Baluzius ipse multos alios Scriptores citat illud referentes, ac speciatim Concilium Troslejanum *cap. 3.* in quo, ut dicemus, Capitularia vocat *Canonum pedissequa.*

99. Præterea Adrianus I. Codicem Canonum, & Decretalium Summorum Pontificum nullâ aliâ de causâ Carolo Magno Romæ dederat, nisi ut eorum executionem procuraret, quod indicat ultimus versus epistolæ illi Codici præfixæ; *A lege nunquam discede, hæc observans statuta.* Quæ Principes & Reges Franciæ agebant, non solùm annuentibus, sed etiam hortantibus atque rogantibus Pontificibus, atque adeò necessariam potestatem concedentibus, præstabant. Quamob rem, si quod occurrebat dubium, consulebant sanctam Sedem, non solùm circa fidem, sed etiam circa disciplinam, non illud *suâ præcisè authoritate* declarabant. Exempla multa sunt, ut Pippini *in epist. 7.* Zachariæ, Caroli Magni, & Ludovici Pij *in Capitular. lib. 6. capp. 96. & 267. Lib. 7. capp. 91 104. 187. 205. 267. Addit. 4. lib. 7. cap. 12.*

100. Ego certè, dum lego, Christianissimos illos Principes, & sanctæ Sedis, & Gallicanorum Episcoporum licentiam petisse in rebus, in quibus hodie Reges illam postulare dedignarentur, ægrè possum modernis Scriptoribus Gallicis assentiri, asserentibus, illos *leges Ecclesiasticas, sive capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam, condidisse suâ præcisè authoritate.* Quis v. g. hoc sentiat de Carolo Magno, de quo istud legitur in Concilio Francofordiensi anno 794. habito, *cap. 55. Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Adriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angliramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo, sicut Angliramnum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angliramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis, eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.*

PROBATIO VI.

Prioris continuativa circa Capitularia Regum Francorum *primæ* Dynastiæ.

101. PErgit Author. prætactus *tract. de libert. Gallic. lib. 11. cap. 12.* causam præsentem sub his verbis prosequi. Ita certum est, Principes Francorum *secundæ* Dynastiæ cum assensu Ecclesiæ, Capitularia circa res Ecclesiasticas edidisse, ut fortè non defuturi sint, qui ad defendendam illam Baluzii sententiam, scilicet editionem Capitulorum Regibus jure proprio, non ex concessione, aut assensu Ecclesiæ, competere, reponant, Pippinum, & Carlomannum ideo plurimùm Ecclesiæ detulisse, quia cùm sibi conscij essent usurpati Principatûs, sanguinis, ac successionis jure sibi non debiti, é re illorum erat, Summos Pontifices, & Episcopos, quorum maxima erat apud religiosum populum authoritas, demereri, atque illorum ope dignitatem sibi asserere: Pippini autem filium, & nepotem, ejus agendi rationem imitatos, cumque pij essent, in conservando jure Regio non ita cautè, ac subtiliter erga Ecclesiam se habuisse. Quamobrem non sunt ita prætermittenda Regum *primæ* Dynastiæ Capitularia; ut sciamus, quomodò illi se gesserint in negotijs Ecclesiasticis, atque quomodò agendum senserint. Nec enim, quod æquum quisque novit, id semper sequitur.

102. In Capitularibus Regum Francorum à Stephano Baluzio collectis, primum locum occupat constitutio Childeberti Regis, data circa annum 554. in ejus principio declarat, quæ sint Principis partes in negotijs spiritualibus; scilicet, ut eorum authoritate compellantur rebelles ad obsequendum Divinis, & Ecclesiasticis præceptis, dum Sacerdotum potestas eam obedientiam obtinere non valet. & *quia*, inquit, *necesse est, ut plebs, quæ Sacerdotis præcepta non ita, ut oportet, custodit, nostro etiam corrigatur imperio:* & prohibitis quibusdam sacrilegijs concludit; *Quicunque post admonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumserit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum, ut suscipiat, jubemus, &c.*

103. Sequitur constitutio Clotharij Regis data circa annum 560. cujus articulus *sextus* Judices sæculares in officio suo delinquentes Episcoporum correctioni subijcit: cùm hodie vice versâ Judices sæculares, prætextu abusûs, Episcoporum, aliorumque Judicum Ecclesiasticorum sententiam reforment; imò & Summi Pontificis decreta effectum sortiri non patiantur in rebus etiam spiritualibus; *Si Iudex*, inquit Clotharius, *aliquem contra legem injustè damnaverit in nostri absentiâ, ab Episcopis castigetur; ut quod perperàm judicavit, versatim meliùs discussione habitâ, emendare procuret.* Hanc quidem facultatem Episcopis non concedit, nisi absente Rege, ad quem sinè dubio pertinet propriorum Officialium censura; sed quâ possunt æquitate Scriptores Gallicani, Pastoribus Ecclesiasticis denegare potestatem efficiendi, ut Judices sæculares, dum apertè suâ jurisdictione abutuntur, præsertim in præjudicium Ecclesiæ, peccatum emendent; permittere verò Judicibus sæcularibus, ut statim atque aliquis de Episcoporum judicio conqueritur, prætermisso Metropolitano, aliisque in Hierarchia Ecclesiastica superioribus, querelam admittant; & si quem putent, revera intercessisse defectum, eos mulctis pecuniarijs plectant.

104. At, inquies, conditio Clotharianæ constitu-

stitutionis locum hodie non habet. Nunquam enim deest Rex, vel ejus consilium castigandis Judicibus contra legem injustè damnantibus, adeoque Prælatorum curâ nihil est opus. Faxit Deus, ut ita se res habeat; sed cur similiter Ecclesiasticorum Officialium emendatio legitimis eorum Superioribus non relinquitur? Quia (respondebis) Superiores Ecclesiastici emendationem vel negligunt, vel recusant. Si ita esset, admonendi tantùm essent sui officij: sed magis certè metuendum est, ne sæcularibus non tantùm propositum sit, negligentiam, vel malitiam Iudicum Ecclesiasticorum supplere, aut emendare, quàm ad se illorum trahere jurisdictionem.

105. In eadem constitutione alij sunt articuli pro conservandis Ecclesiæ juribus. Sed notatu dignus est *duodecimus*, qui est hujusmodi; *Quæcunque Ecclesiæ, vel Clericis, aut quibuslibet personis à gloriosæ memoriæ præfatis Principibus munificentiæ largitate collata sunt, omni firmitate perdurent.* Ex quibus constat, aliam fuisse olim Regibus Christianissimis mentem, à recentium Aulicorum sententiâ, qui, cùm jus Regaliæ nullâ solidâ ratione possent in omnes Gallicanas provincias extendere, eò confugerunt, ut vellent retractari donationes, aut verius restitutiones libertatis, olim Ecclesijs quibusdam à Principibus factas.

106. Refertur *tertio loco* præceptio Regis Guntramni anno 585. in qua Rex Episcopos monet, ut proprijs gregibus invigilent. Sed ab illorum officio suum luculentissimè distinguit, statuens, ut Iudices sæculares opem Episcopis ferant, &, si qui deliquisse comperti fuerint, à proprijs Iudicibus, scilicet Clerici secundùm Canones, Laici secundùm leges emendentur. *Et licèt*, inquit *absque nostræ admonitione ad vos specialiter prædicandi causa pertineat, attamen, &c.* Deinde, *sed ad vos Apostolici Pontifices, jungentes vobiscum consacerdotes vestros, & filios Senioris Ecclesiæ, ac Iudices locorum, quoscunque agnoscitis, quos vitæ qualitas honesta commendat, ita universam populi multitudinem, constanti, vel Deo placitâ prædicatione corrigite, ut & bene viventes mysticis adhortationibus sermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio Pastoralis adducat.* Et post pauca; *Quicunque Sacerdotum, aut sæcularium intentione mortiferâ perdurantes crebriùs admoniti, emendare neglexerint, alios canonica severitas corrigat, alios legalis pœna percellat.*

107. Illustrissimus Dominus Petrus de Marca *lib. 6. cap. 22. §. 7.* Reges Conciliorum Canones examinare, atque temperare posse contendens (quod tamen minus est, *quàm leges Ecclesiasticas suâ præcisè authoritate condere*) primum petit exemplum ab Edicto Clotharij II. Concilium Parisiense V. anno 615. confirmantis, & varios illius Canones modificantis. Sed Clotharius II. in Edicto illo profitetur, se cum Episcopis, quæ præcipiebat, constituisse. *Quicunque*, inquit, *hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris Optimatibus, aut fidelibus nostris in Synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententiâ judicetur, quasi ter alij non debeant similia perpetrare.* Ex quibus verbis apertè colligitur, Regem illorum juxta mentem Episcoporum, ac cum illorum consensu Canones interpretatum esse, aut, si mavis, temperâsse.

Sed & Lupus Abbas Ferrariensis in illa *epistola 81.* cujus occasione Baluzius Cardinalem Baronium immeritò arguit, quæque scripta est ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem Guenilonis, & Gherardi nomine, quæ essent Sacerdotum, quæ verò Regis partes optimè distinxit. *Præcepit itaque* (inquit loquens de Carolo Calvo) *ut ejus vobis sermonibus diceremus, se fideliter tenere, quod Rex Regum, idémque Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cælum evexit, semper cum suis futurus Divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam inter Sacerdotes divisit & Reges; ut quod sanctis docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Ecce Principum sæcularium officium; *ut quod sanctis docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Pontificum igitur est, regulas Ecclesiasticas condere; Regum autem, eas exequi, & ut subditi exequantur, efficere, quod præstant, & libentiùs, cùm de illorum assensu constitutæ sunt, & efficaciùs, cùm præceptis, & censuris Ecclesiasticis pœnas temporales adjungunt.

Ex ijs igitur, quæ à pluribus Franciæ Regibus gesta rectè videntur (sunt enim à nonnullis multa iniquè facta) certò infertur, Reges Christianissimos erga Ecclesiam, & Ecclesiasticam disciplinam fuisse optimè affectos, restaurandæ Canonicæ politiæ, ac promovendæ Religionis studiosissimos; ideoque diligentissimam, & constantissimam operam dedisse, ut Concilia, quæ adversùs omnia religionis, morum, ac disciplinæ vulnera, remedia sunt efficacissima, frequentissimè celebrarentur, eorumque Canones, adjectis pœnis temporalibus, exequendos curâsse. Cæterùm, si ex singulis, quæ tunc fiebant, argumentari liceat ad astruendam Principum sæculariù in res Ecclesiasticas authoritatem; poterunt etiam inde argumenta duci, ad vindicandam Ecclesiæ potestatẽ, non solùm in bona, & jura temporalia Regni, sed etiam in Coronam ipsam Regiã, concludendumque, penes Ecclesiam esse, Reges destituere ac restituere; quia Ludovicus Pius authoribus Episcopis, depositus fuit ab Imperio, & Regno, ac postmodùm restitutus; denique Regnum secundùm voluntatem Episcoporum erit administrandum, nam cùm recessisset Lotharius, Ludovici Pij filius, Ludovicus & Carolus ejus fratres ditionem sibi sinè assensu Episcoporum non vindicârunt; ut narrat Nithardus, Caroli Magni nepos ex filia *hist. lib. 4. init.* quæ extat *tom. 2.* Andreæ Ducheine; *Et primùm quidem visum est, ut rem ad Episcopi, Sacerdotésque, quorum aderat pars maxima, conferrent.* Sed non consenserunt Episcopi, nisi priùs certi facti, rectum fore illorum regimen.

men. Polliciti sunt autem Principes, se omnia secundùm voluntatem Episcoporum facturos, quos, ut eam curam assumerent, obtestati sunt; *Respondentibus autem, in quantum nôsse ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem se, & suos gubernare, & regere velle, aiunt; & authoritate Divinâ, ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Non minùs legitimè argumentaretur, qui ex hac historia concluderet, secundùm voluntatem Episcoporum Reges, & populos eis subditos, esse gubernandos, quàm Aulici, dum ex quibusdam antiquorum Regum factis, aut verbis æquivocis inferunt, Principes suâ præcisè authoritate posse leges Ecclesiasticas condere. Initio *secundæ* Dynastiæ tanta erat circa Regni negotia Episcoporum facultas, ut, si ex illius temporis exemplis judicandum sit, plus Ecclesia in Regnum habitura sit authoritatis, quàm Regibus in Ecclesiam tribuatur: ut nôrunt periti historiæ illius Nationis. Verùm mutuam utriusque potestatis consensionem in bonum Regni, & Ecclesiæ imitari præstaret, quàm hinc, aut illinc Regum, aut Episcoporum exempla trahere ad confirmandam alterutrius in alterius jura invasionem.

110. Longè aliter, quàm Baluzius de Capitularibus Regum Francorum sentiebant anno 909. Patres Concilij Troslejani, licèt Galli. Hi enim *cap. 3.* non dubitârunt Capitularia, *Canonum pedissequa* vocare, quia scilicet Canones tantùm secuta fuerant, & in eorum executionem edita.

PROBATIO VII.

Desumpta ex Petro de Marca, asseverante, Reges Francorum reverentiùs se gessisse in controversijs disciplinam Ecclesiasticam respicientibus, quàm Imperatores Romanos.

111. CAusam hanc ita prosequitur Author *præfacti tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 11. cap. 7.* Si Reges Francorum, inquit, cautiùs & reverentiùs se gesserunt in controversijs, quæ disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, quàm Imperatores Romani, ut affirmavit Marca *sub finem cap. 3. §. 7.* id eorum pietati, non defectui juris tribuendum esse vult, quandoquidem statim *initio cap. 5.* ait; *Quemadmodùm Imperij Romani mole in varias partes dissectâ, Galliarum Provinciæ in victoriæ præmium, Francorum Regibus Divini Numinis auspicijs cesserunt; ita etiam Imperij jura plenè & integrè cum eis communicata sunt; præcipuè verò tuitionis Ecclesiasticæ cura Reges nostros respexit, postquàm gloriosissimus Princeps Clodovæus, Paganæ impietatis labe aquis Divini lavacri feliciter abstersâ, in Ecclesiæ Catholicæ filium primogenitum adoptatus est.* Quantam sibi vim faciat Author, cùm effusam Principum in Ecclesiasticam jurisdictionem, præsumptionem cohibere cogitur, ne omninò non Catholicus videatur, diu dissimulare non potest, cùm statim, quod Ecclesiæ relinquerat, repetere tentet. En hocce *1. §.* quando sperabas magnam Ecclesiasticæ authoritatis securitatem in Gallia, ex quo Reges Ecclesiæ filij, atque adeò in spiritualibus, & Ecclesiasticis rebus subditi, effecti sunt: ita supra Ecclesiam efferuntur, ut possent ipsi quidem Episcopos, Canones violantes, corrigere, non possint autem ipsi ab Episcopis corrigi, si similis violationis rei sint. Hoc igitur præstat Baptismus, ut, qui in Ecclesiam admittitur, ab Episcoporum censurâ eximatur?

Ar, inquies, non tam Marcæ opinio est, 112.
quàm Gregorij Turonensis, qui *lib. 5. hist. cap. 19.* sic Regem Childericum alloquitur; *Si quis de nobis, ô Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest; si verò tu excesseris, quis te corriget?* Verum id quidem est, ubi de facto intelligitur. Sæpe enim tanta est Principum potentia, tanta etiam aliquorum licentia, ut Episcopos tum reos, tum innoxios pessimè habeant, & vix cujusquam monitionem, nedum correptionem patiantur. Eam esse verborum Gregorij sententiam, indicant, quæ continuò sequuntur; *loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronunciavit esse justitiam?* Sed si quis Christianos Principes ab omni Prælatorum censurâ eximeret, & illos Ethnicos declararet, & se ipsum proderet hæreticum. Attamen tutus sit hâc in parte Marca sub clypeo Gregorij Turonensis.

Quid sentiemus de eo, quod *§. 2.* ait, si 113.
quæ judicia in causis Ecclesiasticis ab Episcopis adversùm decreta Regia, lata essent, statim contrarijs judicijs infringebant Reges. Hoc Marca non probat expressè (is enim mos ejus est in odiosis, & pudendis, ut odium, & pudorem declinet) nec improbat, quippe quòd Regibus faveat. Sed nónne referre, nec improbare, probare quodammodò est? Exemplo autem, quod *insigne* ab autho e appellatur, & certè insigne dici potest, licèt alio sensu, quàm quem Author videtur intendisse. Vix enim aliud reperias in historijs Francorum injustius, crudelius, & Rege Christiano indignius.

Emerius Episcopus Santonensis absque 114.
consensu Metropolitani, Archiepiscopi scilicet Burdegalensis, atque adeò contra Canones, decreto Regis Clotharij ordinatus fuerat. Mortuo Clothario, Metropolitanus, nomine Leontius, Synodum Provincialem apud Santones convocavit, in qua prædictus Emerius, utpote contra expressam Canonum dispositionem, ad Episcopatum promotus, depositus est, ejusque loco suffectus Heraclius. Charibertus Clotharij filius, quasi Regis voluntas Canonibus Conciliorum, etiam generalium, quibus cavetur, ne Episcopus sinè Metropolitani consensu ordinetur, esset anteponenda, non solùm acta supra dicti Concilij rescidit, mille aureos à Metropolitano, sub mulctæ nomine extorsit, cæteros autem Episcopos ad id, quod quisque solvere poterat, condemnavit, sed etiam Heraclium plaustro spinis repleto in exilium trahi præcepit, ut refert Gregorius Turonensis *lib. 4. hist. Franc. cap. 26.* O eximiæ libertates! O præclara exempla illarum! Ergóne Gallicani Episcopi, nedum Ministri Regij, hujusmodi

libros, ceu libertatum Ecclesiæ armamentaria prædicant? Ergóne libertatem reputant, mulctis, & crudelibus exilijs ob custoditos Canones subjacere?

115. Sed cujusmodi, & quàm variabilis est ista Regum Francorum potentia! Potuit Charibertus Episcopum contra Canones promotum, & secundùm Canones dejectum, restituere, alium secundùm Canones constitutum deponere, ut tradit Author §. 3. *modò citato*; non potuerunt autem, ut refert *ibidem* §. 4. Reges Galliæ, & Germaniæ Drogonem Patruum suum, filium Caroli Magni, quantumvis authoritate Apostolicâ munitum in Apostolici Vicariatûs possessione manutenere? Eidem potentiæ defectui obnoxius fuit Carolus Calvus Imperator & Rex Franciæ, secundùm Authorem *n.* 5. cùm efficere non potuit, ut Ansegisus, à Joanne Papa VIII. Primas per Gallias & Germanias creatus, eâ dignitate frueretur. Unde tanta diversitas? An ex eo, quòd Charibertus solo jure suo utebatur; Nepotes autem Caroli Magni authoritatem Summi Pontificis suæ præire curaverunt? Infirma, imò infelix Summi Pontificis conditio! non solùm enim ipsius authoritas nihil invitis Episcopis potest in Canones, sed etiam conjuncta cum authoritate Regum, illi, quæ alias potentissima esset, robur omne adimit. Sic enim Marca *sub finem* §. 6. post prædicta exempla Drogonis & Ansegisi, nec non authoritatem Hincmari Rhemensis. *Quare*, inquit, *certum erat apud Episcopos Gallicanos hoc sæculo, Canones receptos absque manifesta necessitate à quoquam violari non posse, nec à Pontifice, nec à Rege, solâque Synodi Gallicanæ refragatio, antiquis Canonibus, & decretis nixa, novarum rerum effectum impediebat.*

116. Sed numquid Author à suo instituto, id est, à consilio augendæ jurisdictionis Regiæ, defectit, Episcopis tantam facultatem relinquens, ut possint Principibus, aliquid contra Canones tentantibus, obsistere? Hanc ille à se suspicionem quamprimùm amovet. Prosequitur enim; *Non frustra necessitatem autem excepit* (Hincmarus) *quia sæpe ea tempora incidunt; ut Ecclesiæ interfit, jus antiquum aliquando immutare, ut his posterioribus sæculis factum videmus.* Posterioribus enim sæculis multa contra Canones, aliquando quidem assentientibus, sed sæpe renitentibus Episcopis, in mores Gallicanos invecta sunt, ad stabiliendas libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quæ tamen in observandis Canonibus consistere dicuntur.

117. Nullibi non extant vestigia propensioris Marcæ erga jurisdictionem sæcularem, quàm erga Ecclesiasticam studij in reliquis hujus libri capitibus. Omnia enim ubique contorquentur ad authoritatem Regiam. Temporè Caroli Magni, & Ludovici Pij Ecclesia & Respublica communi ferè consensu regebantur in Gallia; & sicut Reges Episcopos politici regiminis participes efficiebant, ita Episcopi Regiam potestatem circa res Ecclesiasticas non tam accuratè declinabant, quàm eâ utebantur ad promovendam disciplinam. Marca quidquid Principes, sive hortantibus Summis Pontificibus, sive consentientibus Episcopis, sive per modum monitionis, sucursûs, aut aliâ ratione præstabant, omnia in jura Regia conjicit. Sic *cap.* 7. commemorato Zelo Regum Christianissimorum, in juvandis & monendis Episcopis, §. 7. asserit, illam monitionem ejusmodi fuisse, ut effectui verba sequeretur, & pœna in contumacem, ut jam *alibi* observavimus.

Licèt autem frequenter miscretur authoritas Principis cum Ecclesiastica; non tamen inter se ita confundebantur, quin appareret discrimen. In eo enim ipso, v. g. quod refertur *in fine ejusdem cap.* 7. *ex cap.* 8. *Capitular. Tolosan.* anno 844. Carolus Calvus non ita sibi vendicabat correctionem eorum Episcoporum, qui malè interpretati Canones, Presbyteros nimis gravaturi essent, quin Synodi etiam judicium requireret. *Si aliter fecerint, omnimodis, & qualiter Canones fidelium decimis agendum statuant, & qualiter intelligi, & observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, Synodali dijudicatione, & nostrâ authoritate Regiâ docebuntur.* Nisi Author Ecclesiæ suam jurisdictionem invidisset, juxta hunc locum alium explicuisset, quem affert *cap.* 19. §. 1. ut probet, Reges de causis Ecclesiasticis cognoscere solitos, ordine quodam judiciario, licèt non tam accurato. Cùm enim ex ea constitutione Philippi IV. Regis Franciæ, quam citat §. 2. cognitio decimarum, non feudalium, tam *in petitorio*, quàm *in possessorio* Ecclesiasticorum esset Iudicium (vide an praxis hodierna Tribunalium sæcularium Galliæ de *possessorio* decimarum, imò & beneficiorum judicandi, possit inter jura Regia connumerari, quam reprobat Rex jurium suorum tenacissimus) cur Carolum illius materiæ judicium ad se traxisse putabimus, ut ei *sinè Synodali Dijudicatione* provideret? Quid ergo sibi volunt illa verba Philippi in loco ab Authore addusto, *prout ad nos pertinebit*? Nónne indicant, Regem id, quod ad se non pertineret, Synodali dijudicatione dimissurum.

Prosequitur Marca *cap.* 8. probare, solitam olim Ecclesiam Gallicanam Synodicâ deliberatione, vel ad Regium patrocinium recursu, sibi prospicere, *cùm rebus*, inquit, *per obreptionem decretis Romæ assentiri non posse, idque, ut executionem impediret.* Certè non ita inculpabile videtur, ut executio suspendatur decretorum per obreptionem impetratorum, quandoquidem nec ipsi Summi Pontifices id molestè ferre censendi sunt; cùm ipsis fraus facta sit, quæ cuipiam patrocinari non debet; præsertim si partes ipsius culpam fatentur, & censuræ se subjiciunt. Itaque si obreptitium erat privilegium à Monachis Cluniacensibus obtentum, ut ab alio, quàm à proprio Episcopo possent, etiam in Monasterijs, in ejus Diœcesi positis, ordinari, meritò reprobata fuit in Concilio apud Ansam anno 1025. ordinatio facta in Monasterio Cluniacensi Diœcesis Matisconensis ab Archiepiscopo Viennensi; qui similiter, si obreptionis conscius fuerat, prudenter egit, cùm sponte ab Episcopo Matisconensi veniam petijt, & de modo satisfa-

ctionis

ctionis cum illo pactus est, sicut narratur in fragmento à Marca relato *cap. 8. n. 1.*

120. Sed quidquid sit de illius narrationis veritate, quæ non adeò indubitata est, rem, ut fertur, & sinè collusione gestam supponamus; ex illa, & ex alijs similibus, quæ fortè ab Authore adduci potuissent, concludendum est, non potuisse Antistites Gallicanos nec de jure, nec de facto constitutionibus Pontificijs obsistere: cùm certissimum sit, Monachos Cluniacenses privilegijs Apostolicis usos fuisse, quantumvis renitentibus, sed tandem cedere coactis Episcopis. Extant hujusmodi privilegiorum concessiones in libro, cui titulus est; *Bullarium sacri Ordinis Cluniacensis*, Lugduni editum anno 1680. & *pag. quidem 8.* leguntur duæ epistolæ Ioannis XIX. in cujus Pontificatum incidit Concilium Ansanum, quarum altera est ad ipsummet Episcopum Matisconensem nomine Gauslenum, qui in Concilio apud Ansam inducitur querelam movens contra Burchardum Episcopum Viennensem, pro ordinatione Monachorum Cluniacensium, sed hæc epistola testatur, & Monachos, & Papam privilegia jam concessa contra Matisconensem Episcopum defendisse. *Nescimus*, inquit Pontifex, *quâ novâ temeritate illectus, inextinguibili cupiditate accensus, Matri tuæ repugnans, & contra nos meritis Apostoli Petri Magistrum tuum levas calcaneum; cùm Cœnobium Cluniacense cunctis penè nationibus sanctitate præfulgens, nec non Apostolicis privilegijs fultum, & ab omnium ditione subtractum, solius Principis Apostolorum, & Vicariorum suorum judicio reservatum commoves; venerandum etiam Infidelibus Patrem Dominum Edilonem Abbatem irreverenter appetis; fratres ibidem degentes pro adipiscenda perpetua transitoriam quietem appetentes sollicitas; Apostolica privilegia cassare contendis; quod ita accipimus, quemadmodùm si ipsa membra nostra avidè discerpere quæreres, & quod sinè tua ruina esse nequit. Cavè cautè vel jam monitus animæ, & nostrum Monasterium singulare nobis relinque, ne, dum particeps ejus contra nos esse cupis, Ordinis nostri exsors Apostolicâ authoritate efficiaris.* In altera epistola gratum animum testatur Episcopo Lugdunensi Borchardo, quòd Cluniacensi Monasterio faveret contra Gauslenum, hortatur ad prosequendum, & concludit his verbis; *Rogamus, ut eidem Episcopo interdicatis, sicut nos nostris litteris fecimus, consecrationem, ordinationem, vel aliquod jus in nostro Monasterio quærere, ne, dum hoc injustè appetit, quod justè sibi licet, pro suæ inobedientia, iterata tantorum Patrum querela, Apostolicâ authoritate careat.* Sed quare Pontifex gratias ageret Borchardo, sive Burchardo pro favore Cluniacensibus in tuendis privilegijs impertito, si quidem in Concilio apud Ansam, hoc est, non longè ab Urbe Lugduno habito, præsidente ipso Burchardo, nec refragante, decretum fuisset, ut acta continent, privilegium Papæ nullius esse momenti; aut si Concilio anterior est epistola (nec enim, quo tempore data sit, apparet) quomodò post honorificum illud officium Romani Pontificis, privilegia, quibus anteà faverat Burchardus, impugnare cœpisset? Sequitur, duas illas epistolas ejusdem Pontificis constitutio, confirmans omnia privilegia prædictorum Monachorum, & nominatim; *ut liceat Monachis ipsius loci cujuscunque voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicunque Abbatibus placuerit.* Accessit à plurimis alijs Pontificibus eorundem privilegiorum confirmatio, ut in præfato Bullario legere est.

121. Non nego, modum in concedendis privilegijs servandum, ut abusus præcaveantur. Sed nonnulli, dum malo mederi quærunt, sanationi obicem ponunt, quia scilicet, dum à Summo Pontifice petendum esset remedium, ei concedendorum privilegiorum facultas denegatur; quod eum ad defendenda concessa, & ad conservandam concedendi possessionem, potiùs excitat.

122. Privilegia quidem ij, quibus indulta sunt, non negligenter defendunt, nec operâ nostrâ indigent, sed pro conferendorum potestate visum est, occasione privilegiorum Cluniacensium, pauca hîc addere ex ijs, quæ S. Petrus illius Monasterij Abbas 12. sæculo scripsit. Licèt enim in propria causa loquatur, debetur ejus pietati reverentia, & rationibus æquum, maturumque judicium. Ille igitur *lib. 1. epist. 28.* sic respondet accusantibus Cluniacenses, quòd proprio Episcopo non subjacerent; *Nos verò respondemus, istud veritati contrarium oppositâ fronte existere; quoniam patet, nos proprium Episcopum habere. Quis rectior, quis dignior Romano Episcopo Episcopus potest inveniri? Nonne ille est, quem cæteris præesse non humana, sed Divina authoritas sanxit? Nonne ille est, cui dictum est: tibi dabo claves Regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis? Hunc unum solum, & Maximum nos habere Episcopum gloriamur, huic solùm specialiter obedimus, ab hoc solo, si causa (quod absit) exigeret: interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc irrefragabilis sanctæ Sedis sanxit authoritas . . . . . Nos enim, quia contraire non debemus, nec de ejus unquam (quod nulli mortalium licitum est) judicio judicare. Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed & quàmpluribus datum cernimus: & longè ante Cluniacum conditam, multis alijs Monasterijs ab eadem Apostolica Sede concessum videmus. Cujus Sedis Præsules cum Magni sapientiâ, & religione fuerint, & quorundam ex ipsis merita miraculorum quoque fulgore solenniter in mundo claruerint, incredibile est, aut decipi in talibus potuisse, aut contra conscientiam suam agere voluisse. Eo námque animo, ac intentione, quo nostrorum temporum Apostolici, quieti Monachorum providentes, ea, quæ diximus, quàmplurimis Monasterijs contulerunt, antiquiores quoque Romanæ Ecclesiæ Præsules simili de causa in multis à jugo Episcoporum libera esse Monasteria, decreverunt.*

123. Quod *eodem cap.* refert Marca ex Glabri Rodulphi *lib. 2. cap. 4.* confutatur ex ipsismet tabulis, ex quibus Glabrum interpretari conatur. Siquidem Glaber narrat, Monasterium à Fulcone Andegavorum Comite in Pago Turonico fundatum, eâdem die, quâ fuerat à Petro Cardinali authoritate Ioannis Pontificis consecratum, corruisse, in pœnam usurpatæ à Summo Pontifice, instigante Comite,

mite, jurisdictionis Turonensis. *Cœptâ igitur* inquit, *die constituto satis pompaticè hujusmodi dedicatione, atque peractâ, Missarúmque ex more solemnijs celebratis, postmodùm quique ad propria rediêre. Denique imminente ipsius diei horâ nonâ, cùm flabris lenibus serenum undique consisteret cælum, repentè supervenit à plaga Australi vehementissimus turbo ipsam impellens Ecclesiam, ac replens eam turbido aere, diu multùmque concutiens. Deinde verò solutis laquearibus, universæ ejusdem Ecclesiæ trabes, simùlque tota teges, per pignam ejusdem templi Occidentalem in terram corruentes eversum ierunt. Quod cùm multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simúlque præsentibus ac futuris quibusque, ne huic simile agerent, evidens indicium fuit.* Tabulæ autem illæ continent, Hugonem Archiepiscopum Turonensem, audito privilegio à Papa concesso, Romam accessisse, atque à Sergio IV. Ioannis successore submissis precibus contendisse, ut Monasterij consecrationem sibi permitteret: sed repulsam tulisse; eò quòd liberum fuisset fundatori Monasterij, Ecclesiæ Romanæ illud concedere. Denique ipsum Archiepiscopum acquievisse, atque jus omne, quod in illud Monasterium sibi competere poterat, Ecclesiæ Romanæ concessisse; itaque à Petro Viterbiensi Episcopo authoritate Sergij fuisse consecratum.

124. Quis ergo credat, Ecclesiam illam miraculosè eversam fuisse in pœnam invasæ jurisdictionis ordinariæ; siquidem ipse Ordinarius juri suo cesserat? Quorsum à Chronico Turonensi diceretur, ut à Marca refertur; *Abbatia belli loci* (eo nomine vocatur in tabulis prædictis illa, de quâ hîc est sermo) *Ecclesia S. Florentij de Ambatia à Fulcone Herra fundatur anno 1010.* Quorsum, inquam, id diceretur, si statim à consecratione fuisset eversa? Aut quis Ecclesiam miraculosè destructam statim ausus fuisset excitare?

§. IV.

Corollarium.

125. EX dictis jam constat, quantum varietur à Doctoribus Francicis circa principia præsensæ Gallicanæ libertatis. Hoc licèt *ex antecedentibus* satis pateat, ejusmodi tamen variationem luculentiorem reddere placet ex Authore *tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 11. cap. 13.* ita disserentis. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ à varijs variè accipi pro cujusque commodo, aut studio, neminem latet eorum, qui res gestas rescire satagunt, Principio quidem omnes Ordines exactam Canonum antiquiorum observantiam obtendebant: sed quia longiùs ab ea recedebant, plurima, quæ à Laicis, plurima etiam, quæ ab Ecclesiasticis viris usurpabantur, detorquenda fuit nuncupatio illa à primaria sua significatione, ad alias admodùm diversas, aut etiam contrarias.

126. Exeunte post remo sæculo, Petrus Pithæus Bibliothecæ Regiæ præfectus, libellum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ scripsit; in quo duo principia constituit, quorum alterum Regiam jurisdictionem in Ecclesiam amplificat, alterum Summi Pontificis in Galliam potestatem constringit; atque ex duobus illis fontibus quamplurima capita derivat. Opus illud, cùm privati esset hominis, nullius erat authoritatis, imò nec totius Galliæ sententiam exponere censebatur. Quin ei potiùs Clerus refragari se multifariàm significavit. Attamen, quia nihil est, quod alicui aliquando non videatur commodum, incipit Tractatus ille per articulos citari, quasi antiqui illius Codicis Canones, in quibus observandis sita dicebatur libertas Ecclesiæ tum universæ, tum Gallicanæ, continentis loco successisset, ejusque interpretatio è commentario, ceu à Glossa, communiter recepta peti.

In lite nuper à Senatu Parisiensi definitâ 127. inter Illustrissimum Episcopum Cadurcensem, & nobilissimum Comitem de Marsano circa pensionem prædicto Comiti super fructibus præfati Episcopatûs assignatam, instabat Reverendissimus Episcopus, observandos Canones, quibus adversari videbatur pensio, præsertim in favorem Bigami constituta; atque ita primariæ libertatum suarum definitioni inhærere videbatur. Nobilissimus Comes negabat, esse veram & sinceram libertatum Gallicanarum naturam, suumque intentum probabat plurimis exemplis Episcoporum, atque aliorum Ecclesiasticorum virorum super Canonibus secum dispensari postulantium, v. g. ad demigrandum ab una Sede ad aliam, ad plura simul beneficia obtinenda, ad beneficia Regularia in commendam recipienda, contra regulam *Regularia Regularibus &c.* Reponebant Actores Cleri Gallicani, Domino Episcopo Cadurcensi sese adjungentes: quædam quidem ex illis dispensationibus à Concilijs generalibus fuisse approbatas, alias autem, puta beneficiorum commendas ab usu, & à Concilijs Provincialibus esse confirmatas, quasi usus Galliæ, & Conciliorum Provincialium sententia idem essent, ac Canones Conciliorum generalium, quibus contineri dicebantur dictæ libertates, ut observare licuit in actis typis editis, hucque perlatis.

Omnes autem libellum Pithæi, dum sibi 128. favere putabant, quasi Codicem Canonum libertatum suarum allegabant; ut rursus videas, speciosum illud nomen, quod primùm ad significandam defensionem adversùs injurias Conciliorum generalium Canonibus contrarias inductum videbatur, hodie multipliciter æquivocum evasisse, ac variè à varijs, prout commodum videtur, usurpari, quod plurimis alijs exemplis posset confirmari.

Sed, quod vehementer deflendum est, nul- 129. li sæpius usui deservit, quàm ut Ecclesia potestatibus sæcularibus subjiciatur, ac ejus jurisdictio ad sæculares Judices trahatur. Id sæpissimè sensit Clerus Gallicanus, saltem circa suam, ut testantur ejus acta, & monumenta, quorum nonnulla sunt à nobis citata. Itaque experitur Ecclesiasticus Ordo, quam sibi noxium fuerit, potestatem sæcularem ad-

versùs

versùs Pontificiam implorâsse. Utinam antiquam erga sanctam Sedem observantiam resumens, debitam sibi à Laicis ipse recuperare mereatur.

DISQUISITIO XIII.

De antiquâ Excommunicationis infligendæ ratione, ubi agitur contra Ellieſium Pariſienſem Theologum.

Præfatio.

1. IN *ſuâ* circa antiquam Eccleſiæ diſciplinam Diſſertatione tertiâ præloquij loco *tria præſupponit Ellieſius.* Primum *deſumitur ex ratione per auctorem illum ſic deductâ. Nulla enim eſt hominum Societas, cui jus non ſit & poteſtas eorum expellendorum, qui leges Societatis infringunt, vel ejus bono adverſantur. Quemadmodùm enim à corpore humano membra putrida ſunt reſecanda, ne totum corpus inficiant, ita etiam in hominum ſocietatibus neceſſum eſt, eos, qui Societati peſſimis factis, vel exemplis obſunt, expelli, tum ne Societatem perturbent, tum ne cæteri in eandem trahantur perverſitatem. Id verò ſi quâ in Societate ſit neceſſarium, maximè requiritur in Eccleſiâ, cujus finis eſt, rectam fidem & bonos mores in hominum animis conſervare, ut beatitudinem æternam conſequi poſſint. Nam ſi non poſſet Eccleſia homines prava facientes, aut docentes, à ſuâ Societate removere, brevi tempore quàm plurimi eorum exemplo in eandem traherentur impietatem.*

2. Secundum *Ellieſij principium petitur ex SS. Litteris. Cujuſmodi porrò, ait, expulſio dicitur excommunicatio, cujus ſæpe fit mentio in Divina Scriptura. Et primùm quidem Chriſtus* Matth. 18 *hoc telo in pertinaces utendum eſſe docet, ſi peccaverit, inquiens* in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos, ut in ore dùorum, vel trium, ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis. *His ergo Clavibus uſos fuiſſe Apoſtolos, conſtat ex inceſtuoſo Corinthio, quem Paulus jubebat ab Eccleſiæ cœtu arceri; ſicuti etiam jubebat evitandos quosdam circa fidem naufragantes,* utpote Sathanæ à ſe traditos: *tradere enim Sathanæ nihil aliud videtur eſſe, quàm à fidelium conventu expellere, uti conſtat ex* cap. 5. epiſt. 1. ad Corinth. *Quam expulſionem tam ſtrictam voluit Ioannes* in ſuæ Epiſtolæ cap. 2. v. 10. *ut ei, qui non permanet in doctrinâ Chriſti, ne ave quidem dici mandârit.*

3. Tertium *præfati Theologi principium accipitur ex uſu Eccleſiæ, Apoſtolis poſteriore. Poſt Apoſtolos, inquit, eadem diſciplina ſemper in Eccleſia viguit. Obſervandum ſolummodò eſt, duplicem fuiſſe olim excommunicationem pro duplici reorum, in quos ferebatur, ratione: una etenim à S. Auguſtino* medicinalis *dicta, ſtringebatur in eos, qui vel per convictionem, vel per ſpontaneam confeſſionem criminis alicujus rei comperti, de eo dolentes ac gementes à communione removebantur tam ad medelam, quàm ad exemplum. Altera verò excommunicatio à dicto S. Doctore* mortalis *appellata, ferebatur in rebelles, qui vel in ſuo errore pertinaces eſſent, vel crimen ſuum agnoſcere, & plangere detrectarent. Quibus præſuppoſitis, & ad ulteriorem in decurſu diſcuſſionem reſervatis, tria generaliter ex Ellieſio occurrunt hîc examinanda, quorum primum eſt* de modo & causâ excommunicationis ferendæ, *Secundum* de ſubjecto excommunicationis capaci. *Tertium* de effectu excommunicationis.

§. I.

De modo & cauſis Excommunicationis.

4. ELlieſius *præſentis 3. Diſſertationis ſuæ cap. 1.* ita definit excommunicationem, quòd ſit expulſio de fidelium conventu & Societate, quæ fit vi clavium à Chriſto Eccleſiæ traditâ. Quæ equidem definitio ſuſtineri poſſet; at difficultatem ingerit explicatio per dictum Theologum facta, quòd, licèt Eccleſiæ nomine Epiſcopi ac Presbyteri *præcipuè* intelligantur, optimè tamen dici poſſit, claves Eccleſiæ ita eſſe datas univerſitati, quâ cunctos fideles complectenti, ut ſoli nihilominùs Epiſcopi ac Presbyteri habeant poteſtatem eas exercendi. Quod proinde Ellieſianum principium *alibi* refutavimus; hîc tamen occurrit diſcutiendum; *An exinde fortè factum ſit, ut primis Eccleſiæ ſæculis non ſoli Epiſcopi, ſed cum eis Presbyteri, accedente etiam nonnunquam Laicorum conſenſu, excommunicationis judicium ferrent in noxios?* Super quo quæſito lubet Ellieſiana hîc argumenta proferre ac expendere.

ARGVMENTVM I. Ellieſij.

5. HIc Auctor ad probandum Excommunicationis judicium ab Epiſcopo ac Clericis cum conſenſu Laicorum eſſe latum; argumentatur *primò* ex Paulo Apoſtolo, qui non dicit, Corinthium inceſtuoſum ab Epiſcopo, aut Presbytero excommunicandum eſſe, nec ipſe tum authoritate ſuâ ſolus excommunicat, ſed jubet, id ab univerſa Eccleſia fieri: *Ego quidem*, inquiens, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in Nomine Domini Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu Chriſti, tradere hujuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis.* Idem Apoſtolus *1. ad Theſſalon.* 3. omnibus Fratribus conſulit, ut ſubtrahant ſe ab ijs, qui ambulabant inordinatè. Et Joannes *in Epiſtolâ ſuâ* fœminam & natos ejus privatos monet, ut hæreticorum communionem fugiant.

Reſponſio.

6. IN hoc Ellieſiano argumento abominanda prorſus ſit confuſio tum judicij ex juriſdictione Eccleſiaſticâ prodeuntis, tum executionis ex debitâ erga hanc obedientiâ à Laicis quoque faciendæ. Etenim in prælegato Apo-

to Apostolico ad Corinthios textu disertis verbis Paulus sibi attribuit judicium Excommunicationis adversùs incestuosum Corinthium latæ: *Ego*, inquiens, *absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in Nomine Domini Iesu Christi.* Numquid enim hisce verbis Apostolus judicium illud sibi soli, non autem Cleri, vel etiam fidelium Laicorum universitati eatenus noscitur attribuisse, ut asseveraret, id judicium à se factum esse *in Nomine Domini Iesu?* Sub hoc autē Domini Iesu nomine quid aliud importatur, nisi auctoritas Apostolica, Christi in terris vices repræsentans, Paulo per modum Legationis à Christo Domino commissa? Quis proinde ausit dicere, hanc Apostolicam auctoritatem non Cleri duntaxat, sed etiam plebis fidelis universitati *originativè* & *principaliter*, Paulo autem *ministerialiter* duntaxat ac *executivè* inextitisse?

7. Inversus profectò est hic ordo, quippe cùm Apostolus ex præadductis verbis suis *clarè* dignoscatur, plebi Corinthiacæ mandâsse duntaxat executionem sententiæ à se latæ, quatenus universi cum suo spiritu, sicque cum virtute Domini Iesu non alteri, quàm sibi Apostolo delegatâ congregati, hominem illum à se jam *prævie* judicatum tradere jubebantur Sathanæ, in interitum carnis, exequendo scilicet judicium à se factum. Sic pro inde quando idem Apostolus *ad Thessalon. 3.* consuluit Fratribus, ut subtraherent se ab ijs, qui ambulabant inordinatè, perinde, ac Ioannes *in Epist. sua* monuit, hæreticorum communionem esse fugiendam: ex his Apostolicis admonitionibus liquidò evincitur, ita fuisse Apostolis potestatem faciendi statuta seu monita, aliquam Excommunicationis speciem erga perversos præsertim hæreticos præseferentia, ut fidelium laicorum esset, parendo ad executionem illa deducere.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

8. PErgit hic Parisiensis Theologus *secundò* argumentari. Post Apostolos eandem disciplinam aliquando fuisse in usu, tunc enim communi Presbyterorum judicio, fidelium insuper omnium consensu accedente, reos fuisse expulsos à communione, testis est Tertullianus *in Apologetico* ita scribens: *Indicatur ibi* (nempe in conventu communi, cui omnes aderant) *magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque judicij Divini præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventûs, & omnis sancti commercij relegetur.* Extant porrò antiquæ hujus disciplinæ vestigia in Cypriani *Epist. 57.* & vicissim in Presbyteri Romani *Epist. 31.* uti etiam in Synodo Carthaginensi, nec non dicti Cypriani *Epist. 9.*

Responsio.

9. TErtullianus *præcitatus* minimè dicit, judicium in conventu communi peractum de noxijs, ab orationis, omnisque sancti commercij communione relegandis, ita esse factum, ut authoritas judiciaria penes totam eam universitatem subsisteret. Oportet igitur animadvertere, quòd in ordine ad ejusmodi judicium *legitimè* ferendum, duo debeant concurrere, quorum alterum sit circumspectio prudentiæ ex varijs seu Clero inferiori, seu ipsimet etiam plebi magis perspectis circumstantijs accuratè ponderandis plerumque dependentijs. Et hæc est ratio, cur judicia ferendæ excommunicationis coram toto conventu exerceri solerent: maximè cùm sententiæ executio postmodùm fieri deberet à subditis, ipsismet etiam laicis fidelibus, quibus incumbebat, ut parendo sententiæ, noxijs *legitimè* excommunicatis denegarent sanctorum commerciorum communicationem. Alterum pro judicij valore substantiale requisitum est jurisdictionis auctoritas, cujus nulla *quoad exercitium* portio, ipsomet Ellieſio fatente, est penes laicos, imò & Clericos inferiores, nisi quatenus isti participant de jurisdictionis seu Papæ, seu Episcopi in se factâ quapiam transfusione. Et hinc quando Cyprianus *in præcit. Epist. 57.* dicebat, se statuisse, nihil à se agendum absque Compresbyterorum suorum consilio, nunquid apertè confessus fuit, penes se duntaxat ceu Episcopum, non verò penes Compresbyteros, pro consilio dando solùm adhibitos, stare authoritatem judiciariam? Quando rursus in Presbyteri Romani ad Cyprianum *Epist. 31.* comprobatur lapsorum ratio tractanda sub collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter adstantibus Laicis: nunquid hîc verbis ratio duntaxat consultiva laicis ac inferioribus Clericis tribuitur, potestate judiciariâ remanente penes Episcopum? Quæ methodus in Concilio etiam Carthaginensi observata, *& in Epist. 9. Cypriani* iterum insinuata minimè evincit, vel Clericis Episcopo inferioribus, vel plebi quidquam jurisdictionis ad causas Ecclesiasticas dijudicandas inextitisse.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

Hic Auctor *præsenti Dissert. 3. cap. 1.* ait, successu temporis factum esse, ut à judicio excommunicationis ferendæ plebs quidem removeretur, attamen sententia ferretur ab Episcopo simul ac Clero, quam sententiam, si ratam habuerat Synodus Provinciæ, non potuisse à quoquam rescindi. Cujusmodi Synedri, seu fori Ecclesiastici ex Episcopo simul ac Presbyteris consistentis sæpius meminisse antiquos. Etenim Ignatius *Epist. ad Magnes.* ait, *Episcopum præsidere loco Dei, & Presbyteros loco consessus Apostolorum. Et ideo Epistola ad Philadelphienses* vocat *Concilium Episcopi*, similiter Tertullianus *in Apologet.* Presbyteros appellat *Præsidentes.* Cujus stylum imitatus Cyprianus *Epist. 55.* Clerum Romanum cum Cornelio Papa *Præsidentem* vocat, Concilium quoque Carthaginense IV. *cap. 23.* decrevit, *ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentiâ suorum Clericorum.*

Re-

Responsio.

11. COnceſſo etiam, quòd apud antiquos in more fuerit, ut Epiſcopus & Presbyteri ſederent in foro Eccleſiaſtico: num hinc fas eſt inferre, judiciariam ejus fori auctoritatem æquè ac pariter extitiſſe in Clero atque Epiſcopo? Contrarium profectò evincunt illæ ipſiſſimæ, quas Elliesius adfert, auctoritates. Dum enim S. Ignatius *in epiſt. ad Magneſios* ait, *Epiſcopum præſidere loco Dei, & Presbyteros loco conſeßûs Apoſtolorum*; Quid aliud per hoc inſinuatur, niſi quòd, ſicuti Apoſtolica auctoritas reſpectu Dei vicaria eſt, atque ab hac deſcendens, ſic Presbyterorum præſidentia ſit reſpectu Epiſcopi vicaria in tantum, ut repræſentet jurisdictionem propriam Epiſcopi. Et ſic eodem Ignatio *in Epiſt. ad Philadelphios* teſte, Presbyteri meritò vocantur *Concilium Epiſcopi*, utpote cujus repræſentant Tribunal: ſicque juxta Tertullianum præcitatum *præſident* non ſuo, ſed Epiſcopi nomine. Quemadmodùm Clerus quoque Romanus cum Papâ eſt *præſidens*, non aliam tamen, quàm ipſius Pontificis auctoritatem ſibi demandatam præfert. Hinc quando Concilium Carthaginenſe IV. prohibebat, ne Epiſcopus abſque præſentiâ ſuorum Clericorum cauſas dijudicaret, eatenus pro maturiori captando conſilio ipſi præſcribebatur judicij forma, ut Clerici tamen non alterius, quàm ſibi participatæ jurisdictionis Epiſcopo propriæ vices ſubirent. Juxta quem adeò ſenſum accipiendæ ſunt reliquæ inſuper per Elliesium adductæ auctoritates.

ARGUMENTUM IV. Elliesij.

12. HIc Theologus ubi dixerat, in Concilijs Provinciarum cum Epiſcopis ſedisſe quoque Presbyteros: exinde *paginâ 251.* contendit *quartò* evincere, Synodi Provinciæ ſententiam olim fuiſſe eatenus ratam habitam, ut à nemine reſcindi poſſet. Ad quod probandum inducit tum Canonem Apoſtolicum, his verbis exaratum: *Si quis Clericus, vel Laicus ſegregatus, vel non recipiendus diſcedens, in alterâ urbe receptus fuerit abſque litteris commendatitys, ſegregetur, & qui recepit, & qui receptus eſt.* Sunt Canones quorundam Conciliorum, nempe Eliberitani *cap. 13.* & Arelatenſis I. unà cum regulâ Apoſtolicâ, à Concilijs Antiocheno. *cap. 3. & 6.* Sardicenſi *cap. 3.* & Cæſarauguſtano. *cap. 5.* imò Concilio quoque Nicæno comprobati, *ut ſcilicet abjectum ab altero Clericum, alterâ Eccleſia non recipiat.* In quam ſententiam plures adhuc allegationes *eo loco* videri poſſunt.

Responsio.

13. SUb his allegationibus ſummoperè miror, Elliesium non advertiſſe, *illis locis* interdici duntaxat, ne in una urbe, ſive ab uno Epiſcopo, aut etiam ab aliquo Provinciæ Concilio excommunicatus, vel in alterâ urbe, vel ab alio Epiſcopo, vel ab alijs recipiatur ad communionem. Hujus adeò prohibitionis verba ſimilium repetitiva, parem ſolummodò excludunt jurisdictionem, non verò ſupereminentiorem Romani Pontificis auctoritatem: quamvis nec iſte judicijs ab inferiori tribunali latis abſque injuſtitiæ ſeu probatæ, ſeu probabilis argumento ſe ingerat, non equidem ex defectu ſupereminentis jurisdictionis ſuæ, ſed ex debitâ prudentiæ circumſpectione; uti hæc *in antecedentibus* fusè diſcuſſa habentur. Quâ de cauſâ ipſimet quoque Pontifices ſi, quos ignorabant excommunicatos, abſque legitimâ ad ſe factâ appellatione recepiſſent, reſcribere non dubitabant, ſe neſcienter id feciſſe, utpote qui meritò profiterentur, ſe cunctorum ubique conſacerdotum adjutores & conſolatores eſſe: reſcindebantque proinde abſolutionem à ſemet fraudulenter emendicatam. Quamvis verò ijdem Pontifices quandoque reſcripſiſſent, ſe obſervaturos Concilij Nicæni Canonem, *quo excommunicati prohibentur ab alijs recipi*; nequit hoc aliter intelligi, niſi quòd ejuſmodi Pontifices aliquam ex eo Canone *directivam* regulam accipere ſponte ſuâ eſſent parati: dum cæteroquin is Canon ſub voce *alijs*, ijs duntaxat, qui ſimilem ſeu parem cum excommunicante jurisdictionem obtinent, fecerit interdictum de non recipiendo excommunicato, nec adeò ſub aliquâ ſtrictâ obligatione afficere poſſit ſupereminentiorem Apoſtolicæ Sedis auctoritatem.

§. II.

Quomodò Eccleſiæ ſeſe mutuò excommunicârint, & quomodò Romani Pontificis communio ſemper fuerit neceſſaria.

ARGUMENTUM I. Elliesij

14. HIc Auctor *à pag. 253.* cùm expoſuiſſet, quomodò Eccleſiæ mutuâ inter ſe communione olim fuerant conjunctæ, tum per litteras communicationis, ad ſe invicem ſcribi conſuetas, tum ex fidelium ultro citroque commeantium ad communionem admiſſione, modò ab Eccleſijs ſuis detulerint litteras commendatitias. Exinde *pag. 255.* multis exemplis explicat modum mutuæ Eccleſiarum excommunicationis, nempe cùm Epiſcopus, vel Eccleſia quædam in alterius Eccleſiæ, aut Epiſcopi doctrinâ, ſeu diſciplina perverſum quid eſſe arbitrabatur, tunc nuntium ejus communioni mittebat. Sic Epiphanius Theophilum Jeroſolymitanum excommunicavit: ſic tempore Arij Eccleſiæ ac Epiſcopi ſeſe mutuò excommunicârunt: ſic à Cæleſtino, & Cyrillo excommunicatus eſt Neſtorius &c.

Responsio.

15. NIhil hîc occurrit refutandum, placuit autem ſubjungere, quæ Theologus ille Pariſienſis *pag. 256.* in hæc, minimè improbanda verba diſſeruit. Cùm Eccleſia, inquiens,

Romana propter primatum, sit centrum unitatis, ejusque Antistes cæterorum omnium Caput constitutus sit, ut schismatis tolleretur occasio; haud dubium est, quin magnum ac certissimum sit argumentum, eos esse de Ecclesiâ, qui ipsi tanquam Capiti adhærent, & cum eo communione junguntur. Econtra verò magnum esse schismatis præjudicium, si quis ab ejus communione sit alienus. Quod tamen intelligendum est de Pontifice legitimè electo, & sedente in Cathedrâ Petri, clavibusque sibi à Deo datis, ut par est, utente: nam si quis Ecclesiam Romanam invaderet, & illegitimè ordinaretur Pontifex, in hæresim incideret, & à Concilio depositus declararetur, jam non esset schismaticus is, qui ab eo discederet.

ARGUMENTUM II. Ellesij.

16. MEritò nihilominùs majori ex parte reprobanda veniunt, quæ ille Parisiensis Doctor *eodem in loco* protulit. Si tamen, aiens, Romani Pontifices sinè causâ excommunicationem ferrent, Ecclesiaque judicaret, excommunicationem esse temerè latam, tunc ab ipsis excommunicati pro schismaticis non essent habendi, modò animum retinerent servandæ cum Romano Pontifice unitatis, & ad recuperandam ejus communionem totis viribus allaborarent. Sic enim nemo, Asiaticos licèt à Victore excommunicatos, dixerit, fuisse schismaticos, & ab Ecclesiâ extorres. Nemo Cyprianum & Africanos Antistites, nec non Firmilianum & Orientales, licèt à communione Stephani pulsos, ab Ecclesia alienos fuisse pronuntiabit: quin econtra Augustinus sæpe sæpiùs probat, Africanos dici non potuisse schismaticos, & moderationem Cypriani nunquam non commendat. Quis affirmaverit, Meletium, Cyrillum, & alios Orientales ab ipso stantes, schismaticos fuisse, quia cum Ecclesiâ Romanâ non communicabant, aut quis econtra non fateatur, Paulinum & ejus socios in periculum schismatis venire, licèt cum Ecclesiâ Romanâ communioni juncti fuerint? Quis audeat dicere, Athanasium, & alios fuisse schismaticos; Arianos verò in Ecclesiâ, eò quòd Liberius hos ad communionem suam admisisset, illos ab eâ repulisset? Nemo item Atticum Constantinopolitanum, & omnes Orientis Patriarchas pro schismaticis & excommunicatis unquam habuit, licèt à communione Romanæ Ecclesiæ divisi aliquando fuerint, retento semper animo, uniendi sese cum Ecclesiâ Romanâ, uti etiam à Cypriano, alijsque à communione Pontificis Romani repulsis egregiè observatum fuit.

Responsio

17. CUm causa ad excommunicandum requisita, non tantùm sit *juris*, sed etiam *facti particularis*, circa quod Papa errori est obnoxius, omnin ò potest quandoque contingere, ut excommunicatio per Summum Pontificem lata, ob causæ, ex quâ fertur, non subsistentiam, non pariat *per se loquendo*, conscientiæ obligationem: quamvis *per accidens* tum ratione evitandi scandali, tum ex obligatione non resistendi Judici, *in foro externo* legitimè procedenti, possit subesse obligatio in excommunicato, abstinendi ab actibus per talem censuram prohibitis.

Ex quo tamen principio exempla per Ellesium *proximè* deducta, quatenus etiam vera essent, minimè relevarentur. Cùm enim Asiatici, sub Paschatis decimaquintâ lunâ celebrandi ritu pertinaciter fovere niterentur Judaismum, à Plasto latenter introductum, quomodò à Victore Pontifice propterea excommunicati, sub hac censurâ insordescendo, non haberentur schismatici? At quæ adversùs Cyprianum, aliosque seu Africanos, seu Orientales Episcopos in præsenti argumento proferebantur, longè aliam faciem præferunt descriptam *Tomo 1. Concil. Edit. Parisien. pag. 446.* Ubi namque orta fuisset quæstio: *An Baptismus, quem minister hæreticus secundum legitimam Ecclesiæ Catholicæ formam, ac debitam ministri intentionem contulisset, invalidus sit, ideòque reiterandus?* Cyprianus equidem cum Firmiliano Asiæ, alijsque plurimis Orientalibus Episcopis, id non modò affirmavit, sed plurimis hâc de re in Africa habitis Conciliis confirmavit, *unum nempe esse Baptismum, qui extra unam Ecclesiam Catholicam non invenitur.*

Verùm postquàm Stephanus Papa contrarium ex Apostolicâ traditione sanxerat, *nempe validum & nequaquam reiterandum esse Baptismum ab hæretico ministro juxta formam à Christo præscriptam collatum.* Exinde ad Stephani Pontificis sententiam, non modò omnes ferè Patres Africani, sed ij etiam, qui propugnatores erant contrarij dogmatis, Firmilianus, Dionysius, & Cyprianus accesserunt; uti ex S. Augustino *Epist. 48. ad Vincent.* & *de Baptismo contra Donatistas. 6. cap. 1.* item ex S. Hieronymo *contra Luciferianos* probare licet. Quo igitur jure dicere potuit Ellesius, Cyprianum, & Africanos Antistites, nec non Firmilianum & Orientales à communione Stephani pulsos, minimè tamen à S. Augustino habitos fuisse schismaticos? De Meletij equidem schismate constat *ex hoston. Ecclesiast.* quâ tamen fœce *indebitè* ac *falsò* ab Acatio contaminatus fuit Cyrillus. Nec ubi Liberius falsâ & larvatâ *facti* specie deceptus, Arianos in communionem recepit, Athanasiumque damnavit; ex Cathedrâ sicâ Apostolicâ uti Pontifex, sed uti homo in ipsa, quæ *facti* sunt, deceptioni obnoxius egit, nec ullum adeò argumentum hinc desumi potest, ac si ab Ecclesiæ Romanæ communione remotus quis stare posset, quin esset schismaticus. In quo econtra censu reputantur meritò, quotquot adversùs Cathedram Apostolicam se se olim erigebant Orientis Patriarchæ, à Summis Pontificibus propterea excommunicati. Firma igitur stat illa regula, quòd schismaticus sit, quisquis non tam à privatæ Pontificis personæ, quam Ecclesiæ Romanæ, seu Apostolicæ Sedis communione pullus, ejus unitatem per proteruiæ suæ pertinaciam scindere conatur. Quod optimè firmatur ex sequenti Ellesij discursu. Si rem, inquiuntis, pe-

nitiùs

nitiùs scrutemur, ideo necessaria semper habita est Romani Pontificis communio, ut quis non haberetur pro schismatico; quia per eum tanquam per unitatis centrum, omnibus Ecclesijs uniuntur fideles. Ex communi autem Ecclesiasticorum Scriptorum consensu perhibentur Schismatici, qui à totius Ecclesiæ sub uno Capite unitæ communione separati sunt &c.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

20. THeologus hic Parisiensis, ijs, quæ proximè fuerunt allata, præsuppositis, subinfert, facilè concludi, quænam é dissidentibus Ecclesijs sit schismatica. Manifestum namque reddi ex dictis, illam Ecclesiam esse habendam schismaticam, à cujus communione cæteræ omnes, vel pene omnes dissident. Etenim si totius orbis Ecclesiæ, cum Ecclesijs dissidentibus, & à se invicem divulsis communionem fovissent, eæ licèt inter se divisæ, ab Ecclesia tamen universâ non erant separatæ, uti contigit in negotio Asiaticorum, Cypriani, Meletij, &c. Si verò totius orbis Ecclesiæ dissentirent, ita ut magna illarum multitudo ex utraque, parte staret, dissensioque foret de fide, tunc ea pars pro verâ Ecclesiâ esset habenda, quæ antiquam doctrinam retinebat. Si porrò paucæ Ecclesiæ nollent, cæterarum omnium decretis obtemperare, censendæ forent ab Ecclesiâ extorres. Sic Montanistæ & Novatiani, licèt antiquæ circà pœnitentiam severitati inhærerent, quia tamen pauci erant, qui istam retinendam docerent, cæterique omnes volebant lapsis veniam indulgere, meritò schismatici sunt habiti. Sic Episcopi, qui stabant à Donato, pro schismaticis habendi fuissent, quamvis Cæcilianum traditorem fuisse, constitisset, quia ab omnium Ecclesiarum communione propter unius Episcopi crimen excessissent. Ita etiam, licèt Asiatici tempore Victoris minimè fuerint schismatici, quia tamen post Concilij Nicæni Decretum, eandem cum Asiaticis disciplinam mordicùs retinuerunt, meritò pro schismaticis habiti sunt. Sic Lucifer, & pauci factionis ejus homines, licèt antiquæ circa Episcopos lapsos disciplinæ defensores, velut schismatici & perturbatores excepti sunt.

Responsio.

21. SIgnum schismaticorum cœtuum ab unâ verâ Ecclesiâ discretivum, longè solidiori ratione desumitur ex S. Cypriano *lib. 1. epist. 3. ad Cornel.* scribente in hæc verba: *Neque enim hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Cui consonat, quod in ejusdem S. Doctoris *lib. 2. Epist. 10. ad Cornelium* habetur: *Se misisse*, ait, *collegas suos ad Papam pro membris scissis ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem componendis: sed quoniam diversæ partis obstinata & inflexibilis pertinacia, radicis & matricis sinum & complexum recusârit, ideò Catholicæ unitatis adulterum & contrarium Caput extra Ecclesiam fecisse.* Quòd si ergo schisma ex pertinaci erga matricem Ecclesiam Romanam dissensione, ac erga Papam vices Christi gerentem Judicem contrarietate subsistat, quomodò fieri potest, ut totius Orbis Ecclesiæ cum Ecclesijs dissidentibus, & à se invicem divulsis, adeoque ex unâ saltem parte ab Ecclesiâ Romanâ discissis, communionem fovere queant, & tamen ab Ecclesiâ universâ, ex uno Capite & Sacerdote, Christi Vicario, Pontifice Romano, unitatem suam obtinente, non sint separatæ? Eandem profectò sortem tales ab Ecclesia Romana dissidentes Ecclesiæ subibunt, perindeque schismati obnoxiæ erunt, ac fuerant tum Montanistæ & Novatiani, tum Donatistæ, & Asiatici Victoris Papæ, ac postea Nicæni Concilij decreto circa Paschatis celebrationem pertinaciter renitentes, alijque adversùs Romanum Pontificem ex Cathedrâ Apostolicâ definientem protervè obluctantes.

§. III.

Quibus de causis ferri possit excommunicatio?

PRimò. Ellieſius *præsenti Dissert. 3. cap. 2.* 22.
excommunicationis ordinariæ tres statuit causas, nempe pravam doctrinam disciplinæ à Christo & Apostolis traditæ adversantem: vitam flagitiosam Christi præceptis contrariam: & privati alicujus rebellionem, adversùs Ecclesiæ sive propriæ & particularis, sive communis & universalis disciplinam. Quas excommunicationis causas Theologus *citatus* probat ex notis S. Scripturæ textibus *ibidem* allegatis.

Secundò. Idem Ellieſius distinguit excom- 23.
municationem in *medicinalem* & *mortalem*, quarum prior infligitur ad resuscitandam in peccatore pœnitentiam, vitæque adeò emendationem; posterior autem fertur in peccatores obduratos, de quibus vix ulla superest resipiscentiæ spes, sicque quasi mortui ejiciuntur extra sanctam Ecclesiam. Cujusmodi *mortalis* excommunicatio vocari solet anathema, quod juxta Conciliorum morem non inferebatur, nisi priùs excommunicatione *medicinali* fuissent perculsi, conformiter ijs seu decretis, seu testimonijs, quæ prætactus Theologus adfert *pag. 261. in fine, & pag. 262. usque ad medium.* Ubi tamen subditur, excommunicationem *medicinalem* non semper præcessisse *mortalem*, præcipuè ubi nulla spes emendationis apparebat: quamvis semper fuerit necessum, excommunicationis sententiæ præmittere trinas admonitiones, uti extat sanctum in sacris Canonibus *cit. pag. 262. post medium* adductis. Quare ne publici quidem peccatores, aut hæretici statim Excommunicatione *mortali* plectendi erant, sed priùs corripiendi, postmodùm admonendi ab Ecclesiâ, & *medicinali* excommunicatione plectendi, ac tum demùm ab Ecclesiâ penitus eliminandi, juxta institutam à Christo corripiendo-

rum Fratrum regulam.

24. *Tertiò.* Tradit *præcitatus* Ellieſius *pag. 260.* excommunicationem *mortalem* ferri non poſſe, niſi crimen ſit manifeſtum & publicum. Quamvis enim nonnulli putent, pœnitentiam publicam, ac proinde excommunicationem *medicinalem* olim inflictam eſſe pro peccatis occultis, neminem tamen hactenus exiſtimâſſe, aliquem ab Eccleſiâ invitum excommunicari, aut pelli potuiſſe, niſi manifeſtum foret ejus crimen; quippe cùm nullus debeat excommunicatione *mortali* plecti, qui non vel ſuo, vel aliorum teſtimonio fuerit convictus, & pœnitentiam agere detrectârit; uti pluribus teſtimonijs probare conatur *præcitatus* Theologus.

25. Quod equidem circa excommunicationem *mortalem*, imò & *medicinalem ferendæ ſententiæ* diſcrimen haud improbo: at circa excommunicationem *latæ ſententiæ* res aliter ſe habet, ita ut hæc indici poſſit generali aliquo ſtatuto, criminis cujuſpiam, ſi forte per nequitiam ſit patrandum, eatenus vindice, ut Canon excommunicationis, vel anathematis comminatorius ſit loco perpetuæ admonitionis, ipſoque facto incurratur ejuſmodi cenſura à tranſgreſſore illius Canonis, quantumvis ſcelus externo tamen opere conſumatum, ſit occultum, neque *juris*, neque *facti* notoreitate publicum.

26. *Quartò.* Cùm Ellieſius *pag. 269.* iterum probâſſet, excommunicationem ferri non poſſe in occultos aut hæreticos, aut peccatores, quippe cùm excommunicatio ſit ſeparatio è fidelium conventu & Societate, ſeu actus clavium externus, & *in foro exteriori* exercendus: neque enim homo internus ligatur ab Eccleſiâ, ſed ſe ipſum per peccatum ligat coram Deo, non coram Eccleſiâ. Exinde iſthanc movet quæſtionem; *An hoc accipiendum ſit, non tantùm de excommunicatione ferendæ, ſed etiam latæ ſententiæ?* Celebris namque eſt apud Canoniſtas iſta diſtinctio excommunicationis *ferendæ*, & *latæ ſententiæ*: quarum priorem, ipſomet Ellieſio animadvertente, illam dicunt, quam per ipſum actum meretur quidem peccator, non tamen incurrit ipſo *facto*, ſed infligitur per ſubſequentem ſententiam: poſteriorem verò, ajunt, ipſo *facto* incurri ob ſcelus patratum, cui ex vi alicujus Canonis ſeu ſtatuti eſt annexa talis cenſura. Priorem proinde excommunicationem, fatentur Canoniſtæ, ferri tantùm poſſe in peccatorem notorium, & criminis convictum: poſteriorem verò ipſâ perpetratione criminis incurri, contendunt: imò nonnulli ex ijs ajunt, eam in peccatum prorſus internum cadere poſſe, alij verò cenſent, hanc non ſecùs ac cæteras cenſuras, minimè habere locum in peccatis merè internis, niſi exteriùs prodierint per aliquod dictum, aut factum, licèt hominibus ignotum.

27. *Quintò.* Adversùs hanc Canoniſtarum doctrinam excipit Ellieſius *à pag. 270. circa finem*, excommunicationem *latæ ſententiæ* non eſſe eam, quæ hucuſque deſcripta eſt. Nam quotieſcunque in Canonibus antiquis dicitur anathema generatim in eos, qui hoc, aut iſtud ſcelus patraverint, hoc nihil aliud eſſe, ait, quàm eos, qui iſtud egiſſe convicti fuerint, excommunicandos, non autem reverà excommunicatos eſſe. Unde idem Doctor Pariſienſis *pag. 271.* concludit, quòd anathema, ſecundùm propriam hujus vocis ſignificationem, nihil aliud ſit, quàm diris devoveri, exitioque dignum haberi, ſicque adeò ſub ejuſmodi voce exprimi excommunicationem *ferendæ*, non *latæ ſententiæ*. Imò verò per excommunicationem *latæ ſententiæ* hominem re ipſâ non excommunicari, ſed excommunicandum decerni ſtatim, atque convictus fuerit ejus rei, propter quam fertur à *jure*, ſinè ullo prævio judicio.

Verùm pro *ſexto* hujus Ellieſianæ exceptionis ſequentem accipe refutationem. Cùm enim hic Theologus fateri debeat, vi Clavium Eccleſiæ poſſe decerni, ut ſtatim, ac convictus quis fuerit facinoris, propter quod excommunicatio fertur à *jure*, ſit abſque ullo prævio judicio excommunicandus; quinì ejuſdem S. Eccleſiæ *indefinita* ad quodcumque ligandum poteſtas facere poſſet decretum Ecclesiis cujuſpiam eatenus prohibitorium, ut quiſquis talis peccati reatum opere aliquo externo compleverit; ipſo *jure* non tantùm ſit excommunicandus, ſed ipſo *facto* excommunicatus? Quo proinde excommunicandi modo per plures Summorum Pontificum, atque Conciliorum Conſtitutiones ſtabilito, diſtinguere jam oportet, inter ipſam excommunicationis cenſuram *in foro conſcientiæ* incurſam, ejuſque auctoritativam *in foro externo* publicationem. Quarum prior equidem haud requirit peccati notoreitatem, ſed externam duntaxat ſceleris conſummationem: licèt poſterior exigat delicti, excommunicationem ipſo *facto* & *jure* annexam habentis, legitimam *in foro externo* probationem. Et hinc facilè patêre poterit, qualiter accipienda ſint ea, quæ Ellieſius *pag. 273. uſque ad pag. 277.* fusè proſequitur.

§. IV.

In quos ferri poſſit, ac debeat Excommunicationis cenſura.

QUæ hanc in rem Ellieſius *à pag. 277.* diſſerit, ea vel nullam continent difficultatem, vel alibi jam diſcuſſa fuerunt. Superſunt expendenda ſolummodò tum de Rege, tum de integris Regnis; *An excommunicationis, ſeu interdicti cenſuræ ſubjici queant?*

ARGUMENTUM I.

Noſtratis de Regibus ſententiæ.

ELlieſius *præſent. pag. 278.* pro noſtrâ ſententiâ, Reges excommunicari poſſe affirmante, ita diſſerit. Cùm equidem Romani Pontifices à Gregorio VII. ita excommunicârint Reges, ut ſimul eorum ſubditos à Sacramento fidei abſolverent, Regnaque eorum

rum cuilibet occupanda traderent: hinc factum est, ut Regum defensores *absolutè* negârint: Reges excommunicari posse eo saltem modo, quo Romani Pontifices eos excommunicari conabantur. Verùm si quis exactè loqui velit, dicere debet, Reges *absolutè* ab Ecclesiâ excommunicari posse, hoc est, indignos Ecclesiæ communione declarari in rebus spiritualibus, non autem in temporalibus ac civilibus, cùm proprius effectus excommunicationis, non attingat temporalia, sed spiritualia. Quamvis enim Reges sint Monarchæ & Principes Reipublicæ civilis, in Republicâ tamen Ecclesiasticâ sunt tantùm membra, debentque obtemperare legibus hujus Reipublicæ, aut ab eâ excidere. Potest ergo *absolutè* Princeps, qui Leges Christi & Ecclesiæ violat, Ecclesiâ indignus haberi, & declarari; prout multa exempla à *præcitato* Theologo adducta demonstrant.

Exceptiones Ellieſianæ.

30. HIc Parisiensis Doctor excipit *primò*. Non posse tamen Regibus per excommunicationem interdici, aut prohiberi, quæ sunt Juris naturalis & Divini: sic v. g. non posse vi excommunicationis prohiberi, ne Patersfamilias suam regat, alatque familiam, néve Filiusfamilias Patri & Matri debitum præstet honorem. Similiter igitur non posse excommunicationem impedire, quò minùs Rex Regnum administret, regat, gubernet, moderetur, ac proinde non posse subditos à Sacramento fidei absolvi, & Regem regnandi jure privari. *Secundò*. Licèt *absolutè* possint excommunicari Reges, non tamen expedire, id facere, plus enim inde detrimenti Reipublicæ Christianæ accedere, quàm Boni; nec id fieri posse sinè magno periculo schismatis, pacis publicæ perturbatione, Ecclesiæ vexatione, & cæteris calamitatibus, quas inde sequi, *moraliter* certum est. Atque hinc in Imperatores hæreticis addictissimos nullam excommunicationis censuram ab antiquis Episcopis fuisse fulminatam, ne scilicet eos graviùs exacerbarent adversùs Ecclesiam; veluti ostendant exempla *cit. pag. 279.* relata. *Tertiò*. Gallis suis semper fuisse persuasum, ut nunquam Reges suos excommunicari passi fuerint, multis hanc in rem adductis, ac *inferiùs* discutiendis exemplis.

Refutatio istarum Exceptionum.

31. CIrca *primam* igitur *exceptionem* disquiro ex Ellieſio, cùm sequenti *cap. 3. secundarium* à Jure *positivo* sancitum excommunicationis effectum, dicat in eo situm esse, ut nullâ cogente necessitate, vel utilitate, cum excommunicatis non ineatur familiaritas seu convictus, atque colloquium; *an non excommunicationis vim aperiè profiteatur, ad politicorum etiam, ex* jure duntaxat positivo *subsistentium commerciorum privationem extendi posse?* Etsi verò juris *naturalis* ac *Divini* sit obedientia & subjectio erga Regem, quamdiu manet in statu Regiæ præcellentiæ, attamen *juris* tantùm *positivi* est, quòd hic in individuo sit legitimus Rex, ita ut, si publici Boni ratio & necessitas id exigat, à Statibus Regni, ipsomet etiam Ellieſio alibi fatente, deponi valeat. An non igitur ad Regalis in hoc individuo dignitatis subsistentiam, *jure* duntaxat *positivo* nixam, poterit *secundarius* excommunicationis, jura commerciorum etiam politicorum adimere prævalentis effectus, eatenus extendi, ut jure Regiæ gubernationis intrà hanc individuam personam adempto, per consequentiam cesset subditorum debitum ad fidelitatem & obedientiam, indeque ruat super hoc debito fundatum jurisjurandi homagium.

Circa *secundam exceptionem* in promptu 32.
sunt varia ex Ecclesiasticis historijs exempla, ita ut Regum ac Imperatorum excommunicationes ad meliorem quandoque statum istos redegerint, vel etiam violentiarum excessiva nequitia necessariò exegerit earum per censuras Ecclesiasticas repressionem, vel ob plurium & graviorum ex Regum excommunicationibus imminentium malorum certa discrimina, fuerit consultiùs judicatum, à censuris abstinere. Quid ergo pro temporum varietate, possit hâc in re videri expedientius, summi Ecclesiæ sanctæ Moderatoris prudentia optimè sciet discernere.

Circa *tertiam exceptionem* fatetur inprimis ipsemet Ellieſius; à Nicolao I. justâ de causâ fuisse excommunicatum Lotharium Galliæ Regem, eò quòd Teutbergâ dimissâ, Waltradam duxerit uxorem: quamvis Theologus ille contendat, hoc ab illo Pontifice tanquam Judice & arbitro à partibus electo, factum esse. Quidni verò ipsissimum hoc arbitrium dixisset, fundatum fuisse in Clavibus Ecclesiæ, quas revereri debebat Lotharius? Quomodò enim ex partium arbitrio stare potuisset excommunicandi potestas? Excommunicationis censuras in Philippos I. & II. Galliæ Reges, non iniquis de causis esse à Summis Pontificibus latas, ac propterea ab Episcoporum Gallicanorum Synodis confirmatas, iterum fatetur Ellieſius. Quamvis proinde vel Hincmarus non acquieverit præcepto Adriani Papæ jubentis, ut à Caroli Calvi consortio & communione discederet: vel alij Gallicani Antistites variis temporibus iese opposuerint excommunicationibus in Reges suos à Pontifice Romano vibratis; quid totum hoc derogare valet *indefinitæ* Petri clavium super *quocunque* in terris protensæ auctoritati, dum ligamen ab istâ factum, in ipsis etiam cælis ratum habitum iri, verbis disertis Christus pronuntiavit? Si de prudentiæ circumspectione fiat quæstio. *An hæc sub ejusmodi censuris fuerit undique observata?* Profectò circa spiritualis sibi Divinitus concessi gladij justè ac prudenter evaginati usum, stabit præsumptio pro Papâ, quoad Ecclesiæ claves *immediatum* Christi Vicarium agente. Quæ, sufficiat, generatim hìc attexuisse, dum nimis longum foret de singulis Galliæ Regibus, erga quos Romani Pontifi-

ces gladium spiritualem stringebant, specialem ac particularem quæstionem instituere.

ARGVMENTVM II.

Nostratis sententiæ, quo ostenditur, quomodò Regnum integrum possit excommunicari, & sacris interdici, ob peccatum Regum seu Principum.

34. PRimum exemplum de interdictis Ecclesiasticis in communitatem latis, afferri solet (ut alia taceam) ex Concilij Triburiensis *capite 32.* & Cabilonensis *cap. 26.* desumptum, ubi Ecclesia quædam, lite de illius patrono pendente, claudi jubetur, ne officium Divinum in ea celebraretur.

Exceptio Elliesiana.

35. EXcipitur, Concilium Triburiense non subjecisse interdicto Ecclesiam, de quâ agebatur, sed pro bono pacis jussisse, ut Episcopi auctoritate clauderetur; donec ea, quæ de eligendo ad illam regendam Presbytero, lis pendebat, fuisset composita, atque finita.

Refutatio istius exceptionis.

36. QUia Elliesius de Concilij Triburiensis decreto fatetur, ab eo propter bonum pacis fuisse jussum, ut Episcopi auctoritate clauderetur Ecclesia, donec lis, quæ de eligendo Presbytero pendebat, fuisset composita; nunquid ex hoc est in confesso, antiquitùs extitisse morem, ex causâ justâ per auctoritatem Ecclesiasticam, non *materiales* duntaxat Ecclesiæ januas claudendi, sed interdicendi, ne officia Divina in eâ celebrarentur? Nunquid autem hoc interdicti Ecclesiastici apertam præfert speciem? Ad cujus rei ulteriorem confirmationem, faciunt tria exempla, quæ subministrat historia Gregorij Turonensis *lib. 5. cap. 32. lib. 8. cap. 31. & lib. 10. cap. 15.* Hæc enim exempla, fatetur is Parisiensis Theologus, probare, interdicta sub finem *primæ* Dynastiæ Gallicanæ fuisse in more: additque, sub *secundâ* Dynastiâ interdictorum Ecclesiasticorum usum prorsus invaluisse. Etenim circa annum 870. Hincmarus Laudunensis Ecclesiam suam quasi interdicto subjecit, eâ de causâ ab Hincmaro Rhemensi graviter increpatus *in opusculo 55. capitulorum. cap. 8.* Fulbertus quoque Carnotensis Episcopus ad Robertum Regem *in Epistola 63.* ista scribebat, *ad Aurelianam civitatem convenire non possunt Episcopi, cùm ibi nec sacrificare liceat, nec Eucharistiam absolutè percipere*: quòd nimirum subjaceret interdicto. Testatur etiam Ademarus Engolismensis ad annum 994. quòd Alduinus Episcopus Lemovicensis pro nequitia populi jusserit, Ecclesias & Monasteria cessare à cultu Divino, & à sacrosancto Sacrificio &c.

ARGUMENTUM III.

Prioris continuativum.

DUm Elliesius interdictorum generalium usum saltem frequentiorem reprobare conatur, non pauca nihilominùs de ijs argumenta & exempla nobis subministrat pag. *288.* asseverando: usque ad Gregorium VII. rara equidem fuisse interdicta, & in peculiares duntaxat Ecclesias lata: at illum Pontificem suæ auctoritatis augendæ perquàm studiosum, ijs frequenter in Regna etiam integra esse usum, alijsque Episcopis, ut idem tentarent, exemplo fuisse. Hinc eo præsertim tempore multis interdictis pacem Ecclesiæ fuisse turbatam, quorum exempla, quàm plurima videri posse apud Ivonem *Epistolis 59. 120. 121. 263. 264. & 266.* Quem etiam Epist. *94.* interdictum vocare remedium insolitum, observareque, in usu potissimùm fuisse in causâ sacrilegij, aut violationis pacis.

Exceptiones Elliesianæ.

EXcipitur *primò.* Interdicta generalia ad tuendam auctoritatem Ecclesiasticam ad. inventa, non fuisse potita isto effectu, sed contrarium omninò effeciisse; uti observat Soto *in 4. distinct. 22. quæst. 3. a. 1.* habeturque *in Capit. Alma Mater. de sentent. Excommunicat. Tunc* enim *excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, dum ab Ecclesijs sinè culpâ earum Divina obsequia subtrahuntur.* Experientia etiam demonstrat, interdicta fuisse dissensionum, schismatum, bellorum, aliarumque calamitatum causas.

Secundò. His de causis Romanos Pontifices, quibus hæc interdicta magis prodesse poterant, coactos esse, eorum severitatem ita paulatim imminuere, ut vix ullum habuerint effectum: quippe cùm primùm interdicta usurpari cœperunt, cujuslibet officij Divini celebratio prohibita fuerit, excepto tantùm infantum Baptismo, & Pœnitentiæ administratione in necessitate. Ita Alexander III. qui anno 1170. vivebat, *Capit. Non est à nobis. de sponsal.* Deinde circa Annum 1020. prædicatio Evangelij, & Sacramentum Confirmationis sunt concessa ab Innocentio III. *Capit. Responso. de sentent. excommunicationis.* Circa annum 1230. Gregorius IX. permisit, ut in unaquaque hebdomada celebraretur missa privata, ostijs clausis, sinè pulsu campanarum, *Capit. Permittimus. de sent. excomm.* Postea circa annum 1245. Innocentius IV. voluit, Sacramentum Pœnitentiæ administræri Cruciatis, & peregrinis, nec non permisit officium à Clericis recitari sinè cantu. *Capit. Quod in textu. de pœnitent. & remissione.* Demùm anno 1300. Bonifacius VIII. Pœnitentiam sanis omnibus administrari jussit, & integrum officium quotidie celebrari, ostijs tamen clausis, & sinè campanarum pulsu, imò etiam ostijs apertis, & prævio campanarum pulsu, in festis Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, &

Assum-

Assumptionis. *Cap. Alma mater. de sent. Excomm. in 6.* Ex quibus videre est, paulatim interdicto nihil ferme, præter interdicti nomen, esse relictum, quod argumento est, eos ipsos, quibus utilia maximè sunt interdicta, molestiam & periculum eorum agnovisse.

40. *Tertiò.* Interdicta sæpius esse ab Ecclesijs spreta & contempta. Quis enim ignoret, quàm nihili fecerit Ecclesia Gallicana interdicta in Regnum Franciæ lata tum à Bonifacio tempore Philippi Pulchri, tum à Iulio tempore Ludovici XII. tum etiam aliàs ab alijs Pontificibus? Quis nesciat, Rempublicam Venetam interdictum Pauli V. ita irritum judicâsse, ut ab eo ne quidem post pacem initam, absolvi se, passa fuerit. Cùm etiam Innocentius VIII. Brugenses, Gandavenses, & Iprenses interdicto subijcere tentâsset, ab ejus sententiâ advocatus Regius provocavit, & Senatus Parisiensis interdictum irritum esse, pronuntiavit, teste Chopino.

41. *Quartò.* Ex hactenus deductis patêre, interdictum Ecclesiasticum, quod in Regnum, Provinciam, Civitatem, aut Parochiam ob Regis, aut alterius peccatum fertur, rem esse novam, & odiosam, ne dicam, ferè semper injustam & iniquam: repugnare etenim æquitati videtur, innocentes cum noxijs involvi, & ob unius peccatum puniri universam societatem; præsertim cùm Reges & Principes, propter quorum peccata Ecclesiæ interdicto subijci solent, non sint præcipua Societatis Ecclesiasticæ, prout Ecclesiastica est, membra. Quod tamen ita intelligendum est, ut non omnis interdictorum usus sit damnandus, sed quòd cautè & rarò usurpetur.

Refutatio istarum Exceptionum.

42. EXordiendo à *quartâ & ultimâ* exceptione, disquiro ex Ellieſio, quomodò Christianissimi Regis sui bella justa pronuntiare valeat, cùm eorundem tamen effectus tot millia animarum præcipitet ad tartara, ac præter immensa insolentium militum flagitia, ut hostium vinci possit iniquitas, tot innocentes noxijs permixtos, oporteat, circa fortunæ & vitæ Bona gravissimè lædi, imò interfici? Scio, ab ipso responsum iri, hæc ingentia bellorum mala *per accidens* duntaxat, ac *indirectè* se habere ad belli justi actiones, dum per hoc Rex unicè intendit, jus suum prosequi. Sicut ergo Theologus ille non iniquum ducit, quòd in bello etiam justo necessum sit, innocentes *per accidens* involvi cum noxijs, quodque ob unius Regia jura temerantis nequitiam, universa Civitas seu regio aliqua puniatur, sic pariter respondeat sibi ad illam *quartam* exceptionem.

43. Quinimò Pontificum Romanorum pietas in casu generalis interdicti tam studiosè invigilat pro innocentibus, ne paria cum noxijs damna pati debeant, ut propterea facta sint ea indulta Apostolica, quæ ipsemet Ellieſius *in 2. suâ Except.* enumerat. Quis verò dixerit, interdicta generalia adversùs aliquod seu Regnum, seu Rempublicam, propter Regis, aut Principis, aut Statûs iniquitatem, ac pertinacem inobedientiam vibrata minùs æqua & justa fuisse ex eo, quòd ab ipsismet reis, eorumque fautoribus, viris etiam Ecclesiasticis, spreta & pro irritis habita fuerint? Hoc sanè foret perinde, ac Christianissimi Regis arma in bello *secundùm Theologorum suorum sententiam* justo, iniquitatis insimulare ex hoc, quòd ipsis tum vi militari, tum acriori calamo resistatur, eorumque injustitia passim redarguatur. Hinc proinde *prima* Ellieſij 44.
exceptio facilè eliditur, dum interdicta generalia ad tuendam auctoritatem Ecclesiasticam, adinventa quidem pronuntiat, ad Populi tamen indevotionem, hæresumque pullulationem, animarumque infinita pericula progignenda, perquàm proclivia dicit: quia namque finis ille *directè* ac *per se* intentus æquus & sanctus est, asserere oportet, mala inde *per accidens* duntaxat ac *præter intentionem* evenientia, *moraliter* haud imputari, maximè cùm ijs præcavendis satis congrua, à Romanis Pontificibus adhiberi soleant remedia *in dicta 2. Except.* enumerata: aperto sanè argumento, sanctum illum tuendæ Ecclesiasticæ auctoritatis finem, tam purè intendi à Summis Pontificibus, ut non sinant, eum contaminari ex effectibus pravis, solùm *indirectè*, ac *per accidens*, seu *præter intentionem ipsorum* forsan eventuris.

Unde posito etiam, interdicta generalia 45.
usque ad Gregorium VII. fuisse rariora, maximè dum vel Christianis Imperatorum adhuc Ethnicorum regimini subjectis, vel Regibus Christianam Religionem jam professis, sanctæ Ecclesiæ, Divinæque Legis servandæ majus studium habentibus, ratio non admittebat hujusmodi interdictorum usum: at eorum, rarior licèt, ab ipsomet etiam Ellieſio asserta inflictio, jam noscitur ex ipsius quoque antiquitatis sanctâ disciplina comprobari.

Corollarium.

An etiam in ipsos mortuos ferri possit excommunicatio?

BRevi summâ hîc complectemur, quæ Ellieſius *à pag. 290. usque ad pag. 292.* digessit. Illa namque quæstio vel intelligitur de propriâ & verâ excommunicatione, quæ est actus Clavium Ecclesiæ, minimè protensarum super mortuis. Vel intelligi potest de continuatione excommunicationis in vivis contractæ, & per absolutionem legitimam non ablatæ, vel etiam de excommunicatione *impropriâ*, detestatione scilicet memoriæ nefarij alicujus & facinorosi defuncti, vel etiam pro detractione seu erasione nominis ex Dypticis, seu Tabulis Ecclesiasticis in publico recitari consuetis. Hæc igitur posterior, non illa prior excommunicatio ferri potest in mortuos. Quamvis enim Vigilius in constituto improbâsse videatur, Sacerdotes in pace Ecclesiasticâ defunctos ex aliquâ post mortem ipsorum manifestâ causâ subjici anathemati,

hoc

hoc tamen aliquam admittit moderationem *ex Can. Concilij Africani*, in quo statutum erat de Episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates reliquerint, ut post mortem anathemati subjicerentur: per hoc enim vel indicebatur anathema in vitâ jam contractum, vel excommunicatio *impropriè* duntaxat dicta. Nam uti Gelasius *in Epist. ad Episcopos Dardaniæ* ait. *De eo, qui Divino judicio jam constitutus est, nobis fas aliud non est, præter id, in quo eum dies supremus invenit.*

§. V.

De effectibus Excommunicationis.

47. EXcommunicationis *mortalis* effectum *primarium* Ellieſius *præsentis Dissert. 3. cap. 3.* ait, esse, ut aliquis ex albo Christianorum expungatur, & Synaxi, Evchariſtiâ, precibus communibus, ac cæteris officijs, quibus societas & communio Christianorum cohæret, indignus esse pronuntietur: id enim significare verba Christi: *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Quemadmodùm enim societas civilis servatur cum Ethnicis & Publicanis, ita per excommunicationem non excludi homines à societate civili, nec ijs privari officijs, adjumentis, & bonis, quæ ipsis tanquam hominibus & Civibus jure naturali, Gentium & civili debentur. Verùm ex his posterioribus verbis resultat difficultas; *An nullo prorsus modo valeat excommunicatio privare commercijs jure civili, imò & Gentium conceſſis?*

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

48. HIc Auctor *præsent. pag. 293.* rem hanc ita prosequitur. Itaque primus ac præcipuus, imò *strictè loquendo*, unicus excommunicationis effectus est privatio officiorum spiritualium, non eorum, quæ juri naturali, gentium, aut civili debentur, cujusmodi est conjugum habitatio, parentum in liberos, liberorum in parentes, consanguineorum inter se, ac Regum in subditos, & subditorum in Reges officia necessaria. Quod verò spectat ad libera, ut amicitiæ, mutui convictûs & alia ejusmodi, hæc licèt non videantur jure *Divino* prohibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in usu fuisse, hæc excommunicatis denegare, constat ex B. Paulo multis in locis; mandatque Joannes, *nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave, communicat ejus operibus malignis.*

Responsio.

49. MIra profectò in præsenti videtur Ellieſij eliſio, qui cùm unicum excommunicationis *strictè ac propriè* sumptæ effectum coarctâsset ad privationem officiorum spiritualium, mox tamen Apostolorum exemplo convictus, excommunicationis vim extendit ad mutui convictûs, aliaque civilia commercia libera deneganda. Et hinc ansam arripit distinguendi duplicem, *primarium* scilicet, ac *secundarium* excommunicationis effectum. *Primarium* ergo ac *proprium* hujus censuræ effectum dicit, esse exclusionem à jure, quod habet quis in societate fidelium & Christianorum, & privationem eorum officiorum, quæ Christianis debentur, uti sunt Evchariſtica communio ac preces communes. *Secundarium* verò & minùs *proprium* ex jure duntaxat *positivo* subsistentem effectum, ait esse, ut cum excommunicatis familiaritas, convictus, & colloquium non ineatur, quando nulla necessitas, aut utilitas ad id cogit. Hinc subinfert, longè districtius esse præceptum, ut arcerentur excommunicati à Synaxibus, & precibus communibus, quam ut privarentur consortio familiari; prout ibidem fusiùs explicat.

ARGUMENTUM II. Ellieſij

PErgit hic Auctor hunc in modum differre. Tametsi vulgò dicantur excommunicati privari bonis, hoc versu significatis: 50

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Altero tamen versiculo mox restitui, quod illo auferebatur. Ita enim habet ille posterior versus:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Quo nempe significari, legem excommunicationis superiori versiculo indictam, non habere locum tum inter virum & uxorem, nec non inter parentes, liberos, & consanguineos, nec non herum ac famulos. Tum si nesciatur esse excommunicatus, aut dum hoc scitur, speret quis, suam familiaritatem illi utilem fore ad resipiscentiam. Tum si utilitas, aut negotia postulent, quempiam loqui cum excommunicatis, etiam denunciatis. Cæterùm prætactus Parisiensis Doctor ad hæc duo capita reducit causas, quibus non solùm liceat, sed oporteat cum excommunicatis communicare in civilibus: nempe quando officium aliquod est debitum, vel quando necessitas, aut utilitas exigit communionem cum excommunicato.

Exceptio.

AD majorem rei præsentis elucidationem videtur operæpretium, ex *alibi* dedu- 51
ctis principijs dare rationem, quomodò, & ex quo fundamento censuræ Ecclesiasticæ valeant extendi ad bonorum & Jurium temporalium privationem. In pœnis scilicet infligendis Justitiæ ratio duo requirit, justam causam, & legitimam auctoritatem. Si de hac sit agendum, noscitur ea consistere ex clavibus Ecclesiæ. Istæ verò claves sunt per Christum datæ *indefinitâ* ligandi & solvendi potestate super quodcunque *morale*, in Regnũ cælorum ordinabile protensâ. Eo ipso autem, quòd privatio jurium & bonorum temporalium nata sit hominem instigare ad resipiscentiam, & pœnitentiam, ut, dum hâc mediante, fit reconciliatio erga Deum & Ecclesiam, valeat obtineri restitutio ejusmodi

jurium

jurium ac bonorum. Idcircò in hac *morali* ad regnum cælorum ordinabilitate, fundatur etiam justitiæ causa, propter quam homo peccator *justè* possit per censuram Ecclesiasticam privari bonorum ac jurium temporalium communicatione, ut hinc moveatur ad pœnitentiam, sicque restituatur in Jus Regni cœlorum, quod suo peccato amiserat. Quam nihilominùs *indefinitam* clavium auctoritatem suam Ecclesia in ferendis censuris eatenus moderatur, ut suâ benignitate concedere adhuc soleat communionem cum excommunicatis etiam denuntiatis faciendam in casibus præadducto posteriori versiculo expressis. *Primò* namque non tantùm ratione necessitatis, sed etiam utilitatis præsertim spiritualis, tum communicanti, tum excommunicato inde provenientis, excusatur communicatio cum excommunicato. Hâc enim de causâ licet ipsi præbere consilia salutaria, concionem coram ipso facere, petere consilium ab excommunicato, dum alius non æquè bonum consilium creditur suggesturus. Licitum etiam est, excommunicato dare eleemosynam, vel ab ipso recipere, dum non æquè commodè ab alio impetrare poterit, licet insuper, debitum ipsi solvere, vel ab ipso exigere. *Ex capit. Responso. De sent. excom. & Cap. Quoniam multos. 11. quæst. 3.*

52. *Secundò* ratione obligationis, quæ est inter conjugatos, excusatur communicatio uxoris cum marito excommunicato, tam quoad petitionem debiti, quam quoad commune in mensâ, gubernatione domûs, colloquijs, alijsque domesticis obsequijs consortium. *Ex cit. Cap. Quoniam multos. & Capit. Inter alia. De sent. excom.*

53. *Tertiò* ratione famulatûs, seu subjectionis eatenus licet communicatio cum excommunicato, ut famulis concedatur communio cum suis dominis excommunicatis, quando ante excommunicationem contraxerunt subjectionem. *Ex dicto Capitulo. Inter alia.* Denique communicationem fidelium cum excommunicatis excusat ignorantia quæcunque sive *juris*, sive *facti*, etiam vincibilis, modò non sit crassa & affectata; uti ex *cit. Capit. Quoniam multos.* probant Doctores. Quare juxta priorem antea allatum versiculum, in sequentibus duntaxat casibus est prohibita communicatio cum excommunicatis vitandis.

54. Nempe *primò* communicans cum excommunicato in Divinis officijs publicis, seu usu Sacramentorum, indubiè est reus mortalis adversùs censuram transgressionis. Quinimò Clericus cum excommunicato vitando communicans in Divinis, illum scilicet, quem à Papa nominatim excommunicatum novit, sponte ac libere admittendo ad Divina, majorem contrahit excommunicationem; uti colligitur *ex Cap. Significasti. De sent. excom.* Deinde excommunicationem majorem incurrit, qui cum aliquo nominatim excommunicato, & ut sic denuntiato communicat in crimine, ob quod percussus est excommunicatione. *Ex Cap. Si concubinæ. De sent. excom. Et Cap. Statuimus, eodem titulo. in 6.* Et, si excommunicatio tali modo feratur, ut etiam participantes pronuntientur sub ipso contenti, tunc si post monitionem saltem trinam singulariter intimatam, quis non desistat a talis excommunicati communione, tunc eidem excommunicationis vinculo subjicitur, dum tamen communicatio importat reatum mortalem. *Ex Cap. Quod in dubijs. De sent. excom.* Extra casus autem prætactos communicatio cum excommunicato non est prohibita, nisi sub excommunicatione minore, quæ ob culpam etiam venialem contrahitur *Ex Cap. A nobis. De exceptionibus.* Et hinc civilis & politica cum excommunicato communicatio, si non fit nimis frequens & scandalosa, secundùm Doctores non est lethifera.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

55. HIc Parisiensis Doctor *pag. 296.* contendit, potestatem Ecclesiæ totam esse spiritualem, nec ullum habere dominium in res, actiones & personas civiles, nec adeò posse ullas temporales pœnas infligere, aut per vim cogere, sed tantùm suadere, hortari, & docere. Nam teste Hieronymo *Epist. 3. ad Nepotianum*, hoc inter Reges & Episcopos discrimen est, quòd illi *nolentibus*, hi *volentibus* imperent. Similia habet Chrysostomus *in Epist. 1. ad Thessalonic. Et in Epist. ad Titum. Si contemnatur Episcopus*, inquiens, *non oportet, ultiones ingerere, sed tota ultio est, plorare, ingemiscere.* Hinc octo primis Ecclesiæ sæculis, cùm de auctoritate Ecclesiasticâ mentio fiebat, non adhibebantur hæc nomina jurisdictionis, Majestatis, aut tribunalis, sed duntaxat ministerij & cathedræ. Illis quoque temporibus nulla pœna temporalis, sed tantùm excommunicatio & depositio indicebatur ab Ecclesia in peccatores, aut hæreticos.

Responsio.

56. EX antehac deductis constat, Ecclesiæ potestatem super temporalibus etiam quâ moralitate in Regnum cælorum ordinabili superveſtitus protensam, esse nihilominùs totam quantam spiritualem, eò quòd ipsius *formale objectum*, nempe *moralitas* in Regnum cælorum *ordinabilis* sit *purè* quid spirituale: tametsi sub ejus objecto *materiali* contineantur quoque temporalia, quâ moralitatem illam participantia: non enim potestatis cujuscunque denominatio sit a *materiali*, sed a *formali* objecto, veluti potentia intellectiva non propterea neganda est, tota esse spiritualis, quantumvis ejus objectum *materiale* complectatur etiam corporalia, quâ ad formalitatem tamen spiritualitatis per speciem intelligibilium ex phantasmatibus abstractionem elevabilia. Facilè autem concesserim, *Ecclesiam non habere dominium in res, actiones, & personas civiles.* Quippe cùm dominium importet facultatem utendi re pro lubitu ad proprium commodum, quod procul abesse debet à potestate Ecclesiasticâ, non in suam propriam,

sed Ecclesiæ publicam, nec non illius, contra quem agitur censuris, utilitatem spiritualem unicè intentâ. Quòd verò *nullâ vi Ecclesia cogere possit obluctantes, sed cum his suadendo duntaxat, hortando, & docendo agere debeat*, prorsus alienum est à praxi etiam Apostolicâ, secundùm quam Paulus Corinthium incestuosum Sathanæ tradendum judicavit.

57. Perperam confundit insuper Ellies. *primarium* ac *secundarium* potestatis Ecclesiasticæ munus, quorum prius equidem, non nisi *in volentes* exercetur; uti probant *prælegatæ auctoritates*. At ubi talis agendi modus in protervis & contumacibus locum habere non potest, superest alterum, quasi subsidiarium per censuras, & pœnas infligendas remedium, non nisi *secundariò* incumbens potestati pastoralis officij. Quòd si verò nec istud *secundarium* remedium sit efficax, non oportet, Episcopum ingerere ultiones gladij *materialis*, sed nihil superest ipsi, nisi plorare & orare.

58. Nec porrò si jurisdictionis ac similia nomina primis Ecclesiæ sæculis non fuissent in usu, plus inde evinceretur, ac si mysteria fidei sub vocibus *consubstantialitatis* & *transubstantiationis* contenta, elidere quis conaretur ex eo, quòd illa nomina non fuerint in usu primævæ antiquitatis. Quia denique excommunicationis & depositionis pœna, ipsomet Ellies. fatente, primis Ecclesiæ sæculis erat in usu, quæ profectò non in volentes, sed vel maximè invitos ac reluctantes stringi solet, in aperto jam est falsitas Ellesiani principij, quo is Theologus nititur, auctoritatem Ecclesiæ in tantum restringere, ut dicat, ei locum non esse nisi erga volentes.

Corollarium. I.

Si quis excommunicatus intrudat se Ecclesiasticis conventibus, aut depositus Episcopus vi retineat Ecclesiam, quidnam superit remedij?

59. Huic quæstioni respondet Ellies. Cùm unusquisque jure *naturali* & *civili* possit indignos arcere à suis conventibus, utique convenire Ecclesiæ quoque potestatem, à suis conventibus arcendi indignos. Circa quod Ellesianum responsum summoperè admiror, quòd Theologus ille, non nisi in *naturali* omnibus societatibus communi jure fundatam dicat illam Ecclesiæ potestatem, dum tamen Christus ejus claves *indefinitâ* ad quodcunque ligandum & solvendum potestate munivit. Non equidem in usu est Ecclesiæ, uti per se ipsam temporali gladio, hic ipse tamen in vi clavium eatenus est in potestate Ecclesiæ, seu Cathedræ Apostolicæ, ut isthæc erga illos, qui legibus ac censuris suis contumaciter resistunt, possit ejusdem usum præcipere Imperatoribus, ac Regibus, implorando eorum brachium sæculare. Juxta quod proinde principium, probari potest sequens Ellesij doctrina, si excommunicati, inquiuntis, refractarij apertam vim moliantur, tunc recurrendum esse ad Magistratus & Judices sæculares pro implorando auxilio; cujusmodi implorationem brachij sæcularis pro exequendis Canonibus esse antiquissimam, Concilio etiam Antiocheno *Can. 5.* ita sanciente, *Si Presbyter, vel Diaconus perseverat perturbare, & Ecclesiam Dei evertere, per externam potentiam ut seditionis auctor castigetur.*

Corollarium II.

Utrum excommunicatio alicujus, v. g. Episcopi, semper inferat depositionem, & an excommunicatio habere possit aliquem internum effectum?

Simplicibus enuntiationibus expedietur & has minoris difficultatis quæstiones. *Primò* itaque respondet Ellesius *pag. 288.* quoties excommunicatio fertur à Superiore, v. g. ab Episcopo, seu Synodo, tunc Sacerdotem taliter excommunicatum habendum esse pro depositio. Verùm hoc meritò negandum est. Nam depositionis pœna, utpote gravissima non nisi gradatim intentatur, si namque excommunicatio non prævaleat, quin Clericus huic obnoxius, in suâ nequitiâ insorduerit, tunc non statim, sed ultimo quasi loco per *specialem* adhuc processum juridicum, sententiamque hinc secutam, infligi solet depositio.

Secundò Ellesius *pag. 299. ac sequent.* udit, eos, qui ab Ecclesiæ communione sine ullâ eorum culpâ secernuntur, non propterea ligatos esse coram Deo, aut damnationi obnoxios: veluti probant testimonia Origenis *in cap. 16. Matth.* Hieronymi *in eundem locum.* Augustini. *cap. 6. lib. de vera Relig.* & Gregorij Magni *homil. 26. in Evang.* Quibus coronidis loco superadditur, quomodò intelligendum sit, quod S. Leo *Epist. 93.* & Gregorius Magnus *homil. 26. in Evang.* dicunt, *Sacerdotis sententiam etiam injustam timendam esse?* Ad quod Ellesius *præsenti pag. 301.* rectè respondet, timendam esse pastoris sententiam etiam injustam; non quod liget interiùs conscientiam, sed quia per eam privatur homo Sacramentis, precibus, & alijs officijs, quibus Christianum defungi, par est. Atque hinc, uti S. Leo *loco cit.* ait, *anima ejus veluti sanctata & inermis quodammodò, diabolicis insultibus, ut facilè capiatur, objecta est.* Est ergo talis sententia timenda, quia per eam ab Ecclesiæ visibilis communione removemur, tametsi propterea non excidamus à sanctitate.

DISQUISITIO XIV.

Quid sentiendum sit de Appellationibus intrà Galliam ad Judices sæculares interponi solitis ab abusu Ecclesiasticæ jurisdictionis?

§. I.

Ex hujusmodi appellationibus subsistere veram originem & progressum liberrimum Eccle-

Ecclesiæ, Gallicanæ, ostendit Author *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 16.* Ex omnibus, inquiens, malis, quæ dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quàm plurimorum causa fuit schisma. Cùm enim Clemens V. Philippi operâ ad Summum Pontificatum evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subsequentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit. Eo Romæ defuncto, anno 1378. Cardinales, qui majore ex parte Galli erant, Bartholomæum Prignianum Barij in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalium severum animadversorem, & reformatorem præbuit, eosque hâc de causâ infensos habuit, illi Anagniam primùm, deinde Fundos recesserunt, ubi Conventu facto electionem Urbani VI. utpote gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciaverunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hinc promovit, defenditque præcipuè Joannes Grangius, Gallice *la Grange*, Cardinalis, & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratia Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense abrogatâ de Pontificatu contendentibus dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Georgij in Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, quique solus posteà legitimus Pontifex agnitus est.

2. Tempore autem illius schismatis cùm uterque Pontifex ad tuendam suam dignitatem maximis sumptibus, & potentibus amicis indigeret, gravi Beneficiarijs onera imponebat, beneficiorum collationem sibi reservabat, multaque contra disciplinam antiquam committebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacij VIII. avita erga Summos Pontifices observantia aliquantulum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas Studij Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solùm in Ecclesia, sed etiam in Republica authoritas, quæque molestè ferebat, viris litteratis beneficia non conferri, de excutiendo illo jugo cogitârunt, quare Regis, Senatûs Parisiensis, & Regni Primatum opem implorârunt, ac promptam nacti sunt. Itaque sub Carolo VI. cùm adhuc ætate, ac deinde mente debilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesiæ contra Pontificum exactiones, & beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias: ac sensim contra cætera omnia, quæ nimis gravia videbantur, in quo potentia sæcularis cum Clero consensit, eumque maximoperè juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multò magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam liberandæ Pontificiæ authoritatis, ne ultra positos sibi à Christo terminos in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia Oecumenica examinanda, libertas illa protensa est.

Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiæ 3.
Gallicanæ nomine censeri voluit, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilij Basileensis decreta, exactionibus, & beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquamdiu hæc sanctio, ceu thesaurus, ac promptuarium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatûs convellebatur authoritate.

Verùm Summi Pontifices pragmaticam 4.
illam sanctionem abominati sunt, tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis fœtum tunc temporis editum, cùm Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papâ, & maximè Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum Summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quò vocati fuerant etiam Patres Basileæ degentes) quorumque decreta, utpote à capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium decretis longè erant anteponenda. Tandem Pontificum diligentiâ pragmatica illa sanctio primùm à Ludovico XI. deinde à Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata; ut testantur illorum edicta.

Senatus quidem & Universitas Studij Pa- 5.
risiensis, imò Clerus universus diutissimè illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut sæpe significârunt, inviti. Nam adhuc anno 1636. cum in Comitijs Cleri Gallicani Procuratores, seu Promotores inter acta Cleri paulò ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum 1. relata fuisse, atque inde *tacitum* Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortasse inferendam monuissent, Comitia authenticè declarârunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illic fuisse insertum. Itaque licèt titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur, ea fuisse statuta loco *dictæ Pragmaticæ sanctionis, ac omnium Capitulorum in ea contentorum*: tamen adhuc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expressè contraria non sunt.

Cæterùm Ecclesia Gallicana, quæ, ut se 6.
à Summorum Pontificum exactionibus, & beneficiorum reservationibus liberam servaret, ad potestates sæculares recurrit; potestatis sæcularis facta est serva, & cùm Romani Pontificis jurisdictionem molestè ac graviter tulit, suam à laica ferè omnimò absorptam gemuit. Testantur enim Parlamentorum placita, Advocatorum libri, imò frequentes Cleri Gallicani querelæ, prætex-

tu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusuum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sæculari esse ferè penitus extinctam.

7. Nec magna futuræ restitutionis spes affulget. Cùm enim Summi Pontificis authoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, aliisque Ordinis Ecclesiastici viris ad defendenda sua jura opem ferre. At nunc eâ imminutâ, etiam postulante Clero, aut potiùs constricto ejus potestatis usu, parùm efficax auxilium à sancta Sede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad Majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriæ suæ partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse positam, suamque authoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesiæ libertate serió impendat.

8. Sicut igitur Gallia ipsa exactionibus, & beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus, vel ab eorum Officialibus premi conquerebantur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut vicinior es haberet, ac postmodùm in schismate inter plures Pontifices Avenionenſium partes amplectens, sic etiam, ut se adversùs illa onera contra potestatem Ecclesiasticam tueretur, ad laicam recurens, ab ista in duriorem, ac miserabiliorem servitutem redacta est. Hoc utrumque testantur Scriptores Gallicani. Genebrardus *Chronic. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificiæ* ista scripsit; *Denique hæc Sedis Apostolicæ translatio valde fœdavit antiquam Ecclesiæ faciem. Nam præter inauditas dispensationes, & sanctorum Canonum enervationes, periit illud Divinum jus, sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus, maximè in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquàm Babylonicæ (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, jura denique confudit, corrupitque) Patriæ & Principibus impiè favere gestiunt.* En servitutis origo, en libertatis vindicandæ occasio.

9. Pragmaticam sanctionem Judicibus sæcularibus ad opprimendam, & ferè extinguendam jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse, docet tractatus de jurisdictione Ecclesiastica *to. 1. cap. 9.* Actorum Cleri, editionis anni 1673. exscriptus, cujus verba proximè sequenti §. referemus, cùm de appellationibus tanquam ab abusu disputabimus.

10. Non est tamen hîc omittendum, Edmundum Richerium Doctorem, ac Socium Sorbonicum *in libello de Ecclesiastica & politica potestate n. 13.* Gallicanarum libertatum originem appellationibus tanquam ab abusu tribuere; *Hæc ratio procedendi Gallorum*, inquit, de hujusmodi appellationibus loquens, *originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò nominant.* Quæ certè origo, si vera est, & plurimùm est Ecclesiæ odiosa, nec multùm antiqua.

§. II.

In quo consistat appellatio ab abusu, & quæ sit ejus origo?

AUthor *dicti tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 12. cap. 1.* hæc nos edocet. In Gallia, inquiens, appellatio ab abusu definitur in hunc modum; *A Judice Ecclesiastico, suâ potestate abutente ad Judicem sæcularem provocatio*: quam definitionem sic explicat D. Petrus de Marca *lib. 4. cap. 19. §. 4.* *Etsi abusûs significatio quamcunque Ministerij spiritualis aberrationem complectatur, sive in negotijs Ecclesiasticis, seu in temporalibus versetur, ut patet ex testimonijs jam relatis: attamen formula appellationum, quæ ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelæ illi, quæ à Clericis adversùs Judicum Ecclesiasticorum ad Magistratus Regios deferitur, sive de Rescriptis Romanæ Curiæ conquerantur, sive de judicijs Episcoporum.* Mutilam tamen esse hanc definitionem, ad solum Judicis Ecclesiastici abusus restrictam, videbimus *inferiùs.*

11. Nomine appellationis abuti videntur sic nuncupantes provocationem à Judice Ecclesiastico ad sæcularem, cùm nulla sit inter eos subordinatio, sed sint omninò distinctæ potestates, Ecclesiastica & sæcularis, & habeat utraque suos gradus, à gradibus alterius omninò distinctos; ut ab aliquibus, quamvis non omnimoda sit paritas, comparentur, quod jam alibi notavimus, duabus lineis parallelis, quæ quamtumvis progrediantur, nunquam sese contingent, aut conjungentur; cùm igitur Judex Ecclesiasticus in rebus spiritualibus Judici laico suppositus non sit, ab illo ad istum tanquam à minori ad majorem, provocari non potest; sed à Judice Ecclesiastico inferiori, ad Ecclesiasticum superiorem, & ab isto rursus ad altiorem, donec deveniatur ad summum. *Si quid*, ait Carolus Fevretus *lib. 9. cap. 3. n. 15. in praxim, usum, ac necem ipsam* abusûs Curiæ Romanæ, ac Curiarum Ecclesiasticarum Regni odium commovit, id fuit nomen appellationis. Nunquam enim Clerus molestè tulit, notorium, & manifestum abusum reparari. At vox appellationis, quæ usurpata fuit, ut ad illam reparationem procederetur, intolerabilis visa est. Non enim concoqui potuit, ut à judicijs Ecclesiasticis, & à Rescriptorum, & Decretorum Summi Pontificis executione appellaretur, ac postea hujusmodi appellationes in Curijs sæcularibus judicarentur, &c.

12. Quamobrem fatentur Galli, non dici simpliciter appellationem illam, quæ ab Ecclesiastico Judice ad sæcularem movetur. *Simplicem enim, & meram appellationem*, inquit illustrissimus Petrus de Marca *lib. 4. cap. 19. n. 5. ad Curiam Regiam nunquàm in Gallia admissam fuisse.* Fatentur etiam Petrus de Cunerijs *art. 14.* Masuerius *tit. de appellat. §. 22.* & Joannes Gallus *quæst. 161.* Verùm cum illo additamento, *ab abusu*, propriè, ac justè appellationes dici posse, arbitrantur, quasi vox magis odiosa rei ab altera voce significatæ odium minuere possit,

sit, aut verba mitiora veram injuriam abstergere.

14. De origine hujusmodi appellationum non consentiunt, qui de illis disputaverunt. Appellatio quidem antiquissimum est contra iniquitatem Judicum inferiorum remedium. Quovis tempore, ex quo Christiana pietas defervescere cœpit, inventi sunt nonnulli Judices Ecclesiastici, qui datâ sibi authoritate abuterentur: non defuerunt Principes, & Magistratus sæculares, qui de illo abusu conquererentur. (Justáne, an injusta esset querela, vel quod apponebatur remedium, postea expendemus) Verùm appellationes ab abusu sub eo saltem nomine non ita sunt antiquæ.

15. Carolus Fevret *lib. 1. cap. 2. n. 2.* antiquiorem appellationem refert ad annum 1404. allegans Placitum, seu Arrestum Senatûs Parisiensis eo tempore datum, pro quo citat *tom. 2. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 7. n. 27.* Sed quid Placitum illud contineret, ignoratur, cùm nec à Fevreto, nec ab Authore *tomi de libertatibus* referatur, sed tantùm citetur. Allegatur item ab utroque aliud Placitum anni 1449. Verùm in isto refertur tantùm, Procuratorem Regium dixisse, posse appellari à jurisdictione Ecclesiastica ad sæcularem, quasi ab abusu, ac per vim prohibitionis, & nullitatis ex eo, quòd Rex Deum tantùm superiorem agnoscat: Ecclesiastici verò jurisdictionem temporalem non nisi à Rege habeant, qui de ea, si abusus intercesserit, potest cognoscere: ex quo patet, ibi agi de Judicibus Dominij temporalis Ecclesiæ, à quibus ad Judices Regios appellatur; sed hoc ad causas profanas, non autem ad spirituales spectat.

16. In defensione Reginæ Navarræ Pio IV. ex parte Caroli IX. Regis Franciæ missâ anno 1564. earum appellationum usus circa tempora incepisse dicitur, cùm Cardinalis Iulianus à Balua Legatus à Latere ad Carolum VIII. etiam Regem Franciæ missus fuisset à Sixto IV. anno 1489. *Eo tempore usurpari cœperunt appellationes tanquam ab abusu, quas emittendas ad Senatum placuit, ab executione omnium Rescriptorum Curiæ Romanæ contrariorum sanctis decretis, libertatibus, & immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quarumque usus plurimùm viguit, propter optima, quæ inde consecuta sunt, commoda; ut scilicet hujusmodi abusus à Senatibus authoritate Regiâ revocarentur. Libert. Eccl. Gallic. tom. 1. pag. 96.*

17. Citatur à Renato Chopino *de sacra politia lib. 2. tit. 4.* provocatio Procuratoris Regij à quibusdam monitionibus Innocentij VIII. contra Flandros: sed hæc provocatio dirigitur *ad Papam modernum melius informandum, & sanctam Sedem Apostolicam.* Addit quidem; *seu ad eum, vel eos, ad quos de jure provocare potest, vel debet.* Sed ijs verbis non designabantur appellationes ab abusu, cùm in jure fundamentum non habeant.

18. Inter acta Cleri Gallicani, scilicet *tom. 1. tit. 2. cap. 19. ult. edit.* continetur eruditissimus, & solidissimus tractatus de jurisdictione Ecclesiastica, in quo appellationum ab abusu origo, pragmaticâ sanctione recentior demonstratur, & ejus esse quasi partus abortivus notatur; quæ, Ægidium le Maistre Protopræsidem in Senatu Parisiensi in collectione appellationum ab abusu nullam anno 1533. antiquiorem retulisse; Lucium item *in libro 2. Placitorum Summæ Curiæ in titulo appellationum*, quæ à veluti abusu nuncupantur, nullam habere, nisi ab anno 1537. quamvis citet etiam litteras appellatorias ab executione Rescripti Pontificij anno 1491.

19. Non potest certè usus ille admodùm antiquus esse, quandoquidem Stephanus Aufrerius Præses in Senatu Tolosano sub initium sæculi proximè elapsi *in addit. ad repet. Clement. 1. de offic. Ordinar. reg. 2. n. 30.* mirabatur, quî possent legitimæ haberi appellationes; *De quibus*, inquit, *sæpenumero dubitavi, ut fundari poterant in lure*; sed & nunc Iudices de illis Iudicium ferre verebantur. Subjungit enim idem Aufrerius; *Nunquam tamen audivi, neque vidi, nisi semel, quod super meritis hujusmodi causarum appellationum fuerit pronuntiatum: sed duntaxat vel appellationes annullari, aut quòd appellantes non erant, ut appellantes recipiendi, quia à Iudice spirituali non est ad sæcularem appellandum. Non debemus*, inquit etiam Stephanus Pasquierius *lib. 3. inquisit. suarum cap. 38. æstimare remedium illud appellationis (tanquam ab abusu) aut tempore Philippi Valesij (qui obyt anno 1350.) aut 140. vel 160. annis posteà inductum fuisse. Nulla enim sit ejusmodi appellationum mentio, neque in Regestis Curiæ, neque inter Senatûs consulta à Ioanne Gallo, Procuratore Regio tempore Caroli VI. (qui obyt anno 1422.) collecta, neque inter decisiones Capellæ Tolosanæ ab Aufrerio Præside in Senatu Tolosano digestas, neque inter decisiones Senatûs Delphinalis à Guidone Papa editas.*

20. Antiquior appellatio tanquam ab abusu assignatur à Domino de Marca *lib. 4. cap. 19. §. 4.* nempe, quam interposuit Procurator Capituli Parisiensis anno 1501. à decimæ indictione, quam Alexander VI. in Gallia exigi jusserat. Sed ea appellatio *primò* dirigitur *ad præfatum sanctissimum N. Papam melius consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum Universalem* primò *celebrandam*: quibus verbis fatetur appellans, appellationem ad Ecclesiasticum tribunal pertinere, nec per appellationis viam ad Principes se recurrere debuisse.

21. Licèt magna videatur inter illos Scriptores de tempore, quo usurpari cœperunt appellationes ab abusu, diversitas, ex omnium tamen consensu colligitur, eorum originem non esse valde antiquam, quod certè in re tanti momenti non obscurum est de injustitia præjudicium.

§. III.

Referuntur rationes Gallicanorum Authorum, quibus appellationes ab abusu conantur defendere, unà cum responsionibus earundem refutatorijs & conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

Ex pluribus rationibus conglobatum pro adstruenda justitia appellationis ab abusu.

22. AUthores Gallici *in præcitato tract. de libert. Eccles. Gallic lib. 12. cap. 5.* relati, Appellationes ab abusu legitimas esse, conantur ostendere ex sequentibus rationibus. *Primò*, quòd Rex sit Canonum custos. *Secundò*, quòd subditos suos à vi, servitute, ac oppressione tueri possit, & teneatur. *Tertiò*, quòd scandala, quæ ab injustis sententijs, aut decretis oriuntur, à Principe compescenda sint. *Quartò*, quod Canones sæpe legibus confirmati fuerint, adeoque Principes propriarum legum, perinde, atque Canonum infractionem ulciscantur. *Quintò*, quòd jus naturale injuriam à se, atque ab alijs arcere permittat. *Sextò*, quòd Ecclesia partim *expressè*, partim *tacitè* illi usui consentiat. Excepta ista ratione, reliquæ omnes unicâ responsione videntur elidi.

Responsio.

23. AUthor *præcitati tract. dict. cap. 5. àn. 2.* sic respondet. Si Principes ac Judices sæculares nullo casu putant, Ecclesiam causas ad sæcularem jurisdictionem pertinentes ad Ecclesiastica tribunalia evocare posse; quâ æquitate illi causas Ecclesiasticas ad forum sæculare per appellationes ab abusu pertrahunt? Nónne Ecclesia, ut leges, ac mandata Principum à fidelibus observentur, censuras adhibet? Num autem negotiorum sæcularium cognitio permittitur Judicibus Ecclesiasticis, dum censurarum imploratur auxilium, ad detegendam v. g. rei veritatem? Quomodò igitur prætextu custodiæ Canonum, causarum Ecclesiasticarum judicium sibi laici tribuunt? Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 12. cap. 12. §. 4.* varia profert exempla, ex quibus patet, solitos olim Principes ad Ecclesiam recurrere, ut ejus ope debitam sibi fidem & obsequium à suis subditis obtinerent. *Exempla*, inquit, *petere licet è Synodo apud Lauriacum habitâ anno 843. relatâ in Synodo Meldensi, & apud Ivonem, quæ eos, qui contra Regiam dignitatem aliquid machinantur, vel potestati Regiæ per summam contumaciam non obtemperant, anathemate plectendos decernit. Inde Synodus Suessionensis anno 866. rogat Nicolaum 1. ut Salomonem Britanniæ Ducem moneat, quò Domino suo Carolo Regium obsequium præstet, annuosque census persolvat; alioqui gladio Apostolatûs vestri se percellendum debito agnoscat libramine. Ludovicus Ultramarinus Rex Francorum ab Hugone Comite vexatus, subsidium postulat à Synodo Engelenheimensi, ubi aderat Legatus Romani Pontificis, & Otto Imperator anno 948. &c.* Si quis hodie ob illa exempla contenderet, in foris Ecclesiasticis ejusmodi causas esse tractandas, partibus auditis, & eodem ordine, quo appellationes ab abusu apud Judices sæculares, ceu insanus haberetur. Et tamen insontes videntur Judices laici, qui spiritualia, & sacra quæque negotia ad se trahunt, ac juridice dehniunt; quia *abusûs* vocem obtendunt; quasi potestates sæculares non solùm authoritate suâ minquam abutantur, aut earum abusus corrigere nefas sit; sed etiam ad Pastorum Ecclesiasticorum abusus emendandos, à Deo sint præpositæ.

Præterea, num Principes sæculares rarius, quàm Ecclesiastici proprios subditos opprimunt, aut Ecclesia de ope, filijs suis injustè vexatis, minùs debet esse solicita, quàm Reges de regnicolis ab injurijs vindicandis? Nónne etiam ab injustis Principum mandatis oriri possunt scandala, vel illis moveri non debent Apostolorum Successores, qui à sancto Paulo ita se habere didicerunt, ut verè dicere queant; *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quid, quòd leges Canonibus confirmantur: & tamen occasione violatorum Canonum Ecclesia de possessionibus terrenis, alijsque rebus meré temporalibus libere judicare non sinitur? Cur soli Ecclesiæ nefas sit, non solùm sua jura, sed etiam fidelium bona, & libertatem, dum ijs injustè spoliantur, propugnare? An jus illud naturale Principibus temporalibus, non autem superioribus Ecclesiasticis concessum est? 24.

Evenire sane potest, imò, ut non eveniat, fieri vix potest, ut Superiores Ecclesiastici aliqui aliquando suâ potestate abutantur: sed contingit frequentiùs, ut Principes & Magistratus sæculares ultra modum suos subditos premant. Nónne ergo æquius esset, ut Pastoribus Ecclesiæ, præsertim Summo, liceret, & Principum conscientiæ, & subditorum quieti, quæ cum animarum salute sæpe conjuncta est, prospicere, quam ut Principes superiorum Ecclesiasticorum abusus, qui circa formulas à jure *positivo* inductas, aut fortè circa redditum temporalium, aut beneficiorum dispensationem versantur, possent authoritate sua corrigere? Præsertim cùm prætextu illius correctionis majores abusus aut foveantur, aut inducantur. Difficillimum, ac fere impossibile est, ut præcaveantur, aut emendentur omnia incommoda. Si autem volunt Galli, reverendam esse tantummodò Divinæ Providentiæ dispensationem, quæ supremam Regibus potestatem contulit, cùm illi malè in administratione rerum temporalium se habent, cur idem de potestate Ecclesiastica non sentiunt? Cur utraque in alteram monitionibus tantùm non agit? Si utriusque distincta sunt officia, & discreti limites, ut non debeat alterius altera fines ingredi; ne, dum in alterius Provincia ordinem constituere satagit, & suam, & alienam perturbet. Cur Deo non relinquitur, ut in hoc mundo, vel saltem in futuro Præpositorum à se constitutorum delicta emendet? *Tu quis es, ut judices alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Ad Rom. 14.* Humanum dico propter infirmitatem. 25.

Cùm enim corpus propter animam, non anima propter corpus à Deo creata sit; cùm temporalia & corporalia ordinata sint ad spiritualia, & æterna; convenientius est, ut illi, quibus ex Divina dispensatione concredita est spiritualis, & æterna salus fidelium, curam 26.

curam suam ad temporalia protendant, quàm ut, qui temporalibus præpositi sunt, ad spiritualia manum porrigant; maximè cùm, ut diximus, abusus circa temporalia, Magistratuum, ac etiam sæpe subditorum conscientias illaqueent. Quâ ergo ratione potestas spiritualis eodem jure in rebus sacris, quo temporalis in profanis frui non permittitur, & plus Principibus in Ecclesia, quàm Ecclesiæ in Principes circa temporalia tribuitur? Sed, ut redeamus ad illa, quæ in favorem appellationum ab abusu allegantur.

27. *Primò.* Rex Canonum Custos est, at non Conditor, Executor, non Iudex; ut notat Facundus Hermianensis, de Imperatore Marciano verba faciens; *Cognovit ille* (Marcianus) *quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Et ideo, ne impius, atque sacrilegus videretur post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ nihil reliquit .... Multò magis impunè sibi cedere non posse, cognovit, vel quæ jam de fide Christiana ritè fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere Canones, quod non nisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.* Facundus Hermian. *defens. lib. 12. cap. 3.* Iudicare Superioris est: Principes igitur Canonibus obsequi tenentur; de illis judicare non possunt; illorum interpretes non sunt, sed ejus est, legem interpretari, cujus est & condere,

28. *Secundo.* Tueantur Reges suos subditos, quando vim, & injuriam patiuntur; sed debito modo. Non autem v. g. cùm illi, quibus id muneris incumbit ex ordinatione Divina, remedium opportunum afferre non recusant; cùm non est manifesta injuria, &c. Sed Principes parem saltem fateantur facultatem Pontificibus competere, cùm fideles evidenti fuerint iniquitate à laicis oppressi, non sinè certo ipsorum æternæ damnationis periculo.

29. *Tertiò.* Quantum damnandi sunt, qui scandala concitant, de quibus pronunciant Divina oracula, satius esse, ut alligatâ collo molâ demergerentur in profundum maris *Matth. 18.* tantum laudandi sunt, qui scandala compescunt, atque ad id traditâ sibi Divinitus potestate utuntur. Verùm amoto, si quid instabat scandali, cædis videlicet, seditionis, & hujusmodi periculo, causæ judicium Judici competenti relinquatur. Certè, qui tixantes videt, potest, & debet propter imminens, & inevitabile periculum à mutua injuria, quantùm valet, impedire, non tamen illius rei, cujus causâ rixabantur, judicium sibi vendicare, aut injuriam inferentem plectere, nisi sit legitimus ejus Superior.

30. *Quartò.* Si res sit ejusmodi, ut partim Canonibus, partim legibus regi debeat, unaquæque potestas jure suo libere utatur. At, si leges in adjutorium tantùm Canonum invocatæ sint; nónne jus violatur, si, quæ adjutrices venerunt, dominari velint?

31. *Quintò.* Ex jure naturali licet manifestam injuriam & à se, & ab alijs amovere, recurrendo scilicet ad Judices, & Superiores à Deo constitutos, non autem authoritate privatâ, vel extraneâ; præsertim dum non desunt media ordinaria & regularia; ut vix, aut nunquam in Ecclesiastico regimine desunt.

ARGUMENTUM. II.

Petitum ab antiquitate appellationis hujusmodi.

PEtrus de Marca *lib. 4. concord. cap. 19. §. 2.* maximè enititur novitatis notam ab ejusmodi appellationibus removere, asseverans, ex concordatis inter Leonem X. Pontificem, & Franciscum I. Regem Francorum initis, Senatûs officium adversùs eorum violationem imolorari solitum per appellationes ab abusu; eò quòd Pontifex Canonum, atque Decretorum in illis Concordatis renovatorum tuitionem, consensu quoque suo, & Apostolicæ Sedis authoritate adhibitâ, Regibus Francorum permisisset: Franciscus autem Rex eam curam Parlamentorum Curijs demandâsset. Sed, ne hujusmodi appellationibus novitas, quâ nihil est libertatum Ecclesiæ Gallicanæ dignitati infestius, objiceretur, *§. 3. Abusus* dictionem in foro anteà incognitam non fuisse, contendit. Ad hoc intentum probandum, inducitur etiam Durandus Mimatensis *in tract. de modo Concilia Generalia celebrandi rubric. 70.* monens, sæculares judices suo temporet solitos fuisse Judices Ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes repellere hâc exceptione: *quòd eorum actus essent abusus.* 32.

Responsio.

AUthor *prætacti tract. cit. lib. 12. cap. 6.* in hæc verba respondet. Illam Judicum sæcularium adversùs Judices Ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes justam ac veram non fuisse, comprobavit examen aliquot post annis factum coram Philippo Rege Francorum, hinc Bertrando Episcopo Augustodunensi Ecclesiasticam, illinc Petro de Cunerijs, Procuratore Regio laicam jurisdictionem defendentibus, ut in actis legitur typis pluries excusis, & à Patribus Philippo Labbeo, & Joanne Cossart *tom. 11. Concil. par. 2.* insertis, & in Bibliotheca Patrum *tom. 13. edit. Colon.* 33.

Antiquiorem, ut *supra* notavimus, postremo sæculo appellationem ab abusu non affert Marca, & quam tunc temporis interjectam dicit *§. 4.* præterquàm quod ignoratur, an, qui interpoluerat, prosecutus sit, recenter editi partûs speciem præfefert. Adhuc enim vacillat. Appellatur *à Procuratore Capituli Parisiensis* contra decimam ab Alexandro VI. inductam ad Papam meliùs consultum, Synodum universalem, Regem Christianissimum, supremam Parlamenti Curiam, ac *ad illum, vel ad illos, ad quem, vel quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare, & appellare licet.* Hæc appellationis forma indicare videtur non 34.

posse

posse ad Regem, vel ad Senatum deferri appellationem, nisi ad summum post judicium Papæ melius consulti, & post sententiam Synodi universalis, & propter illorum defectum, aut manifestissimam injustitiam. Non enim potest in omnibus illis tribunalibus simul tractari negotium. Nec tot Judices appellari videntur, nisi quia dubitatur, quisnam sit adeundus, vel potius an Rex, & Parlamenti Curia sint ex illis, *ad quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare, & appellare liceat.* Et fortasse comminatio erat potius, quàm vera appellatio, ut Papa mutuens, ne Ecclesiasticum negotium ad tribunal sæculare deferretur, atque ita jurisdictio Ecclesiæ detrimentum pateretur, onus Clero impositum minueret.

35. *Paragraphi quinti* notatu digna sunt hæc verba; *Simplicem & meram appellationem à Curia Ecclesiastica, ad Curiam Regiam in Gallia nunquam admissam fuisse, fatentur Petrus de Cunerijs* (insignis jurisdictionis Ecclesiasticæ æmulus) *art. 14. Masuerius tit. de appellat. §. 22. & Ioannes Galli quæst. 161.* Illi enim Authores generatim negant, à Iudice Ecclesiastico ad sæcularem appellationem admitti, quantumvis eos Marca de appellatione tantùm simplici, non de illa, quæ tanquam ab abusu nuncupatur, intelligendos velit. *Nullus*, inquit Petrus de Cunerijs *art. 14. à Curia Prælatorum appellat ad Curiam Regiam.* Ac revera in libro inscripto; *Stylus Curiæ Parlamenti Parisiensis*, licet prolixus sit titulus de appellationibus, nulla reperitur neque simplex, nequè tanquam ab abusu à Judicibus Ecclesiasticis ad sæculares. Masuerius non solùm testatur de *facto*, sed etiã de *jure. A Iudice Ecclesiastico*, inquit *tit. de appel. §. 22. non est appellandum ad Iudicem sæcularem.* Joannes Galli Advocatus Regius, qui Placita Senatûs Parisiensis usque ad annum 1414. per quæstiones digessit, idem variis Senatûs-consultis probat; *Fuit*, inquit *quæst. 161. ante longum tempus dictum per arrestum, Dominum Iohannem Lappostole non esse, ut appellantem recipiendum, ab Officiali Curiæ Ecclesiasticæ Lingonensis ad Parlamentum; quia Curia Ecclesiastica non resortitur ad temporalem. Idem fuit pariter dictum contra Dominum Guillelmum Creveil, qui ab Officiali Curiæ Ecclesiasticæ Capituli Lingonensis appellaverat ad Parlamentum.*

ARGVMENTVM III.

Petitum ab Authoritate.

36. PEtrus de Marca *cit. cap. 4. §. 5.* contendit, appellationum ab abusu frequentiam induxisse Theologorum Parisiensium, præcipuèque Gersonij sententiam.

Responsio.

37. AUthor *præfati tractatûs cit. cap. 6. à n. 6.* ita respondet. Quanta esset tempore Gersonij in Ecclesia confusio; quantus clavium à Pontificibus, seu Pseudopontificibus abusus, nemo ignorat. Unde nihil mirum est, si & Gersonius, & alij quidam Theologi Parisienses intolerabiles illorum excessus, præsertim, cùm contraria præciperent, & unusquisque sibi obtemperari sub frequentibus censuris præciperet, repelli posse docuerint: licèt autem Gersonius parvulum istum tractatum de materia excommunicationum, & irregularitatum, quem citat Marca, fortasse post finitum schisma scripserit, cùm in eo Concilij Constantiensis mentionem faciat, plurima tamen profert, quæ animum adhuc exasperatum, atque indignatione in abusus, quorum testis extiterat, commotum indicant. Cujusmodi fuerint abusus, significat his verbis *considerat. 9.* & alijs; *Contemptus clavium non incurretur in multis casibus, quibus Papæ mandato non obeditur: dum scilicet obeditur enormissimè, & scandalosissimè potestate sua in destructionem, non in ædificationem.*

Quam autem longè absit Gersonij sententia ab effusa illa appellationum ab abusu frequentia, quæ Galliã hodie inundant, patebit attente legenti verba prædicta, & illa ipsa, quæ refert Marca *ex consideratione 10. Contemptus clavium non semper inventur* (invenitur certè quam sæpissimè) *apud illos, qui nondum non obediunt sententijs excommunicationum promulgatis per Pontificem* (qualis erat Benedictus XIII. qui Reges, & Regnum Franciæ censuris suppositit, eò quòd sibi concordem recusanti, obedientiam subtraxissent) *nisi suos, qui per potestatem sæcularem adversùs tales prætensas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat, ut possit vis vi repelli.* Sed hoc aliud omninò est ab appellatione, quæ cum cognitionem requirit, quantumvis prætendant Judices, se de abusu, non de iniquitate cognoscere. Gersonius enim supponit, evidentissimam esse censurarum injustitiam, ut non inquirendum sit, an Pontifex abutatur suâ potestate; sed quomodò quis possit ejus injuriam evadere. Subjungit enim; *Constat autem, quòd tales excommunicationes, non debent dici jus, sed vis & violentia, contra quam sat habet liber homo, vel animus se tueri.* Adde, quòd si Gersonij dictis standum est, possint laici adversùs injurias sibi à Rege factas, Pontificem adire, quod Regij Ministri ceu crimen læsæ Majestatis æstimant. Etenim in illo etiam casu locum habet ratio Gersonij; *Lex naturalis dictat, ut possit vis vi repelli:* ac præterea docet idem Doctor loco *alibi* exscripto, licere non solùm Communitati, sed etiam privatis adversùs Principis, alioquin legitimè dominium obtinentis, tyrannicum regimen sese defendere: quis autem justior, & modestior modus se defendendi, quam ut appelletur Pater communis omnium Christiãnorum, & Pastor, cui tenentur etiam ipsi Reges parêre, si inter Christi oves censeri volunt?

ARGUMENTUM IV.

Desumptum ab Ecclesiæ, Summique Pontificis *tacito* saltem consensu.

PEtrus de Marca *dict. cap. 4. §. 7.* probare nititur, appellationibus ab abusu non deesse

esse *tacitam* saltem Summi Pontificis, aut Canonis delegationem, seu Ecclesiæ consensum. Tum ex eo, quòd Concordatorum tuitio, quæ majoris est momenti, Regibus commissa sit; tum quòd non sint inviti Episcopi, nec de re, sed de excessu conqueranter; tum denique, quòd tamdiu siluerit Curia Romana. *Ex præsumpta mente Summi Pontificis semper Gallicanæ Ecclesiæ persuasum fuit, in cæteris etiam articulis* (scilicet ultra contentos in Concordatis) *eam tuitionem extraordinariam, quæ in Gallia ante Concordatorum publicationem vigebat, à Summis Pontificibus tacitè fuisse concessam; cùm in rebus majoris præsertim momenti, quæ Concordatis continentur, præsidium Regium ad Decreta custodienda impendi gratissimum habuerint. Quæ Summorum Pontificum consensio inde etiam probari potest, quòd ab aliquot sæculis, cùm appellationum istarum usus frequentetur in Gallia (non invitis Episcopis, qui modum quendam illis præscribi, non autem rem ipsam aboleri aliquoties postulárunt) à Romana Curia nihil profectum sit, quo ingratam sibi esse fori tricturam illam significaret.*

Responsio.

40. AUthor sæpe insinuatus *cit. cap. 6. n. 10.* ita respondet. Ex Concordatis argumentum validissimum desumitur contra prætensum sanctæ Sedis *tacitum* consensum, circa appellationes ab abusu. Ibi enim Summus Pontifex expresè declarat, se alios usus præter contentos in Concordatis, si qui sint sanctæ Sedis, & Ecclesiæ juribus contrarij (quales esse ostendimus illas appellationes) non intendere approbare. *Et cùm omnium* (verba sunt Leonis X. *in concord. tit. 33.* qui est de perpetua stabilitate Concordatorum) *quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu usus libertati Ecclesiasticæ, & authoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præjudicantia, si qua in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, aliàs, quàm in præmissis, existant, non intendimus nobis, & eidem Sedi in aliquo præjudicare, seu illa tacitè, vel expresè quomodolibet approbare.* Vide, an meritò *ex præsumpta mente Pontificis semper Gallis persuasum fuerit, in cæteris etiam articulis* (ultra contentos in Concordatis) *eam tuitionem extraordinariam à Summis Pontificibus tacitè fuisse concessam.* Nónne potiùs expressa declaratio eliminat omnem *taciti* consensûs præsumptionem? Testatur præterea constitutio, singulis annis in die Cœnæ Domini publicari solita, & aliæ innumeræ, quantum aliena sit sancta Sedes à consentiendo usibus Ecclesiasticæ jurisdictioni tam infestis.

41. Testantur acta Cleri Gallicani, & nominatim tractatus *de Ecclesiastica jurisdictione* alibi laudatus, & *tomo 1. actorum Cleri Gallicani* insertus, an Episcopi jurisdictionem suam per hujusmodi appellationes extingui gratum habeant; an verò ex desperatione tantùm abolendi usûs sibi tam pernicioſi, modum ei adhiberi postulârint. Ex his autem inferent Prælati Ecclesiastici, quantùm interſit, jurium Ecclesiæ violationi, & quamprimùm, & quàm fortiter obsistere, cùm in rebus capitalissimis, quæque nullâ solidâ ratione nituntur, resistentia non satis generosa (nedum silentium) accipiatur pro consensu; ut jam non de revocando, sed de minuendo malo deliberandum sit, ac pro magno favore habeatur, si pernicioſiores circumstantiæ resecentur. Inferent similiter, quàm periculosum sit, ab ijs opem emendicare, qui alienam dominationem excludunt, sed ita, ut ipsi duriùs dominentur. Sapientissimè statuerunt Summi Pontifices, ut laicorum leges circa res Ecclesiasticas sinè assensu Ecclesiæ nullâ vi pollerent, etiamsi viderentur utiles. *A quibus* (Laicis) inquit Innocentius III. *Cap. Ecclesia. De constitut. si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Minus enim est illud commodum, quàm damnum usurpatæ à laicis in Ecclesia jurisdictionis; præsertim quia ubi semel Ecclesiasticarum rerum arbitrium prætextu procurandæ utilitatis Ecclesiasticæ ad se traxerint, si decernant injusta, respui vix poterunt ob dissimulatam judicandi possessionem. *Nam*, ut ait Nicolaus I. *epist. 47.* quæ est ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, & refertur in Concilio Suession. III. *mala consuetudo, quæ non minùs, quàm pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

CONCLUSIO.

PRæinsinuata ab Ecclesiasticæ jurisdictionis abusu appellatio nullo justo titulo colorari potest, ut in conscientia securi esse queant, qui eam prætendunt.

42. EXplicatur ex Authore *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 12. cap. 4.* Certissimum namque est, non habere Judices sæculares claves Ecclesiæ, ut in foro vel *interno*, vel *externo* ligare possint, aut solvere; id, est à peccatis, & censuris absolvere, vel illis innodare, jurisdictionem, aut missionem spiritualem conferre, vel auferre. Id de fide est, nec inter Catholicos probatione indiget. Unde necessariò consequitur, nulla Principum Edicta, nulla Curiarum sæcularium Placita posse quemquam ab excommunicatione, aut aliâ censurâ, vel irregularitate, vel peccato liberare; nulli Parocho, vel alteri Sacerdoti, aut Clerico validam, ad prædicandum missionem, ad pœnitentiam, vel alia Sacramenta administranda, jurisdictionem conferre. Possunt quidem Senatores declarare, non esse aliquem excommunicatum, irregularem, vel alicujus criminis reum, sed hujusmodi declarationibus, cùm à non habentibus potestatē prodeant, ab excommunicatione, irregularitate,

tate, vel peccato neminem possunt eximere. Quid igitur, si fallantur Judices? Num eorum sententia excommunicatum participationi suffragiorum, aliorumque bonorum Ecclesiæ communicationi restituet? Num irregularem ad sacra ministeria idoneum præstabit? Num absolutionibus ab invasore curæ animarum dandis vim tribuet? Num ab offensa Dei incurrenda tuebitur? Num etiam titulum coloratum præstabit?

43. Sed cùm multæ sint tum antiquis, tum recentibus Canonibus, & decretis, latæ censuræ adversùs eos, qui Ecclesiasticam jurisdictionem violant; num eas effugient, aut Judices causas spirituales & sacras ad sua tribunalia evocantes, aut partes illuc eas perferentes? Num bona fides utrosque à peccato, & censuris excusabit? Equidem bona illa fides in ignorantia fundari non potest. Ut enim à Judicibus incipiamus, aut ipsi Canones ignorant; ac sic temeritatis rei sunt, cùm rebus Ecclesiasticis, quæ Canonibus regendæ sunt, se immiscent. Si Canones nôrunt, sciunt, quàm arctè ab ijs Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpatio prohibeatur, quibusque pœnis spiritualibus plectatur. Sed cùm appellationibus ab abusu propositus dicatur is scopus, ut antiqui Canones serventur; æquius est, ut Judicibus, qui se defensores dicunt Canonum, perspectos illos esse sentiamus. Ergo ignorantia, & quæ illam supponere videtur, bona fides, illis minimè suffragatur, si aliud tentent, quàm ut jurisdictionem laicam, id est, civilem, seu circa res temporales, & profanas tueantur; nisi denique quatenus sibi ex jure, vel ex privilegio certo competit. Complerent integrum volumen Constitutiones Ecclesiæ adversùs violantes suam jurisdictionem, quas nescio, quomodò, contemnere audeant, qui Ecclesiam Matrem habere se profitentur, aut quomodò, qui audent, censuras in eis contentas evadant.

44. Metuunt illas Judices, qui deprimendorum Episcoporum, aliorumque Iudicum Ecclesiasticorum, & extollendæ propriæ authoritatis ambitione, vel lucri, aut alterius commodi cupiditate non tenentur, nec Ecclesiæ tanquam sibi subditæ dominari, sed ut Matri obedire studeant. Iustum esse illum timorem, docuerunt etiam Scriptores laici, antequàm illi, quibus Ecclesiastica negotia plus afferunt utilitatis, quàm profana, Ecclesiasticam jurisdictionem ad forum sæculare omninò evocare statuissent. Aufrerius in Senatu Tolosano Præses in additione ad repetitionem Clementinæ primæ *de offic. Ord. reg. 2. n. 30.* fatetur, ut *supra* vidimus, se sæpe dubitâsse, ubi fundari possent in jure appellationes ab abusu, & ad sua usque tempora, id est, circa annum 1514. Iudices à Iure super meritis causarum per appellationem tanquam ab abusu ad se delatarum dicendo, semper abstinuisse, nisi unicâ tantùm vice. Perfracta sunt religiosi illius timoris repagula, & nescio, quo poterit aggere præcipitis torrentis impetus cohiberi, quandoquidem nec primis æquitatis principijs, nec censuris Ecclesiasticis sistitur.

45. Evenit maxima ex parte, quod præhonerat Cosmas Guymier in Senatu Parisiensi Consiliarius, & Inquisitionum Præses in *præf. pragm. sanct. §. Cùm itaque in verbo Libertatis.* Ubi postquàm statuta, & consuetudines contra Ecclesiasticam libertatem esse nullas, utriusque Iuris authoritate comprobavit; postquàm hujusmodi statuta servantes, aut servari facientes, itemque turbantes, seu impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam per se, vel per alios, directè vel per obliquum, & ad illud auxilium, consilium, vel favorem dantes, in excommunicationem incidere ostendit, notavitque post Ioannem Andream, & Panormitanum, infinitos Iudices, seu Rectores hujusmodi censurâ esse ligatos, ob diminutam & subtractam jurisdictionem Ecclesiasticam, subjungit; *Cùm autem Rex Franciæ sit pugil Ecclesiæ, & inter omnes Christianos Christianissimus, debet custodire jurisdictiones, & libertates Ecclesiasticas: sed Officiarij ejus in multis hodie turbant Ecclesiam in prædictis: ita quòd, nisi Deus provideat, tandem jurisdictio, & libertates Ecclesiæ evanescent, sicut tempore Philippi Regis de Valesio, Petrus de Cuneriis putavit auferre jurisdictionem temporalem Ecclesiæ.*

46. Qui egregias huic Guymierij glossæ notas addidit Philippus Probus, suum contra illata Ecclesiasticæ jurisdictioni damna zelum significat; his Guymierij verbis: *Officiarij ejus in multis hodie turbant Ecclesiam in prædictis*, addens; à quibus adhuc non desistunt, adeò, quòd Iudices Ecclesiastici nihil, aut parum habent in jurisdictionis exercitio: quia illud frustatim per Iudices laicos fuit laceratum, & usurpatum, ut patet experientiâ rerum Magistrâ. Vide ibi sequentia.

47. Si Gallicani Iudices, Theologos, & Iuris Canonici Interpretes suspectos habent, eorumque sententiam supèr hac quæstione contemnunt, quasi in propriâ causâ loquantur, aut proprijs commodis studeant; audiant Senatuum suorum Præsides, audiant Iurisconsultos æqui, justique retinentes, & sinceros: magisque hac in parte se, quam Ecclesiasticos viros suspectos existiment, cùm isti de tuenda, illi de ampliandâ jurisdictione certent.

48. Petrus Rebuffus supremarum Curiarum Privilegia recensens super, proemio Concordatorum, *Verbo summas* octavum istud assignat; *Octavò cognoscit de abusu Iudicum Ecclesiasticorum, & alius Iudex non potest cognoscere, ut in Concord. in rub. de Protect. Concord.* ..... *Et hoc quatenus ei à Iure conceditur, vel ex privilegio, ut plenius dixi in ordinationibus Regijs, non aliàs; ut est textus in Cap. Si quis à proprio. & Cap. Si quis Episcopus. 21. q. 5. Alii qui & is abusus multos deducet ad inferos.* Non exciderunt hæc verba Rebuffo incogitanti, aut materiam Ecclesiasticam tantùm præ manibus habenti, quandoquidem eam ex professo tractans super ipsammet Rubricam Constitutionum Regiarum, quæ est de appellationibus ab abusu, idque Parisijs in scholis publicis, ne quis putet opinionem esse privati

vati hominis, quam proferre non ausit nisi in scriptis sine examine vulgatis, disertè docuit, ut ipsemet hîc confirmat, Iudices sæculares eam authoritatem non nisi ex jure, vel privilegio sibi posse vendicare.

49. Quæ de Iudicibus dicta sunt, in partibus etiam locum habent cum proportione. Ejusmodi enim plerumque sunt, ut sciant, aut saltem teneantur, & facilè possint scire, quæ à sacris Canonibus statuta sunt adversùs eos, qui Ecclesiasticam jurisdictionem usurpant, aut ad eam usurpandam juvant. Minor tamen est ipsorum culpa, cùm non propriâ sponte tribunalia Sæcularia pro rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis appellant; sed ad ea inviti pertrahuntur, causæ alioquin justæ, ac gravissimi momenti jacturam perpessuri: sed quod omninò nulla culpa sit, definire quis audeat? Licèt id aliqui præsumant ex benignitate Ecclesiæ, quæ sicut contumaces graviter plectere solet, ita & illis indulgere, qui sua præcepta non nisi magnâ necessitate compulsi prætermittunt: res tamen admodùm incerta mihi videtur.

PROBATIO I.

Petita ex Clericorum in causis etiam *Civilibus* exemptione a laica potestate definita *in Cap. Nullus Clericus. Cap. Nullus Episcopus. Cap. Placuit. & alijs. 1. q. 1. Cap. Si diligenti. Cap. Significat. Cap. Sæculares. De foro compet. Cap. Si Iudex laicus. De sentent. excomm. in 6.*

50. Illa namque immunitas importat exemptionem, ne Clericus conveniri possit in causis *civilibus* coram sæculari Iudice, quam quàm ipsesi Actor sit, possit, imò debeat Reum sæcularem convenire coram laico Magistratu. *Ex Cap. Experientia. Cap. Si quisquam. 11. q. 1.* adstipulante etiam *Cap. Neminem. 3. q. 6. & Leg. fin. Cod. Vbi in rem actio.* dum *ibi* dicitur, *Actorem debere sequi forum Rei.* Nec admittendi sunt Doctores aliqui existimantes, si actio non sit *personalis*, sed *realis*, versans circa Clerici bona temporalia, posse hunc propterea trahi ad Iudicium sæculare. Quod tamen Covarruvias *pract. quæst. cap. 31. n. 5. vers. 2.* Suarez *cit. lib. 4. de immunit. Ecclesiast. cap. 14. n. 4. &* alij meritò reprobant, cùm non persona duntaxat, sed etiam bona Clerici exempta sint à Iurisdictione sæculari; juxta *Cap. Similiter. 16. q. 1. Cap. Quamquàm. De censibus. in 6.* Minùs admitti debet, quòd, si Ecclesiasticus Iudex, coram quo à laico conventus est Clericus, fuerit negligens in causæ decisione, possit se Iudex sæcularis intromittere. Hoc enim minimè convenit cum Canone *Qualiter. De Iudicijs.* ubi omninò prohibetur: *Ne pro defectu justitiæ* Clerici *trahantur à laicis ad judicium sæculare.* Neque huic Canoni obstare possunt, si quæ in contrarium sint leges Imperatoriæ *in Authent. De sanctissimis Episcopis. collat. 9.* Nam in materia immunitatis Ecclesiasticæ nefas est, aliquid disponi á Principe sæculari.

Hinc reprobanda est etiam Glossa *in Cap.* 51. *un. De juramento calumniæ.* per quam causæ Clericorum in possessorio subduntur sæculari jurisdictioni. Hoc namque eo saltem casu, quo judicium possessorium versatur in causa spirituali, ac reus est Clericus, apertè pugnat cum *Cap. Placuit. Cap. Inolita. 13. q. 1. Cap. Qualiter. De judicijs. & Auth. Statuimus. Cod. De Episcopis & Clericis.* In vi quorum Canonum Iudici laico prorsus adempta est jurisdictio in Clericum, ne possit eum citare, & ad suum tribunal trahere. Et hinc, si qui Canones in contrarium allegentur, ex ipsorum diligenti inspectione patebit, *ibi* non esse sermonem de causa spirituali inter Clericos, vel laicum actorem, & Clericum reum *in possessorio* agitatâ. Quare Iudicis sæcularis brachium in causis Ecclesiasticis secundùm sacros Canones, ad implorationem duntaxat Iudicis Ecclesiastici, interponendum est; uti Doctores communiter asseverant.

Ab illo nihilominùs universali principio, 52. de causis Clericorum coram Iudice laico non tractandis, excipiuntur tum feuda, tum bona regalia. In causa namque feudali, sive *in possessorio*, sive *in petitorio* agendum sit, Clericus etiam conveniri debet coram Domino feudi, tametsi laicus sit: sic enim à jure dispositum esse in favorem feudorum, constat ex *Cap. Verùm. & Cap. Ex transmissa. De foro competenti.*

De bonis porrò regalibus singulare est, 53. quòd non concedantur, nisi cum reservatione tribunalis sæcularis, ut scilicet coram isto decidantur. At quoties alicui Ecclesiæ conceditur bonum quodpiam eâ lege, ut controversiæ super ipso exorituræ definiantur à Iudice sæculari, Ecclesia, adeoque Clericus in hæc bona intromissus, si conveniatur coram sæculari, non jam se habet tanquam *coactus*, sed *voluntarius* reus, quod salvâ immunitate Ecclesiasticâ, fieri posse, tradunt plures Doctores. Et ideo, quando Clericus sub ista clausula, *si putaverit, suâ interesse*, citatur ad comparendum coram sæculari Iudice, tunc comparendo *voluntariè*, & sub comparitione ipsâ non opponendo exceptionem *voluntariam*, ex tunc non tanquam reus *necessarius*, sed potiùs ceu actor *voluntarius* se habens, justè convenitur coram Iudice laico.

PROBATIO II.

Desumpta ex hoc, quòd Gallici quoque Scriptores eam ab abusu appellationem defendere conati, non modicas iniustitiæ scintillas in illa emicare fateantur.

Author namque *præadducti tract. dict. lib.* 54. *12. cap. 6. n. 5.* in hujus asserti exemplum inducit Petrum de Marca, qui, cùm videret illarum appellationum injustitiam, varijs eam limitationibus temperare conatus est. Nam

rit. *cap.* 4. *§.* 4. circa verba Procuratoris Capituli Parisiensis *supra* relata istud animadvertit. *Quæ verba*, inquit, *observanda sunt, ut inde pateat, in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam esse appellationi ad Concilium; in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantùm disceptari potest: & unius subsidio juvabantur appellantes, dum alterius præsidium expectabatur.* Ergo non nisi provisionaliter res determinandæ essent per appellationes ab abusu, nec de ipsa sententiæ Ecclesiasticæ iniquitate judicandum, sed sistendus abusus interim, dum Concilium jus diceret. Alias *infra* limitationes adhibebit, quæ tamen, ut videbimus, nec observantur, nec observatæ possent omninò usum illum excusare.

55. Pergit præcitatus Author *dict. cap. 6. n. 8.* in hunc modum ratiocinari. Quæ sit appellationum ab abusu justitia, satis intelligitur ex eo, quòd, cùm earum usus inductus est, ne ipsi Iudices Regij, ad quos deferebantur, quo jure niterentur, perspicere poterant: & cùm rationes inquirere studuerunt, ejusmodi protulerunt, quas nec alij probârunt appellationum illarum patroni. Quas Stephanus Aufrerius, cujus *supra* meminimus, adducit, adeò debiles sensit Petrus de Marca, ut de illis ita loquatur *§. 6. Sanè fatendum est, pleraque ab Aufrerio laudata testimonia longiùs esse petita; quamvis aliqua huic disceptationi inservire possint.* Non designat Marca, quænam sint illa *testimonia*, quæ *inservire possint.* Sed quantum sit illorum pondus, abunde cognosces ex eo, quod *immediatè* subdit; *Præcipuum autem illud, in quo causæ fundamentum probant ..... non adeò urget, ac primâ fronte videtur, &c.* Cur timeantur alia, cùm præcipua, ipsi etiam Adversarij parvifaciant? Concludit Marca; *Quare non mirandum est, si Rebuffus, qui sola hæc testimonia expenderat, iniquiùs se gerat erga istas appellationes, quas nimis angustis finibus coërcet, scilicet ijs casibus, in quibus Rex jurisdictionem habet delegatam à Papa, vel à Canone, ut in tuenda fide, vel Ecclesia, si oppugnetur, & in casibus à Iure expressis.* Hîc ad marginem monemur consulere *secundam* præfationem Marcæ *§. 13.* Ibi autem Marca Rebuffum interpretatur, quasi delegationem *expressam*, & non *tacitam* duntaxat exigeret. Itaque si desit etiam *tacita*, locum habebit Rebuffi sententia.

PROBATIO III.

Prioris continuativa.

56. IDem namque Author *tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. cit. lib. 12. cap. 7.* inducit Petrum de Marca *dicto lib. 4. cap. 2.* scribentem sequentia, à dicto tamen Authore pro sui merito castigata. Ipse namque Marca *dict. cap. 2. §. 1.* asserit: *Edicto lato anno 1619. de causis merè spiritualibus, & Sacramentorum administratione cognitionem prohibitam esse Curijs supremis, etiam harum appellationum prætextu.* Sed praxim edicto contrariam esse, docent non solùm Iacobus Duhamel Authore antiquior, sed etiam Fevretus recentior, quos alibi retulimus, & recentia decreta Curiarum sæcularium. Quod ait, non provocari à concessione, sed ab executione Rescriptorum Pontificiorum, appellari autem ab ipsismet judicijs Episcoporum, reverentiæ quidem erga sanctam Sedem speciem habet, sed quæ injuriam tegat, non tollat. Cur autem Episcopis similis honor non defertur? Siquidem, ut *§. 2.* dicit Marca, de iniquitate judiciorum Ecclesiasticorum Iudices in appellationibus ab abusu non judicant. Adde, quòd recentia Senatûs consulta reverentiam illam erga Summum Pontificem saltem ex omni parte non servant.

Paragrapho secundo monet Iudices sæculares; *Primò*, ut Canonum executores se non præstent, id est, *de solo abusu admisso, non de negotio ipso Ecclesiastico judicium ferant. Secundò*, ut nisi *abusus sit apertissimus, notorius, & manifestus, Ecclesiasticis Iudicibus litem relinquant.* Rationem affert *§. 3. Necesse est enim*, inquit, *ut Iudices Regij hoc sibi proponant, judicia Canonica nullo modo ad jurisdictionem Regiam pertinere; sed communi Episcoporum, & Principum consensu ab ipsis Christianæ Religionis primordijs Ecclesiasticæ jurisdictioni addicta. Quare, si necessitate cogente, in eas cognitiones Regia jurisdictio aliquando excurrit, ita se gerere debet, ut limen hac in re defixas non egrediatur.* Observat deinde, non passim, sed duabus potissimùm de causis judicia Canonica olim à Principibus tentata, vel suspensa, scilicet ad amovendum scandalum, & offensionem publicam; & dum judiciorum ordo per dolum, circumventionem, & machinationem judicio Ecclesiastico Episcopi, vel Clerici opprimeretur. Sed, ut notat *§. 4.* & ut generaliter dici potest; *Si quis ad hanc necessitatem coërcere velit patrocinium Regium, usus fori quotidiani periclitari videbitur.* Non enim circa ordinem tantùm, sed & circa negotia, nihil sibi non licere Iudices sæculares arbitrantur, quibus, nisi valdè obsistatur, brevi *tacitus* consensus obtenditur; eritque malum omnis prorsus curationis impatiens. A religione, atque justitia Christianissimi Regis expectandum est remedium. Etenim ea est Parlamentorum firmitas (lenius est verbum ob Augusti illius Cœtûs reverentiam) ut à solo Rege flecti possit, vixque alterius etiam Regis, quàm Ludovici XIV. voluntati cessura sit, quod cùm ex alijs, tum ex inobservato edicto anni 1619. *supra citato* constat. Invictissimi illius Principis authoritati, & æquitati reservata est gloria Constitutionis illius, quam promiserat olim *hoc §. 4.* aut potiùs, alia optanda, quæ integram suam libertatem, & jurisdictionem Ecclesiæ restituat.

Quemadmodùm de factâ Ecclesiasticæ jurisdictioni à Iudicibus sæcularibus injuriâ, si quidem inferiores illi sint, ad Senatum; si Senatus ipse fecerit, ad Regem recurrendum esse, vult Marca *in hoc 2. cap. §. 5. & cap. seq. §. etiam 5.* Si quid perperam ab Episcopis gestum sit, cur non appellabitur Metropolitanum? Si à Metropolitano, alius Superior, donec

nec ad supremum Romani Pontificis tribunal perventum sit? Nónne eandem in rebus spiritualibus potestatem à Deo Pastores Ecclesiæ obtinuerunt, quam Magistratus & Principes in rebus temporalibus? Nónne, ut sæpiùs diximus, si alterutra potestas alteri præferri, vel alteram emendare debeat (& reverà debet) spiritualis temporali est anteponenda? Quanta ergo sit spirituali injuria, cùm temporali postponitur, nedum par non habetur utriusque conditio, ut cuique liberè sua liceat obire munia?

59. Sicut olim Ecclesia judiciarium ordinem à legibus constitutum sequebatur; ita posteà ordinem à jure Canonico inductum amplexa est Gallia, ut ejus Nationis Scriptores notárunt, nominatim Marca §. *seq.* & perhibet stylus ipse, ac praxis: sensim tamen plures factæ sunt mutationes, quibus ipsam Ecclesiam subjicere Iudices laici conantur; adeò, ut hodie multùm appellationes ab abusu, vix alio prætextu colorentur, quàm non servatæ formæ à Constitutionibus Regijs, aut stylo præscriptæ, magisque fermè cavendum sit Iudicibus Ecclesiasticis, ne fori sæcularis praxin, quàm ne Canones ignorent. Ex Canonibus enim non observantur quàmplurimi; formulas moderni Iuris prætermittere nefas est, & abusus mulctæ obnoxius.

60. Ab ordine tamen judiciario per leges constituto Principem dispensare posse, probat Marca §. 6. authoritate Meliphtongi Episcopi in Concilio Chalcedonensi dicentis, Eutychen per se ipsum, non per Procuratorem respondere debere; *Nisi*, ajebat, *aliter jusserit Imperator, cui parendum erit.* Verùm etiam hodie Magistratibus sæcularibus in multis parendum est; sed hoc non propter conscientiam, sed propter iram: non quia justa præcipiunt, sed quia præceptorum executionem per vim extorquent. Cùm ordo judiciarius ad hoc institutus sit, ut rei veritatem, & justitiam facilius assequantur Iudices, & judicia comodiùs executioni demandentur: sicut in varijs Regnis, imò in varijs Provincijs pro circumstantiarum varietate diversus est, ita & pro rerum, & causarum distinctione. Et quemadmodùm quilibet Princeps judiciorum formam, prout subditis suis convenire arbitratur, Iudicibus suis præscribit; ita æquum esset, ut Ecclesia liberè posset in negotijs spiritualibus, & Ecclesiasticis ordinem sequi, quem probâsset commodiorem causis rectè riteque expediendis.

61. Frustra verò §. 6. probatur, Ecclesiam olim leges secutam in ordine judiciorum: nam ut verbis Lucij III. utar, quæ referuntur *Cap. 1. de novi operis nuntiatione*; *Sicut leges non dedignantur Canones imitari, ita & statuta sacrorum Canonum, Principum Constitutionibus adjuvantur.* Glossa super verbo *adjuvantur*, addit: *Et ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiamsi Canones deficiant, possit judicari secundùm leges.* Sed aliud est, Ecclesiam justis, & commodis legibus in suis judicijs uti, aliud, non posse à legibus recedere, nisi ex dispensatione Principum.

Illis fori sæcularis formulis se non adstringi, putabant Iudices Ecclesiastici in Gallia ante paucos annos. Nam & quique suum stylum habebant; & initio hujus sæculi authoritate Comitiorum Cleri Gallicani editus fuerat stylus generalis in omnibus Curijs Ecclesiasticis illius Regni servandus. Anno 1560. instabat Senatus Parisiensis, sicut narratur in instrumento relato à Puteano inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 28. n. 19.* ne causæ ad Religionem spectantes apud Iudices Ecclesiasticos tractentur; prout edicto Regio constitutum fuerat, eaque inter alias afferebatur ratio; *Quia Iudices Ecclesiastici legibus Principum temporalium se non teneri arbitrantur, easque non observant.* Expedit quidem ad vitanda incommoda, quæ interdum ex diversitate oriuntur, ut Ecclesiæ Officiales judiciario sæcularium ordini sese, quantùm possunt, accommodent. Sed cùm ab eo sibi recedendum existimant, iniquum est, ut tanquam abusi suâ potestate, plectantur à potestate sæculari. 62.

§. III.

Corollarium.

EX dictis infertur, cedro dignissima esse verba sequentia Authoris *tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 12. cap. 3. n. 3.* ita concludentis. Mirum certè est, quomodò Iudices sæculares, qui calicem, aut aliud vas Divinis mysterijs consecratum non solùm rapere non auderent, sed nec nudis manibus contrectare, jurisdictionem sacram ad se trahere non vereantur, quasi non sit etiam res sacra, & Ecclesiæ maximè necessaria & chara. 63.

Cujus ratio *ibidem* sic deducitur. Ipsi namque Imperatores, ac Principes, ut jam sæpe insinuavimus, solemniter protestati sunt, non ad Laicos, sed ad Episcopos, aliosque Iudices spectare, non solùm condendorum jus Canonum, sed etiam interpretandorum. Retulimus jam sententiam Constantini Magni, Theodosij secundi, & Valentiniani III. Caroli Magni, aliorumque Principum, quibus adjungi possent alij non pauci. Sed nihil desiderari potest expressiùs, quàm quod Imperator Basilius publicè declaravit in *octava* Synodo. Cùm enim illius Concilij decreta optaret, ab omnibus libenter excipi, & executioni demandari, omnibus facultatem concessit ea proponendi, quæ sibi vel obscura, vel difficilia viderentur in ejus Canonibus, monuit tamen, eam licentiam eò tantùm tendere, ut ambigua explanarentur ab ipsamet Synodo; *Quisquis habet aliquid adversùs hanc sanctam, & universalem Synodum, dicendum, vel contra hujus Canones, aut terminum, stet in medio, & quæ sibi videntur, dicat, sive Episcopus sit, sive quisquam de Ecclesiastico Clero, sive Laicus, aut ex jis, qui civilibus Officijs mancipatus existat; quamquàm non datum sit, istis secundùm Canonem dicere quidquam penitus de Ecclesiasticis causis.* (Ecclesiasticæ causæ sunt juxta Basilij mentem non tantùm *terminus*, seu fidei definitio, sed etiam *Canones*, circa reliquas materias, ut 64.

ex præcedentibus verbis patet) *Opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est; Sed ex abundanti omnes os iniquum obstruere volentes, licentiam præstamus omnibus, ut, qui in mente habet quid ambiguum de his, quæ decreta sunt ab hac sancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & suscipiat satisfactionis salubre remedium. Act. 10.* quæ est ultima *octavæ* Synodi.

65. Philippus Augustus, referente, ac in exemplum proponente S. Ludovico, cùm à suis Officialibus moneretur, jurisdictionem Regiam à Iudicibus Ecclesiasticis usurpari, respondit, malle se id perpeti, quàm à Sacerdotibus cum scandalo dissidere. Utinam illius Regis posteri, non neglecta propriâ authoritate, sed vindicatâ contra Regios Officiales Ecclesiasticâ, dissidijs, ac scandalis occurrerent. *Dicitur de Rege Philippo Avo nostro* (verba sunt S. Ludovici in documentis, quæ ante mortem filio suo primogenito scripsit, & quasi pro testamento reliquit, referente Guilhelmo de Nangiaco Monacho S. Dionysij in Francia) *quòd quidam de Consiliarijs suis dixit ei, quòd multa damna inferebant ei Ecclesiasticæ personæ, jura ipsius usurpando, & mirabantur multi, quòd ita tolerabat. Cui Rex respondit: Bene credo, quod dicitis, sed quando cogito beneficia, quæ mihi Dominus contulit, melius volo pati, quàm inter me, & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ô fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum, quantum poteris.*

66. Quod spectat ad personas, peccatur à Iudicibus sæcularibus in tritam illam turticonsultorum regulam; *Actor sequitur forum Rei*, cùm in actionibus, quas personales vocant, id est, quæ in personam diriguntur, non in rem aliquam temporalem, viros Deo consecratos, quantâcunque dignitate præfulgeant, ad sua tribunalia trahunt. Itaque, qui se sacrorum Canonum Custodes esse gloriantur, Canones, Clericos, & Regulares à foro sæculari arcentes, ita non servant, ut nullius alterius conditionis hominum major ibi copia videatur; quod in Clerum, & in Religiosos Ordines relaxationem, & sæcularium morum colluviem inducit, & maximum sacris Dei Ministris, & famulis contemptum conciliat.

67. Quâ in re tantum abest, ut dignitatis Episcopalis Christianis omnibus tantoperè reverendæ, atque ab antiquis Gallis tanto in honore habitæ, rationem habeant; ut in hoc suam eminere dignitatem arbitrentur, si Episcopos pro rebus etiam Divinis, & Ecclesiasticis, ad se venire compellant. Unde in aliquibus Senatibus pertinaciter retinetur, quamvis refragantibus edictis Regijs, usus vocandorum in judicium Episcoporum ipsorum, non admissis Procuratoribus Fiscalibus, quos illic Promotores vocant, etiamsi de ordinationibus, vel sententijs mota sit controversia, quam Præsules, & Iudices tantùm, cùm sua ipsorum nihil interesset, pro sui officij munere tulerunt.

DISQUISITIO XV.

Ex quibus ulterioribus fundamentis tales ab abusu appellationes, aliæve Gallicanæ libertates, sed frustra, justificentur à Gallicanis Doctoribus?

§. I.

An ex pragmatica sancti Ludovici sanctione prætensis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus favor aliquis accrescat?

AUthor *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 15.* rem hanc ita prosequitur. Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 4. de concord. &c. cap. 9. n. 4.* S. Ludovicum, qui decessit anno 1270. laudat primum libertatis Ecclesiasticæ restitutorem his verbis; *Huic gloriosissimo Regi prima debetur libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutio, quam suo edicto post mutatam disciplinam in beneficiorum collationibus anno 1268. procuravit; quo uno capite contentiones inter episcopos, & Romanam Curiam tunc ferè continebantur.* Ex quibus verbis duo consequerentur: primùm libertates Ecclesiæ Gallicanæ ante tempora S. Ludovici nonnisi circa beneficiorum collationem violatas fuisse. 2. Violationem illam non longè ante tempora S. Ludovici contigisse.

Odiosum certè esset istud principium tum ex parte sanctæ Sedis, tum ex parte Gallæ, cùm Romani Pontifices ab antiqua disciplina recessisse supponantur, ut beneficiorum collationem usurparent, tantusque in eo fuisse abusus, ut sanctissimus Rex cum suis edictis cohiberi, coactus sit. Invidiosa etiam res esset, quòd Galli Summum Pontificem è Gallia ortum, cùm alijs virtutibus, tùm vel maximè propinquitatis carnalis in distribuendis beneficijs, & reditibus Ecclesiasticis, contemptu insignem, ceu tyrannum exilimâssent, adversùs quem invocanda fuisset potestas sæcularis, & in rejiciendis illius ordinationibus circa beneficiorum collationem, & Ecclesiasticorum proventuum, constituendâ Ecclesiæ libertas. Sed plurima sunt, quæ certissimè suadent, constitutionem illam S. Ludovici, quam pragmaticam sanctionem vocant, aut suppositam esse omninò, aut nihil adversùs sanctam Sedem molitam fuisse.

Dum constitutio illa de beneficijs & alijs juribus Ecclesiasticis loquitur, nullam omninò Summi Pontificis, aut sanctæ Sedis mentionem facit. Cur igitur verba ejus tam odiosâ interpretatione in illam partem detorquentur? Ante illa tempora Ecclesia Gallicana injurias quàmplurimas circa suos reditus, circa beneficia, & circa disciplinam perpessa fuerat à laicis; ijsque malis, ut sese obtulerat occasio, medicatus fuerat religiosus Rex. Ipsemet Petrus de Marca *lib. 3. cap. 1.* citat eximias ejus litteras anno 1228. datas, quibus Ecclesiasticam libertatem, non adversùs

Curiam

Curiam Romanam, ut legenti evidenter patet, sed adversùs hæreticos, alioſque raptores vindicaverat. *Cupientes*, (verba sunt illarum litterarum (*in primis ætatis, & Regni nostri primordijs illi servire, à quo Regnum recognoscimus, & id, quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quòd Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro dominio honoretur, & feliciter gubernetur. Vnde de Magnorum, & Prudentum consilio statuimus, quòd Ecclesiæ, & viri Ecclesiastici in terris constituti, prædictis libertatibus, & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plenè gaudeant, secundùm consuetudinem Ecclesiæ memoratæ.* Et infra; *Sanè quia Ruptarij solent devastare, ac demoliri terram prædictam, & quietem Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum virorum turbare; statuimus, ut omninò Ruptarijs illis expulsis, pax perpetuò servetur in terra, ad quam servandam dent omnes operam efficacem.... Decimæ sanè, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus, & ordinamus, quòd restituantur Ecclesijs; & amplius Laici decimas non detineant, sed eas Ecclesias liberè habere permittant.* Litteræ illæ S. Ludovici in alijs Innocentij IV. ad Reginam Galliæ anno 1250. miris laudibus extolluntur. Vtraſque in Archivo Narbonenſi aſſervari, teſtatur Baluzius. De hujuſmodi libertatibus adversùs laicorum rapinas & tyrannides, intelligenda est pragmatica sanctio Christianissimi Regis; non adversùs sanctam Sedem.

4. Carolus Fevret, quem certè Curiæ Romanæ nimis faviſſe, ſuſpicabitur nemo, diſertè affirmat, conſtitutionem illam Summi Pontificis jura non attigiſſe. Iſta ſunt ejus verba *lib. 2. de abuſu cap. 7. n. 3. Pragmatica S. Ludovici Regis non declarat, abrogatas eſſe præventiones, ſed tantùm beneficia eſſe ab Ordinarijs conferenda, juxta ſancta decreta, & ſanctiones Canonicas, quæ etiam poteſtatem, & ſuperioritatem S. Sedis in ſpiritualibus adſtruunt.*

5. Verùm quidem eſt, Pragmaticam illam ſanctionem, prout à recentioribus refertur, articulum complecti de exactionibus Curiæ Romanæ, qui articulus 5., hiſce verbis continetur. *Item exactiones, & onera graviſſima pecuniarum per Curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſitas, vel impoſita, quibus Regnum noſtrum miſerabiliter depauperatum extitit, ſive etiam imponendas, vel imponenda levari, aut colligi nullatenus volumus, niſi duntaxat pro rationabili, piâ & urgentiſſima cauſa, vel inevitabili neceſſitate, ac de ſpontaneo, & expreſſo conſenſu noſtro, & ipſius Eccleſiæ noſtri Regni.* Sed articulum illum falsè inſertum eſſe, tam efficacibus argumentis convincitur, ut, ſi à cæteris non ſeparetur, totam illam Pragmaticam falſam eſſe demonſtret.

6. Equidem integram illam ſuppoſitam eſſe, ſentiunt etiam Scriptores Gallici, præſertim Eruditiſſimus vir Ludovicus Thomaſſin *tom. 3. de benef. par. 4. lib. 2. cap. 11. n. 13.* ubi aſſerit: *Eam nullo ſolido fundamento, neque ullius Authoris antiqui, & cui plena fides adhibeatur, teſtimonio fulciri.* Fuſiùs & validiùs eam impugnat *cap. 41. n. 4. ejuſdem lib.* & *lib. 3. cap. 24. n. 17.* ſunt argumenta non pauca contra integram Conſtitutionem, ſed ſunt etiam ſpecialia contra *quintum* articulum, qui ſolus, ut dixi, ad S. Sedem attineret.

Primò. Pragmatica illa à nemine allegata fuit uſque ad tempus ſchiſmatis Avenionenſis, & contentionis Eccleſiæ Gallicanæ contra Pontifices, hoc eſt, ferè 200. annis à tempore, quo condita ſupponitur. 7.

Secundò. Nec etiam tunc in lucem edita fuit, ſed adhuc pluſquàm centum annis poſt eam allegationem, id eſt, anno 1515. in ſubſidium ſcilicet alterius Pragmaticæ ſanctionis, à Carolo VII. tempore Concilij Baſileenſis promulgatæ. 8.

Tertiò. Pluries typis excuſa eſt ſinè articulo illo *ſupra* relato. Eo enim omiſſo refertur in Bibliotheca Patrum per Margarinum de la Bigne, Doctorem Sorbonicum *tom. 6.* cujus intrà 30. annos tres factæ ſunt editiones Pariſijs, cum privilegio, quarum ultima eſt anni 1609. Eodem modo habetur in Bibliotheca Patrum, Doctorum Colonienſium anno 1618. *tom. 13.* Cæſar Egaſſius Bulæus *in hiſt. Vniverſ. Pariſ.* an. 1666. edita *tom. 3. pag. 391.* illam etiam exſcribit abſque illo articulo. 9.

Quartò. Nullam habet veriſimilitudinem, quòd ſanctus ille Rex, cujus tanta erat in ſanctam Sedem reverentia, edicto ſolemni Romanæ Curiæ Officiales, ut jurium Epiſcopalium uſurpatores comprimere voluiſſet, eos tantæ cupiditatis incuſare, ut Regnum ſuum ab eis fuiſſe ad paupèriem redactum enuntiaret. Si qua fuiſſet adversùs hanc Curiam querela; precibus, cohortationibus, monitionibus, vel, ſi vis, etiam minis ſignificâſſet; non autem publicâ conſtitutione. Quî eſſet Chriſtianiſſimus ille Rex erga ſanctiſſimam Sedem affectus, anno ſequenti demonſtravit, cùm inter alia, quæ filio ſuo monita, quaſi hæreditariam ſucceſſionem teſtamento conſcripſit; duo iſta præſertim commendavit; *Sis devotus, & obediens Matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Summo Pontifici tanquam Patri ſpirituali.* Præmiſerat; *Sis diligens, quòd omnes ſubditi tui juſtitiâ, & pace fruantur; maximè autem perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ.* Adducto dein Avi ſui Philippi Auguſti exemplo, qui ab Eccleſiaſticis injuriam ſibi fieri malebat, quàm cum eis contendendo, Eccleſiam ſcandalizare, ſic concludit; *Ama igitur, ô fili, perſonas Eccleſiaſticas, & ſerva pacem earum, quantum poteris.* Quis credat, Principem, qui filio exemplum proponit tolerandæ injuriæ ab Eccleſiaſticis viris illatæ, diſſidij cum eis vitandi cauſâ, anno præterito jugum non ſibi, ſed Regni ſui beneficijs à Curia Romana impoſitum Pragmaticâ ſuâ ſanctione compeſcere voluiſſe? Non erat certò mos adhuc inductus, nec à ſancto illo Rege profectus eſt, authoritatem Regiam ſanctæ Sedis ordinationibus opponendi, ſed potiùs Eccleſiam à laicorum vexationibus vindicandi. 10.

Quintò. Anno 1268. quo condita fertur 11.

hæc

hæc Pragmatica, S. Ludovicus ad secundam in terram sanctam expeditionem cum Summi Pontificis consilio se accingebat. Quare improbabile omninò est, sanctissimum illum Regem immoderatas Officialium Curiæ Romanæ exactiones Papam celaturum fuisse, ijsque remedio ipsi Pontifici probroso (cùm in eum recideret Officialium culpa) occurrere maluisse.

12. *Sextò.* Præsertim cùm tunc temporis Ecclesiæ præesset Clemens IV. Natione Gallus, alienissimus ab omni avaritia, & carnali in parentes affectu, quorum occasione bona Ecclesiastica sæpe cumulantur, & dilapidantur. De illo Pontifice sic loquitur Genebrardus ad annum 1265. *Optimus Pontifex bona Ecclesiæ optimè dispensavit. Cùm duas filias ex mortua uxore ante Pontificatum suscepisset, uni in Monasterio collocatæ triginta tantùm libras dedit. Alteri 300. libras dotis nomine, Clerico Nepoti tres præbendas habenti, duas abstulit, se dicens Deo, non carni, aut sanguini acquiscere.* An igitur sub tali Pontifice opus fuisset, ut S. Ludovicus edicto suo Romanæ Curiæ rapacitatem sisteret, aut beneficiorum, & Bonorum Ecclesiasticorum administrationem & usum, quæ res ad Ecclesiæ jurisdictionem propriè pertinet, Pragmaticâ sanctione moderaretur.

13. Si quod fuisset tunc temporis exactum ab Ecclesia Gallicana subsidium, non nisi ad juvandum in expeditione bellica S. Ludovicum, impendendum fuisse, prudentissimus quisque judicaret.

§. II.

Referuntur argumenta ex Carolo Fevret *de appellationibus ab abusu* deducta, unà cum responsionibus, atque conclusione super ijs reflexivâ.

ARGVMENTVM I.

14. HUjus ratio deducitur tum in possessionem, tum in hoc, quòd nullus alius Iudex præter Senatus Regios, possit cognoscere de illis appellationibus, cùm in ijs agatur de jurisdictione ab Ecclesiasticis usurpatâ.

Responsio.

15. AUthor *tract. de libert. Eccles. Gallicanæ cit. lib. 12. cap. 13.* respondet 1. prætensarum appellationum possessionem neque antiquam, neque pacificam esse, ut evidenter demonstrant acta Cleri Gallicani, inter quæ multa sunt monimenta, quibus constat, Episcopos apud Reges sæpesæpiùs orâsse adversùs illum usum, quem superiori sæculo vetustiorem non esse, jam vidimus: cumque desperarent, se integram mali sanationem consecuturos, levamen saltem frequenter postulârunt.

16. 2. Gratis & sinè fundamento dici, in illis appellationibus, cùm agatur de jurisdictione usurpatâ, nullum alium Judicem, præter Senatum Regium posse cognoscere. Quid enim, si Princeps, aut Senatus declararet, luæ jurisdictionis esse, de rebus fidei decernere, ad nullum alium pertineret de controversijs circa mysteria Religionis judicia ferre? Et, si id ab Episcopis tentaretur, contendentibus, partem illam Episcopalis juris esse, solæ Curiæ Regiæ Judices essent illius quæstionis de competentia, ut vulgò nuncupatur? Dices, Nullum esse illius mali periculum in Gallia, ubi omnes profitentur, authoritatem Regiam illuc usque non pertinere. Ita quidem, exceptis hæreticis publicis, olim sentiebant Gallicani. Sed metuendum est, ne Officiales Regij, quorum plerique tunc sibi præclarè suo defuncti officio videntur, cùm depressâ Ecclesiæ dignitate, Regiam extulerint, postquàm disciplinam, quæ, ut ait S. Cyprianus *lib. de disciplina & habitu Virginum*, Retinaculum *fidei est*, ad sæcularia tribunalia pertraxerunt, fidem denique ipsam Principum judicijs submittant. Nec vanum esse timorem, ostendemus in conclusione.

Nisi Officiales bonâ fide discernant, & agnoscant, quid ad Ecclesiasticam, quid ad laicâ jurisdictionem pertineat, & unaquæque sibi suas partes vindicet, nullus erit dissidiorum finis; quibus in controversijs, licèt propter potentiam temporalem plerumque prævaleant Laici, non sine gravi animarum suarum detrimento, non dubito, quin de jure finium regundorum judicium ad Ecclesiasticum potiùs pertineret tribunal.

ARGVMENTVM II.

HUjus ratio desumitur ex eo, quòd Senatus Regius non solis Laicis; sed etiam Clericis constet, adeoque sit mixtum Corpus, non merè laicum.

Responsio.

AUthor *dicti tract. cit. cap. 13. à n. 5.* sic respondet. Verum quidem est, Senatum Comitiorum generalium loco successisse, atque ita, quemadmodùm olim, ex quo Clodoveus Catholicam fidem suscepit, Episcopi juxta consilium S. Remigij, Consilijs Regijs, ac generalibus Conventibus, seu Placitis, & Parlamentis (ijs enim nominibus indistinctè nuncupabantur) interesse solebant; ita constitutis Curijs Parlamentorum, ut in loco permanentes, jus omni tempore dicerent, inter laicos conscripti sunt etiam Clerici; & dum intermissus fuit mos eligendorum ex Clero Consiliariorum, institit Clerus apud Reges, ut restitueretur; sperans nimirum fore, ut Clerici fideliorem operam navarent, ad impediendas Ecclesiasticæ jurisdictionis à laica usurpationes. Verùm ridiculum est, ideo Parlamentis jus decidendarum causarum Ecclesiasticarum tribuere, quòd aliqui ex Consiliarijs Clerici sint. Illorum enim numerus adeò exiguus est, ut in tanta Iudicum multitudine pro nihilo reputandus sit. Nec adsunt, ut res Ecclesiasticæ judicialiter tractentur cum sæcularibus negotijs, alioquin enim par saltem Ecclesiasticorum, & Laicorum

rum numerus requireretur, sicut in Curijs, de edicto nuncupatis, seu bipartitis, ad dirimendas Catholicorum cum hæreticis controversias, totidem sunt, aut erant hæretici, quot Catholici.

20. Fuit quidem illa Clericorum, & laicorum paritas ab ipsâ Senatûs Parisiensis institutione aliquamdiu observata, cumque interrupta fuisset, iterum fuit restituta, ut videre est apud Stephanum Pasquierium *lib. 2. cap. 3. Inquisitionum.* Constat enim ex edicto Ludovici XI. anno 1461. die 11. Septembris dato, & inter acta Cleri Gallicani relato, Senatum Parisiensem ex pari, aut ferè pari Clericorum, & Laicorum numero tunc conflatum fuisse, & ex ijs quadraginta Senatores Ecclesiasticos, ac totidem laicos fuisse, unum Advocatum Regium è Clero, & alterum laicum, &c. Nondum tamen notæ erant appellationes ab abusu. Assistebant verò Clerici, ut dixi, in judicijs sæcularibus juxta consilium S. Remigij, quia spes erat fore, ut illorum ordo, ac religio, tum ipsos, tum etiam alios ad justè judicandum induceret; deinde, ut Ecclesiasticæ jurisdictionis vindices essent, sed immutata est Ecclesiæ sors: expulsi sunt Clerici, paucissimis exceptis, tum quando magis necessarij forent. Quamquàm, ut verum fatear, nescio, an qui è Clero assumuntur, sui erga Ecclesiam officij meminerint. Nam etiam qui pij, ac justitiæ studiosi audiunt; quia Magistratus suos, ut civiles habent, de rebus etiam Ecclesiasticis plerumque magis juxta sæcularium Iudicum stylum, quàm secundùm Canones, & Summorum Pontificum constitutiones sententiam ferre dicuntur. Quid putas facturos Laicos, quamvis Christianos & Catholicos?

ARGUMENTUM III.

21. HUjus ratio petitur, tum ex eo, quòd appellationes ab abusu sunt excogitatæ ad impediendum, quò minùs sacris decretis derogaretur, vel Regni legibus. Tum ex eo, quò dillis pariter utantur Clerici ad tuendam suam jurisdictionem adversùs sæcularem.

Responsio.

22. AUthor *præfatus dicto cap. 13. à n. 9.* respondet 1. Regis quidem esse, legum politicarum custodiæ debito modo invigilare: Ecclesiasticarum autem executionem tantummodò curare, postulante Ecclesiâ, non autem illarum judicem agere: aliàs sacris Canonibus derogaretur. 2. Fortassis esse aliquando factum, ut Clerici illis appellationibus ad suam quoque jurisdictionem tutandam uterentur: sed oportere, ut computentur Placita seu Arresta in registris Curiarum contenta, vel à Scriptoribus Gallicanis, Fevreto præsertim relata, & constabit, vix unum pro jurisdictione Ecclesiastica contra laicam reperiri, inter mille pro sæculari contra Ecclesiasticam prolata. Quod additur, temerè appellantes ab abusu graviter puniri, ex eo solo falsi argui posset, quòd infinitus ferè sit illarum appellationum numerus. Num gravis pœna temeritatis, & sacrilegij, duorum, aut quatuor nummorum mulcta, quæ judicium Ecclesiasticum defendenti perinde atque impugnanti imponitur?

Verum est, quod notat idem Fevretus, 23.
laicos potentiâ brachij sæcularis præditos, promptiores, & faciliores esse ad usurpanda jura Ecclesiastica. Utinam æquè verum esset, quod asserit, appellationes ab abusu utiles, ac efficaces esse ad comprimendas illas usurpationes. Quòd enim plures Prælatos, Collegia, & Societates Ecclesiasticas illis usas esse dicit, non probat earum utilitatem; quandoquidem multò pluribus Prælatis, Collegijs, ac Societatibus gravissimæ, & Ecclesiasticæ jurisdictioni infestæ visæ sunt. Cæterùm Fevreto fidem non habeo sinè teste affirmanti, probatas ex omni parte fuisse hujusmodi appellationes Gregorio XIII. cùm anteà conquestus fuisset de constitutione Blesensi ab Henrico III. editâ anno 1579.

ARGUMENTUM IV.

HOc constat plurimis authoritatibus Scriptorum Gallicorum in favorem appellationum ab abusu congestis.

Responsio.

AUthor *præinsinuatus dicto cap. 13. à n. 10.* 24.
sic respondet. Ex ijs Scriptoribus plerique non in ea tantùm parte, sed in alijs pluribus Ecclesiasticæ jurisdictioni non apertè iniquos sese exhibuerunt, ut minimi momenti sit illorum suffragium: & facile esset, illis longè majorem omnis generis Scriptorum numerum opponere. Galli quidem unico verbo respondent, illos Authores vel morum Gallicanorum inscios fuisse, vel Curiæ Romanæ adulatos. Sed nescio, an veriùs Gallicanis Scriptoribus objiciatur, illos Ecclesiasticæ Majestatis depressione gloriari, lucrum ex litibus circa res Ecclesiasticas expetere. Quod absit, ut de omnibus accipiam. Non enim desunt in Christianissimo illo Regno, qui illas appellationes improbent: nec parvus est illorum numerus.

Nec tamen intrà fines à Scriptoribus ip- 25.
sis, quos citat Fevretus, præfixos, illas appellationes continuerunt Judices. Nam, ut hoc tantùm exemplum proferam, Guido Faber Advocatus Regius legatione ad Concilium Tridentinum, vel potiùs orationum in illo habitarum irreverentiâ (ut mitiori verbo utar) & primo ad propagandam per universas Galliæ Ecclesias Regaliam conatu famosus, laudibus immensis, & eo ipso ridiculis, appellationes ab abusu extulit: non potuit tamen non fateri, referente Fevreto, hujusmodi appellationibus, non nisi rarò opportunè, ac in magnis, & illustribus causis esse utendum. Anid observetur, testantur volumina registrorum, & librorum, Placita super his prolata continentium.

Inter illos quidem Authores, quos refert 26.
Carolus Fevret, sunt aliqui veneratione dig-

ni, quorum sententia, si appellationibus faveret, non esset facilè contemnenda. Sed illorum suffragium parùm ad excusandam ejusmodi praxin juvat. Nam v. g. quæ refert Fevretus verba, tanquam Cardinalis Perronij, non Illustrissimi illius, ac nunquam satis commendandi Purpurati, sed Parlamentorum sententiam exprimunt: dum ait, remedium illud à Parlamentis haberi tanquam Asylum libertatum Gallicanarum, firmumque jurium Regiorum propugnaculum.

28. Dominus de Foix, qui etiam allegatur, factus quidem fuit Archiepiscopus Tolosanus, sed, cùm ea pro appellationibus proferret, quæ exscribit Fevretus, Oratoris Regij, non Archiepiscopi, munus obibat apud Summum Pontificem: unde nihil mirum, si Regias rationes promovere conatus sit.

29. Ad appellationes illas confugerunt aliquando Episcopi, ut notat Fevretus, sæpe inferiores Clerici, aliquando Regulares; sed in hoc, quod *supra* diximus, magis ad amovendam veram, aut fallam injuriam, aliâ, ut illis videbatur, ratione indeclinabilem attendebant, quàm ad damnum hinc Ecclesiæ illatum.

ARGVMENTVM V.

30. HUjus ratio desumitur ex ipso quasi *jure naturæ*, in vi cujus videtur cuique permissum, ut adversùs manifestas injurias à Superioribus Ecclesiasticis, imò à supremo Pastore illatas, invocato potestatis sæcularis auxilio, se tueri. Etsi namque haud temerè sint damnanda Superiorum decreta, vel præcepta, sed potiùs justa præsumenda sint, quoties apertam iniquitatem non continent; à qua regula, si recedatur, peribit omnis ordo, confundetur omne regimen, subditis ob innatam, vel à peccato contractam ad libertatem propensionem, mandata sibi minùs grata tanquam injusta, vel de injustitia suspecta facillimè excusantibus: tamen quia Præpositi, quicunque illi sint, affectibus privatis duci in condendis legibus, aut imponendis præceptis possunt; atque adeò res injustas exigere; videtur illis, quorum interest, licere, cùm obedientiam negare; tum, si urgeantur, aliorum opem implorare.

Responsio.

31. AUthor *præfatus cit. lib. 12. cap. 14. à n. 2.* respondet in hæc verba. Injustæ quidem legis nullam esse obligationem, nisi fortè ad vitandum scandalum, aut aliud malum, imò ne legem quidem esse, docent communiter Theologi, quod de mandatis singularibus pari ratione sentiunt. Itaque illis non obtemperare, nefas non est: de modo est quæstio. Equidem hac in parte optimus ille est, quem suadet Ivo Episcopus Carnotensis *epist. 159.* ijs, qui se ab Ecclesia Romana gravatos conqueruntur; scilicet, ut *ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.* Nam, ut docet S. Bernardus *epist. 108. jam cit. Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

Sed quid, si mandata injusta non modò 32
non revocet Summus Pontifex, quantumvis de rei veritate, ac statu certior factus, sed illorum etiam executionem acriter prosequatur? Celeberrimum est consilium, quod habetur *in Capitulo de honoranda sede Apostolica*, quod plerique post Ivonem, & Gratianum Carolo Magno adscribunt, quodque habetur in Concilio Tribur. anno 895. *Can. 30. In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus, & pia devotione toleremus.*

Quid autem, si ne vix ferendum sit ju- 33
gum, vel propter ejus pondus, vel propter infirmas vires, aut voluntates subditorum? Nónne tunc saltem potestatis sæcularis opem fas erit implorare? *Primò* quidem casus ille difficilè contingere potest, ut veritate, ac justitiâ Summo Pontifici patefactâ, ille sæpe sæpiùs rogatus iniqua postulare pergat. *Secundò* vix illo etiam casu liceret adversùs sanctam Sedem Principes sæculares implorare; sed plerumque necessarium esset, ac de præcepto, quod Ivo Carnotensis *epist. cit.* consulere tantùm videtur, his verbis; *Quamvis judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine foris retractari posse, eádem Romanâ Ecclesiâ docente, didicimus, si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ authoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium.* Quæ ultima verba sic intellexit etiam ipse Marca *Concord. lib. 4. cap. 17. §. 7. ab Ægypto auxilium petere, id est, à Regia potestate.*

Nulla sinit prudentiæ ratio, ut ab eo petas 34
auxilium, à quo periculum sit, ne opprimaris. Observat Stephanus Pasquierius *disquisitionum suarum lib. 2. cap. 5.* Romanis ad subjugandas Gallias relatum ab ipsimet Gallis aditum, implorata imprudenter illorum ope. Quod toti Nationi olim accidisse dicitur, id ferè Clero postremis sæculis contigit. Cùm enim, ut *alibi* observavimus, Pontifices, aut Pseudopontifices potestate suâ in magnum Ecclesiæ Gallicanæ detrimentum abuti crederentur, invocatum est sæcularis potestatis auxilium; sed eâ occasione longè majus detrimentum passa est Ecclesia in sua jurisdictione, quàm consecuta sit emolumentum in conservatâ, pro qua decertabat, quorundam beneficiorum, & redituum dispensatione.

Quantum cordi semper Ecclesiæ fuerit 35
sua jurisdictio, testata est innumeris Canonibus ea de re conditis, & delato etiam Martyrij honore ijs, qui pro conservanda illa dignitatis, & potestatis suæ parte, mortem subierunt. Quo igitur lucro ejus jactura compensari potest? Aut quo pacto censuras eam ob causam promulgatas effugiunt, qui jurisdictionem Ecclesiasticam ad Laicos transferunt; aut

aut qui, quò minùs transferatur, ut possunt, ac debent, non obsistunt?

36. Denique, ut rem ad extremas metas producamus, quæres, num saltem licitus esset ille recursus, si secluderentur illæ circumstantiæ, & Ecclesiasticæ jurisdictioni grave inde detrimentum consecuturum non esset? Suppositio illa videtur involvere contradictionẽ, cùm ille ipse recursus in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis per appellationes ab abusu, ordine judiciario tractari solitus, sit Ecclesiasticæ jurisdictionis interversio. Adde, quòd, etsi suppositio sit *Metaphysicè* possibilis, *moraliter* tamen videtur impossibilis. Quis enim rem adeò in proclivi positam sistere queat? Ex eo, quod jam toties evenit, conjice, quid futurum sit, nisi hujusmodi appellationum cursus sistatur.

37. Quicunque modus ponatur, quæcunque adhibeatur cautela, in maximo semper versabitur periculo jus Ecclesiæ, quamdiu vigebit illarum appellationum usus, nec minoris Præsulum Gallicanorum, imò, ut arbitror, pluris interest, quàm Summi Pontificis, ut abrogetur; quia ipsorum officium frequentiùs impedit. Licèt autem aliquando aliquibus prodesse videantur, omnibus tamen pensatis, plurimùm inde jurisdictio Episcopalis deprimitur, & imminuitur.

CONCLUSIO.

38. MAjus semper in Iuribus Ecclesiæ violandis periculum ex appellationibus ab abusu resultans, requirit validissimum ad eas reformandas remedium.

Explicatur per inductionem variorum Ecclesiasticæ immunitati à Curijs sæcularibus illatorum exemplorum. Nam uti Author *tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 12. cap. 9. à n. 5.* exponit. Plurima sunt, in quibus non ita pridem jus suum Ecclesiæ asserebatur, quæ recentibus Placitis Regiorum Senatuum evertuntur; v. g. in responsionibus ad quosdam articulos Româ missos, inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ relatis *cap. 36. n. 6. ad art. 18.* Senatus Parisiensis expresè declarat; circa cognitionem testamentorum, æquum esse, ut quæstiones de testamentis, & eorum validitate inter laicos, apud Judices laicos tractentur: & ita plurium Regni Provinciarum consuetudinibus constitutum fuerat, præter usum antiquiorem, quo absque distinctione Iudicis Ecclesiastici de quæstionibus illis judicabant; ut videre est apud Fevretum *lib. 4. cap. 6. n. 3.* ubi testatur, in Provincia Burgundiæ ita observatum usque ad annum 1508. Res tamen eò devenerunt, ut etiam inter Clericos de testamentis Clericorum controversiæ apud Iudicem Ecclesiasticum ventilari non possint, quin appellationi tanquam ab abusu locus detur, ut habet idem Fevretus *loco cit. n. 7.*

39. Alia passim occurrunt exempla in ejus Scriptoris tractatu, de quibus idem dici jure merito potest, quod fatetur *lib. 4. cap. 11. n. 10.* Adductâ enim authoritate Boerij, Ioannis Galli, Molinæi, & Tiraquelli, sententium, quòd, dum Clericus super pensione non solutâ convenitur, neque de fundamento illius pensionis, quod, reale sit, agitur, omnisque fraus abest, debet coram Iudice Ecclesiastico agitari controversia, quod præfatus Ioannes Galli adeò æquum esse, arbitrabatur, ut se credere istam opinionem tanquam Evangelium veram, dicere non fuerit veritus. Tamen, inquit ibi Fevretus, *in pluribus locis usus juri & rationi prævaluit.*

Sed cùm justitia in quadam æqualitate, ac commensuratione consistat, tunc perfectè elucescit, cùm ambæ partes comparantur. An Curiæ sæculares æqualitatem servent, dum, quæ cujusque jurisdictionis causæ sint, discernunt, ex isto exemplo inter alia innumera intelligi poterit. Idem Carolus Fevret *lib. 4. cap. 10. n. 1. & 2.* Clericos in officio, vel negotiatione sæculari delinquentes Regiorum Officialium correctioni, ac castigationi subjicit. At verò *n. 3.* Laicum in officio Ecclesiastico, qualis est Presbyterorum in carceribus Episcopalibus detentorum custodia, peccantem eximit à Iudicis Ecclesiastici animadversione. Fatetur, id quibusdam videri: sed inquit: *Quod Senatui placuit, vim habet legis.* Utinam in istis tantùm, non etiam in ijs, quæ Religionem intimiùs attingunt. Non est, inquit Fevretus, laicus Ecclesiastico Iudici subditus, nisi in spiritualibus. Sed quæ sunt illa spiritualia? Ab hoc enim numero excluditur *ibidem* dierum festorum observatio, & *alibi* alia. 40.

Si quæ autem adeò evidenter spiritualia sunt, ut id negare pudeat, prætextu possessorij ad tribunalia sæcularia trahuntur. *Nec recesserunt*, ut notat *lib. 3. cap. 11. n. 6. Iudices Regij ordinationi, seu Constitutioni Regiæ anno 1629. quâ Ludovicus XIII. vetuerat, ne supremæ Curiæ, aut alij Iudices Regij, de rebus spiritualibus, aut ad Sacramenta pertinentibus judicarent, etiam sub prætextu querelæ, aut possessorij causis hujusmodi accommodati.* Adeò scilicet ægrè quis resilit ab eo, quod semel injustè usurpavit, dum emolumenti, vel authoritatis aliquam hinc imminutionem consecuturam videt, ut observavit idem Scriptor *in præfatione.* 41.

Quandoquidem Regium Franciæ Consilium in causa Electensi, & in causa Aginensi aliquot ante annos Regularium jurisdictioni circa prædicationem verbi Divini, & Sacramentorum administrationem limites constituit; imò & in Electensi certis casibus administrationem Sacramentorum negari non posse, declaravit. Quid ergo adeò sacrum, & spirituale est, quod à jurisdictione sæculari eximatur? Perhibeat quidem hæc Placita, quorum alterum vidi, alterum relatu accepi, Regem tanquam Canonum executorem ea statuere: sed executio certam & evidentem Canonum sententiam supponit, quæ rei cognitionem judiciariam non requirat: & tunc tantùm à Principibus curanda est, cùm eam Ecclesia per se consequi non potest. 42.

PROBATIO I.

Desumpta ex antiquo Gallicani Regni more ac reverentia erga sanctam Sedem.

43. NAm ipsemet Fevretus *sui tract. lib. 1. §. 10.* ait; in rebus magni momenti, si quid accidisset libertatibus, & immunitatibus Ecclesiasticis, vel Regis, & Coronæ juribus contrarium, solitos olim Prælatos, & Regni Optimates, comprobante, ac permittente Rege, congregari ad restituendas res in pristinum statum, ideoque delegari ad sanctam Sedem Illustres, ac magni meriti viros, qui sanctæ Sedi supplicarent, ut, quæ proponebantur, amplecteretur, & monitiones libenter audiret. Res gravioris ponderis, quas solas appellationibus ab abusu subjici debere, fatetur, paucæ sunt; atque adeò non nisi rarissimè ad sanctam Sedem recurrendum foret. Si autem hodie tribunalia sæcularia hujusmodi causis plus, quàm quibusvis alijs occupantur, hocinde accidit, quia sinè ullo delectu admittuntur appellationes tanquam ab abusu, sive levis sit materia, sive gravis, sive appareat abusus, sive secùs, sive de re spirituali agatur, sive de temporali, quibus ita se habentibus, non mirum est, si incommodum, imò impossibile videatur, toties sanctam Sedem adire.

44. Subjungit Fevretus, Prælatos, & Optimates, dum optata à Summis Pontificibus consequi non potuissent, Regi suadere solitos, ut subditos ab oppressionibus tueretur: sed Ivo Episcopus Carnotensis, cujus authoritate nititur, non ita generarim loquitur. Consuluerat illum Episcopum Philippus Rex Franciæ circa indictionem tertij intrà eundem annum Concilij ab Archiepiscopo Lugdunensi Vicario Apostolico destinatam. Respondet Ivo *epist. 56.* Rem verisimiliter non eventuram; si tamen, inquit, secùs accideret, Apostolicæ institutioni, & Ecclesiasticæ consuetudini fore contrariam: deinde verba subjungit à Fevreto relata; *Si quis vos* (alij legunt eos) *contra* (alij legunt ultra) *terminos à Patribus constitutos angariare voluerit, habito communi consilio, oppressionibus pro persona vestra resistite.* Quà verò ratione resistendum esset, non expressit, arbitratus nimirum, convenientem illam fore, si communi cum Episcopis, Ecclesiasticæ dignitatis studiosis, consilio deliberaretur. Omnium autem conveniens tissima fuisset, ut à Vicario sanctæ Sedis ad sanctam Sedem appellaretur, ut dicetur *infra.* Quoniam autem Episcopi accusationem judicaturus dicebatur Legatus; monet idem Ivo, non posse accusatum non se sistere judicio. Unde consequitur eo casu, atque adeo, si alia gravis causa postularet, à Legato pluries convocari Concilium, aut sinè Concilio judicari Episcopos à Legato; *Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio à Legatis Apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat.* Inutilem igitur tantùm, & injustam, non autem necessariam convocationem excludendam censebat Ivo, & oppressionibus resistendum.

Paragraphis 10. & 11. congerit Fevretus exempla delegationum ad sanctam Sedem, tum à Francis, tum ab alijs factarum. *Paragraphus 13.* similia continet exempla, Summorum Pontificum ad Principes litteras, Nuntios, querelarum articulos mittentium; quæ agendi ratio laudabilis, ac Christianæ charitati, mutuæque benevolentiæ erat consentanea magis, quàm appellationes prætextu abusûs. 45

Paragrapho 14. proponitur aliud multoties in rebus gravissimis adhibitum, nempe mutua colloquia inter Summos Pontifices, & Principes; vel saltem inter egregios viros ab ipsis deputatos. Optimum etiam consilium, dum illud rei gravitas exigit. 46

Paragrapho 15. aperitur alia via ad impediendas injurias, quæ ex mandatorum sanctæ Sedis executione consecutura essent, nimirum ad sanctam Sedem appellatio. Nam, ut inquit S. Bernardus *epist. 180. Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeret revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Addit Fevretus appellationem ad futurum generale Concilium proximè congregandum, de qua jam satis *alibi* dictum est. 47

PROBATIO II.

Quâ ostenditur, primos gradus jurisdictionis sæcularis Ecclesiasticam invadentis non adeò perniciosos fuisse, si ulteriùs processum non esset.

ETenim, advertente Authore *sæpe citato lib. 12. cap. 10. n. 7.* occasione dissidij inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. constitutum est schisma, occasione schismatis editæ sunt multæ constitutiones; decreta, & alia hujusmodi jurisdictioni Ecclesiasticæ infensissima. Idcircò etiam edita est Pragmatica sanctio, cujus occasione inductas esse appellationes tanquam ab abusu, affirmat Auctor tractatûs *de jurisdictione Ecclesiastica*, inter acta Cleri Gallicani inserti, & jam pluries memorati. Unde Fevretus *§. 16.* scribit, appellatione denuntiatâ, protestationes interponi solitas *in forma infractionis Canonum, aut Pragmaticæ*, invocarique Regium Consilium, aut Senatum, quorum decreto præcipiebatur; *Ut Ecclesiastici ab ijs omnibus cessarent, attentata revocarent, alioquin certâ die coram Regis consilio venirent, ut postea partibus auditis, super ijs rationabiliter provideretur.* 48

En primos gradus jurisdictionis sæcularis Ecclesiasticam invadentis; non tamen adeò perniciosos, si ulteriùs processum non fuisset, earumque rerum sola executio suspensa fuisset, quæ per obreptionem, vel subreptionem injustè obtentæ fuissent. Subsecutus est usus ille, de quo Fevretus *§. 17. & 18.* retinendarum litterarum Apostolicarum, ne ante demandarentur executioni, quàm 49

quàm à Iudicibus Regijis compertum fuisset, eas nihil juribus, & libertatibus antiquis Ecclesiæ Gallicanæ, jurisdictioni sæculari, aut Coronæ juribus adversum continere. Animadversum præterea est in eos, qui litteras hujusmodi perferebant. Examen illud, quantum ad legitima jura Regis, in ejus Officialibus excusandum videbatur: sed quantum ad res Ecclesiasticas, Episcoporum potiùs fuisset, opportunum, & congruum requirere remedium. 50.

Denique ad appellationes tanquam ab abusu deventum est, quas Fevretus cæteris omnibus modis, de quibus egimus, eâ ratione præfert, quòd alij usurpationes, & innovationes detegerent, sed non tollerent. *Nam*, inquit, *Senatusconsultæ eâ occasione prolatæ in exempla, seu præjudicia assumi non poterant, quippe cum causæ cognitione, ac partibus auditis, non pronuntiata, sed plerumque ex officio, instante solo Domino Procuratore generali Regis, atque ad ejus querelam de usurpationibus, in rescriptis, quæ ad ejus manus pervenerant, contentis. Quamob rem successit demique appellatio qualificata, tanquam ab abusu, quæ fuit efficacior, quàm delegationes, & colloquia, quàm appellationes ad Papam, vel ad futurum Concilium, quàm protestationes publicæ, & citationes in forma infractionis Canonum, quàm etiam examen bullarum, & processûs extraordinarij adversùs earum latores.* Visum est, hæc omnia verba Fevreti esse referenda, ut intelligas, appellationes ab abusu nihil differre ab alijs appellationibus, nisi quòd vox illa, *abusus*, injuriam Ecclesiasticæ jurisdictioni illatam, simplicibus aliquatenus occultet. Quid enim aliud Iudex ordinarius appellationum præstat, quàm ut partibus auditis, & cum cognitione causæ decernat, an aliquid sit contra leges, vel contra consuetudinem? Quid aliud facit Iudex sæcularis in causis merè temporalibus? Obtenditur quidem, Iudicem sæcularem de ipso negotio spirituali sententiam non ferre, sed tantùm de abusu. Verùm quid aliud est ille abusus, si Gallis credimus, nisi sententiæ iniquitas, id est, Canonibus, & legibus repugnantia? Iam igitur non est melior via appellationum ab abusu, ut econtra iniquior sit. Nam recursus ad Papam, appellatio ad ipsum meliùs consultum, imò appellatio ad futurum Concilium testabantur, negotia esse authoritate Ecclesiasticâ definienda: cùm per appellationes ab abusu, laici jus in causis spiritualibus & Ecclesiasticis dicant, & judicata exequantur.

51. Nescio, an risu, an fletu digniora sint appellationum ab abusu encomia, quæ habet Fevretus §. *ult.* Lugere magis libet, quia Ecclesia, cùm esset Domina gentium, facta est sub tributo, & à proprijs filijs oppressa. *Itaque*, inquit Fevretus, *si rectè ad eorum institutum attendatur, qui appellationes ab abusu induxerunt, ad bonum, quod ex eis sequitur, ad quietem Principalium potestatum, quæ eâ ratione procurata est, cùm olim ob exortas de jurisdictione contentiones sæpe commoverentur, ad firmum sustentaculum, quo Ecclesiastica, & temporalia jura sub protectione, atque authoritate Regiâ communita sunt; meritò duci queat, primum eatum auctorem bis terque exclamare cum Archimede debuisse hèurema, cùm nihil ultra desideretur ad ejus perfectionem, quod tanto tempore, tantoque labore inquisitum fuerat, ut unusquisque in suo jure conservaretur, & ut frequentibus usurpationibus occurreretur. Habet enim id præcipuum appellatio ab abusu præ cæteris mediis aliàs adhibitis, quòd effectum suum statim consequatur, sitque utilis communiter tam Ecclesiasticis quàm laicis, qui eâ utuntur.* Quàm justæ sint illæ laudes, aliæque, quas refert §. 6. constat ex illis, quæ jam dicta sunt, & constabit ex ijs, quæ adhuc dicemus de justitia illarum appellationum.

PROBATIO III.

Petita ex hoc, quòd appellationes illæ ab abusu non sint admodùm antiquæ.

IPsemet namque Fevretus *primis §§. capitis* 2. probat, non ita esse antiquas appellationes ab abusu, sed, quantum ad formam, recentes esse, licèt contingat, esse antiquiores, quantum ad vim, ac effectum, cùm jam olim Regia potestas Prælatorum Ecclesiasticorum abusus emendaverit. Verùm quæ circa vim ac effectũ ejusmodi appellationum sub ea distinctione prætenditur antiquitas, eam sic enervat Author *sæpe dicti tract. de libert. Eccles. Gallic. præf. lib. 12. cap. 11. n. 1.* Præterquàm, inquiens, quòd Prælatorum Ecclesiasticorum abusus à Regibus emendati adeò fuerant evidentes, & notorij excessus, ut causæ cognitionem non requirerent, nec ab ipsis sæcularibus corrigebantur, sed plerumque ab ipsismet eorum Authoribus emendari curabantur. Haud quaquam dicenda est parvi momenti illa recenter introducta nova forma appellationis: utpote quæ gravissimum, & perniciosissimum damnum infert Ecclesiasticæ jurisdictioni, quod, dum de illius injustitia egimus, demonstrâsse nos putamus. Adde, quòd illa, quæ commemorat, saltem in principio, non tam erant provisiones à jurisdictione Regia factæ, quàm querelæ, ac minæ Regiorum Procuratorum Ecclesiasticæ jurisdictioni parùm faventium, & potiùs multùm adversantium. 52.

PROBATIO IV.

In qua refutantur exceptiones variæ, quibus Fevretus credit, elidi posse argumenta appellationis ab abusu reprobantia.

NAm *primò* Fevretus *cit. cap. 2. §. 4.* appellationibus ejusmodi favorem aliquem conciliare nititur hisce verbis: *Fatendum est, appellationes illas ex eo magnoperè commendatas, quòd, ubi primùm inductæ sunt, non nisi in rebus gravibus, publicis, & magni momenti adhibeantur; & certè satis culpari non possunt, qui hoc remedio in quavis occasione utuntur sinè distinctione boni publici, & privati; quique omnia gravamina ceu abusus habent, quod nullo modo ferendum est.* Idem ferè anteà senserat D. de Marca. 53.

Verùm author sæpe allegatus *cit. cap. 11. n.* 2. in 54.

2. ita respondet. Quod ait Fevretus, appellationes ab abusu ex eo magnoperè laudatas, quòd non nisi in gravissimis negotijs principio interponerentur, causam insinuat, cur eis quàmprimùm Ecclesia non satis validè obstiterit; quia nimirum illarum usus, ob casuum gravitatem, erat rarus, ac propter remedij difficultatem ferè necessarius videbatur. Nec enim dubium mihi ullum est, quin, si passim, ut hodie fit, perturbata fuisset Pastorum Ecclesiasticorum jurisdictio, & tribunalia sæcularia distracta; Ecclesia, quæ pro causis multò minoris momenti tam strenuè decertavit, hanc pro viribus vindicatura fuisset injuriam: sed malum sensim sinè sensu adeò excrevit, ut remedium, nisi promptum sit, nihil profuturum videatur.

55. Alia fuit causa neglecti dudum ab Ecclesia illarum appellationum usûs, quòd scilicet varijs conditionibus temperarentur, de quibus Fevretus *in §§. seqq.* quæ tamen hodie prætermittuntur. Necesse enim erat, quod probat pluribus authoritatibus, & ratione §. 5. ut non interponeretur, nisi *ab abusu notorio & certo*. Et §. 6. asserit cum alio Authore Gallicano, nomine Buluc, Gallis tantùm, & non alienigenis licere sic appellare, &c.

56. *Secundò* Fevretus *citatus §. 8.* monet, appellationes ab abusu in omnibus Franciæ provincijs usurpari, etiamsi Paulus III. Papa instituerit apud Henricum II. Francorum Regẽ, ne in Britannia, in Provincia, in Delphinatu locum haberent: quia, inquit, *primò* illæ appellationes erant licitæ & juridicæ, *secundò*, quia Rex justitiæ debitor est suis subditis.

57. Verùm, quomodò fas est, appellationes illas, quæ ultra fori sæcularis sphæram protenduntur, forique Ecclesiastici limites infringunt, dicere licitas, & juridicas? Cæterùm prætacto Authore *præs. n. 4.* respondente; verum equidem est, Regem esse justitiæ debitorum erga subditos suos, sed quantum ad illa tantùm negotia, quæ ad Principes temporales spectant. Imò & in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis justitiæ debitor est, tanquam Ecclesiæ protector. Itaque cohibere debet nimium Procuratorum suorum ad ampliandam authoritatem Regiam studium, ne Iudices sæculares adducat ad usurpandam jurisdictionem, aut imminuendam libertatem Ecclesiasticam.

58. *Tertiò* Fevretus *ubi supra §. 15.* prætendit, magnam exhiberi Summo Pontifici reverentiam, dum non appellatur *directè* à concessione, & expeditione Bullæ, seu Rescripti, sed solùm ab eorum fulminatione, ac executione.

59. Verùm respondit Author sæpe fatus, sed quæ fides haberi potest huic Authori, qui tam apertè sibi contradicit? Nam *n. 9.* refert, in Parlamento Divionensi anno 1632. 25. Julij pronuntiatum fuisse Placitum, seu Arrestum, quo rescriptum Pontificium in causa Matrimoniali declaratum fuit malè, nulliter, & abusivè expeditum. Hîc autem, id est, hoc §. 15. negat, appellari ab expeditione. Alia sunt, in quibus videtur Fevretus emollire velle jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera: sed praxis quotidiana, quam ipsemet alijs in locis refert, dictorum falsitatem arguit.

Fuerat quidem olim statutum, quod tradit §. 16. ut appellationes ab abusu Iudicis Ecclesiastici potestatem suspenderent, sed devolutivum duntaxat, non autem suspensivum, ut loquuntur Pragmatici, effectum haberent. Verùm immutata est hæc jurisprudentia. Rursus restituta est, saltem ex parte, edicto Regis hodie regnantis, ut videri potest in actis Cleri *loco citato*: sed nescio, quamdiu duratura sit, aut num violari rursus jam non cœperit? 65.

Conquesti sæpissimè sunt Præsules Gallicani adversùs illas appellationes; sed Iudicum sæcularium nimis intererat, ne tollerentur. Quia Præsulum querelæ apertissimâ justitiâ nitebantur, adhibitæ sunt certæ conditiones, quæ doloris sensum remittebant per aliquod tempus: non autem morbo medebantur, neque etiam diu intermittebant. Ita verè scribit Fevretus §. 17. prohibitum fuisse *art. 59.* Constitutionis Blesensis Curijs Regijs, ne appellationes illas admitterent extra casus in Constitutionibus Regijs contentos. Sed debile repagulum ad sistendum Curiarum impetum. Verba illa generalia nunquam casibus particularibus convenire videbuntur. Quin etiam, licèt aliqui articuli expressè prohibiti sunt à Constitutionibus Regijs, Iudices nullatenus prohibitionem morantur, ut patet in exemplo *alibi* adducto de appellationibus in rebus spiritualibus, & Sacramentis, de quibus vetuerat Rex, ne prætextu possessorij cognoscerent Iudices sæculares, & in exemplo, de quo Fevretus hîc §. 22. posteà dicutiendo. 66.

Præcepit etiam Ludovicus XIII. anno 1635. quemadmodùm notat Fevretus §. 21. ut appellationes ab abusu, auditis partibus, statim judicarentur, nec ad consilium mitterentur, nisi ita sentirent duæ ex tribus Judicum partibus. Verùm facilè occurret, ut plerique Iudices maturiùs de rebus illis deliberandum sentiant, aliqui fortassè, ut rei veritatem & justitiam diligentiùs inquirant; alij fortassè, ut emolumento non careant, quod nullum esset, si negotia extemplò definirentur. 67.

Aliam adhibuerat cautelam Henricus IV. edicto verificato anno 1606. ut testatur idem Fevretus §. 19. ut scilicet Advocato pro appellante ab abusu peroranti adstarent alij duo appellationem approbantes. Ejusmodi cautelæ signa sunt gravitatis appellationum ab abusu, quas difficiles efficere, tot modis conati sunt Principes. Sed debilia nimiùm remedia sunt. Et quod quidem spectat ad præsentiam Advocatorum, in tanta Patronorum copia vix unquam deerit ille numerus litigare cupienti, ut à prosequenda appellatione revocetur defectu trium Patronorum, qui, utrùm hodie requirantur, mihi certum non est, licèt plurimùm partem meruam negativam. 68.

Paragrapho 20. scribit; vetitum fuisse anno 1610. ne litteræ appellatoriæ ab ordinationibus, quas in visitationis decursu edidissent Archiepiscopi, vel Episcopi circa cultum Divinum, & disciplinam Ecclesiasticam, 69.

aut à

aut à Statutis Conciliorum Provincialium, nonnisi magno sigillo imprimerentur, ut scilicet difficilior esset expeditio, atque ita appellationum numerus minueretur. Sed statim monet, Senatum Parisiensem anno 1612. 30 Maij facultatem appellationibus concessisse, ut, sive in magna, sive in parvis Cancellarijs litteræ possint expediri, & sigillari, ita scilicet, quod Rex concedit, Senatus aufert.

65. Edicto Ludovici XIII. anno 1625. quod citat Fevretus §. 21. cautum est, ne Iudex Ecclesiasticus, à cujus sententiâ interposita est appellatio tanquam ab abusu, sese judicio sistere cogatur. Statutum id fuit, ut dignitati Episcoporum, & Vicariorum provideretur, ut inquit D. de Marca *lib. 4. pag. 19. n. 8.* Verùm charior est Iudicibus sæcularibus propria dignitas, quàm Episcopis, adeoque est danda opera, ut Senatorum Majestas ex hoc etiam capite præfulgeat, id est, ut Episcopi, aliique Iudices Ecclesiastici omnibus litibus intercedere cogantur, in quibus de appellationibus ab ipsorum judicijs agitur. Ideoque non observatur istud edictum à Curijs Regijs, saltem ab omnibus.

66. Is quidem honor adhuc Ecclesiæ defertur, ut appellationes ab abusu in magna Senatûs Camera ventilentur; ut dicit Fevretus §. 22. & 23. Sed quis putet, honore illo posse compensari, quas jam notavimus, injurias, & quas adhuc notare possemus? Nam in hoc ipso §. 23. probat idem Author, appellari posse non solùm à fulminatione, & executione, sed etiam à publicatione Bullarum, & earum executionem prohiberi; quamvis nullus extet actus judiciarius circa illam executionem. §. 24. clausulam, *Appellatione submotâ* rescriptis delegatorijs inseri solitam, appellationibus ab abusu non præjudicare scribit, §. 25. non posse super his appellationibus in arbitros compromitti, aut inter partes componi, §. 26. possessionem triennalem nullatenus juvare.

67. Vides, quot accidant ex illis appellationibus incommoda Ecclesiasticæ jurisdictioni: quàm accuratè serventur, quæ Ecclesiæ adversantur: quàm parum referat utilitatis ex ijs, quæ Reges in ipsius levamen constituunt, etiam dum Clerus opima Regi confert subsidia.

§. III.

Corollarium.

68. EX dictis facilè constat, quo in censu habendæ sint appellationes ab abusu, utpote per quas invertitur ordo jurisdictionum, dum à judice Ecclesiastico ceu supereminentiore provocatur ad Iudicem sæcularem, cum manifestâ libertatis Ecclesiasticæ violatione, quatenus scilicet Ecclesiasticæ personæ, ac causæ spirituales submittuntur Curijs sæcularibus, quæ jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera nec quidquam sanantur ex subsequentibus Fevreti *cap. 3.* adductis rationibus, à nostro sæpe citato Authore *dict. lib. 12. cap. 12.* confutatis. In quarum *primâ* fatetur equidem Fevretus, in appellatione simplici provocandum ab Episcopo, seu ejus Officiali ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem, à Primate ad sanctam Sedem, vel ad Iudices ab ea delegatos: appellationem autem ab abusu dictam vult interponendam esse ad supremas Curias sæculares, non ordine naturali, quem ille vocat Ressortum, seu devolutionem ab inferiori ad superiorem, sed jure protectionis Regiæ, quâ Princeps tenetur subditos suos, sive Clericos, sive Laicos in propria jurisdictione conservare.

Sed declinat statim à scopo, & eo errore 69.
indicat, se illuc rectà tendere non posse. Cùm enim appellationum ab abusu innumeræ sint species, quæ singulæ specialibus, omnes autem duobus supradictis vitijs laborant; scilicet, quòd jurisdictiones confundant, & Clericos, ac causas spirituales Laicis subjiciant; quâdam saltem generali ratione universæ defendendæ fuerant. Sed frustra id, utpote impossibile, expectes. Assumit Fevretus unicam speciem, cujus nimirum injustitia minùs est evidens; quasi hæc alias omnes complecteretur. Conatur probare; licere Principibus impedire, ne Ecclesiastici Iudices Iurisdictionem sæcularem, aut jura Regnorum usurpent. Ergóne si hoc consecutus fuerit, continuò innoxia erunt, quæcunque Iudices Laici contra jurisdictionem, ac libertatem Ecclesiæ, prætextu appellationum ab abusu, in Gallia præsumunt? An ad illum articulum pertinent, quæcunque Fevretus in novem libros digessit, protestatus, se omnia complexum non fuisse, nec thesaurum illum à quoquam exhauriri posse?

Quomodò autem ex jure defendendæ 70.
propriæ jurisdictionis infert, licitas esse illas appellationes? Nónne Ecclesia etiam potest propriam jurisdictionem tueri? Cur ergo pari saltem ratione non licebit à Iudice sæculari ad Ecclesiasticum provocare? At, inquit Fevretus, non dicitur appellatio simpliciter, quæ interponitur à Iudice Ecclesiastico ad sæcularem, sed cum addito, tanquam *ab abusu*, quasi verò de solo nomine, ac non potiùs de re ipsa sit quæstio; aut possit nomen, quod etiam odiosum quid sonat, à sacrilega usurpatione injuriam resecare. Saltem ergo fateatur, licere ad Summum etiam Pontificem appellare cum addito, tanquam *ab abusu*, quando Iudex sæcularis jurisdictionem Ecclesiasticam offendit. Non enim minùs ad supremum Ecclesiæ Pastorem pertinet, jura Ecclesiastica tueri, quàm ad Principes temporalia propugnare.

Non pervertitur, inquit Fevretus, ordo 71.
appellationum Ecclesiasticarum, quia illud, in quo fundatur abusus, est *Facti*, ad spirituale nequaquam attinens. Adeò iniqua est praxis Curiarum Franciæ, quæ contra constitutiones Regias, nedum contra Canones de causis etiam spiritualibus, affictâ illis imaginariâ Possessorij specie, judicant; ut, dum de justitia appellationum ab abusu in communi agit hic Author, cogatur affirmare, illas nequaquam ad spirituale attinere. An igitur corpo-

corporalia, seu temporalia sunt, quæcunque ille in suum tractatum congessit tanquam materiam hujusmodi appellationũ ab abusu? An Sacramenta, dispensationes super votis, & juramentis, beneficia, censuræ, absolutiones &c. in Parlamentis Gallicanis temporalia reputantur, quantum ad omnia, quæ circa illa ibi ventilantur.

72. Addit præterea, ad Regem pertinere, vel ad ejus Curias, decisionem quæstionis illius *de facto*, num scilicet aliquid contra jura sua temporalia sit attentatum; quia, inquit, dum aliquid attentatum est, Rex Superiorem non agnoscit. Duo confundit inter se maximè diversa. Aliud enim est, quærere, utrùm ad Principem duntaxat spectet cognoscere; an aliquid juribus suis temporalibus adversetur; aliud, dum adversari constat, utrùm ab alio debeat injuriæ reparatio postulari. Sed quodcunque assumatur, nónne opponi potest, ad Ecclesiam quoque spectare, ut judicet, an aliquid sit spirituale, & cùm ejusmodi esse, patuerit, illud Ecclesiæ vindicare. At, reponit Fevretus, neque justum esset, neque decorum, ut Dominus Procurator Regius, qui partis vices agit in appellationibus ab abusu, litigaret coram Officiali; ut resarciri curaret, quæ ab eodem Officiali, vel ab ejus inferiori attentata fuissent contra jura Regis. Fateor, injustum illud & indecorum fore; sed apud eos; qui & personas, & res sacras parvi pendere consueverunt; quique, non ut fides & ratio docent, sed ut mundus sapit, sentiunt; non autem apud eos, qui spiritualia corporalibus, æterna temporalibus anteponunt, & intimo pietatis, ac religionis affectu ducuntur. Sed nónne minùs iustum, minusque decorum est, ut Episcopus, alijque Iudices Ecclesiastici, pro rebus spiritualibus & Ecclesiasticis ad laicorũ tribunalia traducantur; & si quam prætermiserint in suis judicijs fori sæcularis formam, tanquam rei mulctentur.

73. Observa iterum, Carolum Fevret *in fine hujus §. 2.* appellationes ab abusu in hoc ab ordinarijs appellationibus discernere; quòd illæ nusquam interponendæ sunt, nisi usurpatio jurisdictionis interceserit. Propria ejus verba exscribenda sunt, ut videas etiam ipsos Ecclesiasticæ jurisdictionis hostes, vi veritatis convictos, dum justitiam appellationum ab abusu statuere nituntur, illarum usum ad casum usurpatæ jurisdictionis restringere coactos. *Et de plus afin de separer ces appellations de autres pures & simples on les qualifie du nom de Abus, pour donner à connoitre, que sans laditè quælitè de Abus, qui denote toujours quelque enterprisse ac usurpation de jurisdiction, la justice Regale ne sy entremettroit pas*; id est; *Præterea ut hujusmodi appellationes à meris & simplicibus appellationibus distinguantur, nomine abusus insigniuntur; quò significetur sinè illa conditione abusus, quæ aliquam semper jurisdictionis usurpationem involvit, Iudices Regios ab illis abstenturos.* Cur ergo alijs casibus sese Regij Iudices immiscent, ubi certum, est nihil adversùs jurisdictionem Regiam esse tentatum?

74. Frustra autem *§. 3.* excurrit ad exempla implorati à Clericis Principũ auxilij. Aliud enim est, Regios Ministros Ecclesiæ, vel ejus Ministris exequendos Canones, aut comprimendos Canonum infractores, postulantibus opem præbere; aliud, Ecclesiasticas personas, & causas per appellationes ad se trahere, ac prætextu protegendorum Canonum, Ecclesiæ jurisdictionem, & libertatem opprimere.

Duo tantùm ibi sunt, quæ aliquam videntur pati difficultatem: *Primum* est exemplum Leonis IV. Pontificis, judicio Ludovici Pij Imperatoris se supponentis, *alterum* authoritas Brunonis Cassanæi *in libro de Privilegijs Regularium.* appellationes ab abusa licitas asserentis. Quod quidem ad Leonem IV. attinet, de eo jam *supra* eginus. Ejus verba citantur quidem ab Ivone *Decret. 5. part. cap. 22.* & à Gratiano *2. quæst. 7. cap. Nos si incompetenter.* Sed referuntur, ut à Nicolao scripta Imperatori. Neque autem inter epistolas Leonis, neque inter epistolas Nicolai reperiuntur. Testimonium Ivonis, & Gratiani, qui plura supposititia suis decretis inseruerunt, adstruendæ facti veritati est impar: quia de re ipsorum ætate gestâ non loquuntur, præterquàm, quòd potuisset fortè Leo IV. voluntariè, non coactus à jure, vel officio, Imperatoris arbitrio se submittere, quemadmodùm Leo III. coram Carolo Magno, alijsque Magnatibus, & Episcopis se purgaverat anno 799. referente Anastasio, alijque quàmplurimis cum expressa protestatione, se id agere non coactum, nec obligatum, id quoque publicè protestantibus Episcopis.

Brunonis Cassanæi authoritas ad hoc tantùm valet, ut certiores simus, quod aliundè docet experientia, Regulares aliquos in Gallia tuendorum suorum privilegiorum omnem honestam rationem arbitrari; utque in tuto illa ponant, adversùs Episcopos, non ad Summum Pontificem, à quo illa acceperunt, cùm minùs suis desiderijs propitium metuunt, aut longiores moras refugiunt, sed ad sæculares Iudices contra libertatem Ecclesiasticam, & contra proprias etiam constitutiones interdum recurrere. Sic etiam aliquando Episcopi adversùs Regulares malunt Curias sæculares, cùm in sua desideria propensas vident, quam Summum Pontificem adire: quæ causa est, ut dum quisque suis rationibus magis, quàm Ecclesiæ juribus intentus est, illinc petat auxilium, unde consequi spèret; non attendens, quantum Ecclesiasticæ jurisdictioni vulnus inferatur, dum laicorum judicio subijcitur.

Cæterùm frustra hìc & alibi exemplo Hispanorum, praxim Gallorum excusat Fevretus. Nec enim conditionem acceptarent Galli, ut ijsdem legibus erga Ecclesiam & supremum ejus Patrem, & Pastorem sese gererent, quibus Hispani. Sed extra institutum nostrum est illa collatio. Non enim quærimus, quid faciant Hispani, sed an rectè faciant Galli?

Paragrapho. 3. asserit Fevretus, appellationibus ab abusu non solùm Laicis Clericos,

ricos, aut spirituales causas Curiarum sæcularium cognitioni non subjici; sed etiam ijs potiùs effici, ut spiritualia secernantur à temporalibus, & illa Ecclesiasticis, ista sæcularibus judicanda tribuantur, Curijs Regijs id tantùm exquirentibus, an de facto jurisdictio Regia, juspatronatûs Laici, & his similia læsa sint, & quæstiones omnes de rebus spiritualibus ad Ecclesiasticos Officiales liberè judicandas remittentibus. Minus esset inflictum Ecclesiæ vulnus, si limitibus illis verè circumscriberetur Regiorum Iudicum examen. Sed prærerquàm, quòd non magis, imò minùs ad laicos, quàm ad Ecclesiasticos pertinet, spiritualia à temporalibus, à sacris profana discernere. Testis est ipse Fevretus, quàm latè perrupti sint aggeres, quos hîc commemorat.

79. Adverte autem, quomodò hic Scriptor excurrat. Nam §. *superiori* dixerat, Curias sæculares non se immiscere judicijs Ecclesiasticis, nisi ubi usurpata fuisset jurisdictio Regia, hîc juspatronatûs ad laicos pertinens etiam in exemplum adducit materiæ appellationum ab abusu, quasi jus patronatûs sit aliquid profanum, ut & ipse loquitur, ad spiritualia nullatenus pertinens, de quo non possit Ecclesia sinè injuria Iudicum sæcularium sententiam ferre. Hîc tamen non subsistit, ut in toto ejus tractatûs decursu videre est.

80. *Paragrapho* 4. negat, confundi jurisdictiones, aut Ecclesiasticam à Regia ullo modo imminui; quia appellationes ab abusu inductæ sunt, inquit, ut sua cuique jurisdictio salva esset. Si is fuit primæ introductionis finis, ex eventu patet, eas contrarium sortitas esse effectum; ut sæpe diximus.

DISQUISITIO XVI.

Quid de Regalia, ejúsque extensione videatur sentiendum?

1. QVæ ab alijs Authoribus tantâ vi & energiâ sunt exposita, ut necquidquàm videatur ulteriùs desiderari posse, in jis præcipuè, quæ non tam *Iuris*, quàm *Facti* sunt, manum nostram ijs apponere supervacaneum, & tamen in quantum præsenti nostro instituto conducunt, ea penitus præterire; inconsultum arbitramur. In hoc genere est Regalia, quam Author *Regalis Sacerdotij* tum in hoc opere, tum *suâ de Gallia vindicata dissertatione 1.* nec non Author *Responsionis ad dissertationem Patris Natalis Alexandri* tam disertè exposuit, ac examinavit, ut vix occurrat, quod superaddi possit. Quare in hoc unicè enitemur, ut Lectorem excitemus ad tantorum virorum labores enucleatiùs expendendos. Nos verò discutiendas hîc suscipiemus difficultates sequentes: I. *In quo statu fuerit Regalia, & quibus fundamentis nixa sub* prima *&* secunda *Regum Francorum Dynastia?* 2. *Quis Regaliæ fuerit status sub* tertiæ *Dynastiæ Regibus Christianissimis ante, vel etiam post Concilium Lugdunense?* 3. *In quem statum reposita sit Regalia per Concilium Lugdunense?* Quibus corollarij loco subnectetur; *Cujus authoritatis sit, super Regaliæ extensione ferre judicium?*

§. I.

In quo statu fuerit Regalia, & quibus nixa sit fundamentis sub *prima* & *secunda* Regum Francorum Dynastia.

2. REgalia, juxta modernum Galliæ morem accepta, definiri potest: *Ius Regium fruendi redditibus Ecclesiæ vacantis, & conferendi beneficia curam animarum non habentia, quæ ab Episcopo conferri solent, donec novus Episcopus juramentum fidelitatis Regi præstiterit, investituramque bonorum Ecclesiasticorum ab ejus Majestate acceperit, ac Regias litteras Sacramenti sui testes in Rationum Principalium Commentarios referri, sive in Camera Computatorum Regesto conscribi curaverit, & mandatum ab ipsa impetraverit, quo manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri jubeat.* Hæc descriptio explicatur ac examinatur ab Authore *Responsionis ad dissert. Natalis Alexandri De jure Regaliæ art. 1. §. 1.* Vnde Author *Galliæ vindicatæ dissert. 1. §. 1. n. 2.* ait: jus Regaliæ *latè* sumptæ constari ex quatuor juribus, scilicet *eligendi, investiendi, beneficia vacantia conferendi, percipiendique fructus ac proventus temporales.* Cujusmodi proinde Regaliæ jus in Francia prætenditur subsistere ex duplici fundamento, nempe *Custodiæ*, ac *Feudi.*

FVNDAMENTVM I.

Regalia subsistens ex titulo Custodiæ Ecclesiarum.

3. AD hoc intentum probandum, inducitur Arnulphus Ruzæus *in tract. de jure Regaliorum 1. p. præfat. n. 5.* ita disserens: *Legimus in Veteri Testamento, quòd Rex Israel electus à Domino, & inunctus, deficiente Sacerdote, plerumque fungebatur ministerio Pontificis etiam ad præficiendos Ministros*; ut scriptum est de Davide *1. Paralip. cap. 24.* ubi David Rex quatuor Ministros præposuit. Idem de Salomone *3. Regum. cap. 1.* Et de Iuda Machabæo *in lib. Machab.* Et est textus Isidori *in Cap. Cleros. 21. dist.* Unde, si hoc fiebat in Lege Antiqua, à fortiori licet in Lege Gratiæ, in qua Reges Francorum Christianissimi Ecclesias Cathedrales tot annuis proventibus locupletárunt, & ornamentis decorárunt. Et propterea appellantur Protectores & Defensores Ecclesiarum Cathedralium, ut egregiè dicit Archidiaconus *in Cap. Lectis. 63. dist.* quòd Reges sunt Patroni Ecclesiarum Cathedralium. Sequitur Baldus *in Cap. Quantò. De judicijs.*

4. Quia porrò in traditione rei suæ quilibet

 potest

potest apponere pactum, quod vult, etiam in spiritualibus. *Text. & Gloss. in Cap. Eleutherius. 18. q. 2.* & ibi colligit Abbas *in Cap. Quantò. Extra. De censibus.* Fortiusque dicit Dominicus *in Cap. Cùm ex eo. in ult. notab. De elect. in 6.* quòd Rex fundans Ecclesiam, potest in creatione apponere onus, quòd occurrente vacatione, non spectet collatio, nisi ad posteros Gentis & familiæ suæ.

5. Pro cujus confirmatione facit etiam Glossa *in dict. Cap. Generali. verb. Fundatione. De elect. in 6.* dicens; quòd Patronus tempore fundationis potest disponere, ut fructus Ecclesiæ, quando contigerit, illam vacare, sibi spectent. Et istud tenet Innocentius *in Cap. Quoniam. Ne Prælati vices suas.* Sed collationes sunt in fructu. Glossa *in Cap. Cùm olim. De major. & obed.* Et sic potest Rex, qui est fundator Ecclesiarum Cathedralium Regni sui, apponere illud onus, quòd Sede vacante, fructus temporalitatis ad eum spectent, donec provisum fuerit plenè de successore. Quam rationem videtur assignare Textus *in dicto Cap. Generali. §. Si verò ibi rationis.* Et Glossa *in dicto §. Item. Quòd dicta quinta pars. Verb. Regaliæ. in titulo. De annatis in pragmat. sanct.*

6. Nec verò opus est, ut Reges in erigendo Ecclesiam, vel illam fundando, expressè reservent istud jus conferendi in vim Regaliorum: quia sufficit, ostendere, quòd Rex fuit dotator Ecclesiæ Cathedralis ad consequendum tale jus. Textus *in Cap. Significavit.* & *ibi* Cardinalis & Panormitanus *Extra. De testibus.* Et Glossa notabilis *in Cap. Si quis Basilicam. De consecrat. dist. 1.* Allegatur etiam *Cap. Dilectus. 3. De præbendis.* Ubi Rex est fundatus in jure conferendi præbendas, & alia beneficia non habentia curam animarum, ratione dotationis sinè alia reservatione. Quod ita expressè, & in individuo intelligit Panormitanus *in Cap. Postulásti. col. fin. De jurepatronatûs.* Et ratio est, ut Reges & Principes videntes, jura sibi benignè favere, adducantur ferventiùs, & animosiùs ad dotationes Ecclesiarum, & ædificationes. Ita Felinus Sandæus in eleganti tractatu; *Quando litteræ Apostolicæ noceant Patronis Ecclesiarum. in vers. Corroborari potest.*

Responsio.

7. AUthor *Responsionis ad Natalis Alexandri dissert. de jure Regaliæ art. 1. §. 3. à n. 19.* hunc in modum respondet, allegando inprimis Gelasium 1. *tomo de anathematis vinculo* ita decernentem: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti pariter Reges existerent, & pariter sacerdotes, sed cùm ad verum ventum est Regem, eundémque Pontificem, ultra nec Imperator Pontificis sibi nomen imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vindicavit.*

8. De Salomone *3. Reg. 8. ver. 64.* dicitur, quòd *in die illa sanctificaverit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum.* Num verò hinc concludere fas est, posse Regem in Nova etiam Lege offerre Sacrificium, seu consecrare Ecclesiam? Si reponatur. Salomonem non per se, sed per Sacerdotes illa præstitisse, & obtulisse sacrificia; num propterea, inferre licebit, eo quemadmodùm præallegati Reges ac Duces Antiqui Fœderis *locis supra citatis* leguntur præfecisse Ministros Ecclesiæ, mediantibus quibus sacrificia peragerent, sic par in Novo Fœdere sit Regibus Christianis potestas in præficiendis Ecclesiæ Ministris? At ne in Antiqua quidem Lege Reges solâ authoritate suâ id præstabant, sed conurrebat cum ipsis Ordo Leviticus; uti ex *præcitato Regum 24. cap. v. 6.* constat, ubi sic habetur: *Descripsitque eos Semejas filius Nathanael scriba coram Rege & Principibus, & Sadoc Sacerdote, & Abimelec filio Abjathar, Principibus quoque familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum &c.*

Nec porrò ratio illa, quòd Francorum Reges Ecclesias cathedrales annuis proventibus locupletârint, & ornamentis decorârint, indeque Ecclesiæ Protectorum ac Defensorum titulum consecuti fuerint, juvat ad protendendam in omnes Regni Franciæ Ecclesias Regaliam, quandoquidem certum sit, plerarumque dotem in decimis & oblationibus, alijsque juribus à Regibus non accepris esse positam, easque ab alijs, quàm à supremis Principibus esse fundatas & ornatas.

Quod verò ex Archidiaconi & Baldi authoritatibus producebatur argumentum, in eo detorquentur Authorum istorum verba ad sensum æquivocum, quam æquivocationem detegit celebris Canonista Gallicanus Rebuffus *in concord. tit. De Regia ad Prælaturas nominatione. §. 1. verbo Cathedralibus*, in hæc differens verba; Reges in Cathedralibus Ecclesijs sunt Patroni, Archidiacono tale *in Cap. Lectis. 63. dist. 1.* Baldo *in prooem. Decret. Rex pacificus. 2. n. 12.* & *in Cap. Quanto. in fine. De judicijs.* Quod est verum quoad protectionem Ecclesiarum, & rerum ipsarum. *Cap. Principes.* & *Cap. Res. 23. q. 5.* Sed non ut habeant potestatem eligendi, præsentandi, & nominandi Episcopos & Archiepiscopos in illis *Cap. Nobis. De jure patronatûs.* Cardinalis *in Cap. Imperium. in dist.* Vnde dicit Panormitanus *in Cap. Venerabilem. col. pen. n. 20. De elect.* quod Imperator est Advocatus & Defensor Ecclesiæ, non Patronus. Sequitur Roch. Curtius *in tract. De jurepatron. Verbo in Ecclesia. q. 1. &c.* Vide Meleret *in tract. De elect. fol. 139.* Boer. *in decis.* Burc. *q. 32. alia per not.* & *q. 46.* nisi eidem expressè concederetur à Papa nominandi facultas, ut hìc; aliàs superflua esset hæc concessio, & omnes Principes haberent hanc nominandi potestatem, quod non est verum, nisi expressè concessa fuerit, ut hìc patet.

Reliqua ex parte adversa *n. 4.* allata testimonia probant quidem, potuisse Reges Christianissimos in Ecclesiarum fundationibus

bus, cum Ecclesiæ consensu, conditiones honestas, quascunque vellent, apponere: easque conditiones esse implendas: sed probandum restat: tum quòd Rex fuerit *dotator cujusque Ecclesiæ Cathedralis ad consequendum tale jus*: tum quòd usumfructum omnium Bonorum, & decimas, & oblationes, & collationes beneficiorum pleno jure sibi, dum vacaret Sedes, reservaverit: quorum alterum quoad plerasque Ecclesias falsum est, alterum quoad omnes: *Docere debent Principes temporales*, inquit Probus *q. 4. 9. n. 6. se fore Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum fundatores, & constructores, quia si non appareat, nihil est: non enim sunt fundati in præsumptione Iuris.* Neque enim sola fundatio ad jus Regaliæ, nisi facta sit expressa ejus reservatio, sufficit; uti videtur etiam innuere Durandus *in Cap. Generali. verbo Fundatione.* Quinimò sufficeret forsan hodie probare, aliquem esse fundatorem Ecclesiæ, ut ei Iuspatronatûs vindicaretur: at jus Regaliæ, cùm sit admodùm extraordinarium, ex solo fundationis titulo, absque speciali reservatione non probaretur, quia Ruzæo *sub init. suæ præfat. in tract. De Regalis. jus Regalitorum est species excellentior, quàm Iurispatronatûs: eò quòd percipit Rex Sede Episcopali vacante id, quod perciperet Episcopus Sede repletâ &c.*

FVNDAMENTVM II.

Regalia subsistens ex titulo Feudi.

12. RVzæus *2. par. præfat. n. 1.* hanc in rem ita disserit. Illud illustre jus Regaliorum reperio competere Regibus Francorum ratione feudi vacantis: quia mortuo Episcopo, ex quo feudum revertitur ad Principem, ratione homagij, & juramenti fidelitatis, quæ præstantur à succedente in dignitatem, ex consequenti omnia beneficia, quæ ex feudo dependent, & erecta fuerunt, redeunt ad Regem. Pro ista opinione facit egregia decisio Cardinalis Florentini *in consil. 122.* incipiente. *Quidam habens feudum*; ubi *absolutè* censet, quòd, si de feudo dotetur beneficium, tunc Iuspatronatûs quæratur feudo, & non personæ. Igitur in quem transit feudum, transeunt & collationes beneficiorum. Hanc sententiam secutus est Felinus Sandæus *in Cap. Cùm venerabilis in 12. colum. Extra. De exceptionibus.* Hoc deducit latè Cardinalis *in prælegato loco.* Unde dicendum est, in consequentiam feudi vacantis, quod transit in Regem, jus conferendi beneficia data de suo patrimonio & feudo, Sede vacante, sicut transit feudum, cui illud jus adhærere videtur. *Argum. Legis In rem. §. Siquis rei suæ. ff. De rei vendicatione.*

13. *Secundò* facit, quia ex quo Rex est fundatus in jure dictorum Regaliorum in certa parte, videlicet in perceptione temporalitatis Sede vacante, reputatur fundatus in universo quoad collationes beneficiorum, quæ sunt in fructu, & connumerantur inter majores fructus Prælaturæ. Glossa *in Cap. Cùm olim. De major. & obed.* Ita *formaliter* Ioannes Andreas *in regula. Quod alicui. De regulis Iuris. in 6.* ubi dicit, sufficere, quòd is sit fundatus in certa specie Iuris, ad fundandum jus suum in universo, suffragaturque Abbas *in Cap. 1. Extrav. De religiosis domibus.* Adstipulatur etiam Probus *in Opere de jure Regaliorum q. 1.* Secunda, inquiens, Regaliæ species dicitur illa, quæ provenit ratione castrorum, terrarum, & domorum à Rege manantium, Ecclesiisque Cathedralibus & Metropolitanis spectantium, & tunc Sede vacante, Rex ratione hujus Regaliæ facit fructus suos ex temporalitate provenientes, quousque novus Episcopus Regi homagium fecerit: quod tenetur facere ipse Episcopus, nisi aliàs ei per Regem illud fuerit remissum. Quod quidem homagium fit, seu præstatur pro sola temporalitate.

Responsio.

AUthor *Responsionis ad dissert. Natalis Alexandri De jure Regaliæ cit. art. 1. §. 4. à n. 4.* hunc in modum respondet. Esto, Iuspatronatûs beneficiorum ex bonis feudalibus fundatorum ad Dominos feudi pertinere: attamen in Ecclesijs plerisque Franciæ deficit ille titulus. Et quia Episcopus ex propria dignitate & officio est Ordinarius beneficiorum suæ Diœcesis collator, non potest Regi Christianissimo ratione Iurispatronatûs tribui, nisi collatio (eaque non pleno jure, sed quæ Iurispatronatui convenit) beneficiorum ex Regio dominio delatorum, non autem eorum, quorum redditus constant ex decimis, oblationibus, aut alijs, quæ spiritualia nonnunquam appellantur, vel etiam ex fructibus Bonorum ab alijs, quàm à Regibus erogatorum. 14.

Nec verò, ex quo Rex est fundatus in certa parte Regaliæ, reputatur fundatus in universo, uti convincunt Regum Christianissimorum diplomata, & Senatûs Parisiensis arresta, quæ Regaliam in aliquibus Ecclesijs, quoad usumfructum duntaxat citra collationem beneficiorum, in aliquibus quoad certam tantùm reddituum partem, locum habere declarant; uti prætactus Author *art. 4. §. 31.* ostendit. Nec juvat Panormitanus ex parte adversa citatus *in Cap. 1. De religiosis domibus*, ubi cùm notâsset, Episcopum uno jurisdictionis ordinariæ articulo præscripto, alium præscripsisse censeri, exindè *n. 3. & 4.* subjungit. Ex dictis Innocentij potest colligi notabilis limitatio ad prædicta. Dicit enim, hunc textum procedere, quando iste locus, de quo erat contentio, erat in Diœcesi istius Episcopi, vel saltem non constabat, quòd erat in Diœcesi alterius, quasi notabiliter sentiat, quòd, ubi jus commune fundat intentionem alterius, per exercitium certi articuli probatur possessio universalis jurisdictionis; secùs autem, ubi locus pertinet ad alium, quia tunc possessio non extenditur ad articulos non possessos, ut in contrarijs. Hoc tamen li- 15.

mita, ut notat Innocentius *in Cap. Cùm dilectus. De capell Monach.*

16. Et hæc faciunt ad quæstionem quotidianam. Quidam Laicus longissimo tempore fuit in possessione præsentandi Rectorem in certa Ecclesia, tanquam Patronus, non potest probare se verum Patronum : *numquid per exercitium istius juris competentis Patrono probatur quasi possessio totius juris patronatûs, ut sic ex præscriptione istius actûs intelligatur præscriptum totum Ius patronatûs ?* Archidiaconus *in Cap. 1. De jurepatronatûs lib. 6.* tenet, quòd non: unde dicit, difficillimum esse, probare patronatum antiquum, quia per illius actûs præsentandi exercitium, solùm probatur possessio Iuris præsentandi. Sed contrarium & rectiùs sentit Ioannes Andreas *in Reg. Quod alicui. De regulis Iuris. in 6.* Quæ ipsissima nihilominùs Andreæ sententia intelligenda est sub ea cautela, quam ipsemet apposuit concludens, quòd exercitium unius actûs competentis Patrono, erat possessio Patronatûs, quod est regulare, ubi plures actus ab aliquo jure dependent. *Cap. 1. De Relig. domib.* Ex hoc, ex quo reliqui actus non apparent quasi possessi per alium, nec jus commune circa illud jus fundat intentionem alterius; *ut ibi dixi super Glossa penult.* Quandoquidem igitur regula illa, quòd *fundatus in uno articulo, sit fundatus in universo*, locum non habeat, quando articuli hujusmodi vel non sunt fundati in uno jure, vel stat præsumptio Iuris pro alio, quemadmodùm in Iurepatronatûs præsumptio Iuris stat pro Episcopo; idcircò illa regula extendi haud potest ad Regaliam; prout animadvertit etiam Probus *q. 26. n. 2. & 3.* jus illud (Regaliæ inquiens) tanquam odiosum, non est extendendum, utpote à jure communi exorbitans, jurisdictionemque Episcoporum, quam in beneficijs jure ipso communi habent, enervans &c. Tum præterea, quia jus Regaliæ est extraordinarium à privilegio, consuetudine, aut immemoriali tempore procedens; cùm privilegia, consuetudo, & præscriptio extra terminos suos extensionem non patiantur; prout latè probamus *in 2. prælud. tract. pension.* Et hinc notanter venit animadvertendum in ejusdem Probi ex adverso allegatâ sententiâ, quòd *ibidem* dicat, Regem illos duntaxat fructus ratione Regaliæ facere suos, qui proveniunt ex temporalitate, seu ex feudis à Rege ad Ecclesias collatis, sicuti etiam homagium fit, seu præstatur pro solâ temporalitate à Rege scilicet acceptâ. Nequit ergo Rex ex eo nomine sibi vendicare fructus bonorum non feudalium, nempe decimas, oblationes, ac beneficiorum collationem pleno jure: sed nec potest sibi adscíscere fructus bonorum feudalium in ijs provincijs, quæ jure scripto reguntur, in quibus scilicet Dominus feudi vacantis fructus suos non facit.

CONCLUSIO.

REgaliæ moderna extensio neque ex titulo custodiæ, neque ex titulo feudi fundatur in Jure.

Explicatur. Hanc enim Regaliæ extensionẽ nimiùm excedere tam quoad Ecclesias, quàm quoad effectus, luculenter patebit, si *in præf. §. initio* adducta Regaliæ descriptio conferatur cum ijs, quæ Ægidius Magister in Senatu Parisiensi Protopræses *tract. De Regal. cap. 1. in Illustriorum Iurisconsultorum tractatûs tom. 13. par. 2. circa finem* relatus scripserat; notandum est, inquiens, duplex esse Regaliorum genus: *primum* est de bonis temporalibus Ecclesiæ: *alterum* de spiritualibus. *Primum* competit Regi in omnibus Ecclesijs Cathedralibus sui Regni citra & ultra Ligerim. Hoc jure utitur Rex *primò* ratione feudi; omnes enim Episcopi fidem & obsequium ei exhibere tenentur pro temporalibus Ecclesiæ, etiamsi amortizata sint, quoniam amortizatio non liberat homines manûs mortuæ, quales sunt Ecclesiastici, à præstatione homagij; ut *aliàs* latiùs demonstratum est.

Secundò. Rex utitur eo jure ratione Custodiæ Ecclesiæ vacantis, quæ Regi competit jure communi. *Cap. Generali. De elect. in 6.* Ideoque quoties alicujus Cathedralis Ecclesiæ vacatio contingit in hoc Regno, solet Procurator dari Bonis, qui authoritate Regis possideat, donec Episcopus Successor fidem & homagium præstiterit, quod honoris gratiâ sacramentum fidelitatis appellatur, de quo docebitur in constitutione Regaliorum, quæ incipit : *Dum Episcopus.* Sicque accipiendum est, quod tradit Baldus *in præmio Decretalium. & in Cap. Quanto. De judicijs.* quòd Rex sit Patronus omnium Ecclesiarum Cathedralium sui Regni, quod sanè multos deduxit in errorem, ut notârunt Canonistæ *in Cap. Imperium. 10. dist.* Id intelligendum est de custodia & tuitione tantùm, non de collatione beneficiorum. Archidiaconus *in Cap. Ecclas. 63. dist.* Panormitanus *in Cap. Venerabilem. De elect.* In eamque rem extat præclara doctaque actio ad Senatum habita à Magistro Matthæo Chartier pro Regalijs, Cænomanni ultimâ die Ianuarij anno 1520. &c.

Post relatam Regaliorum constitutionem *Dum Episcopum &c.* Protopræses Ægidius in *dicto tom. 13. tractatuum par. 2. circa finem* relatus differit in hæc verba: Hujus constitutionis multa sunt capita notanda. *Primum* in his verbis : *Vbi Dominus Rex habet Regaliam*, quibus expresè significatur, Regi non competere jus Regaliæ in omnibus Episcopatibus sui Regni, sed tantummodò in nonnullis, ut patet ex constitutione Ludovici XII. promulgatâ anno 1499. cujus hæc sunt verba : *Præterea prohibuimus & prohibemus omnibus nostris Officialibus, ne possessionem Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumve beneficiorum, in quibus jus Regaliæ, aut custodiæ nobis non competit, invadant, sub pœna sacrilegij.* Deinde ex voluminibus Curiæ, Rationum

tionum libro, cui inscriptum est : *Qui es in cælis.* apparet, Regem non habere jus Regaliæ in omnibus Episcopatibus sui Regni, cujus libri sequitur forma : *Dominus Rex.* In provincia Auxitanensi & Arelatensi, & per consequens in tota lingua Ocitana nihil habet. Hoc libro satis liquidò confirmatur, quod *supra* dictum est. Notandum tamen est, ibi agi de Regalia temporalium, non spiritualium, ut his verbis designatur: *De Pictaviensi computatum fuit anno 306.* Ne autem possit intelligi de Regalia spiritualium, facit, quod addit, Regi non competere jus Regaliæ in Episcopatu Madovicnsi, Briocensi, Redonensi, qui sunt Britanniæ Episcopatus, in quibus notum est, Regem habere jus Regaliæ ratione temporalium vacantium, quemadmodùm habuerunt Duces Britanniæ, antequam Ducatus ad Regis patrimonium redactus esset, certumque est, eorum rationem quotidie iniri apud Curiam rationum Britanniæ. Pluribus equidem, sed frivolis profectò exceptionibus nititur Natalis Alexander enervare hoc Ægidij tam luculentum testimonium, quas tamen egregiè confutat Author *Responsionis ad ejusdem Natalis dissertationem §. 4. à n. 18.*

PROBATIO I.

In qua ostenditur, ex titulo custodiæ haud probari, Regaliam à *primæ* præsertim & *secundæ* Dynastiæ Regibus exercitam fuisse.

20. POtissimum ab hoc titulo desumptum argumentum nititur Regum circa electiones Episcopales authoritate, attributâ ijsdem per Concilij Arelatensis V. anno 549. celebrati Canonem 10. ubi decernitur : *Ut nulli Episcopatum præmijs, aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis, juxtà electionem Cleri ac populi.* Verùm ex isto Canone patet, non tam electionem, quàm hujus placitum Regi fuisse attributum, si tamen verba illa *cum voluntate Regis* non irrepserint dicto Canoni, quemadmodùm Sirmondus testatur, eas abesse à Codicibus Fossadensi, Bellovacensi, & Filiano. Quicquid verò sit de hoc, Petrus de Marca *2. tom. Actor. Cleri Gallicani par. 2. tit. 6.* scribit, inveniri quidem apud Gregorium Turonensem, Reges aliquando nominâsse Episcopos à Clero & populo posteà eligendos, sed hoc ad Regaliam nequaquam pertinere.

21. Idem Author *lib. 8. de concord. sacerdotij & imperij cap. 18. n. ult.* varijs Conciliorum Gallicanorum testimonijs probat, reditus patrimoniorum Ecclesiæ vacantis nunquam pertinuisse ad Principes. Huc facit Parisiensis Concilij V. Canon VII. ita se habens : *Defuncto Episcopo, Presbytero, vel Diacono, vel quoquam junioris Ordinis Clerico, non per præceptum* (scilicet Regium) *neque per Iudicem, nec per qualemcunque personam res Ecclesiæ vel eorum propriæ, quousque aut testamentum, aut qualemcunque obligationem fecerit, cognoscantur, à nullo penitus supra scriptæ res contingantur, sed ab Archidiacono, vel Clero in omnibus defensentur, & conserventur. Quòd si quis immemor definitionis hujus, temerè aliquid exinde auferre præsumpserit, aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, & de dominatione Ecclesiæ abstulerit, ut necator pauperum communione privetur.*

Adversùs hunc Canonem plura, sed frivola movet Natalis Alexander, quæ præfatus Author *responsionis ad hujus de Regalijs dissertationem cit. art. 1. §. 4. à n. 4.* insigniter confutat, contra eundem Natalem etiam faciunt *sextus* Concilij Aurelianensis 11. anno 536. & Concilij Regensis in Provincia anno 639. æque *sextus* Canones, quibus sancitur, *ut defuncto Episcopo, vicinus Antistes ad ejus exequias celebrandas accedat, Bona ab ipso relicta inspiciat, describat, recenseat, domúmque Ecclesiæ descriptam idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat* : claro sanè argumento, Episcopalium Ecclesiarum fructus, Sede vacante, non transijsse in jus Regium. 22.

Hinc memoratu digna sunt, quæ ulteriùs scribit Apamiensis Episcopus in *suo de Regalia tractatu cap. 6. edito Coloniæ* anno 1680. Nempe quòd Injuriosus Turonensis Episcopus, Clothario Regi jubenti, ut omnes Regni sui Ecclesiæ tertiam partem redituum fisco solverent, Apostolicâ libertate restiterit : quòd S. Germanus Parisiensis Episcopus, Segebertum Regem ob quædam Ecclesiæ Bona, in modica licèt quantitate, occupata, excommunicaverit : quòd Childericus Rex Bona Ecclesiæ diripiens infaustâ morte fuerit extinctus : quòd denique Clodovæus II. aliquibus S. Dionysianæ Basilicæ Bonis direptis, in amentiam inciderit. 23.

Huic intento nostro deservit etiam, quòd Natalis Alexander à præcitato Authore *§. 4. n. 32. ac seq.* relatus fateatur, quòd *primæ* nempe Merovingianæ stirpis Regibus Francicis eatenus fuerit jus custodiæ, ac defensionis Ecclesiarum, ut simul tamen compulsus sit, profiteri, quòd jus Regaliæ non exercuerint, prout Reges *tertiæ* Dynastiæ id exercuerant, claro sanè argumento, custodiam ac defensionem Ecclesiarum non esse legitimum Regaliæ titulum, nec solidum præbere hujus contra Concilij Generalis Lugdunensis prohibitionem extendendæ fundamentum. 24.

PROBATIO II.

Petita ex *vigesimo quinto* Canone Concilij Chalcedonensis.

ITa se habet iste Canon : *Reditus verò viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ, placuit.* Hic Canon habetur insertus codici Canonum, quo utebatur Ecclesia Gallicana. Hæc disciplina confirmata est in Concilio Aurelianensi II. & in Concilijs Hispanis, Valentino & Ilerdensi : fuitque teste Hincmaro *epist. 9. ad Episcopos & Proceres provinciæ Rhemensis cap. 41.* item *epist. 29. ad Carolum, Calvum, & alibi*, observata in Gallijs. Et 25.

hinc non tam miranda, quàm ex propriis verbis suis coarguenda est Natalis Alexandri responsio, prætendentis, Canonem illum Concilij Chalcedonensis, etsi Codici Canonum Ecclesiæ Gallicanæ sit insertus, non ideo in Ecclesia Gallicana statim receptum, & constanter observatum videri. Quid ni enim ipsissimis hisce verbis dicatur contineri illius intrà Galliam Canonis receptio, per hoc vel maximè patens, quòd insertus fuerit codici Canonum Ecclesiæ Gallicanæ, constanter adeò ex sanctæ Religionis motivo observandus?

26. Replicat equidem Natalis Alexander, præter Oeconomos, qui sub *tertia* Regum Francicorum familia, Ecclesiarum vacantium Bona servabant, Christianissimos Reges custodiæ ac defensionis jure illa sub manu sua tenuisse, donec Episcopus electus esset, cui illa concederet, à quibus Oeconomos illos, quorum non erat authoritas tanta, ut invasorem Bonorum Ecclesiæ cohiberent, suâ fultos esse potestate, ac tuitione, atque hoc nomine fructus vacationis tempore provenientes percepisse, aut certè percipere potuisse, &c.

27. Verùm ipsissima hæc replicatio causæ infirmitatem nimis apertè prodit; veluti Author *prætactæ responsionis* expendit, animadvertens, à Natali Alexandro duo *ibi* distingui genera custodia um; quarum *altera proxima* erat, & *immediata*, pertinens ad Oeconomos Ecclesiarum, de qua is Natalis pergebat scribere: *Oeconomos servâsse Bona, ut eorum distractionem, vacante Sede, prohiberent, ac invigilarent, ne à viris potentibus occuparentur, chartâque, ac documenta donationum, & comparationum &c. diligenter conservâsse, greges, servos, suppellectilem omnem cùm sacram, tum profanam, Ecclesiæ thesaurum, annonam ad Clericorum, viduarum, ac pauperum alimenta congregatam, custodijsse.* Altera custodia erat *extrinseca* tantùm & *remota*, ac Principum propria, quorum, dicto Natali teste, partes erant, *ut quoniam Oeconomorum non erat authoritas tanta, per quam invasores Ecclesiæ cohiberent, illos suâ fulcirent potestate, ac tuitione.* Hæc igitur, licèt ita se haberent, si æquâ pensarentur ratione, admirationem justissimam relinquerent, quomodò ex hoc præciso custodiæ, quibusvis etiam subditis debitæ, titulo fas fuisset Regibus, vacantis Ecclesiæ fructus sibi vendicare? Quomodò enim non majus hinc Ecclesiæ dispendium paterentur, quàm æstimari posset illud de Bonis Ecclesiæ diripiendis remotum, imò nullum periculum, quamdiu Reges publicæ securitati, uti debent, consultum vellent?

28. Num fortassis tanti pensandum videtur periculum illud, quod in Concilij Troslejani *can. 14.* hisce verbis describitur: *Quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo, non à quibuscunque potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ, quasi Episcopi fuerint propriæ, cùm etiamsi ejus essent, contra jus omne id fieret: hoc tam immane sacrilegum facinus, & jam sæpius factum dolemus, & ne ulteriùs à quolibet præsumatur, authoritate Dei & Sanctorum ejus, qui cum illo regnant in cælo, nostro etiam Episcopali ministerio &c. interdicimus?* Verùm ad hoc periculum declinandum, non ex refugio ad Regiam custodiam (cujus quidem ne apicis in eo Canone fit mentio) tantum Ecclesiarum dispendium inferente, sed ex ipsusmet Episcopalis authoritatis remedio prospectum fuit; veluti insuper ex alijs ibidem allegatis Canonibus patet, quorum unus, idque *undecimus* in Concilio Valentino editus ita se habet: *Hoc etiam placuit, ut Episcopo ab hoc sæculo, jubente Domino, accersito, Clerici ab omni supellectili, vel quæcunque sunt in domo Ecclesiæ, vel Episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui nisi Canonum authoritate cohibiti fuerint, omnia, quæ permanserint, Metropolitani, vel omnium comprovincialium Sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur: ut nihil Antistiti, vel Dispensatori futuro necessarium, ab hac justa constitutione depereat. Quod ut confidentiùs justitiâ manente servetur, secundùm Regensis Synodi constituta, Episcopo è corpore recedente, vicinior illi accedat Episcopus, qui ex more, exequijs celebratis, statim Ecclesiæ illius curam districtissimè gerat &c.* An non igitur ex hujus Canonis verbis liquidissimum evadit, custodiam Ecclesiæ Episcopalis vacantis fuisse demandatam viciniori Episcopo? Quomodò autem mos ille pessimus in Episcoporum defunctorum spolijs diripiendis invaluisset potuisset, si Ecclesiarum vacantium custodia, sub tanto præsertim proventuum impendio, incubuisset Regiæ Coronæ?

Unum coronidis loco dignissimum est, ut hîc adducatur, Formosi scilicet Papæ pro Ecclesia Rhemensi Rescriptum à Flodoardo *lib. 4. hist. Rhem. cap. 4.* relatum sub hoc tenore: *Sancimus insuper authoritate B. Petri, ut nemo Regum, nullus Antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Rhemorum Episcopo, ipsum Episcopatum, vel res ipsius Ecclesiæ suis compendijs applicet, neque sub dominio teneat, præter ipsius civitatis Episcopum, & eandem Metropolim; non ultra constitutionem Canonicam sinè regulis conveniente Pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem, nisi ut sacri Canones jubent, constitui faciat.* Hæc equidem, uti cætera, dilucere conatur Natalis Alexander, sed exceptionibus meo judicio adeò imbecillibus, ut indignum arbitrer, ijs immorari, remittens lectorem ad ea, quæ præinsinuatus Author in *responsion. ad ejusdem Alexandri de jure Regaliæ dissert. art. 2. à §. 4. & 14. speciatim 17.* lotiè deducit.

PROBATIO III.

Quâ expenditur, in quantum Regalia fundetur in jure Feudali?

NOn diffitemur, quòd ipsemet etiam Clodovæus Galliarum Rex Ecclesias Regni sui agris fiscalibus dotârit. Sed quæ hinc debebatur Regi recognitio alia, quàm exter sancita *Canone 5.* Concilij Aurelianensis, ubi sic

sic decernitur: *De oblationibus, vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesijs suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus, Deo inspirante, contulerit, ipsorum agrorum, vel Clericorum immunitate concessâ, id esse justissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimonijs Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.* Num verò dicere fas est, Clodovæum sibi reservâsse jus aliquod Feudale, dum tamen prætactus Concilij Aurelianensis Canon testatur, illum Regem agris, quos contulerat Ecclesijs, concessisse immunitatem?

31. Quæ postmodùm à Principibus, Arianâ præsertim hæresi infectis, adversùs Bona Ecclesiastica fuerunt attentata, in exemplum trahere, ac non potiùs execrari, esset res indignissima. Superâsse in hoc malitiæ genere videtur universos Carolus Martellus Dux Francorum, qui reditus Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum concesserat Nobilibus, qui suas facultates in bello adversùs Saracenos exhauserant: sed hanc Bonorum Ecclesiasticorum direptionem resarciebat filius ipsius Pipinus, de quo *in epist. ab Episcopis provinciarum Rhemensis, & Rothomagensis in Synodo apud Carisiacum congregatis descriptâ*, post enarrationem horribilis de Martello ad infernales pœnas detruso visionis ita habetur: *Quod cognoscens filius ejus Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio Legatus Apostolicæ Sedis Georgius nomine. Nam & Synodum ipsam habemus, & quodcunque de rebus Ecclesiasticis, quod pater suus abstulerat, ut potuit, Ecclesijs reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesijs, à quibus ablatæ erant, restituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit; precarias fieri exinde ab Episcopis petijt, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casula duodecim denarios ad Ecclesiam, unde res erant beneficiatæ, sicut in libro Capitulorum Regum habetur, dari constituit, usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent.*

32. Hanc restitutionem prosecuti sunt posteà Carolus Magnus Nepos, & Ludovicus Pius Pronepos Pippini. Carolus equidem Magnus insignia Regni sui territoria & castra Episcopatibus & Abbatijs contulerat in Feuda sub onere militiæ ex talium feudorum reditibus secundùm portionem cuique congruam præstandæ; uti constat ex Synodo Suessionensi anno 745. celebratâ, scribitque de ipso Natalis Alexander ad annum 777. quod *Sciens, Regnum esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc illo incommodo jactari, nisi consilio & fortitudine, velut quibusdam Medicis, sanias accepta tutetur: Episcopos quidem, modo, quo decuit, sibi devinxit. Ordinavit autem per totam Aquitaniam Comites, Abbatesque, nec non alios plurimos, quos Vassos vulgò vocant, ex genere Francorum, quorum prudentiæ & fortitudini, nullâ calliditate, nullâ vi obviare fuerit tutum, eisque commisit curam Regni, prout utile judicavit, finium tutamen, villarumque Regiarum totalem provisionem.* Scribit etiam Wilhelmus Malmesburiensis *lib. 5. de gestis Regum Anglorum. Carolus Magnus*, inquiens, *pro contundendâ gentium illorum* (id est Germanorum) *ferociâ, omnes pene terras Ecclesijs contulerat, consilioissimè perpendens, nolle sacri Ordinis homines tam facilè, quàm laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea, si laici rebellarent, illos posse excommunicationis authoritate, & potentiæ severitate compescere.*

Quòd si ergo hoc consilio factum est, ut 33.
plurimæ, & copiosissimæ terræ Ecclesijs conferrentur in feudum, num idcircò ex hoc titulo feudali fas est, emolumenta Regia latiùs extendere, quàm feudi conditiones & pactiones præscribunt: quemadmodùm in Germania receptum est, plerolque Episcopatus & Abbatias ratione feudorum Regiorum obstringi tum ad debitam eorundem fidelitatis homagio recognitionem, tum ad suam portionem in Regiæ, seu Imperatoriæ militiæ impendia contribuendam, nequaquam tamen hinc prætendi potest facultas, proventus vacantium Episcopatuum, seu Abbatiarum Regio fisco addicendi, beneficiaque ac præbendas curæ animarum expertes interim conferendi.

Negari equidem haud potest, à posteris 34.
Regibus fuisse nonnulla in beneficijs Ecclesiasticis attentata, quæ Natalis Alexander perperam detorquet ad stabiliendæ Regaliæ argumentum, prævalidè tamen confutatur ab Authore *responsionis præcitatæ art. 3. à §. 5.* Nihilominùs contra ejusmodi molimina, quantum fieri potuit, se opponebant Episcopi; uti probat etiam *Canon 18.* Concilij Meldensis anno 845. celebrati, quo sancitur, ut *præcepta illicita jure beneficiario de rebus Ecclesiasticis facta à vobis* (Regiâ scilicet Majestate) *rescindantur, & ut de cætero non fiant, à dignitate vestri Nominis Regij caveatur.* Quæ verò fuerint ista Regia præcepta illicita, exponit ejusdem Concilij *Canon. 22* ita se habens: *Præcepta autem Regalia super precarijs Ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec authoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in jure Ecclesiastico firmare, indignum judicet, necesse est, Majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico Rectore petantur.* Unde liquidò constat, quantâ curâ & sollicitudine fuerit à viris Ecclesiasticis tunc temporis prospectum, ne Regia potestas prætenderetur super Ecclesiasticis juribus.

Carolus equidem Magnus *in Capitulari* 35.
1. cap. 2. per Ludovicum Pium posteà renovato, sanxerat, ut Episcoporum electiones fierent à Clero & populo. Attamen hoc immutatum fuisse posterioribus temporibus, constat ex *Can. 8.* Concilij Meldensis, in quo talis electio permittitur Regi, ita tamen, ut perperam hinc Natalis Alexander evincere contendat, ac si investitura fuisset concessa Regibus, cùm tamen ne umbra quidem alicujus ad hoc asserendum argumenti ex ejus Canonis verbis appareat. Cedro denique digna est Ludovici Pij Imperatoris pietas apud Flodoardum *lib. 2. hist. Rhemensis cap. 19.* Bonorum Ecclesiæ Rhemensis tempore vaca-

vacationis usurpatorum restitutionem facientis *cum cunctis impendijs, quæ ex rebus & facultatibus ipsius Ecclesiæ & Episcopatûs Rhemensis, Aquis, palatio à Regio peragi & exsolvi solitum fuerat. In eleemosynam Matris, & pro remedio animæ Domini ac Genitoris nostri, atque cæterorum Prædecessorum nostrorum, qui eundem Episcopatum contra salutem suam aliquamdiu tenuerant, & in suos usus contra Ecclesiasticas regulas res ac facultates Ecclesiæ ipsius expenderant.* Et hinc maximo vitio vertendum est Natali Alexandro, quòd ex nulla solidâ ductus ratione, & ideo ab Authore *præinsinuatæ responsionis art. 3. §. 13. à n. 9.* prævalidè confutatus, Episcopatuum investituras sibi adsciverit, cùm tamen Rex iste Caroli Magni Capitulum de electionibus Episcoporum à Clero & populo faciendis, noscatur confirmâsse; uti *supra* visum est.

36. Sed neque absque magna sui confusione idem Natalis profert *Cap. Hadrianus*, & *Cap. In Synodo. dist. 63.* relatum Canonem, quasi Hadrianus jus investituræ contulisset Carolo Magno, cùm ipsemet tamen Natalis fateri compellatur, eam Synodum Romanam, in qua id concessum supponitur, esse fictitiam. Quare fictitio huic Canoni opponitur Canon Synodi VIII. Generalis *in Cap. Hadrianus. 22. eâd. dist. 63.* à Gratiano relatus ita se habens: *Promotiones, atque consecrationes Episcoporum concordans prioribus Concilijs, electione ac decreto Episcoporum Collegio fieri, sancta hæc & Universalis Synodus definit & statuit, atque jure promulgat, neminem laicorum Principum, vel Potentum semet ingerere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata & incongrua fiat confusio, vel contentio, præsertim, cùm nullam in talibus potestatem quemquam Potestaticorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat &c.* Ex quibus universis tandè elucet, nullo niti fundamento, illud Gallorum principium, ac si jus Regaliæ esset coævum Coronæ Regiæ, ex quo Christiano charactere insignita fuit.

PROBATIO IV.

Quâ proximè adductum principium confutatur ex Authore *Galliæ vindicatæ dissert. 1. §. 5. n. 1.*

37. QUòd jus Regaliæ sit Regiæ potestati Gallicæ insertum & coævum, cælesti quodam dono datum, passim supponunt Authores Gallicani, estque hæc præcipua (ut cum illo *Galliæ vindicatæ* Authore per totam probationem istam loquar) demonstratio, quam edictum Regium anno 1673. editum insinuat, & Regij Advocati verbis magnificis, sed veritate vacuis exaggerant. Si equidem Regij per jus illud intelligant facultatem aliquam, & privilegium Galliæ Regibus ab Ecclesia concessum, verum est, Regaliam jus Regium esse: at non sequitur, hoc jus illimitatum esse, & toto Regno diffusum; cùm in Concilio Lugdunensi Ecclesia illud restrinxerit, & ijs solùm locis concesserit, ubi longâ consuetudine receptum fuerat; quo ergo jure, quod Ecclesia restringit, ipsi extendunt? Si verò per jus Regium, potestatem aliquam intelligas ab Ecclesia independentem, non privilegio, non indulgentiâ datam, sed Coronæ, & Imperio ingenitam, alijsque Regijs juribus similem, qualia sunt, belli, pacis, militiæ, vectigalium jura; negandum omninò est, Regaliam jus Regium esse; jus enim percipiendi vacantium Ecclesiarum fructus (saltem si feudales excipias, in provincijs, ubi ex consuetudine post mortem Vasalli Domino debentur) & præsertim beneficia, & Canonicatus conferendi, non ad Regiam, sed Ecclesiasticam dignitatem pertinet, & ideo supra Canones & concessionem Ecclesiæ extendi haud potest; quid enim magis ad Ecclesiam pertinet, quàm Ecclesiæ Ministros deligere? Ex istorum enim virtute & præstantiâ non minùs Ecclesiæ disciplina, quàm ex militum delectu victoria pendet: nec minùs absurdum est, dicere, Regiæ potestatis officium esse, Sacerdotes, & Ministros Ecclesiæ dare, quam ad Ecclesiasticos pertinere, ut milites conscribant, Duces præficiant, tentoria metentur, aciemque instruant; quòd si hoc absurdum, illud multò magis.

Cùm verò dicunt, hoc privilegium Coronæ Gallicæ cælitùs advenisse, miracula narrant nullibi scripta, & nunquam lecta. Lego ampullam balsamo plenam, & clypeum aureis ilijs sparsum, cælo demissa esse. Regaliæ nulla mentio, & si argumentari ratio esset, quid non tandem Galli sibi vindicent obtentu cælestis privilegij? Sed ex ijs, quæ *supra* diximus, vanitas hujus rationis evidenter convincitur; ostendi enim *supra*, sub primis & *secundi* stemmatis Regibus, nullum Regaliæ vestigium observari, imò neque sub primis Regibus *tertij* stemmatis, usque in sæculum ferè duodecimum, ut testimonio Gerberti *epist. 118.* Archiepiscopi Rhemensis monstratum est. Quî ergo fieri potest, Regaliam Monarchiæ Gallicæ coævam, & ingenitam esse, quæ tanto post tempore, sexcentis videlicet annis à baptizato Clodovæo exorta est?

Rursum jus istud Regaliæ non à solis Galliæ Regibus, sed etiam à Regibus Angliæ, alijsque inferioris lineæ Principibus usurpatum est, videlicet: (vide Matth. Paris. & Guilielm. Pis. *ad annum 1089.* Zonar. *Tom. 3. Annal.* Balsamonem *in can. 35. sexta Synod.* Alteserram *lib. 3. de Ducib.* Gonzal. *ad cap. 4. de Offic. Ordinar.* Marcam *l. 8. cap. 18. & cap. 27.* Bolluc. *ibid. in annotat.* M. de Pamiers *de la Regale f. 22.*) Comitibus Britanniæ, Flandriæ, Andegaviæ, Campaniæ, Sabaudiæ, Tolosæ, Narbonæ: Ducibus etiam Normanniæ, Aquitaniæ, alijsque. Non potuit ergo solius Monarchiæ Gallicæ privilegium esse, quod ad alios æquè Principes pertinebat; nec ostendi potest, cur istis minori jure, quàm illi competeret; nam si Galli cælestè privilegium obtendant, obtendent & alij eodem, pariquè fundamento; hoc est, obtendent quidem, sed non ostendent. In Concilio Lugdunensi jus Regaliæ ijs tantùm locis, ubi usu inoleverat, permissum,

permissum, aliis omnibus sublatum est: nec Galli, qui frequentes aderant, & præsertim Philippi Audacis Legati, quidquam obstitêre; non ergo credebant, jus istud Coronæ Gallicæ proprium, & innexum esse, alioquin non ferrent illud violari, restringique, aut saltem repugnarent, & aliquas rationes, ac privilegia opponerent, præsertim cælo lapsa; quis enim credat, sexcentos annos, & in re tanti momenti, Galliam omnem cæcam, mutamque fuisse, & tot sæculorum decursu, ne unum quidem tantum hoc privilegiũ scriptis, aut memoriæ commendâsse? A quibus ergo moderni illud accepêre, antiquitate silente? Et si jus istud Coronæ adunatũ est, cur Gallicæ tantùm, non etiam Hispanicæ, Anglicæ Lusitanæ, aliisque? Jura enim Regia non tantùm uni Coronæ, sed omnibus communia sunt. Cur denique jus istud Regium in tot alijs Galliæ Provincijs, quæ Coronæ subjacebant, nunquam exercitum, acceptumque, quod *supra* ostendimus? Ipse Philippus Pulcher, quamvis Regaliam jus Regium appellaverit, aliquoties testatus est, eam universalem non esse. (Philippus Pulcher *in edicto de anno 1302. & 1303.*) sed ad aliquas tantùm Regni sui Ecclesias pertinere; ut *supra* vidimus. Ex quibus omnibus nemo non videt, primam illam, præcipuamque Regiorum rationem, & cui velut basi ingentem illum Colossum imponunt, planè frivolam esse, vanamque, ut mirum sit, imò indignum tanto Regi decipiendo adhibitam esse.

40. Ex quibus ruit altera quoque Gallicorum prætensio, ac si jus Regaliæ neque a Regibus alienari, neque ab alijs præscribi posset, cùm pertineat ad jura Coronæ, quibus Reges renunciare non possint, adeò, ut ne juramenta quidem valeant, quæ hujusmodi alienationibus confirmandis adhibentur; veluti Innocentius III. *in Cap. Intellecto. De jurejurando.* sanxit.

41. Verùm *præcitatus Galliæ vindicatæ* Author *dicto §. 5. n. 6.* reponit sequentia. Sunt equidem aliqua jura Regiæ dignitati adeò intima, & innexa, ut deponi non possint, nisi abdicatâ Majestate; qui enim jure belli, & pacis, indicendi, remittendique tributi, gratias, & supplicia statuendi cederet, non Rex, sed subditus esset, nec suo, sed alieno imperio viveret; & hujusmodi jura non posse alienari, ultrò concedimus: sed negamus, Regaliam tale jus esse; quot enim Reges sinè hoc jure vivunt, integrâ tamen, & florente Majestate? An Clodovæus, Pippinus, Carolus Magnus, alijque usque ad Ludovicum VII. Reges non erant, quia Regaliæ expertes? Non ergo Regalia ejus naturæ jus est, sinè quo conservari Majestas non possit. Sunt alia, quæ ad Regium jus pertinent, quæque in causas prophanas alienari non possunt, sed in sacras, præsertim Ecclesias: quæ enim in Deum transferuntur, ejusque Divinæ gloriæ prorogandæ adhibentur, non alienari, sed ei, cujus alias sunt, reddi censentur: nec hujusmodi donationibus Regna, & ærraria minuuntur, implentur potiùs, Deo nunquam ingrato, & semper beneficijs vincente, quod exempla Constantini, Clodovæi, Caroli Magni, aliorumque satis ostendunt: *Tuum Domine Regnum* (inquiebat *1. Paralip. cap. ult.* pijssimus David) *tua victoria, & tu es super omnes Principes, tuæ divitiæ, & tua est gloria, & tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

42. Hæc ergo, quæ Ecclesijs, alijsque pijs causis à Regibus donata sunt, non posse revocari, certa sententia est, & à Gallis admissa; hi enim antiquos Canones venerari se profitentur, & illis libertatem suam Gallicanam, velut basibus imponunt, at Canones Concilij VIII. Oecumenici *can. 18.* ita loquuntur: *Placuit huic sanctæ & magnæ Synodo, ut res, vel privilegia, quæ Dei Ecclesijs ex longa consuetudine pertinent, sive ab Imperatoribus, sive ab alijs Dei Cultoribus, in scriptis, vel sinè scriptis donata, & ab eis per triginta annos possessa sunt, nequaquam quæcunque persona sæcularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat. Quisquis ergo sæcularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria privilegia restituerit, anathema sit.*

43. Idem suis Nepotibus S. Ludovicus *in pragmatica sanctione de anno 1268.* accuratè enixèque commendat, ejus verba sunt: *Item libertatem, Franchisias, immunitates, jura & privilegia per Francorum Reges Prædecessores nostros, Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis Regni nostri concessas, & concessa, innovamus, laudamus, approbamus, & Officiarijs, ac subditis nostris præsentibus & futuris districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnia, & singula attentè servent &c.*

44. Idem sanctus Rex Philippo Audaci filio hæc monita teste Join Ville *in vita* reliquit jam moriturus: *Cave*, inquit, *ne libertates, & privilegia à Majoribus tuis in subditos collata unquam infringas &c.* Et planè gloriolus *Christianissimi, & Primogeniti Ecclesiæ filij* titulus hoc ipsum convincit, obstringitque Reges Galliæ, privilegijs, alijsque juribus Ecclesias ne exuant, quin potiùs augeant, dotentque; idque Majorum exemplis, quibus nunquam magis victoriæ, opesque abundabant, quàm cùm in Ecclesias profusi erant; & verò hostes tanti Regis, non amici sunt, qui omnium, quotquot in Gallico diademate fulserunt, pulcherrimam margaritam fœdare aggrediuntur, pietatem videlicet ac Religionem Regibus Franciæ præcipuam: & perinde, ac si cum Indorum, Persarumque, non Christianissimo Rege agerent, omnia utilitate metiuntur, nullâ Ecclesiæ & honesti curâ. Ergo, ut dicebam, etiamsi daremus, Regaliam ad jus Coronæ pertinere, non ideo sequeretur, non potuisse illam in Ecclesias privilegio transferri, & ab istis præscribi, præsertim cùm Reges Galliæ eâ die, quâ sacro Oleo inunguntur, incinguntque diadema, solenni sacramento se obstringant, Episcopis, & Ecclesijs Canonica privilegia conservandi; at verò, quod privilegium magis Canonicum esse potest, quàm

quod tot Canonibus, Decretisque Patrum,& præsertim ultimo Lugdunensi Concilio, tam sanctè Ecclesijs assertum, & gravissimis pœnis sancitum est? Regem ergo sacrilegum faciunt potentiæ obtentu. Cæterùm & illud in viris eruditis,quales sunt,quiRegaliam extendunt, mirum est, in re tanti momenti, & Principis animam implicante, tam levi, vanoque argumento niti,ut quod probare oportebat, supponere cogantur: *Non potest*, inquiunt, *Rex jura Gallicæ Coronæ alienare, nec Ecclesiæ ea præscribere.*

§. II.

In quo statu fuerit Regalia sub *tertia* Dynastia seu stirpe Regum Franciæ ante Generale Concilium II. Lugdunense?

45. REgaliæ jus ex hoc etiam argumento videtur meritò suspectum, quod ejus origo perquàm obscura, imò indagatu difficillima sit. Pasquierius *lib. 3. disquisitionum cap. 35. pag. 284.* ait, neminem adhuc se vidisse, qui ejus originem indicaverit. Ipsummet fatetur Natalis Alexander *in suis selectis ad sæculum 13. & 14. par. 3. Si quid*, inquiens, *in historia nostra obscurum est, id inprimus de hâc Regaliæ materiâ prædicandum.* Subdit, alios ad Aurelianense Concilium sub Clodovæo, in quo id privilegium Clerus ipsi concesserit, ejus referre exordia: alios reducere originem Regaliæ ad Romanam sub Hadriano I. Synodum, in qua Pontificem, ut Carolo Magno gratificaretur, potestatem conferendi omnium Episcopatuum investituras, ejus Majestati concessisse. At unius Gratiani fultam testimonio, vel Sigeberti potiùs commento, ruere fictitiæ istius Synodi historiam.

46. Hanc in rem facit, quod Renatus Chopinus *lib. 1. de sacra politia tit. 7. n. 9.* asseruit. *Novum*, inquiens, *putet quispiam, ex Regijs tabulis solùm, patrijsq; Senatûsconsultis peti hanc à nobis Regaliorum tractationem, nullâ subjunctâ priscarum rerum memoriâ, externâq; disciplinâ, sed meminerimus, Regalia hæc esse, nostratúmque Regum, Senatoriàque placita veriùs, quàm descriptis initio certæ artis præcepta constituta.* Sub qua proinde circa Regaliæ ortum caligine conabimur, ejusdem sub *tertia* saltem Regum Francicorum Dynastia fundamentum aliquod indagare tum ex jure investituræ, tum ex Concilio Lateranensi, ac privilegio Calixti II.

FUNDAMENTUM I.

Pro Regaliâ à *tertiæ* Dynastiæ Regibus Christianissimis usurpatâ adduci solitum ex jure investituræ.

47. NAtalis Alexander *in sua de jure Regaliæ dissertatione* arbitrabatur, jus Regaliæ æquiparari investituris, ac aliorum feudorum juribus. At Christianissimos *tertiæ* Dynastiæ Reges ante Lugdunense II. Concilium contradicente nemine,exercuisse jura investituræ, constat ex historia. Fervente equidem controversiâ de investituris, earumque solennitate per baculum & annulum, Sedis Apostolicæ, frequentiumque Synodorum decretis damnatâ, hominiorum etiam ab Episcopis, cæterisque sacratis viris præstatione, pro Ecclesiasticis honoribus sub pœna etiam excommunicationis prohibitâ, cùm Henricus Imperator, & Henricus alter Angliæ Rex, & solennis investituræ morem pertinaciter retinerent, & hominia exigerent, Philippum I. Regem Christianissimum Sedis Apostolicæ ac Synodorum decretis gerendo morem, investituræ damnatam solennitatem,hominijque exactionem dimisisse, sed à Regalium seu feudorum investiturâ absque annuli & baculi traditione concedendâ non destitisse, eorumque ratione vacantis Episcopatûs Bona sub manu sua tenuisse, & administrâsse, donec novus Episcopus juramentum fidelitatis præstitisset. Nec id Summos Pontifices improbâsse, quia Regem jure suo uti noverant. Id constare ex Ivone Carnotensi Epistolæ 60. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, & Sedis Apostolicæ Legatum circà de consecratione Damberti Senonensis Archiepiscopi: *Post Canonicam electionem*, inquiuntis, *Reges ipsos Apostolicâ auctoritate à concessione Episcopatuum prohibitos minimè. Legimus enim sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erant, intercessisse: aliquorum,quæ cessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse, quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive linguâ, sive virgâ,quid refert? Cùm Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia Bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.*

Responsio.

AUthor *Responsionis ad Natalis Alexandri de jure Regaliæ dissertationem art. 4. à §. 1.* respondet inprimis probando, jus Regaliæ haud æquiparari investituris, alijsque feudorum juribus, sed ab his differre: tum quòd Principes investituram conferentes *nihil spirituale se dare contenderent*: cùm econtra vi Regaliæ beneficia & dignitates curam animarum annexam non habentia, quæ vacante Episcopatu, vacare contingit, non attento, quòd eorum functiones sint spirituales, à Regibus pleno jure conferantur. Tum quòd Principes novis Episcopis concederent duntaxat investituram: cùm econtra in vi Regaliæ Reges Ecclesiæ vacantis reditus ac fructus, veluti suos donent. Tum quòd investituræ fierent duntaxat ratione feudorum, cùm econtra Reges vi Regaliæ cæterorum etiam redituum Ecclesiasticorum fructus, imò & decimarum Episcopatui vacanti competentium sibi vendicent, conferantque beneficia & dig-

& dignitates Ecclesiasticas, curam animarum annexam non habentes, quæ apertâ Regaliâ vacaverint.

49. Sed reponet nonnemo. Si ergo investiturarum ea fuit moderatio, ut spiritualia non contingerent, nec nisi ratione feudorum fierent novis Episcopis, cur Summi Pontifices tam seriò conati sunt, eas ab Ecclesia eliminare? Sic namque Gregorius VII. in Synodo Romana anno 1078. *Can. 2.* sanxit: *Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum, à laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo perturbationes plurimas oriri, ex quibus Religio Christiana conculcatur; decernimus, ut nullus Clericorum investituram Episcopatûs, Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personæ, viri, vel fœminæ suscipiat. Quòd si præsumpserit, recognoscat, investituram illam Apostolicâ authoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicatum.* Idem Pontifex in Romano Concilio VII. anno 1080. *Can. 1. & 2.* id ipsum confirmavit: *Si quis*, inquies, *Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum investituram Episcopatuum, vel alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ* (interdicti scilicet ab ingressu Ecclesiæ) *vinculo se obstrictum sciat.*

50. Sed quænam erat tam districtæ severitatis ratio in damnandis Episcopatuum, & Abbatiarum investituris, quæ ratione feudorum duntaxat conferebantur à Regibus & Imperatoribus? Goffredus *in Opusc. 2. & 3. epistolâ ad Calixtum II.* ubi illthunc fecerat ingressum. Cùm simonia, & laicorum investitura, hæresis dicatur, quare utraque sit hæresis, & meritò hæresis appellari debeat, præsenti, brevique epistola monstrabitur. Exinde hujus effati sequentes profert rationes. *1. Non sit*, inquiens, *Imperatoribus & Regibus molestum, quod dicimus, nec consuetudine sibi vendicare nitantur, quod eis veritate negatur. Cùm laicis, etiam Religiosis disponendarum Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum omnis facultas ab Apostolis prohibeatur, manifestum est, quòd eis investitura negatur ab ipsa veritate, à Christo videlicet, qui in Apostolis loquebatur.* 2. *Res etiam, quæ semel Ecclesiæ datæ sunt, Reges iterum dare, vel de ipsis investire nec debent, nec convenienter possunt. Nam alicui dare, quod habet, & de hoc investire aliquem, quod ille jam tenet, superfluum est, & vacuum.* 3. *In Ecclesiasticis possessionibus, quamvis nec in legibus, nec in Canonibus inveniatur, tamen propter scandalum & schisma vitandum, talis Regibus investitura conceditur, ut nec ipsi propter hoc pereant, nec sancta Ecclesia detrimentum patiatur.* 4. Causas, propter quas investituræ à Principibus usurpatæ prætenderint, suspicionem hæreseos inferre, pandit idem Author *Opusc. cap. 2. Hæc prætereà*, inquiens, *hæresis de investitura, si rectè perspiciatur, etiam hæresis simoniaca esse, vivâ & verâ ratione probatur. Nam quare sæcularis potestas sibi vindicare nititur investituram, nisi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, quod est gravius, sibi mordinatè subjectam efficiat Pontificis personam.*

51. Unde etiam patet, non *extrinsecam* duntaxat investiturarum solennitatem, sed eandem simoniacam nequitiam homagij ab Episcopis exactioni, Bonorumque Ecclesiasticorum in feudum concessioni conjunctam, fuisse à Summis Pontificibus condemnatam, estque adeò in Philippo I. Francorum Rege perquàm laudabile, quòd Sedis Apostolicæ, ac Synodorum decretis morem gesserit. Quandoquidem porrò telte præcitato Goffrido, *in Ecclesiasticis possessionibus propter scandalum & schisma vitandum talis Regibus concedatur investitura, ut nec ipsi* (remotis scilicet simoniacæ pravitatis periculis) *propter hoc pereant, nec sancta Ecclesia detrimentum patiatur.* Quid ni Reges quoque Christianissimi secundùm Philippi I. exemplum ita moderentur Regaliam, ut pariter nullum Ecclesia sancta patiatur detrimentum in beneficijs Ecclesiasticis pro tempore vacantibus, Episcopatibusque vacaturis conferendis, fructibus quoque ac reditibus tunc à semet percipiendis? Quid ni contenti sint eo investiturarum moderamine, quod *præcitatus* Ivo Carnotensis insinuavit, ut Reges equidem post Canonicam electionem non prohibeantur à concessione Episcopatuum authoritate Apostolicâ conferendorum, seu confirmandorũ, eà cum protestatione, *quòd nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia Bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtineant, Ecclesiæ ipsis electis concedere?*

FUNDAMENTUM II.

Pro Regaliâ à *tertiæ* Dynastiæ Regibus Christianissimis usurpatâ adduci consuetum ex decretis Calixti II. & Concilij Lateranensis anno 1122. celebrati.

52. AB hoc namque tempore jus Regaliæ permaximè invaluit, usu præsertim, ac Episcoporum, Summorumque Pontificum tolerantiâ, quæ pro *tacito* privilegio acceptabatur. Nec deerant, qui crederent, jus Regaliæ, ac vacantium Bonorum occupationem necessariò consequi ex Concilij Lateranensis indulgentiâ & Calixti constitutione, sublatâ annuli & Crucis cæremoniâ, investituras concedentium, quod etiam Maymbourgus *fol. 409.* notat differens in hæc verba: *Si enim feuda, jura, patrimonia, aliæque facultates Ecclesiæ in manus Principum haud recidunt, sublato Pastore, quî ergo dari à Principibus possunt recens electis? Cùm ergo Concilium Lateranense investituras feudorum Principibus concessit, etiam concessit occupationem vacantium Ecclesiæ Bonorum, hæc enim investituras necessariò consequitur.*

Responsio.

53. AUthor *Galliæ vindicatæ differt. 1. §. 1. n. 4.* illam à semet efformatam pro parte adversa ratiocinationẽ ita diluit, inprimis supponendo, feuda Ecclesiæ quamprimùm huic adscribuntur, mutare qualitatem, evadereque Bona Ecclesiastica, patrimonium pauperum, peculium Dei, nec profanis usibus ac-

commodari ampliùs posse; uti SS. Patres tradunt. Quamvis proinde in feudis sæcularibus Iura decreverint, ut omissâ investiturâ, feudum amittatur, quia ingratitudo in Dominum commissa videtur, attamen hæc causa in Episcopos haud cadit, non enim amplæ Principum donationes in Episcopos, sed in Ecclesias, & Deum conferuntur.

54. Sed demus, pergit is Author, feuda extincto Episcopo, ad Principem redire, maximè in provincijs, quæ jure consuetudinario reguntur, quid de decimis, oblationibus, aliaque suppellectile ac patrimonijs Episcoporum dicemus, quæ majorem proventuum partem efficiunt, & tamen nec feuda sunt, nec investituris traduntur: quo jure à Principibus hæc vindicantur, sublatis Pastoribus? Aut quæ est consequentia, ut concessis investituris, etiam hæc concessa credantur, quæ nec investituris traduntur, nec ullam cum istis connexionem habent? Et planè si occupatio bonorum, vacante Ecclesiâ, Imperatoribus concessa fuisset? Aliqua utique hujus tantique momenti concessionis mentio facta esset, cùm tamen nulla fiat, nec in toto Lateranensi Concilio, aut Diplomate Calixti vel verbum de vacantibus Ecclesiæ fructibus legas: & tamen id necessarium erat; cùm enim consuetudo eos occupandi sacris Canonibus toties, & tam enixè prohiberetur, essetque omnium consensu inter abusus, & corruptelas relata, non poterat pro concessa, licitaque haberi, nisi privilegio Concilij muniretur; imò non tantùm concessa non est, ac silentio præterita, sed etiam, ut videtur, à Concilio & Imperatore damnata. Concilium ita loquitur: *Si quis Principum, aut Laicorum aliorum dispensationem, seu donationum rerum, sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur.* Et infra: *Sanctorum Patrum Canonibus consona statuentes, oblationes de altis omnium Ecclesiarum Altaribus, sive crucibus à Laicis auferri omninò prohibemus, & sub anathematis districtione firmamus.* Concilium Lateranense *c. 4. & 41. anno 1122.*

55. En Patres Concilij de omnibus bonis Ecclesiasticis loquuntur, ijs præsertim, quæ sacris Canonibus diripi prohibentur: talia verò sunt bona vacantium Ecclesiarum, ut *supra* ostensum, quæ si voluissent excepta, utique expressissent, sacris Canonibus eorum occupationem gravissimè prohibentibus. Henrici verò Imperatoris constitutio sic habet: *Ego Heinricus dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessionis etiam omnium aliarum Ecclesiarum, &c. ut reddantur, fideliter adjuvabo.* Concil. Lateran. *post. cap. 22.* Wilhelm Malmesb. *lib. 5.* Patet ergo ex Concilio Lateranensi, nihil juris in vacantes Ecclesias Regibus accessisse; imò triennium ante Concilium Lateranense idem abusus spoliandi Ecclesias viduatas recentissimè, & ab eodem Calixto II. proscriptus fuerat in Concilio Tolosano, cujus hæc sunt verba: *Primitiæ quoque & decimæ, & oblationes, & bona cætera deficientis Episcopi, & Clericorum à Principibus, vel quibuslibet laicis diripi, & teneri, penitus interdicimus; qui verò pertinaciter ista præsumpserit, ab Ecclesiæ limitibus tanquam sacrilegi arceantur.* Concil. Tolos. *can. 4. anno 1119. apud Baluz. Tom. 6. Spicileg. & in Notis* ad Marcam *lib. 7. cap. 18.*

Quod adhuc clarius evadet ex Principum testimonijs, qui hæc spolia Ecclesiarum *abusum, corruptelam, nefariámque consuetudinem* appellant, nulloque alio privilegio, quàm inexpletæ cupiditatis nixam; idque paulò post Concilium Lateranense, concessaque investituras: id verò nunquam dixissent, nec dicere poterant, si, quod vult Maymbourgus, spolia vacantium Ecclesiarum æquè Principibus, ac ipsæ investituræ à Concilio permissæ fuissent. Raymundus ergo Comes Tolosanus in suo privilegio ita loquitur: *Ego Raymundus &c. nunc, quòd quandam nefariam consuetudinem, quæ quandam extiterat in Cathedralibus Ecclesijs nostri regiminis, extirparem: erat enim consuetudo, ut decedentibus Episcopis, bona Pontificalia &c. à bajulis, & Vicarijs Patris mei dirriperentur, & distraherentur, quod quia cognovi à Legibus Divinis & humanis supradictam detestabilem consuetudinem &c.* Apud Baluz. *anno 1150. ex Archivo Eccles. Barcinon & Gerund.* Ermengardis Comitissa Narbonensis: *Notum sit omnibus* (inquit apud dictum Baluz. *anno 1155.*) *quòd ego Ermengardis, recognoscens injuriam, quam parentes mei, & ego in possidendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ hucúsque perpetram fecimus &c. sive sint fructus percepti, sive percipiendi &c.*

Hanc Ermengardis spontaneam cessionem confirmans Adrianus IV. jubet *Episcopalia bona futuro Antistiti præservari, & contrariam consuetudinem* dicit *contra Deum, & Ecclesiam esse inolitam.* Adrianus IV. *elect. anno 1154.* Fridericus II. Imperator in constitutione hâc Ægræ datâ vocat *abusum motu propriæ voluntatis à suis Antecessoribus inductum.* Innocentius Papa III. *anno 1213.* vide Raynaldum *ad hunc annum.* Marca *lib. 8. cap. 23.* Goldast, &c. Hanc ipsam suam constitutionem confirmavit Fridericus Bullâ aureâ ad Honorium III. Papam, quæ asservatur in arce Hadriani. Bulla aurea Friderici II. Imp. *anno 1219.* Ipsi Principes, Baronesque Germaniæ Innocentium III. litteris ad eum datis ànno 1200. certiorem reddunt, Ottonem IV. Imperatorem, *prava illi consuetudini, & indebitæ vexationi renuntiasse occupandi bona tam mobilia, quàm manentia vacantium Ecclesiarum.* Apud Baron. *ad annum 996.* & in Regesto Innoc. & Marca *lib. 8. cap. 23.* Si ergo post Concilium Lateranense Principes ac Imperatores vindicationem bonorum Ecclesiæ *abusum* nominârunt, & quidem *detestabilem contra jura Divina & humana inductum, nefarium, sacrilegum, vexationem injustam, nullo jure, sed pro arbitrio, ac cupiditate inventam*; patet omninò, persuasum eis non fuisse, à Concilio Oecumenico cum investituris esse concessam; quod enim concessum est, & præsertim à Concilio Oecumenico,

non

non abusus, non vexatio, non sacrilegium est, sed facultas & privilegium, quo *licitè* utaris, integrâque conscientiâ. Fallitur ergo Maymbourgus, cùm jus spoliandi Ecclesias, earumque proventus, quoties vacarent, recipiendi, investituris connexuit. Has Concilium certis quibusdam conditionibus, illud nunquam indulsit.

Objectio replicata.

58. EX parte adversâ instari potest in hunc modum. Quamvis nihil juris in Ecclesias vacantes à Concilio Lateranensi accepissent Reges, utebantur tamen in certis provincijs, prætenso hujusmodi jure consuetudinario invalescente potissimùm sub Regno Ludovici VII. protenso ad beneficiorum quoque collationes.

Responsio.

59. AUthor *Galliæ vindicatæ cit. §. 1. n. 5.* ad hanc à semet formatam objectionem ita respondet, consuetudinem hanc abusui illi cohonestando vix parem esse. Cùm enim consuetudinem istam juri *Divino* adversari, adeoque sacrilegam esse, fateantur Principes, quorum verba *superiùs* sunt relata; imò Emanuel Comnenus *Constit. Ioann. Comn. & Emanuel. Impp. anno 1120.* apud Marcam *lib. 8. cap. 23. in contemptum Dei, jurisque naturalis eversionem vergere* pronuntiet: quis dicat, sacrilegia, contemptum Dei, legumque Divinæ ac naturalis injurias consuetudine purgari? Et ideo omnium Juris-Consultorum sententia est; vide Doctores *ad cap. fin. De consuet.* consuetudinem contra jus naturale & Divinum nihil licere. Ipse de Marca Parisiensis Archiepiscopus, rerumque istarum, & sacrorum Canonum longè peritior Maymbourgo (quippe Theologiæ, Jurisque, ut ex libris apparet, aut ignaro, aut negligente) fatetur; *usumfructum redituum Episcopalium (si reditus feudorum excipias) & collationes præbendarum ex consuetudine contra Canones profectas, & ideo Concilij Lugdunensis authoritatem quæsitam esse, Principibus haud satis consuetudine tutis.* Ita de Marca *lib. 8. cap. 24. n. 4* Mag. de Pamiers *de la Regal. fol. 56. init.* Coppin Ruzée Jurisconsultes Franzois.

60. Quæ consuetudo licèt longo tempore Ecclesias percurreret, durâsset que in sæculum *undecimum*, quando videlicet Concilium Lateranense celebratum est; semper tamen sacris prophanisque legibus sive occupationem fructuum, sive etiam collationes beneficiorum spectes, damnata fuit; fructus enim vacantium Ecclesiarum successoribus reservandos esse, habetur *in C. 40. Apost. can. 24.* Concil. Antioch. *can. 22. & 25.* Concil. Chalcedonensi *Can. 6.* Concil. Regiensi *Can. 7.* Concil. Paris. *Can. 14.* Concil. Pontig. *Can. 14.* Concil. Trosl. Vide etiam Hincmar. *epist. 45. 21. 12.* Gerbert. *epist. 118.* S. Gregor. *lib. 2. epist. 19. 20. 21. 27. L. 3. epist. 11. L. 2. epist. 13. 14. 20. 21. & 6.* Flodoard. *lib. 3. hist. Rhemens. c. 4.* quod indicio est, eam consuetudinem nunquam pro legitima, & quæ jus aliquod tribuere posset, habitam esse.

61. Id ipsum certamen pro investituris susceptũ, quodque totos quinquaginta annos Ecclesiam, Imperiumque concussit, clarè ostendit; nolebant enim Summi Pontifices feudorum investituras per crucem, annulumque conferri, quamvis diuturna consuetudo obtineret, quòd eâ solemnitate ipsi Episcopatus, sacræque dignitates conferri à Principibus viderentur. *Vide de collat. Benefic. Laic. probib. can. 6.* Concil. Chalced. *can. 29. vel 31. Apost. can. 3.* Concil. Nicæn. II. *can. 21.* Concil. VIII *can. 8.* Concil. Paris. III. Concil. Aurelian. I. *c. 368.* Capitulare Caroli Magni: vide *16. q. 7.* apud Gratian. M. de Pamiers *f. 52. de varia eligendi forma.* Reg. Sacerd. *f. 45.* de Pamiers *fol. 128.* Imò viri in Gallia sanctitate ac doctrinâ præstantes hæresis notabant, qui pertinaciter assererent, oportere, à laicis Principibus Episcopos investiri: erant ij Sancti Godefridus Episcopus Ambianensis: Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Bruno Episcopus Sigvinus, Joannes Archiepiscopus Lugdunensis, omnesque Concilij Viennensis Patres. Concil. Viennens. *anno 1112.*

62. At verò, qui hâc hæresi notâ abstinendum censebant, inter quos præcipuus Ivo Episcopus Carnotensis, hanc ipsam consuetudinem *alieni juris pervasionem* appellabant, *& sacrilegam præsumptionem, quæ pro libertate Ecclesiæ, & honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, plena abscindenda esset*: quæ omnia sunt verba Ivonis *epist. 236. de investituris*, apud Author. *Regal. Sacerd. f. 61.* Si ergo solæ investituræ, quæ signa tantùm erant collatæ dignitatis Ecclesiasticæ, tam severè etiam in Gallijs acceptæ sunt, & Laicis prohibitæ, nec ullo consuetudinis obtentu excusatæ, quantò magis ipsa collatio sacrarum dignitatum? Et si signum tam acerbè pulsatum, habitumque, quantò acerbiùs res significata?

63. Dicet fortasse aliquis, aliud esse spolia, aliud usumfructum bonorum Ecclesiæ vacantis, spolia morientium Antistitum ad istorum hæredes spectasse, & ideo nullâ consuetudine induci potuisse, ut à Principibus caperentur, alioquin & furta excusari possent, si in morem, usumque transeant. Illas ergo Principium constitutiones de spolijs, non de usufructu intelligendas esse.

64. Verùm nullo fundamento discrimen hoc inter spolia & usumfructum nititur. Enimverò sermonem illic esse non de spolijs tantùm, sed etiam de usufructu, patet ex verbis Emmanuelis Comneni *in suâ constitutione Corpori Iuris insertâ de anno 1150.* qui expressè loquitur *de administratione bonorum vacantis Ecclesiæ, in quæ ne pedem quidem immittet aliquis ex Ducibus, sed nec quælibet illinc pars auferetur, sed omnia à partibus* (Clericis) *ejusmodi Ecclesiarum in ipsis administrabuntur, quemadmodùm legitimè, & canonicè editum est, donec successores renuntiati sint.* Et Ermengardis Comitissa in diplomate cessionis apud Baluzium *anno 1155. Recognoscens injuriam in possidendis honoribus, & bonis diripi-*

ripiendis decedentium Archiepiscoporum &c. sive sint fructus percepti, sive percipiendi &c. Et Gregorius IX. in litteris ad Archiepiscopum Narbonensem: *Senescbalis, & Ballivi charissimi in Christo filij illustris Regis Francorum in Narbonensi Provincia constituti, decedentibus Ecclesiarum Prælatis, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra debitum juris usurpare &c.* Apud Baluzium *ex Archivio Narbon* Et Fridericus II. Imperator *anno 1213.* Apud Raynaldum. *Illum quoque dimittimus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam vacantium Ecclesiarum &c* Et Principes, Baronesque Germaniæ litteris ad Innocentium III. *Pravæ illi consuetudini, & indebitæ vexationi occupandi bona decedentium Episcoporum dimisit, & suis Successoribus servanda statuit.* Ex Regest. Innoc. *anno 1200.* Ex his omnibus manifestum est, consuetudinem non solùm spolia capiendi, quæ ad hæredes defunctorum pertinebant, pro abusu habitam esse, sed etiam usumfructum bonorum vacantis Ecclesiæ. Et verò cur non æquè iste, ac illa damnarentur? Nec enim minus delictum est usurpare, quæ ad Deum pertinent, quam quæ ad hæredes, & si depilare, quæ ad hæredes spectant, nullâ potest consuetudine excusari, quantò minùs excusari potest, depilari, quæ Dei & Ecclesiæ sunt, nisi fortè Dei & Ecclesiæ pejor sit conditio, quàm alterius cujusque privati juris: & ideo quamvis etiam investituris consuetudo patrocinaretur, semper tamen a Concilijs, Summisque Pontificibus damnatæ sunt, & consuetudo pro abusu habita & sacrilegio, etiam à Gallis, Ivone videlicet Carnotensi, alijsque. Vide *Regal. Sacerdot. fol. 66.*

65. Idque ulteriùs clarissimè ex vita, actisque S. Thomæ Cantuariensis evincitur. Nec enim minùs in Angliam, quàm Galliam consuetudo Regaliam induxerat, & inter capita Regiarum Angliæ consuetudinum *duodecimum* locum obtinebat, ut videre est apud Baronium *ad annum 1164. n. 37* Hanc Rex Angliæ *dignitatem Coronæ suæ vocabat*: hanc in Synodo Nationali apud Clarendonam Angliæ Episcopi admiserant; *ibid. & in vita S. Thomæ Cant.* juraverantque metu Regis omnia miscentis, imò & variis adornatam rationibus, ut metum excularent, Alexandro Pontifici obtulêre, rogabantque approbari: vide *epist. 128. inter epistolas S. Thomæ Cantuar.* sed in consessu Episcoporum, sacrique collegij, improbavit Pontifex, easque consuetudines Tyrannicas usurpationes legis Divinæ subversiones abominabiles appellavit. Vide Alan. *in Quadripart.* & Baron *cit. n. 36.* Ipse S. Thomas potiùs, quàm huic consuetudini subscriberet, exilium, & mortem subire voluit. Sola ergo consuetudo Regaliam nunquam excusavit. Quòd si Principes aliquando hoc jure utebantur, non consuetudo illos, sed aut bona fides tuebatur, aut fortè tolerantia Pontificum, ea, quæ abolere haud poterant, concedentium.

66. Nec obstat, Laicis, qui Ecclesias fundaverant, aut amplis patrimonijs instruxerant, quique propterea Patroni appellabantur, jus nominandi, præsentandique sacris Canonibus fuisse indultum. *Cap. Abbatem. 18. quæst. 2. Cap. Laici. 17. q. 1. Cap. Transmissa. De jure Patronatûs.*

Verùm aliud erat hoc jus patronatûs, aliud quod prætextu Regaliæ, & investiturarum petebatur; qui enim jus præsentandi habebant, personas tantùm designabant, exhibebantque Episcopo, hujus erat, designatos admittere, examini subdere, & denique sacerdotia, ac Beneficia conferre: quæ jàm omnia Principi deferuntur, Episcopis præteritis, & hoc Regaliam dicunt, quam, ut vidimus, sive fructuum occupationes, sive collationes præbendarum spectes, semper Canones, Concilia, Patres, ipsique aliquando Reges persecuti sunt: aut si vacantis Ecclesiæ proventus sibi addicerent, alijs tamen Ecclesijs, pijsque locis reddi volebant, pacatâ utcunque, salvatâque conscientiâ, de quo posteà dicemus. Planè S. Ludovicus, *qui in sua Pragmatica sanctione de anno 1268.* vestigijs Ludovici Pij insistens, jusserat, ad præscriptum sacrorum Canonum electiones liberas esse; non alio jure in Beneficijs vacantium Ecclesiarum usus videtur, quàm nominandi, præsentandique, & jus Regale dicebatur, quòd soli fere Regi competeret, duceretque originem ab Ecclesijs Regni libertate fundatis, auctisque. Verba Ludovici in litteris ante sacram expeditionem data sunt; *Personatus, Præbendas, Ecclesias, Capellanias, & cætera beneficia, quæcunque vacare contigerit, ad nostrum Patronatum, collationem, jus præsentationem nostram, seu ratione Regalium, quàm alio quocunque jure pertinentia, conferendi ac præsentandi, &c.* Vide Proun *anno 1269. in libert. del. Egl. Gall. ch. 16. ann. 20.*

CONCLUSIO.

NEque ex Concilij Lateranensis, & Calixti II. constitutione, neque ex consuetudine *tertiæ* Regum Francorum Dynastiæ temporibus introductâ, justificari potest Regaliæ moderna protensio.

Explicatur per summariam inductionem monumentorum, quæ Author *Galliæ vindicatæ cit. dissert. 1. §. 2. n. 1.* breviter & nervosè repræsentat. Ad hoc igitur intentum, inquiens, possunt 1. adduci omnia testimonia Canonum, Conciliorum, Episcoporum, Imperatorum, Regum, Authorumque, quæ *superiori §.* enumerata sunt: quæ, ut vidimus, ab anno 499. quo Clodovæus Catholicam religionem amplexus est, usque ad annum 1122. cùm celebratum est Concilium Lateranense sub Calixto II. Papa (imò multò post illud) semper Regaliam damnârunt, vel potiùs eos abusus, qui posteà Regaliæ inducendæ ansam dedêre. Ea sunt Concilia Antiochenum, Chalcedonense, Nicænum II. Pontigonense, Trosslejense, Regiense, Aurelianense, Parisiense, Tolosanum &c. Capitularia Caroli Calvi, Constitutiones Imperatorum Joannis, & Emanuelis Comneni, Friderici, Principum Germaniæ, & Galliæ, Gregorij Magni, Gregorij

gorij Turonensis, Hincmari, Flodoardi, Gerberti, & aliorum. Hi omnes *locis supra citatis* Regaliam, seu potiùs primas Regaliæ fibras penitus execrati sunt, tantumque abest, ut eam totâ Galliâ extendi voluerint, ut ne uno quidem loco passi sint, & consuetudinem, quæ obtendebatur, *sacrilegam, detestandam, juri Divino, humanoque contrariam* edixerint, quæ omnia ex testimonijs *supra* recensitis manifesta sunt; constat etiam, quæ mens Gallicanæ Ecclesiæ tot Concilijs, exemplisque expressa, olim fuerit; quid verò dicerent egregij, invictique illi Galliarum Antistites, si eam consuetudinem, quam ne uno quidem loco dignati sunt, jam tota Gallia dominantem cernerent? imò & pro Ecclesiæ Gallicanæ legitimo partu semet ferentem?

69. Post Concilium Lateranense jam *superiori §.* ostendi, jus Regaliæ solâ consuetudine, non privilegio, alióve justo titulo stetisse, & consuetudinem pacandæ Principum conscientiæ, excusandoque abusui vix sufficisse, quod præter ipsorum Principum testimonia, quæ produximus, etiam innuit Marca Archiepiscopus Parisiensis, cujus hæc sunt verba: *Cùm autem ususfructus redituum Episcopatûs (si reditus feudorum excipias) & collatio præbendarum, ex consuetudine adversùs Canones profluxerint, optimum factu existimârunt Principes, ut consuetudinis confirmationem peterent, decerni in Concilio Generali Lugdunensi.* Sed quidquid de hoc sit, an videlicet ea consuetudo legitima fuerit, & sufficiens, ut Regalia exerceri tutò possit, illud saltem evidens est, ubi consuetudo non erat, exerceri non potuisse, tunc enim omnis aberat titulus, quo Canonum transgressio Regaliam enixissimè prohibentium excusari posset, & ideo Principes non aliter hoc jure utebantur, quam ubi, & quando consuetudo illud permittebat: quod duorum Galliæ Regum exemplis evidenter demonstratur.

70. *Primum* est S. Ludovici, in cujus vita hæc Nangius: *in beneficijs Ecclesiasticis conferendis Deum semper præ oculis habebat, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, ubi, Sede vacante, ratione Custodiæ Regalium ex consuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.* Sub eodem Rege, vacante Ecclesia Aniciensi apud Vetaunos, titulo Regaliæ impetebantur tam in urbe, quam suburbijs, totoque Civitatis territorio jurisdictio temporalis, vectigalia, alijque proventus ejusdem Ecclesiæ, ac etiam beneficiorum collationes: obstitit Capitulum, ostenditque, nunquam id consuetudinis fuisse, ut videlicet vectigalia extra urbem, ac Beneficiorum collationes ad Regem pertinerent, idque recens tentari cœptum, à decessu videlicet duorum Episcoporum, qui Ecclesiam Aniciensem ultimò gubernaverant, id verò legitimæ consuetudini inducendæ satis non esse; quippe consueta dici non posse, quæ bis tantùm contigerint, sic etiam Beneficiorum collationes nunquam hactenus Reges sibi vendicâsse. His à Capitulo allegatis, probatisque, Parlamentum Parisiense decidit: *Ecclesiam Aniciensem libertati suæ relinquendam esse.* Parlamenti Parisiensis Arrestum *Anno 1259.*

71. Quàm Parlamenti sententiam S. Ludovicus suo diplomate confirmavit, cujus inter alia hæc sunt verba: *Quia per inquestam, quam fieri fecimus, probatum non extitit, quòd vacante Ecclesiâ supradicti nos, vel Antecessores nostri domum Episcopalem, vel fortericia alia civitatis, castra etiam extra civitatem, seu villas alias, sed nec pedagia ullo unquam tempore habuimus extra civitatem, nisi à duabus ultimis vacationibus, vel aliquando dignitatem aliquam, aut Præbendam contulerimus; super his ex nunc in perpetuum dictam Ecclesiam nolumus molestari &c.* Constitutio S. Ludovici *anno 1259. mense Julio. Ex Regestis Parlam. & Cameræ Computator.* apud Chopin: Marca *lib. 8. Concord.* Ubi vides, nec Regium Parlamentum, nec ipsum Regem voluisse, Regaliam ultra consuetudinem extendi; imò Regio Procuratori onus probandi incumbebat, Regem in antiqua possessione & consuetudine versari Regaliam, percipiendi, nec priùs admittebatur, quàm id probâsset, ut ex allata constitutione palàm est, & fatetur Marca *lib. cit. n. 2.* & Ruzæus *in privilegio 55.*

72. Exemplo, vestigijsque B. Ludovici Philippus Audax, Ludovici filius egregiè instituit, cujus jussu, cùm esset Apamijs, Ecclesiæ Albiensi restituti sunt fructus à Seneschalco Charasinensi obtentu Regaliæ occupati, Capitulo proclamante, id hactenus nunquam esse factum, & ideo nec fieri posse. Verba Arresti (quod duos ante Concilium Lugdunense annos datum est) sunt hæc: *Sabbatho post Ascensionem Domini restituta fuerunt apud Apamias, & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albiensis Regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Seneschalcus ceperat, & saisinaverat sinè causa, cùm Dominus Rex super hoc nunquam usus fuisset; prout ex aliorum, & ipsius relatione fuit inventum* Arrestû *Parlam. Paris. anno 1272.* apud Marcam *lib. 8. cap. 26. n. 3.* de Pamiers. *fol. 28.* Constat ergo etiam, ante Concilium Lugdunense Regaliam non alibi admissam, exercitamque fuisse, quàm ubi consuetudo vigebat.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, Regaliam non tantæ fore difficultatis, si conformaretur limitibus investituræ Episcopatuum à Concilio Lateranensi, & Calixto II. admissæ.

73. RAtio reprobandi investituras, quas Episcopi à Regibus accipere obstringebantur, ex eo etiam capite petebatur à Gosfrido *superiùs* adducto, quòd Reges hâc viâ efficerent incordinatè sibi subjectas personas Episcoporum. Quæ ratio videtur Paschalem III. anno 1110. permovisse, ad pactionem cum Henrico Germaniæ Rege ineundâ, ut Episcopi Regalia admitterent Cæsareæ Majestati, hæc verò renuntiatet investituris. Ita se habent verba hujus Pontificis, teste Petro Diacono *in Chron. Cassin. lib. 4. cap. 34.* ad Regem perscripta: *Ministri Altaris ministri Curiæ facti sunt, quia Civitates, Ducatus, Marchionatus, Monetas Curtes, & cætera ad Regni servitium pertinentia* acce-

acceperunt. Vnde etiam mos Ecclesiæ intolerabilis inolevit, ut electi Episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi priùs per manum Regiam investirentur. Tibi itaque & Regno Regalia illa dimittenda præcepimus, quæ ad Regnum manifestè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum Prædecessiorum tuorum. Interdicimus etiam, & sub anathematis districtione prohibemus, ne qui Episcoporum, seu Abbatum eadem Regalia invadant, id est Civitates, Ducatus, Marchias, Monetas, Telonium, Advocatias, jura Centurionum, & Curtes, quæ Regni erant, cum pertinentijs suis, militiam & castra, & ne se deinceps, nisi per gratiam Regis de ipsis Regalibus intromittant.

74. Huic equidem Summi Pontificis zelo obsecuti non sunt Episcopi Germaniæ, quemadmodùm mos hodierni quoque temporis ostendit. Quare causa hæc à Calixto II. ad Concilium Lateranense deducta, eum accepit finem, ut Pontifex ille ex Concilij sententiâ Imperatori Henrico rescriberet in hæc verba: *Ego Calixtus servus servorum Dei Dilecto filio Henrico Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto concedo, electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentiâ tuâ fieri. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat. Et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus Imperij consecratus, intrà sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat.* Quid ni ergo Rex Christianissimus Ludovicus VI. cujus Orator Sugerius Sanct-Dionysianus Abbas dicto Concilio interierat, Regaliam sui Regni pariter restrinxisset ad feuda Regalia de manu sua Regia dicto modo recipienda, non verò extendisset ad universos reditus unà cum beneficiorum collatione, quamdiu Sedes vacâsset, sibi adscisendos?

75. Hildebertus sanè Archiepiscopus Turonensis; uti patet ex ejusdem epistolâ ad Amicum Episcopum datâ, & *in tom. 13. Spicilegij pag. 265.* relatâ, Ludovico Crasso minimè cesserat beneficiorum Ecclesiæ suæ collationem. *Cum*, inquiens, *ex Romani Pontificis præcepto de Episcopatu ad Turonicam Metropolim transissem, Archidiaconatum in ea, atque Decaniam personis vacantes inveni. Deinde peracto in eadem metropoli anno, Regis litteras accepi continentes, Regem præscriptas dedisse dignitates, atque mihi præcipere, quòd personas, quibus eas ipse dederat, in Sedibus earum dignitatum mittere non differrem. Quo audito, nolui in causa Dei contra Dominum parère potestati.*

76. Idem Rex Ludovicus Crassus, eundemque secutus filius Ludovicus VII. Aquitaniæ Ecclesijs non tam remisit Regaliam, quàm eas à pravis consuetudinibus & oneribus iniquis, quibus premebantur à Ducibus, & Comitibus, liberavit; prout videre licet *tom. 1. Galliæ Christianæ in Gaufrido de oratorio pag. 211.* ubi habentur sequentia: *Eapropter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum, & Procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, duximus annuendum, & in Sede Burdegalensi, & in prædictis Episcopalibus Sedibus & Abbatijs ejusdem provinciæ, quæ defuncto illustri Aquitanorum Duce, Comite Pictavensi Gillelmo, per filiam ipsius Alrenoum jam dudum filio nostro Ludovico Matrimonij sorte cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus Canonicam omninò concedimus libertatem absque hominij, juramenti, seu fidei per manum datæ obligatione. Porrò decedentis Archiepiscopi & suffraganeorum ipsius Episcoporum, sive Abbatum decedentium res universas Successoribus Regiâ authoritate servari volumus, & concedendo præcipimus illæsas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Ecclesiæ infrà denominatam provinciam constitutæ, prædia, possessiones, & universa ad ipsos jure pertinentia, secundùm privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas habeant, & possideant illibata. Quinimò Ecclesijs ipsis universis, & earum Ministris cum possessionibus suis Canonicam in omnibus concedimus libertatem.* Quid ni ergo isthæc libertas Canonica etiamnum servetur in illis Ecclesijs, quibus attributa est à Regibus Christianissimis, & saltem ejus diminutio in alijs Ecclesijs non extendatur ultra limites à Concilio Lugdunensi II. circumscriptos?

Ipsemet Petrus de Marca *lib. 1. de concord. Sacerdotij & Imperij cap. 27. n. 2. & 3.* tradit, Regaliam eo ævo, præsertim in Aquitania, necdum fuisse introductam, idque probat ex duplicis Concilij decretis: nam anno 1100. Synodus Pictavienses à Paschali II. Papa cum consensu Guillelmi Aquitaniæ Ducis coacta *Canone 1.* decreverat, *Vt nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet laicæ personæ dominium Episcopatûs, Abbatiæ, vel Ecclesiæ. Si verò laici Canonicis decretis resistentes, Ecclesias volenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur.*

Alterum posteà in Urbe Pictavienſi à præfati Papæ Legatis anno 1119. celebratum Concilium ita decrevit. *Vt Clerici nunquam alicui homini laico hominium facerent.* Quòd si fortè isthæc decreta videantur reducenda ad normam, quæ ratione feudorum Regalium & homagij propterea debiti postmodùm præscripta est à Concilio Lateranensi superiùs relato, hinc saltem recipi potest ea Regaliæ moderatio, quæ fructuum tamen vacantis Ecclesiæ & beneficiorum curam animarum annexam non habentium pro tunc vacare incipientium collationem Regibus haudquaquàm addiceret.

PROBATIO II.

Complectens summariam confutationem argumentorum, quæ Natalis Alexander in sua de Regalijs dissertatione adfert usque ad tempora S. Ludovici.

QUæ Author *Responsionis ad dicti Natalis dissertationem cit. art. 4. à §. 9 usque ad §. 26.* fusè digessit, ea ad succinctam methodum hîc redigimus. Primò igitur adfertur Ludovici Iunioris diploma inter probationes

tiones libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 19. n. 1. pag 362.* relatum, in quo spoliorum, decedentibus Episcopis, ad Regiam manum devolutio dicitur *vetustâ* niti *consuetudine.*

80. Verùm alia est ratio Regaliæ, utpote fructus, Sede vacante, percipiendos una cum collationibus beneficiorum Regi attribuentis; alia verò est ratio spoliorum, quæ de Episcopi defuncti substantia prætendebantur recidere in jus fisci Regij. In quo autem censu ea de spolijs Episcoporum consuetudo habita fuerit, expendere lubeat tum ex Canone VII. Concilij Parisiensis V. sanciente, ut sub pœna excommunicationis nemo etiam judicum defuncti Episcopi, aut Clerici res contingat, quoúsque, aut testamentum, aut qualemcunque fecerit obligationem, cognoscatur, sed res hujusmodi ab Archidiacono, vel Clero defensentur & conserventur: tum ex Concilij Aurelianensis II. anno 536. celebrati *Canone 6.* & Concilij Regiensis anno 639. habiti *Canone pariter 6.* quibus statutum fuit, ut defuncto Episcopo, vicinus Episcopus Bona ab illo relicta inspiciat, ac recenseat, domumque Ecclesiæ descriptam idoneis personis custodiendam relinquat: tum ex Caroli Calvi Capitulari edito anno 876. *ubi cap. 4.* sancitur; ut defuncti Præsidis facultates nullus invadat, diripiat, & ad jus suum transferat, sed per Oeconomum conserventur futuro Successori, vel elargiantur in elemosynam; uti quoque Cap. Carisiacense anno 877. editum *Cap. 5.* habet: tum Concilij Troslejani anno 909. celebrati *Canone 14.* ubi paria de conservandis defuncti Episcopi facultatibus, constituendoque super eis Oeconomo eduntur decreta.

81. Extat quidem *alterum* Ludovici Iunioris diploma de anno 1140. in Ecclesiæ Parisiensis tabulario relatum, quo Episcopatûs Parisiensis vacantis fructus pro ejusdem Ecclesiæ Cathedralis luminaribus concessit, asseverans *ibidem, vacante Episcopatu, universa ad statum ipsius pertinentia in Regis esse potestate.* Sed numquid ex his præcisè verbis evincitur, Regem fructus vacantis Episcopatûs fecisse suos, vel habendo super ipsis jus custodiæ duntaxat, habuisse potestatem, eas impendendi ad causas pias.

82. *Secundò* à Natali Alexandro adfertur diploma à dicto Iuniore Ludovico anno 1161. datum Episcopatui Parisiensi, quo asseritur, Regalia post mortem Episcopi in manum suam venisse, nolle tamen se in proprios usus convertere reditus &c. altaris Capiceriæ, sed eos donare Monasterio Hederæ, Allegatur etiam Ludovici ejusdem cessio Archiepiscopis Bituricensibus anno 1159. facta, ne Bona mobilia post mortem Archiepiscopi in ædibus Archiepiscopalibus reperta addicerentur fisco Regio.

83. Verùm istud diploma est de spolijs, non de Regalia, nisi cum nonnullis probabiliter dicere malis, Regaliam in sua origine nihil aliud fuisse, quàm spolium: unico feudalium bonorum usufructu excepto in provincijs Juris consuetudinarij, ubi Dominus, vacante feudo, fructus faciebat suos, donec novus Vasallus investiretur; uti observat Author *Responsionis ad dissertationem* Alexandri *art. 4. §. 11. n. 1.* Quod prius de Episcopatûs Parisiensis vacantis fructibus disponens instrumentum Regium, fatetur Petrus de Marca in Commentario edito anno 1655. esse omnium pro usu Regaliæ antiquissimum testimonium, cùm tamen nulla collationis beneficiorum in eo mentio fiat. Et hinc licèt aliqua ex eo diplomate fieret probatio consuetudinis forsan præscriptæ super usu Regaliæ, necdum tamen constaret de jure jam prætenso circa collationes beneficiorum. Cùm igitur non plus prætendi possit præscriptum, quàm fuerit possessum, neque verò ex illo instrumento pateat, fuisse possessum jus collationis beneficiorum, ideo sub tempore saltem prædicti Regis, dici haudquaquam potest, Regalia quoad jus collationis beneficiorum præscripta fuisse. Quinimò hoc Regaliæ jus præscriptum unicè videtur referri ad Bona feudalia ab Episcopis accipienda de manu Regia; veluti S. Bernardus, vel alius Author *sermonis ad Pastores inter ejus opera relati* scribit: *Duplex est dominium Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ: habent & Regalia* (scilicet feuda) *quia Domini sunt urbium, & oppidorum. Nec solùm Episcopatus, sed & Consulatus* (sive Comitatus) *habent.* Ob cujusmodi proinde Feuda idem S. Bernardus *epist. 167.* de quodam ad Episcopatum electo scribit: *Festinavit, Regalium* (id est feudorum) *investituram accepit.*

Inducitur equidem *pro tertio* ex parte adversa Sugerius Ludovici Iunioris terræ sanctæ peregrinationem suscipientis Administer *epist. 14.* ad Capitulum Carnotense, vacante ejus Ecclesiæ Sede, delegans *ad recipienda & conservanda Regalia.* Attamen ex hoc nullatenus inferre licet, tale jus comprehendisse pro tunc tam usum fructum redituum vacantis Ecclesiæ, quam etiam collationem beneficiorum. Imò Decanus & Capitulum Carnotense rescripserunt, tum informando de electione à se facta, tum petendo Regium super electione sua consensum, tum rogando, ut Electo Regalia vice Regis redderentur. 84.

Ad quod rursus rescripsit Sugerius *epist. 20. se huic electioni ex parte Regis assensum præbere, quoad Regalia verò oportere, ut Electus Regi & Regno fidelitatem faciat, & sic demum Regalia recipiat.* An non igitur jus illud Regium dicendum est fuisse restrictum tum ad assensum electioni Episcopi præstandum, tum ad feuda Regalia electo concedenda, in quo feudi jure censebatur fuisse quoque Capiceria Carnotensis Ecclesiæ, handquaquàm obtinens rationem beneficij Ecclesiastici, sed Officij alicuius jure feudali contenti; uti *ad epist. 38.* Sugerio annumeratam probat Author *præcitatæ Respons. art. 4. §. 15. n. 6.* Enititur equidem Natalis Alexander jus Regaliæ in Galliæ Regibus comprobare ex hoc, quòd Alexander III. tale jus in Rege Angliæ minimè reprobârit. Verùm hoc argumentum efficaciter elidit Author *præfatæ Respons. præs.* 85.

§. 16. & 18. integrumque, satis prolixum hâc super re *paragraphum tertium* edidit *Galliæ vindicatæ* Author, ad quos Lectorem remitto.

86. *Quartò.* Natalis Alexander *in sua de Regalia dissertatione* inducit exempla Philippi Augusti circa Regaliam in Ecclesijs Æduensi & Lugdunensi, tum generaliter in aliquibus Regni sui Ecclesijs, tum in Ecclesia Matisconensi, nec non Antisiodorensi, uti etiam Laudonensi & Cenomannensi prætensam, adducto in hanc rem etiam testimonio Innocentij III.

87. Verùm circa Lugdunensem & Æduensem Ecclesias èx diplomate Regio *to. 1. Galliæ Christianæ* relato, & à Philippo Augusto anno 1189. edito res ita se habet. Ut Rex post obitum Æduensis Episcopi ad se receperit quidem Regalia, at ubi informatus fuit de jure Lugdunensis Archiepiscopi, ad quem Sede Æduensi vacante, perceptio fructuum & collatio beneficiorum spectabat, sicuti par jus in vacatione Archiepiscopatûs Lugdunensis exiitebat penes Episcopum Æduensem, mandavit idem Rex Regaliam restitui Archiepiscopo Lugdunensi, volens etiam Regio diplomate consultum esse utriusque Ecclesiæ juribus. An non igitur hinc extat manifestè probatum, Regaliam non esse Regi debitam in universis Galliæ Ecclesijs?

88. In illo ipso insuper diplomate Regio venit consultò annotandum, quòd Rex ita loquatur: *Regalia nostra, & alia, quæ ad Episcopatum Æduensem pertinent, ig manu sua habeat Archiepiscopus Lugdunensis.* Numquid enim per hæc verba fit clara distinctio Regalium ab alijs juribus vacantis Æduensis Ecclesiæ; & hinc quando idem Rex subjungit: *Regalia Æduensia se occupâsse, & Regalia ipsa restituere*: numquid *sub Regalibus* condistinctis ab alijs Ecclesiæ Æduensis juribus, meritò intelligenda sunt feuda Regalia, non verò alia Bona Ecclesiarum? Idem equidem Rex Philippus anno 1190. in Palæstinam transiens fecerat testamentum, in vi cujus Sedes Episcopales, & aliquæ Abbatiæ Regales à Regina, & Archiepiscopo ad hoc constituto deberent petere liberam electionem: *Regalibus interèa in manu Reginæ, & Archiepiscopi retentis*, donec Electus consecratus sit, vel benedictus, cui tunc Regalia sinè contradictione redderentur. Numquid verò sub istis Regalibus utpote restituendis electo, ubi consecratus fuerat, necessarium est, intelligere Bona feudalia?

89. Anno 1201. Episcopus Matisconensis publico inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 15. n. 365.* relato instrumento, professus quidem fuit, *omnia Regalia, & omnes proventus Regalium existentes in Regno Franciæ liberè possidebat.* Sed numquid istæc verba ly *Regalia, & omnes proventus Regalium* restringunt Regaliam ad feuda duntaxat Regalia, eorumque proventus? Quo igitur jure fieret extensio ad aliorum, quàm feudalium Bonorum Ecclesiasticorum reditus manu Regiâ capiendos, unà cum beneficiorum collatione, quorum tamen sub ijs verbis nulla prætendi potest esse mentio facta?

Anno exinde 1209. eidem Ecclesiæ Matisconensi à Rege fuit concessum diploma *to. 1. Galliæ Christianæ pag. 683.* relatum, quo statuitur: *Regalia debere esse in manu Decani & Capituli, ut ea integra & salva reservarentur ad opus futuri Episcopi, & tamen electum, quando confirmatus fuerat, venire debuisse ad Regem, ut factâ fidelitate, ex manu Regia reciperet Regalia.*

Habetur insuper instrumentum *to. 1. Bibliothecæ novæ M. S. librorum Patris Labbe f. 1. pag. 483.* quo idem Rex Philippus Augustus Ecclesiæ Antisiodorensi Regalia in perpetuum remisit sub onere tamen mox exprimendo: *Ecclesiæ Antisiodorensi*, inquit Rex, *concedimus in perpetuum, quidquid juris habemus in Regalibus, Sede vacante. Itaque Decanus & Capitulum ejusdem Ecclesiæ custodient Regalia, Sede vacante, & omnes proventus, qui exinde procedent, & prabendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus Episcopi, salvo servitio æquitationis nostræ, exercitûs & submonitionis, sicuti Episcopi Antisiodorenses nobis fecerant.* Ex hoc equidem diplomate inferri videtur, ante illam liberationem fuisse Ecclesiam Antisiodorensem subjectam Regaliæ: sicuti in Regestis Cameræ Computorum habetur etiam, totam provinciam Senonensem, ejusque Suffraganeos Regaliæ juri subjacere; excepta Diœcesi Antisiodorensi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur fecisse permutationem cum Rege, feudum scilicet ac homagium Giemi transferendo in Regiam Majestatem. Numquid ergo hinc conijcere licet, Regaliam fuisse restrictam ad feuda, eamque habuisse quidem locum in locis feudali consuetudinario jure utentibus, in quo censu erat Ecclesia quoque Antisiodorensis? Quâ proindè ratione hinc argumentari liceret, pro Regaliæ extensione ad universas Galliæ Ecclesias Episcopales, tali jure consuetudinario minimè utentes?

Solet equidem pro Regalia allegari Innocentij III. Rescriptum, quo narratur Rex, Ecclesiâ Laudunensi vacante *præbendam N. Canonici ejusdem Ecclesiæ uti vacantem secundùm antiquam & approbatam consuetudinem Regni sui Clerico N. concessisse.* Verùm in eodem Rescripto habetur, quòd Rex petierit, ut, quod super hoc fecerat, Pontifex dignaretur Apostolicâ authoritate confirmare. Numquid ergo hinc infertur Rex erga Canonicatum illum haud prætendisse pleni juris collationem, sed jus nominandi, seu præsentandi duntaxat?

Pro Regaliæ justificatione adduci solet quoque epistola Innocentij III. *lib. 13. & 52. tit. 14.* item *39. & 40. lib. 15.* in quarum posteriori Pontifex dicit, cùm Sedem Episcopalem vacare contingit, tantummodò fieri, *fortè* consuevisse, *quòd Rex non solummodò domos, verùm etiam decimas, & oblationes, nec non & quæcunque alia, quæ invenit, faciat omninò saisire* (sive ad Regias manus recipere) *& in quibusdam Ecclesijs conferat prabendas vacantes.*

Verùm

93. Verùm in hoc Rescripto singulariter notandum venit, quòd Regaliæ prætensum jus dicatur unicè niti consuetudine, eâque non absolutè assertâ, sed sub dubitatione insinuatâ per particulam *fortè*, neque erga omnes, sed quasdam Ecclesias fuerit à Rege prætensa collatio non tam pleni juris, quàm præsentatio ad ad præbendas vacantes. Quomodò igitur ea Regalia extenderetur ad Ecclesias, quæ non æquè, ac Aurelianensis & Antisiodorensis, de quibus ibi sermo est, reguntur consuetudinario feudali jure, quemadmodùm in aperto est, Aquitaniam, Occitaniam, Delphinatum, & Provinciam non illo consuetudinario, sed alio, quod scriptum vocari solet, jure gubernari, ac propterea in libertatis Canonicæ possessione hucúsque perstitisse. Quinimò quia Innocentio persuasum fuerat, Philippum non in sola feuda, sed reliqua etiam illarum Ecclesiarum Bona injecisse manum, ad minas, etiamsi non audiretur, *in epist. 40. lib. 3.* inventatas processit.

94. Ad illud porrò jus consuetudinarium restringi debet Regalia Ecclesiæ Cenomanensis, utpote in provincia juris consuetudinarij consistens, cujus Episcopus in instrumento inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 15. n. 7. pag. 366.* relato, faciens Ludovico VIII. *Sacramentum fidelitatis perinde, ac alij Episcopi Regni faciunt, recognovit Regi, tum quòd ratione ipsius Sacramenti nullum sibi imponendum sit onus novum, aut gravamen, sed quòd ipse & Ecclesia sua debeat manere in pristinis libertatibus, quas habuissent tempore Philippi Regis Francorum, & Regum Angliæ Henrici ac Richardi: tum quòd quando electus Cenomanensis erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo, qui potestatem habet confirmandi, ipse reddat ei Regalia sua per Nuntios deferentes litteras patentes de confirmatione, & tamen electus teneatur adire Regem post susceptionem Regalium, & eidem Sacramentum fidelitatis præstare.* Num igitur ultra sphæram hic circumscriptam fas est, extendi Regaliam erga Ecclesiam quoque Cenomanensem, vel alias insuper Ecclesias feudali consuetudinario jure minimè contentas?

PROBATIO III.

Complectens summariam confutationem argumentorum, quæ Natalis Alexander in sua de Regalia dissertatione adfert sub temporibus sancti Ludovici, ejusque filij Philippi III.

95. PRimò inducitur S. Ludovicus, teste Nangio *in ejus vita* in Ecclesijs Cathedralibus, Sede vacante, ratione custodiæ Regalium *ex consuetudine exercuisse jus collationis beneficiorum.* Idem Rex sanctus sacram expeditionem facturus, Regijs litteris inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 15. n. 12.* relatis anno 1248. concessit Matri suæ Blanchæ, *ut plenariam habeat potestatem, dignitates & beneficia Ecclesiastica conferre, fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis Regalia restituere, dareque vice suâ eligendi licentiam Capitulis & Conventibus.*

Verùm a prime animadvertendum est, 96.
quòd jus collationis beneficiorum à S. Ludovico exercitum dicatur fuisse restrictum *ad Ecclesias Cathedrales, ubi, Sede vacante, ratione custodiæ Regalium ex consuetudine ad eum pertinebat collatio præbendarum.* Quare ultra hanc consuetudinem non in omnibus Franciæ Ecclesijs pro tunc, uti *supra* visum est, *inferiusque* magis videbitur, obtinentem extendi haudquaquàm debet exemplum S. Ludovici. Neque verò illa collatio erat pleni juris, cùm alioqui Bonifacius VIII. Philippo IV. S. Ludovici Nepoti jus illud competere, minimè negâsset. Iuxta cujusmodi proinde restrictiones, accipienda est *superiùs* relata Matri suæ Blanchæ à S. Ludovico facta concessio. Et hinc, quod ex M. S. codice Bibliothecæ Colbertinæ Stephanus Baluzius *to. 4. miscell.* edidit instrumentum, quo recensentur collationes præbendarum à Blancha Regina tempore Regalium factæ, minimè probat extensionem Regaliæ ultra provincias, quæ jure consuetudinario reguntur, ubi etiamnum viget jus Relevij, qualis est Ecclesia Suessionensis, de qua illud instrumentum disponit. Sed neque hanc jure consuetudinario ulteriorem ad Ecclesias Aquitaniæ præsertim Occitaniæ, Delphinatûs & Provinciæ, quæ nunquam Regaliæ obnoxiæ fuerunt, extensionem probat relaxatio Regaliæ Archiepiscopo Turonensi à Regina Blancha facta, juxta instrumentum inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 15. n. 13.* editum.

Ad hoc firmandum, singulariter facit 97.
sancti Ludovici constitutio ex veteri Regesto, quod extat in Camera Computorum Parisiensium descripta, & edita à Petro de Marca *lib. 8. de concord. Sacerdot. & Imperij cap. 24. n. 3.* Cujus sequens est tenor. Nempe causa de Regalia Ecclesiæ Aniciensis apud Vetaunos inter Capitulum, & Regem S. Ludovicum anno 1259. suborta, & in Parlamento Parisiensi examinata, Regis constitutione ita finita fuit, ut sua Majestas jurisdictionem temporalem *jure Regalium* in civitate, suburbijs, & territorio pedagium etiam civitatis, & alios reditus in eadem civitate & territorio ad Episcopum pertinentes, *exceptis reditibus altarium*, sibi, suisque Successoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinuerit. Cùm autem inquisitione factâ, probatum esset, Regem nunquam ad manum suam revocâsse domum Episcopalem, neque arcem civitatis, castra etiam, aut villas & pedagia extra civitatem, nisi a duabus postremis vacationibus, nec ipsum, aut ejus Prædecessores unquàm, vacante Ecclesiâ Aniciensi, *dignitatem aliquam in ea contulisse, seu præbendam*; vel ipsi, aut ejus Prædecessoribus annuntiatas fuisse mortes Episcoporum, vel petitam à Capitulo eligendi licentiam, immunitatem ab his oneribus illi Ecclesiæ confirmavit: sibi tamen reservando jus occu-

pandi arces & castra jure supremi dominij. Circa quam proinde S. Regis constitutionem notatu digna est animadversio Authoris *Responsionis ad Natalis Alexandri dissertationem art. 4. §. 31.* allata, quòd præsumptio Juris ita staret pro libertate Ecclesiarum, ut ipsomet de Marca *lib. 8. concord. cap. 24. n. 2.* teste, probanda fuerit possessio Regis in Ecclesijs, juxta quam deinde Curia decernebat de jure Regaliæ, neque sufficiebat probatio cujuscunque possessionis, quæ erat ex antiqua consuetudine, hinc enim à sancto Rege haud fuit rata habita possessio, pedagia extra civitatem ad Episcopum pertinentia recipiendi, eò quòd à duabus duntaxat postremis vacationibus ortum habuisset.

98. Iuxta ejusdem consuetudinis præscriptæ limites intelligendum est Clementis IV. Rescriptum ad S. Ludovicum, *quòd usui, quo in Ecclesia Rhemensi circa collationem beneficiorum utebatur, præjudicare nolit.* Quòd namque Rex iste sanctissimus sphæram jurium præscriptorum in unaquaque Ecclesia nullatenus transgredi vellet, manifestum redditur ex diplomate *to. 10. Spicilegij* Dacheriani *pag. 284.* relato, quo confirmavit diploma Ludovici VIII. Patris sui datum Episcopo Andegavensi, quo firmatis libertatibus illius Ecclesiæ possessis tempore Henrici & Richardi Regum, recognoscitur, ubi electus Andegavensis fuisset confirmatus, Regalia esse ipsi reddenda, post ejusmodi tamen Regalium susceptionem obstricto ipsum Regem adire ad præstandum fidelitatis juramentum. Eadem præscriptæ consuetudinis ratio obtinebat erga Andegavensem & Cenomanensem Ecclesias, in quibus Rex has civitates fratri suo Carolo tradens, sibi reservavit Regalia (NB.) non Ecclesiarum, sed civitatum earundem. Ex eodem juris jam præscripti fonte promanavit potestas Parisiensi Episcopo anno 1299. à S. Ludovico data ad beneficia Ecclesiastica tam ratione Regalium, quàm alio quocunque jure ad suam collationem, aut præsentationem pertinentia, dum esset in expeditione terræ sanctæ, conferenda: sub hisce namque verbis nullatenus credendus est Rex, extendere voluisse seu patronatûs, seu Regaliæ jus ultra suæ legitimæ, ac præscriptæ possessionis sphæram.

99. *Secundò.* Natalis Alexander *in præcitata de Regalia dissertatione sua* pro Regaliæ jure inducit varias, regnante S. Ludovico, factas ejusdem remissiones; aperto adeò, ut infert, argumento de subsistentia talis juris. Sic enim Raymundi Comitis Tolosani, Ducis Narbonæ, & Marchio Provinciæ cunctis Ecclesijs facta cessio importabat promissionem de abstinendo ab injurijs, quibus Ecclesiastica libertas oppressa fuerat. Pergit equidem Natalis Alexander inducere Gregorij X. diploma anno 1271. datum, quo ad instantiam Philippi III. filij S. Ludovici fuit comprobata Archidiaconatûs Senonensis, ab eodem S. Ludovico ratione Regalium ad ipsum spectantis facta collatio. Alterum adhuc inducitur ejusdem Pontificis diploma, quo Philippus Rex rogabatur, ut electo *Novionensi Episcopo Regalia redderet.*

Verùm sive per Regalia intelligantur Bona duntaxat feudalia à Regia manu recipienda, sive alia quædam jura collationis v. g. beneficiorum, ex utroque illo adducto exemplo unicè probatur Regaliæ usus, ubi ejusdem jus præscriptum invaluerat, nec adeò quidquam hinc argumenti sumere licet ex Regaliæ extensione ad ulteriores Ecclesias, potitas Regaliæ immunitate ac libertate Canonicâ; de cujusmodi extensione unicè in præsenti est concertatio.

PROBATIO IV.

In qua Regaliæ ex jure feudali originem trahentis progressus ad præsens institutum nostrum non incommodè ostenditur ab Authore *Galliæ vindicatæ dissert. 1. §. 1. n. 1.*

REgum nempe liberalitate non solùm magnâ vi auri, gemmarumque ac pretiosæ suppellectilis augebantur Ecclesiæ, sed insuper dotatæ fuerunt quàmplurimis feudis dominijs & latifundijs, ita tamen, ut hæc omnia essent à Principibus data jure beneficiario seu feudatario. Hinc sumpta est occasio, vacantium Ecclesiarum fructus, velut aperto feudo, usurpandi, & ita jus Regaliæ à feudis originem duxit, quod etiam ex eo palàm fit; quòd nomen Regaliæ, investitura, & exhibitio juramenti, & homagij, aliæque solennitates, quæ Regaliam comitantur, omninò feudum redoleant, & hoc ipsum tum celebres Historici, tum plerique Jurisconsulti docuêre, jus videlicet Regaliæ, feudis deberi. Vide Marc. *lib. 8. c. 22.* Rigord *de gestis Philippi Augusti ad annum 1209.* Innoc. III *lib. 1. epist. 190. & lib. 2. epist. 40. 106. 107.* Matth. Paris. *ad ann. 1164. Libert l' Egl. Gallic. §. 106.* M. de Pamiers *fol. 17.* & Philip. Pulch. *in mandato* Archiep. Senon. *dato*, ubi: *Sicut feudum Vasallo vacans cum suis reditibus interim à Domino licitè occupatur, idque de jure, & generali consuetudine, sic Nos, & nostri Antecessores, vacante Ecclesiâ Carnotensi temporalia accepimus, & nostros facimus omnes fructus &c.*

Quæ etiam causa est, ut sicut in feudis non ubique Galliarum, defuncto Domino, jus Relevij locum habuit, ita neque jus Regaliæ ex feudis natum. En alium quidem & speciosum titulum vacantis Ecclesiæ fructus populandi, jus videlicet feudi. Sed neque hîc finis, ut in hydrope, sitim potus accendebat. Supererant decimæ, oblationes, ac munera fidelium, bona mobilia, suppellex domestica, quo jure hæc occuparentur? nam & ista Regaliæ accesserunt. Repertum est jus spolij; hoc à Clericis cœptum, qui sublato Antistite, ædes diripiebant, legebantque velut ex naufragio spolia: & prædam agentibus Clericis, cur Principes cessarent, & potentiâ & beneficijs in Ecclesiam collatis multò potiores?

Equidem & sacri Canones & leges Imperia-

peratorum in hujusmodi prædones sæpè graviterque armatæ sunt, (vide Concil. Antioch. *can. 24. & 22.* & Concil. Chalcedonense *can. 2.* & constitut. Joann. ac Emmanuel. Comn. *anni 1120. & 1213.* & in Decreto *causam 12. q. 2.*) sed cohiberi abusus non potuit: nam nec Principes metus legum tenebat, & istorum exempla minores sequebantur. Abusus ergo in usum transijt; usus verò, ut ferè solet in conniventiam, hæc in privilegium (concedi enim solent, quæ vetari non possunt) & indulgentiam necessitas fecit. Hic *tertius* Regaliæ gradus fuit. Ab hoc ad collationes beneficiorum, quæ curam animarum non habent, processum est. Quis crederet hoc à Laicis tentari potuisse? Tentatum est, imò & obtentum, ac tandem, quod inveteratum usum fere consequitur, à Summis Pontificibus toleratum, & tolerantia pro privilegio accepta: ac *primò* quidem nominabant tantùm, aut præsentabant Principes; Capitulum Metropolitani, aut Pontifex conferebat; postea libertate ex eventu auctâ, etiam collationes Beneficiorum secutæ; quo, inquies, hoc jure? Quòd collationes inter fructus Episcopatûs conferentur, utique familias de Regibus benè meritas remunerari liceret, intacto interim, & illibato ærario; nec Pontifices abnuebant.

194. Philippus Augustus anno 1190. expeditioni in Terram sanctam accinctus Reginæ Matri, & Rhemensi Archiepiscopo, *quando Regalia in manus Regias devenerint*, collationes Beneficiorum testamento committit. Idem Philippus uni ex Aulicis Capellanis Canonicatum vacantis Ecclesiæ Laudunensis, *secundùm antiquam, & approbatam Regni sui consuetudinem* contulerat, & cùm Innocentius III. alium promovisset, querelæ Romam allatæ ad Pontificem sunt, nec verò rejectæ, sed causa, uter ex promotis præhabendus esset, ad Capitulum Laudunense remissa.

195. Idem quoque jus à Ludovico sancto exercitum: nam primam in Palæstinam expeditionem adornans, Regiæ Matri inter alia concedit, *ut dignitates, ac Beneficia Ecclesiastica vacantia conferre, fidelitates Episcoporum recipere, & Regalia restituere eis debeat.* Vide Testamentum Regis Aug. dans *le Liv. des Libertez de l'Eglis. Gall. chap. 16. a. 4.* Bull. Innoc. III. *ibid. art. 6. Litter.* Ludovic. IX. *anno 1248. ibid. n. 15.* Nangnius in vita S. Ludovici *pag. 445.* Idem repetit in litteris ante secundam navigationem datis: & cùm Clemens IV. Papa, vacante Ecclesiâ Rhemensi, præbendam contulisset, Rege sancto sua privilegia violari conquerente, Pontifex gratiam jam in alium collocatam revocavit. Gregorius X. anno 1271. collationem à Rege Philippo Audaci factam, vacante Ecclesiâ Senonensi, probat, confirmatque.

196. His ergo gradibus Regalia processit; sed nec stetit hîc quidem. Olim Provincias tantùm, & Ecclesias aliquas complectebatur, non verò omnes, quod *infra* demonstrabitur, nec Principes Sacerdotia omnia conferebant, sed ea tantùm, quibus nulla animarum cura erat. Hâc verò tempestate, anno videlicet 1673. Regia declaratio prodijt, quæ jus Regaliæ ad omnes Gallicas, aliasque Provincias Regi subjectas profert. Crediderim, illam non tam Regio motu & voluntate, quàm adulantium artibus expromptam; quò enim jus Regaliæ ampliùs patet, tantò eorum, qui Regem circumstant, major est jurisdictio, ac facultas amicos, clientelas, favores, opesque parandi, collatis in eos Beneficijs, pro quibus ipsi supplicant, aureisque Principis occupant; maximè cùm eorum arbitrio Sacerdotia plerumque committantur. Privatis ergo studijs Regium nomen obtenditur.

Accessêre aliæ, quæ hanc ipsam collationem supra omnes Canones, regulasque Ecclesiæ in immensum extendunt. Olim sola nominatio, aut præsentatio, nunc collatio, & institutio est. Admittuntur resignationes *in favorem*: onerantur Sacerdotia pensionibus: conferuntur Beneficia non solùm libera, sed etiam jurapatronatûs tam Laici, quàm Ecclesiastici obnoxia: Canonicatus, aliæque dignitates, quarum collatio non ad solum Episcopum, sed etiam alternativè ad Capitulum, seu Collegium spectat, nullo discrimine Regaliæ subduntur; imò etiam ad Capitula Regularium, & quæ in litem deducta sunt, quæque solo facto, quamvis non jure, aut econtra, quæ solo jure, & si non facto vacant, legitimis innoxijsque possessoribus nullâ causâ submotis; & quia post Galliæ Concordata solis Regibus jus ad Episcopatus nominandi concessum est, extinctis electionibus; facile est, nominationem diu, multumque differri, quod Principis arbitrio sedet, interim dum delectus agitur, dum Romæ confirmatio elaboratur, dumque in actualem possessionem Episcopus intrat (nam & hæc necessaria est) quis non videt per tot rerum, temporumque ambages, & Regaliæ spatia protendi, & temporis beneficio proventus Regios augeri, Ecclesiâ interim viduitati, prædæque relictâ? 197.

Denique his omnibus Beneficia Curata, Ecclesiæque parochiales augendo velut fasci paulatim adjiciuntur, aut saltem voluntas, conatusque Regijs Officialibus non deest; quod etsi Archiepiscopus Tolosanus in epistolis ad Summum Pontificem datis neget, aut potiùs Sacerdos ille, qui Archiepiscopi calamum ducit, apertè tamen convincitur, tum ex varijs, vulgatisque libellis, quibus etiam ad hæc Beneficia Regaliam extendi posse, persuadere conatur: tum Episcopi Apamienfis testimonio apud M. de Pamiers *de la Regale f. 44.* in libro, quem de Regalia scriptum reliquit, & quem nemo hactenus confutare est ausus, quamvis non deessent in Gallia, qui cuperent, nisi veritatem erubescerent: tum exemplo Archipresbyteratûs cujusdam (Archiepretura d'Ax pigliata al Sig. Dorat e data ad un Regalista Moceau) in Episcopatu Apamiensi, quem legitimo possessori ademptum, quòd Episcopi sui causam Romæ ageret, in alterum contulêre Regaliæ obtentu. 198.

109. Videas ex hactenus dictis, per quos gradus paulatim Regalia profecerit, & quibus incrementis ad fastigium provecta sit: in quibus nemo tam leviter tinctus est, qui non videat, quàm multa sint sacris Canonibus adversa, & Canonibus non recentibus tantùm, quos Galli neglectui habent, sed Canonibus antiquissimis, & illis ipsis, quos libertatis Gallicæ fundamenta esse dicunt. Mirari ergo satis non possum, eos ipsos, qui singulis ferè lineis observantiam Canonum decantant, qui hanc ipsam Summis Pontificibus contentissimè inculcant, ejusque relaxandi Canones facultatem in litem vocant, quique libertatis Gallicanæ fundamenta in Canonibus ponunt, adeò tamen in Canones offendere, ut ne curare videantur.

110. Quid magis Patrum decretis prohibetur, quàm electiones liberas turbari, proventus Ecclesiarum diripi, Monasteria Abbatibus titularibus commendari, Beneficia pensionibus subdi, resignationes *in favorem* recipi, nominationes Patronorum occupare, causas Ecclesiasticas profanis tribunalibus subdere, Principes Ecclesiasticæ libertati graves silentio, applausu, consilijs, turpique adulatione permulcere, imò nolentes impellere; eos verò, qui officij sui, ac periculi monent, adornatis accusationibus suspectos, reosque facere, facultatibus, exilijs, supplicijsque punire, nullius criminis compertos, quàm quòd æquum gratiæ præhabuerint, magisque animas Regum, quàm præmia dilexerint? Et denique, ut mille alia dissimulem, quid magis in Canones pugnat, quàm limites ab Oecumenico Concilio, & sexcentorum Patrum suffragijs, imò Divino instinctu, Regioque assensu fixos evertere, ac privatis lucris posthabere? Et tamen qui hæc Parisijs non ferunt tantùm, sed etiam faciunt, audent tamen Romam inclamare, & Canonum admonere, ac illud Zachariæ Pontificis ingerere: *Dominentur vobis regulæ, non vos regulis.* Parcite, rogo, vocibus, nec eas in longum producite; vos ipsos, & vicinam aulam monete, hîc regulæ gemunt, hîc Canones suspirant, & ab aliquo Sacerdotum liberam vocem, ac patrocinium expectant, quam si audirent, quies Romæ, & silentium; vobis enim, vestræque libertati pugnat.

111. Illud verò risum, an indignationem meretur? tot abusibus excusandis, quæ Regaliam, ut nunc est, consequuntur. *Regem, negant* apud M. de Pamiers *de la Regal fol. 43. n. 1. cùm Beneficia confert, Canonibus teneri, quippe apertâ semel, & durante Regaliâ, multò ei, quàm Episcopis, Romanoque Pontifici ampliorem esse facultatem, jus Regaliæ jure Canonico, quod Episcopos ligat, multò esse antiquius, nec proinde restringi Canonibus potuisse; Regem ergo in vacantem Ecclesiam Episcopis quidem succedere, sed authoritate plusquàm Episcopali, Regiâ videlicet nullis Ecclesiæ legibus, nullis regulis finitâ.* Ita Regiam mentem, ac sententiam Episcopus Aa mensis expressit, testis oculatus, & experientia doctus.

PROBATIO V.

Prioris continuativa ex prælegato *Galliæ vindicatæ* Authore cit. §. 1. n. 3.

112. ENimverò, pergit is Author, sub Regibus Galliæ *primæ, secundæque* stirpis certum est, Regaliæ locum non fuisse. Recepta est omnium ferè Scriptorum opinio, tres esse Regum Galliæ stirpes, Merovingicam scilicet, Carolinam, & Capeticam. Primus è Merovingica stirpe Christianam religionem amplexus est Clodovæus Magnus. Hic anno 481. Regnum adeptus est, defuncto Patre Childerico. Anno posteà 496. (Alij ponunt annum 499.) partim Clotildis Reginæ precibus flexus, partim victorijs miraculo datis, Christianam religionem, recepto Baptismate, professus est; exemplum Regis trià militum millia imitati, qui eâdem die Baptismo tincti sunt. Duravit stirps Merovingica in annum 752. 116. 117.

113. Ab hac in stirpem Carolinam migravit Childerico tertio in ordinem redacto, utpote rebus gerendis impari, cui authoritate Zachariæ Pontificis Maximi Pipinus successit Caroli Martelli filius. Pipinus, ab eoque progeniti, annos ducentos triginta sex rerum potiti familiæ Capetæ sceptrum cessêre. Quippe Ludovico quinto stirpis Carolinæ ultimo sine filijs extincto, Hugoni Capeto Regnum delatum est Statuum, Procerumque communi voto, & Carolo Lotharingiæ Duce ac Ludovici Nepote Regnis excluso.

114. Inijt Capetus Regnum anno post Christum natum 996. (Alij initia Capeti referunt ad annum 987. Vide Spondanum.) Binæ ergo stirpes Merovingica, & Carolina annos duos, & nonaginta supra quadringentos duravêre, quo toto annorum decursu aut Gallos latuit Regalia, aut si aliquando aliquid Regaliæ simile emersit, graviter pulsatum est. Regebantur Ecclesiæ Gallicanæ ex præscripto tum primorum quatuor Conciliorum, tum aliorum, quæ in Gallijs celebrata fuerunt.

115. Hæc verò omnia gravissimis Decretis Regaliæ obstabant. Concilium Chalcedonense, cujus, teste Hincmaro *epist. 21. & 41.* maxima apud Gallos reverentia, *can. 25.* loquitur: *Reditus verò vacantis Ecclesiæ ab Oeconomo Ecclesiæ integri custodiantur.* Concilium Regiense *can. 6. anno 439.* ita decernit: *Cum tale aliquid accidit* (ut videlicet Episcopatus aliquis moriatur) *vicinis vicinarum Ecclesiarum inspectio, recensio, descriptio, atque mandatum.* Concilium II. Aurelianense *can. 6. anno 533.* hæc habet: *Episcopus, qui ad Episcopum sepeliendum venerit, evocatis Episcopis in unum, domum Ecclesiæ adeat, disciplinâque idoneis personis custodiendam relinquat, ut res Ecclesiæ ullorum improbitate non pereant.* Concilium V. Parisiense *can. 7. anno 615.* in hæc verba statuit: *Defunctis Episcopis non per præceptum, neque per judicium, neque per Judicem, neque per qualemcunque personam res Ecclesiæ contingantur, sed vel ab Archidiacono, vel* 118. 119.

Clero

Clero in omnibus conserventur, vel defensentur; quòd si quis aliquid auferre præsumpserit &c. ut necator pauperum communione privetur. Concilium Pontigonense *can. 14. anno 876.* hunc in modum sub Carolo Calvo definit: *Quoties Divinum judicium Ecclesiæ Præsulem à sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat, sed ipsius Ecclesiæ Oeconomo liberum sit, Canonico more, justè rationabilitérque deputata Successori servare &c.*

116. Concordant Concilijs Capitularia Caroli Calvi: *Si quis*, inquiunt *tit. 53. c. 8. anno 877. Episcopus interim obierit, Archiepiscopus ipsi Sedi Visitatorem secundùm sacros Canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat.* Idem teste Baronio *ad annum 909. can. 14.* in Concilio Troslejano apud Suessiones habito declaratur, in quo abusus bona vacantis Ecclesiæ usurpandi graviter damnatur.

117. Adstipulatur Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui floruit circa annum 860. *epist. ad Episcopos Rhemenses* his verbis: *Facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes Oeconomum integræ conservari jubentur futuro Successori ejus Episcopo: quoniam res & facultates Ecclesiæ non in Imperatorum, atque Regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, vel diripiendum.* Idem *epist. 21.* ad Episcopos in Concilio Sessionensi congregatos: *Lingonensem Ecclesiam pastore viduatam usurpare præsumpsit Vlfadus, ejusque facultates, quæ secundùm Concilium Chalcedonense penes Oeconomum futuro debuerant reservari Episcopo, suis, suorúmque usibus arrogavit.* Et *epist. 45. Res & facultates Ecclesiæ viduatæ nemini Christiano licet præsumere; multò minùs idem Episcopus* (Artardus) *sine sui statûs periculo, ac animæ detrimento Ecclesiæ invasæ res, & facultates prævalet usurpare.* Et *ep. 12.* ad Ludovicum III. *Secundùm formam Regularem electionis Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis existat. Et consentientibus Clero, & plebe, eum vobis adducant, ut secundùm ministerium vestrum res, & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum, & tuendum vobis Dominus concessit, suæ dispositioni committatis.*

118. Carolus Calvus in diplomate, quo Ecclesiæ Rhemensi omnes facultates restitui jubet, quas obtentu necessitatis ærario intulerat, ita loquitur: *Si illa, quæ quácunque necessitate corrupta sunt, Regiâ nostrâ authoritate corrigimus, saluti nostræ consulimus, & Regium ministerium à Domino susceptum exercemus. Proinde noverit fidelium solertia, quia res, ex Episcopatu Rhemensi, quas magnâ necessitate, ac per omnia inviti, dum à pastore Sedes sancta illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus commendavimus, electo, & ordinato Hincmaro cum integritate restituimus.* Flodoardus *lib. 3. hist. Rhem. c. 4.* Qui etiam similem restitutionem, eandemque ob causam à Ludovico Pio factam recenset.

119. Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis, qui floruit *circa annum 996.* cuique postea in Pontificatum Romanum evecto Silvestri II. nomen fuit: Sit vestra, ait *ep. 118.* pervigil cura, ut secundùm Divinas, & humanas leges res defuncti Episcopi tam mobiles, quàm immobiles futuro reserventur Episcopo, ne si, quod absit, malè cautum fuerit, cùm Regalis censura, tum etiam gravior adhibeatur Divina sententia.

120. Alphonsus Comes Tolosanus anno 1138. apud Catell. *hist. des Comtes de Toulouse*: *Ego Alphonsus derelinquo, & absolvo coram populo Christiano illam pessimam consuetudinem, quam Antecessores mei in rebus Tolosani Episcopi, defuncto eodem Episcopo per violentiam exigebant &c. nec ego, nec ullus ex hæredibus meis habeat potestatem rapiendi, vel capiendi res Episcopi post mortem ejus.*

121. Ermengardis Vicecomes Narbonensis *l. 8. concord. cap. 18.* apud Marcam: *Ego Ermengardis recognoscens injuriam, quam parentes mei, & ego in possidendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ, hucúsque perperam fecimus, pro remedio animæ meæ, & parentum derelinquo.*

122. Raymundus VI. Comes Tolosanus apud dictum Marcam *l. 8. c. 27. anno 1209.* cùm à censuris, quas Albigensibus in patrocinium receptis meruerat, absolveretur, ita in Conventu Episcoporum, Legatoque Summi Pontificis præsente, loquitur: *Ego Raymundus, Dei gratiâ Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, Marchio Provinciæ, pro remedio animæ meæ, omnibus Ecclesijs, & domibus religiosis Provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Auxitanæ, Burdigalensis, & Bituricensis immunitatem secundùm statuta Canonum defunctis earum Episcopis, vel Rectoribus, concedo: ipsas domos nullo modo spoliabo, nec administrationi earum seu Custodiæ, occasione alicujus consuetudinis, &c. ullatenus immiscebo.*

123. Ermengaudus Comes Urgellensis Provinciæ Taraconensis anno 1162. apud Baluz. *Miscell. l. 2. pag. 225. Pro remedio animæ meæ, dimitto, atque evacuo horribilem illam, & malè consuetam rapinam, quam post decessum Episcopi Sedis Vrgelli exercere consueverant Antecessores mei &c.*

124. Raymundus Comes Barcellonensis anno 1150. apud Marcam *l. 8. c. 18*: *Votum vovi Domino Deo, quòd quandam nefariam consuetudinem, quæ quondam extiterat in Ecclesijs Cathedralibus nostri regiminis, abolerem, & extinguerem: erat enim quædam consuetudo, ut decedentibus Episcopis &c. quod quia cognovi, alienum esse à Divinis legibus & humanis &c.* Quibus tandem accedit Fridericus II. Imperator, qui in suis constitutionibus: *Pravum usum* vocat *à suis Majoribus inductum.* Vide Marcam *loc. cit. c. 23.* & Baron. *ad ann. 1097. n. 71. 77. 78.* & *annum 996.*

125. Ex hactenus productis testimonijs, quæ planè clarissima sunt, omnique exceptione majora, multa colligere licet, ad rem nostram apprimè facientia. *Primò* patet, vacantium bonorum occupationem gravissimè à sacris Canonibus, Concilijsque, & præsertim Gallicanis prohibitam fuisse: imò & Reges ipsos hunc ipsum & abusum agnovisse, & execratos esse, atque ut corrigerent, adlaborasse, cùm

videli-

videlicet sibi reddebantur, conscientiâ, & pudore delicti cupiditatem vincentibus: non potuit ergo hoc jus coævum esse Coronæ Gallicæ, quod Canones, quod Episcopi, quod Reges Galliæ tanto tempore, spatio videlicet quingentorum annorum aut ignorârunt, aut execrati sunt: quamvis enim subinde se in lucem proferret, imò aulam penetraret, semper tamen pro abusu, & flagitio proclamatum est, nunquam pro jure; quis verò, nisi temerarius, abusus, & flagitia Gallicæ Coronæ connata esse dixerit?

126. *Secundò.* Et quamvis hæc vacantium Ecclesiarum rapina honestiùs processura, consuetudinem prætexeret; non ideo tamen à Galliæ Episcopis, aut etiam Principibus excusata est; cùm enim agnoscerent, non sacris Canonibus tantùm adversari, sed etiam Divinis legibus; meritò negabant, obtentu consuetudinis, aut beneficio temporis purgari posse; quantò enim diutiùs, tantò pejùs peccabatur; nam ut benè advertit S. Cyprianus *epist. ad Pomp. Consuetudo, quæ apud quosdam obrepsit, impedire non debet, quò minùs veritas prævaleat & vincat: nam consuetudo sinè veritate vetustas erroris est.*

127. *Tertiò.* Emicuit vigilantia, & vigilantiæ par libertas Cleri Gallicani, quippe ut primùm hic abusus in publicum prodibat, mox cædebatur, Canonibus, decretis, liberisque vocibus in illum armatis; nulla hîc adulatio, nulla turpis conniventia, nec servile obsequium, quo Principum delicta plerumque palpantur, remedijs omissis; monebantur, rogabantur, terrebantur, ut etiam inviti & morbum agnoscerent, & medicinam admitterent; quâ libertate, venerationi mixtâ effectum est, ut malè incœptis Principes absisterent, amarentque, qui pronos in præcipitium morabantur.

128. Cùm ergo ex allatis proximè testimonijs constet, in Gallijs usque *in tertiam* Regum progeniem, imò ne quidem sub hujus initia locum Regaliæ fuisse, proximum est, ut, quando cœperit, dica mus. In quo communis ferè eorum, qui hâc de re scripserunt, sententia est, post *undecimum* sæculum cœpisse, magno illo de investituris certamine, quod tanto tempore Ecclesiam, Imperiumque collisit, feliciter pacato. Id contigit anno Christi 1122. in Concilio Lateranensi operâ præsertim, prudentiâque Calixti II. Pontificis Maximi. Vide M. de Pamiers *fol. 12.* Maymbourg *de la decadenz f. 409.* de Marca *de concord. l. 8. l. 23.* Regale Sacerdot. *fol. 70.*

129. Ab hoc tempore jus Regaliæ invaluit, usu præsertim, ac Episcoporum, Summorumque Pontificum tolerantiâ, quæ pro *tacito* privilegio acceptabatur: nec deerant, qui crederent, jus Regaliæ, ac vacantium bonorum occupationem necessariò consequi ex Concilij Lateranensis indulgentiâ, & Calixti constitutione, sublatâ annuli, atque crucis cæremoniâ investituras concedentium, quod etiam Maymbourgus asserit, probatque, semper in Reges, quàm in Episcopos pronior; *Si enim,* inquit, *fouda, jura, patrimonia, aliæque facultates Ecclesiæ in manus Principum haud recidunt, sublato Pastore, quâ ergo data à Principibus possunt recèns electis? Dare enim non possunt, si non habent; cùm ergo Concilium Lateranense investituras feudorum Principibus concessit, etiam occupationem concessit vacantium Ecclesiæ bonorum, hæc enim investituras necessariò consequitur.* Maymbourg *de la decadenz fol. 409. & fol. 214.*

Hæc alibi etiam Maymbourgus repetit; quæ quàm malè connectantur, nemo non videt, & malim ego malæ causæ potiùs adscribere melioribus argumentis destitutæ, quàm ipsi Maymbourgo, historiam magis, quam Canones, legesque, & feudorum jura callenti: feuda enim familijs, non personis addicuntur, nec obitu Vasalli ad Dominum, sed ad hæredes transeunt. *Cap. Imperialem. §. Prætereà, de prohib. feudi alinat. per Frid. & Cap. 1. Quæ fuit prima causa.* Fructus quoque ante investituram hæredi proveniunt; imò gravissimorum Doctorum sententia est, etiam per annum, & diem non petitâ investiturâ, feudum proximis agnatis, non Domino deberi; cur enim alterius culpam luant innocentes? Vide Bald. Zas. Socin. & alios apud Clar. *§. Feud. q. 66. n. 6.* Et faciunt C. *un. §. Porrò qualiter olim poterat feudum alien. Cap. Titius. Cap. Si vasall. de feudo defuncti.* Nec obstat jus *Relevij*, quod paucis tantùm in locis obtinuit. Quantò hæc certiora sunt, de feudis Ecclesiæ relictis? Ut primùm enim Ecclesiæ adscribuntur, mutant qualitatem, evaduntque *Bona Ecclesiastica, patrimonia pauperum, peculium Dei*; nec profanis usibus accommodari ampliùs possunt, quod sæpe non à sanctis Patribus tantùm, sed etiam Ethnicis scriptoribus dictum est. Cæterùm hujus ex investitura ad cohonestandam Regaliam petiti fundamenti confutatio videri potest *supra in responsione ad 2. præsentis §. 2.* ex parte adversa adductum argumentum.

§. III.

In quem statum sit reposita Regalia per Concilium Generale Lugdunense II.

PRovinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Burdigalensis, & Bituricensis Ecclesijs Cathedralibus anno 1209. concessa est immunitas non solùm ab exactionibus & vectigalibus quibuscunque, sed etiam à Regalia; ut constat ex instrumento relato *tom. 2. par. 1. Concil. P. Labbe pag. 40.* Sic Ildephonsus Comes Tolosanus anno 1138. remisit consuetudinem occupandi spolia Tolosani Episcopi defuncti, à suis Antecessoribus usurpatam; uti liquet ex charta donationis relata *in histor. Comitum Tolosanorum pag. 195.* Sic Narbonensis Comitissa Ermenegardis anno 1155. usum spoliorum in Ecclesia Narbonensi cessit, juxta chartam cessionis relatam à Baluzio *in addit. ad cap. 18. lib. 8.* & Petro de Marca *de concord. pag. 427.* Sic Fridericus II. jus occupandi spolia Episcoporum & fructus Episcopatuum vacantium Ecclesijs remisit anno 1213. factâ in hunc

hunc finem constitutione, quam deinde Bullâ aureâ ad Honorium III. datâ confirmavit.

132. Verùm ipsissimas has cessiones in suis instrumentis expendendo, meritò animadvertere oportet, ad ea Friderici II. verba, quibus diserte dicit: *Se dimittere, ac refutare abusum, quem in occupandis Bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium sui consueverant Antecessores, committere pro motu propriæ voluntatis.* Quia igitur illud instrumentum minimè importat cessionem juris legitimi, sed cessationem ab injustitia, num hinc fas esset, Regaliæ jus à Rege Christianissimo prætendi in illis ipsis provincijs, quæ per illam Friderici II. constitutionem sunt restitutæ in pristinam & Canonicam libertatem, hucúsque *ibidem* retentam? Deinde comperimus inprimis, quòd Narbonensis Vicecomitissa Ermenegildis in illa cessione *recognovit injuriam, quam parentes ejus, & ipsa in possidendis honoribus, & Bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ hucúsque perperam fecissent, justitiæque instinctu solvere, quidquid rapere, vel aliquâ occasione accipere solebat.* Hadriano VI. confirmante hanc remissionem diplomate suo relato à *præcitato* Baluzio. Num igitur quæ recognita fuit injustitia, propterea quæ per restitutionem ab ipso etiam Summo Pontifice comprobatam reparata, fas est hujusmodi ab eodem Hadriano VI. in suo diplomate vocatam pravam contra Deum & Ecclesiam consuetudinem repetere?

133. Paris tenoris erat cessio usûs facta ab Ildephonso Comite Tolosano *in instrumento superiùs allegato* disertis verbis asseverante: *Se derelinquere, & absolvere coram populo Tolosano illam primam consuetudinem, quam in rebus Tolosani Episcopi defuncti per violentiam exigebant Comites Tolosani, sublatâ sibi & hæredibus suis potestate, de cætero rapiendi, vel capiendi res Episcopi post mortem ejus.*

134. Denique cessio Raymundi Comitis Tolosani coram Milone Apostolicæ Sedis Legato in Concilio apud S. Ægidium facta ita se habebat: *Ut pro remedio animæ suæ & Progenitorum suorum omnibus Ecclesijs Provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Burdigalensis & Bituricensis promitteret, quòd administrationi rerum ab Episcopis, vel alijs Rectoribus defunctis relictarum, seu custodiæ, occasione consuetudinis alicujus, vel aliquâ aliâ se nullatenus vellet immiscere, sed omnia sinè aliqua diminutione defunctorum Successoribus dimittere, nec electioni etiam Episcopi, vel alterius Rectoris Ecclesiæ se immiscere, nullúmque præstare impedimentum, quò minùs electio canonicè fiat, ac liberè.*

135. Quare Generale Concilium Lugdunense II. anno 1274. celebratum, cui mille Antistites intererant, præsederatque Gregorius X. circa Regaliam edidit constitutionem sequentis tenoris: *Generali constitutione sancimus, omnes & singulos, qui Regaliam, custodiam, sive Guardiam advocationis, seu defensionis titulum in Ecclesijs de novo usurpare conantes, Bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium præsumunt, quantæcunque honore dignitatis præfulgeant; Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum &c. qui hoc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Illos verò, qui se, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum pro tempore, quo præmissa sinè debita contradictione permiserint, aliquid percipere, districtè prohibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiquâ consuetudine jura ejusmodi sibi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, ut suos Ministros solidè faciant abstinere. quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec Bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.*

136. Cæterùm rememoratu digna sunt, quæ Natalis Alexander *in sua de Regalia dissertatione* circa prætacti Canonis seu causam, seu intelligentiam sub hisce verbis profert, Regem Christianissimum Philippum III. stimulis conscientiæ urgentibus, per Oratores suos effecisse, ut Regaliæ usus tum quoad suum usumfructum redituum Episcopatûs, tum quoad præbendarum collationem adversùs Canones introductus in Concilio Generali Lugdunensi II. confirmaretur. Scripsit Dominus de Marca *in Commentariolo de Regalia edito*, ac relato inter *Acta Cleri Gallicani tom. 2. pag. 102.* eam ob rem editum esse in eo Concilio Canonem *duodecimum* præsentibus Francorum Legatis, quo jus recipiendi Regalia, confirmatum est in Ecclesijs, ubi recepta erat illa consuetudo, cujus introductio vetita est quoad Ecclesias, quæ ei non erant obnoxiæ. Hanc Petri de Marca sententiam, claris licèt *prætacti* Canonis verbis nixam, improbat Natalis Alexander, cujus proinde in contrarium fundamenta hîc excutere, animus est.

FVNDAMENTVM I.

Natalis Alexandri illum Concilij Lugdunensis Canonem æquivocè interpretantis.

137. Hic Author contendit, eo Canone jus Regaliæ Christianissimis Regibus non esse imminutum, non circumscriptum, non coarctatum ad certas duntaxat Ecclesias, quatenus usumfructum Bonorum Ecclesiæ vacantis, & collationem beneficiorum complectitur; veluti Gallici, quotquot sunt hodie Jurisconsulti supremi Senatûs Parisiensis, aliorumque totius Regni, & Regij Consistorij Patres, Rex ipse, post accuratam sui juris discussionem, habeant certissimum; Clero etiam Gallicano anno 1673. in hanc descendente sententiam.

Responsio.

138. AUthor *Responsionis ad ejusdem Natalis Alexandri de Regalia dissertationem art. 5. §. 2. à n. 2.* respondet, certum esse, quòd Concilium Lugdunense jus Regaliæ Christianissi-

mis Regibus competens non imminuerit, seu circumscripserit, vel coarctârit, sed vetuerit duntaxat, ne ultra consuetudinis antiquæ modum excresceret, ac extenderetur. Excommunicationis quoque sententiâ feriendo illos, *qui Regaliam, custodiam, sive Guardiam, advocationis vel defensionis titulum in Ecclesijs, Monasterijs, sive quibuslibet pijs locis de novo usurpare conantes, Bona Ecclesiarum vacantium occupare præsumunt, quamcumque dignitatis honore præfulgeant.* Ex quo adeò decreto duplex resultat quæstio: altera *Iuris*, *Facti* altera. Et prioris quidem quæstionis status in hoc se tenet; *An illud Concilij Lugdunensis II. decretum impediat, quò minùs Ecclesiæ tunc à Regalia immunes, huic postea servituti subjici potuerint?* Posterior autem quæstio ita se habet; *Vtrùm omnes Ecclesiæ Gallicanæ tempore Concilij Lugdunensis II. fuerint obnoxiæ Regaliæ?* Quarum proinde quæstionum decisiones reservamus in sequentem conclusionem nostram.

139. Interea audire lubeat Authorem *Galliæ vindicatæ dissert. 1. §. 1. n. 6.* illam Concilij Lugdunensis constitutionem diserte ac solidè explicantem. Ubi, inquit, ante hujus sacræ Synodi tempora jus Regaliæ non fuerat usurpatum, prohibet ejusdem *duodecimus* Canon deinceps usurpari, eosque, qui hunc abusum inducunt, nullo dignitatis discrimine anathemate ferit, & ne à quoquam dubitari possit, quid nomine Regalium voluerit Concilium intelligi, multiplicantur aliæ voces æquivalentes: *Custodiæ, defensionis, usurpationis, & vindicationis fructuum vacantium Ecclesiarum*; quæ omnia Regaliam, de qua agimus, tam apertè notant, ut nihil apertiùs dici possit; & videri possunt Glossa, & Archidiaconus *in Cap. Generali. in 6.*

140. Observat etiam Durandus Speculator Episcopus Mematens. *in Comment. cap. 12.* quos Majolus edidit J. C. anno 1569. qui Concilio interfuit, Patrumque jussu Canones contexuit, ac Commentarijs illustravit; Galliæ, Angliæque Episcoporum querelas Concilium, Patresque inclamantium evicisse, ut hic Canon ederetur. Marca verò Archiepiscopus Parisiensis preces etiam Philippi Audacis, ejusque Oratorum accessisse dicit, hoc ipsum à Patribus postulantis. Hæc ergo Regaliæ, seu Custodiæ restrictio ab eo Concilio edita est, cui sanctissimus Pontifex præsederat, cui Episcopi supra quingentos aderant, Prælati mille, omniumque in Europa Principum Oratores, imò & ex Asia, Persiaque: quo nullum in Ecclesia majus, florentiusque habitum est: in quo de summis rei Christianæ capitibus agitatum; cui non Galliæ tantùm Legati, Episcopique assidebant, sed quorum etiam precibus, querelisque datum, ut Regaliæ omnia pervagantis modus aliquis, limesque figeretur, dictâ ijs pœnâ omnium gravissimâ, qui aliquid contra molirentur, aut etiam non obsisterent: quæ omnia mihi volutanti omninò persuadent, hunc Lugdunensis Concilij Canonem Regi Galliarum studiosè occultatum esse, aut aliâ facie, quàm est, exhibitum; & facilè fuit, castris potiùs, armisque, quàm aris intentum fallere; si enim illum, ut est, perspectum habuisset, nunquam credo, tam salubre decretum, tam sanctè, tantoque apparatu in Gallia factum, & Galliæ Regibus, Episcopisque expetitum violari passus esset, tèque parvo, & Rege indigno quæstu; sed ut dixi, ad Regem veritas non pervenit.

Secundò. Causa, quæ Concilium permovit, ut Regaliam ijs locis, ubi invaluerat, permitteret, non alia in Canone producitur, quàm *fundatio Ecclesiarum, & consuetudo donorum*: quo ea confirmantur, quæ *supra* diximus: Regaliam videlicet non à jure feudali, non à privilegio Calixti profectam esse, sed à consuetudine, quæ ab abusu cœpta in usum, tandemque in tolerantiam, ac privilegium desijt. Cur enim tam honestos titulos, & qui etiam sufficerent, consuetudine sepositâ, præteriret? Imò si illis Regalia niteretur, non poterat restringi, sed universim admitti non minùs, quàm feuda & investituræ debebat. Ergo ante consuetudinem nullus Regaliæ titulus, quo licita redderetur, nisi tolerantiam velis: quamquàm nec tolerantia fuit, quam tot Pontificum, Conciliorumque decreta interruperant, aut si aliquando connivebant, metu fastidioque tenebantur, re toties, & incassum tentatâ. 143

Tertiò. Etiam post Concilium Lugdunense dubitatum est, an sola Custodia vacantium proventuum (si modò feudales excipias) aut etiam ususfructus permitteretur? Sanè Bonifacius VIII. Ferdinando Castellæ, & Legionis Regi solam Custodiam permisit, & cùm fructus etiam vendicaret, nec monitus absisteret, anathemate pertulsus est, nec priùs absolutus, quàm omnia redderet. Apud Raynaldum *anno 1303.* Inter alia Legationis capita, quâ Ioannes Cardinalis anno 1303. apud dictum Raynaldum *n. 34.* & Spondanum *ad annum 1302.* ad Philippum Pulchrum functus est, etiam illud erat: *Ne vacantium Ecclesiarum bona depilarentur*: id verò nunquam Bonifacius tentâsset, si Privilegio Concilij Lugdunensis crederet Principes muniri, nec isti Privilegium, sed consuetudinem obtendebant. Imò Philippo Audaci Galliæ imperante (qui per Legatos Concilio adfuerat) Regius Senatus decrevit jus Regaliæ ad decimas Ecclesiæ Constantiensis (urbs est Normandiæ) haud extendi. Alij etiam Galliæ Reges quasi dedecori, aut conscientiæ sibi ducerent, spolijs Ecclesiarum ... geri, ea plerumque sacris locis donabant. Et quidem Carolus VII. Ludovicus XI. Carolus VIII. Ludovicus XII. & Carolus IX. ... Capellæ donârunt, qui ultimus hanc donationem perpetuam fecit; Ludovicus XIV. tertiam istorum bonorum partem addixit ijs, qui Catholicam religionem amplectuntur, hæresi abjuratâ. Ludovicus XIII. Regnantis Pater anno 1641. revocatâ donatione sacræ Capellæ factâ, voluit, quæ vacante Ecclesiâ provenerant, successoribus Episcopis reservari, exemplo Christianissimo Rege digno, & in quo pietatem juxta & religionem venereris. 144

Sed

Sed tribus post annis Ludovico XIV. adhuc minore, donatio rescissa est; Oeconomi vacanti Ecclesiæ dati, omnesque proventus Regio arbitrio, ad pia tamen opera, subjecti, rebus in eum statum repositis, quem ante donationem à Carolo VII. factam obtinuerant.

343 *Quartò.* Multò minùs à Concilio Lugdunensi conceduntur Laicis collationes & investituræ pleno jure beneficiorum, vacante Ecclesia. De hoc enim in Concilio altum silentium; nec verò fieri debebat tanti pretij privilegium, regulisque disciplinæ, & libertatis Ecclesiasticæ, ac Concilio Oecumenico Lateranensi sub Calixto II. tam adversum. Nec aliter Concilium Lugdunense intellexit Bonifacius VIII. in responso Legatis Galliæ dato, jus videlicet nominandi, præsentandique, non verò instituendi ad Regem pertinere; verba Bonifacij sunt: *In collationibus præbendarum duo esse consideranda, jus Patronatûs, & præsentationem; Collationem verò & usum ad Laicos nullo jure pertinere posse, nisi fortè ministerialiter*: & alibi: *Quantum ad Collationem beneficiorum, se zelantem salutis Regis, frequenter ejus Nuntiis dixisse, cupere se, ut Rex faceret licitè, quod faciebat illicitè, quia omnia jura clamant, collationem beneficiorum non posse cadere in Laicum, ita quòd habeat jus & potestatem conferendi.* Spondan. *ad annum* 1302. Et Nangis in vita Ludovici *pag. 445. Sanè in beneficijs Ecclesiasticis conferendis, quæ ad Patronatum ipsius pertinebant, præcipuè in Ecclesijs Cathedralibus, ubi, Sede vacante, ratione Custodiæ Regalium ex consuetudine pertinebat ad eum Collatio &c.* Ubi vides, totam Collationem beneficiorum revocari ad juspatronatûs, id est, ad jus præsentandi, non verò instituendi. Quo etiam modo sunt intelligendæ Constitutiones Gregorij X. *de anno* 1271. *Exposuit nobis, & Divinæ gratiæ præmium.* Quibus idem jus in Regibus Galliæ agnoscitur.

144. Cæterùm jus conferendi beneficia, præsertim pleno jure, nunquam fuisse à Concilio Lugdunensi concessum, illud evidenti argumento est, quòd motâ illis à Pontificibus lite, nunquam Concilium prætulerint, sed solam consuetudinem, hâc unâ nitebantur, ut videre est in responso Philippi Pulchri ad articulos Bonifacij, & in Philippina constitutione ejusdem argumenti. *Preuves des libertez de l'Eglis Gall. ch. 16. n. 23. Philippine anno* 1334. Cur verò tacerent Reges, qui omnia conquirebant, privilegium Concilij, quod solum omnes tationes vincebat? Nam consuetudini multa objici poterant, Concilio nihil. Nihil ergo adjumenti à Concilio, quod Regaliam, collationes præsertim beneficiorum non tam extendi, quàm restringi volebat, & ideo nec vniversim Principibus permissum, sed tantùm pro ijs locis, in quibus consuetudo prævaluerat: nam ut bene Politicus: *Sapientes quædam tolerare, oportet, etiam, quæ non probant, ut transitum ad majora faciant: quædam in tempus resjcienda, nec Principes multis annis molliter habiti ad duriora vertendi.* Dion. *l.* 52. Seneca. Arist. 5. *Politic.* August. *epist. 18.*

Objectio.

EX parte adversa instari potest cum Natali Alexandro, quòd præinsinuatæ duæ rum *Iuris*, tum *Facti* de Regalia quæstiones jam sint decisæ per edictum Regium, quo anno 1682. facta est Regaliæ extensio ad omnes Gallicæ ditionis Ecclesias, ipsomet etiam Clero Gallicano, duobus duntaxat Alectensi & Apamiensi Episcopis exceptis, in hanc sententiã condescendente, & Gallis, quotquot hodie sunt, Jurisconsultis conspirantibus in eam opinionem, quòd Canone Concilij Lugdunensis Regalia non sit coarctata ad certas Ecclesias, illas scilicet, *in quibus ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine* locum habebat. 145.

Hujus argumenti pressior fit instantia per ea, quæ Author *Galliæ vindicatæ cit. dissert. 1. §. 6. n. 2.* opponit. Causa, inquiens, Regaliæ jam aliquoties in Parlamentis, Regioque Senatu agitata & cognita est, præsertim anno 1608. in Parlamento Parisiensi, Henrico Magno imperante, in quo Regaliam extendendam esse, decisum est. Secutæ sunt aliæ Regij Concilij anno 1637. & 1638. & 1639. & 1651. & 1653. & 1654. & 1673. sententiæ, quibus omnes Archiepiscopi, Episcopi Prælatique Provinciarum Septimanniæ, Provinciæ, & Delphinatûs, alijque jubebantur intrà sex mensium spatia, titulos, causasque prætensæ libertatis, & exemptionis offerre; & Episcopi acquievêre productis libertatis suæ titulis, instructisque Procuratoribus, qui coram Regio Senatu causam Ecclesiarum agerent, & si possent, Regaliam excuterent. Pependitque ea lis triginta sex annos, ab anno videlicet 1637. usque in annum 1673. mutuo Cleri, Regisque conflictu: donec eo, quo dictum est, anno, in Regio Senatu, & posteà ab ipso Rege pronuntiatum est, ad omnes Regni Ecclesias Regaliam pertinere. Arrestum Regij Consilij *anno* 1673. & ei conformis, ac duplex Regis Declaratio *anno* 1673. Cùm ergo Henricus IV. hanc causam ad Regium Concilium avocaverit, ibique tot annis discussa, & definitia fuerit, Episcopi Galliæ, quorum intererat, avocationi non solùm non obluctantibus, sed etiam tot annorum decursu, Iudices agnoscentibus, suasque rationes ac titulos, quibus muniri credebant, allegantibus. Quid jam queruntur, disputantque, causâ tam lentè discussâ, & tandem finitâ? Num tempus defuit tot annis ductum? Num Iudicem incusant, toties agnitum, & nunquam repulsum? Num inauditi, indictaque causâ damnati, quam in tot Conventibus, & repetitis vicibus dixêre? Num denique ad legitimum Iudicem, justamque sententiam aliquid defuit, quam tot annis expectarunt, & nunc modò incusant, cùm causâ ceciderunt, sero, & intempestivo dolore? 146.

Responsio.

147. AUthor *præcitatæ responsionis cit. §. 2. n. 3.* respondet, Regem Christianissimum suo equidem edicto Regaliam ad omnes suæ Ditionis Ecclesias extendisse, sed meritò præsumi, quòd occultata ipsi fuerit veritas. Et quia tam manifesta est littera Concilij Lugdunensis, Regaliam coarctantis ad eas duntaxat Ecclesias, *in quibus ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine* antehac locum habebat, admiratione dignissimum esse, quòd universis Galliæ Jurisconsultis imputetur tam manifestus error, ac si conspirâssent adversùs litteram adeò apertam & liquidam. Audiamus hâc super re Ruzæum in Senatu Parisiensi Consiliarium, & Regalistam celeberrimum *in Præfat. par. 1. n. 9.* sic scribentem: *Tertiò istud jus Regaliorum approbatum fuit, & declaratum in sacro Concilio Lugdunensi, cui præfuit Gregorius X.* in Cap. Generali. §. fin. De elect. in 6. *ubi textus prohibet, de novo vendicare jus custodiæ, advocationis, vel Regaliæ &c.* Ejusdem Concilij Lugdunensis *in prætacto Cap. Generali.* positos limites Regaliæ ad certas duntaxat Ecclesias restrictivos adstruunt Jurisconsulti Galli *in respons. ad 2. & 3. adversæ partis fundamentum* allegandi.

148. Interea rursus audiamus, quæ in hanc rem optimè edisserit *præcitatus Galliæ vindicatæ* Author *dicto n. 6.* Constat, inquiens, ex dictis *superiùs*, posse Concilium Lugdunense Regaliam trecentos & ultra annos, ijs tantùm locis exercitam esse, quæ huic oneri à longo tempore assueverant, reliquis naturali & canonicâ libertate fruentibus, quod etiam Ecclesia Gallicana in ultimis Comitijs, & litteris ad Innocentium Papam, ipsique Reges & Parlamenta Galliæ professa sunt: nec Adversarij diffitentur; quibus cùm ista objicias, id solùm respondent: *Non potuisse eorum negligentiâ Coronæ, & Regum jura deleri, præscribique, nec Reges exemplis ligari.*

149. Primùm ergo ab anno 1583. Henrico III. Galliam moderante, Ecclesiarum libertas pulsari cœpta, Regio Advocato Regaliam extendere aggresso, qui tamen repulsus est, & silere coactus. Ab eo tempore verum est, perpetuam ferè pugnam Ecclesiæ cum Regijs fuisse, illâ semper victrice; quamquàm non Regum, sed Ministrorum importunitas fuit, quæstum & gratiam ex lite captantium. Et verò, qui istarum rerum aliquam notitiam habet, fateri cogetur, à Regijs Ministris varijs artibus certatum esse, ut Clero imponerent, fallerentque incautos. Nam *primò* Regi persuasêre, jus Regaliæ proprium, innatumque Coronæ esse, & ideo nec alienari à Regibus, nec à Clero præscribi potuisse: unde Regaliam ad totum Regnum pertinere deducebant; quæ à veritate quàm sint aliena, & captionis plena, jam *aliàs* ostensum est, nec tamen Episcopis communicabantur, ut refelli possent, contenti intra Principis aures latêre, tantò tutiùs nocitura, quòd occulta.

150. *Secundò.* Episcopi omnes, nulloque discrimine citati sunt, ut rationes, titulosque suæ libertatis proferrent; quod omninò captiosum fuit, & dolo factum, qui etenim privilegio, aut contractu onerosò libertatem adepti erant, meritò titulum petebantur, secùs, qui naturali & canonicâ libertate, ac quatuor, & plurium sæculorum possessione, non privilegio, nec contractu tuti erant, ab his enim titulus peti non poterat, cùm nullus major, notiorque tot sæculorum, & pacatâ possessione: & tamen, ut dixi, dum omnes, nulloque discrimine vocantur, factum est, ut etiam illi comparerent, litemque subirent, qui extra omnem aleam, litemque erant, clamantibus interim Regijs, qui pedicas sparserant, agnovisse illos Judicem, forumque Regium, & ita causâ dictâ, agnitâque damnatos esse.

Tertiò. Sed & illud novum, insolensque, ac planè iniquum, quòd cogerent Episcopos causas, titulosque suæ libertatis producere. Quis enim nescit, probationes non ad reum, sed ad Actorem pertinere? Et possessionem tot annorum, ac juri & libertati Ecclesiasticæ, omniumque retro Regum edictis conformem, omni titulo majorem esse? Non ergo Ecclesijs probandum erat, cur essent liberæ, sed Regijs, cur vellent in servitutem rapere; & ita semper in Gallijs more receptum fuerat. Iniquum ergo fuit, omnique juri contrarium, quòd onus probandi Regi debitum in Episcopos transferrent.

Quartò. Nec minùs novum, quòd dies diceret, & forum statueret, citarentque Episcopos, ubi nulla lis, nullum dubium esse poterat: at verò an Regalia toto Regno extendi deberet, controverti ampliùs, nec in litem deduci potuit, causâ in Generali quingentorum Episcoporum Concilio, & Rege Philippo, totâque Galliâ approbante, jam dudum decisâ, finitâque, cui Henrici IV. & Ludovici XIII. sententiæ, & usus quatuor sæculorum accesserat; quæ, rogo, causa dici debuit finita, si hæc non debuit?

Et quem in finem iterum liti pugnæque subdebatur, cùm nec meliùs probari, nec clariùs decidi posset, quàm jam probata, & decisa fuerat? Ut omninò appareat, non fuisse Episcoporum mentem, cùm se Regijs Ministris sistebant, causamque Ecclesiæ tuebantur, novam litem ingredi (id enim non poterant, nisi Regios Ministros ipsis Regibus, totique Generali Concilio præponerent) sed solùm conscientias eorum instruere, & veritatis admonere, qui pacem turbabant, & obtentu Regaliæ, ac Chirographi à Rege extorti, pacificos Beneficiorum possessores impetebant. Non ergo Episcopis Galliæ judicium subire, sed vexationes redimere, quas patiebantur, animus erat, productâ veritate, quod sinè judicio fieri posse, quis non videt? Et ideo anno 1639. Syndicus Provinciæ Narbonensis protestatus est: *Se tutelæ productarum, quibus suarum Ecclesiarum libertatem muniri credebat; nolle tamen, ut is actus juri, & exemptioni Ecclesiarum fraudi, aut damno esset.* Eodem ferè modo, similique protestatione

ubi

usi sunt Episcopi, dum anno 1650. Regi supplicârunt, ut Ecclesias libertati, & possessioni suæ, quâ tot annis fruebantur, relinqueret. Nec exempla desunt, non solùm Episcoporum, sed etiam Summorum Pontificum, qui innocentiæ suæ, bonæque causæ certi, coram profano tribunali causam dixêre, non quòd Iudicem illic agnoscerent, sed ut innocentiam suam purgarent, ejusque testes etiam hostes haberent: & historia Ecclesiastica exemplis abundat, & Gratianus aliqua notat. Vide S. Gregorium *l. 9. ep. 39.* Gratian. *2. q. 7.* Regal Sacerdot. *f. 358.*

154. Sed demus, Iudices Regios ab Episcopis agnitos, eorumque sententiæ libertatem Ecclesiarum submissam esse; quid inde consequitur? Num jure id egerant? Num poterant Ecclesiæ suæ privilegijs, quæ in tutelam, & depositum acceperant, præjudicium inferre? Et quibus ne fundi quidem alienandi potestas erat, possent alienare libertatem, quâ nihil præstantius, aut majus est? Aut forsan eorum arbitrio stabat, ut Concilij Universalis Canones, tot pœnis armatos, omniumque consensu receptos, & Gallorum sententiâ Romano etiam Pontifici inviolabiles, ipsi violarent, aut violandos alijs permitterent?

155. Quòd si, ut ipsi dicunt, jura Coronæ, & Regiæ dignitati annexa, nec alienari in Ecclesias, nec præscribi possunt; & ideo omnium retrò Galliæ Regum oblitterari exempla & edicta volunt, quibus Regaliam restringebant; quantò majori jure, & eorum pace dixerim, nullis Episcoporum votis, nullâque conniventiâ, privilegia Ecclesiarum, & libertatum alienari in Laicos, præscribique potuisse, & ideo frustra exempla, & conniventiam eorum allegari, quibus nec potestas alienandi, nec voluntas fuit: & quo jure ipsi Galliæ Regum, ego Galliæ Episcoporum exempla damno; imò multò majori; nam quæ ipsi in Regibus damnant, juxta Canones, quæ ego in Episcopis, contra Canones fuêre.

156. Quamquàm, si verum fateri volumus, nunquam Episcopi Regijs Ministris, eorumque sententijs, extensionem Regaliæ quod attinet, detulêre. Nam Parlamentum Parisiense pro Adversario potiùs, & libertatis suæ invasore, quàm pro Iudice habuerunt, ab eoque decreta non ut sententias amplexi, sed ut injurias, injustosque conatus averlati sunt: præsertim Arrestum anno 1608. quo Henrici Magni edictum abolebant. Et planè nihil dici, viderique potuit eo Arresto absurdius, magisque alienum ab omni æquitate, & reverentiâ Regi suo debitâ; præterquàm enim, quòd sententiam ferebant sacris Canonibus, Regnique legibus adversam, (quæ, ut vidimus, Regaliam extendi vetabant, & onus probandi Regi, non Ecclesijs imponebant) illud, rogo, quale fuit, ut edictum à Rege sancitum, & in Parlamento agnitum probatumque, ipsi posteà refigerent, delerentque, Majestatis, & reverentiæ obliti, perinde, ac si authoritas illis supra Regem esset, eorumque arbitrio staret, ut, quod is statuerat, ipsi everterent: & tamen, qui contra Regaliam nuper pronuntiârunt, eo præsertim Arresto, tot capitibus irrito, nituntur; dicunt enim, nihil se novi moliri, sed antiquis tantùm documentis, exemplisque insistere: & si quæras, quænam ea documenta, & exempla sint? Arrestum illud inculcant, quo, ut dixi, nullum unquam infirmius fuit, magisque in omnes regulas, & æquitatis, & reverentiæ offendit; & ideo neque aliud magis ab Episcopis imperitum contemptumque. Ministris ergo, & Officialibus Parlamenti nunquam in hac causa tanquam legitimis Iudicibus delatum est.

157. Verum est, ad Regem, Regiumque Consilium delatas à Clero querelas esse, non quòd in hac causa Judicem agnoscerent; nec enim aut Regi, aut Episcopis in mentem venit, ut crederent, sententiam in Concilio Universali jam latam, mutari à Regibus, aut aboleri posse, nec totâ retro antiquitate exemplum occurret; sed ut ejus authoritate Parlamenti conatus sisterentur, quod ab Episcopis sæpius posteà repetitum, quoties videlicet à Regijs Ministris infestabantur, paretque ex eorum Generalibus Conventibus diversis annis celebratis, nimirum annis 1650. 1655. & 1670. quibus contra Regios acerbissimè conclamatum (tantum abest, ut Judices agnoscerentur) & de medijs actum, eorum molestias, conatusque eludendi: & præsertim anno 1670. quando Episcopi Alectensis litteræ, quibus rationes pro Ecclesiarum libertate continebantur, in Conventum allatæ, omniumque approbatione, plausuque acceptæ sunt, & rogatus Parisiensis Archiepiscopus, ut Episcoporum querelas, petentium, ne Arrestum, & declaratio in favorem Regaliæ edita executioni daretur, in sinum Regis deponeret; quod facturum se promisit, sed incertum, an præstiterit. Falsum ergo est, quod dicitur, acquievisse Episcopos Parlamenti sententiæ, & Regiæ declarationi.

Sed acquieverint; an verò ignorant, post- 158.
quàm experientia docuit, etiam tribunalia insidijs, & errori patêre, multa remedia, quibus sententiæ corrigerentur, prodita esse? *Revisionis* videlicet, *restitutionis in integrum* (quæ exemplo minorum Ecclesijs datur) & præsertim *melioris informationis*, quæ uti plurimùm æquitatis juxta, & reverentiæ habet, ita minimùm Majestatem Principis lædit. Quòd si licuit Ministris Regijs, tot Regum edictis, ac repetitis sententijs, & quadringentorum annorum morâ, usuque repulsis; imò omnium Galliæ Juris Consultorum, in litem redire, & petere toties negata; cur rogo, id Episcopis non liceat, vitioque vertatur, qui non aliena, sed sua petunt: nec Canonibus prohibita, sed concessa, causamque fovent tot partibus æquiorem? aut quæ modestia est, eos silentium imperare, qui nullum dicendi finem faciunt, toties tacere jussi?

Nec porrò verum est, duos tantùm fuisse 159.
Episcopos, nempe Alectensem, & Apamiensem, qui se Regaliæ opponerent. Audi rursus hâc de re dissentem Authorem *Galliæ vin-*

dicatæ cit. §. 6. n. 4. Plerique, inquiuntem, Episcopi obstitêre, & quàm ægrè, invitoque animo Regiam declarationem acciperent, multis signis expressêrunt: alij protestati sunt: alij eodem momento, cùm subscribebant, cogi se clamabant, jubebantque, à Notario, & testibus in tabulas referri, teste M. de Pamiers *tract. de la Regale f. 178.* omnes denique, cùm ad Pontificem scripsêre, timorem professi sunt. Vide *Epist. Innocentij XI. ad Episcopos Galliæ.* Agnoscebant ergo, injusta imperari, & quæ libertatem Ecclesiarum, & conscientiam læderent. Nec consensus dici potuit, quem metus expresserat.

160. Non ergo Alectensis, & Apamiensis Episcopi contra omnes soli sentiebant, imò cum omnibus, cùm nemo esset, qui ignoraret, iniqua à Regijs postulari. Soli tamen ausi sunt, veritatem exilijs & pœnis præferre, & humanum timorem Divino posthabere. Nec ista, ut Politici vocant, singularitas, aut obstinatio fuit, sed constantia, & libertas Sacerdotibus digna; alioquin obstinati omnes Martyres; & Ambrosius, Chrysostomus, Athanasius, Basilius obstinati fuerunt. Quòd si, ut dicunt, plurium exemplis vivendum est, quæ non flagitia licebunt, aut quis locus virtuti, cùm ista paucorum sit, illa verò multorum?

161. Deinde quâ fiduciâ dicunt, solos fuisse Alectensem, & Apamiensem Episcopos, qui noluerint extendendæ Regaliæ consensû præstare? Quî enim soli, qui cum Concilio Universali Lugdunensi mille & quingentis Patribus frequenti (inter quos duo Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus, quindecim Cardinales, septuaginta Archiepiscopi, & Episcopi quingenti) hoc est, cum flore totius Reipublicæ Christianæ, cum omnibus quatuor sæculorum sacris, prophanisque Doctoribus sentiebant? Etsi omnia deessent, qui suffragio, imperioque Romani Pontificis nitebantur: si hoc est solum, quæro, quid sit cum multis sentire? Aut qui sunt illi, quos audeas non dico præferre, sed etiam æquare Concilio Lugdunensi?

FUNDAMENTUM II.

Natalis Alexandri, illum Concilij Lugdunensis Canonem taliter explicantis, ac si non attingeret Regnum Galliæ, ejusque Regem Christianissimum.

162. Hic igitur in sua de Regalijs dissertatione contendit, restrictionem Regaliæ *dicto 12.* Concilij Lugdunensis Canone sancitam, non spectare Regem Christianissimum, sed Duces, aut alios viros, qui jus illud usurpabant; uti colligitur ex Guilelmo Durando Comment. in Lugdunense Concilium *Cap. 11. pag. 40. Regalia*, inquiunte, *hîc vocantur jura Regi in quibusdam Ecclesijs & Monasterijs competentia, quia videlicet, illis vacantibus, Rex sub prætextu custodiæ facit fructus suos, & etiam in quibusdam præbendas confert, sicut patet in quibusdam Ecclesijs Franciæ. Quod jus sibi, vel ex fundatione, vel ex Bonorum temporalium concessione vendicent etiam alijs Principes, Barones, & Communitates aliquæ, seu usurpant &c.* Et infrà. *Ex eo autem, quòd hîc probibetur abusus, videtur per consequens concedi bonus usus. Quod verum est in prædictis duobus casibus, scilicet in his, quæ competunt ex fundatione, vel consuetudine.*

Responsio.

QUæ major unquam in argumentando inepti committi posset, ac præcierat proximè adducta Natalis Alexandri dissertatio? Nunquid enim Durandus ijs verbis expressè meminit Regis Franciæ? *Regalia*, inquiens, *hîc vocantur jura Regi in quibusdam Ecclesijs & Monasterijs competentia*, quia videlicet, illis vacantibus, Rex sub prætextu custodiæ fructus facit suos, & etiam in quibusdam prabendas confert, sicuti patet in quibusdam Ecclesijs Franciæ. Unde idem Durandus *infra verbo Regalia* ita loquitur de Concilij Lugdunensis *Canone 12. Præsens constitutio*, inquiens, *fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata. Nota ergo, quòd Regalia hîc vocantur jura Regi in quibusdam Ecclesijs & Monasterijs competentia.* Num verò ex eo, quòd etiam Principes & Communitates aliquæ jus simile vendicabant, inferre licuit Natali Alexandro, eum Canonem contra istos, non adversùs Regem Franciæ editum fuisse? Huic illationi frivolæ planè obsistunt verba illa dicto Canoni inserta: *Quantæcunque dignitatis honore præfulgeant*, quæ Reges satis aperte complectuntur. Tum quòd ipsemet Durandus Patrum, qui Canonem illum condiderunt, interpres: verbum *Quantæcunque* sic exponat: *sive Regiæ, sive Comitativæ, vel cujuscunque alterius sit. Cod. De mandatis Principum. Leg. 1.* Similia repetit alibi singulariter *super verbo vendicant*, exemplificando specificè *de Regibus Angliæ & Franciæ.*

In quo sensu Canonem illum intelligeret alij tum Galli, tum exteri Jurisconsulti, ex quibus Archidiaconus & Joannes Monachi illis ipsis verbis, quibus Durandus, utuntur verbum *Quantæcunque* exponentes: *sive Regiæ, sive Comitativæ dignitatis.* Joannes autem Andreæ eam vocem *Quantæcunque* sic explicat; *etiamsi Baro, Rex, vel Princeps.* Gallicani porrò Antistites in Conventu Parisiensi mandato Regio anno 1682. congregati, in epistolâ ad Innocentium XI. datâ Concilij Lugdunensis decretum loqui de jure Regaliæ, quod in Gallia exercetur, agnoverunt his verbis: Si jus illud, quod Regaliam dicimus, aut fidei fundamentis, aut morum regulis esset adversum, non illud sacrum Generale Concilium Lugdunense tot personis, torque sub titulis suâ authoritate firmâsset. Eadem fuerat sententia Prælatorum anno 1681. in eadem Urbe Parisiensi congregatorum, quorum processus verbalis ita habet principio: *Quòd Concilium Lugdunense usum Regaliæ quoad ea loca, in quibus tunc locum habebat, tolerarent, simil-*

similque vetuerit, eam ulteriùs producere.

Objectio.

165. EX parte adversa instat Natalis Alexander. Etiamsi Canon *duodecimus* Concilij Lugdunensis Christianissimum Regem attingeret, nullum ex eo præjudicium Regaliæ Regi Galliarum factum fuisse, eò quòd receptus in Gallijs ab omnibus Regni Ordinibus ac executioni mandatus non fuerit, ut colligitur ex Durandi Speculatoris commentario. *Præsens*, inquit, *constitutio fuit ad clamorem Franciæ, & Angliæ promulgata: modicam tamen ex eo illic adhuc sequi videmus utilitatem.* Et ex Glossâ Capit. *Generali constitutione. de electione & electi potestate. in 6.* quam editionis Romanæ Procuratores hâc in parte rescinderunt, cujus hæc sunt verba: *Aly dicunt, quòd Regalia accipiuntur pro Iuribus, quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesijs, videlicet, quòd vacante aliquâ Ecclesiâ, Rex percipiat fructus, & Ecclesiam conferat. Nam collatio Beneficiorum computatur in fructu. Et ista fuit controversia aliàs mota inter Philippum Regem Francorum, & Bonifacium VIII. conditorem hujus compilationis. Qui Bonifacius dicto Philippo scripsit quandam Epistolam, in qua continebantur ista verba*: collatio beneficiorum est spiritualis. Secùs autem credentes hæreticos reputamus. *Quam epistolam cùm perlegisset ipse Philippus, eidem Bonifacio scripsit aliam epistolam, in qua posita erant ista verba*: Collatio beneficiorum ad nos spectat, & pertinet. Secùs credentes fatuos & dementes reputamus. *Ideo secundùm aliquos, constitutiones istius compilationis non fuerunt receptæ in hoc Regno propter istam controversiam.*

Responsio.

166. AUthor *Responsionis ad Natalis Alexandri dissert. §. 20. à n. 2.* ita respondet. Etiamsi vera esset aliquorum Theologorum opinio, qui leges non acceptatas non obligare arbitrantur, præsumentes, eam esse Superioris intentionem, aut justam subesse non acceptandi occasionem: id intelligendum esset tantùm de legibus merè *positivis*, quæ nihil juris *Divini*, aut *naturalis* admixtum habent; non autem de illis, quæ jus *Divinum*, vel *naturale* explicant, inculcant, & adjectis pœnis confirmant; cujusmodi est lex vetans, ne quis Ecclesiam Canonicâ libertate spolier, ejusque reditus, ac beneficiorum collationem sibi ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine non competentes usurpet.

167. Sed ut in facto stemus, minimè verum est, Canonem *duodecimum* Concilij Lugdunensis non fuisse receptum, & executioni mandatum in Gallia. Etsi enim, dum suum Commentarium scribebat Durandus, hoc est, ut Simon Majolus, qui primus eum edidit, ait in præfatione ad Lectorem, *tertio post expletum Concilium anno, parvus adhuc fructus perceptus esset, uberior tamen citò postea exstitit, ut testantur constitutiones, & Senatusconsulta, quæ deinde prodierunt.* Nam ad Ecclesias Aquitaniæ, quæ tunc Regibus Angliæ, tanquam illius Provinciæ Ducibus suberant, respiciebat Durandus; ut ex ejus Glossâ ad verbum *usurpare* colligitur: *sicut patet*, inquit, *in exemplum in Ecclesijs Aquitaniæ, in quibus hodie Regalia usurpantur.* Porrò eodem anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, quo scriptus est Durandi Commentarius, Ecclesia Burdigalensis Aquitaniæ Metropolis, libera declarata est, Arresto inter Capitulum dictæ Ecclesiæ, ac Eduardum primum Regem Angliæ pronuntiato, & à Domino de Marca *lib. 8. Concord. cap. 27. n. 2.* relato. *Pronuntiatum fuit*, inquit Philippus III. Rex Franciæ, *per Curiæ nostræ judicium, custodiam bonorum Archiepiscopalium, Sede Burdigalensi vacante, ad dictum Capitulum pertinere.*

Profuit etiam Concilium Lugdunense alijs Ecclesijs, ut patet ex alijs Arrestis, non solùm in Aquitania, ut Ecclesiæ Pictavensi, de qua dicitur in Regesto Cameræ computorum: *De Pictavensi fuit computatum anno 1306. sed Rex per litteras totum istud præcepit restitui Episcopo*; sed etiam in alijs provincijs, ut §. *seq.* videbimus, quamquàm ejus esset, qui legem receptam fuisse negat, id argumentis confirmare, eò quòd præsumptio stet pro lege. 168.

Quod autem ex Glossâ profertur de non recepta in Gallia compilatione *lib. 6. Decretalium*, non pertinet speciatim ad Canonem Concilij Lugdunensis, in collectione Bonifacij VIII. contentum, sed ad collectionem ipsam, ita ut Canones sibi exscripti, non ex collectione, seu ejus, qui collegit, authoritate, vim habere censeantur; quod tamen non obstat, quin ad suam originem relati, à proprio Legislatore robur obtineant. Nec enim decreta vel hujus, vel primi Concilij Lugdunensis, vel Summorum Pontificum, quæ antequàm à Bonifacio colligerentur, jam vigebant, per illam collectionem vim suam amisserunt. 169.

Quin etiam collectionem ipsam Bonifacij receptam in Gallia fuisse, testatur Pasquierius *lib. 3. cap. 17.* his verbis: *Qui sextus* (Decretalium liber) *utpote à Magno Pontifice editus, omnibus probatus fuit, quodque notandum est, nos in Parlamentis nostris ab eo mutuati sumus caput.* Quamvis de pactis extra. *contra omnes antiquas definitiones Imperatorum, & Iurisconsultorum.* 170.

FVNDAMENTVM III.

Natalis Alexandri, contendentis jus Regaliæ quoad collationem beneficiorum non esse circumscriptum illo Canone Lugdunensi

QUomodò enim, pergit hic Author, jus conferendi beneficia simplicia vacantibus Ecclesijs Metropolitanis, vel Cathedralibus Regibus Christianissimis competens, circumscriptum, & ad certas Ecclesias coarctatum censeri potest eo Canone, qui nec de beneficiorum collatione, nec de Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs verbum ullum habet? Non ita obscurè Concilia & Pontifices 171.

loqui

loqui solent in suis decretis, nec silentio involvunt id, quod præcipiunt, aut prohibent sub pœna excommunicationis, sed illud conceptis verbis exprimunt, & inculcant. Sciunt enim, se hujusmodi leges Prophetis non dicere, sed ijs hominibus, qui ex verbis legis mentem Legislatoris intelligant. Relege *Canonem 12.* Concilij Lugdunensis, attentâ consideratione illum expende, nihil ibi invenies de collatione præbendarum, Sede vacante, quæ tamen in Regalia Regum Christianissimorum præcipua res est. Id pridem observavit Guimerius Præses in Pragmaticam sanctionem, ad Caput de Annatis: Rex Franciæ, & Angliæ, inquit, vendicant sibi in quibusdam Ecclesijs Cathedralibus suorum Regnorum collationem præbendarum, aut aliorum beneficiorum, Sede vacante; & illo etiam tempore ipsarum Ecclesiarum temporalia recipiunt, & sibi applicant, & circa hoc ultimum providit Gregorius X. in Concilio Generali contra hæc de novo usurpantes, & contra abutentes, quibus competit ab antiquo. De hoc autem jure conferendi nihil providit.

Responsio.

172. AUthor *prætactæ ad Natalis dissertationem responsionis §. 18. à n. 2.* respondet, inprimis hunc in modum sciscitando; An igitur Ecclesiæ Metropolitanæ, & Cathedrales non sunt Ecclesiæ, ut sub generali & communi Ecclesiarum nomine, quod frequenter in Canone Lugdunensi repetitur, etiam in materia favorabili, qualis est ipsarum libertas, intelligi non debeant? Nónne Cathedrales potissimùm Ecclesiæ per Antonomasiam nuncupantur? Nónne de ejusmodi Ecclesijs Canonem Lugdunensem accepit nominatim Guimerius in illis ipsis verbis, quæ ex eo refert hic Dissertator: *Rex Franciæ, & Angliæ*, inquit, *vendicant sibi in quibusdam Ecclesijs Cathedralibus &c.* An *Prophetarum* more, & non potiùs ex verbis legis mentem Legislatoris intelligens, Canonem hunc de Ecclesijs Cathedralibus interpretatus est Durandus, & cum illo omnes alij Interpretes?

173. Sed quàm lepida est dissertatoris observatio, sic Adversario, quasi eum validissimo telo confodisset, insultantis: *Relege Canonem XII. Concilij Lugdunensis, attentâ illum consideratione expende, nihil ibi invenies de præbendarum collatione, Sede vacante, quæ tamen in Regalia Regum Christianissimorum præcipua res est.* Ad probandum jus, aut usum Regaliæ innumera ipse coacervavit testimonia, in quibus ne verbum quidem invenitur de collatione Præbendarum, Sede vacante: an ergo ei auscultabimus, asserenti, Canonem Concilij Lugdunensis non spectare ad Regaliam, quia nihil ibi invenitur de collatione præbendarum interfructus computari; atque in eum sensum accipi Decretum Concilij Lugdunensis, scripsit *art. 1. §. 1.* & tamen hìc quærit, *quomodò jus conferendi beneficia simplicia, vacantibus Ecclesijs Metropolitanis, vel Cathedralibus, Regibus Christianissimis competens, circumscriptum, & ad certas Ecclesias coarctatum censeri potest eo Canone, qui nec de beneficiorum collatione, nec de Metropolitanis, nec de Cathedralibus Ecclesijs verbum ullum habet*: Idque, licèt supponatur, Regaliæ extensionem, quoad bonorum Ecclesiasticorum usumfructum, fuisse à Concilio Lugdunensi prohibitam? Hanc enim suppositionem innuit P. Alexander primis illis particulis; *Sed enim quomodò &c.* Confer, quæso, cum hoc loco, quod scripsi, *præstatæ art. 1.* his verbis: *Dicitur* (Regalia) *jus conferendi beneficia, quia collatio beneficiorum ad fructus pertinet*, secundùm Abbatem Panormitanum, & alios Interpretes *in Cap. Illa devotionis. Tit. Ne Sede vacante aliquid innovetur*; & Glossam *Cap. Cùm olim. de Majorit. & obed. nec non in Cap. Generali constitutione. De electione & Electi potestate. in 6.* (quod est decretum Concilij Lugdunensis, de quo est quæstio) *quæ in editione Romana rescissa est. Unde apud nos illud velut axioma juris invaluit, constantèrque, retinetur: Collatio beneficiorum computatur in fructu.* 177.

Equidem Patri Alexandro *in præf. §.* & Glossæ Pragmaticæ sanctionis libenter assentior, falsumque existimo illud axioma: *Collatio est in fructu*, in eo saltem sensu: quo à Regalistis accipitur, quique omninò adversatur fini Glossæ, ubi primùm usurpatus est ille loquendi modus. Hinc sequitur, Regem Christianissimum non posse sibi, ut plures Regalistæ tradiderunt, collationem præbendarum in Ecclesijs vacantibus vendicare, sub prætextu, quòd illarum custodiam, & usumfructum habeat; nisi privilegio aliquo, vel saltem antiquâ consuetudine juvetur, quod etiam confirmatur Arresto pro Ecclesia Anicensi lato à S. Ludovico, quod videre potes *præced. §. 31.* & Arrestis pro Ecclesia Bituricensi, & pro Ambianensi, de quibus *infra §. 22. n. 23.* 178.

Nota obiter in testimonio Guimerij primò, hæc verba: *In quibusdam Ecclesijs Cathedralibus*, quæ rem aliundè certam confirmant, Regem scilicet non habere jus Regaliæ in omnibus Regni sui Ecclesijs etiam Cathedralibus. Nota *secundò*, hæc alia: *Illo etiam tempore ipsarum Ecclesiarum temporalia recipiunt, & sibi applicant, &c.* quibus clarè distinguitur ususfructus à beneficiorum collatione. Utramque observationem complectitur Rageau in Academia Bituricensi Juris Professor in Indice Jurium Regiorum verbo *Droit de Regale. In aliquibus*, inquit, *Ecclesijs Rex habet Regalia, quoad fructus duntaxat, minimè verò, quantum ad ad Beneficiorum collationem, collatione scilicet fructuum Episcopatûs, vel Archiepiscopatûs partem nequaquam constituente.* 179.

Itaque hoc casu locum habebit doctrina Petri Rebuffi, Jurisconsulti Galli celeberrimi *in concord. Tit. de Regia ad Prælat. nomat. §. 1. V. Sed teneatur. Sed dubitaret quis*, inquit, *ad quem spectet vacantium beneficiorum collatio interim Sede vacante? Responde, si Rex jure Regali habuerit privilegium conferendi, ut in quibusdam habet Episcopatibus, in illis poterit conferre Beneficia Episcopatûs per Cap. Generali. de Elect. in 6. Si autem jure Regali hoc sibi in fundatione, vel aliàs ex privilegio concessum fuerit, sed tantùm quòd*

vacante

vacante Sede, illos capiat fructus, ut futuro reserventur successori, tunc conferre non poterit, sed Papa, aut Legatus tunc conferet, vel Archiepiscopus post sex menses jure devoluto.

Objectio.

177. PErgit Natalis Alexander ex hoc suum proximè confutatum fundamentum stabilire, quòd, fervente dissidio inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Christianissimum, Rex jus suum Regaliæ à Bonifacio injustè impugnatum, authoritate Lugdunensis Concilij nullatenus tuitus est. At si Lugdunensis Concilij *Canon.* 12. de Regaliæ jure Christianissimis Regibus competente intelligendus esset, non est verisimile, quòd Rex, & qui ipsius jura tunc temporis adversùs Bonifacianas invasiones defenderunt, momentum istud neglexissent, nec respondissent Summo Pontifici, ipsum absque ratione Regi negotium facessere ob collationem Præbendarum Ecclesijs vacantibus, quæ à Concilio Oecumenico approbata esset. Neque Bonifacius VIII. hujusmodi collationem & Regaliæ usum vitio vertisset Regi, si res certa & explorata fuisset, *Canonem* 12. Concilij Lugdunensis ipsum confirmâsse in Ecclesijs omnibus, in quibus eâ tempestate institutum erat, vetuisse duntaxat, ne de novo usurparentur. Sed in illa dissensione nulla Concilij Lugdunensis facta mentio. Bonifacius *in brevi epistola ad Philippum: Beneficiorum, & Præbendarum ad te collatio nulla spectat: & si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus eorum successoribus reserves: & si quæ contuliſti, collationem hujusmodi irritam decernimus, & quantum de facto processerit, revocamus. Aliud autem credentes, hæreticos reputamus.*

Ad quam epistolam Rex Philippus respondit: *Ecclesiarum, ac Præbendarum vacantium collationem ad nos jure Regio pertinere, fructus eorum nostros facere, collationes à Nobis factas & faciendas fore validas in præteritum & futurum; & earum possessores contra omnes viriliter Nos tueri: secùs autem credentes, fatuos & dementes reputamus.*

Inter Articulos à Bonifacio VIII. objectos eidem Christianissimo Regi, *secundus* est: *In quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis conferendis vacantibus in Curia, vel extra Curiam, Romanus Pontifex summam & potiorem obtinet potestatem: & per collationem cujusvis laici in ipsis, vel eorum aliquo, non potest alicui jus acquiri sinè authoritate, vel consensu Sedis Apostolicæ tacitis, vel expressis.* VII. *Item, quòd Guardiâ & Custodiâ Ecclesiarum Cathedralium vacantium, quas vocant Regalia per abusum, non abutatur, &c.*

Ad quos Rex Christianissimus respondet: *Ad secundum: Quòd collatione beneficiorum usus est, & utitur, sicut ad eum pertinet de jure & bona consuetudine, sicut S. Ludovicus, & alij Prædecessores sui usi fuerunt à tempore, cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit, nec intendit facere aliquam novitatem, nec credit, quòd Papa sibi facere velit, qui longum usum suum, & Prædecessorum suorum in collatione hujusmodi novit plenissimè ab experto.*

Ad VII. respondit: *Quòd nunquam fuit, nec est intentionis, vel voluntatis suæ, in hujusmodi perceptione Regalium præjudicialem, vel noxiam facere novitatem, sed intendit eis uti, quemadmodùm S. Ludovicus, & alij Prædecessores sui uti consueverunt, &c.*

Inscripto, quod Guillelmus de Nogareto, & Guillelmus de Plasiano Clementi V. Pontifici Maximo tradiderunt, hi leguntur articuli. X. *Certum, notorium, & indubitatum existit, quòd Dominus Rex habet jura Regalia universa in Regno suo: sed inter cætera jura Regaliæ habet jus percipiendi fructus omnes, reditus & proventus Ecclesiarum Cathedralium vacantium, & suos faciendi, qui de suâ Regaliâ existunt, quamdiu vacant: & cùm præficitur novus Prælatus illis Ecclesijs, Prælati hujusmodi ab ipso Rege temporalitatem recipiunt, post fidelitatem sibi præstitam, vel homagium: quo jure Regalium dictus Dominus Rex usus est, tam ipse, quàm ejus Prædecessores Reges Franciæ tantis temporibus, de quorum contrario memoria non existit.*

XII. *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quòd, quamdiu vacant dictæ Ecclesiæ, in quibus dictus Dominus Rex habet Regaliæ, idem Dominus Rex donat, & donare consuevit Dignitates, & Præbendas, & Beneficia, quorum collatio modo quocunque pertinere potest ad Prælatum illius Ecclesiæ, eo tempore, quo existant ibidem, sive ibidem vacent prædicta Beneficia, Præbendæ, vel Dignitates, vel in Curia Romana, vel alibi ubicumque.*

XII. *Item certum, notorium & indubitatum existit, quòd jura Regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesijs prædictis Dominus Rex prædictus, Progenitores ipsius Domini Regis, & Prædecessores ejus in Regno, dederunt in feudum aliquibus Baronibus suis, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus: qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, Sedibus Ecclesiarum ipsarum vacantibus, jure suo feudali, & jure Regio, à quo suum jus movet; & ideo jus Regale vocatur; quo & jure dicti Barones utuntur nominibus suis, & nomine Regio, & usi sunt tanto tempore, de cujus contrario memoria non existit.*

Responsio.

178. AUthor *præadductæ responsionis cit. §. 18. n. 7.* ita respondet. Controversia inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. non erat propriè circa substantiam Regaliæ, seu Custodiæ, sed circa exercitij modum. Quia enim Concilium Lugdunense prohibuerat quidem ijs, qui ex fundatione, vel antiquâ consuetudine jus Regaliæ sibi vendicabant, ne *ea, quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore, usurparent*; non tamen expressè permiserat usurpare, quæcunque pertinebant ad fructus, seu reditus: idcircò Bonifacius, juxta Juris communis dispositionem, judicabat, fructus provenientes tempore vacationis, deductis expensis, reservandos esse futuro successori; non autem in fiscum Regium deferendos. Hic enim erat *quintus* ex articulis à Papa ad Regem per Legatum Apostolicum missis, ab Henrico Spondano ad annum

1303. *n.* 2. ex M. S. Sanvictoriano relatis: *Non debere Regem abuti custodiâ Ecclesiarum vacantium, quæ vocant Regalia per abusum; sed deductis necessarijs, & moderatis expensis, residuum fructuum reservandum esse prælatis.* Conquerebatur Pontifex, ut refert idem Historicus ad annum 1301. *Regem Ecclesiarum Cathedralium proventus, quos appellabant Regalia per abusum, immoderatè assumere; sicque fieri, ut quarum custodia fuisset ab initio Regibus pro conservatione permissa, nunc ad consumptionis noxam devenissent.* Hos articulos refert P. Alexander, sed truncatos, addito, *&c.* si Regi omninò favissent, ne apicem quidem prætermisisset.

176. Porrò modestum ac religiosum Theologum decuisset, reverentiùs de Summis Pontificibus loqui, quàm & hîc & alijs locis fecit Dissertator: ac si verum erat desiderium, quod *in fine hujus Dissertationis* præfefert, prætermittenda erant odiosa, quæque ad controversiam de Regaliæ extensione minimè necessaria, atque alterutrius potestatis animum exasperare nata.

180. Quia etiam Concilium Lugdunense circa collationem beneficiorum titulo Regaliæ nihil statuerat, non putabat Bonifacius, Regi plenam eorum dispositionem, sed tantùm præsentationem competere: *Nec item de collatione Præbendarum Regem gravari; esse enim duo in illis considerandâ, jus Patronatûs, & præsentationem: collationem verò & usum ad laicos nullo jure pertinere posse, nisi fortè* ministerialiter. *Quantum ad collationem Beneficiorum, non posse cadere in laicum, ita quòd habeat jus & authoritatem spiritualem conferendi.*

181. Itaque non negabat Summus Pontifex, quin Rex Franciæ custodiam haberet aliquarum Ecclesiarum vacantium, sed illius usum ad Juris communis terminos reducere conabatur. Unde ex illa controversia non nisi vitiosè concludi potest, Concilium Lugdunense non vetuisse, Regaliam ad Ecclesias liberas extendere: de qua extensione inter Pontificem & Regem non erat quæstio: quandóquidem ipsemet Philippus IV. agnoscebat, se jus illud in omnibus Regni sui Ecclesijs non habere; ut videbimus §§. 21. & 22.

182. Sanè quemadmodùm P. Alexander negat, Concilium Lugdunense jus conferendi Beneficia in Ecclesijs, in quibus eâ tempestate institutum erat, confirmâsse, ac vetuisse, ne de novo in alijs usurparetur; quia alioquin Bonifacius VIII. hujusmodi collationem, utpote à Concilio approbatam vitio non vertisset Regi Philippo: ita concludere liceret, Reges fructus Ecclesiarum vacantium non facere suos, sed eos, deductis expensis, futuro Episcopo reservare. Aliter enim doctissimus ille Pontifex consuetudinem tam insignem non ignorâsset, atque adeò vitio non vertisset Regi, præsertim, si, ut Regalistæ communiter docent, à Concilio Lugdunensi fuisset approbata.

183. Cæterùm dum Guillelmus de Nogareto ait *articulo X.* hîc relato: *Item certum, notorium & indubitatum existit, quòd Dominus Rex habet jura Regalia universa in Regno suo*, per vocem illam, *universa*, non significavit, Regaliam in universo Regno Franciæ locum habuisse, sed tantùm Regem obtinere genus omne jurium Regiorum, inter quæ Regaliam, quæ in aliquibus Ecclesijs exercebatur, reponebat. Hæc enim ejus verba in articulo XII *Dictæ Ecclesiæ, in quibus dictus Dominus Rex habet Regalia*, satis innuunt, suam Majestatem non habuisse jus illud in omnibus Ecclesijs. Sin aliter sensisset Nogaretus, falsi convinceretur tum aliorum, tum ipsiusmet Philippi Regis testimonio, de quo *infra*.

CONCLUSIO

EX ipsismet verbis prædducti Canonis Lugdunensis clarè evincitur, non omnes Ecclesias Gallicanas tempore illius Concilij fuisse obnoxias Regaliæ, néve huic servituti deinceps subijcerentur Ecclesiæ, prævalidum munimentum opponi Aulicorum licentijs.

Explicatur, ostendendo inprimis necessitatem hodiernis moribus opponendi Canonis illius Lugdunensis fortalitium adversùs Aulicorum consilia, specie obsequendi, suas cupiditates obvelantium, sicque limites sacrorum Canonum perrumpere conantium. Id eleganter ac nervosè exhibet nobis Author *Galliæ vindicatæ cit. dissert. 1. §. 1. n. 7.* Concilium, inquiens, Lugdunense statuerat quidem, ne jus Regaliæ, ubi necdum inoleverat, induceretur, sed intrà consuetudinem staret. Id aliquamdiu observatum, sed post non multùm temporis nullâ consuetudine, nullâ Concilij habitâ ratione, etiam ijs locis, ubi nunquam hactenus, usurpari cœptum; & quamvis jam à ducentis annis omnium ferè Galliæ Scriptorum una vox fuerit, aliquibus tantùm locis, non omnibus, exerceri posse, tentatum tamen & hoc est, ut ubique exerceretur, Ecclesijs sub jugum missis.

Præterito sæculo quidam à Regijs Ministris Regaliam ubique locorum extendere aggressi sunt, eorumque conatus Canonici sanctæ Capellæ promovebant; ipsis enim Regum donatione vacantes fructus permittebantur: sed in Conventu Blesis anno 1577. habito Clerus intercessit, petijtque, Episcopos, qui olim immunes fuerant, relinqui pristinæ libertati. Idem regnante Henrico III à Clero in Comitijs ad fanum S. Germani repetitum, ubi cùm Regius Procurator hanc propositionem in medium protulisset: *Juri Regaliam omnes cùm Episcopatus, tum Archiepiscopatus obnoxios esse*, responsum est à Cleri Delegatis: *Duos esse ordines eorum, qui à Regalia immunes essent, videlicet, qui vel per contractus onerosos se liberâssent; vel qui ab hominum memoria nunquam illi subjacuissent; nec ipsos minùs, quàm illos exemptos esse: nolle Clerum vel minimâ ex*

parte

parte jus Regium delibari; quantò minùs aliquid Ecclesiarum juri detrahendum esse; nec Regem hoc velle justi, rectique amantem. M. de Pamiers anno 1583. fol. 40. Sicque Regio Advocato silentium impositum, & sententia pro Ecclesijs data.

186. Galliâ bello civili ardente, multa peracta sunt Ecclesijs adversa, quæ prudenter à Clero dissimulata; quippe inter armorum strepitus audiri leges non poterant; ubi pax redijt Henrico Magno & victore & Rege, omniumque votis potito, querelæiterum à Clero auditæ, justuque Regis expensæ, ac tandem edictum in hæc verba anno 1606. pronuntiatum: *Non est voluntatis nostræ, Regaliam nobis vendicare, nisi intrà eam formam, modúmque, quam Nos, & Antecessores nostri Reges eâ gavisi sunt; nec intendimus imprajudicium Ecclesiarum, quæ hactenus exempta fuerunt, eam proferre.* Huic edicto post certamen, morasque duorum annorum accessêre anno 1608. die 29. Februarij vota, & confirmatio Parlamenti Regij; sed paulò pòst, eodemque anno, ab eodem Parlamento impugnatum est, quando ad Servini Regij Advocati instantiam pronuntiatum fuit: *Regem perinde, ac in totius Regni Ecclesias, ita etiam in Bellicensem recèns Coronæ unitamjus Regaliæ obtinere.* Bellay dans la Bresse anno 1608. die 24. April. Perculit hæc declaratio Clerum Gallicanum, qui suas immunitates, Regiumque edictum unà proculcari querebantur. Henricus causâ ad se evocatâ, unum annum supersederi hoc negotio, omniqué processu jussit.

187. Ludovicus XIII. Henrici edictum anno 1606. datum confirmavit *in sua constit. de anno 1629. art. 16.* jussitque per Commissarios suos Clero exponi: *Nolle Regem fructibus vacantium Ecclesiarum gaudere, nisi in ijs locis, quibus præteritis retrò annis gavisus fuerat, sicque Henrici Patris edicto standum esse.* Idem Ludovicus, ut *supra* notavimus, pari liberalitate, & religione fructus vacantium Ecclesiarum electis Episcopis conservari, donariqué voluit. Ipse Ludovicus XIV. filius edixit anno 1657. die 12. Aprilis: Nolle se Regalia, & simplicium Beneficiorum collatione uti, nisi in ijs locis, quæ anno 1606. Regaliæ subijciebantur. Tandem post multas dilationes instruendæ suæ causæ Clero datas, ternæ constitutiones ab eodem Ludovico prodiêre anno 1673. & 1675. die 2. Aprilis, quibus tria statuebantur. Primò: *Omnes Ecclesias, quà Regis imperium patet, Regaliæ obnoxias esse; ijs tantùm exceptis, quæ titulo oneroso libertatem redemissent.* Secundò: *Omnes cùm Episcopos, tum Archiepiscopos, qui deinceps promoverentur, post duos menses à juramento fidelitatis Regi præstito, obstrictos fore, ut hoc ipsum juramentum in acta Regiæ Parisiensis Cameræ referri curent, petántque litteras, quibus exspirâsse, finitámque Regaliam Oeconomo, qui vacanti Ecclesiæ præfuerat, insinuetur; id si omittant promoti, perinde, ac vacante Ecclesiâ Regaliam duraturam.* Tertiò: *Episcopi verò, & Archiepiscopi jam tum promoti, ac insulis potiti, & quietâ possessione fruentes, quique juramenta sua, ut præfatum est, libris Parisiensis Cameræ Computorum inscribi non fecerant, nec litteras obtinuerant sublatæ Regaliæ: duobus mensibus post vulgatam hanc declarationem: utrúmque id præstent, aut si negligant, perinde, ac vigente Regaliâ, & Sede vacante, omnia Beneficia ab hujusmodi Episcopis conferri solita, & alias Regaliæ subjecta, Regiæ dispositionis futura, ac titulo Regaliæ impetratum iri.* Hæc sunt tria capita, quæ Regia declaratio complectebatur, quæque classicum tot in Galliæ turbis cecinêre, alijs Regiam voluntatem aut spe, aut metu secutis; alijs mediam viam ingressis, vanisque protestationibus eam libertatem tuentibus, quam facto prodebant, alijs verò apertè obnixis: pauci hi quidem, & majori pretio, quàm numero; præsertim accessu Romani Pontificis, sed hoc ipsum veritatis indicium fuit: quæ paucis placet, cùm amantes mendacio abundent.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, jus Regaliæ in aliquibus duntaxat Galliæ Ecclesijs eatenus locum habere, ut nullatenus possit ad ulteriores, sive etiam omnes Franciæ Episcopatus extendi.

SUmmariam hujus argumenti ex Actis Concilio Lugdunensi posterioribus concinnatam seriem insigni cum laude exhibet Authpr *Galliæ vindicatæ cit. dissert. 1. §. 2.* quam hîc eum in finem præmittimus, ut ponderosis Authoris Apamiensis argumentis unà cum exceptionum in contrarium oppositarum elisione posteà adducendis, præsentis conclusionis institutum magis obfirmemus. Nam sacrum Concilium Lugdunense Regaliam ibi tandem admittit, ubi hactenus inveterata consuetudo inoleverat; alibi verò, & præter morem eam induci sub pœnâ anathematis ipso facto incurrendâ, nullâque dignitatum exceptione, enixissimè prohibet. Eos verò Clericos, qui se, ut deberent, talia facientibus non opponunt, proventibus omnibus privat. 188.

Fuit Concilium hoc in Gallijs habitum, in Gallijs receptũ, Regisque Galliæ Oratoribus, ipsoque Clero Gallicano, qui frequens aderat, non solùm non contradicentibus, sed potiùs vehementer approbantibus, & ut id statueretur, connitentibus; sic enim Durandus Speculator Episcopus Mematensis, qui Concilio interfuit, testatur: *Præsens constitutio*, inquiens, *fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata.* Habes hîc ergo mentem Ecclesiæ Gallicanæ in generali Concilio expressam, & Regaliam ad solam consuetudinem restringentis; immeritò igitur Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam jactant illi, qui hâc nostrâ tempestate eam ipsam doctrinam impugnant, titulo filios, facto hostes professi; & planè nihil invenias, quod huic Concilio opponas, nam & generale fuit, & in Gallijs habitum, & à Gallis receptum approbatumque, & tandem ad mentem, votumque Gallorum pronuntiavit. Hoc ergo 189.

Concilium sufficeret, quamvis alia deessent, sed nec alia desunt, imò abundant.

190. Anno 1302. qui fuit vigesimus octavus post Concilium Lugdunense, Philippus Pulcher constitutionem edidit, cujus hæc sunt verba: *Quantum ad Regalia, quæ Nos, & Antecessores nostri percipere assuevimus in aliquibus Ecclesijs Regni nostri, quando eas vacare contigerit.* Idem Philippus in litteris ad Bonifacium VIII. datis: *Aliquarum Ecclesiarum, & Præbendarum collatio ad nos jure Regio pertinet.* Anno 1303. Idem Philippus: *Nolumus*, inquit, *quòd gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum Provinciæ Narbonensis.*

191. Anno 1334. Philippus Valesius in celebri sua constitutione, quam Philippinam appellant: *Cùm ab aliquibus dubitatum sit, an jus, præbendas, dignitates, aliàque beneficia conferendi, ad nos pertineat, vacante videlicet Ecclesiâ, & in ijs locis nostri Regni, in quibus jus Regaliæ obtinemus.* Ordinatio cujus initium: Episcopus: *Dum Episcopus alicujus Episcopatûs decedit, ubi Dominus Rex habet Regaliam.*

192. Anno *paulò supra* 1300. celebris quædam constitutio prodita est, cujus initium: *Dominus Rex*: In ea omnes speciatim Ecclesiæ numerantur, quæ juri Regaliæ aut subditæ, aut exemptæ sunt, ex qua luce clariùs patebit, noluisse Reges universim, totoquo Regno, sed certis tantùm locis Regaliam extendi. Ea sic habet: *Dominus Rex, prout constat per antiqua scripta Camoræ, consuevit capere Regaliam cùm vacaverit in provincijs, quæ sequuntur: In tota Provincia Senonensi, & Suffraganeis, exceptâ Diœcesi Antisiodorensi, in qua Decani, & Capitulum dicuntur permutationem fecisse cum Rege: In tota Provincia Rhemensi, exceptâ Cameracensi: In tota Provincia Bituricensi, exceptâ Lemovicensi, Cathurcensi, Rhutenensi, Albiensi, Mimatensi, Treconensi &c. In tota Normannia habet Regale; In Provincia Auxitanensi, & Arelatensi, & per consequens in tota Lingua Occitana nihil habet, in Provincia Burdigalensi solùm. Verumtamen de Pictaviensi fuit computatum anno 1306, sed Rex per litteras suas totum Episcopo restitui jussit.* Et in codice manuscripto, qui in Bibliotheca asservatur Reginæ Sueciæ, continetque quamplurima manuscripta arresta, hæc verba prioribus adjiciuntur: *Tunc conditione habitâ, quòd inquirerent diligenter, si Prædecessores Episcopi nunquam fecissent homagium Regi, & si sic, quòd recuperaretur super ipsum Episcopum, quod ei fuerat restitutum.* Ubi clarè expressum vides, Regij Procuratoris Officium ac munus fuisse, ut probaret, stetisse penes Regem capiendæ Regaliæ possessionem, quam nisi probâsset, pro Ecclesiarum libertate pronuntiabatur.

193. Anno 1352. alia, & ferè similis constitutio condita est, cujus titulus: *Ecclesiæ cadentes in Regaliam*: continetque 30. Diœceses, nullâ tamen factâ mentione Provinciarum Aquitaniæ, Occitaniæ, Provinciæ, & Delphinatûs. Anno 1408. & 1451. constitutiones Caroli VII. & VIII. *In Episcopatibus, in quibus Regaliæ jus habemus.* Anno 1499. Ludovicus XII. *Omnibus nostris Officialibus sub pœnâ, quæ sacrilegis debetur, infligendâ prohibemus, ne usumfructum Archiepiscopatuum, Episcopatuum, aliorúmque beneficiorum occupent, in quibus ea Regaliæ non habemus.* Anno 1606. Henricus Magnus omnes illas Regum Antecessorum constitutiones confirmat, declaratque: *Nolle se Regaliâ frui, nisi intrà limites, modúmque à suis Antecessoribus præscriptum, nec velle eam cum præjudicio Ecclesiarum exemptarum extendi.* Anno 1629. Ludovicus XIII. regnantis Pater ad preces Cleri Gallicani edictum Henrici ratum vult esse, haberique.

Præsertim verò Provinciam Septimaniæ fuisse à Regalia exemptam, infinita ferè 195
sunt documenta, quæ apud Marcam, & Episcopum Apamiensem videri possunt. Accessit hæc Provincia Coronæ Galliæ non simul, sed per intervalla, videlicet sub Ludo- 196
vico VIII. Ludovico IX. & tandem plenèque sub Philippo Audaci Regibus Galliæ: accessit verò eâ conditione, ut juribus ac privilegijs suis, quæ olim acceperat, deinceps potiretur; inter alia non minimum fuit immunitas à Regalijs: hanc quamvis Principum nonnulli turbâssent, restituta tamen est, & in antiquum statum reposita à Raymundo, & Alphonso Comitibus Tolosanis, & Comitissa Ermengarda; præsertim verò à Carolo V. Rege, *qui in omnibus Ecclesijs & Abbatijs Septimaniæ nullam se Regaliam affectare profitetur.* Annis 1138. 1155. & 1209. Quibus accessêre quàm plurima Pontificum, Regumque diplomata, Parlamentorum arresta, aliæque sententiæ, arbitramenta, transactiones, concordata, præsertim verò continua, nunquam intercisa possessio.

Accedit omnium ferè Scriptorum, qui 195
hoc argumentum tractârunt, una eademque sententia id ipsum confirmantium; ij sunt. *M. le Maistre.* Primus Parisiensis Parlamenti Præses *in C. 4. Constitutionis*, cujus initium, *Dum Episcopus.* Ubi: *Certissimum est, Regem non in omnibus sui Regni Episcopatibus Regaliâ potiri:* quod aliquoties repetit. Choppinus celebris Parlamenti Advocatus *l. 1. de sacra Politia. Si à Pontificia legum relaxatione hoc Regaliorum genus magis, quàm à possessione strictis finibus septa; promiscuus hic fuisset, & indefinitus privilegij usus in omnes Episcopatus Galliæ &c.* Et infra: *Quatenus Regaliarum jus in aliquibus Ecclesijs possessum, eatenus præscriptum, quæstúmque intelligitur.* Et *lib. II. Monasticor.* In *multis quidem sacrarum Ecclesiarum finibus Galliæ ignota sunt, nec usu trita Regaliarum jura.* Rebuffus in Parisiensi Universitate Jurium Professor celeberrimus *in tractatu de Regia ad Prælaturas nominatione*: *Reges in aliquibus tantùm Ecclesijs sui Regni Beneficia conferunt titulo Regaliæ, idque ex Privilegio, & concessione Ecclesiæ, cùm alias juri communi id repugnet.* Author Glossæ in Pragmaticam sanctionem: *Sicut Rex Franciæ, & Rex Angliæ vendicant sibi* (vacantibus Ecclesijs) *jus conferendi beneficia in quibusdam Ecclesijs Cathedralibus.* Eodem modo loquuntur Durandus Speculator, Archidiaconus, Ioannes Ferault Jurisconsultus Gallus, Carolus Grossalis Jurisconsultus Tholo-

Ianus,

Tholosanus, Duarenus, Pasquier Regius Advocatus, qui adulatores Ausicos eos vocat, qui jus Regaliæ ad omnes Ecclesias proferre audent, & denique Petrus Marca Archiepiscopus Parisiensis. Hi omnes, & quotquot de hoc argumento retrò temporibus scripsêre, unâ eâdemque voce profitentur jus Regaliæ in aliquas tantùm Ecclesias, non omnes, Regi competere. Ex quibus facilè colligas, quænam in hac re totius Ecclesiæ Gallicanæ, prout videlicet sacris, prophanisque Ordinibus constat, mens & sententia fuerit. Quæ licèt clarissima sint, non desunt tamen tergiversationes vinci nolentibus; frustra enim veritatem istis ostendas, quam non quærunt, imò aversantur.

195. Dicunt ergo: verum esse, non omnes Ecclesias Regaliâ teneri, illas enim eximi, quæ aut speciali privilegio à Regibus exemptæ sunt, aut titulo oneroso libertatem redemêre; istas immunes esse, nullasque præterea.

196. Verùm quàm hæc sint inania, & ludificandæ veritati quæsita, quis non videt? Concilium enim Lugdunense non aliquas tantùm, paucasque Ecclesias Regaliæ subducit, quæ privilegio, aut contractu aliàs tutæ sint, sed omnes illas, in quibus Regalia hactenus exercita non fuit, hæ verò multò plures sunt, quàm privilegio affectæ. Concilij verò Lugdunensis, & Ecclesiæ Gallicanæ, quæ illius Concilij maxima, & præcipua pars erat, eadem mens, & sententia fuit; imò Gallorum querelis ea constitutio debetur, ut *supra* vidimus: ipsi Galliæ Antistites, cùm Aulæ minùs blandirentur, fassi sunt, non eas tantùm Ecclesias eximendas esse, quæ privilegio, aut contractu aliàs tutæ sunt; sed omnes, quæ retro temporibus Canonicâ, & naturali libertate gaudebant. Sic enim in Conventu ad S. Germanum habito, Henrico III. imperante, Clerus loquitur: *Oportet, ab onere Regaliæ primò Ecclesias eximere, quæ contractu aliquo, commutatione, aliòve titulo oneroso hanc exemptionem sibi à Regibus paravêre. Secundò eas Ecclesias, quæ jam à tempore hominum memoriam superante in possessione, & libertate sunt, ne huic oneri subdantur; illæ præsertim, quæ hâc ipsâ libertate priùs gaudebant, quàm Coronæ unirentur, nec veritati consentaneum est, accessu ad coronam sub libertate, aut privilegijs excidisse, quæ in hunc usque diem semper conservârunt.* His Cleri rationibus & ipse Henricus assensus est, & propositio Pybraci Regij Advocati eliminata.

197. Idem fatetur Petrus de Marca, cujus hæc sunt verba: *Cùm antiqua Parlamenti Arresta jus Regium consuetudine niti, docuerint, nullámque aliam ejus asserendi probabilem rationem invenerint Doctores Parisienses, quàm vetustam consuetudinem ex æquitate profectam, mirum videri non debet, si Reges, qui primi leges in hac materia Regalium condiderunt, ad fori usum accommodatas, jus illud coercuerint ad Ecclesias, in quibus receptum erat, Regem eo jure uti.* Si ergo nullo alio titulo, quàm consuetudinis Regalia nititur, idque Parlamenta, Doctores Parisienses, ipsique Reges agnovêre; sequitur, ubi consuetudo non est, nullum etiam esse titulum, rationemque, Regaliam exercendi.

Denique ex Arrestis, Regijsque tabellarijs, ac omnium ferè Jurisconsultorum, & Advocatorum Galliæ testimonijs constat, multas Ecclesias à Regalia liberas esse, immunesque, videlicet Cameracensem, Lemovicensem, Cathurcensem, Rhutenensem, Albiensem, Mimatensem, Macloviensem, Trecorensem, Auxitanensem, Arelatensem, omnesque insuper Ecclesias Provinciarum Septimanniæ, Provinciæ, Delphinatûs, Aquitaniæ, aliasque recentibus victorijs Galliæ adjectas, de quibus vide Marcam *l. 8. à cap. 26.* & Episcopum Apamiensem *in Tract. Regaliæ à fol. 86.* Has, inquam, omnes immunes fuisse, constat, liberasque, sive jam contractui oneroso, sive antiquæ possessioni, ac Concilio Lugdunensi tribuas: si ergo, quocunque tandem titulo, liberæ sunt, quâ, rogo, æquitate gravari possunt, & jugo subdi nunquam accepto? Sit contractus, sit quidquid velis, tantùm ne serviant, quamquàm, ut dixi, nec privilegium, nec contractus sit, sed Ecclesijs innata, & à Canonibus, præsertim verò à Concilio Lugdunensi, sancita libertas. 198.

Enim verò, si quis attentè consideret, quid Regaliæ extensio ex una parte lucri, ex alia verò incommodi Regibus afferat, mirabitur, tanto illam ardore, conatuque quæsitam esse. Emolumenta, quæ ex ea proveniunt, si magnificentiam, opesque Regum Galliæ spectes, vix guttam addunt ingenti pelago; præterquàm quòd eorum Majestate indignum credas, si Ecclesiarum spolijs onusti incedant; quas olim augere consueverunt. Et quamvis moderni Regis pietate factum sit, ut modestissimè illis utatur, tertiâ eorum parte Neophytis adscriptâ; quis nobis tamen pollicetur, foribus semel apertis, eandem semper posteris Regibus & moderationem, & non potiùs in Regium ærarium, communemque alveum, cuam hunc rivulum decursurum, sacrâ pecuniâ in prophanos usus absumptâ? Nam & hic semper genius abusibus fuit, ut faciem honestate velarent, lenteque procederent, modestissimis initijs, sed lugendo fine. 199.

Et quamvis hæc omnia desint, finis saltem sacrarum fundationum pervertitur, quas esse inviolatas decet; & potestas, & administratio Episcopis debita, in Reges transfertur: & quis credat, oblationes ex alieno Deo placere, maximè in Regibus, qui proprijs abundant? Idem, multoque magis in collationibus Beneficiorum locum habet. Olim cùm Reges nulla beneficia conferrent, excusari, aut saltem ferri poterant, si etiam hujus juris exercendi aliquâ cupiditate tangebantur: nunc verò post Concordata, quando præter tot inferioris ordinis beneficia, quæ varijs ex titulis donant, omnes Prælaturæ, omnesque Episcopatus, & Archiepiscopatus ex Regum voto & nominatione conferuntur, vix aliud superest, quod optare debeant. Enim verò Canonicatus, aliaque mi- 200.

noris numeri Sacerdotia vix punctum afferunt, tot alia, tantique momenti possidentibus; cùm tamen ex alia parte Principum conscientias magnoperè gravent, nec minori damno afficiant.

201. Si Canonicatuum, aliarumque Dignitatum, & beneficiorum collatio ex solius Principis voto, arbitrioque penderet, extra periculum res esset; illos quippe nec lucri captandi, nec aliæ, sordidæque cupiditates tangunt, quas in privatis Ministris reperias: istis verò vacuas dignitates implendi tota cura committitur, Principe in alia, & majora intento; hinc est, dum isti referunt, orant, supplicantque, & illos Principi offerunt, quos non Ecclesijs, sed sibi, suisque utiles putant: Sacerdotia interim indignis, immeritisque donari, aut potiùs vendi, utique nil minùs cordi habent, quàm ut in Ecclesijs suis resideant, ut oculis subditorum virtutum exempla proponant, quos potiùs vitæ, morumque licentiâ & perversitate Clericis indignâ offendunt. Tantoque id pejus, si Ecclesiæ procul absunt; tunc enim ijs, qui digni essent, præteritis, succedunt Aulæ assueti, mutantque Beneficia recens accepta, aut etiam resignant, pensionibus egregiè impositis; quippe non tam illis Ecclesiarum, quàm lucri, ac proventuum cura est, animarum interim pretio, ac pauperum patrimonijs contra fundatorum intentiones in delicias consumptis.

202. Obsident Aulam Sacerdotum, & ambientium greges, non tam meritis, quàm pretio, gratiaque Sacerdotia capturi; ij verò, qui meritis quidem, sed non patrocinijs, aut ære abundant, in obscuro sunt, latentque, nec ulla virtutes consequendi cura est desperatione præmiorum. Illi ipsi, quos Ecclesiastici, Laicique Patroni nominârunt, aut expensarum, aut litium metu, aut etiam tædio itinerum (quippe Parisijs tantùm de Regalijs disceptatur) causam etsi justissimam ijs deferunt, qui plus gratiâ, potentiâque in Aula valent; unde Ecclesias indignis tandem repleri, necesse est; quippe ex Canonicatu etiam ad Episcopatus, altioresque Cathedras, ijsdem artibus eniti in promptu est. Constat ergo, parùm quidem emolumenti ex Regalia percipi, multùm tamen periculi, multumque damni, tantóque ampliùs, quantò illa magis dilatatur; ut prudenter à Marca Archiepiscopo dictum sit: *Tanti non esse Præbendarum istarum collationem, ut ejus etiam in loca, in quibus à Christo nato nunquam exercita est, proferendæ studio, antiquas Regni leges, Conciliorúmque decreta subverti, necesse sit.*

203. Quâ in re etiam æternæ memoriæ digna sunt Ludovici VII. & IX. Regum Galliæ exempla. Cùm enim huic instituendi Pastores à Pontifice potestas facta fuisset, ad idque Legatus Româ rediens diploma protulisset: *Quòd mea*, inquit, *negotia Romæ strenuè obieris, laudo, quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: intelligo enim, quanto cum periculo animæ meæ, & Regni id susciperem*: ac protinus diploma in ignem projecit. De eodem beato Rege narratur, noluisse Collationibus Sacerdotiorum se immiscere: *Sat mihi est*, inquiebat, *coram Deo de temporalibus meis ærumnis, non etiam spiritualibus rationem reddere.* De Ludovico VII. hæc habet Thomas Walsinghanus: *Reversus Ludovicus junior de Hierosolymitana contra Saracenos expeditione, cùm quidam Clericus Româ Papale privilegium attulisset, quo in omni Ecclesia Cathedrali sui Regni, jus conferendi primam vacaturam cum canonicis fructibus medio tempore provenientibus continebatur, confestim conclusit litteras, dicens: Malo illas hîc comburere, quàm si propter illas in æternum comburerer.*

PROBATIO II.

Quâ exhibentur argumenta, quibus Author tractatûs Apamiensis probat, Regaliam non habere locum in omnibus Franciæ Ecclesijs.

NAm hic Author probat inprimis, ipsosmet 204.
Reges Christianissimos professos fuisse, jus illud Regaliæ suæ Majestati in aliquibus duntaxat Ecclesijs convenire, in quibus receptum erat, Regem eo jure uti. Ita scilicet edixisse Philippum Pulchrum anno 1302. *Item, quantùm ad Regalias, quas Nos, & nostri Prædecessores percipere assuevimus, & habere in aliquibus Ecclesijs Regni nostri, quando eas vacare contingit.*

Ita Philippum Valesium in Constitutione 205.
anni 1334. quæ vulgò *Philippina* vocatur, cujus hæc sunt verba: *Cùm à nonnullis revocatum fuerit in dubium, utrùm jus haberemus, & ad Nos spectaret conferre Præbendas, Dignitates, Beneficia, quæ inventa fuerant, aut invenirentur non occupata, vacantia, vel unita, regali & de facto duntaxat tempore Regaliæ nostræ, in Ecclesijs Regni nostri, in quibus Regalia jus habemus.* Verba illa, *de facto duntaxat* retinuit nuperus ille Regiorum jurium impugnator, ut significaret, dubitatum fuisse regnante Philippo Valesio, utrùm Rex conferre posset Præbendas jure Regaliæ in Ecclesijs vacantibus: cùm tamen is status quæstionis non fuerit, sed utrùm eas conferre posset, quæ de facto tantùm vacabant, & quarum nemo possessionem adierat apertâ Regaliâ, quamvis Rex illas jam contulisset.

Laudat idem Author Constitutiones Ca- 206.
roli VI. anno 1408. & Caroli VII. anno 1451. eodem modo loquentium: *In Episcopatibus, ubi habemus Regaliam*: Item Constitutionem Ludovici XII. anno 1499. editam, cujus hæc sunt verba: *Inhibemus universis Officialibus nostris, ne in Archiepiscopatus, Abbatias, & alia beneficia Regni nostri, in quibus jus Regaliæ, aut Custodiæ non habemus, se intromittant: aliquin ut sacrilegi plectuntor.* Edictum Henrici Magni anno 1606. promulgatum, cujus hæc sunt verba: *Non intendimus frui jure Regaliæ, nisi eâ formâ & modo, quo Nos, & Prædecessores nostri usi sumus, ab ejus extensione in detrimentum Ecclesiarum exemptarum abstinentes.* Quod edictum Ludovicus XIII. confirmavit art. 6. Constitutionis

tutionis suæ editæ anno 1639.

207. Laudat præterea idem Auctor vetus Regestum Cameræ computorum, quod à Ruzæo, Pasquierio, Protopræside Magistro, & alijs, qui de Regaliâ tractârunt, profertur, in quo enumerantur Ecclesiæ subjectæ huic juri Regaliæ, itemque Ecclesiæ, in quibus Reges eo jure non utebantur. Hujus Regesti excerptum sic habet: *Dominus Rex, prout constat per antiqua scripta Cameræ, consuevit capere Regaliam, cùm vacaverit, in Provincijs, & Diœcesibus, quæ sequuntur. In tota Provincia Senonensi, & ejus suffraganeis, exceptâ Diœcesi Antisiodorensi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur fecisse permutationem cum Rege, prout est inferius. In tota Provincia Rhemensi, exceptâ Diœcesi Cameracensi. In tota Provincia Bituricensi, exceptis Lemovicensi, Cadurcensi, Ruthenensi, Albiensi, Mimatensi. In tota Provincia Turonensi, exceptis Maclovensi, Trecorensi, &c. In Provincia Burdigalensi solùm, verumtamen de Pictavensi fuit computatum anno 1306. In tota Normannia habet Regale. In Provincia Auxitanensi & Arelatensi, & per consequens in Lingua Occitana nihil habet.* Laudat idem Author *cap. 6.* in favorem Provinciæ Narbonensis litteras Philippi Pulchri datas anno 1303. quarum hæc sunt verba: *Nolumus, quòd gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum vacantium Provinciæ Narbonensis.*

208. Profert idem Author nonnulla Senatûs Parisiensis Arresta, quibus secundùm eas Ecclesias, in quibus Rex antiquam Regaliæ possessionem non habebat, Patres conscripti judicârunt, jus illud ad eas non esse porrigendum. Laudat denique Authores, qui jus Regaliæ in omnibus Regni Ecclesijs non vigere senserunt, Guillelmum Durandum, Rebuffum, Ruzæum, Ægidium Magistrum, Pasquierium, qui opinionem contrariam dignam potiùs esse dixerunt adulatore Aulæ, quàm Jurisconsulto Gallo, Carolum de Grassalio, &c.

Exceptiones partis adversæ ad prædicta Authoris Apamiensis argumenta confutanda à Natali Alexandro productæ.

209. NAtalis igitur Alexander excipit 1. Quæ *præced. probat.* 2. sunt allegatæ constitutiones, in quibus Reges Francici profitebantur, jus suæ Regaliæ non ad universas Regni sui Ecclesias extendi, nullum habere respectũ *ad præcitati* Concilij Lugdunensis Canonem *duodecimum*, quo Regaliæ ultra præscriptam consuetudinem extensio interdicebatur. Illum porrò loquendi modum à Regibus usurpatum: *in aliquibus Ecclesijs nostris*, sivè: *in Ecclesijs, in quibus jus Regaliæ habemus*, importare Parochialium, vel Collegiatarum, non autem Cathedralium Ecclesiarum à jure Regaliæ exclusionem. 2. Regestum vetus Cameræ computorum probare quidem, quòd Reges jure suo Regaliæ noluerint uti in quibusdam Ecclesijs, non autem, quòd id exercere non potuerint. Imò indicem illum ex Regesto Cameræ computorum excerptum, esse vitiosum, neque supremum Senatum habuisse illius rationem, in ferendis judicijs de quæstionibus Regaliæ; veluti observat Pasquierius *lib. 3. disq. Francic. cap. 37.* 3. Supremi Senatûs arresta vel rationibus singularibus nixa, vel consuetudine tunc vigente, & regnantium, aliquas Ecclesias à Regalia per specialem favorem liberantium, voluntati fuisse accommodata, salvo jure Regaliæ, nisi hujus fortè exemptio antehàc fuisset Ecclesijs nonnullis concessa ex titulo oneroso, vim contractûs habente.

Responsio.

AUthor *præcitatæ Responsionis ad Natalis Alexandri dissertationem §. 22. à n. 4.* re- 210.
spondet ad *primam* proximè adductam exceptionem, præadductas Regum constitutiones ac litteras perquàm consentaneas esse præallegato *duodecimo* Concilij Lugdunensis Canoni. In hoc enim tria statuuntur. 1. Ne Regalia in Ecclesijs de novo usurparetur. 2. Ut in ijs, in quibus ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine locum habebat, non usurparentur, quæ ad fructus, seu reditus non pertinebant. 3. Ne bona Ecclesiarum dilabi permitterentur. Jam si Constitutiones & litteræ, quarum testimonia adducta sunt, integræ legantur, clarè perspicietur, illas, vel unum, vel alterum horum trium, vel omnia simul edicere, seu confirmare. Ita si constitutio Philippi IV. anno 1302. edita, quæ extat *in 2. Tomo Actorum Cleri Gallicani part. 2. tit. 6. n. 4.* conferatur cum *Canone 12.* Concilij Lugdunensis, cum eo consentire in omnibus *supra* dictis capitibus comperietur, ut impossibile videatur non judicare, constitutionem, seu litteras Philippi, nihil aliud esse, quam executionem *prædicti Canonis. Primò* enim limitatur Regalia ad Ecclesias, in quibus ex consuetudine locum habebat: *Quantum ad Regalias, quas Nos, & nostri Prædecessores percipere consuevimus in aliquibus Ecclesijs Regni nostri, quando eas vacare contingit: de quibus plures ad nos querimoniæ devenerunt.* Deinde quæ ad fructus tunc provenientes non pertinebant, percipere vetat, ac bona in optimo statu conservari præcipit. *Volumus, præcipimus, ac etiam ordinamus, quòd res, bona, maneria, & jura Regaliarum manuteneantur, distribuantur, & expleantur absque aliquo detrimento, ac devastatione: ac si nostra propria forent. Inhibentes, ne de cætero nemora prædictarum Regaliarum ante tempus debitæ sectionis amputentur; neque arbores, quæ ab antiquo servatæ, & factæ fuerunt propter decorem & amœnitatem, foresta antiquæ, quæ nunquam causâ vendendi amputatæ fuerunt, aliquo tempore scindantur, aut quoquo modo vendantur. Nemora etiam, quæ exponuntur sectioni, non devastentur aut vendantur, nisi modo & tempore consuetis. Vivaria insuper, stagna & piscaria, nisi piscium nutrituræ, & aut fornitamentationibus servatis pro captura piscium non graventur. Præcipientes insuper, quòd in omnibus istis casibus, & circa prædicta, & singula præmissorum præcaveatur à devastatione, abusu, di-*

su, distractione & excessu, quôdque circa præmissa talis exhibeatur moderatio, talis æquitas, & tale temperamentum, qualia consueverunt à quolibet legitimo Administratore, & provido Dispensatore circa talia, ratione prævià, exhiberi.

211. Illum porrò loquendi modum Regaliæ ad certas Ecclesias restrictivum in litteris Regijs adhibitum, complecti Ecclesias non Parochiales, seu Collegiatas, sed Cathedrales, manifestè constat ex tenore præductæ constitutionis Ludovici XII. interdicentis, *ne Officiales sui se intromittant in Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & alia beneficia Regni sui, in quibus jus Regaliæ, aut custodiæ Rex non haberet.* Cosmas quoque Guimerius in Senatu Parisiensi Præses *in pragmaticam sanctionem de annatis* jus conferendi beneficia titulo Regaliæ Christianissimo Regi tribuit in quibusdam Ecclesijs Cathedralibus duntaxat. Quem sequitur Joannes de Selva in eodem Senatu Præses *de benef. par. 2. q. 23. n. 33.* Adstipulaturque Philippus Probus *q. 2.* & alij, estque adeò commentitia illa, nulloque fundamento nititur illa interpretatio Natalis, ac si Regalia in constitutionibus Regijs ideo limitaretur ad aliquas solummodò Ecclesias, ut excluderentur Collegiatæ, atque Parochiales, non autem aliquæ Cathedrales Ecclesiæ.

212. *Secundò.* Quando ex parte adversa excipitur, ex veteri Regesto Cameræ Computorum probari equidem, Regum aliquos Regaliam in quibusdam Ecclesijs non exercuisse, minimè tamen hinc evinci, ipsis non fuisse jus ejusmodi: adversùs hanc sanè frivolam exceptionem Author *Responsionis ad præcitatam Natalis dissertationem §. 22. n. 17.* meritò reponit, conveniendo eundem Natalem, ut doceat, quisnam Regum à tempore Concilij Lugdunensis adeò jurium suorum negligens extiterit, ut usum tam sibi honorificum, tam utilem in maxima Ecclesiarum Regni sui parte in desuetudinem abire permiserit. An Philippus Pulcher, sub quo scriptus est ille catalogus, & quidem post dissidium cum Bonifacio VIII. ut colligitur ex his verbis, quæ extant in articulo Ecclesiæ Pictavensis; prout à Pasquerio *l. 3. c. 37.* refertur: *Verumtamen de Pictavensi computatum fuit anno 1306.* Sed Rex (qui tunc erat prædictus Philippus) *præcepit totum restitui Episcopo?* A tempore autem Concilij Lugdunensis nullus ante Philippum Pulchrum regnavit præter ejus Patrem Philippum III. cujus Officiales non solùm jura Regia non negligebant, sed etiam indebitè propagare conabantur, ut circa Ecclesiam Albiensem paulò ante Concilium Lugdunense contigisse, testatur arrestum anno 1272. datum, cujus jam facta est mentio, & adhuc paulò *infra* fiet. Quandónam Officiales Regij tam malè suorum Principum rationes curârunt, ut usum tam commodum abolere sinerent? Si autem jam tempore Concilij Lugdunensis illæ Ecclesiæ suâ libertate gaudebant: quo jure contra illius Concilij prohibitionem hodie in servitutem redigi possunt?

213. Neque verò præcitatus Pasquierius dicit, indicem illum vitiosum esse, seu Regium Senatum ejus generatim non habuisse rationem, sed lata esse quandoque arresta ab ipso discrepantia, quod aliunde, quàm ab indicis vitio provenire potuit. Imò addit Pasquierius, indicem illum semper fuisse quasi facem, cujus lumine Judices in ferendis judicijs circa controversias de Regalia ducerentur. Ejus verba *lib. 3. cap. 37.* latinè reddita sic se habent: *Ut autem ad veterem catalogum redeamus, quem hîc tibi exhibui, non intelligo, illum ceu regulam esse in omnibus, ac per omnia certam. Subinde namque Senatus ei Placitis suis aliquid vel dempsit, vel addidit, prout in litibus occurrentibus ei pro sua religione æquum visum est. Affirmârim tamen, monimentum illud esse, quasi facem tenebris, quæ Regalibus nostris insunt, plurimam lucem afferentem. Ac re ipsâ Dominus Præses le Maitre* in suo tractatu de Regalijs *hoc quasi vexillum ostentavit.*

Constat saltem ex illis Constitutionibus, & litteris, Regaliam tunc, cùm illæ datæ sunt, in omnibus Regni Ecclesijs locum non habuisse. Quódnam autem jus novum Regi Christianissimo accidit, ut jus illud ad Ecclesias tunc liberas nuper extenderet? Quædam enim ex illis Provincijs, ad quas facta est extensio, ad ditionem Regum Christianissimorum revocatæ fuerant, antequàm edita fuisset ulla ex his constitutionibus, quarum aliquæ factæ sunt, cùm jam omnes illæ Provinciæ sub Regia essent ditione. 214.

Quod *tertio* tandem *loco* excipitur à Natali Alexandro, id *præcitatæ responsionis* Author ita refutat. Quænam, inquiens, excogitari potest ratio, ob quam plures Ecclesiæ per Senatûs Regij arresta sint à Regalia liberæ declarandæ, nisi libertas ex ipsa rei natura competens universis Ecclesijs, quæ neque ex fundatione, neque ex antiqua consuetudine subjectæ sunt illi servituti? Quid opus est, prætendere qualspiam singulares rationes, dum arresta ipsa veram continent rationem, nempe possessionem libertatis? Ita declarat Arrestum in favorem Ecclesiæ Bituricensis anno 1277. datum. *Dictum fuit per Curiæ nostræ judicium, cùm non constaret de possessione nostra ante collationes prædictas, dictum Archiepiscopum remanere debere in possessione conferendi beneficia antedicta, & esse restituendum ad possessionem antedictam.* Arrestum pro Ecclesia Ambianensi anno 1327. pronuntiatum eandem rationem indicat: *Cùm olim* (inquit Carolus IV.) *viventi charissimo Domino Genitori nostro, certum Arrestum pro Episcopo tunc Ambianensi prolatum fuerit, super possessione collationis prebendarum Ecclesiæ Ambianensis, quas Sede vacante, contingebat vacare; Nosque, & Procurator noster probabiliter ignoraremus; an in simili modo cæterorum collatio Beneficiorum vacantium in civitate & diœcesi ad ipsius Episcopi collationem, an ad Nos ratione jurium Regalium pertineret, ne ex ignorantia jus nostrum deseretur, aut alienum invadere contingeret: mandavimus Ballivo Ambianensi, quòd se ex præmissis diligenter informaret; factâ igitur informatione..... Curia præcepit Procuratori nostro, & per Arrestum, quod ipse super* 215. 216. 217.

se super præmissis ulteriùs non contendat, sibi super præmissis silentium perpetuum imponendo. Apud Choppinum *l. 1. de sacra Politia tit. 7. n. 8.*

216. Notatu dignissima sunt verb illa Arresti: *Ne ex ignorantia jus nostrum deserere, aut alienum invadere contingeret*, quibus confutatur, quod paulò ante dixit Alexander, Reges Christianissimos *Iuris* Regaliæ in Ecclesijs, quas liberas declarârunt, exercendi legitimum titulum, & authoritatem se habere, non negâsse. Non juri suo cedebant, sed jus Ecclesiarum conservabant hujusmodi Placitis. Eandem rationem continent Arresta in alijs Tractatûs Appamiensis locis relata; v. g. quod habetur *cap. 6. ejusd. lib.* pro Ecclesia Albiensi, quod idē *art. superiori § 41.* retulimus: *Cùm Dominus Rex super hoc aliàs nunquam usus fuisset*; & Arrestum circa Regaliam in Ecclesia Aniciensi jam sæpe citatum: *Quia per inquestam, quam fieri fecimus, probatum non extitit, seu inventum, quòd vacante Ecclesiâ supradictâ, Nos, vel nostri Antecessores domum Episcopalem, vel fortericia alia civitatis, castra etiam extra civitatem, seu villas alias habuerimus aliquo unquam tempore, sed nec pedagia extra civitatem ad Episcopum pertinentia, nisi à duabus primis vacationibus citra, vel aliquando unquam, vacante Ecclesiâ Nos, vel nostri Antecessores Dignitatem aliquam in ea contulerimus, vel Præbendam, &c.*

PROBATIO III.

Petita ex rationibus in præcitato Concilij Lugdunensis *Canone duodecimo* insinuatis.

217. PRæscindamus à jure Feudi, quo afficiuntur fortassis terræ, ac oppida Episcopatibus concessa cum onere tum recognitionis erga Regem, seu Imperatorem, tum servitiorum *realium* præcipuè, Regi seu Cæsari ex subditorum præcipuè censibus persolvendorum: cujusmodi jura Regalia ex ipso Lateranensi Concilio subsistere firma & rata, liquet ex dictis *præced. §. 2.* Quæ porrò Regalia subsistit ex fundatione Archiepiscopatuum, seu Episcopatuum, seu Abbatiarum, comprobata extat à sacro Lugdunensi Concilio. Sed sermo nobis est de Ecclesijs, quæ in suis fundationibus nihil habent sibi injunctum oneris hujusmodi, dum redditus, super quibus fundantur, sunt concessi in cultûs Divini obsequium absque ulteriori onere, & cum libertate à servitute, quam præfert Regalia. An non igitur circa redditus ejusmodi apprimè observanda est ratio, quam sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 2. de Reformat.* tradidit ex eo argumento, *quòd res Dei sint*, interdicentis, ne redditus Ecclesiastici insumantur in usus profanos? Quomodò igitur super redditus hujusmodi manum suam extendere potest Regia potestas, quam Christus æquè ac reliquos Christianos obstrinxit, ut, si jura sua sibi reddi cupiat, reciprocè reddat ea, quæ Dei sunt? Quæ ratio fortiùs urget in collatione beneficiorum puram spiritualitatem obtinente, adeoque sphæram Regiæ potestatis superexcedente, nisi in quantum à sancta Ecclesia, ejusque Capite Summo Pontifice Regibus, alijsve laicis est permissa.

218. Prætendi equidem solet à Regaliæ defensoribus; *hoc jus esse congenitum Coronæ Regni Francici.* Sed numquid dum Rex Galliarum mansisset in statu infidelitatis, intereaque sacro Evangelio in Franciam illato, à pijs fidelibus fundati essent aliqui Episcopatus, saltem ultra jura temporalitatis, Regiæ fortassis Majestatis fundis ac terris Regni sui inhærentis, Regiæ Coronæ congenitum dici posset jus super redditibus purè Ecclesiasticis, atque beneficiorum Ecclesiasticorum collationibus? Ubi verò Rex Franciarum Christi charactere insignitus fuit, an dicere fas est, ex ipso accreviſſe Regi, ejusque Coronæ jus spiritualitatis super ea, quæ Dei sunt, protensum? Si hoc dicere liberet, parem effectum pareret Christi character in omnibus Christicolis, adeoque fieret omnimoda spiritualitatis cum juribus temporalibus confusio perniciosissima, abolito jam toto Ecclesiæ sanctæ statu hierarchico, condistincto erga politicum seu Regium statum.

219. Verum equidem est, quòd Coronæ Regiæ in vi characteris Christiani accreverit obligatio tutandi Bona & jura sanctæ Ecclesiæ, ceu res Dei ab usu profano segregatas, & in sortem Domini secretas: unde Reges ac Cæsares obtinent nomen ac munus Advocatorum seu Patronorum, ac Defensorum, seu Custodum Ecclesiæ, ejusque jurium, ac Bonorum, redituumque: sed tantum abest, ut Rex hinc possit prætendere aliquam super juribus Ecclesiasticis superioritatem, ut potiùs è contrario in commune transierit adagium, advocatiæ jus nihil tribuere jurisdictionis supra clientem, ejusque jura propria; veluti præter alios probant Baldus *in Leg. 1. col. 3. §. Tuitio. Cod. Si quâcunque præditus potestate.* Alexander *in leg. 1. n. 24. De jurisdictione omnium Iudicum.* & *cons. 13. n. 18. lib. 6.* Rota *decis. 24. par. 2.*

220. Ex ipso equidem præadducto Concilij Lugdunensis *Canone duodecimo* noscitur, Regaliam stabiliri posse ex aliqua etiam consuetudine, sed ubi hæc sacra Generalis Synodus interdixit, ne ulterior, ac pro eo tempore fuerat possessum, ac præscriptum, fieret Regaliæ extensio, ex tunc hujus sacrosancti decreti jus *positivum* induxit obstaculum Regaliæ ultra limites tunc constitutos, seu bonâ fide possidendæ, seu consequenter præscribendæ. Tametsi verò Juris in juribus spiritualibus præscribendis resistentia vinci valeat per præscriptionem tituli quasi privilegiati præsumptione nixam: at hoc ipsum fortassis est causæ præsentis centrum, ut titulus ejusmodi pro ulteriori Regaliæ extensione ostendatur; prout in Corollario sequenti magis expendetur. Cæterùm ostendam deinceps, quibus tum authoritatibus, tum rationibus fuerit de Regalia antiquitùs concertatum, quas universas ex Jurisperitis *infrà* nominandis integrè producam, quò plenius

nius judicium formare possit Lector; quem tamen cupio, suum habere judicium suspensum, quoúsque totum cujusque Authoris discursum evolverit: & si meum requirat judicium, haud difficulter intelligere poterit, me concludere, quòd non alij, quàm ij, quos præadductum Concilium Lugdunense circa Regaliam probavit, tituli videantur ex solido Juris fundamento subsistere.

PROBATIO IV.

Quâ ex Arnulphi Ruzæi *de jure Regaliæ opere in tractatûs tractatuum to. 12. relato à pag. 357. per extensum adducto* ostenduntur Regaliæ justi tituli haud absimiles illis, quos sacrum Concilium Lugdunense unicè comprobavit, extensionemque hisce ulteriorem interdixit.

221. IS igitur Author *à n. 3.* ita disserit. Inprimis, inquiens, quærendum est, quo jure & titulo Francorum Reges vacantibus Ecclesijs Cathedralibus & Metropolitanis, collationes beneficiorum, & Patrimonia temporalia Pontificum sibi vendicarunt in ipsis Ecclesijs, donec sacramento fidelitatis sint ipsi Pontifices Principi adaptati? Quæ quæstio & controversia orta est temporibus Bonifacij VIII. & Philippi IV. cognomine Pulchri quondam Francorum Regis, dicente Bonifacio, quòd collationes beneficiorum sunt merè spirituales, quæ ad Principes, tanquam Laicos pertinere non debent. Econtrariò Philippo asserente, illud jus Regaliorum ad Reges Franciæ tanquam ad legitimos totius Christianitatis Protectores spectare. In qua quæstione variæ fuerunt sententiæ & opiniones, ita quòd refert Joannes Andreæ post Joannem Monachi *ibi n. 3. in Capitul. 2. de præbendis in 6.* quòd hæc materia fuit tractata & ventilata in Curia Romana temporibus Nicolai III. per excellentissimos viros totius Italiæ.

222. Hanc quæstionem tetigit Archidiaconus *Cap. Imperium. 10. distinct.* loquens de Regalibus Regum Franciæ & Angliæ, præsertim in Normannia, qui habent potestatem conferendi, vacantibus Ecclesijs. Eandem quæstionem format Speculator *in tit. de Legat. §. Nunc tractemus, versiculo, sed numquid Legatus.* ubi in individuo facit mentionem de quadam præbenda in Ecclesia Laudunensi, quam habebat Nicolaus Papa ante suam promotionem, & eam nepoti contulerat: sed eam postmodùm Rex contulit, & obtinuit. Idem Speculator *in tit. de præbend. in §. Restat, in vers. Item nota*: & *ibi* Joannes Andreæ *in addit. ad eum in Gloss. Super hoc fuit sic receptum.* dicens, quòd tale jus vendicant sibi Reges Franciæ, & Angliæ in Ecclesijs vacantibus, & quòd in hæc Reges sunt antiquo jure defendendi. Idem tractat Speculator *in tit. Sede vacante in ult. col. Ibi. item etiam Reges*, subjiciens, quòd Rex percipit fructus, & collationes beneficiorum, Sede vacante, sicut facit illustris Rex Franciæ in Ecclesia Carnotensi, cujus ipse Speculator Decanatum obtinebat. Istud idem format Gloss. & Jacobus Alvaretus *in Cap. un. Qui feudum dare possunt.* Hanc eandem materiam tractant Dominus Antonius Corsetus *in tract. de potestate & excellentia Regia in q. 51.* quærens, quæ sunt jura & bona Regaliorum. Et novissimè approbatum est in Concilio Basileensi *§. Item quòd dicta. in tit. de annatis in Prag. sanct.* & *ibi Glossa super verbo Regalia.* Et licèt Archidiaconus *in dict. cap. Imperium, dist. 10.* dicat, quòd jus Regaliorum non est, nisi quædam usurpatio, quam vendicaverunt sibi Reges ex tolerantia, & dissimulatione Summorum Pontificum; & idem repetit *in Cap. Adrianus. 63. dist.* Idem Joannes Monachi *in dict. cap. 2. de præbendis. in 6.* quos secuti sunt multi Doctores. Item Joann. And. *in addit. ad Speculator. super illo versic. Sed numquid Legatus, in tit. de Legato. §. Nunc tractemus.* Quæ tamen opinio Monachi tanquam suspectissima, & à domo Adversarij procedens, teneri non debet. Quippe qui Vicecancellarius Bonifacij VIII. & ab eo creatus Cardinalis erat: ut testatur idem Joannes Monachi saltem de Vicecancellariatu *in Cap. Is, qui de sentent. Excomm. in 6.* ubi Probus id firmat, qui Papa Bonifacius contra dictum Philippum Augustum Francorum Regem super jure Regaliorum diutiùs concertavit, ut recitat Philippus Parisiensis.

Ultra *superiùs* allegata reperio, quòd de jure hoc Regaliorum meminit Guillielmus Benedicti Præses Tholosanus, *in repertorio Cap. Raymundus. super verbo. Uxorem nomine Petronillam n. 369. de Testa.* subjiciens, quòd Franci contendunt, nihil ipsis peculiarius esse inter jura Coronæ, quàm istud illustre & excellens jus Regaliorum, cælitus Francorum Regibus concessum. Et quòd hoc successit in in locum Investituræ Præsulum, quam retrò annis Adrianus Pontifex Maximus contulit. *Cap. Adrianus. 63. dist.* Hoc idem tetigit & enucleat Stephanus Aufrerij *in tract. de potest. sæcularium super Ecclesiasticas personas. in 2. reg. 25. Fallentia.* Ubi copiosè multa adducit pro confirmatione istius juris Regaliorum. Et eadem jura accumulat Fely. *in Cap. Significavit. in primis verbis super illo passu, quòd Comitissa Flandrensis sex præbendas sacerdotales contulerat.* Et ante eos Henricus Bohic. Gallus & Parisiensis Doctor *in Cap. Præterea, & primo. de Iurepatron.*

Verùm, ut hæc injuriosa interpretatio à calumnijs horum expurgetur, ego, salvo meliori judicio, probare conabor, hoc illustre Regaliorum jus tam à jure Divino, quàm à Pontificio, quàm à sacris Concilijs profectum, atque usurpatum. *Primò* enim legimus in Veteri Testamento, quòd Rex Israel electus à Domino, & inunctus, deficiente Sacerdote, fungebatur plerumque ministerio Pontificis etiam ad præficiendos ministros; ut scriptum est de Davide *1. Paralip. cap. 24.* ubi David Rex 24. ministros præposuit. Idè de Salomone *3. Reg. cap. 1.* & de Iuda Machabæo *7. cap. Machab.* Et est textus Isidori *in Cap. Cleros. circa med. 21. dist.* Unde si in Lege Antiqua hoc fiebat, à fortiori in Lege Gratiæ in

qua

qua Reges Francorum Christianissimi Ecclesias Cathedrales tot annuis proventibus locupletârunt, & ornamentis decorârunt: & propterea appellantur Protectores & Defensores Ecclesiarum Cathedralium. Sequitur Baldus *in Cap. Quantò. Extra. De judicijs.*

225. *Secundò.* Comprobatur istud jus Regaliorum ex antiquis Decretalibus Summorum Pontificum *primò* per textum *in Cap. Cùm inter nos in parte decisa. de consuetudine*, loquentem de Rege Angliæ, qui occupabat Normanniam & Comitatum Cenomanensem, qui conferebat præbendas, & præsertim Decanatum sancti Petri Cenomanensis, & ibi Tancredus Glossator antiquus. Alibi textus Honorij III. *in Cap. Dilectus. 3. De præbendis.* loquens de Ecclesia Andegavensi memorat, quòd Capitulum conferebat præbendas vice Regis, & sic non subjiciebatur mandatis Apostolicis, prout reperitur per nos comprobatum *in tract. de mandat. Apost. part. 2. num. 21. & seq.* Unde patet, quòd Rex ibi conferebat præbendas & non alio jure, quàm Regaliorum, ratione citationis: quia Princeps patronus & fundator debet habere de jure provisionem præbendarum. Ita per illum textum confirmat Dominicus *Cap. 1. 21. dist.* Idem *in dict. Cap. Imperium. in 2. col.* & Dominicus Abbas *in Cap. Cùm Ecclesia Vulterana. De elect.* Si enim inferiores ratione fundationis aut dotationis habent jus præsentandi, à fortiori Principes superiores, qui majora contulerunt, debent in remunerationem habere ampliorem prærogativam, ut conferant pleno jure, prout loquitur dicta Decretalis *Dilectus*, quæ utitur expresso verbo conferendi. Ita ad propositum Ioannes Parisiensis in tractatu per eum facto de statu Ecclesiæ tempore dicti Bonifacij, in quo tuetur jus Regaliorum, dicens, quòd Regi superexcellenti debetur in remunerationem major honor, scilicet collationum beneficiorum; quia licèt jura spiritualia non cadant in laicum; tamen jura spiritualia largo modo ratione annexionis, vel antecedentis possunt cadere in laicum. Ita pulchrè Archidiaconus post Hugutionem *in cap. Piæ mentis. 16. q. 7.* Et rationem diversitatis inter inferiores, & Principes tradit idem Ioannes Parisiensis, quòd ideo inferiores præsentant duntaxat, quia non habent peritiam discernendi capacem à minùs idoneo; ideo traduntur præsentati examinandi Episcopo Diœcesano, ut conferat: secùs in Principibus, qui habent omnem peritiam in scrinio pectoris. Principes idcircò pleno jure conferunt. Quòd si jus antiquum animadvertamus: inveniemus in eo, insolitum esse verbum præsentationis: sed usitatum esse verbum provisionis; ut est textus *in Cap. Ratio*, & *in Cap. Monasteria. 16. q. 7.*

226. *Tertiò.* Alibi est textus *formalis* in Decretali. *Ex diligenti in antiqua compilatione. de jure patronatûs*, quæ dirigitur Episcopo Vercellensi, & expresè facit mentionem de quadam præbenda, quam Rex Angliæ contulit, Sede vacante, quem textum ad hoc allegat Archidiaconus *in dict. Cap. Imperium. in principio.* Sed dicit, quòd hæc Decretalis hodie remota est.

Quartò. Istud jus Regaliorum fuit approbatum, & declaratum in sacro Concilio Lugdunensi, cui præfuit Gregorius X. *in Cap. Generali. in §. fin. de elect. in 6.* Ubi textus prohibet, de novo vendicare jus custodiæ, advocationis, vel Regaliæ, & ibi exponit Ioannes Monachi, & Archidiaconus *De jure Regaliorum Franciæ*, & *in §. Si verò* dicitur, quòd ratione fundationis, vel antiquæ consuetudinis jura Regaliorum possunt prætendi & percipi; & loquitur textus *alternatim*, aut ratione fundationis, aut antiquæ consuetudinis. 227.

Est ergo Rex Franciæ in quasi possessione percipiendi jus Regaliorum, Sede vacante Episcopali, occasione fundationis, cessante etiam consuetudine, quantum ad collationam beneficiorum, quem textum ad hoc voluit allegare Speculator in dicto titulo: *Ne Sede vacante circa finem*, loquens de Regalia Carnotensi, dum allegat *Cap. Hoc consultissimo. De reb. Ecclesiæ non alienandis. in 6.* Dicit ibi Ioan. Andreæ, quòd voluit allegare dictam Decretalem *Generali. §. Si verò.* Demum hoc fuit confirmatum per Concilium Basileense *in §. Item quòd dicta quinta pars, in verb. ad Regem jure Regaliæ, in tit. de annatis. in Prag. sanctione.* 228.

Ad præmissa sic per me collecta addo, quòd potest elici, tale jus non esse novum, nec recenter inventum. Sed longis anteà temporibus diuturno usu confirmatum est. Inprimis hoc tam illustre Regaliorum jus corroboraverunt, & approbaverunt Romani Pontifices. Primus videlicet Adrianus Papa, ut *supra* dictum est, in personam Caroli Magni reservavit Regi, & suis quibuscunque Successoribus, de quo fit mentio *in dicto Cap. Adrianus.* Et *in Cap. Ego Ludovicus. 63. dist.* Hoc idem jus firmavit Clemens Papa IV. qui confitetur, quòd Rex vacantibus Ecclesijs confert præbendas à tempore, quo Ecclesia Pastoris regimine contigerit destitui, donec substitutus Episcopus Regaliam à manibus Regis receperit. Et mandat executori per eum deputato, ut, si qua collatio facta sit, revocaret in irritum: quia non intendit collationes beneficiorum vacantium, Sede vacante, in Cathedralibus, vel Metropolitanis ad alium spectare, quàm ad ipsum Regem: nec velle uti in præjudicium Regis quovis modo. Et hoc factum est pro præbendâ Rhemensi vacante per promotionem Archiepiscopi Rhemensis, directo Cardinali S. Marci executore: cui Pontifex Maximus mandat, ne conferat, aut si contulerit, revocet, & hoc sub data Viterbij Idibus Septembris, Pontificatûs sui anno 3. Idem Gregorius Papa pro Rhotomagensi Ecclesia vacante per translationem ad Archiepiscopatum Narbonensem, ubi refert, Carolo Francorum Regi illustri ratione temporalitatis dictæ Rhotomagensis Ecclesiæ homagium & fidelitatem debitè præstari debere: Idcircò quia prædictus Rhotomagensis Archiepiscopus præsentiam suam adire nequibat, rogat prædictus Pontifex dictum Carolum Regem, ut juramentum per 229.

Procuratorem admittere dignetur, vel longam differentiam & dilationem concedere velit, data apud Villam novam Avinionensis Diœcesis, quinto Calendas Septembris, Pontificatûs sui anno quinto.

230. Hoc idem corroboravit Urbanus Papa, qui confitetur, vacante Ecclesiâ Lugdunensi, jus Regaliæ spectare ad Regem: idcircò scribit idem Pontifex: *Cùm translatio de Episcopatu Lugdunensi ad Episcopatum Cenomanensem non sit fortita effectum suum, neque vacaverit, ut ratione Regaliæ non faciat Rex, neque fieri permittat novitatem. Data apud S. Petrum II. Calendas Novembris, Pontificatûs sui anno 5.* Unde Rex sanctus Ludovicus anno Domini 1247. offerendo appanagio Carolo fratri suo Ducatum Andegavensem, & Comitatum Cenomanensem, reservavit sibi in Ecclesijs Cathedralibus jus Regaliorum. Idem Rex Ioannes transferendo filio suo eosdem Comitatum, & Ducatum Andegavensem similem fecit reservationem pro conservatione juris Regaliorum. Idem Philippus Augustus mandat Regalian Cenomanensem tolli post confirmationem, & præstitum juramentum fidelitatis anno Domini 1314. Idem Philippus Pulcher constitutionem fecit Parisijs die lunæ post mediam Quadragesimam, quæ incipit: *Item quantum ad Regalias. 1302.* Idem Ludovicus Rex XI. declarat, cognitionem, & determinationem collationum beneficiorum vacantium, & vacaturorum, & quæ vacarent in Regalia Curiæ suæ Parisiensis, & non alteri pertinere, absque eo, quòd aliquis Iudex Ecclesiasticus, vel temporalis se debeat de ipsis intromittere; nec in petitorio, nec in possessorio cognoscere. Hæc est notabilis constitutio Regis Ludovici facta anno Domini 1364. ut latiùs dicetur *infra in fine hujus præfationis, & parte 5.*

231. Ex quibus omnibus potest elici, quòd pluribus modis istud jus Regaliorum Regi competere potest *Primò.* Ratione fundationis, quia in traditione rei suæ quilibet potest apponere pactum; quod vult, etiam in spiritualibus. Textus & Gloss. *in Cap. Eleutherius. 18. q. 2.* & *ibi* colligit Do. Abbas *in Cap. Quantò. Extra. De censibus.* Fortiùs dicit Dominicus *in Cap. Cùm ex eo, in ult. not. ab. de elect. in 6.* quòd Rex fundans Ecclesiam potest in creatione apponere onus, quòd, occurrente vacatione, non spectet collatio, nisi ad posteros gentis, & familiæ suæ. Pro cujus confirmatione affero, quod eleganter voluit Glossa *in dicto Cap. Generali. in verbo. Fundatione. De elect. in 6.* dicens, quòd Patronus tempore fundationis potest disponere, ut fructus Ecclesiæ, quando contigerit, illam vacare, sibi spectent. Et istud tenet Innocentius *in Cap. Quoniam. Ne Prælati vices suas.* Sed collationes sunt in fructu. Gloss. *in Cap. Cùm olim. De major. & obed.* prout & præsentationes, electiones, & similia, ut latè probat Probus *in tract. Pensio. quæst. 28. partis primæ.* Et sic potest Rex, qui est fundator Ecclesiarum Cathedralium sui Regni, apponere illud onus, quòd, Sede vacante, fructus temporalitatis ad eum spectent, donec fuerit plenè provisum de successore. Istam rationem videtur assignare Textus in *dict. Cap. Generali. §. Severò*, *ibi*, ratione fundationis. Et Glossa *in dicto §. Item*, *quòd dicta quinta pars. in verbo Regaliæ in tit. De annatis*, *in Pragmat. sanct.*

Quibus addo, quod longè majus est, quòd non est opus, quòd Reges in erigendo Ecclesiam, vel illam fundando, expresè reservent istud jus conferendi in vim Regaliorum: quia sufficit ostendere, quòd Rex fuit dotator Ecclesiæ Cathedralis, ad consequendum tale jus. Textus *in Cap. significavit.* & ibi Cardinalis & Panormitanus *Extravag. De offic.* Et est Glossa notabilis *in Cap. Si quis Basilicam. De consecrat. dist. 1.* allegant *Cap. Dilectus. el. 3. De præbendis.* ubi Rex est fundatus in jure præbendas & alia beneficia non habentia curam animarum ratione dotationis sinè alia reservatione, quem ita expresè & in individuo intelligit Panormitanus *in Cap. Postulasti. col. fin. De jurepatron.* Et ratio est, ut Reges & Principes videntes jura sibi benignè fovere, adducantur ferventiùs, & animosiùs ad dotationes Ecclesiarum, & ædificationes. Ita Felyn. Sandeus in eleganti tractatu; *quando litteræ Apostolicæ nocent patronis Ecclesiarum*, *in vers. Corroborari potest.*

Verùm in oppositam partem valent multa. *Primum*, si dicimus, quòd Reges & Principes in actu fundationis tale jus sibi specificè reservaverunt, istud fieri non potest, quia nemo potest facere, quin jura in sua dispositione locum habeant. *Lege. Nemo potest. §. De Legat. primo.* Sed jus conferendi est jus merè spirituale; Textus *in Cap. Transmissa. Extravag. De jurepatron. not. in Cap. Missana. & in Cap. Sacrosancta. De elect.* quod non cadit in laicum quâcunque Regali, aut Imperiali præfulgeat dignitate; ut *in dicto Cap. Si Dominus Petrus de Ancharano in Reg. Beneficium. in verbo ad Laicum*, *de Regulis Iuris. in 6.* Textu *in Cap. in Synodo. 63. distinct.* Textu *in Cap. Bene quidem 86. dist. in §. Verùm. In verbo Ducibus. 32. dist.* Istud etiam dicit ab expresso Pulcher Textu *in Cap. Si quis deinceps. 16. q. 7.* quòd si quis Imperatorum, Regum, Ducum Personatum, vel aliquam Præbendam contulerit, sciat, se odium beati Petri incursurum. Quòd si sibi specialiter non reservavit, tunc Ecclesia præsumitur libera ab omni jurepatronatûs. *Per Cap. Querelam. De elect. & ibi* Panormita. & Carein. & Glossa *in Cap. Piæ mentis. 16. q. 1.* ubi dicitur, quòd dato, quòd sit præsumptio de fundatione, tamen Ecclesia præsumitur libera, nisi constet de retentione jurispatronatûs. Et licèt Reges habeant Regna à Deo, per illa verba: *Per me Reges regnant*: tamen potestas eorum est juris gentium. *Lege. Ex hoc jure. super verbo. Regna condita. ff. De just. & jure.*

Neque aliquid facit, quòd in Veteri Testamento Reges fungebantur vice Pontificum, ut latiùs *superiùs* dictum est. Quia istud est ex Antiquo Testamento: sed post adventum Christi, translato Sacerdotio, translatio legis facta est. Ita pulchrè Innocentius *in Cap. Licèt ex suspecto. Extra. De foro competet.*

Neque

235. Neque aliquid facit decisio Baldi *in dicto Cap. Quanto. de judicijs.* dicentis, quòd Reges sunt Patroni Ecclesiarum Cathedralium, volentis ex hoc inferre, quòd habeant jus conferendi præbendas. Quia debet sanè intelligi quoad protectionem & defensionem Ecclesiarum, non quoad collationem beneficiorum. Ita eleganter Præpositus Mediola *in Cap. Lectis. 63. dist.* Istud idem dicit Abbas Dominus Panormitanus *in Cap. Venerabilem. in verbo: Carebit. Extra De elect.* dicens, quòd Imperator non est Patronus Romanæ Ecclesiæ, esto, quòd sit Advocatus, & Defensor illius.

236. His argumentis, authoritatibusque non obstantibus, ut ante disputatum est, quamquàm plerumque jura spiritualia non transeant in Laicum; tamen in remunerationem dotationis Ecclesiarum concessum est Principibus, & Regibus, ut, vacante Sede Episcopali, conferant præbendas, vel ut habeant custodiam Ecclesiæ vacantis. At *in dict. Cap. Generali. §. Si verò.* & *in dicto Cap. Dilectus. el. 3. in parte decisa. de præbendis.* sicut habent inferiores laici propter fundationem Ecclesiæ jus præsentandi: & rationem diversitatis posui *superiùs.* Ita dicit Joann. Parisiensis *in dicto tract. de statu Ecclesiæ.* Ratio est, qui jus conferendi non est suâ naturâ me è spirituale, sed ratione unionis, quæ jura propriè non sunt spiritualia: sed quædam interpretatione: quare facilè transeunt in laicum, ut invitentur ad constructionem & fundationem Ecclesiarum. Ita notabiliter Archidiaconus *in dict. Cap. Præmentis. 17. q. 6.* Dominus Abbas *in Cap. 1. De præbendis.* Idem *in Cap. Quantò. in 3. colum.* Glossa Magna *in Cap. Cùm dilectus.* ita sentiens de jurepatronatûs; & Dominus Rochus de Curte *in suo tract. de jurepatron. in 2. colum. super verb. Jus.* Et igitur penes illos etiam Doctores, qui Regaliæ quoad jus conferendi favent, restrictionem fieri ex titulo fundationis, seu dotationis Ecclesiarum.

PROBATIO V.

In feudi rationem, dotationis titulum præferentis, reducta ab eodem Authore à *pag. 359.*

237. *Secundo* loco illustre jus reperio, competere Regibus Francorum ratione feudi vacantis, quia mortuo Episcopo, ex quo feudum revertitur ad Principem ratione homagij, & juramenti fidelitatis, quæ præstantur à succedente in dignitatem, ex consequenti omnia beneficia, quæ ex feudo dependent, & erecta fuerunt, pertinent ad Regem. Pro ista opinione facit egregia decisio Cardinalis Florentini *in Consil. 122.* incipiente: *Quidam habens feudum.* ubi *absolutè* censet, & resolvit notabiliter, quòd si de feudo dotetur beneficium, tunc juspatronatûs quæritur feudo, & non personæ. Igitur in quem transit feudum, transeunt & collationes beneficiorum. Hanc sententiam secutus est Felyn. Sandeus *in Cap. Cùm venerabilis. in 12. colum. Extra. De exceptionibus.* Pro hoc est Textus junctâ Glossâ *in Cap. In sactis. 16. q. 1.* Hoc deducit latè Cardinalis *in præallegato loco.* Unde dicendum est in consequentiam feudi vacantis, quòd transit in Regem jus conferendi beneficia data de suo patrimonio. & feudo, Sede vacante, sicut transit feudum, cui illud jus adhærere videtur. *Argumento Legis in rem. §. Si quis rei suæ. ff. De rei vendicat.*

238. *Secundò* facit, quia ex quo fundatur in jure dictorum Regaliorum in certa parte, videlicet in perceptione temporalitatis, Sede vacante, reputatur fundatus in universo quoad collationes beneficiorum, quæ sunt in fructu; & connumerantur inter Majores fructus Prælaturæ. Glossa *in Cap. Cùm olim. De majorit. & obed.* Ita *formaliter* Joannes Andre. *in Regula quod alicui. lib. 6.* ubi dicit, sufficere, quòd is sit fundatus in certa specie ad fundandum jus suum in universo; & Dominus Abbas *in Cap. 1. Extra. De Religiosis domi. nibus.*

239. *Tertiò.* Ad hoc est decisio expressa, & Textualis decisio Decretalis Alexandri sub titulo de jurepatronatûs, incipiente: *Ex diligenti, in antiqua compilatione*, quæ dirigitur Episcopo Vercellensi, & loquitur de quadam præbenda, quam, Rex Angliæ contulerat. Et dicit *ibi* Textus, quòd fructibus ad fiscum devolutis, Rex contulit ibi præbendam, & sic claré Textus *ibi* vult, quòd collationes præbendarum veniant in consequentiam perceptionis fructuum. Et *ibi* Glossator antiquus Laurentius quærit, quo jure? Iure Regaliorum, inquit, in quo in consequentiam fructuum venit collatio beneficiorum. Et licèt ille Textus sit de antiqua compilatione, & videatur abrogatus, tamen ex quo non derogat novis juribus, potest allegari ad decisiones causarum, ut est Textus *in Cap. Pastoralis. & ibi Can. De fide Instrum.*

240. *Quartò.* Ultra *supra* dicta, pondero ad hoc Textum *in Cap. Cùm sæculum. Extra. De jurepatron. ibi, ratione feudorum, juspatronatûs acquisiverit.* Unde evidenter colligitur, quòd ratione feudi à Laico concessi juspatronatûs transit, quando est spirituale. Per quem Textum decidit Dominus Rochus de Curte *in suo solenni tractatu de jure Patronatûs in verbo. Ipse, vel is, à quo causam habuerit, in 29. quæst.* quòd in confiscatione bonorum, & devolutione ad Principem, transit juspatronatûs. Hoc tenet Glossa *in Cap. Filijs. 16. q. 7.* Ita volunt Joann. Andreæ, & Dominus Abbas *in Cap. Nobis De jurepatronatûs.* Dominus autem Cardinalis Florentinus dicit, se ita consuluisse *in Cap. Quantò. De judicijs. in 3. colum.*

241. Tametsi in oppositum, quòd ratione feudi vacantis, quamvis temporalia revertantur ad Principem, tanquam ab ejus patrimonio manantia, tamen collationes beneficiorum, quæ sunt merè spirituales, Sede vacante, transire non debent, non pauca argumenta & valida adduci possunt. Inprimis authoritas Præpositi Divi Ambrosij, qui decisivè disserit *in Cap. 1. in colum. pen. 20. distinct.* quòd in translatione universitatis bonorum odiosâ, qualis est ea, quæ oritur per mortem naturalem, vel civilem, nunquam

transit jus spirituale, vel quasi, ut juspatronatûs, etsi in translatione voluntaria, & favorabili transeat, quia spiritualia transeunt cum universitate. *Argumento Cap. Ex litteris. de jurepatron. Lege. In modicis. ff. De contrah. empt.*

242. *Secundò.* Videtur illud à ratione alienum, quòd sub prætextu feudi, vel largitionis rerum temporalium factæ à Principe, res semel sacratæ, & Deo dicatæ, præsertim merè spirituales, ad usus humanos revertantur contra Regulam: *Semel Deo dicatum.* Et hoc voluit eleganter Bald. *in leg. 2. Cap. Ut in possessionem legato.* ubi egregiè dicit, quòd Princeps, vel privata persona non potest per concessionem temporalitatis factæ Ecclesiæ, subijcere personam, vel bona Clerici, vel Ecclesiæ sibipsi. Et videtur Textus *in Cap. Si quis deinceps. §. & item si quis Imperatorum, Regum, vel Ducum. 16. q. 7. super verbo Ecclesiasticæ dignitatis, & in Cap. Quoniam investituras eodem Can. & quæst.* Itaque videmus, quòd acquisita in solo etiam alieno ex rebus Ecclesiæ concessis, & dicatis, efficiuntur ipsius Ecclesiæ. Glossa *in Cap. Apostolicos. 12. q. 2. contra Regulam juris communis Leg. 2. Cap. De rei venditione. §. Si quis à non domino. Instit. de rer. divis.* Et quia *supra* dictum est, quòd est Extravagans Alexandri *sub titulo de jurepatron.* quæ dicit, quòd Rex Angliæ contulit præbendam, fructibus ad fiscum devolutis. Contra hanc opinionem Extravagantis, quæ non est recepta, tenuerunt multi Doctores. Inprimis Cardinalis Florentinus *in Clement. Plures. in princip. in 8. q. de jurepatron.* dicens, quòd in confiscatione & devolutione bonorum universali in laicum nunquam transit juspatronatûs, quod non est merè spirituale, sed redit liberum ad Ecclesiam. *Arg. Cap. In quibusdam. In Cap. Felicis. De pœnis. in 6. in §. Si qua verò.* Eandem conclusionem refert, & sequitur Dominus Andreas Siculus *in Cap. Quanto. 8. col. de judicys*, quòd eo casu Ecclesia debet remanere libera, nec ejus dispositio reverti ad Principes, aut alios laicos. Hoc idem tenet Glossa *in Cap. Pastoralis. §. Rursus. De re jud.* Et in effectu Felyn. Sandeus *in dicto Cap. Quantò in 4. col.* Et hoc illud Imola *in Leg. in Insulam. ff. soluto matrim.* subjiciens, quòd hæc pars fortè de jure est verior, & favorabilior Ecclesiæ, ut omninò Ecclesia sit libera, & fortiatur primordialem naturam, ut collationes sunt Ecclesiæ, quæ sunt merè spirituales. Hoc idem Baldus *in Leg. 1. C. De bonis Libertor.* & *ibi* Paulus de Castro.

243. Et quòd in confiscatione bonorum non veniant beneficia, videatur Glossa *in Cap. Satis perversum. 59. dist.* & Fely. Sandeus *in Cap. Vergentis. De hæreticis.* Pro cujus controversiæ solutione ita censeo, esse dicendum, quòd, ubi bona temporalia conceduntur Ecclesiæ in feudum à Principe, tunc ratione feudi, tenentur Prælati Ecclesiastici præstare juramentum fidelitatis. Et hoc est, quod eleganter dicit Dominus Abbas *in Cap. Veniens. Extra. De accusat.* Secùs autem, si bona essent simpliciter concessa Ecclesijs, nam tunc Dominus temporalis in aliquo non agnoscitur, & remanet Ecclesia libera cum suis possessionibus. Quippe Deo semel consecratæ ad usus humanos non revertuntur. Ita voluit Innocentius *in Cap. Solitæ. Extravag. De majorit. & obed.* Textus *in Cap. Verùm. De foro compet.* Unde in casu nostro ratione feudi aperti, & vacantis donec juramentum fidelitatis fuerit actu præstitum per Prælatos successores Ecclesiasticos Regi, seu Principi, sicut ipse Princeps percipit fructus & bona temporalia, ita in consequentiam collationes beneficiorum devolvuntur ad eum, tanquam talia sint dotata de ejus patrimonio. Istud declarat pulchrè Dominus Antonius Corset *in Cap. Grandi in solemni sua repetitione. in fi. colum.* Ibi nota de homagio. *De suppleuda negligentia Prælatorum in 6.* De quo juramento fidelitatis præstando Principibus, loquitur Textus *Ex diligenti. De simonia. In Cap. Gravem. de excess. Prælatorum.* Et dicit Hostiensis, quòd talia juramenta fidelitatis non præstantur Principibus pro spiritualibus, sed occasione feudi, quod possident ab ipsis. Ita intelligi debet *Cap. fin. De Regulis juris*, ut declarat ipse Hostiensis *Cap. Cùm Clerici. De verborum significationibus.*

PROBATIO VI.

Jus collationis præbendarum in Regibus Franciæ reducens in sacram Unctionem præcitatæ fundationis, seu dotationis titulo vestitam, ac in diuturnum usum concinnata à præcitato Authore *pag. 359. col. 3. & 4.*

IN columnæ namque *tertiæ n. 1.* is Author 244
causam præsentem sic prosequitur. *Tertia*, inquit, opinio est, quòd ratione sacræ unctionis, quam Reges habent, quando coronantur, juxta formam *Cap. 1. De sacra unctione*: non judicantur ut merè Laici, sed ut Clerici, ita quòd in eos collatio beneficiorum quantumcunque spiritualium cadere potest, vel ratione fundationis, vel alterius conventionis initæ, ut faciliùs invitentur ad dotationem Ecclesiarum. Istam opinionem tenuit Joannes Andreæ referens, ita tenuisse Joannem Monachi *in Cap. Licèt. el. primo. De præbendis. in 6.* ubi recitat, istud jus spectare potissimùm ad Regem Franciæ, qui delibutus est sacro chrismate cælitus per columbam in ampullàm consecratam, & reconditam in Monasterio sancti Remigij, qui primum Regem Franciæ baptizavit, qui Rex solâ manuum impositione Scrophuletum morbũ sanare quotidie videtur, quæ strumæ latinè appellantur. Competentis autem Regi juris *supra dicti* causa est, quòd in casibus mixtis mixturæ ratione id, quod dignius est, trahit ad seminùs dignum. Textus est *in Cap. Quod in dubijs* cum Glossa *De consecrat. Eccles. vel Altar.* 245

In columna dein quarta *dictæ pag. 359.* pergit ille Author. *Quarta*, inquiens, fuit opinio, quòd istud jus collationis præbendarum spectet ad Reges Franciæ ex diuturno usu, quia ita pacificè usi sunt à tanto tempore, cujus initij non extat memoria, quia per id temporis spatium jura Ecclesiarum præscribi possunt. Textus *in Cap. fin. in verbo. Nisi*

tanto

tanti temporis allegetur præscriptio. in 6. Pro qua sententia facit, quia ejus temporis possessio, cujus initij non extat memoria, habet vim constitutionis. *L. Hoc jure ff. Ductus aquæ. ff. De aqua quotid. & æstiva.* Nota *in Leg. Si quis diuturno. ff. Quemadmodùm servi amittantur.*

246. Est & altera ratio dicti superioris, quòd decimæ, quantumcunque sint jura spiritualia, cujusmodi jura per laicos possideri non possunt. Textus est *in Cap. Prohibemus. De decimis.* tamen laici, si sint in possessione à tanto tempore, cujus non extat memoria, præscribere possunt. Textus est *in Cap. Cùm Apostolica. De jjs, quæ fiunt à majori parte Capituli.*

247. *Tertiò.* Pro hac parte adducitur illud, quod voluit Speculator *in tit. De præbendis in §. Restat.* & *ibi* Joannes Andreæ *in addit.* ubi dicit, quòd ex quo concurrunt duo vincula, quorum *primum* est longissimum tempus, *secundum* est Scientia Summi Pontificis, cum patientiâ possidenti accommodatâ, non dubiè id cedit loco privilegij, quia per tantum tempus præscribitur etiam contra ea, quæ sunt reservata in signum superioritatis, & jura Principis, unà cum ejusdem tolerantia. Glossa est *in Cap. unic. in verbo Non obstant. De Clerico ægrot.* Nota *in Cap. Super quibusdam. in §. Præterea. De verbor. significat.* & tractant Legistæ *in leg. Imperium. ff. de jurisdict. om. Jud.*

248. Verùm hæc sententia non videtur mihi esse vera, & contra illam affero in medium decisionem Joannis Andreæ *in Cap. De præbendis. in 6.* ubi voluit, quòd quantumcunque longo tempore laicus exercuerit actum spiritualem, nunquam tamen potest illum præscribere, & sic ea, quæ *superiùs* diximus, quòd possessio tanti temporis, cujus initij non extat memoria, habet vim tituli, & *secundo* loco illud, quod nos diximus, quòd jura Principis etiam reservata in signum superioritatis, tali tempore præscribuntur, & hoc, & illud ita demum vera dicenda sunt, cùm supponitur capacitas in exercente, aliàs non: ita debet restringi *Cap. 1. De præscript. in 6.* & *L. Hoc jure. in §. Aquæ ductus.*

249. Ad istud tenendum moveor authoritate Panormitani *in cap. Quanto. in 1. nota. de consuetudine.* ubi vult, quòd ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non possunt acquiri per inferiorem, qui non habet ordinem, quia consuetudo etiam vetustissima non habilitat personam alioqui non capacem. Istud idem voluit Panormitanus *in Cap. Cùm contingat. in 3. col. de foro compet.* Eandem opinionem secutus Dominus Abbas *in Cap. Auditis. in 6. not ab. De præscript.* ubi voluit, quòd institutio, quæ est authorizabilis, non potest præscribi, nisi per eum, qui sit Prælatus in simili qualitate, licèt sit inferior, & adhuc insignia Episcopalia, quæ sunt concessa inferioribus, ut Abbatibus ad decorem & ornamentum suarum Ecclesiarũ, non præscribuntur. His accedit, quòd jura spiritualia non possunt possideri per laicos *in Cap. Causam, quæ. De præscript. In dict. cap. Messana*, juncto *Cap. Sacrosancta. De elect.* Si ergo illas possidere non possunt; ergo nullo temporis decursu præscribi, quia sinè possessione non cadit præscriptio. *In Regula Sinè. De Regulis juris. in 6.*

Tertiò. Adde *tertiam* rationem hujusmodi. Nam quòd laici præsentant ratione fundationis, vel aliàs ex privilegio, istud introductum est ex mera gratia. Textus est *in Cap. Quoniam in princip. De jurepatron.* At ea, quæ sunt concessa ex gratia speciali, non causant exemptionem. Ita voluit expressè Imola *in Regula, quod alicui gratiosè. De Regulis juris. in 6.* Notat Archidiaconus *in Cap. Hortamur 7. 1. dist.* ubi dicit, quòd populus Parochiæ, vel alius laicus patronatum præscribere non potest, quia non est illius juris capax, & per consequens sinè peccato detinere non valet, nec præscribere secundùm formam *Cap. fin. De præscript.* Et ita istam conclusionem firmavit Panormitanus in sua solenni disputatione, quæ incipit: *Augerio in 5. col.* ubi ab expresso dicit, quòd si Papa etiam ex privilegio concessit Regi collationem beneficiorum, illud jus conferendi tanquam merè gratiosum, & contra dispositionem Juris communis, præscribi non potest. 250.

Ex quo habemus limitare aliam regulam, quæ habet, quòd ea, quæ possunt quæri privilegio, poterunt haberi præscriptione, cujus dicti Textus est *in Cap. Duo simul. De offic. Ord.* Nam id locum habere nequit in jjs, quæ de jure communi possideri non possunt, nam datâ incapacitate possidendi, potest privilegium Principis aliquid operari, & habilitare personam, ut est Glossa *in Cap. Bene quidem. 96. dist.* quæ dicit, quòd Papa potest dare laico potestatem excommunicandi, sed non sic est in præscriptione, quæ præcipuè fundata est super possessione, cujus est incapax laicus, quod fundamentum posuit Panormitanus *in dicto cap. Causam, quæ. in 1. notab. de præscript.* Nec obstabit, si diceretur, quòd Reges Franciæ usi sunt cum patientia, & tolerantia Romani Pontificis, quo fit, ut videatur eis concessisse Papa; cui objectioni respondendum est, quòd istud verum, quando jus potest cadere in aliquem absque expressa authoritate Sedis Apostolicæ, secùs, si requireretur privilegium ipsius Sedis; quia tolerantia non sufficeret: ita respondit Ioannes Andreæ *in dicto cap. Licet. De præbendis*, allegando, quòd ita debet intelligi Lex, *Cùm de in rem verso. ff. De usu.* Tunc enim tempus non est modus inducendæ obligationis. *Leg. Obligationum ferè. in §. Placet. ff. De action. & oblig.* Nec aliquid facit Textus *De his, quæ fiunt à Prælatis. in Cap. Apostolica.* Ubi decimæ possunt præscribi per laicos à tanto tempore, cujus non extat memoria in contrarium: possunt enim possideri, quia istud fuit olim indultum ante Concilium Lateranense dispensativè ad hoc, ut Ecclesia oppressa haberet auxilium à Christianis, sed postmodùm fuit revocatum, juxtà formam *Cap. Prohibemus. De decimis.* 251.

PRO-

PROBATIO VII.

Desumpta ex dicto Authore *pag. 360.* Jus conferendi beneficia reducens in privilegium Apostolicum.

252. *Quinta* ait, & *ultima* fuit opinio, quòd istud jus conferendi beneficia, vacante Sede, emanavit ex privilegio Apostolico; prout est Textus *in Cap. Adrianus. 63. dist.* ubi Adrianus Papa concessit hoc privilegium Carolo Magno, tanquam legitimo Protectori Christianitatis, quando obsedit Papiæ Desiderium Longobardorum Regem; & non modò ab Adriano Papa fuit concessum, sed tota Synodus in remunerationem protectionis tradidit jus, & potestatem eligendi Pontificem, ordinandi Apostolicam Sedem, insuper Archiepiscopos, & Episcopos, ut ab eo institutionem acciperent, diffinivit, & jus conferendi beneficia, per singulas provincias facit. Glossa *ordin. 17. q. 7. in Summa*, quæ dicit, quòd laicus habet investituras authoritate Papæ, sicut Rex Apulus, & potest dare Beneficia, cui vult. Idem Textus *in Cap. Hinc est. In verbo. Sinè Regali provisione. 16. q. 1.* ubi loquitur de quodam Monasterio sito in Regno Franciæ, quod spectabat ex privilegio ad provisionem ipsius Regis.

253. Istud voluit expressè Baldus *in L. Rescripta. in 2. colum. Cap. De precib. Imperatori offerendis.* Ubi Baldus refert, quòd Rex Anglorum, & Rex Hungariæ conferunt in suis Regnis præbendas ex privilegio Papæ. Idem tenuit Speculator *in tit. De præbendis. vers. final.* ubi dicit, quòd Imperator habet privilegium, quod vidit ipse bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi in Canonicum: quinimò, quod est majus, non solùm Rex, & sic masculus potest habere istud privilegium, sed etiam fœmina Regina. Textus est *in Cap. Cùm dilecta. & ibi* Dominus Abbas Panormitanus *in 1. nota. de concessis præbendis.* ubi loquitur de Comitissa Flandrensi, quæ donaverat sex præbendas Sacerdotales ex privilegio, & dispensatione Romani Pontificis, qui potuit eam habilitare circa jura spiritualia, sicut & aliàs fecit *in Cap. Mennam. 2. q 5.* Istud etiam voluit Panormitanus *in Rubrica. De judicijs. in penult. columna.* ubi dicit, quòd ex privilegio potest spectare collatio beneficiorum Regibus contra dispositionem Juris communis.

254. Ultra *supra* dicta ego addo, quòd ex voluntate Episcopi non potest spectare jus conferendi beneficia ad Reges, seu Duces, & Barones, sed solùm reservatur Summo Pontifici in signum superioritatis, habilitare laicos, tanquam personas incapaces. Ita reperio tenuisse Abbatem in terminis *in consilio suo 106.* incipiente: *Casus, super quo consilium, circa finem.* præsertim, quando Ecclesia esset jam constructa, dotata, & consecrata tempore concessionis. Movetur duabus rationibus. *Prima* est, quia non potest renuntiare juri, quod est introductum in honorem, & favorem totius Episcopalis dignitatis, ut sunt collationes beneficiorum, dicit Textus *in Cap. Ecce. 95. dist.* Nota Glossæ *in dict. Cap. Cùm olim. De majorit. & obed.* Argumentum *Cap. Si diligenti. De foro compet. Secunda.* Quia non potest Episcopus rei sacræ legitimam servitutem imponere: Glossa est *in Cap. Piæ mentis. in verbo. De sua jurisdictione, in fin. De Iudic. Patron.* Unde opus est, ut habeat expressum privilegium Sedis Apostolicæ. Ex quibus universis facilè constat, Regaliæ jus extendi haud debere ultra titulos fundationis, dotationis, seu feudi, ac usûs diuturni.

PROBATIO VIII.

Desumpta ex Philippi Probi Bitturici *q. 1. & 2. de jure Regaliæ* relatis *in dicto tom. 12. tractatuum à pag. 389.*

255. Dic, triplicem, ait *ibidem*, esse dabilem, seu reperiri Regaliæ speciem, quarum *prima* est custodia Ecclesiæ vacantis introducta, quam Rex in omnibus Ecclesijs suis Franciæ Regni habet, & quas defendere, ex debitoque suæ supremæ dignitatis custodire, & tueri debet, ne illæ & earum Ministri ab alijs indebitè opprimantur, utque bona & jura futuris successoribus conserventur, & ratione speciei hujus Rex aliquos non facit fructus suos, imò illos ipsis Successoribus conservat. Sic succedit Juris doctrina, qui custodiam habet, non consumere, sed custodire debet. *Cap. Cùm vos. De offic. Ordinarij*, ubi Glossa *fin.* & L. *Is, cui. §. Qui Legatorum. ff. Vt in possess. legat. Pone in sequestro*; ut domi probat Ruzæus *supra privileg. 51. n. 6.*

256. *Secunda* Regaliæ species dicitur illa, quæ provenit ratione castrorum, terrarum, & domorum à Rege moventium, Ecclesijsque Cathedralibus & Metropolitanis spectantium, & nunc, Sede vacante, Rex nónne hujus Regaliæ facit fructus suos, ex temporalitate provenientes, quoúsque novus Episcopus Regi homagium fecerit? Quod tenetur facere ipse Episcopus, nisi aliàs ei per Regem illud fuerit remissum, quod quidem homagium fit, seu præstatur pro sola temporalitate, non autem pro spiritualitate; quia illud pro ea facere, est Simoniacum, inquit Glossa *in Cap. 1. §. Verùm. De statu Regal. lib. 6.* Ideo dicit Textus *in Cap. fin. De Regulis Iuris*, quòd indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur, tum quia præstatio hæc servitutis speciem habet. Felin. *in Cap. Meminimus. n. 7. De accus.* & Ecclesia libera est, libertatisque mater, & ex consequenti, ejus filij, id est, Ministri. *Argumento Rub. De servis non ordinandis. & ad Galat. cap. 4.* Quod maximè procedit in Episcopis, qui dicuntur Ecclesiæ sponsi; alij verò quasi, sponsi, aut mariti, ait Glossa *in Cap. Per venerabilem. In verbo adulterinus, qui filij sint legitimi.*

257. *Tertia* Regaliæ species illa est, quæ collationem beneficiorum Ecclesiasticorum concernit,

cernit, quam Rex in Ecclesijs Cathedralibus, & Metropolitanis sui Regni (Sede vacante maximè) habere dicitur à tempore immemoriali, pluribusque medijs, rationibus, & causis in quæstione proximè sequenti tangendis. Et de ea principaliter impræsentiarùm fier sermo noster, & de qua sunt recordati Joannes Monachi *in Cap. Generali. De elect. lib. 6.* & Baldus *in Cap. Quantò. in fin. De judic.* & post eos Guillielm. *Benedic. in repetit. Cap. Raynutius. in verbo. Et uxorem. n. 37. De tempest.* Idem Joannes Monachi *in Cap. 2. De præbend. in 6.* & Malleret *in tract. De elect. chartâ mihi 23.* & latiùs *supra in præfat. tract. Regalium*, ad quos omnes brevitatis causâ te remitto, ut ad sequentia descendam.

258. Ex quibus rursus constat, tum quòd jus custodiæ non det titulum consumendi seu jura, seu fructus beneficiorum Regaliæ subjectorum, sed potiùs conservandi & custodiendi ; tum quòd Regalia quâ fundata super jure feudi, sit restricta ad solam temporalitatem, tum denique, quòd titulus usûs immemorialis det quidem Regibus jus collationis beneficiorum : quibus autem causis nitatur hic usus, explicar is Author *seq. quæstione* non ex propriâ, sed aliorum, uti ait, Regalistarum sententiâ, subdens *ibidem n. 15.* Prælatos Mediterraneos asseverare, Regaliam non transire Ligerim &c. sed coarctari modo *ibi* insinuato ; prout exhibebitur in proximè sequenti probatione.

PROBATIO IX.

Desumpta ex prælegati Philippi Probi *quæstione, secunda* non tam ex suâ, quàm ex Regalistarum sententiâ docentis, quibus rationibus & causis jus Regaliæ ad Regem Christianissimum pertinere dicatur.

259. REspondet igitur post Regalistas dicens, quòd ejusmodi causæ multiplices adstruantur. Quarum *prima* est ; quia Regis Prædecessores, totiusque Nationis Gallicæ homines, ultra quam alia Regna Christiana, & illorum Principes, pro defensione & augmento fidei Christianæ multipliciter laborârunt, libenterque sanguinem suum cum eorum bonis effuderunt, ob quod Regi Clodovæo, primo Franciæ Regi Christiano, à clade Alarici Visigothorum Regis hæreticorum Arianorum in Aquitania regnantium per Episcopos, & alios Ecclesiæ Gallicanæ Clericos, cæterosque Regni Status, simul in Concilio Aurelianensi congregatos, jus eligendi, & Episcopos nominandi, per modum cujusdam recompensationis cessum fuit ; prout & nostris temporibus, ut patet *in Concordat. in tit. De Regia ad Prælatur. nominat. facienda*, ubi *in tit. præced.* ponuntur rationes prædictis non similes : quæ cessio Ecclesiæ Gallicanæ non profuit, sed magnum etiam Regno præjudicium attulit, quod experientia patuit, & eâ non cessante, multò magis patebit.

260. *Secundam* adducunt causam præfati Regalistæ, quòd Carolo Martello Rege Franciæ regnante, dicti Episcopi & Clerus per totam Galliam decimas nobilibus infeudârunt, & lapso tempore, videlicet 576. anno in primo Lateranensi Concilio Carolo Magno (a tempore cujus Reges Galliæ nomen Christianissimi Regis sumpserunt) quia jam octo annis regnaverat, & 25. antequam Imperium regeret, suisque successoribus Franciæ Regibus fuit concessum, quòd ipsi Episcopi impositorum, antequam consecrationis munus sumerent, sacramentum fidelitatis ipsi Franciæ Regi præstare tenerentur, suarumque dignitatum investituram etiam ab eo recipere, per modum feudorum, aut instar illorum, licet licet in capiendo ab eo manum levatam, & permissionem intrandi gaudentiam exercitij suarum prædictarum dignitatum, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, ultraque plura alia jura super dictis Episcopis, tunc Coronæ Regiæ Franciæ in persona Caroli Magni fuerunt concessa, quæ tunc, & ab eo tempore semper per propriam & particularem vacationem jura Regaliæ, non Imperialia, aut Regalia (ut patet ex Chronicis Philippi primi Franciæ Regis) vocata fuêre. Quæ quidem jura Regaliæ sic dicto Carolo Magno, suisque successoribus Regibus donata per modum remunerationis & pro meritis temporis præteriti fuerunt & concessa, & ex consequenti (ut dicunt) illa non esse revocabilia etiam per Papam, prout nec per Concilium etiam, nec quoquo modo corruptibilia. Quorum jurium vigore, dicunt ipsi Regalistæ, Episcopos Regni Franciæ teneri ante eorum consecrationem jurare, quòd Regi erunt legales, & fideles in suo Episcopali statu, & populum earum civitatum, & Episcopatuum, in quantum poterunt, in obedientia & recognitione supremæ potestatis erga Regem, & suam successionis sanguinis posteritatem tenebunt.

Ob quod, non ob causam aliam subdunt, 261. omnes Episcopos Regni, fideles Consiliarios Regis appellari, illosque dictum fidelitatis juramentum (prout plurimi existimant) ratione eorum temporalitatis, imò solùm ratione statûs Episcopalis, & officij Pastoralis præstare ; esto, quòd in temporali pratum, nec herbas habeant, quodque Rex ad hunc finem super eos haberet aliquas gratiosas summationes pœnales. Sunt hæ, quòd si in Episcopum electus, aut de Episcopatu de novo provisus, dictum fidelitatis sacramentum ad Regem in quavis parte Regni existentem præstiturus non venit, tunc fructus, & revenuta sui Episcopatûs in manu Regis manent, prout per anteà, & ab instanti vacationis Sedis erant, eosque ab illa hora facere suos, prout etiam omnia beneficia suæ Diœcesis, & aliorum locorum ad suam plenam dispositionem pertinerent, exceptis Parochialibus Ecclesijs, illaque jure Regaliæ posse conferre. Quodque si ratione hujusmodi beneficiorum supervenirat litigium : illud à suis Prædecessoribus Regibus Curiæ Parlamenti in primo

ressortu tanquam præcipuum, & speciale jus Coronæ committi consuevit.

262. Insuper, quòd si per tales summationes pœnales Episcopi dictum fidelitatis Regaliæ sacramentum non veniant præstaturi, certumque sit, quòd hoc facere, aut præstare recusent; tunc prætextu dictæ donationis juris Regaliæ, alijs Episcopis munus consecrationis talibus recusantibus impendere, est prohibitum: eaque de causa, quòd Rex potest tales tanquam de proditione suspectos rejicere, & patriæ inimicos declarare, ad novamque electionem procedere debere, aut de novo ad Episcopatum denominare, quod prosequitur Joann. Ferault *in tract. de privileg. Regni Franciæ. privileg. 9. & seq.* ubi subdit formam hoc juramentum fidelitatis continentem, & aliter per Episcopos Regis Vasallos præstari, quam per laicos.

263. Præterea jus ipsum Regaliæ sic dicto Carolo Magno, prout & Ludovico ejus filio, ac Carolo Calvo concessum, alio firmant medio, videlicet, quòd ratione illius Rex dat Capitulis Ecclesiarum Cathedralium permissionem, suum eligendi Episcopum, & quòd Reges sunt Ordinarij collatores omnium beneficiorum fundationis Regalis in loco, quo alij fundatores solùm sunt Patroni. *S. Canonicique titulati & præbendati.* adeò, quòd etiam Divino possunt assistere servitio in habitu Regali, vel Canonicali in qualibet Ecclesia Cathedrali Regni. Et quia gaudent de vacantibus omnium præbendarum ipsarum Ecclesiarum Cathedralium, eaque vacantia suo possunt applicare fisco, super quibus fundârunt Reges ipsi plures Abbatias, maximè Abbatiam sancti Victoris prope muros Parisienses, quæ nunc gaudet dictis juribus vacantiorum, per concessionem ipsi Abbatiæ per eosdem Reges, earumque Abbatiarum fundatores factam. Hanc præbendarum obtentionem per Regem prosequitur firmando Joannes Ferault *privileg. 7. in tract. de jurib. Regni Franciæ*, ubi numerat certas Ecclesias Regni, in quibus Rex præbendas obtinet.

264. Ultraque prædicta asserunt ijdem Regalistæ, quòd eâ ratione juris Regaliæ le Buffet (ut cum vulgaribus loquar) Episcopi decedentis, prout & tapeta, aliaque mobilia delicata & pretiosa ad Regem pertinent, adeò, quòd nihil in hospitio, seu Episcopali palatio, ac plateis Episcopalibus, pro suis successoribus debet remanere, saltem nisi grossum nobile, & suppellectilis communis, quod jus datum oblivioni fuisse, dicunt, sub umbra quarumdam particularium remissionum, non tamen tolerabilium, quas fecerunt Prædecessores Regis, & quòd quovis usu, aut dissuetudine existente, jura ipsa Regaliæ antiquitus habebat fiscus; & pro recepta eorum, erant Status, & Officiarij particulares in qualibet provincia Regni, qui appellabantur Custodes Regaliorum Regni.

265. Ex quibus manifestum redditur, illum Authorem nihil ex suo sensu decidere circa illas Regaliæ causas, sed in suspenso tenere judicium de ijs, uti etiam de Regaliæ extensione, de qua re prosequitur in hunc modum. Consequenter, ait, Regalistæ asserunt, magnam esse imprudentiã, quòd Prælati Mediterranei, utpote Trecensis, Bitturicensis, Lemovicensis, Pictavensis, Petragoricensis, Claromontensis, & totius Alverniæ, ac Linguæ Occitanæ, & Guienniæ Episcopi prætendunt, juramentum fidelitatis Regaliæ Regni non teneri facere sub umbra alicujus levis propositi per Advocatos partium Regalistis collatorijs Adversariorum in plena audientia Parlamenti adducti, per quod dixerunt, quòd Regalia non transit Ligerim, de quo non contenti, eorum limites extenderunt ad omnes Episcopatus Britanniæ, etiam & ad Andegavensem, & Cenomannensem, qui sunt centrum Regni, sub colore, quòd eorum Metropolitana Ecclesia, id est, Turonensis sita, & ultra Ligerim, ad quam alias Ecclesias Cathedrales de provincia reputant conformes, & ejusdem prærogativæ, taliter, quòd de decem provincijs, & Ecclesijs Metropolitanis Regni, tres solùm sunt, videlicet Rhemensis, Senonensis, & Rhotomagensis, quæ recognoscunt, Regem dictum jus Regaliæ habere, exceptis Ambianensi & Attrebatensi. Et in Senonensi Antisiodorensem, & Nivernensem, quarum Episcopi allegant dicti juris remissionem; prout & Episcopus Aurelianensis, quantum ad mobilia pretiosa. Etiam Archiepiscopus Burdigalensis cum suis Suffraganeis Episcopis, de quibus est Episcopus Petragoricensis, qui pariter similem allegant remissionem. Equidem Archiepiscopi Lugdunensis, Narbonensis, & Tholosanensis, etiam & eorum Suffraganei ab eo jure Regaliæ se dicunt exemptos per non usum, & præscriptionem. Quantum verò ad Archiepiscopos Auxitanensem, & Turonensem cum suis Suffraganeis, se (ut dictum est) esse asserunt ultra Ligerim. Quæ omnia, præfati Regalistæ, exceptionem abusivam esse, dicunt, & directè contrariam concessioni generalitatis dicti juris Regaliæ, ipsis Regibus Franciæ & Coronæ per singulas provincias modis præmissis factæ.

Ex quibus omnibus inferunt præfati Regalistæ, dictum jus Regaliæ, ad Regem Franciæ ratione suæ Coronæ pertinere, non solùm in una Ecclesia Cathedrali, vel pluribus, sed etiam in omnibus Regni, & quòd una non debet esse plus exempta ab eo jure, quàm alia, & ex consequenti, quòd omnes Archiepiscopi, Episcopi Galliæ, prout nec alij sunt recipiendi ad allegandum contra jus ipsum exemptionem, præscriptionem, usum ac possessionem in contrarium, aliàs est allegare contra jus & rationem, quæ omnia (ut subdunt) sunt vexatio, expensæque & onera importabilia, & plusquàm Collatorijs Regalistis pernicioſa, & perquàm gravis pœna, in probatione verificationis particularis, quòd jus hujusmodi ad Regẽ pertineat, & Reges Prædecessores eo jure usos, sive gavisos fuisse in qualibet Ecclesia Cathedrali Regni, & provincijs adjacentibus. Tum etiam; quia communiter Curia Parlamenti hujusmodi litigia ad consilium appunctuat, quod facere,

facere, non solùm est parvum rivum juris Regalistarum, sed etiam Regis fontem in totum ad siccitatem reducere, adeò, quòd melius esset Regalistis, beneficia Ecclesiastica eo jure non impetrare, aut jus sibi quæsitum remittere, quàm processum, medio collationis dicto jure obtento, intentare, ita sub his, aut similibus verbis quidam Regalista Regi supplicationem porrexit: requirens, quòd per edictum generale, & perpetuum ordinaretur ac declararetur, jus Regaliæ sic ad Regem pertinens esse per totum Regnum uniforme, omnibusque Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque ipsius Regni & provinciarum adjacentiũ, & sub obedientia Regis existentium, inhiberetur que sub pœna, quòd declararentur inimici Reipublicæ, & crimine læsæ Majestatis irretiti, ne in posterum dicere haberent, nec in judicio proponere, quòd dictum jus Regaliæ Rex non habeat in omnibus sui Regni Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, & patria obedientiæ suæ, sive in perceptione fructuum, Sede Episcopali vacante provenientium, aut fidelitate non factâ per electum, aut de novo in Episcopum provisum: etiam quantum ad dicto jure beneficia conferendum in Regalia vacantia, & ultra etiam pariter illis inhiberi, quòd possessionem, præscriptionem, aut aliud simile contrarium non præsumant quoquo modo allegare, adeò, quòd Regalistis opus non sit aliud, quàm habilitates suas verificare, & quòd dicta beneficia dicto jure impetrata tempore Regaliæ apertæ vacârunt. Et finaliter, quòd ipsum edictum non solùm habeat locum pro tempore futuro, sed etiam pro præterito, quantum ad beneficia litigiosa. Quid autem super his à Rege fuerit responsum, aut dictatum, nobis est incognitum: ideo non damus congruum responsum.

167. Unde rursus elucet, modernam Regaliæ extensionem, quantumvis eam urserint seu Regalistæ, seu alij, eo tempore definire, ne Reges quidem sustinuisse, altioris indubiè judicij Divini timore absterritos, ut proinde conscientiæ securitati perquàm consultum videatur, si de Regaliæ ultra Concilij Lugdunensis limites extensione agendum sit, inire viam sequenti corollario demonstrandam.

§. IV.

Corollarium finale præsentis Disquisitionis.

168. EX dictis infertur 1. Rationi perquàm fore consentaneum, ut in Regaliæ controversæ statu iniretur via, quam suo exemplo monstravit Rex Christianissimus Philippus III. qui stimulis conscientiæ urgentibus, Regaliæ statum commisit judicio decisorio sacri Generalis Concilij Lugdunensis, à quo proinde, præsentibus Francorum Legatis, editus est Canon *duodecimus*, quo jus recipiendi Regalia, confirmatum est in Ecclesijs, ubi recepta fuerat illius juris consuetudo, at vetita est ejusdem juris introductio quoad Ecclesias, quæ ei non erant obnoxiæ; uti tradit etiam Petrus de Marca *in commentariolo de Regalia* edito, relato inter *Acta Cleri Gallicani tom. 2. pag. 102.*

Explicatur hæc illatio. Solet equidem à 269.
Gallis prætendi, quòd causa Regaliæ non alibi, quàm in Parlamentis Regijs, non autem in foro Ecclesiastico agitari consueverit. Verùm Author *Galliæ vindicatæ dissert. 1. §. 6. n. 4.* hoc expendens principium, ratiocinatur in hunc modum. Si Francici, ait, velint, cùm inter eos, qui ab Ordinario, & qui à Rege obtentu Regaliæ, beneficia acceperunt, lis oritur, hujus cognitionem ad Parlamenta spectare, haud equidem contenderim; hactenus enim id more receptum est, & Ecclesia toleravit: at verò cùm non inter particulares lis vertitur, sed de ipsa Regalia, ejusque extensione certamen est, & quæritur, an ad jus Coronæ pertineat, an Regiæ dignitati annexa, & ab Ecclesiæ consensu ullo modo dependeat, & ita pro arbitrio Regnantium toti Regno inferri possit, & Parlamento Parisiensi Universalis Concilij Canones subdantur; hæc, inquam, nego ad cognitionem Parlamenti spectare posse; negabuntque omnes, quotquot inter sacram dignitatem, prophanamque distinguunt, & unam alteri non miscent; nec argumentis hîc opus est, aut longis discursibus, cùm vel primo intuitu istarum propositionum absurditas pateat, videlicet: *Ius Beneficia Ecclesiastica conferendi, percipiendique fructus vacantium Ecclesiarum, & Canones laxandi ab Vniversali Concilio conditos, ad potestatem laicam, & Parlamentum Parisiense pertinet.*

Cùm decimæ à Clero Gallicano, aut alia 270.
subsidia petuntur, sublevandis Regni necessitatibus, non id arbitrio sæcularium, & imperio agitur, sed nutu ac sponte Ecclesiastici Ordinis, cujus delegati singulis lustris conveniunt. Si ergo nec Parlamenta, nec alij Regis Ministri jus sibi vendicant, legendæ à Clero pecuniæ, quæ tamen est res merè temporalis; quî ergo fieri potest, ut suæ authoritatis faciant, beneficia Ecclesiastica conferre? Abolere Concilium Universale tot sæculis à Regibus, totaque Gallia receptum? Libertatem Ecclesiarum perpetuo jugo addicere? Idque non paucis tantùm annis, sed semper, nec uno tantùm, alteroque loco, sed ubique? nullâ Canonum, nullâ legum, nullâ Principum, ne Regnantis quidem reverentiâ; hujus enim animam produnt tot alijs curis intentam, & ideo fraudibus facilem: illorum verò edicta, legesque obliterant, & ignaviæ accusant, quali jurium, Regnique negligentes; duplicis culpæ rei, & quòd mortuos infestent, & quod vivo adulentur. Et si alia omnia desint, quî potuit Parlamentum eam causam cognoscere, quæ, cùm sit ex majoribus, ad Sedem Romanam spectat; causas enim majores ad Romanum Pontificem pertinere, tradunt Innocentius I. *epist. ad Victor. Rothomag. cap. 5.* Vigilius *epist. 7.* ad Auxent. Arelat. Gregorius Magnus *epist.*

52. l. 4. Marca *l. 1. cap. 10. & l. 7. c. 12. & 13.* Concordata inter Leonem X. & Francis. I. An etiam in Concordata, legesque Regni, & Ecclesiæ fundamentales Parlamento jus est?

271. Opponi fortassis posset, tum quòd supremus Senatus Parisiensis arresto lato anno 1608. perorante Servino Advocato Catholico edixerit: *Regem in Diœcesi, quæ recèns ad Gallicanam ditionem revocata erat, & in cæteris Regni sui Ecclesijs jus Regaliæ habere: interdicendo Advocatis, ne id revocarent in dubium, seu contrariam opinionem in publicis actionibus tuerentur:* tum quòd Arrestis Regij Consistorij 6. Octobris anno 1637. & 19. Junij anno 1638. item 12. Aprilis anno 1651. & 2. Junij anno 1654. item 12. Aprilis anno 1657. Rex edixerit: *Ut Archiepiscopi, & Episcopi, qui Ecclesias suas à Regalia immunes contendebant, omnes titulos, instrumenta & documenta proferrent universa, quibus immunitatem illam suam probarent, Regijq; hisce mandatis paruisse Septimaniæ, Provinciæ & Delphinatûs Præsules, unde evinci, Regaliæ etiam generatim acceptæ cognitionem judiciariam esse penes Senatum & Consistorium Regium.*

272. Verùm circa *primam* hujus oppositionis partem, præsupponendo inprimis, quòd Clerus Gallicanus adversùs prætactum Senatûs consultum moverit querelam apud Regiam Majestatem, optimè respondet Author: *Responsionis ad dissertationem Natalis Alexandri præs. art. 5. §. 22. n. 26.* vix excogitari posse notabilem circa judicia ferenda defectum, qui illi arresto non intervenerit. Nam *primò.* Quâ authoritate Senatus Parisiensis poterat abrogare edictum ab Henrico IV. promulgatum anno 1606. & à Senatu ipso duobus ante prædictum Arrestum mensibus, hoc est die 29. Februarij 1608. verificatum, quo Rex declarabat, se nolle gaudere jure Regaliæ, nisi quomodò tum ipse, tum ejus Prædecessores illud exercuerant, neque illud ultra producere in præjudicium Ecclesiarum immunium? *Secundò.* Quæ potuit præcedere deliberatio, & juris Ecclesiarum examen, quæ nec auditæ, nec vocatæ fuerant, ac de quarum causa tunc non erat quæstio, cùm de Bellicensi tantùm ageretur? *Tertiò.* Quæ justitia, ut non solùm Ecclesia Bellicensis, quæ libera semper fuerat, & in Regione posita Coronæ Franciæ septennio tantùm priùs, hoc est anno 1601. adjunctâ, post factam scilicet cum Salutiarum Marchionatu permutationem ab Henrico IV. Rege Franciæ, & Carolo Emanuele Duce Subaudiæ; sed etiam reliquæ omnes similiter eâ libertate gaudentes de novo Regaliæ subderentur? Quis novus titulus Regi Christianissimo obtigerat à bimestri, ut Ecclesiæ immunes in servitutem redigerentur? *Quartò.* Quæ æquitas sinebat, ut non solùm Ecclesiæ heret injuria, sed ut non liceret etiam Advocatis earum jura defendere, quod nemini unquam negatur, saltem ubi nondum auditæ sunt ejus defensiones? *Quintò.* Quæ ratio sinit, ut illud Arrestum tot alijs ab eodem Senatu prolatis, tot constitutionibus Regijs, tot Conciliorum etiam Generalium, ac præsertim Lugdunensis *secundi* Canonibus in causa libertatis Ecclesiasticæ, cui vel maximè favendum esset à Iudicibus Christianis, præponatur? Quamobrem Henricus IV. animadvertens, quam pertinaciter Senatus Parisiensis contenderet, Regaliam ad omnes Ecclesias extendere, omnium circa illam controversiarum cognitione ei interdixit, eamque ad se revocavit, & edictum suum anni 1606. simpliciter & absolutè verificari voluit, quod testantur ejus litteræ die 26. Octobris anno 1609. datæ: *Nec omnes*, ait, *illas lites ad nos evocavimus, ea quæ in Consilio nostro judicandas retinuimus, eò quòd Curia nostra Senatûs Parisiensis Arrestum prædicto nostro edicto jam verificato contrarium tulisset. . . . . donec præfatum edictum nostrum mense Decembri anno 1606. datum, & præscripto ei adjecta circa prædicta Regalia absolutè ac simpliciter verificata fuerint, ut voluntatis nostræ est.* Extant Henrici litteræ, edictum, & alia multa documenta, negotium illud spectantia in tom. 2. *Actorum Cleri Gallicani parte 2. tit. 6.* Denique Ludovicus XIII. cognomine Iustus, edictum anni 1606. quod Senatus Parisiensis enervare tentaverat, constitutione anno 1629. editâ confirmavit.

Circa *secundam* illius oppositionis partem 273
convenientissima est responsio *præallegati* Authoris *à n. 28.* reponentis sequentia. Quòd scilicet ijs arrestis sint violatæ immunitates Ecclesiasticæ. Ecquis enim judex hominem, qui patrimonium à majoribus acceptum pacificè possideat, coget exhibere titulos, quibus contendit, id ad alium non pertinere? Nónne omnes leges, omniaque jura clamant, ejus esse, qui pacificum possessorem deturbare aggreditur, jus suum probare? Ridiculos esset judex, qui Cajum cogeret ad probandum, hæreditatem sibi à patre derelictam non esse Titij suam esse asserentis. Ecquæ igitur sinebat æquitas, ut Ecclesia specialibus documentis ostendere cogeretur, fructus bonorum suorum, & collationem beneficiorum non pertinere ad Regem, Sede vacante? Regiorum Officialium erat demonstrare, quòd jus illud Christianissimo Regi competeret ex titulis fundationum, vel ex antiqua consuetudine; præsertim cùm id minimè verisimile sit, attentâ rerum ipsarum naturâ & conditione. Sufficiebat Ecclesijs antiqua suæ libertatis possessio, varijs Canonibus, Constitutionibus Regijs, & Arrestis confirmata.

Quin, etiamsi facultas fruendi reddibus 274
bonorum Ecclesiasticorum, & conferendi beneficia Ecclesiastica jure proprio, &, ut ita dicam, naturali, non pertineret ad Ecclesiam, sufficeret ipsi pacifica triginta annorum possessio, nullis alijs titulis prolatis juxta leges Ecclesiasticas & civiles. *Placuit huic sanctæ & magnæ Synodo* (verba sunt *octavæ* Synodi Generalis *Can. 18. ex traduct.* Anastasij Bibliothecarij) *ut res, vel privilegia, quæ Dei Ecclesijs ex longa consuetudine pertinent, & sive à Divæ recordationis Imperatoribus, sive ab alijs Dei Cultoribus in scriptis, vel sinè scriptis donata, & ab eis per triginta annos possessa sunt, nequaquam à potestate Præsulis*

subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat; sed subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat; sed sint omnia in potestate Præsulis, quæcunque intrà triginta annorum spatium ab Ecclesijs possessa fuisse noscuntur. Quisquis ergo sæcularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria privilegia, seu res restituerit, & reservaverit, anathema sit.

275. Huic Canoni consona sunt edicta & Constitutiones Regum Christianissimorum, Ecclesias liberantium ab onere exhibendi instrumenta jurium, & immunitatum, quibus fruebantur; ut videre est *in actis Cleri Gallicani tom. 3. part. 4. cap. 3. n. 25. cap. 9. n. 4. & seq.*

276. Quapropter Syndicus Occitaniæ anno 1638. documenta proferens, libertatem Ecclesiarum illius Provinciæ confirmantia, protestatus est initio sui Inventarij publicis typis editi, se nequaquam acquiescere Arresto id præcipienti, sed potiùs velle illius abrogationem prosequi, si sibi liceret. Adjecit, eos esse Provinciæ illius mores, quibuscum Coronæ Franciæ accesserat, ut nunquam titulos, seu instrumenta exhibere teneretur ad comprobandas nativas suas libertates, aliáve, quibus jure communi potiebatur. Itaque ex productis documentis perperam inferretur, Ecclesias liberas ejusmodi probationibus indiguisse.

277. Non potest etiam colligi, Clerum Gallicanum Regem Christianissimum tanquam proprium, multò minùs tanquam unicum ejus controversiæ Judicem agnovisse, dum Regiam authoritatē adversùs Regios Officiales injuriam Ecclesijs liberis inferentes imploravit; eam nimirum à Ludovico XIII. interponendam, eò minùs dubitans, quòd à nullo ex suis unquam Prædecessoribus Ecclesiæ in similibus occasionibus fuisset denegata, sed cuncti ferè Reges Ministros suos propria commoda, prætextu Regiorum jurium, in præjudicium Ecclesiæ amplificare conantes, cohibuissent, quod varia testantur edicta, Arresta, Constitutiones, & litteræ. Quapropter suæ Majestatis religioni & æquitati minimè diffidentes, protestationes in alijs negotijs præmissas, ut à Bertrando Æduensi Episcopo Ecclesiasticæ jurisdictionis defensore adversùs Petrum de Cunerijs Advocatum Regium anno 1329. & à Comitijs Cleri Gallicani Meloduni anno 1579. congregati factum fuerat, reverentiæ causâ omiserunt. *Protestatione præmissâ*, inquit Æduensis Episcopus, *quòd quidquid dicturus sum, volo dicere non ad subeundum quodcunque judicium, sed solùm ad Domini Regis, & aliorum assistentium conscientiam informandam.* Comitia verò Melodunensia inter *acta Cleri Gall. tomo. 5. par. 8. tit. 2.* sic habent: *In instruendis articulis disciplinam, aut regimen spectantibus, cavendum erit, ne qua Regi circa hæc tribuatur jurisdictio, quam ne sua quidem Majestas sibi tribui petit; sed solùm humillimè rogabitur, ut articulorum à Clero constitutorum executionem authoritate suâ communiat, omnibúsque suis Officiarijs, & alijs præcipiat, quò auxilium præstent, ubi ab eis requiretur & non alias.*

278. Objici rursus posset, quòd Regalia sit jus Regium; prout contendit Natalis Alexander, in hanc rem ita differens de Regalia, ubi de illius extensione quæstio est, ad unam consuetudinem non est attendendum, sed ad titulos fundamentales & inconcussos suris illius, scilicet ad titulum Custodiæ, ac defensionis Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum ab earum fundatione Regibus competentem; ad leges Gallicas feudorum, quæ cùm temporales sint & civiles, à solius Regis authoritate pendet earum extensio ad omnes ditionum suarum provincias; ad supremum Regis dominium in bona omnia temporalia subditorum, & ipsarum Ecclesiarum. Quæ bona ijs subjacent legibus, quas Reges tulerint: & in toto Regno servari voluerint. Porrò jus Custodiæ, & Defensionis omnium Ecclesiarum, & bonorum temporalium, quæ Regum munificentiâ, vel permissione possident, Regibus ab ipsarum Ecclesiarum fundatione competit. Supremum dominium in ipsarum bona æquè ac cæterorum subditorum suorum sibi jure vendicant; feuda cùm possideant, subjacent legibus feudorum: cur itaque diverso jure habeantur? Cur; cùm ad idem Regni corpus pertineant, ejusdem reverentiâ Majestatis, ac potestate contineantur, ijsdem legibus quoad temporalia, & externam Politiam non regantur, sicut ijsdem quoad sacram Politiam administrantur?

Verùm Author *præcitatæ Responsionis à n. 58.* optimè reponit, errorem gravi censurâ notandum esse, quòd Regalia, præsertim quoad beneficiorum absolutam collationem, sit jus Regium, in eo sensu, ut Regi tanquam Regi competat, aut ut Rex propriâ authoritate possit eam sibi in Ecclesijs tribuere. Iniquum, ut omnes reditus Ecclesiastici & beneficiorum curam animarum non habentium collationes Regi adjudicentur, sub prætextu, quòd Ecclesiæ aliqua feuda possideant, licèt in provincijs, in quibus generali feudorum lege Domini non habent ullum fructum bonorum feudalium post mortem Vasalli, posita sint. Nihil tam repugnat officio Custodis ac Defensoris, quàm ut fructus omnes usurpet, quos custodire ac defendere tenebatur; maximè cùm non alia præstatur Ecclesijs opera, quàm quæ subditis omnibus à Principe debetur. 279.

Sed quid intolerabilius, quàm quòd inter *leges Gallicas feudorum* recenseantur usufructus omnium bonorum Ecclesiasticorum, etiam non feudalium, omnes reditus, etiam decimæ & oblationes, nec non omnium beneficiorum curam animarum non habentium collatio *plenojure*; & prætextu, quòd leges feudales *temporales sint & civiles, à solius Regis authoritate pendēre earum extensio ad omnes ditionum suarum provincias* dicatur, nisi fortè id postularet universæ Reipublicæ bonum. Ecquis non videt, periculosam in Regno perturbationem exoriturām, si Provinciarum jura, mores, instituta, legesque commutentur, & quæ in una Provincia vigent, in aliam ab eis abhorrentem, intrudantur? Nónne *leges Gallicæ feudorum*, & emphyteusium vetant, ne quid oneris Vasal- 280.

lo, & emphytevtæ adjiciatur, præter id, quod in traditionis instrumento appositum est, aut appositum fuisse, ex antiqua consuetudine, vel ex certis documentis colligitur? Quo jure igitur in Aquitaniam, Occitaniam, Provinciam, Delphinatum de novo induceretur, ut mortuo Vasallo, Dominus fructûs feudi, reliquorumque omnium ejus bonorum, quamvis non feudalium, imò omnium ejus jurium exercitium sibi tribueret? Porrò si pietas ac religio non suadet, ut mitiùs agatur cum Ecclesijs, quàm cum hominibus sæcularibus, obstet saltem justitia, ne pejùs habeantur: & si bonorum temporalium Ecclesiæ, quamvis sacrorum, non habetur ratio, parcatur saltem juri spirituali Clericos ad officia & ministeria Ecclesiastica deputandi, quod certè inter leges feudales, præsertim cùm sit *plenojure*, nescio, quomodò sinè rubore conscripserit Theologus Catholicus.

281. Nota disjunctionem illam, *vel permiserint*. Ruinosis ædibus, quæ dum restaurare conaris, collabuntur, simile est hujus dissertationis systema. Videt interdum Dissertator doctrinæ suæ defectus, (quis enim non videret) supplere conatur, sed supplementa rimas dilatant. Sciebat, maximam bonorum Ecclesiasticorum partem, in illis præsertim provincijs, ad quas ex novo extenditur Regalia, non fuisse à Regibus Christianissimis datam, eoque nomine non posse suam Majestatem Ecclesiarum, dum vacant, fructus suos facere, ac beneficia pleno jure conferre. Quamobrem alium titulum adjunxit, scilicet, quòd Ecclesiæ bona sua Regum Christianorum *permissione possideant*. Sed quàm vanus sit iste titulus, quis non videt? Num enim, quia Reges permittunt, ut Clerus decimas percipiat, quæ ipsi assignatæ sunt, ut hâc ratione, qui Altari serviunt, de Altari viverent juxta Divini juris statutum; pro hac permissione illorum Majestas decimas jure Regio percipiet, cùm vacaverit Sedes Episcopalis? Num etiamsi de alijs bonis intelligatur ea permissio, quia sinunt Principes, ut fideles suorum bonorum partem Deo, à quo cuncta acceperunt, reddant, vel ad Ecclesias conferant, eorum bonorum usumfructum, vacante Sede, sibi vendicabunt, quamvis amortizata sint, & amortizationis pretium sit persolutum? Olim pij Principes etiam proprijs juribus cedebant, dum donationes ab eorum subditis in favorem Ecclesiarum fiebant. Modò suæ Majestati suadetur, ut onera insolita bonis Ecclesiæ datis imponat: ita scilicet Regiam Majestatem, vel pietatem inflamant ejus Consiliarij, nec non Iurisperiti, & Theologi Aulici.

282. Opponitur denique, quòd jam ante declarationem Christianissimi Regis anno 1673. editam Jurisconsulti, Magistratusque doctissimi, Guido Faber, Pitracius Servinus, Bignonius in supremo senatu Advocati Catholici, Senatus universus, Magni Consilij Patres, Consistoriani Comites, & post declarationem illam quotquot de re beneficiaria scripsêre, vel in Senatu dixêre, propugnârint jus Regaliæ esse Regium, pertinereque ad Coronam, atque ad omnes Ecclesias, quæ oneroso titulo non sunt exemptæ, absque discrimine porrigi.

Verùm Author *præfatæ Responsionis cit. art. 5. §. 22. à n. 75.* optimè reponit, neque antiquos esse istos Authores, neque à suspicione quæsiti proprij commodi immunes testes. Pitracius namque *primus*, licèt irrito conatu, ut notat Pasquierius tentavit sub finem proximè elapsi sæculi Regaliam in omnes Ecclesias invehere. Cur ei, aut sequentibus Advocatis Regijs, vel novis Jurisconsultis & Theologis, quos meritò prædictus Pasquierius adulatores Aulæ appellat, potiùs assentiemur, quàm antiquis Advocatis Regijs, consuetudine tantùm ac possessione jus Regum Christianissimorum defendentibus, aut Regalistis minùs suspectis, quorum multi, cùm Regijs officijs fungerentur, ad tuenda jura Regia erant obstricti?

283. Inprimis Pasquierius celeberrimus causarum patronus in Parlamento Parisiensi, & Advocatus Regius erat in Camera Computorum, atque adeò jus Regis Christianissimi circa Regalia ignorare non poterat; eaque tueri ad proprium ipsius & officium, & commodum pertinebat; cùm enim authoritate illius Cameræ reciperentur fructus Ecclesiarum vacantium, & Regaliæ subjectarum, usque apud illam redderentur earum rationes, atque adhuc in Regesta ejus referenda essent juramenta fidelitatis ab illis Episcopis præstita, quorum Ecclesiæ juri Regaliæ subjacebant, plurimùm crevissent Regiorum in illa Curia Officialium emolumenta, si Regalia fuisset ad omnes Ecclesias porrecta. Attamen Advocatus ille Regius veritatem cupiditati præferens, opinionem, quæ Regi Christianissimo Regaliam in omnibus Ecclesijs tribuebat, erroneam declaravit, ejusque sectatores adulatores Aulæ appellavit.

284. Eadem jura & tueri debuerat, neque ignorare potuerat Ægidius le Maistre in Senatu Parisiensi, in quo lites circa Regaliæ usum emergentes ex antiquâ consuetudine tractantur, primò Causidicus, tum Advocatus Regius, deinde Protopræses. In eodem Senatu Consiliarius erat Ruzæus, Præses Guimerius, Glossæ Pragmaticæ sanctionis, ut vulgò creditur, Author; Præses item Joannes de Selva.

285. Regius apud Cenomannos Procurator erat Joannes Feraldus, qui *tract. de jurib. & privileg. Regni Franc. privileg. 5.* & decretum Concilij Lugunensis de Regalia intelligit, & jus illud ad Ecclesias certas restringit his verbis: *Quintum jus Liliorum est, quòd Rex in Ecclesijs capit Regalia: & est hoc approbatum in decreto Basileensi. Tit. de Annatis vers. Item, quòd dicta quinta pars. Et in his tuentur, qui antiquâ consuetudine usi sunt. Cap. Generali. Extra. De elect. lib. 6. specialis est allegatio Specul. tit. De Legato §. Nunc tractemus. vers. Sed numquid Legatus; dum specialiter loquitur de Rege Franciæ, & ejus jure vendicandi in quibusdam Ecclesijs vacantibus collationem beneficiorum ad illas spectantium:*

tium: & quòd illo tempore etiam temporalia illarum Ecclesiarum recipit. Et bene dicit Speculator: quibusdam Ecclesijs: & sunt illæ Ecclesiæ, ut ex Regestris Parlamenti & Computorum accepi, scilicet in Archiepiscopatu Rhemensi, &c.

287. In Senatu Burdegalensi primùm, ac deinde in Senatu Tolosano Senator fuit Gulielmus Benedictus, qui *in Repetitione in cap. Raymutius. De Testamentis. verb. Uxorem. Decis. 2. n. 78.* scripsit his verbis: *Quo jure in dictis Ecclesijs Regaliæ subjectis, secundùm aliquos dat licentiam eligendi Pontificem, priùs ei denuntiatâ morte Prælati, juxta plenè dicta per Panormitanum in Cap. 1. & Cap. Cùm terra. De elect. Et pendente vacatione Ecclesiæ facit Rex fructus suos, atque beneficia confert ad collationem Episcopi pertinentia, tamen non curata: Sed in alijs Ecclesijs hoc jus Reges non habent, licèt Pontificales sint, & sitæ in Regno.*

288. Non est etiam verisimile, jura Regia fuisse vel ignorata, vel imminuta à Juris Professoribus in Academijs Franciæ. Præter Ruzæum in Academia Bituricensi, & Benedictum in Caturicensi, Franciscus Duarenus in Academia Bituricensi Regius Professor de sacris Ecclesiæ ministerijs *lib. 7. cap. ult.* sic scribit: *Quædam sunt in Gallia Cathedrales & Episcopales Ecclesiæ, quibus Rectore, Pastoréque destitutis, si quæ beneficia interim vacaverint, dum aliquis in demortui Pontificis locum suffectus fuerit, Rex noster jure suo, sed certo quodam modo ea confert ac distribuit .... Idque jus Regaliæ vulgò appellatum, singularia quædam præcepta habet: de quibus variis in locis hujus tractatûs nostri differemus Cap. Generali. De elect. in 6. Ius Regaliorum, quo nunc utitur in quibusdam tantùm Ecclesijs.*

289. Antonius Fabricius Bleynianus in Academia Valentiniana Professor *lib. 1. in Theor. & Prax. Beneficiorum Ecclesiast. tit. 9. n. 38. & 39.* ait: *Quod verò attinet ad amplitudinem (Regaliæ) ea ex circumstantijs rerum, locorum, modorum, & temporum dependet. Rerum, inquam, quia non solùm fructus naturales temporalium, pro quibus ab Ecclesiasticis recognoscitur Princeps, juri Regaliæ cedunt, verùm etiam civiles. Imò & interdum provenientes ex spiritualibus, sive annexam habentibus spiritualitatem: hoc enim in decimis ostendit Choppinus in dicto lib. 2. de privileg. Rustic. par. 1. C. 11. art. 4.* Videri etiam potest Ragueau in Academia Bituricensi Iuris Professor *in Indice Iurium Regiorum verbo. Droit de Regale.*

290. Choppinus celeberrimus in Parlamento Parisiensi Advocatus non litem instruebat, sed librum componebat, dum *lib. 2. de Domanio Franciæ n. 5.* scripsit: *Haud omnes tamen sacræ Diœceses sunt Regalibus obnoxiæ, sed eæ solæ, in quibus initio uti illo jure consueverint &c.* Et num. 6. *In alijs quibusdam Ecclesijs certo modo coarctata sunt Regalia, ijsque angustis finibus, ut profanorum duntaxat perceptiones reditnum complectantur, non etiam collationes sacrorum beneficiorum.* Eandem doctrinam fusiùs tradit *lib. 1. de sacra Politia tit. 7.* Idem de alijs Causidicis, Regaliam ad certas Ecclesias restringentibus sentiendum.

291. Denique cùm hìc tractemus de materia, quæ vel omninò, vel saltem longè majori sui parte Ecclesiastica est, & de qua jam pridem tam solemne in Concilio Lugdunensi præjudicium factum est: cur Pontificis, ejus Concilij Decretum hactenus observatum, novè violari prohibentis authoritas tam parvi erit momenti, ut non credamus, Regem Christianissimum, eliquatâ meliùs veritate, declarationem suam revocaturum, & ad Prædecessorum suorum constitutiones conformaturum, eoque justitiæ ac religionis actu suorum Officiariorum injustitiam correcturum, modernosque Theologos, & Iurisconsultos Patri Alexandro consentientes, tum ad sanam doctrinam redituros?

§. V.

Tertij articuli præsentis Corollarium finale.

292. COronidis loco non importunum visum est, huic *tertio* articulo subtexere conclusionem, quàm Author *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ in fine sui operis* generalem fecit conclusionem. Constans, inquit, Galliæ in fide Catholica jam à tot sæculis perseverantia, & magna etiamnum illic vigens pietas certam spem afferunt, Christianissimum illud Regnum usque ad consummationem sæculi tam arctè Petræ, super quam fundata est Ecclesia, inhæsurum, ut nullis unquam Sathanæ machinis ab ea dimovendum sit. Nobilissimæ illius Monarchiæ gloriam, firmitatem, ac felicitatem, Principum ad Ecclesiam defendendam zelo, subditorum pro Catholica religione studio, utrorumque erga Ecclesiasticum ordinem, præsertim verò erga sanctam Sedem reverentiæ, atque obedientiæ adscripserunt & ipsimet Galli, & Summi Pontifices. Quoniam autem res omnes per easdem causas plerumque conservantur, ex quibus ortæ sunt: expetenda est religionis, ac Principatûs Gallicani perpetuitas ab antiquo pietatis affectu, indivulsaque cum Petri Sede conjunctione; siquidem, ut ait Carolus Fevretus *lib. 1. c. 3. n. 4.* relatis Ecclesiæ Gallicanæ laudibus: *Comparavit illa sibi hanc grandem dignitatem mediante indissolubili unione cum S. Sede Apostolica, à qua nunquam se separavit; nam Ecclesia Romana præcipuus erat spiritus, qui animabat omnes suas facultates & potentias: Centrum erat, in quo ad unitatem revocabat illa omnes circumferentiarum lineas: Sol erat, à quo mutuabat omnes suas claritates Divinas, ac splendidissimos suarum gloriarum radios: verbo: primum mobile erat, à quo suos trahebat illa motus.*

293. Neque spem illam eripere valent, quæ interdum, maximè autem temporibus posterioribus intercesserunt dissidia. Ea enim est mortalium omnium conditio, ut neque qui perfectionis Christianæ fastigium assecuti videntur, imperturbabili pace perenniter gaudeant, quamdiu in hoc mundo versantur. Propria civium Hierusalem cælestis est illa felicitas. Sed quemadmodùm arbores à ventis exagitatæ radices altiùs defigunt;

ita

ita inter electos dissensiones strictiori concordiæ non raro viam sternunt.

294. Fatendum est, in Gallia fuisse à quibusdam tentata nonnulla, quæ si longiùs, ac latiùs progressa fuissent, non solùm Communionis Ecclesiasticæ, sed & fidei jacturam tandem invexissent. Nam præter libellum Richerij *de Ecclesiast. & Polit. potestate*, à duobus Concilijs Provincialibus damnatum, tanquam *multas continentem propositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas*: præter eorum fortè opera, quos Richerium in suas partes traxisse cum vehementi suspicione schismatis, narrat Henricus Spondanus ad annum 1612. *num.* 3. Præter duo volumina *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* à pluribus Episcopis die 14. Februarij anno 1639. hâc censurâ notata: *Volumen utrumque ferè per omnia commata noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & disciplinæ Sacramentorum, & sacrorum rituum destructivum, sanctæ Sedi Apostolicæ, gloriosissimo Regi nostro, Sacerdotibus Dei, & Ecclesiastico Ordini, ipsique adeò Ecclesiæ Gallicanæ injuriosum, ac periculosissimum, scandalo plenum, à nobis publico consensu judicatum vobis significamus.* Præter illa, inquam, sparsa sunt identidem alia schismatis & hæresis semina, quale illud erat, cujus confutationem ante aliquot annos vidimus cum hoc titulo: *Memoriale; quo in compendio Regi exhibebatur, quòd schismatica illa, & hæretica Maxima, quam in hoc Processu stabiliendam, prætensum fuit (quæ fuit pronuntiata in Parlamento Parisijs 12. Decembris proximi anno 1664. scilicet, quòd Principes sæculares jus habeant, ac potestatem, ad judicandum, ac decidendum de fidei dogmatibus, ac Ecclesiastica disciplina) non est fundata, nisi in defectuosis probationibus, quæ omnes vel allatæ contra veritatem, vel cum sophismate retortæ, vel artificio ita deductæ, vel contra rombum propositæ, vel ab Hæreticorum exemplis, vel à personis in fide suspectis.*

295. Contra disciplinam autem, & jurisdictionem Ecclesiasticam quot continentur dogmata in laicorum præsertim tribunalia sæcularia frequentantium libris v. g. in tractatu Caroli Fevreti, in supra dictis voluminibus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & alijs? Quodque maximè dolendum est, immanes illi errores & injuriæ, ipsaque demum Ecclesiæ servitus speciosò libertatum Ecclesiæ Gallicanæ titulo insigniuntur. Non possum non tristitiâ affici, cùm inter legendos, Laicorum propria commoda in imminuenda Ecclesiastica potestate sectantium, libros similia occurrunt: sed longè graviùs fero, quòd, qui Clero adscripti sunt, ac privilegijs Clericalibus gaudere volunt, Ecclesiæ dignitatem, & authoritatem deprimere studeant, etiam dum ejus beneficia sibi asserere contendunt.

296. Utinam Clerus Gallicanus Majorum suorum vestigijs inhærens ad arcendos errores, & ad retinendam partem illam jurisdictionis, quæ nondum illis ablata est, curam & operam suam potiùs conferat, quàm ad circumscribendam Capitis sui potestatem; ne forte, quod plerumque accidit, si ipse debitæ Patri suo reverentiæ desit, à filijs suis graviores patiatur contumelias. Quomodò enim Fideles juxta Divi Pauli præceptum obedient, & subjacebunt Episcopis, quos supremi Ecclesiæ Pastoris partim obedientiam detrectare, partim metas ei brevissimas ponere viderint? Interest famæ Augustissimi illius Cleri, ut, quod ab aliquibus ex ipso adversùs Summum Pontificem pro illorum juribus contendentem gestum est, ab alijs, qui nec mandatum, nec consensum præstiterant, minimè ratum habeatur; sed ab omnibus potiùs oblivioni mandetur.

Maximi etiam interest gloriæ Regis Christianissimi, ne prædictorum Antistitum declarationi patrocinetur. Cùm enim de constanti non solùm retinendæ, sed etiam propugnandæ fidei Catholicæ, atque Ecclesiæ proposito sibi certo conscius sit, ejusque illustria edat argumenta, cur eam voluntatem, aut voluntatis constantiam in suspicionem publicam vocet, significans, se doctrinam illam timere, quæ Reges, & Principes fidei, aut Ecclesiæ hostes, emendationis incapaces, per temporales pœnas ad officium suum reduci per Ecclesiam posse, tradit? 297.

Sed possétne Princeps tantâ sapientiâ præditus non advertere, ex Cleri sui sententiâ plus periculi, si non sibi, nimirum potentissimo, saltem suis successoribus, quàm Romanis Pontificibus imminere? Nemo enim Catholicus dubitat, potestatem B. Petri, ejusque Successorum à Christo Domino *immediatè* oriri, atque adeò, ut ait Nicolaus I. *ep. 8. Privilegia ipsius Sedis, vel Ecclesiæ, perpetua sunt; Divinitus indicata, atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt.* Si ergo Summum Pontificem à Christo constitutum omnium fidelium Pastorem & rectorem, ejusque Vicarium *immediatum*, deponi à Concilio Generali posse admittamus, multò faciliùs Regem à Comitijs Generalibus exauthorari posse, concedendum erit, cùm non nisi *mediatè* à Deo principatum obtineat. Nam quantumcunque protestentur moderni, se in tuto positam censere Regiam Dignitatem, non defuerunt etiam Gallicani Scriptores, qui assererent, Monarchiam illius Regni Aristocratiâ temperatam; idque de facto patuisse, quando Regnum ad alienas familias translatum est, contemptis propinquioribus Regum defunctorum cognatis: nec ulla potest verisimilis ratio assignari, quæ Papæ validiùs, quàm in Regis favorem non militet, si æquâ lance pendatur.

Ita senserunt etiam Regum adversùs Summos Pontifices defensores, v. g. Jacobus Almain *in tract. de authorit. Ecclesiæ cap.* 1. tertium hoc corollarium statuit. *Tota Communitas potestatem habet super Principem ab ea constitutum, quæ eum, si non in ædificationem, sed in destructionem politiæ regat, deponere potest, aliàs non esset in ea sufficiens potestas, se conservandi, & istâ potestate Communitas quondam usa, Regem suum deposuit, non tam pro criminibus, quam pro*

pro eo, quòd tanto regimini inutilis esset, &c.

300. Omnium denique Fidelium paci, & quieti expedit, ne de supremi Pastoris sententiâ dubitare doceatur, ac tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ, donec subortientes fortè fidei quæstiones Generalis Concilij, quod vix postunum, aut alterum sæculum celebrandum sperent, irreformabili judicio fuerint definitæ, aut communi dispersorum per mundum universum Prælatorum, quorum suffragia rescire difficile, conciliare difficilius sit, consensu diremptæ.

331. *Et quicunque viderit, vel audierit, quòd Rex & Episcopi Apostolicæ Sedis Summum Pontificem obaudiunt, & honorant, & promptiùs & humiliùs eis subjecti sui obedient.* Hincmarus *epist. ad Nicol. Papam, quæ est 16. tom. 2. edit. Sirm.*

De illis, qui, ut Summum Pontificem 332.
ab executione Canonis Lugdunensis Regaliam extendere prohibentis deterreant, odiosam, quam confutare conati sumus, doctrinam importunè objicient, opportunè dicet Innocentius XI. cum Paschali 2. *epist.* quæ est ad Archiepiscopum Poloniæ: *Numquid hæc nos commodi nostri professione requirimus, & non unitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversùm nos calcaneum elevare, datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Et: Tibi dabo claves Regni cælorum.*

FINIS
ARTICULI TERTII.

ARTICULUS IV.

DE

Infallibilitate Romani Pontificis in decidendis fidei, seu etiam morum quæstionibus.

1. CLerus Gallicanus *in prædictâ declaratione suâ* formavit *quartum* articulum sub hoc tenore: *In fidei quoque quæstionibus præcipuæ Summi Pontificis sunt partes, cujus decretâ ad omnes & singulas Ecclesias pertinent, nec tamen irreformabile est judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* Author *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 1.* disquirit, si Papæ judicium in fidei dogmatibus definiendis, non sit irreformabile, *in quonam consistere dicendæ sint illæ præcipuæ Summi Pontificis partes?* An quòd primus sententiam suam de ijs promere debeat, quemadmodùm Africana Concilia professa sunt *in epist.* ad Theodorum Papam, quæ lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino I. Theodori successore anno 639. his verbis: *Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, & hujus authoritate justâ, quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur.* At quantis laudibus donatus est ab Episcopis anno 1681. Parisijs congregatis liber Ioannis Gerbasij de causis majoribus, in quo primùm illarum judicium ad Episcopos, & Concilia Provincialia pertinere contendit?

2. An Summi Pontificis prærogativa in eo erit, ut quæ à Concilijs Oecumenicis decreta fuerint, eorum ipse urgeat executionem? Sed hæc cura Summi Pontificis dignitatem non tam arguit, quàm tollit, quandoquidem merus executor constituitur, sinè facultate interpretandi judicij, ita saltem, ut illa interpretatio irreformabilis sit, atque adeò ad consensum internum fideles arctet.

3. At privilegium illud sanctæ Sedis ad hoc valebit; *ut ejus decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant.* Verùm non ejus, sed Conciliorum Generalium decreta id sibi vendicabunt; siquidem penes illa, non penes Papam, est authoritas, controversias fidei judicandi irreformabiliter. Quòd enim fortasse aliquis reponat, interim, dum expectatur Concilium Oecumenicum, standum esset judicio Papæ, efficit, ut publicè contradicere nemo debeat (quod ad politiam quandam externam referendum est) non autem ut ei quisquam interiùs assentiri teneatur, quandoquidem errori obnoxium est. Sed nec primum quidem illud efficit, saltem si Gersonio credimus.

Gersonius quippe de examinatione doctrinarum *par. 1. considerat. 5.* docet, non solùm Concilium Oecumenicum, aut Nationale, vel Provinciale, sed Doctorem quemlibet posse Summo Pontifici obsistere, manifestum errorem contra fidem proponenti. *Staret, quòd aliquis simplex non authorizatus, esset tam excellenter in sacris Literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinæ suæ assertionis, quàm Papæ declarationi; constat enim, plus esse credendum Evangelio, quàm Papæ; si docet igitur talis eruditus, veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultrò ivaret, patet, cujus præferendum sit judicium.* Quæ autem veritas in Evangelio adeò expressa esse potest, antequam ab Ecclesiâ declarata sit, quæ non alicui Doctori, vel etiam pluribus, error manifestus non possit apparere? Quâ ergo poterit authoritate comprimi Doctor ita affectus, interim, dum conveniret Concilium, ut quoúsque consensus Ecclesiæ accesserit, prout requirunt Antistites Gallicani?

Quâ verò ratione dignosci poterit Ecclesiæ consensus, si Provinciæ Christianæ circa illam controversiam inter se dissentiant? An illa vera Ecclesia censebitur, quæ Capitis omnium, Romano scilicet Pontifici adhærebit? Recurret idem inconveniens, quòd scilicet illius judicium, si non sit irreformabile, possit fideles in errorem pellicere.

Verùm ut videas, quantum Summi Pontificis sententiæ plerique Gallicani Doctores honorem deferant; & utrùm ei provisionaliter obtemperent; aut saltem, silentio illam venerentur, ad ea, quæ non ita pridem gesta sunt, oculos converte. Exigitur à Catholicis in Anglia degentibus juramentum, hanc inter alias clausulam continens; *Præterea juro, quòd ex corde abhorreo, detestor, & abjuro tanquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propositionem, quòd Principes per Papam excommunicati, vel deprivati, possint per suos subditos, vel alios quoscunque deponi, vel occidi.* Paulus V. in Brevi ad Catholicos Anglos dato 23. Septembris 1606. in quo insertus est præ-

dicti

dicti juramenti tenor, illud his verbis reprobat: *Quæ cùm ita sint, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quid hujusmodi juramentum, salvâ fide Catholicâ & salute animarum vestrarum, præstari non potest, cùm multa contineat, quæ fidei & saluti apertè adversantur.* Quia verò nonnulli Breve illud Summo Pontifici de rei veritate plenè non instructo subreptitium causabantur; *Non ex animi nostri sententia, nostráque propria voluntate, sed potiùs aliorum intuitu, & industriâ,* inquit Summus Pontifex ea de re conquerens in altero Brevi dato 23. Octobris 1607. addidit: *Eapropter ad vos iterum scribere decrevimus, ac denuò vobis significare, litteras nostras Apostolicas anno præterito 10. Kal. Octobris datas de prohibitione juramenti non solùm motu proprio, & ex certa nostra scientia, verùm etiam post longam, & gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuisse scriptas, & ob id teneri vos illas omninò observare, omni interpretatione secùs rejectâ. Hæc est autem mera, pura, integráque voluntas nostra, &c.* Nihilominùs Doctores Parisienses, quos illam Papæ sententiam latuisse non potest, sic censuerunt. *Nos infra scripti sacræ Facultatis Parisiensis Doctores Theologi censemus, jusjurandum, ut in obversa pagina conceptum est, salvâ fide, & tutâ conscientiâ, à Catholicis Anglis jurari posse, si modò in propositione, quæ est de cæde Principum, quæ damnatur ut hæretica, verba deponi, & occidi conjunctim accipiantur: imò etsi divisim, ita ut tamen propositio hæretica materialiter, id est, verbo Dei contraria sinatur; quatenus posse Principes deponi effert, formaliter verò etiam quatenus & occidi posse, superaddit. Deliberatum, datúmque Parisijs die 16. Augusti anno 1680. subscripsêre 56. Doctores die 19. Augusti anno 1680.*

7. Sed consideremus, utrùm declaratio Illustrissimorum Præsulum Gallicanorum cum Scriptura sacra consentiat, aut sacris Canonibus, & Patrum traditione, quæ sunt fundamenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, nitatur; an non potiùs verum sit, quod aliqui scripserunt, eam sententiam nonnisi post schisma tempore Concilij Constantiensis in lucem editam; anteà verò judicum Summi Pontificis tanquam indubitatum habitum fuisse, non propter, aut post Ecclesiæ consensum, sed etiam propter non errandi privilegium B. Petro, & ejus successoribus à Christo collatum.

8. Porrò ipsa propositio, quam hîc expendimus, satis declarat, non agi de Papæ, tanquam privatæ personæ, opinionibus; sed de ipsius tanquam Summi Pastoris, & Pontificis totam Ecclesiam instruentis doctrinâ; uno verbo, de decretis, quæ ad omnes & singulas Ecclesias pertineant; idque in fidei quæstionibus.

9. Non disquirimus etiam; An Summus Pontifex aliquam fidei quæstionem definiturus egeat consilio, & quo, quâve aliâ diligentiâ uti debeat. Supponimus enim, ipsum, ne Deum tentet, media teneri adhibere ad cognoscendam veritatem ordinata. Sed si Divina providentia eum ad finem, id est, fidei veritatem certò, tutoque assequendam dirigat, sinè dubio ad assumenda media necessaria etiam inducet. In eo igitur sistimus; An Papæ judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit, incertum sit, & reformationi obnoxium, concurrentibus quibusvis alijs conditionibus?

10. Author *veritatis inextinctæ Concilij Tridentini in præfat. tom. 3. n. 40.* rei hujus statum indagat sub ista quæstione. Dum Clerus, inquiens, Gallicanus verbis diluicidis fatetur, in fidei quæstionibus præcipuas esse Summi Pontificis partes, an non per hæc verba intendit, in eodem Summo Pontifice profiteri vicarium Christi characterem, sub quo ita oporteat, stare Oecumenicum Concilium in nomine Christi, sive ex normâ per hunc constitutâ aggregandum, ut ex talis vicarij Christi characteris formâ subsistat Christi assistentia, fidei decretis taliter contentis infallibilitatem repromittentis? Quo sic constituto, hoc saltem, ut fateatur Clerus Gallicanus, necessum est, Concilijs nempe ex universis licèt Christianitatis nationibus, absque tamen charactere seu nomine Christi Vicario aggregatis, neque competere infallibilitatem, neque plenam authoritatem in condendis fidei Decretis. Insuper ex ejusdem articuli verbis dilucidum apparet, à Clero Gallicano haud denegari Summo Pontifici authoritatem, extra Ecclesiæ consensum, sinè Oecumenici adeò Concilij interventu, decidendi ac definendi fidei quæstiones, tametsi consummatam in hisce infallibilitatem negare videatur Summo Pontifici, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. De quo proinde puncto, quid concludendum sit, patebit ex sequentibus disquisitionibus; quarum *prima* discutiet; *Qualis sit Romani Pontificis Primatus;* Secunda; *An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesiæ consensum infallibilitas in decidendis fidei dogmatibus?* Tertia; *Vtrùm hujus judicij infallibilitas prorsus irreformabilis ostendi possit ex sacris Litteris?* Quarta; *Vtrùm demonstrari queat ex sacris Canonibus, & Concilijs Oecumenicis?* Quinta; *An ex unanimi Patrum consensu, & praxi Ecclesiæ, rationéque Theologicâ?* Sexta expendit *quæ Ellies du Pin circa Papæ in rebus fidei infallibilitatem opponere nititur.* Quibus tandem subnectetur corollarium finale, quo inter alia expendentur, quæ hanc in rem Author *inextinctæ veritatis Concilij Tridentini cit. præfat ad to. 3. à n. 41.* in medium protulit.

DISQUISITIO I.

De Primatu Romani Pontificis.

1. IN omnibus instituti præsentis articulis occurrebant materiæ hunc Apostolicum Romanæ Ecclesiæ Primatum concernentes; quia tamen Ludovicus Ellies du Pin sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor *in suâ circa antiquam Ecclesiæ disciplinam dissertatione quartâ* nititur Sacræ Scripturæ fundamenta, qui-

tà, quibus Primatus ille fulcitur, concutere, operæpretium est visum, *quarto* Cleri Gallicani circa Pontificiam authoritatem articulo deinceps discutiendo præmittere argumentorum ac exceptionum eum Primatum, uti patebit, haud parùm deprimentium, à dicto Ellieſio adductorum accuratiorem discussionem. Qui porrò Theologus *in prætactæ dissertationis suæ præloquio* dicit, consiliũ sibi esse, sinè ira & studio de Primatu Romani Pontificis disserere, & quæstionem hanc non in disputantis, sed potiùs in quærentis modum tractare. Liceat ergo mihi ad ea, quæ in modum quærentis hîc proponenda dicuntur, absque ullius pariter affectûs minùs integri studio respondere, resolutionemque veritati consonam in medium proferre.

§. I.

Vtrùm, & quomodò Primatus S. Petri possit ex Scripturis Divinis demonstrari?

2. Ellieſij *in hoc paragrapho* præcipua intentio est, expendere sacræ Scripturæ testimonia, quæ ad demonstrandum Petri inter Apostolos Primatum Bellarminus & alij adducunt tum sub istis *Matthæi. 16.* ad Petrum à Christo prolatis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; Tum sub hoc sacro contextu: *Tibi dabo claves regni Cælorum*; Tum sub vocibus *Ioannis vlt.* ad Petrum *determinatè* directis Christi verbis: *Pasce oves meas, pace agnos meos.* Videamus ergo impræsentiarùm, quomodò Ellieſij hæc fundamenta concutere conati exceptiones convelli valeant.

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

3. Hîc author excipit *primò*. Locum illum, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; ab Interpretibus, & sanctis Patribus variè exponi. Sunt enim non pauci, qui per Petrum hîc intelligunt fidem & confessionem Petri. Ita Hilarius *lib. 6. de Trinit. Super hanc igitur confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est.* Greg. Nyss. *in opere de Adventu Domini: Petra verò fidei tanquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad Principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessione videlicet Christi, quia dixerat: Tu es Christus filius Dei viventis.* Ambros. *lib. 6. in Luc. & in cap. 11. Ep. ad Ephes. Super istam Petram ædificabo Eccelesiam meam* hoc est, *in Catholicæ fidei confessione statuam fideles ad vitam.* Idem *de Incarnat. c. 5. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est; quia portæ mortis ei non prævalebunt, sed confessio vincit infernum*, Chrysost. *hom. 55. super Matth. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; id est, *fidem*, supple *super*, & *confessionem*. Idem habet *ibid. homil. 83. & cap. 9. Epist. ad Galatas*, & *in serm. de pœnit. Tu es Petrus, & super hanc Petram: non dixit super Petrum, non enim super hominem, sed super fidem fundata est Ecclesia.* Hunc sensum fusè explicat Augustinus *tract. 123. in Ioannem: Non enim*, inquit, *à Petro Petra, sed Petrus à Petra: ideo quippe, ait Dominus, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, quia dixerat Petrus: *Tu es Filius Dei vivi. Super hanc ergo*, inquit, *Petram, quam confessus est, ædificabo Ecclesiam meam; Petra enim erat Christus, &c.* Et *sermone 13. de verbis Domini: Tu es ergo*, inquit, *Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; super hanc Petram, quam confessus es: super hanc Petram, quam cognovisti, dicens, tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam*; id est, *super me ipsum Filium Dei vivi, super me ædificabo te, non super te me.* Acacius Melitenes *in homil. in Conc. Ephes. cap. 7. p. 3.* eundem sequitur: *Hæc fides*, inquit, *nostra, super hoc fundamentum Ecclesia ædificata est.* Adstipulatur Cyrillus Alex. *lib. 4. de Trinit. Petram*, inquit, *opinor, nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam fidem vocans.* Idem habet *tom. 14. in Esa. orat. 11.* Item Juvenalis Hierosol. *in litteris Synodicis. Super hanc Petram & super hanc confessionem roborata est Ecclesia Dei.* Theodoret. *Ep. 146.* & *77. confessionem Petri fundamentum & basim asserit.* Ita etiam exponunt hunc locum Anonymus scriptor in *Catenâ Niceiæ: Petrum*, inquit, *confessionem vocavit.* Gregor. Mag. *Ep. lib. 3. Ep. 33.* Felix *III. Ep. 5. ad Zenonem.* Isidorus Hisp. *lib. 7. orig.* Beda *homil. de Sancto Petro, & homil. 3. in Dominic.* Palmarius Druthmarum *in exp. Matth. c. 35.* Hincm. *opuscul. 33. cap. 5. & 45.* Rupert. *lib. 3. in Matth.* Tostatus *in hunc locum*, & alij. Ab istâ expositione non multùm abludunt ij, qui Petrum interpretantur Christum, quem Petrus erat confessus.

Ita Hier. *in cap. 7. Matth.* ac præcipue Aug. qui *in lib. retractat cap. 21.* hanc expositionem cum altera componit, & neutram alteri præfert *in lib. contra Ep. Donati: Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in Petrâ fundata sit Ecclesia, quo sensu etiam cantatur in ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij; ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipsâ petrâ Ecclesiæ canente, culpam diluit, scio, me posteà sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est. Tu es Petrus, &c. ut super hanc intelligatur, quam confessus est Petrus, dicens; Tu es filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac Petrâ appellatus personam Ecclesiæ figuraret . . . . . harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, elegat lector.* Vide eundem *tract. 124. in Ioannem* & *serm. 13. De verbis Domini.* Huic adjungendus Theodoritus *in cap. 3. Ep. 1. ad Corinth.* Beda *in cap. 16. Matth.* Magister *in cap. 2. Ep. ad Ephes.* & alios, quos videre poteris apud Launoium *Ep. part. 5. Ep. ad Voellum.*

Alia porrò expositio est, nomine Petræ 4.
ipsum Petrum intelligi. Tertul. *in lib. de præscript. hæreticorum. Latuit*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum. Et in lib. de Monogam. c. 7.* Origenes *homil. 5. in Exodum*: unde magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, dicatur à Domino *modicæ fidei, & quare dubitâsti?* Et apud Euseb. *lib. 6. hist. c. 19. Petrus, super quem Christi Ecclesia.*

uleſia. Cypr. *Ep. ad Iub.* *Petro, ſuper quem Dominus ædificavit Eccleſiam. Eccleſia, quæ una eſt ſuper Petrum.* Item *lib. de unit. Eccleſ.* & Firmil. *Ep. ad ipſum Hil. Can. 16. In Matth. In nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum. In Pſal. 131. Cui Petro ſuperiùs claves Regni Cælorum dederat, ſuper quem ædificaturus erat Eccleſiam.* Hieronymus *Ep. 57. ad Damaſum: Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri in communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Et in *Ep. ad Marcellam: Si igitur Apoſtolus Petrus ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam.* Auguſt. *in lib. de retract. ſuprà*, eandem expoſitionem tradit. Item Cyrillus *lib. 2. in Ioann.* Leo *Ep. 75.* Maximus Taurinenſis *in hom. de Petro & Paulo*, Theophylactus, & alij.

6. Denique non hoc tantùm de Petro, ſed & de alijs Apoſtolis dictum eſſe, affirmant plerique; Origenes *tract. 1. ſuper cap. 16. Matth. Tu es Petrus. Petra enim eſt*, inquit, *quilibet Chriſti diſcipulus, & ſuper talem Petram conſtruitur omnis Eccleſiaſtica doctrina.... Quòd ſi ſuper illum unum Petrum tantùm exiſtimas ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Ioanne filio Tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque.* Cyprian. *Ep. 27.* de omnibus Epiſcopis id dictum eſſe ait. Hieron. *lib. 3. contra Iovin. At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat.. tamen propterea inter omnes unus eligitur, ut Capite conſtituto, ſchismatis tollatur occaſio.* Et in *Pſal. 86.* cunctos Apoſtolos Eccleliæ fundamenta eſſe dicit. Baſil. *in cap. 1. Iſa.* ait, *Eccleſiam ædificatam in Apoſtolis, quorum unus erat Petrus.* Aug. *in Pſal. 86.* Apoſtolos omnes fundamenta Eccleſiæ appellat: & *Epiſt. 165.* ait, hunc Petrum dictum fuiſſe, eò quòd gereret totius Eccleſiæ perſonam. Theodoret. *in Pſal. 86.* Fundamenta vocat Apoſtolos. Deinde Paſchaſius Ratbertus *lib. 4. in Matth. Non ſuper unum Petrum, verùm ſuper omnes Apoſtolos, Apoſtolorúmque ſucceſſores Eccleſia Dei ædificatur*: unde David. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.*

Refutatio iſtarum exceptionum.

7. PRimò igitur ponamus, ſecundùm Patres ab Elliesio allegatos ſub Petrâ, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, intelligi confeſſionem Petri, quâ dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* At eo ipſo, quòd iſtud Eccleſiæ ædificium ſit perpetuum & adeò firmum, ut portæ inferi non ſint adversùs illud prævaliturræ, oportet, etiam petram, ceu fundamentum, ſtare inconcuſſam non tantùm in perſonâ Petri, ſed pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu uſque ad conſummationem ſæculi. Illa ipſa autem verba ſunt dicta Petro, quâ totius Eccleſiæ figuram gerenti propter Apoſtolatûs primatum, ex Sancto Auguſtino *ſuperiùs citato.* Oportet igitur, illam fidei confeſſionem ceu petram Eccleſiæ ita ſtare inconcuſſam pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu, ut conſequentur etiam Apoſtolatûs primatus, ratione cujus Petro ſunt dicta illa verba, ſit perpetuus, habeatque perpetuò ſecum connexam fidei firmitatem, ceu petram Eccleſiæ. Atqui iſta in Apoſtolatûs principatu perpetuitas, juſque cum fidei firmitate connexio non ſubſiſteret, niſi tranſiſſet in ſucceſſores uſque ad conſummationem ſæculi futuros. Quare admiſſis & ponderatis illis per Elliesium allegatis Patrum ſententijs, conſequens eſt, uſque ad extremum judicij diem fore ſucceſſionem in primatu Apoſtolatûs connexam cum fidei firmitate. Quamvis proinde Auguſtino *lib. 1. Retract. cap. 21.* advertente, duæ jàm pro tunc extiterint illorum verborum *ſuper hanc petram*, Patrum expoſitiones, ita, ut aliqui per *petram* Petrum, alij fidei confeſſionem à Petro editam intelligerent; conſtat tamen, ambas reincidere in idem, ac æquè efficaces eſſe ad probandam Apoſtolici primatûs in Eccleſia cum fidei firmitate connexam ſucceſſionem. Unde hoc tantùm diſcriminis eſt, quòd expoſitio prior conſideret illum textum *formaliter* ſecundùm id, quod eſt formale, poſterior autem *ſubjectivè* ac *materialiter*, ſecundùm ſubjectum ſcilicet, in quo illa fidei firmitas eſſet connexa cum Apoſtolatûs primatu ac poteſtate clavium.

8. *Secundò.* Admittamus alteram quoque expoſitionem, ſecundùm quam verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*, intelligitur Chriſtus, de quo Apoſtolus Paulus pariter dixit: *Fundamentum aliud* (Eccleſiæ) *poni non poſſe præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus.* Nam hoc minimè obſtante, ipſemet Divus Auguſtinus per Elliesium *allegato tract. 124. in Ioannem* ita diſſerit de Petro: *Solus inter Apoſtolos meruit audire: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. dignus certè, qui ædificandis populis in domo Dei lapſis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, claves ad regnum.* Authoritas ergo ſacræ Scripturæ ſolum Chriſtum eatenus ſtatuit fundamentum ac lapidem Eccleſiæ, ut ſuper hoc tamen fundamento detur aliud, ſeu lapis fundamenti ſuperſtructus, cui conveniat, eſſe petram ſeu fundamentum Eccleſiæ non *primarium & abſolutè* inſtar Chriſti, ſed *vicariè* duntaxat, *ſecundariò*, ſeu *participativè*.

9. *Tertiò.* Ponamus denuò, ſi prætacta Chriſti Domini verba ita exponi debeant, ut nomine Petræ intelligatur Petrus, debere tunc eam Chriſti ſententiam non tantùm de Petro, ſed alijs etiam Apoſtolis dictam accipere. Nihilominùs ſuper hac Apoſtolorum paritate ac æqualitate *quoad authoritatem Apoſtolicam*, oportet, ſequentem reliquorum SS. Patrum doctrinæ prorſus conformem facere reflexionem, quam S. Cyprianus *lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium* ob oculos noſtros poſuit: *Hoc erant utique*, inquiens, *cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædití & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datus, ut una Eccleſia & Cathedra monſtretur.* En igitur, Apoſtoli ita erant pari honoris, & poteſtatis conſortio prædíti, ut exordium tamen (quod à Neotericis doloſè omittitur) ab unitate proficiſceretur. Hoc autem fit, quatenus Petro

ita datus est primatus, ut una Ecclesia & Cathedra monstretur. Atqui primatus Cathedræ importat potestatem ordinariam in successores transferibilem. Inde ipse quóque Cyprianus *lib. 1. Epist. 3. ad Cornel. Papam* agnoscit unum in Ecclesiâ ad tempus sacerdotem, & ad tempus Iudicem vices Christi agentem, cui ita obtemperandum esse, ait, ut non aliundè hæreses obortas esse asserat, nisi quòd ipsi non obtemperetur. Hunc ipsum verò Sacerdotem *loco cit.* ita agnoscit in Romanâ Ecclesiâ, ut hanc dicat Cathedram Petri, & Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta sit. Et hinc *in Epist. 73. ad Iubaianum* ait: *Nos unius Ecclesiæ Caput Iudicem tenemus.* Constat igitur, Cyprianum ita agnoscere in cæteris Apostolis æqualem respectu totius Ecclesiæ, extraordinariam tamen per modum legationis personalis potestatem, ut uni tamen Petro, ejusque successori collatam contendat primatûs potestatem ordinariam, super quâ erigenda foret Cathedra; in successores adeò transferibilis. Videte igitur, & attendite, hæreses secundùm Cyprianum ex eo oboriri, quòd istius Cathedræ Sacerdoti uni, ceu Capiti & Iudici vices Christi agenti non obtemperetur.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

10. PErgit hic author *secundò* excipere. Ex *prima* & *secundâ* illorum Christi, *Tu es Petrus &c.* verborum præadductâ expositione, nullam ferè Petri supra cæteros Apostolos prærogativam colligi, nam ex ijs minimè sequitur, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, imò id vel Christo, vel confessioni & fidei, quam emiserat Petrus, adaptatur. In *tertiâ* autem expositione, oportere, ut fateamur, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, sed inde non videtur sequi, eum Apostolis omnibus superiorem fuisse, cùm ex *quartâ* expositione constet, idem de Apostolis omnibus dictum. Et certè ratio fundamenti hîc consistit in promulgatione Evangelij & Ecclesiarum administratione; sed hæc non secùs Apostolis cæteris, ac Petro data sunt, & illi non secùs ac Petrus hoc sensu dicuntur fundamentum Ecclesiæ. *Ephes 2. Ædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Et *Apocalyps. c. 21. Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni.* Nec aliud probant allata à Bellarmino testimonia. Chrysostomus *homil. 55. in Matth.* Petrum futurum esse dicit eo sensu fundamentum, quòd Ecclesiæ Pastor futurus sit & Evangelij Prædicator: cùm verò dicitur Petrum præpositum esse universo terrarum orbi, sensus non est, quòd omnibus omninò Ecclesijs sit præpositus, sed quòd non uni populo, ut Ieremias, sed omni Genti Evangelium esset annuntiaturus, *Ieremiam quidem uni Genti Patet, Petrum autem universo terrarum orbi Christus proposuit.* Similiter Author *sermonis 47. apud Ambros.* non aliâ ratione Petrum, ait, esse saxum immobile, quod totius operis Christianissimi compagem, molemque contineat, *nisi quia primus nationibus fidei fundamenta proposuerit.* Gregorius denique, qui *tertius* est à Bellarmino testis allatus, ait *Ep. 32. lib. 4.* Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam, sed idem de se Paulus ait, *sibi solicitudinem omnium Ecclesiarum incumbere.* Itaque posito, quòd hæc verba: *& super hanc petram*, à Christo de personâ Petri dicta sint, ut ego probabilius esse arbitror, nihil aliud his sibi vult Christus, quàm Petrum ad ædificationem Ecclesiæ, hoc est, fidelium conversionem & Ecclesiarum administrationem plurimùm laboraturum. Ad summum igitur inde deduci potest, eum primum ac præcipuum fore inter eos, qui Evangelium erant annuntiaturi: at inde colligi minimè potest cum Bellarmino, *Petro totius Ecclesiæ regimen esse commissum, præsertim circa fidem.* 13.

Refutatio istius hujus exceptionis.

ECclesiæ sanctæ Doctores Hieronymum & Ambrosium, imò ipsam quóque Ephesinam *primam* Synodum (ut alios *inferiùs* adducendos hîc prætermittam) ex illo sacro textu, *Tu es Petrus*, argumentantes audiamus, ad videndum, quantum spiritus ipsorum fuerit discrepans à spiritu Ellieſij contendentis, inde tantùm deduci. *Petrum fore primum ac præcipuum inter eos, qui Evangelium erant annuntiaturi.* Sic proinde sanctus Hieronymus *epist. ad Damasum Papam de hypostasibus* ratiocinabatur: *Beatitudini tuæ*, id est Petri Cathedræ *communione socior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et infra: *Quicunque tecum non colligit, spargit. Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Ex quo patet, Petri Cathedram *secundùm Divinum Hieronymum*, fuisse illam ipsam, cui insidebat Damasus Papa, atque adeò ejus quovis tempore successor. At super hanc ipsam Cathedram ceu petram sanctus Doctor *citatus* ait, ædificatam esse Ecclesiam. In illâ autem Cathedrâ, super quâ ceu petrâ est ædificata Ecclesia, secundùm Christi promissionem sunt claves regni cælorum cum *indefinitâ* ac universali potestate ligandi ac solvendi. Planum igitur est, sanctum Hieronymum omninò ejus fuisse mentis, quòd Cathedra Romani Pontificis respectu universalis Ecclesiæ, quæ suprà ipsum ceu petram fundata est, habeat *indefinitam* clavium potestatem ad solvendum ac ligandum. 14.

Deinde S. Ambrosius *serm. 47.* ita disserebat: *Petrus tanquàm bonus Pastor tuendam gregem accepit, ut, qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; denique pro solidate durationis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus. Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* En igitur, curam Pastoralem Gregis Christiani Petro tanquam Ecclesiæ Petræ commissam. At ista cura eatenus importat Primatum honoris & ordinis, ut propterea dixe-

dixerit idem Ambrosius *ad cap. 1. Galat. Dignum erat* (inquiens) *ut cuperet* (Paulus) *videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam animarum.* Et hinc *ibid. ad cap. 2.* dicit: *Christum nominare, & sibi comparare Petrum solum, quia primatum ipse acceperit ad fundandam Ecclesiam.* Et infrà: *Soli Petro*, ait, *gratia Primatûs inter Apostolos est commissa.* Qui proinde honoris, & ordinis, utpote Iurisdictionem & Curam Ecclesiæ importans Primatus, in ipso etiam Petri successore Romano Pontifice est agnitus ab Ambrosio *in cap. 3. ad Timoth. 1.* sic scribente: *Cùm totus mundus Dei, tamen ejus domus Ecclesia dicitur, cujus rector est Damasus.* Et *Orat. in Satyrum*: *Percontatus Episcopus est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romanâ Ecclesiâ convenerit.*

13. Denique Ephesina *prima* Synodus ita argumentabatur. *Nulli dubium est, imò omnibus sæculis notum est, quòd sanctus, beatissimúsque Petrus Apostolorum caput, fidèique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino nostro Iesu Christo claves regni accepit, qui ad hoc usque tempus, & semper in successoribus vivit, & judicium exercet.* Ea igitur sanctam antiquitatem in Petro, ejusque successore Papâ claves regni, & authoritatem Capitis ac fundamenti Ecclesiæ tàm ter agnovisse, ut beatus Petrus omnibus sæculis in ipso vixerit, imò semper judicium exerciturus sit.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

14. COnatur hic Theologus suum antehàc expositum intentum firmare ex sequentibus Christi verbis, quibus exponit id, quod dixerat, *ædificabo Ecclesiam meam. Tibi*, inquit, *dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Hanc enim potestatem clavium, quam Christus hîc Petro promittit, ijsdem deinde verbis omnibus omninò Apostolis promittit, *Matth. 18.* & deinceps cunctis largitur, *Matth. 28.* & *Ioan. 20.* Illi igitur oppidò falluntur, qui soli Petro datas claves esse, autumant. At non ita Antiqui, qui unanimi consensu tradunt, claves istas in personâ Petri toti Ecclesiæ datas. Tertull. *in Scorpiaco. Memento claves ejus hîc Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Cyprianus *in lib. de unitate Ecclesiæ* ait, Christum unum Petrum allocutum esse, ut commendaret unitatem. *Hoc erant utique, inquit cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur.* Exordium dicit promissum: *Dabo tibi claves*, quod deinde cunctis simul dedit. *Loquitur*, inquit, idem ibid. *Dominus ad Petrum. Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, &c. Super illum unum ædificat Ecclesiam, quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos: Si cujus remiseritis peccata, &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit.* Hæc verba commentario non indigent; uni Petro promissas esse claves, ait, ut unitas commendaretur, cunctis autem revera datas esse. Eodem sensu Hieronymus *cap. 14. lib. 1. adversùs Iovin. At dicis*, inquit, *super petram fundatur Ecclesia, licèt idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super illos fortitudo Ecclesiæ solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Quibus simile est illud Optati *lib 7. Et claves Regni Cælorum communicandas cæteris* (id est, quas Christus commendaturus erat cæteris) *solus accepit. An verò soli Petro dantur claves Regni Cælorum, nec alius quisquam eas accepturus? Quòd si dictum, tibi dabo claves Regni Cælorum, commune est, cur non simul omnia, & quæ dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?* Gaudentius Brixiensis *tract. in die ordinationis suæ. Omnes Apostoli, Christo surgente, in Petro claves accipiunt, quinimò cum Petro cælestis Regni claves ab ipso Domino accipiunt.* Ambros. *in Psal. 38.* Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur: *Tibi dabo claves.* Idem centies inculcat Augustinus. In lib. de Agone Christiano c. 30. *Ecclesiæ claves Regni Cælorum datæ sunt.* Concione 2. in Ps. 30. *Cujus Ecclesiæ personam gerebat Petrus.* Enarrat in Ps. 108. *Agnoscitur Petrus in figurâ gestâsse personam Ecclesiæ ob primatum, quem in Discipulis habuit*, tract. 50. in Ioannem. *Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit*: & tract. 108. *Unus pro omnibus dixit* (*tu es Filius Dei vivi*) *& propter hoc claves cum omnibus tanquam personam gerens Ecclesiæ accepit: ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* Et in serm. de quatuor quæstionibus. *Petrus*, inquit, *multis locis Scripturarum apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ, maximè in loco, ubi dictum est: Tibi dabo claves &c. Nunquid istas claves Petrus accepit, Ioannes & Iacobus non accepit, & cæteri Apostoli?* Tractatu 124. *cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui Primatum gerebat figuratâ generalitate personam. Idem passim habet in suis sermonibus.* Sed ista retulisse satis est. Sanctus Leo serm. 3. de Anniversl. *Transivit in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes hujus Decreti constitutio commeavit.* Addit serm. 2. de natali Apost. *Non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur, Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponitur.* Fulgent. Augustini discipulus *in lib. de fide ad Petrum cap. 3. Deus*, inquit, *in personâ beati Petri Ecclesiæ ligandi ac solvendi tribuit potestatem.* Theophylactus in hunc locum. *Licèt ad Petrum tantùm dictum sit illud, Tibi dabo claves. &c. Tamen omnibus Apostolis olim datum est*, quando dixit, *quorum remiseritis &c.* Eucherius *in Homil. de natali Petri. Hoc enim, quod Petro principaliter dicitur, cæteris quoque Apostolis dictum esse, intelligi debet.* Beda ad hæc *quodcumque ligaveris.* Hæc potestas sinè dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post Resurrectionem generaliter dicitur, *Accipite Spiritum sanctum*: Ita etiam Rabanus: Lyranus *in hunc locum*: Hincm. *in Epist. 33. ad Hincmarum Laudunensem cap 20.*

& *alibi*;

& *alibi*: Odo Cluniacensis *lib. 4. collat. cap. 19.* Petrus Blesensis *serm. 44.* & alij innumeri, quos referre, longiùs foret.

Refutatio illius Ellieſianæ argumentationis.

15. QUæ in præadducto Ellieſij argumento allata sunt Patrum testimonia, in hanc ab eodem Theologo rediguntur summam; nempe non tam Petro, quàm in hujus persona Ecclesiæ à Christo promissas esse claves, quæ postmodùm datæ sint universis Apostolis, nec adeò per claves illas intelligi summam potestatem in omnem Ecclesiam. Petro autem singulariter dictum esse, *Tu es Petrus* &c. Tum ut unitas commendaretur, tum quia Primatum inter Apostolos obtinebat, quatenus erat Primus Apostolorum; unde ex eo loco colligi duntaxat, Petrum inter Apostolos Primum fuisse, at eum tunc aliquid accepisse, quod cæteris Apostolis datum non sit, minimè inde inferre posse.

16. Verùm insignibus ille Parisiensis hîc illudit æquivocationibus & fallacijs, confundendo, quæ *Matthæi 16.* Petro singulariter, & *Matthæi 18.* Apostolis *collectim* sumptis, eorumque in Episcopali ordine successoribus, qua in Concilio Oecumenico per Christi vicarium nomen Petro, ejusque Successori proprium coadunato, Universam Ecclesiam repræsentantibus, & *Ioannis 20.* cunctis etiam *distributivè* sumptis Apostolis *per verba Christi*: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, per modum legationis *personalis* concessa est Apostolicæ authoritatis plenitudo. In vi ergo istius postremæ *Ioannis 20.* per Christum concessæ potestatis, erat omnimoda inter Apostolos cum ipso etiam Petro æqualitas: sicuti etiam in vi secundæ *Matthæi 18.* per Christum sanctæ authoritatis æquè *indefinita* ad ligandum & solvendum authoritas destinabatur Collegio Apostolico, Ecclesiam universam repræsentanti, ac fuerat ea Clavium authoritas, quam Petro singulariter ac determinatè, non verò alijs Apostolis *Matth. 16.* promiserat Christus Dominus. Et quia Petrus sub hujus Divinæ pollicitationis actu, propter Apostolatûs sui Primatum, figuratâ generalitate gerebat personam Ecclesiæ, quam ceu Caput esset repræsentaturus, ideo in ipso ceu Principe & Capite suo utique universa Ecclesia erat acceptura eas claves, ut tamen *subjectivè* existerent in solo Petro ceu Capite, licet per quandam cum Capite participationem in membra, imò totum Ecclesiæ Hierarchicum corpus deriventur. Et hinc meritò dicuntur claves illæ esse in Petro promissæ & datæ toti Ecclesiæ, sicque ea, quæ ad Petrum dicta fuerant, eatenus erant communia, quatenus tamen uno duntaxat, scilicet Petro, constituto Capite, schismatis occasio tolleretur; veluti hæc universa *in antecedentibus articulis* à nobis fusiùs deducta & firmata cernere licet.

17. Hoc autem loco sequentem ob oculos Lectoris pono ratiocinationem. Nam ad Petrum *demonstrativè* ac *determinatè* diriguntur ista Christi Domini verba: *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque solveris super terram, erit solutum in cælis, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* At hisce verbis *indefinitè* ac *universaliter* promissa est potestas clavium in ordine ad solvendum ac ligandum. Illa ipsa autem verba, secundùm clarum sacri textûs tenorem, sunt à Christo Domino prolata cum connexione ad præcedentia: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Unde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesiâ per Christum fundatâ. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, adversùs Ecclesiam à se fundandam portas inferi non esse prævalituras, sequitur, Ecclesiæ hujusmodi statum fore perpetuum, adeóque duraturum usque ad extremi judicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam *indefinitam* & universalem ligandi ac solvendi potestatem non exspirâsse in Petro per Martyrium in cœlos sublato, sed perpetuò duraturam esse usque ad diem judicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuo connexa, atque adeò perpetua, secundùm ipsam rei natu am ita transit in successores, ut illi cum suo Antecessore reputentur una persona, non quidem *materialiter*, sed *formaliter* quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundùm Christi Domini promissionem, in Ecclesiâ talem esse successionem, vi cujus perpetuò persistat illa Divinitùs promissa *indefinita* & universalis ligandi ac solvendi potestas, omnimodam adeò, respectu Ecclesiæ omnes Christi fideles complectentis, judiciariam & legislativam authoritatem importans.

Neque illi speciali erga Petrum promissioni Divinæ obstat, quòd Christus *Matthæi 18.* universis postea Apostolis promiserit, *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hisce namque verbis æquè cæteris Apostolis videtur promissa fuisse *indefinita* ligandi & solvendi potestas. Atqui hanc ipsam promissam potestatem Deus actu contulit Apostolis *Ioan. 20.* dicens: *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto vos.* Hanc ipsam verò potestatem fuisse respectu totius orbis, patet ex illo *Matthæi ult. Euntes ergo, docete omnes gentes &c.* Quomodò ergo, inquiunt Adversarij, plus authoritatis convenire potuit Petro, quàm cæteris Apostolis? Et quia ista authoritas non transijt in successores Apostolorum, cur soli Petri successori competeret illa universalis authoritatis prærogativa?

Verùm advertere, oportet, illam *indefinitam* solvendi ac ligandi universalem à Christo promissam potestatem, quatenus singulos *distributim* sumptos Apostolos attingere potest, fuisse Apostolis universis collatam per modum legationis, seu missionis, juxta præadducta verba *Mitto vos.* Unde & Paulus ad

Corinth.

Corinth. 5. v. 20. ait: *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Et specialiter de se ipso Paulus *ad Ephes. 6. v. 20.* ait: *Pro quo* (scilicet Evangelij mysterio) *legatione fungor.* Atqui ex ipsâ naturâ legationis constat, ipsam non esse perpetuam, seu ad successores transferibilem, sed industriam personæ, cum quâ cohæreat, atque adeò exspiret, esse in eâ electam. Econtrà verò Christus Dominus *Matth. 16.* ita promisit Petro claves regni cælorum, cum *indefinitâ* & *universali* potestate ligandi ac solvendi, ut apertis verbis suis statuerit hujus cum Ecclesiâ suâ super petram inviolabiliter ac perpetuò fundandâ connexionem. At verò authoritas cum perpetuo Ecclesiæ statu connexa non potest non perpetua, atque adeò in successores transferibilis esse.

ARGUMENTUM IV. Ellieſij.

20. ILlis ad Petrum Christi verbis *Ioannis cap. 20.* prolatis *Pasce oves meas,* excipit 4. is Parisiensis Doctor, Petrum non esse ita institutum totius Ecclesiæ Pastorem & Doctorem, quasi non idem privilegium omnes habuerint Apostoli, & nunc etiam habeant cuncti Episcopi, qui dici solent Ecclesiæ ac proinde ovium Christi Pastores. Ambiguitatem namque latêre in verbo *Totius.* Etenim si *collectivè* illud sumatur & *definitè*, ut omnes omninò comprehendat, quasi Petrus Pastor fuerit universæ omninò Ecclesiæ, sequetur, non alios fuisse propriè Pastores, quàm Petrum, quod falsum: si verò sumatur *indefinitè*, ut sumi solent propositiones hujusmodi particulares, ut sensus sit, si me amas, pasce aliquas oves meas, idem fuit munus cæterorum omnium Apostolorum, & id ipse Petrus diserte tradit *Epist. 1. cap. 5.* ubi seniores alloquens ipse consenior: *Pascite,* inquit, *qui in vobis est, gregem Dei.* Eodem sensu Apostoli omnes, imò Episcopi & Presbyteri semper dicti sunt Pastores ovium Christi, quod notius est, quàm ut probari debeat. Sed illorum sunt commemoranda testimonia, qui dicunt, non soli Petro, sed & cæteris commissas esse oves, per hæc verba, *pasce oves meas.* Ambros. lib. 2. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *Repetitum est ter à Domino:* Pasce oves meas: *quas oves, & quem gregem? Tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum eo illas nos suscepimus omnes:* Chrysostomus homil. 79. in Matth. *Amas me, Petre, pasce oves meas, quod non ad Sacerdotes solummodò dictum est, verùm etiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur.* Augustinus hìc pro more suo ait, Petrum gessisse personam Ecclesiæ, & in illius personâ cunctis id esse dictum *lib. de Agone Christ. cap. 30.* cùm ei dicitur: *Amas me, pasce oves.* Tract. 47. in Joannē. *Non in ipso Petro, sed in corpore suo,* ait, *Petre amas me, pasce, oves meas.* Basil. *in constitutione Monasticâ cap. 22. Hoc,* inquit, *à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit: Petre enim,* inquit, *amas me plus his? pasce oves meas, & omnibus præterea deinceps Pastoribus ac Magistris eandem tribuit potestatem.* Uno verbo quotidie in Missa de omnibus Apostolis dicitur; *quos gregi tuo contuliſti præesse vicarios & Pastores.*

Refutatio istius exceptionis.

QUam enim Christus *Matth. 16.* Petro cum ordine successionis perpetuæ promisit *indefinitam* ligandi & solvendi authoritatem, eandem post Resurrectionem ipsi *actualiter* commisit *Ioan. 21.* dicens: *Pasce agnos meos; pasce oves meas.* At hisce verbis significatur Pastoralis officij potestas, *indefinitè* complectens omnes Christi fideles, atque adeò ipsos etiam Apostolos ceu Christi agnos. In quo iterum elucet discrimen potestatis, Petro ac cæteris Apostolis commissæ, cùm istis nullibi dictum sit, ut essent Christi ovium & agnorum *indefinitè* Pastores, sed ut per modum missionis seu legationis, euntes docerent omnes gentes. Unde concluditur, soli Petro esse commissum pastorale in omnes Christi fideles officium, quâ connexum cum perpetuo Ecclesiæ statu. Cùm igitur officium pastorale cum tali perpetuo Ecclesiæ statu connexum, Petro commissum, oporteat, esse perpetuum, econtrà verò potestas ligandi ac solvendi cæteris Apostolis per modum legationis concessa, de suâ naturâ sit restricta ad personam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apostolorum jurisdictionis authoritas transierit in successores. 21.

Cùm porrò Clavium potestas *indefinita* ligandi & solvendi *Matthæi 16.* promissa, & *Ioan. 20. actualiter* commissa respiciebat Regnum Cælorum, quo significatur Ecclesia, hoc verò Ecclesiæ nomen sit *collectivum,* omnes Christi fideles *collectim* etiam sumptos complectens: ideo dicendum est, illud Pastorale Petro, ejusque successori commissum officium Oecumenicum, habere ordinem ad totam quóque seu universam Ecclesiam. Quantumvis ergo cuncti Episcopi sint Christi ovium Pastores, eorū tame Pastorale officium haudquaquam est Oecumenicū & Universale erga cunctos Christi Agnos, & Oves, sed in quantum adepti sunt à Papâ partem duntaxat Pastoralis solicitudinis erga districtum quempiā particularem, curæ suæ commissum. Etsi verò tam Christi Vicarios *immediatos,* quàm Pastores universales egerint, attamen hæc cura in ipsis erat juxta *Ioan. 20. caput* per modum Missionis duntaxat seu Legationis *personalis,* in successores haud transferibilis, extinctæ proinde cum ipsorum temporali vitâ. Illa ergo *Ioannis ultimo* ad Petrum *determinatè* & *singulariter* prolata Christi Domini verba, Oecumenicum Pastorale officium in eo solo *subjectivè* consistens sub absolutâ & illimitatâ Pastoralis officij præeminentiâ enuntiant, tametsi *participativè* transeat in cunctos Christi ovium curæ qualicunque præpositos. Quod unice sonant ac significant præadductæ sanctorum Patrum sententiæ.

ARGUMENTUM V. Ellieſij.

23. ISTud inter Petrum, & cæteros Eccleſiarum Paſtores diſcrimen in eo ſitum, quòd hi tantùm partem ovium, ille verò cunctas Chriſti oves paſcendi munere potitus ſit, nititur 5. Author præfatus elidere aſſeverando, id ex verbis Chriſti non effici. Etenim propoſitio iſta: *Paſce oves meas*, eſt *indefinita*, ac in materiâ hiſtoriæ, cujuſmodi enuntiatio, uti à Dialecticis obſervatur, plerumque particularis eſt, quemadmodùm illa: *Milites plectentes coronam de ſpinis.* Nec referre, ait idem Pariſienſis Doctor, quòd nonnulli, ſpeciatim S. Leo *ſerm. 3. de Aſſumpt.* Gregorius *lib. 4. epiſt. 32.* Theophylactus *in cap. ult. Ioannis*, & Chryſoſtomus *homil. 87. in Ioannem.* & *80. ad populum Antiochenum*, nec non *in ſextâ adversùs Iudæos* dicunt, Petro totius mundi oves eſſe commiſſas. Cùm enim Petrus, & reliqui Apoſtoli per totum orbem prædicandi poteſtatem accepiſſent, ita ut omnibus & ſingulis *indefinitè* per univerſum orbem oves ſint commiſſæ, dici poſſunt totius orbis paſtores. Sic Chryſoſtomus Timotheum totius orbis Epiſcopum dicere non veretur, & Paulum ſæpiùs, præſertim *homil. 2. de Pauli laudibus.* Itaque Petro totius orbis oves commiſſæ dici poſſunt, quia non unius certi cujuſdam regni, aut loci oves regendas accepit, ſed *indefinitè* totius mundi oves, ad quas ille accederet.

Refutatio iſtarum exceptionum.

24. CONvenio te, mi Ellieſi, ut ediſſeras, quo alio in loco Chriſti Domini promiſſio *Matth. 16.* de clavibus Regni Cælorum cum *indefinita quodcunque* ligandi & ſolvendi in terris poteſtate Petro *determinatè* & *ſingulariter* demandandis facta, dici poſſit adimpleta fuiſſe, quàm ubi idem Dominus noſter eidem Petro iterum ſingulariter ſpectato *Ioannis 21.* commiſit ſuas oves *indefinitè* paſcendas. At illa Chriſti promiſſio fuit cum reſpectu ad Eccleſiam perpetuò duraturam, univerſaliter adeò complectentem cunctas Chriſti oves ad finem uſque mundi ſubſtituras. Ergo hujus promiſſionis executio, quatenus ſub illâ paſcendarum ovium commiſſione *indefinitâ*, fuit in effectum deducta, æquè complecti debet univerſas ad finem uſque ſubſtituras Chriſti oves.

25. Et hinc dicendum eſt, illa Chriſti verba ad Petrum prolata, *paſce oves meas*, minimè eſſe in materia contingenti, de cujuſmodi propoſitionis genere Dialectici ajunt, *indefinitam* enuntiationem inſtar particularis habendam eſſe, ſed eſſe in materiâ Divinæ promiſſionis irrefragabili veritati innitente, adeoque in Dogmaticâ fidei materiâ infallibilitatem Metaphyſicâ certitudine majorem importante, ſicque adeò æquivalere enuntiationi, quæ tam ex parte ſignificati temporis, quàm ex parte ſui ſit omnimodè univerſalis. Quod præallegati ſancti Patres totius mundi oves Chriſti Petro commiſſas diſertè pronuntiantes, clariſſimis verbis nos edocent, ut mirum prorſus ſit, Ellieſium horum verba tam dilucida auſum fuiſſe in tantum contorquere, ac ſi non aliter totius mundi oves eſſent Petro commiſſæ, niſi quatenus ad illas regendas foret acceſſurus.

ARGUMENTUM VI. Ellieſij.

AUthor iſte *pro ſexto* Primatum Petri ex hoc duntaxat principio aſſerendum contendit, quòd Petrus primus inter Apoſtolos numeretur. In omni namque hominum collegio debet aliquis ordo ſervari, & neceſſe eſt, aliquem primum inter plures eſſe: haud igitur dubium eſſe, quin in Collegio Apoſtolico primus aliquis fuerit: ſed hunc Petrum fuiſſe, diſertè teſtantur Evangeliſtæ, qui, cùm Apoſtolos enumerant, Petrum non modò ſemper primo collocant ordine, ſed primum fuiſſe affirmant, Matth. cap. 10. *Duodecim Apoſtolorum nomina hæc ſunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Apud Marcum *Evangelij cap. 3.* Simon Petrus primus commemoratur, in multis exemplaribus græcis Prótos etiam dicitur, non ſecùs ac apud Matthæum. Denique Lucas *cap. 6. v. 14.* electos à Chriſto Apoſtolos numerans, orditur à Petro. Atqui hinc ſatis luculenter conſtat, Petrum inter Apoſtolos primum fuiſſe.

Refutatio iſtius exceptionis.

NImis jejunum & ſiccum, Ellieſi, redéis Apoſtolicum Petri Primatum omnibus fermè præeminentijs realibus deſtitutum, in ſolo numeri, ſeu ordinis prioritate eum conſtituendo. Quod minimè profectò cohæret cum præadductis Divinis Oraculis, Sanctorumque Patrum concordibus ſententijs, quas ediderunt ex Chriſti Domini ad Petrum prolatis verbis iſtis, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Inter quos Tertullianus *de præſcript. cap. 22.* ſic ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictam, claves regni cælorum conſecutum.* Origenes *in Matth. de canone novi Teſtamenti*: *Petrus*, inquit, *ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam. &c.* Cyprianus *de Vnit. Eccleſiæ* ſic ait: *Probatio eſt ad fidem facilis, compendio Veritatis loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tues Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cælorum.* Et *infra*: *Eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas.*, Baſilius Magnus *ad cap. 2. Iſaiæ. Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit propter maximam fidei firmitatem.* Et *infra*: *Super quam petram promiſit ædificare Eccleſiam.* Ambroſius *Serm. 47. Petrus pro ſoliditate durationis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c.* Epiphanius *in Ancorato*: *Ipſe Dominus conſtituit Petrum principem Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c.* Hieronymus *Epiſt. 54. ad Marcellam*: *Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam. Et*

in Cap.

in cap. 16. Matth. Prudens lector inquirat, quomodò post tantam Beatitudinem, Beatus es, Simon Barjona, nunc audiat: Vade retrò Sathana &c. Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget: Ædificabo, inquit Christus, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12. Christus, cùm se esse, qui cuncta, antequàm fiant, novit, nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè significans, quòd in eo tanquam petrâ, lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Augustinus *Serm. 5. in Festo Petri & Pauli: solus inter Apostolos meruit audire, Tu es Petrus, & super hanc petram &c.*

28. Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique soli dictum est: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* At Petrus dictus est petra propter soliditatem durationis: ex sancto Ambrosio *citato.* Ergo super Petrum tanquàm petram cum soliditate durationis ædificata est Ecclesia, quatenus Christus ipsi dixit: *Pasce oves meas.* Ex Cypriano *suprà.* Ergo istud pastorale munus est Petro datum cum soliditate durationis. At ista durationis soliditas non subsisteret, si munus illud pastorale exspirâsset cum Petro è vivis sublato. At hos successores esse Pontifices Romanos, testantur unanimiter Patres. Ergo super hisce ita est ædificata Ecclesia, ut ipsis competat munus pastorale indefinitè in oves Christi, cum clavibus adeò regni cœlorum, & cum illimitatâ ligandi & solvendi potestate, Petro, quâ universali Pastori ac petræ promissâ, & commissâ.

§. II.

Petri Primatus ex veterum testimonijs asseritur, cæterorumque Apostolorum dignitati præfertur.

29. MEritò improbatur ea statim sententia, quam Ellesius in fronte hujus paragraphi protulit dicendo: historicam solummodò esse quæstionem, *Vtrùm Petrus primum inter Apostolos locum habuerit?* Hujus namque interrogationis verba admittunt æquivocationem, sub cujus alterutro sensu intelligi posset Petri Primatus non niti absolutâ fidei Divinæ certitudine, sed historiæ cujuspiam tum æqualium, tum supparum (uti Theologus ille loquitur) Scriptorum testimonio.

ARGUMENTUM I. Ellesij

30. HIc Author prætendit *primò*. De Petri Primatu nihil extare apud Justinum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, & alios antiquissimos.

Refutatio ac retorsio istius Ellesianæ argumentationis.

31. NUm ex eo, si verum etiam esset, quòd Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, & alij antiquissimi nihil scripserint de Petri Primatu, huic aliquod præjudicium fieri potuisset? Quis illorum aliorum Patrum antiquorum de universis fidei Dogmatibus scripsit? An ergo de ijs fidei articulis, quos suis scriptis non inseruerunt, dubitare fas est, ac si minùs veri extarent? Sic profectò impiissimum est illud in fidei rebus argumentandi genus per quod ex *negativâ*, sive Patrum plurium silentio, Petri Primatui quoddam quasi præjudicium infertur. Verùm falsitate etiam nititur, quòd apud Sanctum Irenæum nihil extet de Petri Primatu. Hic namque sanctæ Ecclesiæ Doctor *lib. 3. cap. 3.* ubi asseruisset, traditionem & fidem ab Apostolis annuntiatam indicari ex Episcoporum Romanæ Ecclesiæ ad sua usque tempora perveniente successione, tandem concludit in hæc verba: *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles.* Vides igitur Ellesi, ab Irenæo taliter adstrui Romanæ Ecclesiæ potentiorem principalitatem, ut propter hanc necessum sit, ad ipsam convenire undique omnes fideles. At principalitas inducens necessitatem seu obligationem, vi cujus, oporteat, omnes fideles cum ipsa convenire, non importat primatum Ordinis duntaxat & principalis confessionis, sed Jurisdictionis & imperij, vi cujus scilicet sit illa necessitas. Ergo S. Irenæus in Ecclesia Romanâ, sive ejus Pontifice agnovit primatum Imperij & jurisdictionis.

Concinunt quamplures ab ipsomet Ellesio hîc adducti Patres, inter quos Origenes, 32.
summam rerum de pascendis ovibus Petro Apostolorum Vertici traditam, & super ipsum velut super Petram dixit fundatam Ecclesiam. Quæ profectò sententia minimè labefactatur, tametsi ejus autographum non habuerit. De sancto Cypriano tum *superiùs* allato, tum *inferiùs* adducendo res nimis clara est, quàm ut obscurari valeat per Ellesij interpretationem, contendentis, ab eo sancto Doctore non intendi, unam esse Ecclesiam ex eo, quòd super unum Petrum sit ædificata, sed ideò in uno Petro dici ædificatam Ecclesiam, ut unitas Ecclesiæ monstraretur ex hoc, quòd super unum Petrum, ceu totius Ecclesiæ Caput, Fontem & Radicem (uti Cyprianus loquitur) sit ædificata Ecclesia. Nunquid autem hinc apertè evincitur, Petri Primatum non in solius numeri, seu Ordinis prioritate, sed in prærogativa Capitis, & Petræ, super quam fundata sit Ecclesia, consistere? Quod ipsum repetit *epist. 70.* dum Petri humilitatem *ibi* commendat ex hoc, quòd, licèt super ipsum esset ædificata Ecclesia, noluerit tamen Paulo de circumcisione secum disputanti Primatûs sui prærogativam objicere: hisce namque verbis clarè asseritur Petri Primatus, ea singulari Ecclesiæ super ipsum ædificatæ præeminentiâ dotatus. Concinit Optatus prælegatus dicendo; *Petrum Apostolorum Caput sedisse primum in Cathedrâ Episcopali Romanâ, in quâ unitatem ab omnibus observaretur, &c. ut jam schismaticus*

esset, qui contra singularem Cathedram, aliam convocaret.

33. Hunc equidem Optati discursum eludere nititur Elliesius, ac si perperam inde concluderetur, Cathedram Romanam esse unicam in totâ Ecclesiâ. At debuisset iste Theologus animadvertere, quòd non quæcunque alia particularis Cathedra, sed quæ contra Petri Cathedram Romanam ceu unitatis Fidei ac Ecclesiæ originem se efferret, ab Optato reprobetur. An non igitur hinc Petri, ejusque Apostolicæ Cathedræ Primatus haud vacuus, sed Capitis & Cephæ sive Petriæ præfulgens supereminentiâ, extat comprobatus? Et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *loco præcitato* Petrum Apostolorum Principem, non utique ex solius numeri, vel ordinis, sed ex Capitis principalitate appellari voluit. Quando proinde alij Patres, quos subsequenter allegat etiam Elliesius, Petrum inter Apostolos primum dicunt, non tamen semper explicant, quibus præeminentijs ultra numeri & ordinis prioritatem, sit dotatus, inepte prorsus, Dialecticis quoque regulis dissonans fit inde consequentia, ac si ex hoc quasi abstractivo loquendi modo negatæ fuissent illæ Primatûs prærogativæ, quæ tum per Divina Oracula, tum per varia aliorum sanctorum Patrum testimonia sunt Petro attributæ, ex Regni Cœlorum Clavibus, nec non ex Petræ erga Ecclesiam supra se fundatam soliditate, Capitisque principalitate.

ARGUMENTUM II. Elliesij.

34. SUnt equidem plures, qui, teste Elliesio, arbitrantur, Petri primatui obstare Apostolorum inter se, & cum ipso æqualitatem, sequentibus Patrum testimonijs firmari consuetam. Nempe Cyprianus *in lib. de unitate Ecclesiæ* ita scribit: *Et quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat post resurrectionem, hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis:* Eadem est sententia Hieronymi *lib. 1. adversùs Iovinianum*: *At dicis*, inquit, *super Petrum fundatur Ecclesia, licèt hoc ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Hinc Apostoli omnes à Patribus dicuntur vicarij Christi: *Constat*, inquit Hilarius Diaconus *in epist. 1. ad Cor. Apostolos esse Dei adjutores, quia vicarij sunt Christi.* Et Chrysostomus explicans illud Pauli pro Christo: *Legatione fungimur*, ait, *omnes Apostolos illius loco officium ejus suscepisse:* mitto illud omnibus notum Præfationis Missæ Apostolorum: *quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præesse Pastores.*

Refutatio istius argumentationis.

35. AUdiamus ex *præcitatis* sanctis Patribus, quomodò Apostoli fuerint Petro quoad Apostolicam potestatem pares ac æquales. Sanctus namque Hieronymus *loco* per Elliesium *citato* ita ratiocinatus est. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Ergo igitur, unum ex Apostolis esse constitutum Ecclesiæ Caput, nempe Petrum, veluti disertis verbis asserit idem Hieronymus *in Ps. 13.* Hinc Epist. *54. ad Marcellam* ait: *Petrum esse, super quem Dominus fundavit Ecclesiam.* Et *in Matth. cap. 16. Secundum metaphoram petræ*, inquit, *rectè dicitur ei* (nempe Petro) *ædificabo Ecclesiam super te.* Et *dabo tibi claves regni cælorum.* Unde in Epistolâ *ad Damasum de hypost.* vocans hunc Romanum Pontificem Piscatoris ac Discipuli Crucis successorem, eum sic affatus est: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super hanc petram ædificatam Ecclesiam scio &c. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Ergo igitur, quòd spargat, qui non colligit cum Petri successore Pontifice Romano, nec adeo sit Christi, sed Antichristi, quod reverâ de universis Episcopis (quos contendunt adversarij, reliquorum Apostolorum esse successores) dici nullatenus potest, Sanctus porrò Cyprianus in hæc disserit verba: *Eidem*, scilicet Petro, *post resurrectionem suam dixit, Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit.* Ergo igitur, in Petro, ac cæteris Apostolis ita erat paritas potestatis, ut super unum tamen Petrum Christus ædificaret Ecclesiam suam, eique oves suas pascendas mandaret. Ex hoc autem factum est, ut una Cathedra constitueretur, & unitatis ejusdem origo ab uno (Petro) inciperet. At istâ Cathedræ unius, Pastorale in oves Christi officium importantis, constitutio cum Ecclesiæ ædificio supra petram fundato, adeóque perpetuò connexa, non potest non importare ordinarium, in successores proinde transferibile officium, cùm econtrà potestas cæteris Apostolis per modum missionis, adeóque *personalis* legationis concessa, cum ipsis esset expiratura. Planum igitur est ex Cypriano, in Apostolis ita fuisse parem potestatem, ut hæc tamen sub diverso jure tum Officij ordinarij in Petro, tum Legationis *personalis* in cæteris Apostolis constituta, in Petro importaret Cathedram, eamque unam, sicque ab uno Petro inciperet unitatis origo, eò quòd super illum unum ædificata sit Ecclesia.

Ex quibus proinde manifestum redditur, Apostolicam authoritatem ita fuisse Petro concessam,

cessam, ut ad ejus successores transiret, reliquorum autem Apostolorum potestatem fuisse temporaneam per modum scilicet delegationis *personalis*, ipsorum duntaxat personis annexam, uti sanctus Chrysostomus haud obscurè insinuat dicens, omnes Apostolos fuisse functos Christi vicario officio, quatenus verificabantur ista Pauli verba, *pro Christo Legatione fungimur.*

ARGVMENTVM III. Ellesij.

37. EXcipit ille Theologus. Præadductum in Petro & reliquis Apostolis discrimen, ac fuisse Apostolicâ authoritate per modum legationis *personalis*, adeoque temporalis duntaxat, ille verò sub jure successionis perpetuæ à Christo acceperit, hoc inquit, discrimen esse fictitium, nec parùm derogare Petri Primatui. Fictitium nempe esse, quia nullâ ratione, nullo testimonio Scripturæ, aut traditionis docemur, potestatem Apostolatûs Petri ad ejus successores permanâsse, non autem potestatem cæterorum Apostolorum, cùm ex æquo Ecclesiarum Apostolicarum Episcopi, dicantur eorum Apostolorum, à quibus Ecclesiæ sunt fundatæ, successores, imò omne Episcopi Apostolorum omnium successores esse perhibeantur. Deinde eam opinionem Primatui Petri derogare, cùm ex ea sequatur quidem, Petri successores præferri debere cæteris Episcopis, at Petrum propterea inter Apostolos Primatum habuisse, non convincitur.

Refutatio hujus Exceptionis.

38. DIscrimen namque illud ex præadductorum SS. Patrum Cypriani, Hieronymini, & Chrysostomi verbis prævalidè demonstrari, constat *ex antecedentibus*. Cujus ulteriorem ex ipsis etiam sacris Litteris probationem accipe. Apostolis namque universis fuit à Christo concessa authoritas Apostolica sub istis *Ioan. 20.* exaratis verbis: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* Hisce autem verbis secundùm SS. Patres significatur legatio Apostolis commissa, de quâ Paulus ait: *Pro Christo Legatione fungimur.* Quam porrò legationem fuisse respectu totius orbis, patet ex illo *Matthæi 28. Euntes docete omnes gentes.* Omninò igitur dicendum est, cunctos Apostolos æquè ac Petrum cum potestatis plenitudine pro toto terrarum orbe, seu universâ Christi Ecclesiâ ab ipsomet Christo institutos esse.

39. Quam nihilominùs potestatis plenitudinem in Apostolis fuisse duntaxat *Extraordinariam*, per modum cujusdam Legationis *personalis*, constat ex eo, quòd nullus cum Universali in orbem universum Jurisdictione successerit Apostolis, excepto Petro, cui semper successit Pastor universalis, eò vel maximè, quòd, cùm super Petri authoritate Divinitus concessâ seu Petrâ esset fundanda Ecclesia in perpetuum duratura, oporteret, consequenter illiam quóque authoritatem esse perpetuam.

40. Econtra verò licèt alij etiam Apostoli per suæ potestatis plenitudinem erexerint Ecclesias, veluti de sancto Joanne Evangelistâ testatur Divus Hieronymus de *Scriptorib. Ecclesiasticis* totas Asiæ fundâsse, ac rexisse Ecclesias, in eis, teste Tertulliano *lib. 4. contrà Marcionem*, etiam constituendo Episcopos, nullum tamen illorum, vel Apostoli alicujus successorum functos esse universali authoritate Apostolicâ, sed Ecclesiæ Romanæ subjectos, & ab hac post Legationis alijs Apostolis Divinitus commissæ, mediante ipsorum morte exspirationem, institutos, seu confirmatos fuisse, constat partim ex Traditione, partim ex sacris Canonibus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, insinuatque Irenæus *lib. 3. cap 3. Ad Romanam*, inquiens, *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse, omnes convenire Ecclesias, hoc est, omnes undique fideles.*

41. Quinimò ex eo, quòd Petro universarum Christi ovium Pastoralis cura Divinitus sit concessa, evincitur, in ipsos etiam Apostolos fuisse potestatem, suis ipsos legibus obligandi, earumque leges revocandi. Et hinc, licèt Apostoli non *quoad ordinem* duntaxat, sed etiam *quoad universaltitatem jurisdictionis* fuerint Petro pares, hujus tamen jurisdictio illis, utpote sibi subordinatis, supereminebat, sicque adeò Petrus, præ reliquis Apostolis, Primatum non ordinis duntaxat, & numeri, sed authoritatis supereminentis obtinebat.

ARGVMENTVM IV. Ellesij.

42. PErgit hic Author *pag. 317.* probare, illam Apostolorum æqualitatem minimè obstare Petri Primatui, hunc in modum argumentando. Quia semper ille excipiendus est ab eâ æqualitate; nam ut monuimus, plures esse non possunt primi: sed unum esse primum, necesse est: cùm ergo haud dubium sit, Petrum fuisse primum inter Apostolos, fieri non potest, ut illi fuerint ei æquales in Primatu, æquales igitur sunt, si ita vis in omnibus, excepto Primatu, qui pluribus conferri non potest. Porrò testimonia in contrarium adducta hoc unum probant, Apostolos in clavium administratione, fidei prædicatione, Ecclesiarum fundatione, potestate, & authoritate æquales fuisse: at eos in Primatu Petro æquales fuisse, nullus dicit: imò contrarium omnes dicunt ijs ipsis in locis, ubi æqualitatem Apostolorum maximè commendant.

Refutatio hujus argumentationis.

43. HÆc Ellesiana argumentatio reijcitur, eò quòd Petri Primatum, majoribus hactenus deductis præeminentijs, in Petræ fidei firmitatem importante soliditate, Ecclesiæque fundamento ac perpetuis ad successores transferendis Regni Cælorum Clavibus, Pastoralique Ordinario, ipsis etiam Apostolis

supereminente, munere consistentibus spoliare, videatur. Cui proinde opponendos hîc duxi sequentes Ecclesiæ sanctæ Doctores Græcos. Ita enim habet Clemens Romanus *in epist. ad Iacobum*: *Simon Petrus &c. Fundamentum Ecclesiæ esse definitus est: quâ de causâ etiam Dominofore cognominatus est, Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apostolorum primus &c.*

Origenes anno 230. *in Matth. de Canone Novi Testamenti. Petrus*, inquit, *super quem Dominus fundavit Ecclesiam, duas tantùm scripsit Epistolas &c.*

Eusebius Alexandrinus *Homil. de resurr. circa illa verba Marci 16. v. 7.* Dicite discipulis ejus & Petro. sic ait. *Veni*, inquit, *ne timeas, non te amovi à dignitate, non feci te secundum infra alium, non dedi claves alteri, quod promisi, impleo &c.*

Athanasius *in Epist. ad Felicem.* inquit. *Tu es Petrus, sicut veraciter dicit Divinum eloquium, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt conservatæ &c.*

Basilius Magnus *ad caput 2. Isaiæ. Unius*, ait, *ex his montibus fuit Petrus, quem Petram (NB.) appellavit propter maximam Fidei firmitatem.*

Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. 2. Nemo*, inquit, *desperet de suâ salute, Petrus Apostolorum princeps excellentissimus, coram ancillâ ter negavit Dominum; sed ad se rediens, flevit amarè.*

Gregorius Nazianzenus *Art. 26. de Moderat. in Orat. habendâ. Vides*, ait, *quemadmodùm ex discipulis Christi magnis ubique & excelsis, atque electione dignis, hic Petrus scilicet Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli posthabiti se, æquo animo ferunt.*

Epiphanius *in Ancorato. Ipse Dominus*, ait, *constituit Petrum principem Apostolorum (NB.) Petram firmam, super quam Ecclesia ædificata est, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, portæ inferi sunt hæreses, & hæresiarchæ &c.*

Joannes Chrysostomus *Homil. 11. in Matt.* ait. *Deus solus concedere potest, ut futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus irrumpentibus, immobilis maneat, cujus Pastor (NB.) & Caput homo piscator, & ignobilis.*

Cyrillus Alexandrinus *Lib. 12. cap. 64.* sic ait. *Cùm Salvator à discipulis quæreret, vos autem quem me esse dicitis? Petrus ut Princeps (NB.) caputque cæterorum, primus exclamavit.* Similiter *Lib. 14. Thes. cap 2.* dicitur *Petrus Apostolorum apex.* Ecce tot Patres primitivæ Ecclesiæ talia nomina non superbiæ, sed legitimæ potestatis Petro à Christo imposita agnovisse, & prædicâsse!

ARGVMENTVM V.

Ab Ellieſio propoſitum, ſed ut *infra* videbitur, refutatum.

44. HOc petitur ex Petri, Pauliſque æqualitate, quem non rarò commendant SS. Patres. Sic Ambrosius *de Spiritu sancto cap. 12. Nec Paulus*, inquit, *inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus sciens vestigia credentium fundare populorum, nec Paulus, inquam, indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli secundus; nam qui se imparem nescit, facit æqualem.* Et Augustinus serm. 26. de Sanctis. *Et si Petrum priorem, tamen ambos ditavit honore uno.* Nec non Maximus Taurinensis homil. 5. in Natali Apostolorum. *Ergo beati Petrus & Paulus eminent in universos Apostolos, & peculiari quâdam prærogativâ præcellunt. Verùm inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est, puto enim, illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad Martyrij gloriam pervenisse.* Gregor. 1. Dialog. cap. ult. *Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu frater est.* Hinc Petrus & Paulus æquè dicuntur Apostolorum Principes, Apostolorum primi, summi Apostoli, ad culmen & apicem Apostolorum subvecti. Paulus non secùs ac Petrus totius orbis curam habere dicitur, & omnium orbis Ecclesiarum Pastor; quin etiam Paulus sæpè solus dicitur Princeps Apostolorum, Caput Apostolorum, qui Primatum Apostolatûs inter gentes habuerit, quemadmodùm Petrus inter Judæos. Hinc in imaginibus Petrus & Paulus velut æquales depingi solent, imò nonnunquam Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram ponitur. His & alijs argumentis ex Patribus collectis vincere conantur illi, Petrum & Paulum esse individui Primatûs participes.

Refutatio istius argumenti.

IPsemet Ellieſius *pag. 320.* ait: ex principijs præſuppoſitis nullo negotio ad hæc omnia reſponderi, quòd Petrus & Paulus in Apoſtolatu, in poteſtate & authoritate æquales fuerint, non item in Primatu. Imò etiam præter hanc æqualitatem, quam etiam cæteri Apoſtoli habuerunt, ſpecialiter Paulus æqualis Petro dici poteſt: *primò*, quòd ſicut iſte Judæorum, ita ille Gentilium fuit Apoſtolus. *Secundò*, quòd ille non ſecùs ac iſte plurimùm laboraverit ad annuntiandum Evangelium, ac innumeras gentes adierit, & ad fidem converterit. *Tertiò*, quòd uterque Romanam Eccleſiam fundârit, & ibi martyrio vitam finierit: at his non obſtantibus, Petrus in Primatu Paulo fuit ſuperior: atque idipſum conſtat ex teſtimonijs allatis. Ambroſius ait, Paulum cum primo conferendum, & nulli propriè ſecundum, ſupponens ſcilicet Petrum inter Apoſtolos primum fuiſſe, cum quo tamen Paulus conferri poſſet. 45

Sanctus Leo honorem unum eſſe, ait, Petri ac Pauli, ob fundationem ſcilicet Eccleſiæ Romanæ, & martyrium ibidem perpeſſum. Hinc gloriæ ejuſdem conſortes ſæpe dicuntur, ac Petrus Pauli in dignitate frater à Gregorio dicitur: eâdem de causâ Maximus Taurinenſis ait, Paulum eſſe æqualem Petro in meritis & in Martyrio. 46

Quod deinceps additur, Petrum & Paulum dici Principes, apices, & capita Apoſtolorum 47

Iorum, ostendit, hos equidem præcæteris insignes fuisse, at eos inter se in primatu æquales fuisse, non probat. Namque non rarò non solùm Petrus & Paulus, sed & alij Apostoli his nominibus decorantur. Sic ipse Paulus comparat se cum magnis Apostolis: hoc nomine Petrum, Iacobum & Ioannem indicans, quos Ecclesiæ columnas appellat. Sic Chrysostomus tres istos cæteris omnibus Apostolis præstitisse, ait *in serm. de præmijs Sanct. & in cap. 15. 1. ad Corinth.* & *in Ep. ad Galatas*, initio, *Petrus*, inquit, *Iacobus & Ioannes non prohibebant circumcidi, cùm essent inter Apostolos primæ dignitatis.* Iidem Apostoli tres à Victore Antiocheno *in Marc. cap. 9.* dicuntur Apostolorum Coriphæi, qui primas inter Apostolos obtinebant. S. Aug. *in Ep. ad Galatas. Petrus*, inquit, *Iacobus & Ioannes honoratiores erant cæteris Apostolis.* His adde Clementis locum ex Eusebio *superiùs* citatum, ex quibus pariter inferri posset, si quid valeat Adversariorum consecutio, Petrum, Iacobum, & Ioannem Primatûs individui fuisse participes, non secùs ac Petrum & Paulum; sed istud imprudenter omninò fieret. Sciunt enim omnes, hisce phrasibus non significari omnimodam eorum, qui cæteris præferuntur, æqualitatem, sed tantùm eorum super alios præstantiam: sic cùm Virgilium, Horatium & Ovidium voco Poetarum Principes, non intendo, istos secum invicem comparare, & omni modo æquales statuere, ita ut nullus inter eos sit superior; sed hoc unum volo, eos inter Poetas eminere, & cæteris præstantiores esse. Quin etiam fieri potest, imò sæpissimè sit, ut istæ appellationes *latè* sumantur, & nonnunquam primus aliquis vocetur ac Princeps, qui non absolutè primus est, sed insignis tantùm. Sic Cicero dicitur Oratorum Princeps, licèt Demosthenes cum eo de primo gradu contendere possit. Sic Horatium Poetarum principem dicere nemo veretur, quamvis Virgilium ei præferendum esse, vix quisquam dubitet. Haud ergo mirum, si nonnunquam Paulus solus dicatur primus, ac Princeps Apostolorum, non quòd absolutè primus sit, sed quia inter primos & principes numerari potest. Adde, quòd unus dici potest alio prior ac præstantior secundùm aliqua: & sic Paulus Petro præferri potest, quia, ut ipse ait, cæteris abundantiùs pro Christo laboravit, unde & seipsum comparat magnis Apostolis Petro, Iacobo & Ioanni, nec minus quidquam se fecisse, ait, quamvis alibi minimum se Apostolorum appellet.

8. Unum pro specialibus Petri Primatûs præeminentijs vindicandis hîc superaddo. Nempe in eo, quòd Romana Ecclesia dicatur fundata super Petro simul & Paulo, subesse æquivocationem ex sanctis Patribus, ac ipsismet sacris Litteris elucidandam. Nam unus sensus esse potest, quòd non Petrus duntaxat, sed etiam Paulus Verbi Divini prædicatione ac martyrio suo fundarit & firmarit Romanam Ecclesiam. Alter verò sensus esse potest, quòd Ecclesia Romana exiitat fundata super authoritate Apostolicâ, per mortem Apostolorum minimè extincta, sed cum perpetuo Ecclesiæ statu conjunctâ, adeoque in successores usque ad consummationem sæculi futuros transferibili. At prior sensus omninò tenendus est, adstipulante Dionysio Corinthiorum Episcopo *in Epist. ad Rom.* ubi sic habetur: *Ambo* (Apostoli Petrus & Paulus) *cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundâssent, & ejusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter Martyrium subierunt.* In quem sensum sanctus quóque Irenæus *lib. 3. cap. 1.* ait: *Matthæus in Hebræis ipsorum linguâ scripturam edidit Evangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam.* At hanc à Petro & Paulo annunciatam Romanæ Ecclesiæ fundatricem fidem, idem Irenæus *lib. 3. cap. 3.* ait, ad sua usque tempora perveniſſe per successiones Episcoporum, & hinc *propter potentiorem principalitatem necesse esse, ad Romanam Ecclesiam convenire omnes Ecclesias.* Est autem *superiùs* ex sacris Litteris, sanctisque Patribus, ac Oecumenicis Concilijs demonstratum, istam potentiorem principalitatem ita fuisse collatam Petro, ut non transiret in alios, nisi in Petri Successores: authoritate Apostolicâ in Paulo, cæterisque Apostolis se habente solùm ad instar Legationis *personalis.* Quare eatenus verum est, quòd Ecclesia Romana quoad fidem ac Evangelium æquè à Paulo, atque à Petro sit fundata, ut tamen fidei illius perpetuitas conjuncta sit cum principalitate, seu authoritate Apostolicâ, quæ ex solo Petro, ceu Ordinario per Christum constituto Ecclesiæ Pastore, transeat in successores.

Hinc quando dicitur, Paulo haud secùs ac Petro fuisse commissa totius orbis cura, 49.
minimè per hoc significatur æqualitas in Primatu ordinariæ, in successores transferibilis potestatis plenitudinem importante, sed quoad Apostolicæ authoritatis *personalem* duntaxat delegationem. Cujusmodi delegatio Apostolica Ellieſio *pag. 322.* teste, præcipuè conveniebat Paulo, quia Gentium erat Apostolus & innumerarum Ecclesiarum fundator, qualem proinde specialem curam habere tenebatur. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalizatur, & ego non uror? Quotidiana mihi incumbit sollicitudo omnium Ecclesiarum;* ob charitatem scilicet & affectum, quo fideles omnes, ac præsertim eos, quos ipse ad fidem adduxerat, complectebatur.

Corollarium.

An Petri Primatus importârit Monarchiam?

ELliesius *cit. pag. 322.* respondet 1. Si Mo- 50.
narcha dicatur, qui primum obtinet locũ, qui Primatum inter alios tenet, haud dubium est, Petrum hoc sensu fuisse Monarcham. Si verò Monarchia sumatur pro authoritate absolutâ, nec non pro dominatu, cui nullus se se potest opponere, nego Petrum hoc sensu Ecclesiæ Monarcham fuisse; hanc

etenim

etenim Monarchiam à se & suis reijcit Christus, cùm ait: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Et Petrus ipse scribens: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè, non dominantes in Cleris, sed formæ facti gregis ex animo.*

51. Hîc nonnihil sistendo, facilè concesserim, Petri primatum haud importare absolutam dominij potestatem, attamen *indefinitâ* Clavium authoritate dotatum esse, liquet ex hactenus deductis sacræ Scripturæ, ac Patrum testimonijs.

52. Idem Theologus *loc. cit.* respondet 2. Si de regimine sit sermo, primam Ecclesiam Aristocratiâ usam fuisse. Nihil enim solus Petrus statuit, sed simul cum Apostolis & senioribus: sic cùm eligendi fuerunt Diaconi, communi Apostolorum consilio & authoritate id factum est; cumque de circumcisionis & legalium observatione longè gravior difficultas foret exorta, illa non Petri authoritate, sed Apostolorum, seniorumque Hierosolymis congregatorum judicio definita est. Atque adeò verum est, Petrũ non fuisse absolutum Monarcham aliorum Apostolorum, ut Paulus non sit veritus ei in faciem resistere, cùm Gentes ad Judaicas cæremonias observandas vellet impellere. Constat ergo, Petri Primatum non fuisse Monarchiam absolutam, aut dominatum in cæteros Apostolos; quod idcircò monui, quia solent hæretici hæc secum invicem confundere, & Catholicos accusare, quasi Monarchiam absolutam & dominatum in Ecclesiâ admittant, quod à veritate alienum est.

53. Verùm super hisce brevem faciendo reflexionem, videtur distinguendum tum de Clavibus Regni Cœlorum *Matth. 16.* Petro promissis, & *Ioannis ultimo* commissis, quæ *indefinitam* & absolutam *Iurisdictionis*, minimè verò *Dominatûs* potestatem important. In hoc enim differt jurisdictio à dominatu, quòd iste pro fine habeat proprium commodum, illa verò utilitatem spiritualem pascendarum ovium, quam, remoto omni dominatu, in Ecclesiæ Prælatis exigit Divus Petrus *supra* allegatus.

54. Tum de potestate Collegio Apostolico intrà Concilium Oecumenicum deinceps repræsentando pro perpetuo Ecclesiæ statu *Matth. 18.* promissâ. In cujusmodi Concilij Decretis stabiliendis, oportet, tum Ecclesiæ Caput, Christi vicarium nomen præferens, tum reliquum Ecclesiæ ex Prælatis in Concilio aggregatis consistens Corpus Hierarchicũ consentire, ut omnimodam obtineant firmitatem: Sicque adeò Regimen Ecclesiæ per Concilium Oecumenicum repræsentatæ est Aristocratiâ & monarchiâ mixtum.

55. Tum de Petræ, super quam Ecclesia ædificanda esset, firmitate, infallibilitatem à portis inferi haud superabilem in rebus fidei importante, Petro Divinitus promissâ *citato Matth. 16. capite.*

56. De quâ proinde Petrâ concertatur, utrùm antecedenter ad ædificationem Ecclesiæ in Concilio repræsentatæ, vel ubi hoc ædificium sub Duorum Corporis scilicet Hierarchici & Capitis consensu in fidei Dogmatibus condendis jam est consummatum, omnimodæ infallibilitatis firmitatem obtineat, sicque puro Pontificis Romani Monarchico, vel Aristocratico intrà Concilium mixto regimini innitatur?

§. IV.

De Romanæ Ecclesiæ Primatu.

AD demonstrandum Ecclesiæ Primatum, ait Ellielius *præsenti differt. 4. cap. 2.* non sufficere, ut ostendatur, Petrum inter Apostolos Primum habuisse locum, quippe non omnis à Petro fundata & instituta Ecclesia, primatum tunc habuit; alioquin Antiochena & aliæ quàm plurimæ orbis Ecclesiæ quas constituit, & saltem ad tempus rexit, primatum sibi vindicarent: quapropter ex traditione ostendendum est, quænam ex Ecclesijs à Petro fundatis primatûs honore dignata fuerit.

ARGUMENTUM I. Ellieſij.

HIc Author *loco citato* probat 1. soli Romanæ Ecclesiæ, non alteri semper competijsse, ut præ reliquis à Petro fundatis Ecclesijs Primatûs honore dignata fuerit. Idque evinci ex unanimi traditione; Cujus *primus* testis est Irenæus *lib. 3. cap. 3. Maximâ*, inquiens, *& antiquissimâ à duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui præterquàm quod oportet, colligunt, ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam: hoc est, eos qui sunt undique fideles, in quâ semper ab iis, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

Secundus testis est Cyprianus *Ep. 54. Navigare*, inquit, *audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.*

Tertius, Gregorius Nazianzenus *in carmine de vitâ suâ.* Romam vocans universi mundi Præsidem.

Quartus, Ruffinus *in invect. 2. in Hieronymum.* Romanam Ecclesiam appellans omnium Ecclesiarum Caput.

Quintus Augustinus *Epist. 162.* nunc 43. ubi ait, Principatum Apostolicæ Cathedræ semper in Romanâ Ecclesiâ viguisse, & *Epist. 105.* nunc 194. *De cujus*, inquit, *gratiæ commendatione maximè ad Romanos Apostolica Epistola loquitur, ut inde se prædicatio ejus velut à capite orbis toto orbe diffunderet.* Et contra duas epistolas Pelagij *lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Romanæ Vrbis Episcopum* hæc ait: *Communis est nobis, qui fungimur Episcopatûs Officio, quamvis in eo præemineas celsiore fastigio speculæ positionis.* Et anteà, *quamvis altiùs præsideas.*

Sextus Theodorit. qui *in Epist. ad Leonem*, Romanam Ecclesiam orbi universo præesse scribit.

Hos

Hos sequuntur Fulgentius *lib. de Incarnatione & gratiâ cap. 11.* Vincentius Lyr *commonit. cap. 42.* Victor Uticensis *lib. 2. de persecutione Vandalicâ*, qui Romanam Ecclesiam mundi Caput appellant, & alij benè multi, quos impræsentiarùm commemorare, longum foret.

Responsio.

59. EX integro probarèm hoc Ellieſianum argumentum, nisi *ex antecedentibus* constaret, Romanæ Ecclesiæ Primatum per ipsum spoliari præeminentijs, quibus à Christo fuisse dotatum, antehàc probavimus. Et hinc quæ ulteriora sive ab ipsilmet Romanis Pontificibus, sive ex Concilijs Oecumenicis hanc in rem testimonia adfert Ellieſius, ea non aliter accipienda sunt, nisi de Primatu illis prærogativis Divinitus insignito. Juxta quem adeò sensum, duximus operæpretium, rursus audire illum Theologum in hæc differentem verba. In Concilio Chalcedonensi primus locus Leonis Legatis datus est, & Romanæ Ecclesiæ primatus communi omnium consensu comprobatus, nec non à Judicibus ita confirmatus his verbis: *Gloriosissimi Judices dixerunt, ex his, quæ gesta sunt, vel ab unoquoque dispositа, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Episcopo conservari.* Ista sanctio confirmatur *Canone 36.* Synodi Trullanæ. His accedit Imperatorum auctoritas. Sic Theodosius loquitur *Cùm igitur Sedis Apostolicæ primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmârit authoritas.* Valentinianus item *in Epist. ad Theodos. ante Concil. Chalced. Quatenus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit.*

Justinianus *Novell. 131. tit. 14. c. 2. Sancimus secundùm Ecclesiasticarum Regularum definitiones, Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem: alys autem omnibus Sedibus præponatur.*

Idem Romanæ Ecclesiæ privilegium agnoverunt Gallicani & Hispani Antistites. Illi *in Epist. ad Leonem* Principatum Ecclesiæ Romanæ super omnes Ecclesias prædicant. Illi in Synodi Tarraconensis *Epist. ad Hilar. Cujus*, inquiunt (Petri Vicarij) *principatus sicut emitet; ita ab omnibus metuendus & amandus.*

ARGUMENTUM. II.

De Primatu, quem ambiebat Constantinopolitana Ecclesia, per Ellieſium refutato.

60. SUnt nonnulli, qui ea, quæ à Concilio Constantinopolitano & Chalcedonensi circa primatũ Ecclesiæ Constantinopolitanæ sunt sancita, Primatui Romano obfuisse putent.

Responsio Ellieſij.

VErùm hic Author *præf. dissert. 4. cap. 2. §. 2.* rei præsentis statum ita exponit, ut, attentis ijs, quæ circa Primatûs Romani præeminentias hactenus dicebam, ex integro comprobem Theologi illius discursum sub his formatum verbis. 61.

Ex Concilij nempe Constantinopolitani Canone vix quidquam objici potest: nam ut probavimus, in eo honoris primatus Constantinopolitano Episcopo nonnisi post Romanum conceditur.

In Chalcedonensi major difficultas. Namque Episcopi in definitione *act. 16. Isa presbeja*, hoc est, eadem & æqualia privilegia tribuunt Episcopo novæ Romæ, ac veteris Romæ Episcopo, & Judices in suâ determinatione æqualia primatûs honoris jura concedunt utrique. Verùm si quis hæc diligentiùs attendat, videbit, hæc non obesse primatui veteris Romæ, nam hîc Episcopi fatentur Constantinopolim esse secundo loco. *Secundam*, inquiunt de novâ Româ, *post illam veterem existentem.* Et posteà: *Episcopum tamen Constantinopolitanum habere Presbeja tys timys post Romanum Episcopum.* Judices verò Romanæ Ecclesiæ tribuunt. *Pro panton men ta proteja che tyn exaireton timyn.* Constantinopoli verò tribuunt *ta avta presbeja tys timys.* Sed tantùm *post Romanum.* Itaque dum idem primatûs honor Constantinopolitano defertur, his Canonibus Romani Pontificis primatus non læditur, sed tantummodò Antiochenæ & Alexandrinæ, aliarumque Ecclesiarum privilegijs derogatur. Hinc S. Leo *Epist. 56.* non queritur, suum primatum læsum esse Canone Chalcedonensi, *sed quòd secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.* Et posteà: *Non convellantur provinciarum jura primatuum, nec privilegijs antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ Sedis ejus, quam per sanctum Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia in paternæ constitutionis ordine perseveret.* Eadem expostulat *Epist. 57. 58. 63. 66.* at nusquam queritur, hanc Chalcedonensis Concilij sanctionem sibi, suoque Primatui obesse.

Sed deinde ulteriùs progressa novæ Romæ ambitio, suam Ecclesiam cum Romanâ coæquare, quantum potuit, conata est; Sic Joannes Const. ad Hormisdam scribens Epistolam eam, quæ inter Epist. Hormisdæ est 34. *Sanctissimas*, inquit, *Dei Ecclesias, hoc est, superioris vestræ & novellæ istius Romæ unam esse accipio. Illam Sedem Apostoli Petri & istius augustæ civitatis unam esse, definio.* Et post alia: *Sicut, oportet, dicere, & olim scripsi, utrasque Ecclesias tam senioris, quàm novæ Romæ unam esse evidenter intelligens, & utriusque unam Sedem rectè definiens.* 62.

Hinc etiam Constantinopolitanus Oecumenicũ se Patriarcham dici amavit, sibique illud nomen vindicávit. Hoc primum Joanni Cappadoci tributum legitur in Concil. Constant. 63.

sub Menna & Anthimo conceditur *in eod. lib. 4. cap. 7. novellâ 16.* Deinde Maxentio imperante, Joannes, cognomento Jejunator, seipsum Oecumenicum Episcopum appellavit in Synodo adversùs quendam Gregorium Episcopum. Tum Pelagius II. ob elationis hujus vocabulum, inquit Gregorius *lib. 4. Epist. 38.* hujus Concilij acta dissolvit. Hujus Pelagij successor Gregorius eundem titulum, quem Ioannes Mauritij gratiâ fretus retinebat, impugnavit litteris ad Imperatorem, ad Patriarchas & ad ipsum Joannem scriptis.

Ex his Eulogius Alexandrinus rescripsit Gregorio se pariturum, & istâ voce Oecumenici abstenturum. Hunc tamen titulum in his ipsis litteris Gregorio adscripsit, quod ei non placuit, sed Eulogium monuit, ne vel sibi, vel alteri cuiquam tale aliquid adscriberet.

Post Joannis mortem Cyriacus hujus successor eundem titulum detinuit, authorque fuit Mauritio & Anastasio Antiocheno, ut Gregorio scriberent, rem esse levem, & omninò indignam ejus dissensionem, & scandala generare: ideo Gregorius licèt invitus, sed pacis ergo Cyriaci litteras communicatorias hoccè titulo inscriptas suscepit: at graviter eum admonuit, *ut à stulti*, verba sunt Gregorij, *vocabuli se appellatione compesceret.* Attamen hunc retinuerunt Constantinopolitani Antistites, frustra reclamantibus Pontificibus Romanis: nam licèt Phocas in odium Cyriaci, & in gratiam Romani Pontificis adversùs hanc Constantinopolitani Antistitis dignitatem, decretum emisisse dicatur, statim tamen Heraclius rem in integrum restituit, posterioresque Antistites Constantinopolitani hunc semper titulum usurpârunt. Quamvis autem ambitiosus ille sit, ut rectè visum est Gregorio, attamen Romani Pontificis Primatui non obest, dici etenim potest aliquis Episcopus universalis ratione Diœceseos, cui præest, quo sensu non solùm Constantinopolitano, sed & Alexandrino & Antiocheno id nominis indultum est. Hinc Anastasius Bibliothecarius *in præfat. 7. Synodi ad Ioannem 8.* hunc titulum excusat. *In eo*, inquit, *quo frequenter Oecumenicum in hac Synodo Græci Patriarcham suum inconvenienter appellant, Apostolatus vester adulationi veniam det. Verùm cùm apud Constantinopolim positus, frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastûs, vel arrogantiæ redarguerem, asserebant, quòd non ideo Oecumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent Patriarcham, quòd universi orbis teneat Præsulatum, sed quòd cuidam parti præsit orbis, quæ inhabitatur. Nam quod Græci Oicumenyn vocant, à Latinis non solùm orbis, à cujus universitate universalis appellatur, verùm etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.*

64. Denique quamvis Græci, postquàm à Latinorum communione sejuncti sunt, in Romanam Ecclesiam fuerint iniquiores, nunquam tamen ejus Primatum *directè* impugnaverunt, nec enim aut Photius, aut Michael Cerularius hanc dissensionis causam allegant, nec de primo loco cum Romano Episcopo contendunt: unde & Græci recentiores fatentur, primum locum deberi Romanæ Ecclesiæ. Verùm id ipsi à Concilijs & Imperatoribus indultum, vel ob amplitudinem orbis concessum esse, contendunt, non autem Jure *Divino*, & à Petro istud privilegium habere autumant. Sic Barlaam Monachus in *libello de Papæ Principatu cap. 2.* ait, omnes Apostolos, quoad Ecclesiam attinet, in pari honore fuisse, sacri autem duodenarij Principem fuisse Petrum; *cap. 3.* negat, Romanum Pontificem peculiariter esse successorem Petri; *cap. 4.* ait: *Romanam Sedem multis seculis post Petrum, Sanctorum Patrum, pijssimorumque Imperatorum beneficio primas fuisse nactam. Cap. 6.* ait, Sedem Constantinopolitanam dignitate parem esse, & in rebus Ecclesiasticis, potinè atque Romanam summâ eminere potestate, sed ordine secundam esse: *Quemadmodùm enim*, inquit *cap. 7. novæ Romæ Episcopus à Papâ secundus ordine est, ita planè Alexandrinus huic secundus, deinde Alexandrino proximus Antiochenus, Hierosolomytanus denique Antiocheno.*

Hâc ratione negat, Constantinopolitanos Antistites à Pontifice creandos esse, & *cap. 9.* Papæ prærogativam in eo sitam esse, docet, *ut primo sederet loco, primúsque fieret appellaretur, atque adeò in mysticis Divinæ liturgiæ precibus prima illius mentio fieret. Tu si quid amplius*, inquit, *dicere habeas è sacris Canonibus, id demonstra, minimè refragabimur.*

Eadem habet Nilus *in lib. de Primatu*: *Cùm*, inquit, *duo circa Papam consideranda sint, quòd & Romæ Episcopus sit, & præterea quòd sit primus aliorum Episcoporum, prius illud à Petro accepit, quòd sit Romæ Episcopus, alterum verò à sanctis Patribus & pijs Regibus multo post tempore. Etenim Sedi veteris Romæ, quòd Urbs illa Imperatrix esset, meritò Patres primatûs dignitatem tribuerunt.* Idem *in lib. de dissens. Eccles. Neque verò*, inquit, *illud in causâ est, quod Latini affirmant, nos nobis primatum arrogare velle, & in secundis post Romanum principatum nolle consistere, simúlque ideo pacem detrectare, neque enim*, inquam, *cum Romana Ecclesia de primatu contendimus, neque de secundo loco nunc agitur.* Ex his perspicere licet, quæ sit recentiorum Græcorum de primatu Romanæ Ecclesiæ sententia, & in quibus vera dicant, in quibus à vero aberrent.

Corollarium.

64. ELliesius equidem *suæ quartæ dissertationis cap. 2. §. 3.* recensitis ex unâ parte Wiclefistarum, Lutheranorum, & Calvinianorum, ex parte Curiæ Romanæ Theologorum de Ecclesiæ Romanæ primatu sententijs, subjungit, fusiúsque exponit Gallorum hâc de re doctrinam veluti mediam: in quâ occurrunt plurima improbanda. Quia tamen per totum præsens opus nostrum fusissimè eam vel discussimus, vel deinceps adhuc discutiemus, idcircò actum ageremus, si illi Elliesiano proposito diutiùs immoraremur.

DIS-

DISQUISITIO II.

An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesiæ consensum infallibilitas in fidei dogmatibus decidendis?

HUic quæstioni affinis est, quam Author *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 17.* in hunc modum proponit; *An judicium Papæ sit infallibile, quòd ei consensus Ecclesiæ accedat, an verò ei accedat Ecclesiæ consensus, quòd sit infallibile?*

§. I.

1. QUæ Author ille *toto libro* proferebat, eò tendebant, ut ostenderetur, judicium Papæ in fidei quæstionibus esse certissimum, antequàm accedat Ecclesiæ consensus, imò ideo Ecclesiæ consensum accedere, quia certissimum est. Etenim illa certitudo tribuitur Divinæ promissioni Petro factæ, aut orationi pro illo à Christo ad Patrem porrectæ, aut alij simili rationi, quæ indicat, Romanum Pontificem, sicut in pascendi totius gregis Christi, ac regendæ universæ illius Ecclesiæ officio, ita & salubris fidei ac morum pastûs ab erroris veneno discernendi, & fratrum adversùs hæreses flatûs, per doctrinâ à Patre cælesti revelatam, confirmandorum privilegio successisse. Illustrissimi equidem Antistites Gallicani aliquid, & quidem eximium Summo Pontifici concedere voluerunt magnificis illis *quartæ* propositionis verbis: *in fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejúsque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere.* Hinc ad minimum colligendum videtur, omnes & singulas Ecclesias judicio Papæ in causis fidei stare debere, donec reformetur à Concilio Universali, etiamsi nondum Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Equidem hoc pacto schismati occurritur, si modò fideliter servetur ab omnibus & singulis Ecclesijs. Verùm (quæ est hominum conditio, ac propriæ sententiæ studium) difficile est, ut conquiescant partes, quamdiu judicium prolatum errori obnoxium putabunt; itaque cùm difficillima sit Concilij Generalis congregatio, perpetuis dissidijs turbabitur Ecclesia. Cùm autem innumera extent exempla hæresum absque authoritate Conciliorum Generalium solo Romanorum Pontificum judicio extinctarum, quod signum est, illud tanquam infallibile fuisse susceptum; quorsum hodie præmissâ commendatione obex apponitur, ne illi, utpote reformabili, intentus præstetur assensus?

2. Nescio, an aliquod habitum fuerit Concilium Generale à primo Nicæno ad Tridentinum, quod absolutè necessarium à Catholicis judicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Concilium Nicænum dubitabant Catholici; an Filius esset consubstantialis Patri; neque ante Constantinopolitanum; an Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri & Filio, & sic de cæteris Concilijs, quæ omnia necessaria fuerunt, non quòd dubium esset inter Catholicos circa fidem, sed quòd frangenda esset hæreticorum pertinacia, & inquirendæ viæ ad sistendum hæresis progressum, & promovendam fidei publicationem. Itaque Conciliorum congregatio nullum arguit erroris periculum in judicijs Papæ, quæ fortè præcesserant: contra verò infallibilem eis certitudinem inesse, ostendit præstitus ab Ecclesia universa consensus in damnatione infinitarum propemodùm hæresum absque convocatione Concilij Generalis, ut mox dicebam.

3. Certè si Papæ judicium ante Ecclesiæ universæ assensum non est irreformabile, nescio, quæ sint præcipuæ illæ Summi Pontificis partes, & ejus decretorum vis in omnes & singulas Ecclesias. Nam & cujusliber, non solùm Episcopi, vel Doctoris, sed etiam fidelis judicium est irreformabile, accedente consensu Ecclesiæ. Cùm enim Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, errori fidei contrario consentire non potest. Ne igitur inanis sit authoritas B. Petro collata, cùm in præmium suæ fidei constitutus est Ecclesiæ fundamentum: ne confirmandis fratribus inutilis fuerit Christi pro ejus fide indeficiente oratio; ne illius curæ commissum sit Christi ovile absque certa discretione pascuorum, quæ oves impinguatura, aut infectura sint; néve transeunte ad ejus successores officio, non transijsse quoque authoritatem dicamus, ut in fidei quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes asserere liceat; ejusque decreta ab omnibus & singulis Ecclesijs tutò recipi possint; néve deceptis universis & singulis Ecclesijs, Ecclesia universa (quod fieri nequit) decepta inveniatur, affirmandum videtur, Ecclesiam judicio Summi Pontificis ideo consentire, quia est infallibile, & illa non nisi certæ veritati assentire potest; non illud judicium esse infallibile, quia Ecclesia ei consentit. Prius enim est, rem esse certam, quàm Ecclesiam ei consentire. Summus Pontifex est omnium fidelium Doctor, atque adeò suscipienda est ejus doctrina, quia certa est; non autem solùm certa est, quia suscipitur. Ille quidem Ecclesiæ consensus signum est certitudinis judicij, quia, ut diximus, Ecclesia errori [illegible] non potest. At non est certitudo [illegible], sed illam potiùs supponit.

4. Hanc esse mentem Ecclesiæ, quæ in toto hoc libro adduximus, suadent argumenta. Sed præcipuè, quòd ex universæ historiæ Ecclesiasticæ serie constet, Ecclesias omnes, omniqúe tempore ad Romanam recurrisse in dubijs circa fidem, & ejus responsa tanquam oracula suscepisse, idque speciatim de Gallicana testatur S. Leo *Epist. 89.* jam citatâ. *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam.* Et regula est ab universa Ecclesia recepta, causas fidei ad sanctam Sedem

esse referendas ; hanc tradidit S. Innocentius I. *epist. 25.* seu rescripto ad Milevitanum Concilium : *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Authorem referre debere* : renovârunt plurimi alij Pontifices, & executi sunt Antistites, præsertim, ut diximus, Gallicani. Absurdum autem esset dicere, consultum fuisse Romanum Pontificem tanquam Jurisperitum, aut Doctorem aliquem privatum, cujus sententiæ stare, vel ulteriori examini subjicere, liberum esset consulentibus. Econtra in omnibus ferè hujusmodi consultationibus fit expressa mentio permanentis in Ecclesia Romana, & in ejus Pontifice indeficientis fidei Petri. Postulabatur, ut pro ambiguitate tollendâ confessio Episcoporum authoritate Sedis Apostolicæ firmaretur ; quod docet exemplum S. Cæsarij Arelatensis : inter epistolas Bonifacij II. *epist. 2.*

5. In tota historia Ecclesiastica paucissimi reperiuntur Catholici, qui solenni Papæ judicio circa fidem restiterint, eosque omnes in errore versatos, eventus comprobavit, quod adhuc signum est, illud certissimum esse, antequàm accedat Ecclesiæ consensus ; nec nisi ad convincendam hæreticorum obstinationem res iterum in Concilijs tractatas fuisse, annuentibus ipsismet Pontificibus. Unde B. Augustinus, qui ut B. Cyprianum excuset, Concilium plenarium, sive generale alicubi videtur exigere, ad statuendum indubitatum dogma in alijs locis sufficere judicium Romani Pontificis affirmat. Ita *serm. 2. de verbis Apost.* causam finitam esse post Romanorum Pontificum rescripta, licèt nondum finitus esset error, declaravit. Verba jam *alibi* retulimus. Et *caput 50. lib. retractationum* sic inchoat : *Posteaquàm Pelagiana hæresis cum suis Authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zozimo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversùs eos, unum de gratia Christi, alterum de peccato originali.* Illa autem convictio non potest intelligi de convictione argumentorum vi factâ, aut de illius hæresis extirpatione, (alioquin enim non fuisset opus, ut D. Augustinus duos illos libros posteà scriberet, nec tamdiu perstitisset error) sed de judicio irreformabili. Neque authoritate illâ præditum erat judicium ex eo, quòd accessisset Ecclesiæ consensus ; tantùm enim Conciliorum Africanorum fit mentio, quæ Ecclesiam universam repræsentare nequaquam potuerant, quam ob rem sanctus Doctor *epist. 157.* quæ est ad Optatum, damnationem prædictorum hæreticorum per totum orbem tribuit authoritati eorundem Pontificum, Concilijs autem Episcopalibus (Africanis scilicet) solam vigilantiam, *cujus* (hæresis) *vel Authores, vel certè acerrimi, notissimique suasores, cùm Pelagius & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantiâ in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papâ Innocentio, & Papâ Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt.*

6. Animadverte hîc, prolatâ Romanorum Præsulum solenni sententiâ, damnationem in toto orbe factam censeri, nondum enim Ecclesiæ universæ consensus accesserat, cùm nondum constaret ; an Episcopi encyclicas Summorum Pontificum litteras accepissent. Addit enim Augustinus : De quibus exempla recentium litterarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarunt, ne fortè ad vestram sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti ab eis fratribus, quibus & has litteras, ut tuæ venerationi dirigerent, dedimus.

7. Dum igitur S. Augustinus B. Cyprianum excusat S. Stephano Papæ circa Baptisma ab hæreticis collati validitatem resistentem ; eò quòd causa nondum fuisset à plenario Concilio definita, supponit, judicium illud non fuisse solemnem definitionem, quæ non nisi post examinatam, & agitatam cum eâ, quâ par est, diligentiâ causam profertur ; sine qua diligentia vel à Concilijs etiam Oecumenicis quæstiones ejusmodi definiri posse, negat idem S. Augustinus *de Baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 4. Quomodò enim*, inquit, *potuit ista res tantis altercationis nebulis involuta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationémque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones, multis hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractatam constaret?* Apertiùs immediatè *in capite præcedenti* dixerat ; *Ipsa plenaria* (Concilia) *sæpe priora posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.* Itaque non censebat irreformabilia Conciliorum judicia, nisi debitam adhibuissent ad detegendam occultam, & latentem veritatem, diligentiam, quo etiam sensu accipiendus esset, sicubi videretur innuere, judicium Summi Pontificis non esse irreformabile ; ut scilicet intelligeretur de casu, in quo non præcessisset examen necessarium ad solemnem edendam definitionem. Quamquàm non videtur Deus permissurus, ut vel Concilium Generale legitimum, vel Summus Pontifex quidquam solemniter definiant, nisi prævia discussione necessariâ ad omnimodam certitudinem. Alioquin enim liceret, semper de illorum definitionibus dubitare, etiamsi nulla vis aperta intercessisset ad eas extorquendas. Quomodò enim privati Christiani scire possent, quo, quantóve opus fuisset examine, ac utrùm decisionem antecessisset?

8. Atque ita sensisse S. Augustinum, credendum est, nisi dicas, quod non est verisimile, ipsum solius Universalis, non autem vel Concilij Generalis, vel Summi Pontificis judicium irreformabile putâsse : quam doctrinam tradidit Panormitanus, inter Catholicos solus, quem sciam.

9. Non recolo modò alium ex ijs, quos Ecclesia veneratur ut Sanctos, præter Cyprianum tunc temporis errantem, Summi Pontificis judicio circa fidei quæstionem repugnâsse.

se. Imò dum alius quis circa principalia disciplinæ capita à Romano Pontifice dissensit, sequiorem partem secutus fuisse, totius Ecclesiæ judicio compertus est. Ita v.g. referente Eusebio *Eccles. hist. lib. 5. cap. 23. & 24.* cùm S. Polycarpus à S. Aniceto, ac postmodùm alij Asiæ Episcopi ab alijs Pontificibus Romanis dissentirent circa diem, quo celebrandum erat Pascha, licèt in favorem Asianorum, S. Joannis Apostoli, & aliorum Sanctorum traditio, imò Evangelium ipsum allegaretur, prævaluit judicium Summorum Pontificum, Pascha die Dominico celebrandum statuentium, sententiæ Asianorum decimâ quartâ lunâ, quocunque die accideret, sive Dominico, sive alio illud celebrantium, plurimisque Concilijs, etiam primo Generali Nicæno decretum est, Pascha die Dominico fieri debere.

10. Non tamen usque ad Ecclesiæ consensum in Concilio Nicæno, ac in alijs præstitum suspensa est vis judicij Romani Pontificis. Nam, ut verbis Eusebij ex antiqua versione utar; *Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias cum alijs finitimis, tanquam alterius fidei, & opinionis, simul omnes* (ut complectar brevi) *à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invehitur: atque omnes fratres eam incolentes regionem, prorsus à communione secludendos edicit.* Tantum aberat, ut S. Victor decreti sui validitati necessarium crederet Ecclesiæ universæ consensum, ut plurimas Ecclesias invitas ad consensum illum censuris compelleret. Licèt autem aliæ Ecclesiæ, quæ Victori circa diem celebrandi Paschatis consentiebant, censurarum usum contra tot Ecclesias Orthodoxas non probarent; authoritatem tamen non negabant, ut videre est apud Eusebium *loco citato*, ubi de sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi nominatim sic scribit; *Irenæus quamquam per litteras scriptas ex personâ fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas Ecclesias omninò propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputet, cùm pleraque alia, tum ista, quæ sequuntur, appositè, & convenienter admonet &c.* Nota hæc verba: *A corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet*, quæ apertè significant Romani Pontificis in universam Ecclesiam authoritatem. Non enim Victor ab illarum Ecclesiarum communione solus recedebat, sed eas ab universo Ecclesiæ corpore sequelitrabat. Si cui fortè nimius videretur ejus Pontificis erga tot Ecclesias rigor pro re ad fidem saltem proximè non spectante, causas legerit apud Baronium ad annum 198. rigorem illum tunc temporis necessarium fuisse, ostendentem.

11. Sed ut redeamus ad quæstiones fidei, hæresibus, & schismatibus via panditur in tanta congregandarum hodie Synodorum Generalium difficultate, & tam modica inter diversarum, vel etiam inimicarum ditionum, & nationum Præsules communione, nisi judicium Romani Pontificis tanquam certissimum suscipiendum sit. Quam ob rem certissimum est, modernorum Antistitum Gallicanorum declarationem postponere sententiæ aliorum multò plurium, qui non ita pridem, & consulendam sanctam Sedem in quæstionibus fidei, & ejus decretis internum animæ obsequium deberi, etiam antequam Ecclesiæ universæ consensus accesserit, tam apertè declaraverant, ut eorum mens nullis argutiarum nebulis possit obscurari. Sic enim legimus in litteris octuaginta quinque Episcoporum Galliæ ad Innocentium X. anno 1653. scriptis. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, &c.* vides hìc, jus esse Romani Pontificis *in fide Petri nunquam deficiente* fundatum, ut majores causæ ad eum referantur. Audi jam; quanta sit ejus decretorum vis & efficacia, *Experta est nuper Beatitudo vestra, quantum Apostolicæ Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit authoritas. Continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti, & mare obedierunt.* Non esse autem necessarium reliquorum Episcoporum consensum, ut illis decretis Christiani omnes, ipsius quóque mentis obsequium præstare teneantur, docent aliæ litteræ à 30. ex ijs Episcopis, reliquis absentibus, scriptæ eidem Pontifici 19. Julij eodem anno; *Non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Appollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulo ante factis judicia pro sanctenda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consecratione* (*sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collubuerit*) *Divinâ æquè, ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quóque mentis obsequium præstare teneantur. Eâ nos quoque sententiâ, ac fide imbuti, &c.* Licèt autem hìc Episcoporum sententiæ mentio fiat, tamen præterquàm, quòd eam exprimi, non esse necessarium, declaratur, de Episcopis tantùm consulentibus est sermo, quorum nomine non intelligitur Ecclesia; quippe cùm vel singulares, vel alicujus provinciæ, aut regni, non totius urbis Antistites simul sanctam Sedem consultant. Unde circa finem epistolæ addunt Præsules Gallicani: *Porrò nos Innocentio X. cujus ore Petrus loquutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulari, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum; constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.*

Eadem fuit antiquorum Gallorum sententia, ut jam probavimus, & adhuc probari possit. Epistola sex Episcoporum ad Innocentium II. anno 1140. scripta inter S. Bernardi epistoas 370. sic incipit: *Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolicâ firmantur authoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidiâ depravari. Ea-* 12.

propter ad vestram Apostolicam Sedem, Beatissime Pater, referre dignum censuimus quædam, quæ nuper in nostra contigit tractari præsentia. Quæ quoniam & nobis, & multis Religiosis, & sapientibus viris rationabiliter acta visa sunt, vestræ serenitatis expectant comprobari judicio, simul & authoritate perpetuò roborari.

83. Potho Presbyter Prumiensis *de statu domûs Dei lib. 3. Hoc namque privilegium*, inquit, *B. Petro Apostolorum Principi cælesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sanctis Patres cum magna veneratione suscipientes, atque sanctam Romanam Ecclesiam servantes; tam in Generalibus Conciliis, quàm & in cæteris scripturis, & gestis suis, universalem Matrem appellaverunt, & sicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacræ Religionis, ita ejus etiam judicia susceperunt in hoc consentientes, & quasi uno spiritu, & unâ voce concordantes, omnes majores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum judicia ad eam quasi ad Matrem & Caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus à nemine retractari, aut refelli debere, vel posse.*

84. Præiverat illi ejusdem Monasterij Abbas Regino, qui longè anteà scripserat *in Chron. ad annum 857.* quod jam *suprà* retulimus; *scilicet stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse, arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi falli potuit.*

§. II.

Referuntur ac expenduntur fundamenta Adversariorum cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ.

ARGUMENTUM I. Adversariorum.

Petitum ex necessitate Conciliorum Oecumenicorum ad consummatam in rebus fidei decidendis infallibilitatem obtinendam.

15. SI namque solus Pontifex obtineret hanc infallibilitatis prærogativam, ita ut absque ullo erroris periculo posset fidei controversias *ultimatè* definire, Concilia sanè Oecumenica vel inutilia forent, vel saltem non necessaria ad dirimendas circa fidem controversias, cujus tamen contrarium exhibet praxis sanctæ Ecclesiæ, secundùm quam ipsimet etiam Pontifices, nec non Imperatores, unà cum totius Christiani orbis Episcopis, noscuntur nullis pepercisse seu laboribus, seu impensis, ut in eum finem celebrarentur Concilia Oecumenica.

Responsio.

16. AUthor *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 14. à n. 2.* respondet, distinguendo *inprimis* inter utilitatem Conciliorum Oecumenicorum, & eorundem necessitatem ex ipsa natura rei, de qua agitur, vel ex conditione hominum, de quibus tractatur, resultantem. Neque verò in dubium vocari potest, Conciliorum præsertim Oecumenicorum utilitatem esse permaximam, neque ambigere licet, esse necessaria ad frangendam hæreticorum pertinaciam; sed utrum *ad judicij omnimodam & consummatam in rebus fidei certitudinem ijs opus* [illegible] meritò hîc pensandâ occurrit quæstio. Authore expensa.

Inprimis igitur, cùm Summus Pontifex in rebus fidei decernendis teneatur eam impendere curam, & solicitudinem, quam requirit negotij gravitas, & patitur rerum status, non Scripturas duntaxat, sed traditiones scrutando, nulla profectò est convenientior assignanda veritatis ratio, quam si totius orbis Christiani Episcoporum sententia requiratur, ac singularum Ecclesiarum traditiones, & singulorum Pastorum sententiæ inter se conferantur. Itaque quantum commodè fieri potest, non est prætermittenda ea investigandæ veritatis via, quæ utinam semper prælata esset. Illam suo exemplo primus Pontifex Petrus præmonstravit.

Etenim quamvis B. Petrus, cùm loco proditoris Iudæ substituendus esset alius, qui Apostolico fungeretur officio, potuisset eum eligere; tamen præ humilitate ac prudentiâ non solùm alios Apostolos, sed etiam reliquos fideles congregatos, electionis participes effecit; ut observat S. Ioannes Chrysostomus *hom. 3. in act. Apost.* ubi post hæc verba: *Viri fratres, oportet eligere è nobis*; addit: *Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos, & seipsum liberans ab invidia, simultatèque, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam & semper ingentia gignit mala.* Et infra: *An non licebat ei eligere? licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari..... Cæterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans, quam non esse, sed è supernis profectam, juxta Prophetiam. Itaque recitator fuit, non præceptor.*

Natura pares nos gignit; peccatum ad ambiendum præ alijs, & in alios, in Principatum impellit: ut etiam inter Apostolos fuerit contentio, quis eorum videretur esse major, quod dissidium noluit Christus componere, assignato unicuique suo ordine, sed potiùs præscriptâ humilitatis formâ, ut quisque alteri se supponere contenderet. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator Lucæ 22. v. 26.* Quam ob rem excepto Petro, quem alijs præposuit, nullum inter eos potestatis discrimen constituit. Itaque ut levius sit subjectionis ac obedientiæ jugum, communi concordiæ, ac regiminis suavitati expedit, ut rectores, quæ propriâ authoritate efficere possent, communi subditorum consilio exequantur. Nil igitur mirum, si in Christi familia, in qua pax summa & humilitas tantò profundior, quantò quis altiori eminet dignitate, vigere debent, Romanus Pontifex cum fratribus suis communi sententiâ, quoties, & quantùm commodè potest, graviora Ecclesiæ negotia gerere studeat, etiamsi solus posset.

Præterea, qui ad Concilia accedunt, vel fideles sunt, vel hæretici: si fideles, instruuntur non tantùm de veritate, quæ fortè ipsis erat-

erat occulta, sed etiam de causis, ac rationibus, ut juxta præceptum Apostoli sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est. 1. Petri 3. v. 14.* Cùmque ex cunctis orbis Christiani partibus aliquis in Concilijs Oecumenicis interfit; *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæretici autem *convincuntur ab omnibus, dijudicantur ab omnibus. 1. Corinth. cap. 14. v. 24.* Et vel convertuntur, vel confunduntur, & à Christi grege separantur, ne alios secum in ruinam trahant, ut pluries in Concilijs factum legimus.

21. Frequenter enim non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est judicium, & ne qua superlit injustitiæ, vel obreptionis suspicio, aut prætextus, examinanda est illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda suffragia, ut & procedendi ratio, & Senatorum numerus, ac Senatûs dignitas, & majestas obstruant os loquentium iniqua, cujus diligentiæ tunc major est necessitas, cùm hæretici, vel Sectatorum numero, vel potentiâ sæculari, vel aliâ quâpiam authoritate pollent. Ideo Adrianus II. *epist. 2.* ad Basilium Imperatorem scribebat. *Volumus ergo per vestræ pietatis industriam numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Ministri præsidentes, & culparum, personarumque differentias liquidò cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant; in quo videlicet sacrato cœtu execrandi vanitatis Concilij, quod adversùs Sedis hujus actum est prorsus injuriam, cuncta decernimus exemplaria prorsus à possessoribus suis ablata, in medium que delata, contemplantibus cunctis, igni cremari, nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem unum apicem, nisi fortè quis totius Clericatûs, imò totius Christiani nominis dignitate anathemate percussus carere voluerit, &c.*

22. Circa dogma etiam, quamvis certum sit, aliquâ interdum utendum est œconomiâ, ut libenti ùs recipiatur; quæ quatenus adhibenda sit, in plurimorum Cœtu facilius agnoscitur. Ita in Concilio Jerosolymitano, quod *Act. 15.* describitur, licèt B. Petrus suâ sententiâ veritatem certò assecutus fuisset; scilicet non esse circumcidendos, qui ad fidem convertebantur; *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* tamen S. Jacobus huic sententiæ addidit: *Scribendum, ut abstinerent se* non solùm *à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione*, sed etiam *à suffocatis & sanguine*; nimirum, ne, si Moysi, qui maximo ubique ab aliquibus in honore habebatur, lex tota statim rejiceretur, multi ejus veneratores à suscipienda Christi fide retardarentur, quod temperamentum omnibus placuit. Licèt Petrus *à Deo electus esset, ut per os ejus audirent Gentes verbum Evangelij, & crederent*: tamen ad controversiam, quam solus potuisset definire, suaviùs & convenientiùs componendam, Concilium haberi consensit. Verùm se aliorum consilio non omninò indigere ad assequendam veritatem fidei, satis indicavit, dum primus sententiam ferens, illam adeò indubitatam habuit, ut illi sinè tentatione Dei contradici non posse intrepidè affirmaverit: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum? &c. Act. 15.* Quod verò à S. Jacobo additum est temperamentum, ex parte lumine naturali notum, partim temporarium, & prudentiale.

23. Qui autem Summi Pontificis judicium ideo minoris faciunt, quia non ita suscipitur ab omnibus, ut aliqui, vel etiam multi non repugnent, & Concilium Generale postulent, non advertunt, similiter Ecclesiæ universæ sententiam contemni. Sunt enim innumeri hæretici, qui Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnant. Imò in hoc sunt hæretici. Atque si quis attentè consideret res in Concilijs Generalibus tractatas, comperiet, eas plerumque adeò fuisse dubias, ut Patres ad hæreticorum voces, tanquam blasphemias execrandas inhorruerint, aliquando etiam aures occluserint, ne vel audita impietate polluerentur. Hæreticorum illud est ingenium, ut & Summi Pontificis, & Concilij, & Ecclesiæ universæ doctrinam aliquando fraudulenter eludant, & occultè rejiciant, aliquando vi apertâ impetant, & impugnent, quod nihil ejus veritati, ac certitudini detrahit.

24. Quam ob rem sæpe significârunt Summi Pontifices ad Concilia Generalia scribentes, se non doctrinam eorum examini subjicere, sed tanquam indubitatam ab omnibus recipiendam eorum operâ optare. Hoc testatur Commonitorium Papæ Cælestini Episcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem, *supra citatum.* Eò etiam pertinent hæc S. Leonis verba *in epist.* ad Concilium Chalcedonense: *Nunc in vicarijs meis adsum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum; ut, qui non potestis ignorare; quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ, disputandi contra fidem, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cùm secundùm Evangelicas authoritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicámque doctrinam, plenissimè, & lucidissimè per litteras, quas ad B. Memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia ac sincera confessio.*

25. In epistola 1. S. Agathonis ad Imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium, quæ lecta est *in actione 4.* Concilij *sexti* Generalis plurima sunt, quæ judicium Romani Pontificis ut certissimum à Concilijs Generalibus recipi docent. Ejusmodi sunt illa: *Cujus (Petri) annitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte flexa est, cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt.*

26. Adrianus I. eâdem constantiâ scribit *epist. 2.* ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum. *Sed vestra sanctitas*, inquit, *eisdem pijssimis Imperatoribus & triumphatoribus alacriter suggerat, ut inprimis Pseudosyllogus (id est, falsus*

falsus Cœtus, seu Conventus) ille, qui sinè Apostolica Sede inordinatè, & insyllogisticè factus est adversùs venerabilium Patrum traditionem contra Divinas imagines anathematizetur, præsentibus Apochrisariis nostris, & omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, & Dommi nostri Iesu Christi sermo compleatur; quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: Et rursus: Tibi dabo claves Regni cælorum, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.

27. Non soli Pontifices supremam hanc authoritatem tribuerunt. S. Flavianus Constantinopolitanus *epist.* ad S. Leonem, quæ refertur in actis Concilij Chalcedonensis *part. 1. num. 4.* solam S. Leonis auhoritatem sufficere affirmat ad extinguendam Eutychetis hæresim absque convocatione Concilij Generalis. Itaque Chalcedonense, quod posteà fuit habitum, necessarium non fuisset, nisi hæresiarcha ille ope Dioscori Patriarchæ Alexandrini, & Crysaphij Theodosij Iunioris Imperatoris Evnuchi ope, Episcopos in latrocinio Ephesino ad suas partes viarmatâ traxisset, aut in exilium mittendos curâsset, quod horrendam in Ecclesia Orientali pepererat confusionem. Similes causæ, non autem incertitudo judicij Summorum Pontificum in causis fidei, aliorum Conciliorum Generalium celebrandorum necessitatem induxerunt. Sunt autem hæc S Flaviani verba in epistola prædicta: *Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione, quâ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere: Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ*

28. *Non enim*, inquit Barlaamus Episcopus Gyracensis ad amicos suos in Græcia constitutos scribens, *eò quòd sit majoris authoritatis, & quòd magis possit Generale Concilium, quàm Apostolica Sedes, Generalia aggregantur Concilia, sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint, & majori indigeant discussione.* Est autem Summi Pontificis, ut patet ex Concilio Tridentino *Sess. 25. de recip. & observ. decret. Concil.* discernere, an tanta sit difficultas, ut Concilij Generalis consilio indigeat.

29. Joannes Monachus *sup. 6. Decret. de sent. & re judic. Cap. Ad Apost. num. 3. v. Revocare.* Concilij Generalis consilium ad solemnitatem tantùm requiri affirmat. *Nota, quòd Papa sententiam suam non supposuit correctioni, vel emendationi de consilio Concilij, seu aliorum, sed suæ emendationi duntaxat reservavit, sed dicit, quòd super emendatione sententiæ suæ consilium Concilij quæreret, & hæc requisitio non est necessitatis, sed solemnitatis tantùm: quia Papa sinè Concilio potest procedere ad sententiam, cùm habeat plenitudinem potestatis* 2. quæst. 6. Decret. 1. De pœnit. & remiss. Cùm ex eo. in fine.

n. 4. *Et Papa dat robur Conciliis, non econtra. sup. de elect. Cap. Significâsti.*

Objectio.

INstari potest ex *parte adversa*, hisce argumentis non tam probari *absolutam* necessitatem ad consummatam in controversijs fidei dirimendis infallibilitatẽ obtinendam, quàm necessitatem *secundùm quid duntaxat*, & ad *melius esse*, cùm cæteroqui ex solius etiam Summi Pontificis judicio staret omnimodà circa fidei dogmata infallibilitas. Hoc verò nequaquam videri consentaneum Sacræ scripturæ, secundùm quam Petrus *Matth. 16.* noscitur quidem à Christo dotatus Petræ in rebus fidei prærogativâ, ut tamen ista Petræ firmitas non aliter subsisteret, nisi quatenus super hanc Petram ædificata est Ecclesia. At Ecclesiæ ædificatio non est, nisi per fidem, quæ est substantialis forma Ecclesiæ, atque adeò oportet, fidei consensum in Ecclesiâ intervenire, ut Petræ firmitas circa fidei dogmata in Summo Pontifice subsistat. Hic autem Ecclesiæ consensus, licèt haberi possit ex unanimi fidelium, Pastorum præcipuè, atque Doctorum Ecclesiæ circa aliquam fidei veritatem consensione, attamen singulariter & compendiosè obtinetur ex Concilij Oecumenici, Ecclesiam Universalem repræsentantis, cum Capite Summo Pontifice authoritativâ consensione. Quia igitur consummata in rebus fidei infallibilitas est in Summo Pontifice, quâ Petrâ, super quam ædificata est Ecclesia, istud verò Ecclesiæ ædificium est per fidem, atque adeò per Ecclesiæ circa fidei dogmata cum Capite consensionem, hic verò consensus authoritativus obtinetur per definitionem Concilij Oecumenici, Ecclesiam Universalem, unà cum Capite repræsentantis, ideo antecedenter ad ejusmodi dogmaticam Concilij Oecumenici decisionem non videtur, ex solius Summi Pontificis judicio, subsistere consummata in controversijs fidei *ultimatè* decidendis infallibilitas: quippe cùm Christus *cit. 16. Matth.* non aliter promiserit, fore, ut portæ inferi non prævalerent adversùs Ecclesiam, nisi quatenus hæc esset ædificata supra Petram, quæ est Summus Pontifex, atque adeò quatenus consensio fidei in Ecclesiâ intrà Concilium Oecumenicum repræsentatâ, accederet ad Papæ judicium.

Responsio.

EX eo namque, quòd Petri successor Summus Pontifex sit Petra, super quam ædificatur Ecclesia, redditur manifestè consequens, petræ circa fidei dogmata firmitatem in Summo Pontifice esse anteriorem consensione Ecclesiæ, in Concilio Oecumenico repræsentatæ. Probatur ista sequela. Etenim Petra illa, super quam ædificata est Ecclesia, se habet ad istud officium per modum quasi causæ, seu fundamenti; uti patet ex ipsis terminis. At causa est anterior effectu, fundamentumque est prius ædificio, quod illi superstruatur. Petri igitur successor jàm antecedenter ad Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem est Petra, cui super-

superstruitur Ecclesia. At ædificatio Ecclesiæ eatenus est per fidei consensum, quatenus fides est ipsa substantialis Ecclesiæ forma. Ergo antecedenter ad Ecclesiæ in Concilio Oecumenico, ad fidei dogmata concurrente, repræsentatæ consensionem, jam subsistit in Summo Pontifice Petræ firmitas, atque adeò judicij ipsius in rebus fidei omnimoda infallibilitas.

Replicata objectio.

32. EX parte adversa replicari potest. Ex hoc equidem, quòd Petri successor sit Petra, super quam ædificata est Ecclesia, evinci, Summum Pontificem ad instar fundamenti se habentem respectu Ecclesiæ, esse quasi hujus *primariam* causam *materialem*. At certum esse, quòd *formalis* causa Ecclesiæ sit consensio fidei, sicque antecedenter ad istam, Petri successor sit quidem Petra quasi *materialis* Ecclesiæ, at quoad *formalem* Petræ in rebus fidei firmitatem, non convenire hanc prærogativam Petri successori, nisi pro eo instanti, quo super ipsum, ceu Petram est ædificata Ecclesia. quæ tamen ædificatio *formaliter* non consummatur, nisi per Ecclesiæ in dogmatibus fidei cum Capite consensionem. Hanc igitur Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem in genere causæ quasi *formalis* anteriorem esse *Formali* Petræ in rebus fidei firmitate, atque adeò infallibilitate omnimodâ & consummatâ.

Responsio.

33. ETenim in præadductis Christi Domini verbis studiosè observandum est, Petri successorem pro illo instanti, quo super ipsum erat superstruenda Ecclesia, jam *formaliter* denominari Petram: siquidem Christus Dominus diserte dixerit, se super Petram non *personaliter* & *materialiter* sumptam, sed quâ Petram ædificare velle Ecclesiam, adversùs quam portæ inferi non prævalerent. At Petrus, ejusque successor, quâ Petra portis inferi certò prævalitura, non potest pro eo instanti, quo per Christum *formaliter* denominabatur Petra, non obtinuisse fidei firmitatem. Hoc verò instans, Petræ *formaliter* denominans, non potest non habere prioritatem causæ respectu Ecclesiæ super eam ædificandæ. Quia igitur Petri successor est fundamentum Ecclesiæ quâ Petra, nequit autem hanc Petræ denominationem *formaliter* habere, nisi ex firmitate omnimodæ in rebus fidei infallibilitatis; illa ipsa verò Petra, quâ Ecclesiæ fundamentum, habet prioritatem respectu Ecclesiæ *formaliter* per fidei consensionem superstruendæ, ideo in Petri successore *formalis* fidei firmitas eatenus est fundamentum Ecclesiæ, ut consequentur hæc sit antecedens Ecclesiæ à Concilio Oecumenico repræsentatæ in rebus fidei consensionem. At verò Petri successor quâ Petra fidei firmitatem obtinens, pro instanti Ecclesiæ consensionem antecedente, non potest intelligi, nisi sub statu judicij omnimodè certi & infallibilis circa fidei veritates. Ergo hæc in rebus fidei omnimoda judicij certitudo & infallibilitas est in Papa antecedens Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem.

CONCLUSIO

IN expendendâ tum Ecclesiæ intrà 34.
Concilium Oecumenicum repræsentatæ, tum Pontificis Maximi quâ Petræ, seu fundamenti Ecclesiæ, in rebus fidei decidendis infallibilitate, plurimùm juvat, ut discernatur inter certitudinem *quoad se*, seu quoad *ipsam rei veritatem*, & *quoad nos*, sive *in ordine ad fidelium intelligendi modum*.

Explicatur. Commune Theologorum adagium est, Summum Pontificem circa res fidei habere infallibilitatem, non qua privatum Doctorem, sed quatenus decernit uti summum Ecclesiæ Caput, sive, uti loqui solent, quatenus definit ex Cathedra, sive ex prærogativa Petræ, super quam ædificata est Ecclesia. Hanc distinctionem non esse novam, sed antiquissimam, insigniter probat Author *Regalis Sacerdotij lib. 3. §. 1.* Etenim in veteri jam Lege celebre illud Oraculum *Vrim & Thummim*, quod in ambiguis obscurisque rebus summum Sacerdotem edocebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ & domesticæ vesti, sed Pontificali & solemni inscriptum erat. *Exodi 28.* Deo hâc ratione ostendente, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis judicandi, ad summum quidem Sacerdotem pertinere, non tamen semper & ubique, sed cùm Pontificem agit, tunc enim & non aliàs, cum cælitus, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Hæc causa fuit, ut Sacerdotes nunquam ad consulendum Oraculum accederent, ab eoque responsum acciperent, nisi priùs Ephod induissent; ut patet *1. Reg. 23. & 30.* Quæ vestis erat auro texta, varijsque ex serico coloribus distincta, & cui Oraculum insertum erat.

Sic *Matthæi 23.* jubet Christus Scribas & 35.
Pharisæos audiri, eorumque doctrinam observari, quia super Cathedram Moysis & Prophetarum sederunt: quasi tota radix & origo eorum in docendo authoritatis, Cathedræ adstricta esset, quam publicè docentes insedebant; alioquin privatas opiniones & sententias quod attinet, certum est, multa Pharisæos docuisse impia, legique Divinæ & naturali omninò contraria, ut habetur *Matth. 23.*

Sic etiam *sexta* Synodus Constantinopo- 36.
litana sub Agathone Papa epistolam ejusdem Agathonis approbat, summisque laudibus extollit, & in illa non tam Agathonem, quàm Petrum locutum fuisse dicit *Sess. 8. & 18.* agnoscitque Cathedram Petri, ejusque successores omnis hæresis expertes esse: & tamen

Sess. 13. Honorium I. Romanum Pontificem hæreticum fuisse dicit, eumque damnat: ubi manifestè Concilium differentiam indicat inter Pontificem è Cathedra ac sententialiter, & ex privata tantùm opinione docentem; & in hoc casu errare posse, nam in primo non admittit.

37. Sæpe etiam S. Augustinus contra Donatistas disputans, Cathedram à persona, hoc est, *errorem personalem à Cathedrali* distinguit; hunc negat in Petri successores cadere; illum concedit. Vide ejusdem B. Augustini epistolam 165. Imò B. Apostolus, & ex illo Symbolum nostræ religionis Ecclesiam Catholicam sinè ruga & macula, & sanctam esse profitentur, cùm tamen major pars Ecclesiæ sint peccatores; imò qui dicit, se absque peccato esse, mendax sit *1. Ioann. 1.* Quomodò ergo Ecclesia est sinè ruga, & macula, & tota pulchra? nisi quia non tam privatæ personæ, quæ Ecclesiam Catholicam componunt, attendendæ sunt, quàm publica illius forma, quæque ad omnes pertinet, hoc est, leges, doctrina & Sacramenta, quæ omnia sancta sunt; omnemque maculam peccati excedunt. Sic ergo, cùm dicemus, Romani Pontificis judicium in rebus fidei esse ultimum, infallibile & irreformabile; de Romano Pontifice loquimur, non ut privata persona est, & aliorum Doctorum instar scribit, docetque: sed ut Pontifex est, & ex Pontificali authoritate Ecclesiam Universalem docet, ac rebus maturè discussis, causam aliquam definit, & quæ definivit, jubet tanquam fidei veritatem haberi, & qui non habent, credunteque, hæreticos pronuntiat.

38. Hoc ergo est Pontificem agere, & è Cathedra loqui, quod nulli Doctorum, aut Episcoporum convenit. Sicuti ergo in antiquo Testamento non omne Pontificis responsum oraculum fuit: & in Christo Domino non omnis actio Divina, sed etiam humana, & mixta, seu Theandrica; nec omnis in eodem Christo scientia infusa & increata, sed etiam creata & acquisita, & capax incrementi, imò imperfecta, & aliquid habens nescientiæ *Marci 13. v. 31. De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius, nisi Pater.* Eodem modo non omnis actio procedens ab anima rationali, est rationalis: nec omnis notitia, quam de causa aliqua judex habet, est publica & judicialis, & ideo communiter & Theologi & Iurisperiti docent, teneri Iudicem sententiam proferre non ex privata, sed publica scientia. *Cap. 28. De offic. Iudicis delegati.* Sic etiam non omnis actio & doctrina Pontificis est Pontificia, sed sicut in Beatis visio beatifica & matutina non absorbet vespertinam, ita & Pontifex aliqua facit, ut homo, aliqua ut Princeps, aliqua ut Doctor, aliqua ut Papa, hoc est, ut Caput & fundamentum Ecclesiæ: & his solis actionibus privilegium infallibilitatis ascribimus: alias humanæ conditioni relinquimus: sicut ergo non omnis actio Papæ est Papalis, ita non omnis actio Papæ Papali privilegio gaudet.

39. Sed *quando*, inquies, *dicendus est Papa loqui ex Cathedra, ut sic dignoscatur absque ullo errandi periculo definivisse*; Author *practicæ Regalis Sacerdotij dicto §. 1. n. 2.* rem hanc ita explicat. Ut dicatur Papa decidisse ex Cathedra, non [illegible]et, illum certo alicui medio, aut c[illegible]tioni alligari: frustra enim alioquin & [illegible]efficax foret in Papa talis authoritas, nam cujus error damnatus esset, prætendere semper posset, illegitimè damnatum esse, quòd Papa paucos consilio adhibuisset, aut imperitos rerum, aut odio ductos, aut denique præconceptâ opinione occupatos, & partium studijs addictos, quæ omnia hæretici nostri temporis Concilio Tridentino objecerunt. Modò ergo non constet, Romanum Pontificem in rebus fidei decidendis temerè processisse, omninò illius judicio standum est, Deoque curæ erit, non permittere, ut absque sufficienti examine & prudentia sententia feratur, ejus enim est, qui finem constituit, etiam media fini necessaria curare: frustra alioquin *Deut. 17. Matth. 23. & 18. & Lucæ 10.* Ecclesiæ, & Sacerdotis imperio obtemperari etiam sub pœna mortis juberet, quibus semper à subditis opponi posset, sine sufficienti examine, & imprudenter imperatum esse. Et ideo in Tridentino Concilio *Sess. 25. de Reformat. cap. ult. in fine.* Romani Pontificis prudentiæ & discretioni committitur, quem in rebus ambiguis definiendis, inducturæ modum adhibere velit. Verba Concilij sunt: *Quod si in his recipiendis (decretis) difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderit, quæ declarationem, aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, sanctus S. Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis exillis præsertim Provincijs, unde difficultas orta est, ijs, quos eodem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quâcunque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.* Quibus stantibus præsuppositis, per subsequentes probationes ostendemus; Tum *in quo consistat* formalis *ratio Summi Pontificis quâ ex cathedra loquentis*; Tum *quòd fides firmitas* quoad se & secundum rei veritatem *sit in Summo Pontifice antecedens Ecclesiæ consensionem, & tamen* quoad nos, *respectu hujus dici possit esse consequens cum aliqua signi, seu naturæ quasi posterioritate.*

PROBATIO I.

Quâ ostenditur Summus Pontifex loqui ex Cathedrâ, seu Petræ, super quam fundata est Ecclesia, prærogativâ, quatenus decernit ex ipsâmet sibi intrinsecâ fide Divinâ per Spiritum sanctum motâ & excitatâ, quâ fuit in Ecclesiam diffusivâ & propagatrice.

QUis enim ambigat, Apostolicam Petri Cathedram esse ipsissimam illam Petram, super quam ædificata est Ecclesia? Hæc autem Petra quid aliud est, quam firmitas fidei, in

in hujus naturâ *intrinsecè & formaliter* importata? Eatenus igitur loquitur Papa ex Cathedrâ, quatenus Spiritus sanctus circa aliquod fidei dogma movet in ipso fidei lumen (quo intrà ipsum extincto, mox desineret esse Caput Ecclesiæ) ad eidem primitus in se ipso ex Primæ Veritatis motivo assentiendum, indeque fidelibus sub ejusdem Primæ Veritatis firmitate proponendum, eodem Spiritu sancto, per quem stat illa fidei Petra, vi gratiæ suæ intrà Ecclesiam propagante ejusdem fidei consensionem. Hoc insinuavit Christus Dominus *Lucæ 22.* dicens Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* An non enim istis verbis aperte indicatur fidei firmitas in Petro eatenus fuisse radicata, ut ex ipso sit derivanda in cæteros fratres? Quæ verò alia hæc est fidei firmitas, nisi quæ in ipsissima ejusdem per Primam Veritatem *immediatè* specificatâ naturâ *formalissimè* importatur? Quæ autem major excogitabilis est veritatis certitudo ac firmitas, quàm illa, quæ subsistit per Primæ Veritatis, sub obscuræ licèt revelationis velamine contectæ, attamen in se *immediatè* attactæ, atque ut sic motivæ *formalem in quarto perfectitatis modo* specificationem? Quandoquidem igitur judicium Papæ in definiendis dogmatibus fidei importet talem ex Primâ Veritate, *in se immediatè* attactâ, & ut sic motivâ, *in quarto perfectitatis genere* specificationem *formalem*; oportet, tale Papæ judicium eâ niti infallibilitatis præeminentiâ, ut tam non sit reformabile, quàm nefas foret, dicere, fidem ipsam, atque adeò Primam Veritatem esse reformabilem. At eo ipso, quòd ista in Petri Successore ceu Petrâ fidei firmitas circa fidei dogmata intrà Ecclesiam propaganda, ita sit primitus in Papa, ut exinde oporteat, per Petri, ejusque Successoris in fide firmitatem confirmari cæteros fratres, cunctosque adeò eidem subordinatos Pastores, quà in Concilio Oecumenico Ecclesiam quóque Universalem repræsentantes, oportet, fidei firmitatem in Petri Successore stipatam esse ulteriori Spiritûs sancti assistrice gratiâ, in vi cujus loquens ex Cathedra sua Apostolica eatenus proferat infallibile fidei judicium, ut per ejusdem Spiritûs sancti motionem reliqui Ecclesiæ Pastores ac Episcopi, quà in Concilio Generali sub vicario Christi charactere aggregati, sub sua cum Papa consensione Universalem Ecclesiam plenè repræsentantes, ejusdem fidei luminis judicium super dogmate definiendo in seipsis concipientes, super Ecclesiæ candelabro exponant tale fidei dogma, quà ex Primæ Veritatis motivo credendum à cunctis Christi fidelibus. Constat igitur, Papæ quà ex Petrâ, seu Cathedrâ Apostolicâ loquentis judicium eatenus esse in se irreformabile etiam antecedenter ad Ecclesiæ consensionem, ut per Spiritûs sancti assistentem gratiam sit ipsissimæ hujus fidelium, imò & Ecclesiæ Pastorum in Concilio etiam Generali congregatorum consensionis principium quasi propagativum.

Objectio.

41. SEd objicient fortassis adversarij, quòd Conciliorum Oecumenicorum procedendi modus eum teneat ordinem, ut Patres priùs consultent, ac per majora suffragia decernant de fidei Dogmatibus sanciendis, quàm Summi Pontificis expostulent approbationem atque consensionem. Sub ipsissimo autem hoc decernendi modo Patres in Concilium Oecumenicum coadunati, Dogmata fidei non aliter statuunt, nisi vel ex *immediato* Verbi Divini sensu, per fidei Divinæ assensum utique *formalem* asserto ac determinato, vel ex lumine principiorum fidei inter se, sive etiam cum veritatibus lumine naturæ notis, eatenus collativo, ut per illationem omnimodè certam inde eruantur conclusiones, quæ loco fidei Dogmatum habendæ statuantur. At lumen illud, fidei principiorum dicto modo collativum, indeque illativum conclusionum, quæ inter fidei Dogmata per Concilij Oecumenici definitionè recensendæ sanciuntur, eatenus resolvitur in Primam Veritatem revelantem, ut ex hac ipsissima fidei infallibilitas transfundatur etiam in conclusionem, dum scilicet, ut *superiùs* dictum fuit, mediante Theologicâ, certitudinem quóque Metaphysicam superexcedente illatione resolvitur in ipsissimam Primam Veritatem *formaliter* ac *immediatè* revelantem principium talis Theologicæ illationis, per quam conclusio in suo Principio *virtualiter* contenta, eatenus eruitur, ut sub ipso fidei lumine ex tunc per Oecumenici Concilij definitionem declaretur fidei Dogma. Quia igitur hic universus Patrum processus in Concilio Oecumenico est antecedens Papæ approbationem, consequens est, fidei firmitatem, in fidei Dogmatibus inter Concilium hujusmodi definiendis, per prius esse in Patribus, quam in Summo Pontifice.

Responsio.

42. DIscernere namque, oportet, fidei firmitatem tum quoad substantiam cuique actui per Primæ Veritatis revelantis motivum specificato inexistentem, tum quoad sui ad alios propagationem, sive quoad respectum erga Ecclesiam ac fideles universos, uti etiam quoad vim necessitatis ad credendum constringentis. Si ergo de illa priori fidei firmitate sit sermo, facilè concedo, posse in Patribus Concilij Oecumenici fidei Dogma ex Dei verbo concludentibus priùs inexistere, quàm Summi Pontificis approbatio accesserit. At si fuerit sermo de vi Dogmatum fidei ad universam Ecclesiam, cunctosque fideles sub necessitate obligationis *moralis* ad credendum omnimodè constringentis *propagativâ*, tunc istæc minimè sublimit ex Concilij adhuc *acephali*, seu Patrum fidei Dogmata ex Verbo Dei concludentium consensu, Summi Pontificis approbationem antecedente, sed ea vis ad cre-

dendum convincens, sub consummatâ fidei Dogmatum infallibilitate resultat primùm, ubi Duo, nempe Ecclesiæ sanctæ Caput Papa, nomen, ceu proprium à Christo *Matthæi. 18.* constitutum Concilij Oecumenici characterem præferens, ac reliquum ex Patribus in nomine Christi coadunatis consistens Hierarchicum Ecclesiæ Corpus censenserint in Dogma concordi suffragio stabiliendum. Cujusmodi proinde Duorum & Capitis & Hierarchici Corporis Ecclesiam Oecumenicam *perfectè* & *completè* repræsentantium, in Dogmate definiendo consensio, est quoddam quasi compositum *Morale*, respectu cujus Patrum in Concilio Oecumenico coadunatorum, aliquod fidei Dogma decernentium, conclusio ad instar inanimati corporis, sicque per modum quasi *materialis* se habet *antecedenter* ad authoritativum characteris, Christum in Papâ *vicariè* repræsentantis, dogmaque in Synodo *præcisivè* adhuc *acephalâ* conclusum approbantis accessum: adeò ut omnimoda Dogmatis definiti infallibilitas cum vi universam Ecclesiam, cunctosque ac singulos fideles ad credendum constringente, non priùs subsistat, quàm Papæ authoritativa consensio & approbatio accesserit; uti pluribus in *secundo* articulo ostensum fuit.

43. Unde in ordine ad eam consensionem, fidei omnimodâ infallibilitate ex Christi promisso munitam, Papæ ad fidei Dogma à Concilij Patribus definitum authorizativus accessus se habet ad instar *formalis*, utpote quasi vitam & animam tam Concilio Oecumenico, quàm Dogmati per hoc definiendo tribuentis. Eo ipso autem, quòd Papæ ad fidei Dogma condendum consensio aliter non fiat, nisi ex authoritate Cathedræ Apostolicæ, seu Petræ, super quam ædificatur Ecclesia, hæc verò Ecclesiæ super Apostolicæ Cathedræ petram fundatæ ædificatio, non nisi per fidem sit subsistens, sicque præsupponat in hac Petra fidei firmitatem Divinitùs stabilitam, idcircò manifestè hinc evincitur, fidei firmitatem in Cathedræ Apostolicæ Petrâ ad illud Duorum, scilicet Capitis & Corporis Hierarchici, Ecclesiam in Concilio Oecumenico perfectè repræsentantium consensionis, quasi compositum *morale* ita se habere, ut fidei firmitas in Papâ ceu Capite Ecclesiæ sit antecedens infallibilitatis in fidei Dogmatibus consummatæ vim ad credendum universos fideles constringentem, eò vel maximè, quòd se habeat per modum quasi formæ seu animæ, sicque adeò aliquam respectu illius præferat causæ prioritatem, ac respectu Decretorum à Concilij *præcisivè* adhuc *acephali* Patribus conclusorum, quâ illâ vi ad credendum constringente superveniendorum, importet formæ seu quasi animæ præeminentiam.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur fidei firmitas *quoad se* & *quoad ipsam rei veritatem* esse quidem in Summo Pontifice antecedens Ecclesiæ consensionem, attamen *quoad nos* respectu hujus dici possit consequens cum aliqua signi seu naturæ quasi posterioritate.

44. Alia principij cujuspiam certitudo omnimoda, est *quoad se*, quemadmodùm superiùs dictum est, judicium Papæ quâ ex Petrâ, seu Cathedrâ Apostolicâ definientis, utpote formalissimum fidei actum ex Prima Veritate in se *immediatè* attacta specificatû, esse certitudinis omnimodæ ac prorsus consummatæ. Alia verò principij cujuspiam certitudo est *quoad nos*, in vi cujus veritas *per se* omninò certa, ita applicatur ad nostrum intellectum, ut hunc convincere valeat ad sui assensum. Quamvis proinde judicium Papæ ex Cathedrâ loquentis sit omninò certum, etiam antecedenter ad Ecclesiæ consensionem: attamen quæstio hîc est, quo medio & argumento certificari valeamus, quòd, cùm Papa uti Doctor privatus errare possit, circa aliquod fidei dogma loquatur ex Cathedrâ Apostolicâ, suum adeò judicium ex ipso fidei lumine in publicum proferendo? An ex nudâ Papæ ad Universam Ecclesiam se loqui profitentis assertione tale existet argumentum convincens, per quod omninò certi simus, ipsum loqui ex Petrâ & Cathedrâ Apostolicâ? Sed ex quo Dei Verbo vel tradito, vel scripto exstat nobis manifestum argumentum, nos plenè convincens, per hanc nudam assertionem Papæ *antecedenter ad Ecclesiæ consensionem* assecurari nos de hoc, quòd Papa loquatur ex Cathedra? Multum equidem ponderis subesse credimus in diplomate Pontificio, talem assertionem præferente, ita ut tutum non sit, ab ea declinare, sed quo fidei argumento inde certificamur de Papæ, quâ ex Cathedrâ loquentis verbo non jam humano, sed Divino, quamdiu ei non accesserit vel Ecclesiæ sanctæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel universorum Ecclesiæ Doctorum, ac fidelium unanimis comprobatio?

45. Harum verò alterutrâ accedente, scientes ex sacris Litteris: *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis*; eatenus assecuramur de hoc, quòd Papa ex Cathedra sua Apostolica definierit, sicque ipsissimum Dei verbum ex fidei lumine per Spiritum sanctum primitùs intrâ ipsum moto ac excitato, ac inde ad Ecclesiæ consensionem propagato, verè protulerit, ut huic equidem Papæ verbo & judicio ex *consensione* Ecclesiæ nihil accrescat certitudinis fidei, quippe cùm ex hujus intrâ Papâ Divinitus excitati luminis emanatione, jam subsistat omnimoda per Primam Veritatem in se *immediatè* attactam specificata fidei certitudo omnium maxima, nullum adeò in se admittens *formale* incrementum. Nihilominùs, quia *Ecclesiæ consensio* facem præfert argu-

argumenti, convincentem prudentialis fidei credibilitatis evidentiam practicam importantis, idcircò *ex tali Ecclesiæ consensione* accrescit Papæ judicio aliquod certitudinis *practicè* convincentis fundamentum, ut exinde jam dici queat *quoad nos* reddi certius, quòd Papæ judicium ex Petra & Cathedra ipsius Apostolicâ promanârit.

PROBATIO III.

Prioris continuativa & explicatoria per similitudinem mox exponendam.

46. ADaptari hîc percommodè potest illud Christi verbum *Matthæi 5.* dicentis: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Dum namque Papa definit *ex Cathedrâ Apostolicâ*, profert verbi Divini lucernam, ex ipso fidei lumine accensam, primitus quidem pectore suo reconditam, sed posteà diplomate suo fidelium conspectui exponi inchoatam, ubi verò consensione Ecclesiæ est comprobata, super candelabro eatenus positam, ut luceat omnibus, qui sunt in domo sanctæ Ecclesiæ. Hæc enim Ecclesiæ vel in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel in fidei unitatem conspirantis consensio, est quasi candelabrum, præbens evidentiam credibilitatis prudentialis, in vi cujus argumentum *practicè* convincens resultet ad fidei assensum, Verbo Dei per Papam *ex Cathedrâ* loquentem definito necessariò præbendum. Quemadmodùm igitur candelabrum nihil lucis affundit lucernæ super ipsum positæ, attamen hanc adaptat, ut lucere possit omnibus, qui in domo sunt; sic Papæ ex Cathedra definientis judicium ipsâ per Primam Veritatem specificatâ certitudine collucens, nullum certitudinis fidei propriæ incrementum recipit *ex Ecclesiæ consensione*, attamen per hanc, ceu prudentialis credibilitatis *practicè* convincentem evidentiam adaptatur, ut luceat omnibus, qui sunt in sancta domo Ecclesiæ, quatenus *ex Ecclesiæ consensione* resultat obligatio, sub ipsâ fidei necessitate constringens ad assentiendum dogmati per Papam definito, in vi cujus, oporteat, respectu dogmatis tali modo super candelabrum positi, intellectum captivare in fidei ac Primæ Veritatis obsequium.

Corollarium.

47. EX dictis infertur. Hanc propositionem, *quòd judicium Papæ ex Cathedra loquentis sit omnimodè certum, ac irreformabile*, non ineptè æquiparari posse cum istâ propositione; quòd de fide sit, *Innocentium XI. esse Papam legitimum, Christi in Ecclesiâ Vicarium, Pastorem Oecumenicum.* Explicatur. Quemadmodùm enim ista posterior propositio est de fide, quatenus continetur in hac universali, quòd *legitimus Petri Successor sit Christi in Ecclesiâ Vicarius, & Pastor Oecumenicus*; sic dogma a Summo Pontifice definitum est de fide, quatenus continetur sub istâ universali, *quòd Petri Successor loquens ex Cathedra Apostolica sit Petra, super quam ædificatur Ecclesia*, cumque Ecclesiæ ædificatio fit *formaliter* per fidem, oportet, *quòd dogma à Papa taliter definitum sit fidei verbum.* Quamvis proinde extiterit fide Divinâ certũ, quòd Innocentius XI. ab illo statim instanti, quo per Cardinalium designationem cœpit esse legitimus Petri Successor, inceperit esse Christi in Ecclesiâ Vicarius & Pastor Oecumenicus, attamen ipsissima hæc fidei veritas *quoad nos* ex tunc primùm accepit convincentem prudentialis credibilitatis evidentiâ *practicam*, quando non rumoribus duntaxat humanis, seu litteris quantumvis authenticis fuit ad nos delata, sed quando ei accessit consensio Ecclesiæ. Pari igitur ratione, si Papa *ex Cathedrâ* definiat fidei articulum, litteræ quantumvis authenticæ ultimam *quoad nos* certitudinem, & prudentialis credibilitatis evidentiam consummatam *sub fidei necessitate* constringentem ad credendum non adferunt, *quòd Papa sit locutus ex Cathedra*, sicque adeò *dogma tanquam de fide certum definitum fuerit*, nisi *mediante Ecclesiæ* in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel in fidei unitatem conspirantis *consensione.*

DISQUISITIO III.

Vtrùm ex sacris Litteris demonstrari queat, Papæ ex Cathedra loquentis judicium esse irreformabile?

§. I.

1. HUjus quæsiti resolutionem affirmativam affirmant Doctores ijsdem semper sacræ Scripturæ textibus, diversimodè licèt pro ingeniorum varietate applicatis. Quia proinde ipsissima hæc judiciorum in hominibus discrepantia delectatur differentibus proponendi modis, visum nobis est operæpretium, aliorum Doctorum judicia hâc super re priùs audire, quàm ut nostram ex ijsdem Divinis Oraculis argumentandi methodum proferamus.

2. Author igitur *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 2.* ad præsens institutum, sequenti normâ procedit. Summum Pontificem, inquiens, esse Caput Ecclesiæ, professi sunt etiam ipsi Episcopi Parisijs anno proximè præterito congregati ad cohibendam Curiam Romanam, ne, ut ipsi metuere videbantur, jurisdictionis Episcopalis jura paulatim invaderet, & infringeret. Et sanè Concilium Constantiense, cui Galli tantùm deferunt, inter alios Wicleffi articulos, illum damnavit, qui hanc Papæ dignitatem, authoritatemque abrogabat. Quónam autem fundamento nititur Catholica doctrina, hæreticorum, & schismaticorum acephaliæ opposita? Ubinam Evangelij de Pontifice Romano fit mentio, cùm ne quidem Pontifex Romæ existeret, quando res in Evangelio narratæ

gestæ sunt? Sufficit, inquiens, ut certò sciamus, Summum Pontificem esse successorem S. Petri, ut inde certò etiam colligamus, illum hujus esse dignitatis & authoritatis hæredem. Ita est omninò. Ad Divinam enim providentiam pertinet, ut quibus idem confert officium, eandem tribuat authoritatem.

3. Atqui evidentiùs in Scripturis (de Traditione enim constabit ex sequentibus capitibus) patet, D. Petrum, ut supremum Ecclesiæ Pastorẽ, tam privilegium non errandi in fide obtinuisse à Christo, quàm Romanos Pontifices fore sancti Petri successores in cura universarum Christi ovium, cur ergo, qui in Romanis Pontificibus istud sancti Petri officium agnoscunt, etiam nihil à fide alienum statuendi prærogativam eis non concedunt? Petrum, ut Ecclesiæ Pastorem privilegium non errandi à Christo accepisse, ita est in Evangelio luculenter significatum, ut nihil videatur in eo luculentius. *Lucæ 22.* ait Dominus: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quocirca patet *primò*, Christum aliquam Petro præ cæteris Apostolis gratiam postulâsse; ad eum enim singulariter dirigitur sermo: *Simon, Simon; Pro te; Fides tua; Et tu; Confirma fratres tuos.* Quodque prælationem Petri specialiùs indigitat, cùm communem omnium Apostolorum circa fidem tentationem commemorâsset, reliquis prætermissis, ad Petrum solùm sermonem dirigit: *Ecce Sathanas expetivit vos; Ego rogavi pro te.* Sed quid dico prætermissis? Imò eorum expressâ factâ mentione, sed eo fine, ut doceat eos à Petro, vel eorum successores à successoribus ejus confirmandos in fide; *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* *Secundò* patet, hanc gratiam à Christo impetratam Petro, non ut privatæ personæ tantùm, sed ut Apostolo, & Apostolorum ipsorum Pastori; *Vt non deficiat fides tua; Et tu confirma fratres tuos.* *Tertiò* conjunctio. &, causam indicare videtur, cu Christus pro Petro specialiter rogaverit, fidemque indeficientem exoraverit, scilicet, ut alios confirmaret; *Non deficiet fides tua; Et tu confirma fratres tuos.* Quod ad officium, atque adeò ad successores pertinet.

Porrò, quâ ratione alios posset confirmare, qui titubaret ipse? vel potiùs quomodò 4. posset labantes sustinere, aut lapsos erigere, si ipse non solùm per hæresim jam corruisset, sed etiam alios per propositionem hæretici dogmatis, publicè toti Ecclesiæ factam, ad casum posset impellere? Necesse est, ut firmiter stet, cujus officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare: eum, qui dux aliorum constituitur, oculis valere oportet. Alioquin illorum incolumitati non consulitur, sed utrique ad foveam mittuntur; præsertim, dum non est alius, qui à recto tramite deviantes moneat. Quod addo, ne quis reponat, posse fideles à Summo Pontifice deceptos ad veritatis viam revocari à Concilio Generali. Sicut enim (quod in anterioribus nu- tavimus) tribus primis sæculis impossibile fuit, Concilium Generale congregare, ita rotidem, & pluribus posset eadem facultas deesse, his præsertim temporibus.

Sed ut ad propositam rationem redeamus, quo Scripturæ loco tàm apertè declaratur, Romanum Pontificem esse Beati Petri successorem, & Caput Ecclesiæ, quod de fide esse, concedunt etiam Illustrissimi Episcopi Gallicani; quam eo, quod adduximus, testimonio constat, Beato Petro, ut Ecclesiæ Capiti, & supremo Pastori datam esse fidem indeficientem. 5

Dum Christus *Ioann. ult.* suas oves Petro pascendas commisit his verbis: *Pasce oves meas*, nónne cum officio, cætera etiam, illi ritè obeundo necessaria elargitus est; quo in genere videtur fuisse indefectibile in materia fidei judicium. Cùm enim id maximè curare debeat spiritualis Pastor, ut fides incorrupta servetur in grege, quippe quæ radix sit, quâ permanente, revivíscere facilè cæteræ virtutes possint, quâ sublatâ, pene omnis sublata sit spes salutis, ac sinè fide impossibile sit placere Deo, vel salutem æternam consequi: convenit omninò, ut cui suprema totius gregis Dominici cura incumbit, eâ dote præditus sit, ut oves ipsius vocem sequentes a venenosis errorum herbis se non inficiendas, sed salubribus veritatis pascuis alendas, & impinguandas securissimè confidant. 6

Prætereà, ut Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis (hanc enim ei dotem tribuit Spiritus sanctus per B. Paulum *1. Timoth. 3.*) firmiter stet, necesse est, ut fundamentum, quo nititur, sit in fide firmum, & inconcussum, Petrus autem, ejusque adeò Successor Romanus Pontifex est fundamentum Ecclesiæ, ut ipsemet Christus Petro revelavit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.* Debet ergo Romanus Pontifex ut fundamentum Ecclesiæ, id est, quando toti Ecclesiæ fide credenda proponit, in fide ipse firmissimè stare, ne illo deficiente, totum Ecclesiæ corruat ædificium. Ecquis enim, nisi fortè ab Ecclesia cum modernis hæreticis extorris, concedere audeat, Ecclesiam concidere posse, dicente Christo post verba modò adducta: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam?* Quis sinè horrore audiat, vel audit etiam omninò hominem blasphemantem, & conferentem Christum *viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam?* Hinc sequeretur error hæreticorum: *Et descendit pluvia, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Nónne potiùs Christus super Petram ædificans Ecclesiam suam, assimilabitur *viro sapienti, qui ædificavit domum suam super Petram. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit?* Sed quæ tantæ firmitatis est causa? *Fundata enim erat super Petram. Matth. 7.* 7

Certè non sinè aliquo mysterio Christus 8 nomen proprium Simonis in nomen Petri, aut Petræ commutavit, hoc enim tantùm signi-

significat vox Græca, & ita Christus ipse interpretatur. Mysterium autem illud indicant verba *suprà* relata: *Tu es Petrus, & supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quorsum enim Christus post confessionem suæ Divinitatis à Petro, revelante Patre cælesti, factam, dixisset: *Tu es Petrus*, nisi eo nomine significare voluisset, se hanc ei dignitatem pro illius confessionis præmio conferre, ut immotum esset Ecclesiæ fundamentum, sicut explicant verba sequentia: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

9. Hæc autem dixit Christus Petro post publicam illam fidei professionem: *Tu es Christus filius Dei vivi*, quam tantoperè laudavit Christus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* quam confessionem solus edidit Petrus, licèt interrogati omnes Apostoli fuissent: *Vos autem, quem me esse dicitis?* Ut intelligas, eum totam Ecclesiam repræsentasse, cujus futurus erat fundamentum.

§. II.

Referuntur ac expenduntur Adversariorum argumenta cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexivâ.

10. AUthor *Regalis sacerdotij lib. 3. §. 2. n. 4.* observat, si Adversarij Conciliorum authoritatem Pontificiæ ita præferrent, ut tunc solùm Pontificis sententias & definitiones in dubium vocarent, cùm à Concilio improbantur, tolerari utcunque posse: sed ipsos, nullius Concilij expectatâ sententiâ, sibi judicium arrogare super reformandâ Papæ definitione, eo solo prætextu adductos, *quòd Papa extra Concilium errare possit.* Circa hoc igitur prætensum, sed uti *inferiùs* patebit, fallum principium, videre hîc lubeat, quibus adversa pars nitatur argumentis.

ARGVMENTVM I.
Adversariorum.

11. EX parte istorum opponitur. Ipsosmet sanctos Patres, & Canones dicere, quòd Pontifex in hæresim lapsus judicari debeat à Concilio. Supponitur ergo, posse in hæresin labi.

Responsio.

12. AUthor *præcitatus §. 9. n. 1.* respondet. Canones expresse loqui de errore *personali*, non *judiciali*. Nempe Pontificem posse quidem hæreticum esse, non tamen posse hæresim publicè, & *ex Cathedrâ* docere, quemadmodùm Petro, ac Ecclesiæ promissum fuerit. Etenim error *personalis* vel occultus est, vel privatis scriptionibus à Pontifice sine imperio inspersus, nihil adeò nocens Ecclesiæ, cùm omnes sciant, Pontificem *extra Cathedram* errare posse, nec illius privatas opiniones alio vultu, quàm privati Doctoris legant, tantumque illis tribuant, quantum ponderi & rationis habent. Cujus rei exemplum in Veteri Testamento habetur *Num. 14.* ubi Baalam Propheta Dei, quamvis vellet, maximeque percuperet, populo Israelitico maledicere, nunquam tamen, Deo prohibente, potuit: *Non potero*, inquiens, *præterire sermonem Domini Dei mei.* Neque Summo Antiqui Fœderis Sacerdoti canebat Oraculum, nisi sacris induto, & Pontificem agenti. Idem ergo est dicendum de Romano Pontifice loquente *ex Cathedrâ.*

Objectio.

13. EX parte adversa replicari potest. Perpetuum fore miraculum, si homo dicatur errare non posse, vel quam in se concepit, hæresin docere non posse.

Responsio.

14. IDem Author *ubi suprà* respondet. Verum dici, si per miraculum hîc intelligatur res viribus naturæ superior: neque verò istud in Ecclesiâ esse novum, sed quotidianum, uti patet in justificatione peccatorum, administratione Sacramentorum, & incruento Missæ sacrificio. Nec porrò difficilius esse Deo, agere supra, ac juxta naturam, cùm omnia voluntate, ac nutu peragat, nihilque naturæ creatæ sit magis innatum, quàm volenti Deo obedire, ut quidquid, agente Deo, naturæ supra naturam accidit, ipsi sit magis consentaneum, quàm ipsa natura, quam Philosophi vocant potentiam obedientialem.

ARGUMENTUM II.
Adversariorum.

15. EX parte adversa licet 2. argumentari. Assistentia Spiritûs sancti est Romano Pontifici ea sub conditione promissa, ut is in rebus fidei declarandis sufficientem adhibeat diligentiam, humanoque procedat modo, prout in rebus arduis, summique momenti homines solent, nec enim, si intemperijs agitato aliqua excideret constitutio, eam continuò per fidei dogmata recipiendam esse. Unde duplex duci argumentum. *Primum*, quia ut huic necessariæ diligentiæ satisfiat, videri Concilium omninò necessarium, quippe cùm hujus indictio sit supremus gradus humanæ diligentiæ, quâ major adhiberi non possit. *Secundum*, quia nobis constare non potest, an Romanus Pontifex sufficientem, & inveniendæ veritati necessariam adhibuerit diligentiam, ideo etiam constare non posse de veritate ab eo factæ decisionis, utpote quæ alligata sit illi diligentiæ.

Responsio.

16. PRæfatus Author *Regalis sacerdotij cit. §. 9. n. 3.* respondet. Verum esse, quòd oportteat,

teat, Romanum Pontificem adhibitis pro negotij qualitate, Doctorum consilijs, matureque expensâ rei veritate, res fidei decernere, nec Deum præcipitanti in re tanta, & temerarijs sententijs radium suum accommodare: sed ad has humanæ industriæ partes explendas, minimè necessaria esse Concilia. Si enim hæc essent necessaria, cur in primitivâ Ecclesiâ tot hæresibus agitatâ, cessatum est à Concilijs? Imò hæc impedimento potiùs sunt, ubi lenta remedia morbus non admittit, quod maximè in hæresi extinguendâ verum est, quæ nisi in favilla opprimatur, in incendium erumpit. Quòd si ponatur casus, in quo sit opus Concilio, Deum, qui nunquam Ecclesiæ in necessarijs deest, neque hîc defuturum: neque tamen Pontificis sententiam tunc esse alligatam plurium suffragijs, sed illi parti, quam æquiorem crediderit, quamvis minori: quippe cùm ad prudentiam, humanamque industriam minimè pertineat, pluribus semper adhærere, sed melioribus.

Objectio.

17. INstari potest ex parte adversa. Unde constare posse, quòd à Pontifice sit præstita diligentia sufficiens ad fidei dogma statuendum, seu qualis ad hoc requiratur causa, maximè cùm hoc sit *Facti*, in quo Pontifex errare possit?

Responsio.

18. AUthor *præcitatus cit. n. 3.* reponit: Idem opponi posse Concilio, cùm hoc etiam in *Facto* errare possit. Esse igitur aliqua, quæ ad *Factum* quidem spectant, sed quia à Deo revelata sunt, aut saltem cum revelatis connexa, & ad publicum Ecclesiæ bonum spectantia, in ijs æquè, ac in *Iuris* quæstionibus, neque Pontificem, neque Ecclesiam errare, aut deficere posse: Deo enim curæ esse, ne desint fini à se præfixo media accommodata. Cùm ergo voluerit Deus, sententias fidei à Pontifice latas, haberi ratas fixasque, nec errore aliquo corruptas, ipsum etiam curare, ne sint temerariæ, cæcoque impetu & absque consilio profusæ: quemadmodùm quia Deus Abrahæ filium promiserat, & ex filio perpetuam successionem, ipsumque Messiam; ad eundem spectâsse Deum, ut à sterili filius nasceretur, nec ante tempus, quamvis occidi jussus, quamvis gladio jam subjectus, vitam finiret. Quod pulchrè S. Paulus *ad Romanos cap. 4.* exprimere: *Et non infirmatus est*, inquiuntem, *Abraham fide, nec consideravit, corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

CONCLUSIO.

19. PApæ ex Cathedra loquentis in fidei dogmatibus decidendis non consummatum duntaxat judicium, consistens *formaliter* in fidei actu per Primam Veritatem specificato, omnimodam habet certitudinem, sed prudentialibus etiam Summi Pontificis ex Cathedra Apostolica decernentis actibus, ad fidei præsertim judicium *prævè* dispositivis, *practica* supernaturalis dictaminis à Spiritu sancto moti inexistit certitudo.

Explicatur. Hujus conclusionis non inepta fit explicatio ex processu actûs, quo sacræ Scripturæ libros antehàc abiconcitos contigit, aliquando definiri tanquam Canonicos. Antiquitus nimirum in Catalogum Canonicorum, ac Divinorum voluminum non erant relati libri Tobiæ, Judith, Esther, Sapientiæ, Ecclesiastici, duo Machabæorum &c. & tamen de ijs semper emicabant in Christi Ecclesiâ quædam scintillæ argumentorum, ex quibus S. Augustinus *lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.* permotus fuit, ut catalogum sacrorum Veteris Testamenti librorum eundem cum illo statueret, quem sacra Tridentina Synodus tandem definivit.

Ipsissima illa argumenta in tantum resplendere cœperant, prudentialisque credibilitatis evidentiam eâ cum energiâ exerebant, ut libri illi antehàc apocryphi in Concilio Carthaginensi III. reciperentur tanquam Divini. In vi eorundem argumentorum magis ac magis in Ecclesiâ sanctâ relucentium inducebantur Innocentius *1. in epist. 3. ad Exuperium*, & Gelasius in decreto *de libris sacris, & Ecclesiasticis* in Concilio Romano septuaginta Episcoporum, ut libros illos referrent in catalogum Divinorum voluminum. Quid ni ergo dixeris, in hoc statu scintillas argumentorum ex cineribus quasi emicantium, à Spiritu sancto excitatas, in illorum Summorum Pontificum mentibus susciitâsse facem quandam supernaturalis credibilitatis, sub qua fuerit formatum judicium prudentiale supernaturale, eo ipso, quòd à Spiritu sancto ingerebatur, *practicè* infallibile, in vi cujus voluntas eorundem Pontificum supernaturali Spiritûs sancti motione excitatâ, intellectum illorum, fidei lumine informatum raperet in obsequium Primæ Veritatis sub modo adhuc latentis, sed ob mentis oculos in illis Summis Pontificibus per supernaturalem credibilitatis prudentialis evidentiam positæ, per ipsius fidei infallibilem, ac irreformabilem certitudinem amplexatæ, indeque per decreta authoritativa super Ecclesiæ candelabrum collocari cœptæ. Quare illa de prætactis sacris Voluminibus per Summos Pontifices Innocentium, ac Gelasium definita, ut sic per Primam Veritatem in se *immediatè* attactam *formaliter* specificata veritas ex tunc in eo erat statu, ut Papæ *ex Cathedrâ* decernentis judicio, fidei actum *formalissimè* importanti non posset major *quoad se* accedere firmitas: attamen *quoad nos*, in ordine scilicet ad fidelium certificationem, Veritatis ejusmodi Divinæ erga cunctos fideles *prudentialiter* applicatoriam, is fuerat progressus, ut ipsissimus ille Divinorum Volumi-

luminum catalogus à Concilio Florentino in *Decreto Eugenij ad Armenos*, & tandem à Tridentino *Sess. 4.* eatenus poneretur super candelabrum sanctæ Ecclesiæ, quatenus *per Universalis Ecclesiæ eâ Oecumenicâ Synodo repræsentatæ consensionem* illi fidei firmitati adaptabatur convincens credibilitatis superoaturalis prudentiale *practicè* omninò certum ac evidens argumentum, in vi cujus obstringerentur fideles ad præstandum fidei assensum veritati taliter definitæ.

21. Quemadmodùm proinde Papæ judicium dogmatis illius ex ipso fidei *Formali* motivo, atque adeò ex Primæ Veritatis superimmensâ authoritate determinativum, sicque ex *Petra, seu cathedra Apostolica*, supra Ecclesiæ sanctæ candelabro poni cœptum, obtinebat infallibilem non fidei duntaxat *in substantia supernaturalem* certitudinem, sed huic in Papa præluccbat fax quædam prudentialem credibilitaris evidentiam ingerens *in substantia æquè supernaturalis*, ac *practicè* demonstrans veritatem illam sub fidei modio latentem, ex Primæ Veritatis motivo meritò amplectendam, indeque publicæ fidei exponendam, atque super candelabrum sanctæ Ecclesiæ constituendam esse, ut *luceat omnibus, qui in domo Dei sunt.* Sic proinde eâ fidei veritate *per Ecclesiæ sanctæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem* super candelabro jam positâ, fideles universi á Spiritu sancto pariter ducuntur ad fidei assensum eidem præstandum, in Primæ Veritatis obsequium captivando intellectum suum, ex supernaturali Spiritûs sancti motione directâ per convincentem credibilitatis prudentialis evidentiam, *Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ cum Capite consensioni* innixam, cujusmodi adeò judicium fidei prævium, voluntatisque per Spiritum sanctum movendæ, & intellectum fidei lumine informatum in fidei obsequium captivanti prælucens, æquè supernaturale est, obtinens adeò *supernaturalem practicam* certitudinem. Quod proinde cujusque fidelis proprium tum fidei, tum prudentialis credibilitatis supernaturale judicium *in substantia* non differt á judicio Papæ ex *Cathedra Apostolica* ceu *fidei Petra* ad universam Ecclesiam, sive in Concilio, sive extra Concilium loquentis: sed tota differentia est in hoc, quòd Spiritûs sancti gratia talis judicij tum fidei, tum prudentiæ supernaturalis directiva & efformativa, cæterorum fidelium subjectum *ordinariè* non egrediatur; in Papa verò *quà Ecclesiæ Capite* sit ejusmodi Divinæ gratiæ effluxus erga totam Ecclesiam, in vi cujus per Spiritum sanctum directionis, Papa *ex cathedrâ* loquens non possit decernere, ac Ecclesiæ denuntiare aliud, quam verum fidei judicium, unà cum prudentialis supernaturalis credibilitatis argumentis *practicè* certis, & fallere impotentibus. Et hæc est fundamentalis ratio, per quam certò asserere licet, tum quòd Papa *ex Cathedra loquens* errare non possit, tum quòd in dogmaticis sanctionibus eâ potiatur Spiritûs sancti assistentia, per quam non ex prudentiâ humanâ erroti obnoxiâ, sed ex supernaturali per Spiritum sanctum motâ ac directâ prudentiâ decernat; prout magis elucidabitur per subsequentes argumentorum adversantium confutatorias probationes.

PROBATIO I.

Confutatoria 1. Adversariorum argumenti.

Quid ni enim, quod de quovis per fidei supernaturale lumen, ac prudentiam infusam vi sacramenti Baptismatis instructo verificatur, proportionabiliter dicere fas sit de Summo Pontifice? At in quolibet homine fideli verum obtinet, quòd, dum operatur ex fidei lumine supernaturali, vel etiam infusæ prudentiæ habitu, ut sic errare non possit; cùm cæteroqui error seu *speculativus* fidei lumini, seu *practicus* prudentiæ infusæ habitui imputaretur, sicque reduceretur in ipsum Spiritum sanctum. Quotiescunque igitur Papa procedit ex ipso fidei supernaturali lumine, ac infusæ prudentiæ habitu, nefas foret dicere, ipsum ut sic errori obnoxium esse. At verò quando Summus Pontifex, non quà privatus Doctor tractat de rebus fidei, sed ejusmodi dogmata decernit *ex Cathedrâ suâ Apostolicâ*, ut ille procedit *ex Petrâ*, super quam ædificatur Ecclesia. Eo ipso autem, quòd Ecclesiæ forma substantialis sit fides, atque adeò Ecclesiæ ædificatio sit *formaliter* per fidem, oportet, Papam *ex Petrâ, seu Cathedrâ Apostolicâ* fidei dogma definientem, loqui ex ipsâ fide per prudentialem supernaturalem Spiritûs sancti directionem excitari solitâ. Quemadmodùm igitur fidei lumen in suis actibus nequit errori obnoxium esse, uti nec infusa prudentia in suæ supernaturalis directionis dictamine potest *practicè* fallibilis esse; sic neque Papa in fidei dogmatibus *ex Cathedra sua Apostolica* decernens, potest errori & fallibilitati obnoxius esse, tametsi quasi á posteriori *quoad nos*, circa hoc *Facti* punctum, quòd Papa decreverit *ex Cathedrâ*, ceu *fidei Petrâ*, majoris adhuc assecurationis firmitas accrescere in nobis valeat *ex Ecclesiæ Universalis cum Capite consensione*, ceu infallibili prudentiali argumento *practicè* nos certificante de illo, quod est *Facti*, id est, quòd Papa definierit *ex Cathedra sua Apostolica*. Atque hæc in homine, legitimo Petri Successore, quà ex Pastoralis officij supereminentiâ procedente, inconcussa infallibilitas non tam miraculum, utpote ejusdem ordinariam importans prærogativam, quam supernaturale donum gratiæ tum fidei, ac supernaturalis prudentiæ, tum gratis datæ, reputandum est. 22.

PROBATIO II.

Refutatoria 2. Adversariorum argumenti.

Providentia namque Divina disponens omnia *suaviter* in agibilibus humanis, ita se attemperat conditioni hominum, ut, quemadmo- 23.

admodùm prudentia naturalis duobus nititur principijs; *altero* se tenente ex parte finis, in eo quà rectæ rationi consono procurando; *altero* se habente ex parte mediorum, in his per circumspectam omnium circumstantiarum providè, ac ex honestatis ratione pensandarum considerationem, convenienter ordinandis: sic prudentia infusa per Spiritum sanctum moveri, ac dirigi consueta, æquè supponit in homine tum finis rectitudinem etiam supernaturalem, tum mediorum ad hunc ex supernaturali honestatis moderatione circumspectam præmeditationẽ. Quæ equidem in homine circumspectio se habet erga prudentiam infusam per modum quasi *materialis*, cui Spiritus sanctus superstruit gratiæ suæ directionem, humanæ intelligentiæ vires superexcedentem, omnimodæ *practicæ* etiam supernaturalis cetritudinis superinductricem. Ejusmodi proinde prudentiæ non humanæ & naturalis, sed infusæ ac supernaturalis directio intervenit in ijs etiam, quæ *Facti* sunt, dum Papa *ex Cathedra sua Apostolica* decernit. Quare *per se* & *quoad ipsammet rei veritatem* prorsus certum est, quotiescunque Papa erga Universam Ecclesiam decernit ex vi sui Pastoralis muneris publici ac Oecumenici, ne in ijs quidem, quæ *Facti* sunt, *practicè*, id est, *quoad rectitudinis moralitatem* à se præceptam, esse erro[illegible]oxium, licèt *materialis* quidam inte[illegible]ier error, qui tamen neque prudentiæ infusæ, neque honestatis *moralis* ut sic intentæ, ac definitæ *formalem* bonitatem inficere posset.

24. Nihilominùs, ut *quoad nos* subsistat certitudo, quà securi omninò simus, quòd Papa egerit ac decreverit, non ex humanâ & naturali, sed infusâ ac supernaturali prudentiâ, ad hoc indigemus singulari quopiam argumento nostri intellectûs eâ super re certificativo, dum prudentiæ supernaturalis *practicè* infallibilis, & naturalis errori etiam *practico* obnoxiæ differentias in seipsis penetrare haud valemus. Promisit equidem Christus Apostolis, se ad finem usque mundi cum ipsis, eorum adeò etiam Successoribus futurum, Spiritumque sanctum edocturum eos omnem veritatem, ex vi hujus tamen præeminentiæ non extraxit illos è sorte hominum, per quam errori sunt obnoxij: attamen in gradu Apostolico constitutos Pontifices Summos, quà *ex hujus Cathedra* decernentes, dotavit infallibili Spiritûs sancti assistentiâ. Unde quamprimùm certificantur fideles, Papam decernere ex hac Apostolica Petra, *practicè* certi esse debent tum de fidei veritate, tum de *morali* honestate decreti hujusmodi. Quæ proin de Papæ, quà ex *Cathedra* loquentis præeminentiâ, per Spiritum sanctum mota & directa certificatio omnimoda, quasi *ultimatè* & permaximè innotescit fidelibus, *ex Ecclesiæ cum Capite suo intrà Concilium Oecumenicum repræsentatæ consensione*; uti *ex antecedentibus* constare licet.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur cum conclusione super ijsdem reflexivâ.

ARGUMENTVM I.

Ex Veteris Testamenti tabulis desumptum.

ITa namque habetur *Deut. 16. Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & lepram, & judicium intrà portas tuas videris verba variare; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniêsque ad sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, ex decreto Judicis morietur.* Ad hoc Domini præceptum respiciens Iosaphat Rex *Paralip. 2. cap. 19.* sic alloquitur Sacerdotes: *Omnem causam quæ venerit ad vos fratum vestrorum, ubicunque quæstio est de lege, & de mandato, de cæremonijs, de justificationibus, ostendetis eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Unde *Ecclesiast. 12.* dicebantur *verba Sapientum esse stimuli, & sicut clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* 25.

Ex *præcitato* igitur Deuteronomij textu sacro Author *Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 2. n. 1.* sic argumentatur. Vel Summi Sacerdotis in Veteri Testamento infallibile, & irreformabile erat judicium, vel non? Si erat, hoc ipsum est, quod volumus, quodque probare intendimus: nec enim privilegium & assistentia Spiritûs sancti Synagogæ concessum, Ecclesiæ longè nobiliori negandum est: utpote quam toto orbe diffusam impugnant hæreses, & proinde uno & infallibili Judice magis indiget, qui finem discordijs imponat. Si verò Summi in Antiquo Fœdere Sacerdotis sententia infallibilis & irreformabilis non erat: cur ab illa non admittitur appellatio? & qui non acquiescit, mori jubetur? Planè dignus morte non est, qui in rebus fidei dubiam, incertamque sententiam non admittit, cùm fidem oporteat, esse indubiam, certamque; nec unquam nisi injustè, ultimo supplicio affectus sit, qui à judice & sententia appellavit, à qua appellare potuit, quæ scilicet ultima non est. 26.

Objectio.

INstari potest ex parte adversa. Pontificis 27.
in Veteri Testamento sententiam fuisse quidem certam, sed à Pontifice in Concilio & ex Concilij suffragijs latam, ut patet ex verbis sacri Textûs, qui non de uno Pontifice, sed de pluribus loquitur; & ideo Hebræi & Sigonius *lib. 6 de repub. Hebr. c. 7.* explicavit de Magno Concilio Sanhedrim, quod 70. viris

viris constabat, non ergo potest ex hoc Textu deduci, Summi Pontificis sententiam, etiam extra Concilium docentis, ultimam esse, ac irrefragabilem.

Responsio.

28. SAnhedris non fuit Concilium Generale, cùm 70. tantùm viris constaret, quorum multi Sacerdotes non erant, non ergo potest ex hoc loco argumentum pro Concilio Generali adduci. Deinde esto, Generale fuerit, illi tamen Pontificis Maximi sententia astricta non erat: de solo enim Summo Sacerdote dicitur. *Qui autem superbiens, noluerit obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morte morietur.* Et ideo solus Pontifex maximus Rationale, & Oraculum *Vrim-Vethummim* ad pectus gestabat, cum inscriptione: *Iudicium & veritas*: solus etiam & sinè Concilio Oraculum consulebat in rebus dubijs *1. Regum 23. & 30.* Et esto, concedamus, in Veteri Testamento, ubi vix angulum Orbis Synagoga occupabat, Pontificis ultimam sententiam fuisse Concilio alligatam: hoc tamen de Ecclesia Christi dici non potest, quæ cùm toto terrarum orbe diffusa sit, Concilium Generale convocari rarissimè potest, & tunc etiam cum gravissimis incommodis; & propterea non in Concilium, sed in solum Petrum gubernationem suæ Ecclesiæ transtulit Christus, multasque hæreses sinè Concilio voluit à solo Pontifice confutari, & qui non illi adhæreret, pro hæretico æstimari, ut expresè testantur S. Augustinus *epist. 162. & in Psal. contra partem Donati.* Et S. Leo *epist. 87. ad Episcopos Viennenses Provinciæ*, & ipsa Ecclesiæ praxis plùs satis demonstrat.

ARGUMENTUM II.

Ex *Lucæ 22. capite* desumptum.

29. Ibi namque Christus dicit, se rogâsse pro Petro, ejusque successoribus, ne unquam illorum fides deficiat: *Simon, Simon*, inquiens, *ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & ut aliquando conversus, confirma fratres tuos.* In quo sacro textu Author *Regalis Sacerdotij cit. §. 2. n. 2.* rectè advertit, verba specialiter dirigi ad Petrum: quamvis enim Sathan omnes expetiverit, non tamen dicit Christus: *Ego pro vobis rogavi*: sed *pro te*, innuens, se privilegium aliquod speciale Petro postulâsse: nec Petro tantùm, sed illius etiam successoribus. Semper enim Ecclesia, ut impetitur à Sathana; ita confirmari debet: & sicut ex omnium Catholicorum sententiâ aliæ promissiones Petro factæ ad ejus successores pertinent, sic etiam ista; nec aliter Concilia ipsa, & Patres hunc locum intellexerunt, ut planè temerarium sit, non ita intelligere: quamvis enim etiam pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia Christus oraverit; specialiter tamen pro Petro, ejusque successoribus impetrâsse, tum ipsa per se verba, tum omnium Patrum consensus habet. Ij sunt: Patres *sextæ* universalis Synodi Constantinopolit. *Act. one 4.* S. Augustinus *lib. de corrept. & grat.* S. Chrysostomus *hom. 83. in Matth.* Theophylactus *in Cap. 22. Lucæ.* S. Lucius Papa & M. *epist. 1. ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ.* S. Leo *serm. 3. de assumpt. sua ad Pontif.* S. Nicolaus I. *epist. ad Michaelem Imperat.* S. Leo IX. *epist. ad Petrum Antioch.* S. Bernardus *epist. 190. ad Innoc.* S. Gregorius M. *lib. 6. epist. 37. ad Eulogium* S. Thomas *2. 2. q. 1. a. ult.* Innocentius III. *in epist. ad Episcop. Arelat.* & habetur *c. Majores. de Baptis.* Ioannes Constantinopolit. *epist. ad Hormisd. Papam.* Theodorus Studites *epist. ad Paschalem Papam.* S. Bernardus *serm. de privileg. Ioan. Baptistæ.* Et denique omnium elegantissimè B. Agatho Papa *epist. ad augustos*, quæ recitata, recepta, summisque laudibus affecta est à Patribus *sextæ* Oecumenicæ Synodi *Act. 4. & 8.* & habetur *tom. 3. Conciliorum.*

Quo adeò fundamento posito, *præallegatus* 30.
Author ita argumentatur. Si Romani Pontificis è Cathedra docentis sententia in materia fidei non est infallibilis, ergo potest illi error subesse; ergo ejus fides potest deficere: non ergo verum est, privilegium illi a Christo speciale impetratum esse, ne illius in docendo fides deficiat.

Objectio.

EX parte adversa excipi potest, hoc privi- 31.
legium Petro impetratum à Christo, ad ejus successores extendendum non esse.

Responsio.

PRætractus *Regalis Sacerdotij* Author re- 32.
spondet. Hanc exceptionem inprimis militare contra explicationem omnium Patrum, qui hanc Christi promissionem non Petro tantùm, sed ejus Sedi, & consequenter successoribus factam esse dicunt. Idque ex Christi verbis colligitur, qui hoc donum perpetuæ & indefectibilis fidei in utilitatem Ecclesiæ Petro contulit, ut is videlicet eam confirmaret contra Sathanæ insultus: quæ ratio non pro Petro solùm, sed pro ejus successoribus æquè multoque magis militat: quando videlicet Ecclesia & multò magis impugnatur, & multò magis, ut confirmetur, opus habet. Quòd si privilegium ad solum Petrum restringas: idem dicendum erit de aliis *Matth. 16.* & *Ioannis ult.* Petro concessis: quod si semel admittas, inprimis contra totam Ecclesiam sentis: deinde quomodò contra hæreticos Primatum & potestatem Pontificis Romani probabis?

Replicata objectio.

EXcipi rursus potest ex parte adversa. 33.
Promissionem Petro factam, principaliter in Ecclesiam dirigi, quæ à Concilio Generali repræsentatur.

Responsio.

34. IDem Author respondet in hunc modum. Hanc exceptionem apertè pugnare cum Christi verbis. Hæc enim tam clara sunt, tam apertè in solum Petrum diriguntur, & adeò nulla Ecclesiæ, aut Concilij fit mentio, ut videantur Adversarij nostri non tam suam opinionem ad Scripuram accommodare voluisse, quàm potiùs Scripturam, volentem nolentemque, in suas partes trahere, ut non tam ipsi, quod Scriprura, quàm Scriptura, quod ipsi, sentiret. Quòd si velint, donum & privilegium Petro, & successoribus collatum, *mediatè* ipsi etiam Ecclesiæ collatum esse, quæ cùm à Petro gubernari se patitur, errare non potest; quemadmodùm quidquid boni naturæ capiti concessit, illud totum in bonum, & directionem corporis redundat; id quidem verissimum est, & sensui SS. Patrum omnium consentaneum: sed sententiam nostram confirmat potiùs, quàm evertit.

Iterata objectio.

35. EXcipi denique potest ex parte adversa. Ex eo Evangelij textu non haberi, quòd Pontificis judicium etiam extra Concilium docentis infallibile sit.

Responsio.

36. PRæfatus Author ita respondet. Cùm Christus nullam omninò Concilij mentionem faciat, multoque minùs infallibilitatem Petri illi adstringat; gratis & sinè fundamento hanc limitationem ab ijs opponi, qui dolent, Scripturam aliter loqui, quàm ipsi velint. Si Petri fides à Concilij directione, & non econtra Concilij fides à Petro penderet; non tam Petrus fratres suos confirmaret, quàm ipse à fratribus confirmaretur.

ARGVMENTVM III.

Ex Matthæi 16. petitum.

37. EX hujus namque Evangelij sacro textu evincitur, Petrum, ejusque successores esse Petram & fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Unde Author *Regalis Sacerdotij cit. §. 2. n. 3.* hunc in modum argumentatur. Si Petrus, ejusque successor est fidei Petra, oportet, illum, cùm publicè, & cum potestate docet (tunc enim maximoperè officio suo fungitur, & Petram agit) concuti in fide non posse, multò minùs frangi, alias non tam Petra, quàm arena esset: & quid plus alijs Doctoribus & Episcopis Petrus accepisset, quâve ratione Petræ titulum magis meritus esset, si æquè, ac illi, posset in fidem impingere, evertique, & errores docere? Si Petri, omniumque Episcoporum in credendo, docendoque, quæ sunt fidei, par est conditio, omnes pariter erunt petræ, nec majori titulo Petrus, quàm illi: si verò Petri, & aliorum Episcoporum non est in fide par conditio, oportet, plus Petro, ejusque successoribus, quàm alijs Episcopis tribui: & quid hoc aliud? nisi quòd cadere illi omnes in errores possint; imò pleræque hæreses ab Episcopis aut natæ, aut nutritæ; Petrus solus, ejusque successores non possint; & ideo Petro, non alijs dictum esse: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus: Si Petrus, ejusque successores sunt fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt, hoc est, quæ nunquam corruet, nunquam errabit, aut deficiet, multò magis oportet, fundamentum corruere, & deficere non posse: quid enim hoc portenti, ut stante domo, fundamentum cadat? Aut ergo fundamentum Ecclesiæ non est Petrus; aut si est, eo cadente, cadet Ecclesia, & Ecclesiâ non cadente, nec ipsum cadere potest.

Objectio.

38. EXcipiet fortassis Adversarius. Petro dicta esse illa Christi verba, quatenus repræsentabat Ecclesiam: & ita hanc promissionem non tam Petro, quàm Ecclesiæ factam esse.

Responsio.

39. PRæcitatus Author respondet. Id verum esse, si dicas, firmitatem & constantiam fidei Petro promissam, etiam ad Ecclesiam pertinere, imò propter Ecclesiam factam esse, quemadmodùm soliditas fundamenti est soliditas ædificij, & hoc ipsum Patres voluerunt; sicut enim caput totum hominem repræsentat, ita Pontifex Maximus Ecclesiam toto orbe diffusam; in cujus rei figuram Summus apud Hebræos Sacerdos totum orbem terrarum vesti Pontificiæ inscriptum gestabat, juxta illud *Sapientiæ 18 In veste podêris totus erat orbis terrarum.* Et teste Epiphanio *lib. de lapid. & gemmis*, Idem Pontifex tempore Salomonis Regis, præludens velut illi constantiæ, & Petrinæ firmitati, quam Christus Vicario suo promisit, præter gemmas Rationalis, adamantem, binis smaragdis incinctum, ad pectus gestabat; qui Deo placato, serenâ luce perfundebatur, irato verò & accincto vindictæ, sanguineus micabat. Si verò sic Petrum Ecclesiam repræsentâsse dicas, ut tota firmitas & indefficientia veræ fidei ad Ecclesiam pertineat, excluso Petro; inprimis nihil potest dici, quod magis Evangelio repugnet, ejusque sententiæ: cùm sole clarius sit, Christum ad Petrum loqui, illi fidem polliceri, ejus confessionem præmio afficere, & denique multis modis, & velut anxiè laborare, ut Petrum ab alijs distinguat, eumque solum, non alios designet, nullâ Concilij mentione, nullâ Ecclesiæ factâ, nisi quòd hanc dicat, se Petro ædificaturum.

40. Deinde, si hoc modo, quo Adversarij volunt, Evangelium intelligas, sensus erabit planè absurdissimus, hic enim erit: *Tues Petrus*, & super Ecclesiam, quam repræsentas, *ædificabo Ecclesiam meam.* Aut ergo Ecclesia sibi ipsi fundamentum est: aut duæ sunt Ecclesiæ, quarum una fundamentum est alterius: aut Petrus est Ecclesiæ fundamentum: & si est, quærimus, quî fieri, possit, ut hujus fides & doctrina deficiat, stante Ecclesia? Quòd si ad alios sensus hæc Evangelij verba detorqueas, quasi fundamentum Ecclesiæ non sit

fit Petrus, sed fides Divinitatis Christi, quam professus est: inprimis Evangelio vim facis, cujus tam antecedentia, quàm subsequentia verba omninò ad Petrum diriguntur, occasione ex illius confessione captatâ. Deinde Petri & Pontificis Romani primatum, hoc est, arcem religionis Catholicæ evertis: hoc enim Evangelij loco aut sublato, aut in alienos sensus exposito, nihil ampliùs supereſt, quo adversùs Calvinistas, & Lutheranos primatum defendas.

41. Firmatur ea responsio ab authoritate. Sanctus namque Leo ad Episcopos Viennenses *epist. 78.* ita scribit: *Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterij intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset se à Petri soliditate dividere.* S. Augustinus *Serm. de Cathed. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, eò quòd primus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat.* Origenes *in hunc locum Matth. Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec adversùs Petrum, nec adversùs Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum: nam si prævalerent adversùs Petram, in qua fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent.*

ARGUMENTUM IV.

Ex Ioannis ultimo desumptum.

42. IBi namque Petro, ejusque Successoribus tanquam totius Ecclesiæ Pastoribus ovium Christi cura & regimen committitur per ista verba: *Petre amas me? Pasce oves meas.* Unde Author *Regalis Sacerdotij* argumentatur. Per ea verba Petrus, ejusque successores constituti sunt Doctores & Pastores totius Ecclesiæ; aut ergo docentes illos, præsertim quæ sunt fidei, tenetur Ecclesia audire, aut non tenetur? Si tenetur, ergo illi, cùm docent, errare non possunt. Nam si possent, erraret etiam Ecclesia, quæ illorum doctrinæ tenetur acquiescere. Si verò Ecclesia non tenetur ea credere, quæ Summus Pontifex ex Verbo Dei credenda esse, definit, non tam Petrus, quàm ipsa Ecclesia erit sibi Pastor, imò ipsa Petrum pascet, quia ipsa errantem Pontificem corriget, ipsa ducet, ipsa, an Petri sententia cum Verbo Dei conveniat, an secùs, judicabit, discernetque, hoc est, quod nunquam factum, nunquam auditum fuit, non ipse Pontifex confirmabit, reprobabitque fidem Concilij, sed Concilium fidem Pontificis: sicque malè Christus Petro dixerit: *Pasce oves meas*: cùm potiùs ovibus & Ecclesiæ dicere debuisset: si me amatis, pascite Petrum & Vicarium meum, errare hic potest, & in abrupta deferri, & falsa pro veris docere: vos ergo Pastori Pastores estote & cadentem sublevate, hoc est, discipuli Magistrum docete, & oves Pastorem ducite.

CONCLUSIO.

EX Divini Verbi Oraculis efficaciter demonstratur, Papam, quatenus munus pastoralis à Christo sibi concessæ potestatis erga universam Ecclesiam exercet, in rebus fidei, imò & decretis morum, errare non posse.

Explicatur. Oportet namque, pro veritatis semitâ illibatè tenendâ distinguere inter 43.
Officium pastorale Romanæ Cathedræ, & inter personam in ista Cathedrâ sedentem. Ex D. Augustino *lib. 2. contra epist. Petiliani. cap. 51.* Hæc autem distinctio in eo se tenet, quòd errores ac vitia personæ nullatenus redundare possint in Cathedram Apostolicam Romanæ Ecclesiæ. Ex Sancto Augustino *cit. cap. 51.* Unde non tam hîc laborandum de particularibus Summorum Pontificum personis, quàm de Cathedrâ Pastoralis erga universalem Ecclesiam officij? *An scilicet, quando Pontifex Romanus loquitur ex Cathedrâ, sive ex officio suo Pastorali erga universalem Ecclesiam, possit facere Decretum fidei, vel bonis moribus contrarium?*

PROBATIO I.

Ex illis Christi Domini verbis *Lucæ* 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

ETenim hâc oratione Christus Dominus 44.
duo impetravit privilegia, alterum *personale*, ut Petrus scilicet haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perfectissimamque voluntatem. Ex sancto Augustino *lib. de corrept. & gratiâ. cap. 8.* Alterum *reale*, Pastorali erga universam Ecclesiam muneri annexum: Christus enim ita oravit pro Petro, ut conversus aliquando confirmaret fratres. Unde ista à Christo impetrata fidei firmitas non debebat se continere intrà personam Petri, quin erga fratres curæ ipsius Pastorali committendos se diffunderet. Ex quo sequitur, illam fidei firmitatem esse privilegium Petri quà universalis erga Ecclesiam pastoris, Atqui privilegium ex Christi Domini voluntate annexum isti Pastorali muneri, eo ipso est perpetuum, quòd habeat respectum ad perpetuum itatum Ecclesiæ, à portis inferi nunquam superandæ. Christus igitur Dominus illâ suâ oratione impetravit fidei firmitatem, quâ connexam cum Pastorali munere, Ecclesiæ *perpetùo usque ad finem sæculi* duraturæ coextituro.

At sicuti pastorale perpetuo Ecclesiæ sta- 45.
tui annexum munus, Petro per Martyrium sublato, debuit persistere in successoribus, sic fidei firmitas secundùm efficaciam orationis Christi connexa cum isto pastorali officio, debet consequenter ad Successores quóque transferri. Constat igitur, ex efficaciâ Christi orationis, Petri in Pastorali erga univer-

sam Ecclesiam munere successoribus competere fidei firmitatem. At ista fidei firmitas eo ipso deficeret in tali Pastorali munere, si Papa utens potestate ejusmodi erga universalem Ecclesiam, conderet decreta fidei adversantia. Ex illâ igitur Christi Domini orationis efficaciâ concluditur, fieri nullatenus posse, quòd Romanus Pontifex, si loquatur ex Cathedrâ sui Pastoralis officij erga universalem Ecclesiam, condat decreta fidei repugnantia. In quem adeò sensum Theophylactus *in cap. 21. Lucæ* ait: *Quia te* (scilicet Petrum) *habeo principem discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.*

46. Vides igitur, fidei firmitatem, quâ Petrus confirmaret cæteros, esse ex eo, quòd esset princeps discipulorum. At eo ipso, quòd iste in Ecclesiâ principatus ex Christi Domini promissione sit connexus cum perpetuo Ecclesiæ statu, non potuit in Petri personâ extingui, sed transire debuit ad successores. Ergo illa fidei firmitas Petro impetrata ita stat in ejus successoribus, ut propterea Petrus Chrysologus *in Epist. ad Eutycheten* relatâ *to. 1. Concil. Chalcedon.* ita scripserit: *Hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papâ Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propriâ sede vivit, præstat quærentibus fidei veritatem.* Ergo igitur, non tam personam, quàm sedem Petri hodie viventem attendi debere, utpote cui annexa sit fidei veritas, adeò, ut Divus Bernardus *in Epist. 190. ad Innocentium*, ubi asseruisset, *in Cathedrâ Romanâ non posse fidem sentire defectum*, exclamet: *Cui enim Sedi dictum est aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua?*

47. Confirmatur. Nam ex prætactâ Christi Domini orationis efficaciâ, firmitatem fidei in Romanâ Cathedrâ seu Ecclesiâ concludunt Pontifices primorum duorum, seu trium sæculorum, Lucius I. *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ.* Felix I. *in Epist. ad Benignum.* Illius enim prioris verba ita se habent: *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicâ traditione nunquam errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te.* Posterior porrò Pontifex ita scripsit de Ecclesiâ Romanâ: *Vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata manet, juxta illud: Ego rogavi pro te.*

PROBATIO II.

Desumpta ex illis *Christi Domini verbis Matth. 16.* Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.

48. NAm ista Christi verba esse accipienda de Petro, ita ut super ipsum ceu petram esset ædificanda Ecclesia, docent Tertullianus *de præscript. hæret cap. 22.* Cyprianus *Epist. 40. & de Vnit. Eccles.* Basilius Magnus *ad cap. 2. Isaiæ.* Gregorius Nazianzenus *art. 2. de Moderatâ in orat. habendâ.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12.* Ambrosius *Serm. 47.* Hieronymus *in cap. 16. Matth.* Augustinus *Serm. 5. in festo Petri & Pauli, & alibi sæpe.*

At eo ipso, quòd Ecclesia super hanc petram ita ædificanda foret, ut simul Christus eidem Petro contulerit potestatem clavium, oportet, istam potestatem ex Christi Domini promissione connexam esse cum fidei petrâ, in Petro semper usque ad consummationem sæculi duraturâ, nec à portis inferi unquam vincendâ. Hinc autem sequitur, talem Clavium potestatem cum petrâ fidei connexam minimè exspirâsse in Petri personâ, sed hujus sedem, utpote cum perpetuo Ecclesiæ statu connexam, ita vivere in successoribus, ut his competat pastoralis erga universam super petrâ fundatam Ecclesiam Officij primatus; uti expresse statuunt Concilium Nicænum 1. *Can. 6.* Ephes. 1. *sub verbis Philippi Presbyteri.* Chalcedonense *Act. 1. 2. 3. & 16.* aliæque generales Synodi; nec non ex Patribus Polycarpus *apud Sanctum Hieronymum de viris illustr.* Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Athanasius *in Epist. ad Felicem Papam.* Basilius Magnus *in Epist. 52. ad Athanas.* Chrysostomus *in Epist. ad Innocentium Papam.* Cyrillus *in lib. Thes.* Cyrillus Alexandrinus *in Epist. ad Celestinum Papam.* Hieronymus *Epist. 57. ad Damasum Papam.* Augustinus *lib. 2. de Baptis. contra Donatistas cap. 1. & alibi sæpè.* Cùm igitur Petri primatus cum Petrâ seu fidei firmitate inseparabiliter connexus vigeat in Romanâ Cathedrâ, oportet, Romanum Pontificem, dum ex istâ Cathedrâ, id est, ex munere suo Pastorali ad universam Ecclesiam, fidei, vel morum decreta condendo, loquitur, errare non posse: quomodò enim aliàs portæ inferi non essent prævalituræ? Confirmatur specialiter ex subsequentibus Christi verbis: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, scilicet Ecclesiam. Nam istæc verba connectuntur um proximè præcedentibus: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo quatenus *super petram*, id est, *de Apostolicam Petri Cathedram*, est fundata Ecclesia, non possunt ipsi prævalere portæ inferi, nec adeò potest deficere Ecclesia super Cathedram petræ, ceu petram ædificata. At forma Ecclesiæ *essentialis* est fides. Unde si fides in Ecclesia deficeret, oporteret, formam Ecclesiæ substantialem deficere. Nequit autem Ecclesia stare super petram ædificata, si nec ipsa petra stet immota in fide, Ecclesiæ formâ substantiali. Ubi verò vel in unico fidei dogmate interveniret aliquis error, jam *moraliter affectivè* destrueretur motivum fidei specificativum, nempe Primæ Veritatis in omni verbo suo omnimoda infallibilitas: sicque adeò corruente hoc motivo intrà Cathedræ Apostolicæ petram, super quam ædificatur Ecclesia, quomodò istud ædificium Ecclesiæ substantiali fidei formâ destitutum subsistere valebit? Quomodo igitur portæ inferi adversùs Ecclesiam quæ super istâ petrâ ædificatam non prævalebunt?

§. IV.

§. IV.

Corollarium finale præsentis Disquisitionis.

50. INfertur. Pro omni statu Ecclesiæ oportuisse, ut existeret fidei regula visibilis, cujus audiendo vocem quisque prudenter ingrederetur vineam Domini; uti indicat parabola Christi *Matthæi. 20.* descripta de Patrefamilias, stantes in foro otiosos vocante ad vineam suam. Etenim Deus sanctæ Ecclesiæ Paterfamilias per Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Pastores ac Doctores à se missos, à primo manè usque ad undecimam ac postremam visibilis regni Cælorum, sæcúque adeò in terrâ Militantis sanctæ Ecclesiæ horam stantes in foro otiosos, vocavit in vineam suam. Quomodò autem his æterni Patrisfamilias ministris crederetur, nisi præferrent ejusdem characterem sub argumentis prudentialiter visibilibus, essentque adeò fidei regula visibilis? Hoc equidem verissimum est, Ecclesiam in eâdem subitantiâ immobiliter subsistentem, varios obtinuisse status, ita ut ab imperfectiori semper progrederetur ad statum perfectiorem, Christi tandem Evangelio consummatum. Et hinc ab humani generis in Adamo collapsi origine propagabatur Verbum Dei, non equidem sub Scripturæ Divinæ sanctæ testimonio, sed traditionis Divinæ regulâ infallibili, per ipsosmet homines fideles Divinitus submissos, propagata usque ad legem Moysi Divinitus traditam, & in scripta redactam. Sub quo proinde legis jam scriptæ, unà cum vivo Dei tradito Verbo, Divinitus ordinatæ statu, constitutus fuit pro Israelitico populo Sacerdos Maximus, cui (uti *n. 4.* vilum est) Divinitus erat demandata legis Divinæ explicatio cum obligatione quosque statûs illius fideles constringente, ut starent ejusdem Sacerdotis judicio: erat insuper in hoc legis Mosaicæ statu Divinitus constitutum Concilium Seniorum, cui præsidebat Princeps Sacerdotum, cum potestate ipsosmet etiam Prophetas judicandi, an veri essent, vel falsi. Haud igitur tunc deerat visibilis fidei regula cum publicâ in fidei causis decidendis authoritate, licèt minùs perfecta, tandemque non per supervenientem duntaxat perfectiorem Evangelij statum, sed per propriæ erga Christum perfidiæ culpam meritò evacuata. Huic ergo succesit perfectior Christi Evangelij status, infallibilitatem Oecumenicæ in fidei dogmatibus ex verbo Dei sanciendis authoritatis regulam visibilem tum in Concilio Generali, tum in supremo Ecclesiæ Capite constituens; uti partim constat *ex antecedentibus*, partim verò *ex subsequentibus* magis elucidabitur.

51. Cujus visibilis regulæ necessitas ostenditur ex ipsa fidei natura. Nam fides ejus est naturæ, ut non habeat evidentiam Primæ Veritatis revelantis sua Divina mysteria, sed lateat sub obscurè revelationis speculo ænigmatico; velut Apostolus *1. Corinth. 13.* monet. Hinc ut *suprà* dictum, oportet, mediante voluntatis per Spiritum sanctum motæ imperio, intellectum captivari in obsequiû Christi seu Primæ Veritatis revelantis. Quia verò istud voluntatis imperium, ut ote à Spiritu sancto motum, debet esse prudens, oportet, ipsum niti regulâ prudentiali, quam Theologi in hac materiâ vocant evidentiam credibilitatis. At inter hæc prudentialis credibilitatis argumenta, vel maximè censenda sunt illa, quibus ipsemet Christus suam Divinam assistentiam promisit.

Ejusmodi verò fidei regula visibilis & 52.
infallibilis est quidem Summus Pontifex ex Cathedra sua Apostolica seu fidei Petra definiens: nihilominùs, quia hæreticorum protervia non acquiesceret huic animatæ fidei regulæ, in ejus adjumentum sancita est a Christo altera fidei regula, quæ subsistit ex Concilijs Oecumenicis, quam firmari Divinæ assistentiæ munimine, fateri coguntur ipsimet etiam Adversarij hæretici; dum ajunt, Dominum esse illis præsentem; juxta illud *Matthæi. 18. Ubi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si proinde Deus assistit sacrosanctis Concilijs, cur illorum censuram proprio cujusque de Divinâ assistentiâ nusquam assecurati judicij examini subijciunt, & non potiùs suum spiritum, ac sensum proprium censent subijciendum decisioni Concilij?

Cujus censuræ temeritas meritò exaggeratur ex ipsa Concilij natura. Etenim Concilium Oecumenicum legitimè congregatum ex Divinâ per ipsummet Christum promissâ, atque adeò infallibili assistentiâ, in definiendis fidei dogmatibus taliter procedit, ut ex Verbo Dei, non per proprij instinctûs, sed gratiæ Divinæ, juxta Christi promissionem assistentis, ponderationem examinato ac discusso decernat. Unde decretum ac definitio Concilij in rebus fidei nihil est aliud, quàm examen ac judicium de legitimo Verbi Divini sensu, non per proprium instinctum, sed per gratiæ Divinæ assistentiam ponderato ac decisso. Ad ejusmodi autem sacrorum Conciliorum examen ac judicium devolvuntur fidei quæstiones, dum hæresibus exurgentibus, alieni à Veritate Divinâ, sacrarum Scripturarum sensus ex proprijs conscientiæ ab hæresiarchis jactatæ instinctibus enascêtes, venditantur in Ecclesiâ. At quia ipsis etiâ adversarijs fatentibus, Concilia legitima sunt à Christo assecurata de Veritatis Divinæ assistentiâ, evidenter sequitur, tali verum sacræ Scripturæ sensum ab alienis hæreticorum instinctibus discernenti definitioni, omnimodam inesse securitatem circa dogmatis definiti veritatem. 53.

Eo ipso autem, quòd in tali definitione 154.
non jactetur aliqua nova Divinitus inspirata veritas, sed hæc per Spiritûs Divini assistentis gratiam eruatur ex Dei Verbo toti Ecclesiæ concredito, oportet, hanc veritatem esse illam ipsam, quæ in sacris Litteris, vel etiam non scripto Dei Verbo continetur, nec quidquam huic superaddi, nisi prudentialem credibilitatis evidentiam. Si proinde per Con-

cilij

cilij generalis legitimè congregati & approbati definitionem, mediante Divinâ per ipsummet Christum promissâ assistentiâ latam, habeatur pura, Verbo Dei Ecclesiæ concredito, contenta veritas, ut quid adversarij contendunt, hanc Divinam veritatem suo proprio instinctui denuò submittere? Si per ejusmodi adeò definitionem hæreses ex propriæ conscientiæ jactantiâ, & instinctu privato exortæ, mediante Spiritûs sancti ab ipsomet Christo promissâ assistentiâ, sunt jam discussæ, veritatisque adeò Divinæ lux jam apparuit, ut quid conantur, eam propriorum instinctuum tenebris iterum involvere, ac hæreseon discrimini denuò objicere; Si ipsa igitur Divina veritas jam patefacta per prudentiale credibilitatis judicium super Concilij definitione rationabiliter fundatum, debitè jam applicata sit, cur adversarij ipsi contra monitionem Apostoli, non captivant suum intellectum in obsequium Christi, seu Primæ Veritatis revelantis, sed effrenatâ propriorum instinctuum libidine in circulum se agunt; sancto Athanasio *Epist. ad Epictetum de Synodi authoritate* sic scribente: *Cum hæreseos refutandæ gratiâ hæc Synodus coacta fuerit, qua igitur audacia sit, ut post tanti Concilij authoritatem disceptationes, aut quæstiones instituamus?* Quæ proinde de Concilij infallibilitate argumenta hîc eo fine lubuit in medium proferre, quòd *in subsequenti disquisitione* cogitatio sit, Papæ ex Cathedra decernentis infallibilitatem ex ipsismet etiam Concilijs Oecumenicis demonstrare.

DISQUISITIO IV.

Utrùm Papæ ex Cathedra decernentis infallibilitas demonstrari queat ex sacris Canonibus & Conciliis Oecumenicis?

§. I.

1. AUthor *tractatûs de libert. Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 4.* authoritate Conciliorum Orientalium egregiè probat, judicium Summi Pontificis circa quæstiones fidei esse irreformabile: hoc præcipuè ductus argumento, quòd nihil unquam à Summis Pontificibus sit propositum toti Ecclesiæ tanquam fide Divinâ credendum, in quo à Concilijs Oecumenicis reformandum fuerit eorum judicium, quin etiam eorum sententia, tanquam ex Petri Cathedrâ pronuntiata, semper cum reverentia suscepta sit. Quid enim credere vetat, Spiritum sanctum, qui per septemdecim ferè sæcula Summis Pontificibus res fidei definientibus sic adfuit, ut eorum judicium à Concilijs Oecumenicis tanquam fidei omninò consonum, susceptum fuerit, imposterum etiam adfuturum, ut irreformabiliter judicent? Certè periculum mali, quod per tot sæcula nunquam contigit, non usque adeò metuendum erat, ut Illustrissimi Episcopi Gallicani, omissis veris, & præsentibus Ecclesiarum suarum malis, huic incerto, vel potiùs nunquam futuro, remedium præparare curarent, eo præsertim Ecclesiam universam regente Pontifice, qui, si quis unquàm, maxima cum gravitate, patientia, & maturitate res omnes, præsertim arduas, tractat.

Scio equidem, omnes hæreticos, aliquot etiam ex Catholicis, quibusdam Pontificibus errores contra fidem tribuere, sed novi errores eis ab alijs Catholicis, quorum libri omnium manibus teruntur, fuisse optimè responsum; nec defuturos, qui, si novum quid piam objiciatur, illud pari efficaciâ retundant. Sed de hoc *infra* recurret sermo. Ut autem ad propositum redeamus, videndum est, quid se habuerint Concilia, præsertim Generalia, & Gallicana circa judicia Summorum Pontificum in rebus fidei?

2. Non utemur Canonibus Concilij primi Nicæni in editionibus vulgaribus non contentis, &, ut ajunt, ex Arabia delatis, eorum discussionem Criticorum examini relinquentes, ne in suspicionem veniat jus causæ, dubijs probationibus assertæ. Cæterùm veritas, instar solis, antequam oculis nostris se exhibeat, nonnihil subobscuræ, non injucundæ tamen lucis præmittit, quæ paulatim crescit usque ad meridiem. Itaque licèt in antiquis monumentis non luceant veritates, quæ postmodùm diligentiùs investigatæ, atque, ut se obtulit occasio, accuratiùs versatæ, plenam tandem, aut saltem majorem lucem adeptæ sunt: non ideo tamen contemnenda sunt prima earum vestigia, præsertim insignia.

3. In Concilio Generali Ephesino anno 431. *art. 3.* Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus nemine contradicente, legationis suæ, ac secum missorum, mandatum in hunc modum expoluit, qui indicat authoritatem, ac in fide firmitatem à sancto Petro ad ejus Successores derivatam; *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quòd sanctus, beatissimúsque Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino Iesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves Regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundùm ordinem Successor, & locum tenens sanctus, beatissimúsque Papa noster Cælestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit.* Quorsum beati Petri mentio, nisi ut intimetur, ejus successores eâdem pollere authoritate, præsertim, dum quæstiones fidei judicant? Quo enim modo *fidei columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum semper in suis Successoribus viveret, & judicium exerceret*, si isti toti Ecclesiæ possent, posito errore, casûs, ruinæque occasionem præbere?

4. *In art. 2.* Firmus Cæsareæ Episcopus dixit; *Apostolica & sancta Sedes Cælestini sanctissimi*

simi Episcopi de præsenti negotio sententiam, regulámque præscripsit, quam nos quoque secuti, formam illam executioni mandavimus Canonicum, Apostolicúmque judicium in illum (Nestorium) proferentes. Vides sententiam Romani Pontificis tanquam regulam præscriptam executioni mandatam, & beatum Petrum, dum judicia de rebus Ecclesiasticis ore sui successoris pronuntiat, humiliter auditum.

6. Sed ne putes, singulares tantùm Episcopos ita sensisse, ac dixisse, toto Concilio, saltem suo silentio consentiente, Summorum Pontificum, ut beati Petri sententiam, esse suscipiendam. In Concilio Generali Chalcedonensi *art. 2.* lectâ epistolâ S. Leonis Papæ ad Flavianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, in qua Eutychetis doctrinam, ut hæreticam damnabat, & fidei Orthodoxæ normam præscribebat, reverendissimi Episcopi clamaverunt; *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est &c.* Sed inquies, ita clamatum est, quia revera Episcopi sancti Leonis doctrinam cum recta fide consentire judicârunt, hinc tamen regula generalis constitui non potest. Certè hoc, ut *supra* insinuavi, parum non est, quòd in hoc, & in reliquis Concilijs Generalibus sententia Summorum Pontificum de rebus fidei toti Ecclesiæ pronuntiata, ut orthodoxa suscepta fuerit. Verùm hunc judicij Romani Pontificis cum fide consensum, non eruditioni sancti Leonis, sed ejus dignitati tribuendum, id est, lumini Spiritûs sancti, beato Petro, ejusque Successoribus, ne deficeret eorum fides, à Christo impetrato, non solùm ultima illa verba: *Petrus per Leonem ita locutus est*, significant; Sed etiam Synodica ad sanctum Leonem epistola, ubi Concilium eum *fidei custodem, & sancti Petri interpretem* appellat; *Quam*, inquit de fide loquens, *ex præcepto Legislatoris venientem usque ad nos ipse servásti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres.* Non est supervacaneum pronomen, *ipse*, indicat enim, Romanum Pontificem speciali esse vocatum à Christo *fidei custodem, & vocis beati Petri omnibus constitutum interpretem.* Statim autem Concilium profitetur se, sancto Leone Authore, Antistite, sive Præside, ea enim est vocis græcæ significatio, veritatem fidelibus ostendisse. *Unde & nos te ut Ducem utiliter habentes Ecclesiæ filijs hæreditatem, sortémque veritatis ostendimus.....quibus tu quidem sicut membris Caput præeras, in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens. In 3. parte Act. Concilij Chalced. cap. 2.*

7. Eam Romani Pontificis dignitatem, & authoritatem generatim explicat beatus Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas litteris ad Eutychen *in 1. par. Act.* ejusdem Concilij reseriptis; *Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quomodò vivit, & præsidet in propria Sede, nisi quia, ut *supra* notavimus, ejus Successor, in fidei veritate toti Ecclesiæ exponenda, indeficienter gaudet, sicut ille, Spiritûs sancti auxilio, & ductu *præstat quærentibus fidei veritatem.*

Agatho Papa suum de rebus fidei judi- 8.
cium etiam ante Concilij Universalis acceptationem, irreformabile esse non dubitabat; quandoquidem Legatos ad Concilium *sextum* Generale mittens, in *secunda*, quam ad Imperatorem Constantinum Pogonatum ejusque fratres Heraclium & Tiberium scripsit, epistolâ, quæque *in Act. 4.* Concilij recitata fuit, audacter, ac securè pronuntiat, se suis Legatis mandâsse, non ut quæ ipse cum suo Concilio declaraverat, tanquam dubia, & incerta examinarentur, sed ut certa, & immutabilia publicarentur. *Personas*, inquit, *prævidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa, atque immutabilia compendiosâ definitione proferre.* Mox condemnationis sententiam profert in eos, qui traditæ à se doctrinæ contradicerent; *Qui verò hæc confiteri noluerint, ut infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus.* Quis ita, nisi vel imprudentissimus, vel de suæ veritate sententiæ certissimus, loqui audeat, à Concilio Oecumenico, si falsa proferret, vel injusta, mox redarguendus? Numquid autem Summus ille Pontifex Concilio visus est, nimiam sibi tribuisse authoritatem? Ejus doctrinam non solùm ut veram, sed etiam tanquam a Spiritu sancto dictatam, & à beato Petro prolatam se suscipere declaravit, *primò* Dometius Episcopus Prusiados his verbis: *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis sedis antiquæ Romæ, tanquam ex Spiritu sancto dictatas per os sanctis, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio.* Totum deinde Concilium sententiam Agathonis in prædicta epistola contentam amplexum est, & Macharium Patriarcham Antiochenum eam admittere recusantem deposuit.

In *prima* verò epistola docet apertissimè 9.
Agatho, Ecclesiam Romanam, non solùm in fide non deficere, sed ejus etiam esse, reliquos omnes in fide confirmare. *Spiritales oves Ecclesiæ*, inquit loquens de beato Petro, *ab ipso Redemptore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit, cujus annitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnésque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi lumina claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs insecuti.* Et quibusdam interjectis: *Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apo-*

stolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit. Sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibatâ fidetenus permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangelijs fatus est: Petre, Petre *inquiens*, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, ac Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.* Non ergo pro solo Petro, sed pro Petri successoribus rogavit Christus, ne deficeret eorum fides, ut scilicet possent fratres confirmare, si quando in fide vacillarent.

10. Utramque autem epistolam, quomodò exceperit Concilium, testati sunt non solùm singillatim aliqui Episcopi, sed ipsummet Concilium universum, non solùm nihil adversùs testimonia in favorem sanctæ Sedis prolata excipiens, sed & submissionem significans his verbis; *Sancta & universalis Synodus suscipiens & expansis manibus amplectens tam suggestionem, quæ à sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ..... adeóque amplexa est, & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est à sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo ac beatissimo Papa, &c.* In epistola ad eundem Agathonem; *Tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ confessionis litteris à vestra Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas ut à Summo Apostolorum vertice Divinè perscriptas agnoscimus, per quam exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Confer illa cum ijs, quæ *supra* ex alijs Concilijs retulimus, & observabis, quantum inter se concordent in veneranda fidei beati Petri soliditate, ejusque Successoribus illius Apostoli Romanis Pontificibus agnoscenda continuatione. Sed progrediamur ulteriùs, ut veluti perpetua texatur Traditionis series.

§. II.

Adversariorum argumenta à Launoio præcipuè reproducta, & ab Authore *tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 15. & 16.* discussa referuntur cum suis responsionibus, & conclusione super ijs reflexiva.

ARGUMENTUM I. Launoij.

11. JOannes Launoius *par. 5. epist. 1.* conatus est S. Stephanum non minùs, quàm S. Cyprianum in errore circa Baptisma hæreticorum versatum probare; quia scilicet sicut iste nullorum, sic ille omnium omninò hæreticorum Baptisma probabat, modò Christi Baptisma esset. Hoc autem sic ostendere nititur.

Sanctus Augustinus *in lib. de unic. Baptismo cap. 14.* asserit, quòd *Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat.* In libro autem 3. contra Donatistas *cap. 15. Quòd si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti, Marcionis Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* Sanctus verò Cyprianus, inquit Launoius *epistolâ ad Tubaianum* scribit, Marcianum non baptizâsse in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti. Ex quibus concludit: *Quâpropter nemini mirum videri debet, Doctorem sanctum* (loquitur de B. Augustino) *Romano Pontifici indeficientis judicij privilegium nusquam adscribere, nec illum pro supremo, vel ultimo controversiarum fidei Judice habere. Quippe Judex talis nusquam errare debet, ut Stephanum hâc in re errâsse Augustinus significat, consentiens, Baptismum, qui verbis Evangelicis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti non consecratur, cassum & irritum esse.* Dicit quidem Augustinus *loco supra citato*, Baptismum, si ita conficeretur, integrum esse Sacramentum, non tamen negat, Baptismum in nomine Christi collatum valere, quæ duo valde diversa sunt, sciebat enim Magistrum suum S. Ambrosium *lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3.* quem posteà plures secuti sunt, quos citat Bellarminus *de Baptism. l. 1. cap. 3.* validum putâsse. De hujus sententiæ veritate non est modò quæstio, (eam optimè tractavit Bellarminus *loco citato*) sed de sancti Augustini testimonio.

Secundò. Falsum est, sanctum Stephanum docuisse, Baptismum sine expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis valere. Contrarium testatur Firmilianus in epistola ad S. Cyprianum, inter cujus epistolas est ordine 75. *in edit. Pam. & Rigal.* Refertur etiam à Philippo Labbeo *tomo 1. Concilior.* Sic enim scribit Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus de S. Stephano, & alijs, qui sancto hujc Pontifici consentiebant: *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocatâ Trinitate nominum Patris & Filij, & Spiritûs sancti.* Quibusdam interjectis, addit: *Non omnes autem, qui nomen Christi invocant, audiri, & invocationem suam consequi aliquid gratiæ possè, Dominus ipse manifestat dicens; multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, & multos fallent. Nulla quippe differentia est inter Pseudoprophetam & Hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei, aut Christi, ita iste in Sacramento Baptismi fallit.* Ex quibus colligitur, illam invo-

invocationem Christi, de qua in hac materia fiebat sermo, suppositisse *invocatam Trinitatem nominum Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, ut qui baptizabatur, gratiam consequi posset.*

15. Etenim sanctus Stephanus nihil innovandum statuerat: atqui certissimum est, Baptismum cum invocatione Trinitatis conferri solitum, hæc enim est antiquitas, quam retentã fuisse studio præsertim S. Stephani, docet Vincentius Lerinensis *infra citandus.* Id etiam constat ex tractatu, cujus titulus est: *Non debere denuò baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Iesu Christi, sunt tincti.* Extat *tomo 1.* Concil. Philippi Labbei ante Concilium Carthaginense *tertium* sub S. Cypriano habitum; eumque prædictus Labbeus ex dictione conjicit, Authoris esse ab ævo Cypriani parum distantis. Habetur etiam inter opera S. Cypriani edit. Rigaltij. Hæc sunt verba illius Authoris ante medium tractatûs: *Nec æstimes, huic tractatui contrarium esse, quod dicit Dominus: Ite, docete omnes gentes; tingite eos in nomine Patris & Filij, & Spiritûs sancti. Quia cùm hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit &c.* Atqui sanctus Stephanus, quod in Ecclesia observari solitum erat, omnibus modis observandum volebat. Prosequitur autem continuò Author: *Et tamen considerare oportet, quòd invocatio nominis Iesu non debet à nobis futilis videri &c.* Non ergo invocatio Trinitatis, & invocatio Christi sese mutuò excludebant.

16. Eusebius *lib. 67. hist. Eccles. cap. 3.* S. Stephani consilium exprimit his verbis, *Verùm Stephanus nihil adversùs traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit;* scilicet, ut rebaptizarentur ij, qui ab hæreticis baptizati fuissent, juxta traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, secundùm quam expressè invocanda erat sanctissima Trinitas.

17. Si quando igitur S. Stephanus de Baptismo loquens Christi mentionem fecerat. Nunquam tamen docuerat, Baptismum per solam invocationem Christi valere, absque invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis; nec id de eo scripsit S. Cyprianus: nec etiam tradidit Marcionis Baptisma eo tantùm fieri modo solitum, ut ex ejus approbatione illa Stephani opinio colligi possit. Christi ergo mentio eò pertinebat, ut asseretur Baptisma Christi, hoc est, à Christo institutum, ac juxta formam ab eo præscriptam, & in ejus nomine collatum, ab ipso virtutem habere, à quocunque conferretur; *Nec quærendum esse*, ut referebat Firmilianus, *quis esset ille, qui baptizásset, eò quòd qui baptizatus esset, gratiam consequi potuisset invocatâ Trinitate.* Sanctus quidem Cyprianus epistolâ ad Iubaianum hæc scripsit, quæ opponit Launoius: *Quomodò ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modò in nomine Iesu Christi ubicunque, & quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Verùm hæc verba non significant, omissam fuisse invocationẽ sanctissimæ Trinitatis, sed baptizantibus ac baptizatis defuisse veram fidem Trinitatis, atque ideo Christi nomen non potuisse vim Baptismo conferre.

18. Is Cypriani sensus præter illa, quæ jam diximus, colligitur ex eo, quòd in tota illa epistola vim facit in fidei rectæ defectu. Ita cùm post initium epistolæ dixisset; *De Marcione interim solo, cujus mentio in epistola ad te per nos transmissa facta est, examinemus, an possit ejus Baptismatis ratio constare? Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodùm baptizare deberent, instituit, & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite ergo & docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritûs sancti. Insinuat Trinitatem, cujus Sacramento Gentes baptizantur.* Subsumit, non negando, Marcionem ita baptizâsse, sed cùm malè de Trinitate sentiret, utiliter baptizare potuisse. *Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eundem asserit, quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eundem unum filium Christum de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit? Qui peccata nostra portaverit &c.* Ex quibus verbis & historia Ecclesiastica constat, Marcionem circa Christum errâsse, sicut circa alias sanctissimæ Trinitatis personas; atque adeò non est, quòd credamus, ipsum in nomine solius Christi potiùs, quàm in nomine totius Trinitatis baptizâsse.

19. Præterea (quod in Launoij Dialecticâ argumentum est efficacissimum) S. Augustinus in eo ipso loco, quem ipse refert, *ex libro de unico Baptismo cap. 14.* non dicit, S. Stephanum censuisse, valere Baptismum in solius Christi nomine collatum; sed (quod plus quàm negativum argumentum est) *quòd Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat.* Quinam autem est *Baptismus Christi*, nisi quem Christus instituit, & cujus formam præscripsit?

20. Denique. Si Launoius S. Stephanum errâsse contendat, necesse est, ut ejusdem erroris conscium, ac reum faciat ipsum S. Augustinum, cujus testimonio illius errorem probare nititur. Nam S. ille Doctor propugnavit adversùs S. Cyprianum, Baptismum in nomine Christi datum, quem S. Stephanus adversùs eundem defenderat, ut legere est in libris de Baptismo contra Donatistas, in quorum §§. 3. 4. & 5. confutat epistolas *ad Iubaianum & ad Pompejum*, quibus utitur Launoius. Præcipuè autem *lib. 4. cap. 10.* respondet his Cypriani verbis epistolâ ad Iubaianum contentis; *Aliud est, eos, qui intus in Ecclesia sunt, de nomine Christi loqui: aliud eos, qui foris sunt, & contra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare.* Libro autem *quinto cap. 13.* S. Stephani mentem & exponit, & confirmat. *Qui utique Stephanus*, inquit, *non propterea communicavit hæreticis, quia Baptisma Christi, quod in eorum perversitate integrum manssisse cognovit, improbare non ausus est.* Ecce quod erat illud Baptisma hæreticorum, quod

S. Stephanus non improbabat ; scilicet *quod in eorum perversitate integrum mansisse cognoverat.* Quomodò ad ista cæcutijt Launoius ? Nimirum vehementi ad deprimendam sanctæ Sedis dignitatem studio excæcatus. At addit Augustinus ; *Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt , sed consuetudo illa , quæ opponebatur Cypriano , ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est ; sicut multa , quæ universa tenet Ecclesia.* Non errabat ergo Stephanus illam consuetudinem servans, & servari præcipiens , quæ ab Apostolis orta fuerat.

21. Oculatior fuit Launoius in detegendo Stephani errore, quàm Centuriatores Magdeburgenses, qui tantâ curâ in Pontifices inquisiverunt, ut haberent , quod objicerent. Sanctum enim Stephanum prætermiserunt , non omissuri , si quid erroris in eo prætexere potuissent , cùm tot alios injustè accusaverint. Pudeat hodie accusare erroris, Catholicum Pontificem, quem non solùm moderni hæretici silentio, sed etiam antiqui elogio commendârunt. Nam illud ipsum *cap. 14. lib. 1.* S. Augustini *de unico Baptismo* contra Petilianum Donatistarum Episcopum Constantiensem, quod citat Launoius, sic incipit; *Sed volo, solvat mihi istam quæstionem : quando quidem cùm Romanæ Ecclesiæ per ordinem commemoraret Episcopos , inter eos commemoravit & Stephanum , quos Episcopatum illibatè gessisse, confessus est. Cùm ergo Stephanus non solùm non rebaptizet hæreticos , verùm etiam hoc facientes , vel , ut fieret , decernentes , excommunicandos esse censeret , sic aliorum Episcoporum , & ipsius Cypriani litteræ ostendunt , tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Gessit ergo illibatè Stephanus Episcopatum, ac nonnisi calumniosè potest accusari.

ARGUMENTUM II. Launoij.

22. IN Honorium I. frequentiùs convertitur, & validiùs infigitur Launoij stylus, ac si Pontifex ille concors fuisset erroris Monothelitarum , consentiendo cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano.

Responsio

23. PRætactus Author *de libert. Eccles. Gallic. dicto lib. 7. cap. 16. à n. 2.* ita respondet. Si Launoius eruditissimi Patris Sirmundi , cui multum se debere fatetur , ob eam nimirum causam , quam notat Ludovicus Moreri in suo magno Dictionario Gallico , scilicet , quòd eum tanquam Magistrum habuerit artis censoriæ , seu critices , si , inquam , discipulus Magistri pium erga sanctam Sedem affectum imitatus fuisset , Honorium ab omni erroris labe purum præstitisset. Nam quæ Pater Sirmundus monimenta ab Anastasio collecta edidit, certa sunt illius Pontificis fidei testimonia. Si testes eò majorem faciant fidem , quò & res , quas narrant , certiùs nôrunt , & ob vitæ integritatem , pietatem ac sanctitatem à mendacio magis abhorrent , duæ illæ conditiones in ijs eminuerunt, qui pro Honorio adducuntur.

24. Joannes IV. Papa zelo fidei, misericordiâ erga pauperes , constantiâ & vitæ sanctitate conspicuus, triennio post obitum Honorij Apologiam scripsit pro eo , quia Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus hæresis suæ fautorem extitisse falsò asserebat , in qua quidem Apologia Ioannes explicat mentem Honorij, quam ostendit à Monothelitarum errore valde fuisse diversam.

25. Eam autem interpretationem Ioannes non pro suo erga Honorium affectu excogitaverat ; sed ab eo ipso , qui Honorio ab epistolis fuerat, qui illas ipsas scripserat , quas Pyrrhus pro se interpretabatur , quique doctrinâ , & pietate totum Occidentem , teste S. Maximo , illustrabat , diligenter scisciatus erat veram dictantis sententiam.

26. Sanctus erat Maximus , qui Honorium tum in disputatione cum Pyrrho , tum in duabus epistolis paucis post annis defendit, atque adeò nimio erga Ecclesiam Romanam studio minimè excæcatus. Coætaneus erat, & partem eorum , quæ referebat , suis ipse oculis viderat , atque adeò veritatis bene conscius.

27. Satis quoque Launoio fuissent hæc testimonia , si Honorium defendendum suscepisset , ut eum innoxium demonstraret, & ea dilueret , quæ Summo illi Pontifici opponit *epist. 1. to. 3. & alibi* ; præsertim cùm testimonia prædicta omnibus, quæ adversùs Pontificem illum proferuntur , antiquiora sint. Imò sufficisset silentium illustrium Scriptorum satis antiquorum v. g. Pauli Diaconi Aquilejensis, Theophanis, Georgij Monachi. Est enim illi admodùm familiare istud argumenti genus, sed eam laudem non ambibat: ad oppugnandum , non ad propugnandum proclive erat ejus ingenium. Cùmque receptis communiter opinionibus bellum frequentiùs indiceret, conjecturis supradictorum testimoniorum robore longè inferioribus uti cogebatur ; quas tamen ceu demonstrationes habebat.

ARGVMENTVM III.

28. IOannes Launoius Liberij etiam exemplum commemorat, ac si Arianorum hæresi subscripsisset, teste Athanasio *in epist. ad solitariam vitam agentes*, & Hieronymo *in chronico.*

Responsio.

29. PRætactus Author *tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. cap. 16. à n. 7.* ita respondet. Liberius peccavit quidem, ut verisimiliùs appareat: non tamen aliquid fidei contrarium Ecclesiæ credendum proposuit. Certè, qui Summo Pontifici negant non errandi privilegium , quia Liberius exilij ærumnarum pertæsus S. Athanasij condemnationi & formulæ fidei veritatem integram non explicanti , sed falsi nihil continenti subscripsit, pari ratione Concilia Generalia obnoxia fateri cogetur,

gentur, quia Concilium Ariminense Arianis ita favit, ut totus pænè orbis Christianus miraretur, se esse Arianum, & *secundum* Concilium Ephesinum S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum à sua dignitate dejecit; Eutychen hæresiarcham ob hæresim à Flaviano Synodicè dejectum restituit, ejusque errori, non rejecto mutilo symbolo, patrocinatum est. Si autem Arimini, & Ephesi vim factam Episcopis, etiam verè Catholicis, fuisse respondeas: adeoque Concilio Oecumenico non esse tribuenda illorum gesta: similiter etiam, quæ à Liberio fidem integram interiùs servante, extorta sunt, non debent ipsi, nisi ut privatæ personæ adscribi, quam à peccato tutam non facit Dignitas.

30. Peccatum autem Liberij alicujus hæresis promulgationem, aut etiam professionem non fuisse constat: quia fidei formula, cui subscripsit, nullum exprimebat errorem. Vide, quæ optimè notavit Joannes David Doctor Gallicanus *dissertatione de judiciis Canonicis Episcoporum cap. 7. art. 3.* Sed, ut jam diximus, neque istum, neque alium quemquam Pontificem aliquid fidei contrarium, tanquam de fide credendum proposuisse, plures ostenderunt, quæ à Launoio vel solo, vel diligentiùs notata sunt.

31. Rem hanc accuratiùs expendit Author *Regalis Sacerdotij lib. 3. §. 9. n. 8.* Totam Liberij culpam, inquiens, hanc fuisse; quòd tædio pœnarum, exilijque, & spe repetendæ summæ dignitatis victus, primæ fidei formulæ, quam Sirmij ediderant Ariani, subscripserit, & in damnationem Athanasij consenserit. Hoc solum, & totum Liberij crimen, nec ab ullo Scriptorum aliud memoriæ proditum est. In eodem Sirmensi Concilio *secunda* formula confessionis concepta est impia omninò & blasphemiæ plena, in qua Dei Filius nec ejusdem cum Patre substantiæ, nec similis esse dicitur: huic *secundæ* Hosius Episcopus Cordubensis extremâ jam senectute, vi & tormentis adactus subscripsit. Hujus *secundæ* formulæ adeò ipsos Arianos puduit, ut in Concilio Ancyrano *tertiam* ediderint, Catholicæ omninò simillimam, nisi quòd vocem *Consubstantialis* omitterent, hanc Constantius amplexus est, & *secundam* suppressam, expunctamque voluit. Ita scribunt S. Athanasius *de Synod.* Socrates *lib. 2. cap. 29.* S. Hilarius *lib. de Synod.* Epiphanius *hæresi 73.* Formaigitur professionis, cui Liberius subscripsit, licèt vocem *Consubstantialis* silentio præmeret, fuit planè Catholica, in qua Photini hæreses damnabantur, in qua Filius ejusdem cum Patre substantiæ dicebatur, quam ipse S. Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur, idemque asserit Vigilius Episcopus Trident. adversùs Eutychen *l. 5.* Et Liberius in litteris, quas ad Orientis Episcopos dedit, se ideo cum Ursacio, & Valente communicâsse dicit, quòd eorum fidem agnovisset Catholicam, alienamque ab Arianorum perfidia. Imò Augustinus tantus Arianorum hostis, adversùs Pascentium Arianum agens, se illius fidei subscripturum spondet, si nihil aliud fidei Catholicæ veritati contrarium inveniat, quàm quòd vocem *Consubstantialis* omittat *epist. 174.* & tamen hanc solam Liberius omitti passus est; cur ergo silentio, & quidem pœnis expresso, unius vocis hæreticus? præsertim cùm non priùs Sirmio Liberius excesserit, quàm Arianâ hæresi, illisque, qui negarent filium substantiâ reliquisque Patri similem esse, damnatis, teste Sozom *l. 4. c. 14.* Cùm ergo formula Sirmiensis, cui subscripsit Liberius, nullam hæresin professa fuerit, & Episcopi, cum quibus communicavit, id ipsum credere dicerent, quod in illa continebatur, ex quo tandem capite Liberium hæresis accuses? de cujus in vera fide constantiâ, contemptuque munerum sibi à Constantio Augusto oblatorum, vide Theodoretum *lib. 2. cap. 22.*

Cur ergo, inquies, S. Hieronymus alijque Liberium *hæreticæ pravitati subscripsisse* dicunt? Quia condemnationi Athanasij assensus est, cujus causa adeò cum fide conjuncta fuit, ut idem videretur, Athanasium condemnare, ac fidem prodere: Quia vocem *Consubstantialis*, quæ tessera Catholicorum, erat omitti passus est: Quia cum Arianis communicavit; ubi quidem multùm, graviterque à Liberio peccatum est, sed extra naufragium fidei: quemadmodùm non ideo Lutheranus est, qui cum Lutheranis communicat. Sed hanc quoque maculam Liberius exersit, cùm rescissis damnatisque Arimiensis Concilij Actis, Sede iterum pulsus, ærumnisque confectus, in sepulchris delituit, multisque propterea encomijs à SS. Patribus laudatus est. Vide Sozom. *l. 4. c. 10.* 32.

Denique etiamsi concesserimus formulam, cui Liberius subscripsit, hæreticam fuisse, quid denique contra nostram sententiam sequitur? Aliud enim est hæresi subscribere, aliud hæresin docere: & quemadmodùm Petrus cùm Christum negavit, aut Marcellinus cùm idolis thus incendit, non propterea ex Cathedra sententiam tulit, decidit que Christum negandum, idolis adolendum esse; ita nec Liberius. Nec nos Pontificem metu vinci posse, ut hæresi subscribat, & cum hæreticis communicet, negamus, sed non posse hæresin è Cathedra Ecclesiam docere, & fidelibus errorem pro veritate credendum imponere: hoc nec Liberium, nec ullum Pontificem fecisse, facturumque contendimus. 33.

ARGVMENTVM IV.

IDem Launoius *epist. 1. to. 3.* ostendere nititur, vel Bonifacium VIII. vel Clementem V. erràsse, quia Clemens V. constitutionem Bonifacij, quæ incipit: *Vnam sanctam* nullius esse, aut futuram roboris, & authoritatis, decernit *in Cap. Meruit.* 34.

Responsio.

PRæfatus Author *de libert. Eccles. Gallic. cit. cap. 16. n. 9.* respondet, falsum esse, quòd Clemens V. *in Cap. Meruit.* decreverit, constitutionem Bonifacij VIII. *Vnam sanctam* nullius es- 35.

us esse roboris. Declaravit enim duntaxat, se nolle Regi, aut Regno Francorum per dictam constitutionem aliquod præjudicium generari, aut ampliùs Regem, vel Regnum, quàm antea Ecclesiæ subjici. Notentur hæc verba, *ampliùs, quàm antea*. Hinc est (inquit) *quòd nos dicto Regi & Regno per definitionem, seu declarationem bonæ memoriæ Bonifacij VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit*: Unam sanctam, *nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari. Nec quòd per illam Rex, Regnum, Regnicolæ prælibati ampliùs Ecclesiæ sint subjecti, quàm anteà existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantùm ad Ecclesiam, quàm etiam quoad Regem, & Regnum superiùs nominatos.*

ARGUMENTUM V.

36. DIctus Launoius imponit Joanni XXII. quasi definierit, animas corpore exutas non nisi post judicium finale Deum *intuitivè* visuras.

Responsio.

37. PRæadductus Author *de libert. Eccles. Gallic. dicto cap. 15. à n. 10.* respondet in hæc verba. Nescio, quâ fide possit Joanni XXII. invidia conflari, quasi definierit, animas corpore exutas non nisi post judicium finale Deum *intuitivè* visuras, cùm ipse tam apertè negaverit controversiam à se definitam. An solemnis definitio à Summo Pontifice ita fit, ut Ecclesiam lateat; cui nisi proponatur ut fide Divinâ credenda, solemnis haberi non debet? Mentem suam declarat Joannes *epist. 1. Ne super his, quæ de animabus separatis à corpore & purgatis, an citra resumptionem corporum, Divinam essentiam visione illâ videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos, quàm per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando & allegando sacram Scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando, sæpius dicta sunt, aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur, ac dicantur, & auribus fidelium valeant inculcari: ecce quòd nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus, & habuimus, serie præsentium declaramus. Fatemur siquidem, & credimus, quòd animæ purgatæ separatæ à corporibus, sint in cælo, cælorum regno, & Paradiso cum Christo in consortio Angelorum congregatæ. & videant Deum facie ad faciem, & Divinam essentiam clarè, in quantum conditio & status patitur animæ separatæ.*

38. Si quis autem Joanni ipsi asserenti, se contrarium anteà non dixisse, *nisi fortè recitando, & allegando sacram Scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando*, fidem adhibere dubitet, confirmabitur testimonio Doctorum Parisiensium tunc temporis à Rege Francorum Philippo VI. seu Valesio consultorum. Ipsi enim, cùm sententiam suam proponere verentur ob debitam Summo Pontifici reverentiam, eò tamen adducti sunt, *Advertentes*, inquiunt, *quòd multorum fide dignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non asserendo, seu opinando protulerit, sed solummodò recitando.* In hist. Universit. tom. 4. ad annum 1332.

ARGUMENTUM VI.

39. IDem Launoius contendit, Iulium II. errâsse, quia definierit, Simoniam veram atque indubitatam hæresin esse, & Papam Simoniacè electum non hæreticum modò, sed hæresiarcham esse.

Responsio.

40. PRæallegatus Author *de libert. Ecclesiæ Gallic. n. 12.* respondet, quòd Iulius in ea constitutione, quam sinè dubio intelligit Launoius, quæque incipit: *Cùm tam Divino &c.* nihil definierit de Simonia. Est enim illius constitutionis scopus, impedire, ne Summus Pontifex Simoniacè eligatur. Eâ occasione §. 1. hæresis Simoniacæ meminit, non definiens, Simoniam esse hæresin, sed eam illo nomine notans, quo in jure Canonico passim insignitur. Non definit etiam, Papam Simoniacè electum hoc ipso fore hæresiarcham, sed eisdem pœnis plectendum, quibus, si hæresiarcha existeret. *Si contigerit*, inquit, electionem Romani Pontificis *per Simoniacam hæresin celebrari..... Electus non Apostolicus, sed Apostaticus, & tanquam Simoniacus* (vel Simon Magus) *& hæresiarcha, & ad prædicta omnia, & singula perpetuò inhabilis habeatur & sit.* Verbum illud *sit*, refertur, ut patet, ad verbum, *inhabilis*, non autem ad verbum hæresiarcha. Voces autem *tanquam* & *habeatur*, apertè declarant, Iulium nullam hîc definitionem constituere circa hæresim Papæ Simoniaci, nisi fortè definitionem appelles simplicem nuncupationem in Iure usitatam; sicut non definit, hujusmodi Pontificem Simoniacè electum fore Magum, Ethnicum, & Publicanum, licèt §. 3. permittat, *eum ut Magum, Ethnicum, Publicanum, & hæresiarcham evitare.*

ARGUMENTUM VII.

41. LAunoius pluribus in locis, præcipuè *ep. 5. to. 5.* Sixti V. exemplum profert ad probandum, posse Summos Pontifices errare. Verba Sixti V. à Launoio in hunc finem prolata ita se habent: *Illud sanè certum, atque exploratum esse volumus, nostros hos labores* (in emendandis Biblijs) *eò nunquàm spectâsse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto emendationi, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius Interpretis manu, stylòque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur.* Super quibus verbis Launoius isthanc depromit glossam: *Verba hæc*, inquiens, *virum sibi præsidentem, & de Bibliorum emendatione perfectissimâ securum objecerunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti diplomata suppressa essent, nisi errâsset.*

Re-

Responsio.

42. AUthor *prætacti tract. de libert. Eccles. Gall. cap. 16. n. 14. respondet.* Hæc Launoij verba sui scriptorem & Pontificiæ dignitati infensum, & præ nimio illam persequendi ardore excæcatum objicere. Quænam enim ex his Sixti verbis significant, ipsum *de Bibliorum emendatione perfectissima securum?* An quia Pontifex declarat, se eò spectâsse, asserit etiam perveniss? Sempernè, qui ad aliquem scopum se tetendisse affirmat, confidit etiam, se eum attigisse? Quin etiam, si Sixtus declarâsset, *Bibliorum emendationem perfectissimam assecutum*, ea verba de *fidei* certitudine nullatenus intelligi possent, sed tantùm de *moral*, quæ post adhibitam accuratam diligentiam haberi potest. Non enim aliter accipi possunt illa verba, *quoad ejus fieri potest*, quàm, ut indicent, id cum absoluta securitate asseri non posse.

43. *At*, inquit Launoius, *neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errâsset.* Quasi verò error sola supprimendorum Actorum causa sit. Emendaverat Sixtus V. editionem vulgatam peritissimorum virorum operâ usus. Emendationem illam, quamvis admodùm utilem, ad perfectiorem statum, sive repertis novis Codicibus, sive habitâ aliorum virorum peritissimorum copiâ, perduci posse animadvertens Clemens VIII. editionem Sixti non suppressit; sed eam perficiendam, priusquàm publicaretur, curavit, quam ob rem in lucem deinde fuit emissa, præfixis & Sixti & Clementis nominibus; ut videre est in varijs editionibus exinde factis cùm alibi, tum in Gallia.

44. Subdit tandem præfatus Author *præs. n. 16.* Quis, ajens, cum voluptate non contempletur Launoij inter tot conatus ad abrogandam Papæ infallibilitatem, tam diligenter, tamque frequenter Adriani VI. authoritatem jactare? quasi cæteri Pontifices quamplurimi errâssent, & omnes errare potuissent in proponenda Ecclesiæ universæ fidei doctrina; solius autem Adriani privati adhuc Doctoris, & antequàm de Pontificatu vel ipse, vel alius pro eo cogitaret, infallibile fuisset judicium. At Pontifex factus sententiam non retractavit. Tot, tamque gravibus negotijs & curis distentus fuit per illud tempus aliunde satis breve, quo Ecclesiæ clavum tenuit, ut mirum non sit, eum de corrigendis Commentarijs Scholasticis minimè cogitasse. Sed etiamsi pristinam retinuisset sententiam, num idcirco vinceret Launoius? An privata Pontificis opinio solemnis definitionis loco habenda esset? An in deneganda sibi infallibilitate solùm infallibilis existimandus esset Pontifex?

Objectiones Adversariorum conflatæ ex plurium Pontificum exemplis confutatis ab Authore *Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 9.*

45. OBjici namque solet ab Adversarijs I. Zephyrinum Papam mendacijs à Montano vaticinijs, ac miraculis captum, eidem communicasse; uti testatur Tertullianus *lib. adversùs Praxeam cap. 11.*

Verùm dictus Author *Regalis Sacerdotij ibi n. 7.* respondet. Tertullianum Montanistam fuisse, tantumque illi credendum, quantum Calvinistæ, aut Lutherano sacras Litteras pro se afferentibus, maximè cùm præter Tertullianum, nemo alius id scribat. Deinde ex Eusebio *l. 5. c. 3.* sciendum est, Montanistas priùs, quàm eam hæresin incidisse, viros fuisse insigni pietate, miraculis, & vaticinijs claros, adeò, ut etiam in hæresin prolapsi, hanc multis sanctisque viris imposuerint, teste eodem Eusebio: præferebant insignem pietatem, martyria, jejunia, & quidquid apud Catholicos in pretio erat, sanctissimè colebant: quâ pietatis larvâ, Tertulliano, omnium eo tempore præstantissimo illusum, ut, quos fuerat acerrimè insectatus *in lib. de præscript.* eos postea & defenderit, & coluerit, specie videlicet miraculorum, & severitatis, quam profitebantur, deceptus. Quid ergo mirum, si eodem pietatis apparatu, obtentuque religionis Catholicæ Zephyrinum circumvenerint? qui tamen à Praxea rei fabulam edoctus, communionem, pacemque, quam illis paraverat, continuò abrupit. Nihil ergo, quòd fidei adversatur, docuit Zephyrinus, sed mendacio deceptus est, at nos, pontificem decipi ab aliquo posse, haud negamus. Philastr. *de hæres. cap. 50.* Epiphan. *hæres. 48.* 46.

Objici solet 2. ab adversa parte. Felicem II. operâ Arianorum, Liberio in exilium pulso, suffectum esse, quem S. Hieronymus Episcopum fuisse Arianum, dicit in cathalogo Scriptorum in Acacio. 47.

Verùm *Regalis Sacerdotij* Author *loc. cit. n. 9.* respondet, Felicem, antequàm Pontifex Romanus eligeretur, libere quidem cum Arianis communicasse, nunquam tamen Arianum fuisse, ut expresè testantur Ruffinus *l. 10. hist. c. 22.* Theodoretus *l. 2. c. 17.* Sozomenus *l. 4. c. 10.* Imò ubi Cathedram Petri conscendit, in alium de repente mutatus, & societatem cum Arianis abrupit, & Constantium Augustum, quòd Baptismum ab Arianis accepisset, sacris interdixit, capite, ut aliqui dicunt, propterea truncatus, aut aliàs pro fide Catholica ærumnis confectus; nam Sanctum, & Martyrem objisse certum est. Vide Bellarmin. *de Roman. Pontif. l. 4. c. 9.* Baron. *ad ann. 458.* Azor. *p. 2. l. 4. c. 17.* Damasum *in vita Felicis*, & S. Gregor. *l. in Antiphonario, & Sacramentario.* 48.

Objici solet 3. ab Adversarijs. Gelasium I. Papam *in lib. contra Eutychen* docuisse, in Sacramento Eucharistiæ una cum carne Christi etiam substantiam panis post consecrationem durare, quæ est manifesta Lutheri hæresis; ex quo errore argumentum contra Eutychen deducit, ut, quemadmodùm post consecrationem utraque substantia inconfusa perseverat, ita post Incarnationem. Verba Gelasij sunt: *Certè Sacramenta, quæ sumimus, Corporis, & Sanguinis Christi, Divina res est, propter quod & per eadem Divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia seu natura panis & vini,* 49.

vini, &c. Et, ne quis dicat, hunc librum Gelasij non esse; sciendum est, S. Fulgentium Gelasij coævum, hunc ipsum librum Gelasio adscribere, & multa ex illo citare *respons. 2. ad Ferrand. Diacon.* & patet ex illis verbis, quæ *in eodem libro* habentur: *Cùm Sedem Apostolicam dilectio vestra unanimiter teneat, constanter prædicet, sapienterque defendat &c.* Quæ verba auctorem fuisse Romanum Pontificem, apertè ostendunt. Si potuit ergo Gelasius errare, poterunt & alij Pontifices, nec enim major est unius, quam alterius ratio, cùm omnes æquè sint Christi Vicarij, omnes Petri Successores, omnesque in eadem Cathedra sedeant.

50. Verùm ipsissimus ille Author *n. 10.* respondet. Hìc iterum ex incertis argumentum duci: est enim incertissimum, Gelasium Papam illius libri authorem esse, ut gravissimi Scriptores tradunt, & nos demonstrabimus, ut planè causæ suæ infirmitatem ostendant, cui sustinendæ tam infirma, & incerta præsidia adhibentur. Sed Gelasium Papam illius libri authorem non esse, his rationibus probamus. *Primò.* Quia liber, quem contra Nestorium, & Eutychen Gelasius Papa composuit, Gennadio *de Scriptor. Ecclesiast.* & Anastasio Bibliothecario testibus, fuit *grande volumen, & in quinque libros distinctum*, hic autem, de quo agimus, libellus tantùm est, & cujus, qui de Gelasij lucubrationibus scripsêre, Gennadius videlicet, Anastasius, Trithemius &c. nullam mentionem faciunt.

51. *Secundò.* Author libelli de duabus naturis in ipso exordio altercationem de duabus naturis novam, recentemque, & nuper natam esse dicit, ejusque initijs extinguendis se illam scriptionem suscepisse: at verò quo tempore Gelasius sedebat, Eutychiana hæresis non tantùm nova recensque non fuit, sed planè decrepita, imò extincta & funerata, & quam multa Concilia jam dudum damnaverant, Constantinopolitanum videlicet sub Flaviano Patriarcha anno 448. & aliud Constantinopolitanum, cui Leonis Papæ Legati adfuerunt anno 450. & Concilium Chalcedonense Oecumenicum anno 451. post quod à Marciano, & Leone Imperatoribus exterminati sunt Eutychiani anno 452. & 460. Quomodò igitur Gelasij Pontificis tempore, qui anno 492. electus est, potuit hæresis tot jam retrò annis nata, damnata, extincta, nova esse, recensque?

52. *Tertiò.* Hic Author professus, se omnium ferè antiquorum Patrum sententias de Incarnatione Domini collecturum, ex Latinis duos tantùm citat Damasum & Ambrosium, reliquos Græcos omnes, quod argumento est, Græcum fuisse, imò Concilij Chalcedonensis, & Leonis Papæ nullam planè mentionem facit, à quibus tamen maximè hæresis Eutychiana conclamata, explosaque est, ut omninò credibile sit, hoc opusculum à Gelasio Papa, & post Chalcedonense Concilium conscriptum esse, cùm sola hujus Concilij authoritas mille Patribus par esset, sufficisseteque Adversarijs revincendis: cur ergo omissum, quod præ omnibus erat? Et omissum à Gelasio tantæ eruditionis, tantique ingenij viro; quique Concilij Chalcedonensis authoritate libenter utitur, ut patet *ex epist. ad Faustum* data, tantò libentiùs tunc usurus, cùm argumentum, quòd præ manibus habemus, id unicè posceret, & victoria ex eo penderet.

Quartò. Inter alios orthodoxos Patres 53
Eusebium Pamphili Cæsarienlem Episcopum citat, eumque Gregorio Nazianzeno anteponit, hominem videlicet non tantùm non sanctum, nec Patribus annumerandum, sed omninò impium, qui in persecutione Diocletiani non tantùm defecit, qui sanctos Athanasium & Eustachium Catholicæ religionis Duces acerrimè insectatus est, qui hæresim Arianam facis instar ubique accendit, in eademque vitam finivit, cujus memoria execrationi semper & luctui Catholicis fuit, quem etiam, ejusque opera tanquam pelle Arianâ infecta *septima* Generalis Synodus *Act. 5. & 6.* proscripta voluit, cujusque historiam eodem veneno tinctam Gelasius Papa inter Apocrypha rejecit; hunc, inquam, hominem, toties mendacem perfidumque à Gelasio inter Patres, inter Sanctos referri, ejusque testimonio, velut orthodoxi Eutychianos revinci? 57.

Quintò. Testatur Cassiodorus, solitos 54
fuisse hæreticos, & Pelagianos præterim, suis, quæ in lucem emittebant, operibus, Gelasij nomen præfigere, *ut* (verba sunt Cassiodori *lib. de Divina lect. cap. 8.*) *res minus gloriosi nominis authoritate defenderent.* Nihil ergo novi, si Gelasio Pontifici sint adscripta, quæ ad alium Gelasium spectant, nominis insuper similitudine, fraudem, aut errorem juvante, ut jam dicemus.

Sextò. Itaque Cardinalis Baronius ac- 55 58
curate eruditeque observat, authorem hujus libelli de duabus naturis contra Eutychen & Nestorium, Gelasium illum esse, cujus in Bibliotheca Photius meminit, quique acta Synodi Nicænæ tribus tomis contra Eutychianos complexus est: hic enim scripsit, cùm hæresis Eutychiana sæpius extincta Basilisci tyranni potentiâ glisceret iterum incæpit: idem exagitatum in se ab Eutychianis, & contra eosdem scripsisse dicit. Eusebiũ Pamphili eximijs encomijs ornat, & inter orthodoxos refert, eumque Joannes II. Papa *in epist. ad Acacium, aliosque Senatores* citat, quæ omnia optimè, & velut ad unguem in libelli authorem quadrant. Videantur de hoc argumento Baronius *citat.* Bellarminus *de Rom. Pontif. l. 4. c. 10.* Canus *de locis Theolog. l. 6. c. ult. ad 9.* Spondanus ad annum 496. Ludovic. Jacob. *Bibliothec. Pontif. le mire Bibliothec. Ecclesiast. pag. 72. & 201.* Perronius, Binnius, Sirmondus, alijque.

Quòd si verò concederemus, hunc ipsum 56
libellum & errorem Gelasij Pontificis esse, non propterea causâ cecidimus. Jam enim prænonuimus, Papam multa dicere & scribere, ut privatum Doctorem, non ut Pontificem: nec enim libros scribere, est actio Pontifici propria, sed cuilibet Doctori communis

cessa

cessa & communis, quæque ex omnium sententia errorem admittit, nec quidquid libris suis Pontifices inserunt, ad fidei dogmata pertinere volunt. Imò hæc est distinctio inter Dei & Pontificis verbum, quòd illud in nulla sui parte, nullo tempore, nulloque casu, etiam in re minima, mendacium errorémve patiatur: Pontificum doctrina in eo solùm casu certitudinem meretur, nec ullo errore fœdari potest, cùm Ecclesiam è Cathedra docet, hoc est, cùm quæstione aliquâ inter Christianos exortâ, Pontifex rebus omnibus maturè discussis, sententiam pronuntiat, declaratque, ad fidem aliquid, aut hæresin pertinere, & Christi fidelibus, quid eos credere necessariò oporteat, cum apparatu, & pro Pontificia authoritate mandat: hæc enim solemnis, auctoritativa, ad totam & universalem Ecclesiam directa cum mandato declaratio, est actio soli Pontifici propria, in quam, ut docuimus, cadere error non potest, quod de illâ circa Eucharistiam doctrinâ, Gelasio adscriptâ, dici non potest.

57. Objici solet 4. ab adversa parte. Eundem Gelasium Papam docuisse, sacram Eucharistiam sub utraque specie necessariò sumendam esse, nec posse sinè sacrilegio species separari, quæ est hæresis Hussitarum, & Calvinistarum. Habetur hoc Gelasij decretum apud Gratianum *In Cap. Comperimus. De consecrat. dist. 2.* in hæc verba: *Comperimus, quòd quidam sumptâ tantummodò Corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio, quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius, ejusdémque mysterij sinè grandi sacrilegio non potest provenire.*

58. Verùm *præcitatus* Author *Regalis sacerdotij ubi supra n. 11.* respondet. Vel Gelasium loqui de Sacerdotibus, qui non possunt alterâ specie abstinere, & sic Gelasium ipse Gratianus, Glossa, & Rubrica illius Canonis explicant. Vel Gelasius loquitur de illis, qui non ex præcepto Ecclesiæ, infirmitate, aliâve simili, & necessariâ causâ abstinebant speciebus vini, sed ex superstitione, ut ibi Gelasius seipsum explicans dicit. Sciendum enim est, inter alias Manichæorum hæreses etiam illam fuisse, quòd superstitiosum ciborum delectum inducerent, abstinerent à carnibus & vino, quibus non inesse Divinam substantiam dicebant, sed à mali principio generata: ob quam causam abstinebant Eucharistiâ sub speciebus vini, sed tamen ne hæresis notarentur, cum alijs Catholicis Eucharistiâ sub panis speciebus fruebantur, ut testatur oculatus testis *serm. 4. de Quadrag.* S. Leo Papa. Oportet ergo tunc temporis calicis usum liberum fuisse, & aliquando eo non uti solitos, si enim utrâque specie Catholici, & necessariò vescebantur, non tam unius speciei usu latuissent, quàm proditi essent Manichæi, & tamen S. Leo eâ simulatione eos latuisse dicit. Ergo monito ejusdem Pontificis, qui perpetuò & anxiè unam tantùm speciem frequentabant, dato velut signo pro Manichæis habiti, deprehensique sunt. Sanctus ergo Gelasius *in citato Canone* non *absolutè* damnat, qui unâ tantùm specie Eucharistiam sumunt: sed qui ex superstitione & sacrilegio hoc faciebant, quales Manichæi erant, quos à Gelasio Papa detectos, exilioque mulctatos esse, eorum libris concrematis, testatur Anastasius Bibliothecarius *in Gelasio.*

Objici solet 5. ab Adversarijs. Vigi- 59.
lium Papam hæresin Eutychianam professum esse, & anathema illis dixisse, qui duas in Christo naturas asserebant; uti pateat *ex ipsius epistola ad Theodoram Augustam scripta.*

Verùm idem Author *Regalis sacerdotij præs.* 60.
n. 12. sic respondet. Casum Vigilij sic se habuisse. Theodora Augusta Eutychianam hæresim animo fovebat, dolebatque à Romanis Pontificibus suæ fidei Episcopos, Anthimum præsertim, sede ejectos, deportatosque esse. Vigilium ergo Agapeti quondam Diaconum aggreditur, ingentem auri vim, & Pontificatum pollicita, si Chalcedone acta rescinderet, Eutychianam fidem probaret, Anthimum restitueret. Omnia à Vigilio promissa, auri cupiditate & ambitione cæco. Sylverius in exilium pulsus, subornatâ, quòd cum Gothis colluderet, accusatione. Vigilius Belisarij potentiâ, viventi adhuc & exulanti Sylverio suffectus; quo tempore ad Theodoram arcano chirographo Eutychianam hæresin professus est, monitâ tamen Augustâ, ut omnia silentio secretoque tegeret, re enim vulgatâ, Romanos palàm defecturos. Mortuo posteà inter ærumnas Sylverio, Augusta à Vigilio petere, exsolveret fidem occultis litteris obstrictam, reciperetque in gratiam Anthimum Patriarcham. Negavit Vigilius præstari à se posse, quæ temerè promisisset: neminem pactis obligari, quæ turpiùs servantur, quàm rumpuntur. Excanduit Imperatrix, & Vigilium attactu, & si dicere licet, facto quodam Romanæ Cathedræ, subitò mutatum, quasi fidem Petri cum mitra induisset, in exilium egit, ubi cœnis ærumnisque confectus, Sancti nomen, & encomia à Patribus accepit. Vide S. Gregorium Magnum *lib. 2. epist. 36. ad Episc. Hiberniæ*, Paulum Diaconum *in vita Iustiniani &c.* Ex hac Vigilij historia manifestum est, epistolam, quâ hæresin probabat, ab eo scriptam, cùm nondum, vivente Sylverio, legitimus Papa esset, nec fuisse illam epistolam definitionem è Cathedra, de quâ tantùm disputamus, sed occultos, furtivosque codicillos, & ab ipso Auctore silentio, tenebrisque damnatos, ac luce prohibitos, quod omninò sententiæ judiciali, & è Cathedra prolatæ repugnat.

CONCLUSIO.

PRæadducta exempla necquidquam 61.
probant contra Papæ, quà ex Cathedra sanctientis, in rebus fidei ac morum decretis irreformabilem infallibilitatem.

Explicatur ex sensu reduplicativarum istarum propositionum, quòd homo justus de se quidem peccabilis sit, attamen quâ gratiâ sanctificante informatus, non possit peccatum facere, sive quòd homo indefectibilitati *morali* ex se quidem obnoxius sit, attamen agens, quâ virtutibus supernaturalibus instructus, nequeat ullum defectum *moralem* committere. Etenim vi illarum reduplicationum sensus redditur earum propositionum, ac si peccatum, cui obnoxius est homo, reduci posset in gratiam sanctificantem, ceu suum *radicale* saltem principium, nec non defectibilitas *moralis* prodire posset ex virtutibus per se infusis ceu suo *immediato* & *proximo* principio *effectivo*: quæ repugnant *intrinsecæ* naturæ sanctificantis gratiæ & virtutum supernaturalium. Pari ergo ratione, quando dicitur, Papa quâ decernens ex Cathedra nequit in fidei seu morum sanctionibus esse errori obnoxius, reduplicatio hujusmodi talem facit sensum, quòd ex Petra fidei, ceu Apostolica Cathedra, nequeat profluere ullus error fidei, seu morum, *quoad virtutis specificationem*, quæ in ipsam fidem ut sic reducitur. Cùm enim fidei Petra in Petri Successore immota subsistere debeat, ut super eam ædificetur Ecclesia, cui ex Christi promisso portæ inferi prævalere non possunt; illa ipsa verò ædificatio Ecclesiæ sit *formaliter* per fidem, idcirco Papa quâ decernens ex ista Petra, ceu Cathedra Petri, per Spiritûs sancti assistentem gratiam loqui non potest, nisi ex ipso fidei lumine per supernaturale voluntatis Divinitùs motæ imperium excitando sub prævia prudentialis credibilitatis face æquè supernaturali. Quare si in Papam quâ ex Cathedra decernentem cadere posset fidei seu morum *quoad virtutis specificationem* spectandorum error, hic reduceretur in ipsissimum illud principium, ex quo Papa decernit, dum loquitur ex Cathedra, sicque adeò talis error reducendus esset in ipsum fidei lumen, ac voluntatis Divinitùs motæ, atque intellectum in Primæ Veritatis obsequium religiosum captivantis imperium supernaturale, nec non in credibilitatis prudentialis lumen Divinitus infusum, atque adeò in ipsum Spiritum sanctum, quòd *intrinsecæ* ac *essentialis* repugnantiæ impossibilitatem importat.

62. Et hinc posito etiam, quempiam à Summis Pontificibus (quamvis contrarium *superiùs* deductum fuerit) fuisse hæresi obnoxium, tantum abest, quòd tunc ex Cathedra potuisset decernere, sed eo mox instanti, quo hæresi fuit infectus, unà cum fidei lumine perdidisset fidei Petram, atque adeò Apostolicâ Papatûs Petrâ excidisset, utpote ex tunc desinens esse membrum, atque adeò Caput Ecclesiæ.

63. Ex ipsamet igitur fidei Petra, cui per ipsammet fidem superstruitur Ecclesia à portis inferi nunquam superanda, fixum manet, quòd Papa ex Cathedra decernens, errare non possit in fide, & *formali* virtutis *moralis* per fidem traditâ specificatione: & hinc firmum stat illud principium in initio hujus disquisitionis propositum, *quòd nihil unquam à Summis Pontificibus sit propositum toti Ecclesiæ, quâ credendum, in quo à Conciliis Oecumenicis reformandi fuerint, quin etiam eorum sententia, tanquam ex Petri Cathedrâ pronuntiata, semper cum reverentia sit suscepta.* Juxta quod adeò principium, specificè examinabimus gravissimam illam impostu ram, quâ Launoius *in septimo contrario argumento* relatus, Sixto V. in editione sacrorum Bibliorum quendam cum ipsa etiam fide pugnantem errorem impingere conatus fuit.

PROBATIO I.

Septimi à Launoio adversùs Sixtum V. oppositi argumenti confutatoria.

64 HUic intento nostro præmitti necessariò debet, quòd infallibilis in Ecclesia, ejusque Supremo Capite Romano Pontifice, sit authoritas ad veros sacræ Scripturæ libros determinandos. Etenim Ecclesiæ sanctæ substantia & forma est per fidem, Verbo Dei innixam. At quantumcunque recurramus ad Verbum Dei scriptum, ut tamen istud fide valeamus recipere, oportet, aliud supereſſe Dei Verbum omni Divinâ Scripturâ anterius, per quod constet, quænam sit genuina Scriptura Divina. Istud autem Dei verbum, Scripturæ sacræ infallibiliter ostensivum, subsistere debet non sub fallacibus quibusdam tegumentis, sed sub infallibili quapiam authoritate per Spiritûs sancti assistentium eatenus munitâ, ut ipsi non possit subesse falsum. At ipsæmet sacræ Litteræ ostendunt, ubi stet illa authoritatis per Spiritûs sancti assistentiam circumvallatæ infallibilitas, nempe in Ecclesiâ, quam Apostolus dicit columnam & firmamentum Veritatis: nec non in Petrâ, super quam Ecclesia tam firmiter stat ædificata, ut portæ inferi non possint adversùs eam prævalere. Ecclesia verò ita est *repræsentativè* in Concilio Oecumenico, ut hujus tamen character subsistere debeat per Petram Pontificiæ authoritatis, Vicarium Christi primarij Ecclesiæ Pastoris munus ac nomen præferentis, adeò, ut Concilium sub tali Christi nomine vicario congregatum, sit munitum Divinæ promissionis efficaciâ, per quam Christus sit in medio ipsius. Sub ejusmodi igitur Ecclesiæ, ejusque supremi Capitis, vicarium Christi nomen in terrâ obtinentis, Pontificis Romani, authoritate Oecumenicâ ita firmum stat Dei Verbum sacrarum Scripturarum ostensivum, ut in horum libris Canonicis definiendis habeat authoritatem prorsus infallibilem.

Objectio.

65 SEd numquid, excipiet adversarius, Ecclesia sinè pura & sincera Scripturæ editione extitit pro illo tempore, quo editio Septuaginta Interpretum vitiata & corrupta fuit, nec tamen plenè emendata ab Origine, alisve Doctoribus Ecclesiæ? Ubi enim fuisset pe-

fectè correcta, & ad omnimodam puritatem reducta, non fuisset necessarius labor Hieronymi ad Scripturæ versionem faciendam; prout ipse testatur *in præfat. in lib. Paralip.*

Responsio.

66. VErùm ex opposito est prorsus statuendum, ad Dei providentiam pertinere, ut nunquam relinquat Ecclesiam sinè verâ & sincerâ Scripturâ, etiam in publico, ita ut fidem faceret ad confirmanda dogmata. Ratio est. Alioquin enim videretur Ecclesia pro aliquo tempore defecisse in necessarijs, cùm nihil ita necessarium sit ad fidei sinceritatem tenendâ, quàm certificari, & habere in usu sinceram editionem Scripturæ; uti latiùs prolequitur Origenes *in Epist. ad Africanum.* Imò quamvis pro aliquo Ecclesiæ statu variæ essent translationes, & aliqui dubitarent de exemplarium fide, per ejusmodi tamen dubitationem, atque translationum varietatem minimè tollebatur solida Ecclesiæ sententia circa sinceram Scripturæ editionem. Quando proinde in Ecclesia fuit corrupta Septuaginta Interpretum editio, providit nihilominùs Deus de sincerâ Scripturæ editione conservandâ. Etenim Hieronymi tempore Septuaginta Interpretum editio servabatur incorrupta in Hexaplis Origenis; velut ipse testatur *in Epist. ad Suniam & Fretelam*, licèt in alijs editionibus extaret corrupta. Sanctus quoque Augustinus *11. contra Faustum cap. 2.* dicit, sententiarum varietates ex Divinarum Scripturarum exemplaribus prolatas extitisse paucas, sacrarum Litterarum studiosis notissimas. Quòd igitur plures excrevissent in hoc genere varietates, id ortum magis fuisse ex quorundam imperitiâ, quàm ex sinceræ in Ecclesiâ editionis defectu. Tertullianus porrò *ubi suprà* ante Origenis tempora fuit testatus, apud Serapæum in Ægypto videri Hebraicum Codicem Scripturarum à temporibus Ptolomæi servatum. Imò verò in Ecclesia ijs temporibus extitisse legitimam sacrarum Scripturarum editionem, ex hoc etiam probatur, quòd Tertullianus *lib. de præscript. contra hæreticos.* Irenæus *lib. 3. de fide cap. 4.* & Augustinus *28. contra Faustum, cap. 4.* docuissent, pro veris Scripturis ad Ecclesiam præsertim Apostolicam recurrendum esse: quod minimè locum habuisset, si eo tempore non reperta fuisset in publico usu legitima Scripturarum editio.

Iterata objectio.

67. AN ergo, rursus excipiet Adversarius, nulla alia sacrarum Scripturarum editio est authentica præter eam, quam vulgatam communiter dictam, Ecclesia Romana comprobat? At huic adversari, quòd, ubi dubitatur de alicujus translationis legitimitate, seu quando aliqua facienda est correctio, recurrere oporteat ad textum Hebræum; uti tradit S. Augustinus *11. contra Faustum cap. 2.* innuitque Divus Hieronymus *Præfat. in lib. Paral. & Epist. ad Pamachium de optimo genere interpretandi.* Ex quo adeò evinci, ipsis etiam Hebraicis exemplaribus inesse infallibilem authoritatem, cùm frustra alioqui ex ijs peteretur resolutio in dubijs ac varietatibus translationum.

Responsio.

VErùm ex parte nostra responderi debet, quòd alia sit habenda ratio Hebraicæ editionis, si spectetur in suo primævo fonte, alia verò, prout Rabbinorum Hebræorum transmutationi qualicunque fuit obnoxia. Etenim Originalis Hebraici voluminis nomine non intelligitur quidem illud, cujus characteres ex *immediatâ* Dei dictatione sunt exarati, hoc enim exhiberi amplius non posset, sed quascunque legitimas & incorruptas ex illâ primævâ Dei Scripturâ transumptiones: de quibus tota proinde hic occurrit difficultas, unde possint certò dignosci legitimæ? Sentiunt equidem hæretici apud Bellarminum *lib. 1. de verbo Dei cap. 2.* Hebræum textum nostrâ vulgatâ puriorem esse, cui etiam nimiùm tribuere videntur Cajetanus, Eugubinus, Oleaster, & alij Catholici, nisi hi dicantur locuti de textu Hebræo, prout erat tempore SS. Augustini ac Hieronymi, hic enim *Præfat. in comment. Isaiæ.* confutat eos, qui dicebant, Hebræos Codices fuisse falsatos. Unde idem S. Ecclesiæ Doctor *in Epist. ad Suniam & Fretelam.* scribit puram pro tunc Septuaginta Interpretum editionem haud dissensisse à textu Hebræo. Unde *simpliciter* dicendum est, Hebraicam editionem substitisse in omnimodâ suâ puritate, quando ex eo facta est translatio nostræ vulgatæ, atque adeò Hebraicus textus, in quantum hodie etiam saltem in sensu, si non in verbis, concordat cum vulgatâ, purus adhuc censendus est: ubi verò discordat à sensu vulgatæ, corruptus haberi, nec adeò in censu Hebraici Originalis reputari debet: quemadmodùm ejusmodi corruptio vel ex hominum negligentiâ, vel ex Judæorum malitiâ, vel ex additione punctorum ad litteras Hebraicas (sinè his enim antiquitus legebantur Hebraici textus) in multis accidit: nimis enim facile est, unum punctum, seu vocalem ponere pro altera, sicque totaliter mutare sensum: cujusmodi proinde Hebraicæ editionis à vulgatâ dissensiones pluribus exemplis probat Bellarminus *loco cit.* Quando igitur Divus Augustinus *superiùs* allegatus docet, in casu dubij super aliqua translatione esse recurrendum ad textum Hebraicum, id pro eo tempore ita habebat locum, dum nempe in suâ puritate subsistebat Hebraica editio, attamen pro temporibus posterioribus variâ post vulgatam corruptione irrepente in textum Hebraicum, huic non est infallibilis jam authoritas, nisi in quantum concordat cum vulgatâ. Insuper utilis ac fructuosus esse potest ex vulgata ad textum Hebraicum recursus, tum ut fiat illius cum isto collatio ad veritatem eruendam: tum, 68.

ad Paganos, Judæos præcipuè convincendos ex ipsismet Hebraicis voluminibus, quibus unicè credunt, rejectâ nostræ vulgatæ lectione.

69. Idem porrò est ferendum judicium de Septuaginta Interpretum editione: hæc enim, cùm fuerit pura & immaculata in Hexaplis Origenis, sinè dubio infallibilis tunc erat authoritatis. At versio, quæ nunc extat, non omninò pura videtur, ita ut in nullo textu contrarietur vulgatæ editioni. Et ideò non est *simpliciter* fidei regula, licèt magnæ sit authoritatis post emendationem à Sixto V. factam.

70. Sed nunquid, inquies, ex quo ista Septuaginta Interpretum editio non tantùm emendata, sed (uti constat ex Brevi Apostolico editioni illi præfixo) approbata fuit à Sixto V. graviter prohibente, ne aliter evulgari possit, hinc accipit authoritatem infallibilem Canonicæ Scripturæ? Verùm, si attentè expendatur isthæc Apostolica approbatio, noscitur eam habere vim, ex quâ Septuaginta Interpretum editio non *absolutè* definiatur authentica, sed *comparativè* duntaxat, nempe quatenus emendatior cæteris Septuaginta editionibus comprobatur. In quantum igitur hæc editio concordat cum vulgatâ, in tantum est indubitata fidei regula: at quia in multis dissentit à vulgatâ, ideo non potest *simpliciter* dici Canonica, seu infallibilis fidei regula; uti præter alios observat etiam Bellarminus *lib. 2. de Verbo Dei cap. 6.*

71. Quare circa sacrorum voluminum editiones & translationes seu versiones, oportet, sequentes statuere regulas. 1. Namque nonnullæ in eo sunt statu, ut *positivè* sint approbatæ ab Ecclesiâ, & hoc quidem diversimodè, ita ut vulgata *simpliciter* sit definita authentica, aliæ verò, velut Septuaginta Interpretum à Sixto V. emendata editio, non *absolutè* approbentur tanquam Canonicæ & authenticæ, sed *restrictè*, sub certis quibusdam correctionibus, secundùm quas habendæ sint alijs in eo genere versionibus emendatiores.

72. 2. Ad alias sacrarum Litterarum versiones Ecclesia se habet solùm *permissivè*, in quo statu sunt editiones *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis*, ab hominibus licèt hæreticis factæ. In quo censu etiam sunt translationes *Vatabli, Isidori, Cajetani, Oleastri, & Clarij*. Cujusmodi tamen permissio Ecclesiæ plus non operatur, nisi quòd tales editiones sint permissæ, in quantum non contrarientur vulgatæ: uti fert communis Doctorum sententia, conformiter Concilio Tridentino *Sess. 4.* ubi definitur: *Ut nemo editionem vulgatam quovis prætextu rejicere audeat, vel præsumat.* At istud attentare dicendus esset, qui teneret editionem aliquam editioni contrariam vulgatæ, imò qui vel in aliquo duntaxat puncto huic contrairet, ipsam præsumeretur rejicere. Unde sacra Concilij Tridentini Congregatio sanxit: *Ne vel periodus, vel una clausula, dictio, vel syllaba, jota, aut unus apex repugnet veteri vulgatæ linguæ Latinæ editioni.*

Hinc prorsus rejiciendæ, nec in publico Ecclesiæ seu concionum, vel disputationum usu concedendæ sunt translationes Bibliorum, in quibus vulgata editio reducitur ad Hebraica Originalia, quæ nunc extant; cùm è converso potiùs vulgata ex incorrupto Originalium textu translata purus fons sit, ex quo genuina sacra Littera hauriri debeat.

Si proinde 3. inquirat quispiam, *Quid in alijs sacrarum Litterarum editionibus censendum sit repugnare vulgatæ editioni?* Ad hoc rectè respondetur: hanc repugnantiam intervenire, quando sub prætextu v. g. Originalium Hebraicorum, seu Septuaginta Interpretum, alterius editionis, vel ex toto, vel ex parte rejicitur vulgata editio, vel quando falsificatur, seu quando tollitur ejus sensus, ac repudiatur tanquam illegitimus seu indebitus.

Quòd si verò translatio aliqua vulgatam non rejiciat, sed ad diversum, non tamen contrarium, transfert sensum, non censetur repugnare vulgatæ, vel hanc rejicere: constat namque, Hebraicam linguam diversos obtinere sensus, quin unus alterum rejiciat. Et sic permittitur Psalterium Hieronymi juxta veritatem Hebraicam, quod in multis tamen distat quàm maximè à nostro Psalterio.

Replicata objectio.

REplicari potest ex parte adversa, ut ostendatur, quâ ratione vulgata, quæ à Concilio Tridentino approbata est, dici possit per omnia authentica & certa fidei regula, cùm tamen ex post facto per correctionem Sixti V. & Clementis VIII. fuerit emendata.

Responsio.

VErùm circa puritatem vulgatæ editionis duo sunt consideranda. *Unum* est versionis fidelitas seu *quoad substantiam*, sensum scilicet, seu *quoad accidentalem ornatum*, nempe energiam, eloquentiam, & perspicuitatem. *Alterum* est versionis seu interpretationis hujusmodi conservatio tam in corde Ecclesiæ, quàm in codicibus, qui communiter sunt in usu Ecclesiæ.

Quoad *primum* statui debet, fidelitatem versionis non esse desumendam ex quacunque correctione, sed ex antiquo tot sæculorum usu in Ecclesiâ approbante vulgatam legitimam, non tantùm quoad ea, quæ ad fidem, moresque pertinent, sed quoad omnes etiam litteras, & apices; uti tradunt Doctores communiter. Ratio est. Cùm enim de ratione authenticæ Scripturæ sit, omnes ejus clausulas, & apices certæ ac indubitatæ esse authoritatis; omninò necessum est fateri, ubi vulgata editio per Concilium Oecumenicum decreta est authentica, ipsam esse legi-

legitimam quoad omnes litteras & apices, si enim vel in uno titubaret, nec in alijs ejus partibus certi redderemur: quæ certitudo eò magis debet in nobis firmari de Scripturæ veritate & authoritate, seu legitimitate, quòd in Scriptura vera & legitima nihil contineatur, quòd non sit revelatum, atque adeò ad fidem ac mores pertineat.

Objectio reiterata.

78. OBjici solet à nonnullis. *Inter nostram vulgatam sacrorum Bibliorum editionem, & originalia etiam antiquiora, ex quibus facta est translatio, in multis reperiri dissensionem aliquam: sic enim probat diversitas lectionis, veluti ipse etiam Hieronymus aliam olim ex Hebraico textu edidit translationem Psalmorum, quàm habeatur in vulgatâ: sicuti etiam illud vulgatæ Gen. 3. ipsa conteret caput, in Hebraicis Originalibus uniformiter legitur ipsum, seu ipse conteret caput tuum.*

Responsio.

79. VErùm hoc minimèo bstat, si ritè expendatur, cum quonam originali Hebraico facienda sit vulgatæ nostratis computatio. Etenim si sermo sit de originali Hebraico, quod nunc extat, major habenda est ratio vulgatæ, utpote potiorem, imò absolutam in Ecclesia approbationem obtinentis, quàm textûs Hebraici, quanquàm in paucis inter se differant, ac teste S. Augustino *11. contra Faustum cap. 2.* differentiæ hujusmodi Scripturarum studiosis notissimæ sint, in eundem ferè sensum reducibiles: dum quod una translatio profert simpliciter, altera id ipsum, alio licèt modo, per circumlocutionem dicat. Ubi tamen dissensiones tales non sunt ad eundem sensum reducibiles, sed verè contrariæ, seu repugnantes; uti *supra* dictum est, omninò oportet, vulgatam textui Hebraico præferre, cùm illius translatio desumpta fuerit ex emendatiori Hebraico, antiquitus adhuc incorrupto codice, indeque perpetuam Ecclesiæ approbationem meruerit, & illibatè conservârit.

80. Quòd si ergo vulgatæ differentia quæpiam interveniat erga antiquum Hebraicum originale, considerare necessum est, etiam antiquitus fuisse diversos ejusmodi codices, quorum alij extiterant emendatiores, alij verò pluribus scatebant mendis. In quantum igitur est vulgatæ cum originali Hebraico differentia, sentiendum est, hoc esse de originali minùs emendato, cùm econtra vulgata prorsus concors sit puro & incorrupto antiquo originali, ex quo facta est translatio. Unde cùm Hieronymus quoque & alij Patres notentur, in allegatione sacrorum textuum dissentire à vulgatâ, dicendum est, ipsos non habuisse semper ad manum emendatiora originalia, sed ex minùs etiam emendatis ejusmodi deprompsisse allegationes, seu qualescunque translationes. Et ideo quatenus Hieronymi Psalterium discrepat à Psalterio vulgatæ, asserere oportet, istud ex puro, illud ex minùs emendato Hebraico originali esse translatum. Nec porrò infrequens est Hebræis, ut fœmineum ponant pro masculino, sicque facilè fuit, ut *Gen. 3.* legeretur in uno exemplari *ipsa*, in alio *ipse*, in altero *ipsum conteret caput tuum*: imò, cùm ista vox relativa ad totum contextum referatur, significetque effectum illius inimicitiæ, quam mulier unà cum semine suo, esset habitura erga serpentem, perinde sonare credendum est, sive legatur *ipsa* scilicet mulier cum semine suo, sive *ipsum* semen, nimirum unà cum muliere, sive ipse Messias nempe cum Matre, prævaleret adversùs dæmonem.

81. Quoad *secundum*, nempe de incorruptâ ac fideli vulgatæ versionis conservatione, asseverare oportet, hanc probari ex duplici principio. *Primum* adversùs hæreticos desumitur ex omnium ferè Patrum Ecclesiæ sanctæ Doctorum ultra mille annos continuâ approbatione sequentium illam translationem, ipso S. Augustino *lib. de doct. Christ. cap. 25.* maximè commendante Divum Hieronymum ex hoc, quòd editionem *Italam* dictam, expurgârit: quam vulgatam hinc dici solitam, posteà etiam comprobârunt S. Gregorius Papa *20. Moral. cap. 24.* & S. Isidorus *lib. 6. Etymol. cap. 3.* post quos ipsissimâ hâc vulgatâ in suis libris usi sunt Remigius, Beda, Rabanus, Anselmus, Petrus Damianus, Bernardus, Hugo, Rupertus, Thomas de Aquino, Bonaventura &c. imò in Concilijs etiam Generalibus erat vulgatæ usus; ut nefas profectò sit, hæreticos isti præponere alias translationes, seu versiones, vel quæcunque à semet prætensa originalia.

82. *Secundum*, in editione hac vulgata adversùs scribentium & Notariorum negligentiam, ignorantiamque, seu hominum malitiam, incorruptè servandâ, principium se tenet in codicibus antiquis, qui passim in diversis servantur Ecclesijs, ut ex eorum collatione possit fieri correctio mendorum, quæ irrepunt ex falsâ quandoque transcriptione. Hoc studium de antiquissimis sacrarum Litterarum codicibus conservandis, atque mendis fortè irrepentibus per hos corrigendis, magnum semper in Ecclesiâ fuisse, testatur etiam Cardinalis Ximenensis *in Præfat. ad Biblia Complutensia*, faciens mentionem Codicis 800. annorum Gothicis litteris scripti. Juxta hæc igitur principia in corde Ecclesiæ ita semper manet sacra Scriptura pura & legitima, ut hæc ipsa tamen principia sint solùm *Instrumentaria*, ipsâmet Divinitus repromissâ Spiritûs sancti erga Ecclesiam providentiâ assistente, ne Ecclesia in Codicibus Divinis approbandis, possit errori esse obnoxia. Cui proinde sacrorum voluminum puritati minimè obstat Sixti V. & Clementis VIII. correctio; siquidem hæc facta sit ex purioribus exemplaribus in Ecclesia illibatè servatis, quibus derogare haud poterant menda, quæ in plures particulares editiones irrepserant, nec adeò dicere licet *simpliciter* & *absolutè*, oportuisse,

tuisse, vulgatam emendari, sed istâ emendatione indigebant particulares duntaxat seu impressiones, seu transcriptiones ac editiones Divinorum voluminum, eatenus obnoxiorum erroribus, ex hominum vel negligentiâ, vel malitiâ irrepentibus, ut in corde tamen Ecclesiæ, tum juxta principia illa *instrumentaria superiùs* exposita, tum juxta Spiritûs sanct iassistentiam infallibilem, semper maneat eorundem puritas & incorruptio.

Ulterior objectio.

83. EX parte namque adversa instari adhuc potest. Quâ ergo certitudine constare nobis possit, illam ultimam Sixti V. & Clementis VIII. correctionem esse legitimam, ita ut in omnibus eam infallibiliter sequi possimus, tanquam legitimam & puram, præsertim cùm corruptio, quæ emendari debuit, tanta fuerit, ut diversum ingereret sensum?

Responsio.

84. VErùm nulla inprimis facta est, nec unquam erit necessaria Divinorum voluminum correctio, quatenus sacra Scriptura est in corde Ecclesiæ: tum quia in hac immobiliter stant principia sufficientia ad menda ex codicibus sacris, in quos particulariter irrepunt, tollenda: tum quia ex ipsismet fidei principijs est indubitatum, haud posse unquam Ecclesiam in eo constitui statu, ut ab omnibus libris sacræ Scripturæ simul deficiat vera & pura lectio Divinitus tradita, cùm cæteroqui ipsa fides deficeret. In quantum igitur particularium quorundam voluminum ea per Summos Pontifices sancita est correctio, eatenus disquirere licet, *quâ certitudine constet, exemplaria sic correcta esse alijs emendatiora, & lectionem ijs contentam puriorem ac certiorem?*

85. In quo puncto distinguendum venit inter versionem vulgatam sub *specificâ* & *formali* hâc ratione à Concilio Tridentino sancitam tanquam legitimam, & *materialem* litterarum, seu verborum efformationem. Non igitur in priori, sed in posteriori duntaxat à Sixto V. & Clemente VIII. facta est correctio; uti liquet *ex Præfat. ad Bibliâ correcta Sixti V.* Synodus namque Tridentina nihil determinavit quoad Bibliorum correctionem à mendis librariorum, sed id Romano Pontifici faciendum reliquit. Duo igitur præstitit illa seu Sixtina, seu Clementina correctio. Unum est, quòd editio vulgata per sacrum Concilium approbata tanquam legitima, & ad fidei dogmata confirmanda sufficiens, atque Canonica, absque ulla sui mutatione fuerit à veterum librariorum pleraque particularia exemplaria afficientibus mendis, pravarumque editionum erroribus repurgata, ac pristinæ integritati restituta; uti *ex cit. Præfat.* constat. Alterum, cùm variæ lectiones notari solerent in margine Bibliæ, opus erat corrigere, non ipsam versionem, sed quæ in communioribus lectionibus ex scribentium, aliorúmve negligentiâ mendaciter habebantur; veluti universa hæc manifesta fiunt ex Bullâ Clementis VIII. præcipientis in hæc verba: *Cujus quidem exemplaris formæ, nec minimâ quidem particulâ de textu mutatâ, additâ, vel ab eo detractâ, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestè adscribendum sit, inviolabiliter observetur.*

Ultima objectio.

INstari ex parte adversa rursus potest. Quærendo; *An istud præceptum habeat vim definitionis authoritativæ, ita ut censeri debeat ab Ecclesia definitum, hanc sacrorum Bibliorum editionem correctam esse puram, & omnis defectûs expertem?* 86.

Responsio.

87. SUnt, qui negant, id esse definitum ab Ecclesia, asseverando tamen, esse adeò certum, ut oppositum sit temerariũ. Ratio est. Quia Bulla Clementis VIII. in editione Romanâ correctâ relata non definit aliquid circa hoc punctum, sed dicit solummodò, textum vulgatæ editionis restitutum, & quàm accuratissimè expurgatum prodire in lucem: neque verò expresse definit, ipsam expurgationem esse præ cæteris purissimam. Quare præceptum id, cujus erat *superiùs* facta mentio, stringit solùm respectu impressionis faciendæ, ut scilicet in imprimendis Scripturæ libris, nulla mutetur particula, ne, si aliæ lectiones passim imprimi possent, illa correctior lectio iterum vitietur in multis. Eapropter rectè concluditur: Si correcta ista editio sumatur secundùm omnia, quæ includit, & *quasi Collectivè*, esse omnibus alijs præponendam, ita ut, qui oppositum faceret, plusquàm temerarius, & quasi errori proximus judicandus esset: qui verò in aliquo particulari, ac seorsim aliam sequeretur lectionem, non esset aliquâ censurâ dignus.

88. Ratio *prioris* est. Quia Ecclesia etsi non definiat, judicio tamen suo proponit, hanc lectionem cæteris esse correctiorem. At temerarium est, negare, quod Ecclesia Catholica dicit, licèt id non definiat. Insuper Summus Pontifex Clemens VIII. *in præcitato Breui* prohibet, ne aliæ lectiones in margine ponantur, néve de ipso contextu liceat aliquid mutare, seu aliter imprimere. At si alias lectiones sequi liceret tanquam meliores, aut correctiores, impertinens esset ista prohibitio: hoc autem dicere, vel asseverare, Ecclesiam prohibuisse lectionem Bibliorum meliorem ac correctiorem, valde temerarium foret.

89. Ratio *posterioris* partis desumitur *ex Præfatione Bibliys correctis additâ*, ubi sic dicitur. *Hanc editionem correctam, sicut omnibus numeris absolu-*

absolutam pro humanâ inbecillitate affirmare, difficile est, sic cæteris omnibus, quæ ad hunc usque diem prodierunt, emendatiorem, puriorémque esse, minimè dubitandum est. At eo ipso, quòd ista correctio non possit affirmari omnibus numeris absoluta, potest circa quodpiam particulare aliquid dubij admittere: quoad menda scilicet veterum librariorum, pravarumque emendationum errores, dum cæteroqui quoad interpretationem vulgatam, quatenus à Concilio Tridentino est definita, nefas sit, quidquam vocare in controversiam. Quamvis proin in sacris Biblijs ex incuriâ Typographiæ, vel etiam aliunde possit aliquod vitium irrepere, hoc tamen minimè obstat veritati Divinæ Scripturæ, cùm Ecclesia semper habeat præstò, unde emendare valeat tales errores: nec adeò vitia ejusmodi officere queunt authoritati vulgatæ editionis.

PROBATIO II.

Quâ irreformabilis Papæ infallibilitas ostenditur ex Concilijs Generalibus ab Authore *tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 7. cap. 5. inductis.*

90. QUanto enim cum applausu excepta sit doctrina Adriani I. Papæ in epistolis ad Imperatorem, & ad Patriarcham Constantinopolitanum scriptis, in actis *septimæ* Synodi anno 787. habitæ, videri potest, scilicet *Actione 2.* in qua lectæ sunt. Continent autem etiam illæ epistolæ sanctæ Sedis in dirimendis de fide controversijs prærogativæ testimonia. In *prima* habentur hæc verba de Beato Petro, & ejus Sede: *Iste itaque tam præcelso prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi. Beatam confessionem beatitudo secuta est præmiorum, cujus prædicatione sancta universalis illustrata est Ecclesia, & ex ea cæteræ Dei Ecclesiæ fidei documenta sumpserunt. Nam ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicæ Sedis primitus præsedit, sui Apostolatûs Principatum, ac Pastoralis curæ, successoribus suis, qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit. Quibus & authoritatis potestatem, quemadmodùm à Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit Divino jussu successoribus Pontificibus.*

91. In eodem Concilio *Actione 2.* Ioannes sanctissimus Episcopus Tauromanniæ dixit: *Cùm veluti Divinus orthodoxiæ terminus* (sive Divina definitio) *sint litteræ, quæ ab Adriano Papa senioris Romæ ad pios Imperatores, nec non & ad Tarasium universalem Patriarcham nostrum missæ sunt, ita profiteor.*

92. Nicolai I. & Adriani II. judicium de Photio, & de sacris imaginibus doctrinam secuta est *octava* Synodus, ad quam nemo admissus est, quin professioni fidei ab Adriano missæ subscripsisset, in qua hæc continentur: *Quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, verum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper reservata religio, & sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè Sanctorum Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis.* Quomodò autem prædicta Synodus *octava* Summorum illorum Pontificum amplexa sit constituta, declarant hæc ejus verba. *Can. 2. Obedite Præpositis vestris tanquam rationem reddituri, Paulus Magnus Apostolus præcipit. Itaque Beatissimum Papam Nicolaum tanquam organum sancti Spiritûs habentes, nec non & Sanctissimum Adrianum Papam successorem ejus. &c.* Concilia Oecumenica Summum Pontificem *tanquam organum sancti Spiritûs habent*: Antistites Gallicani ejus judicia reformabilia esse decernunt.

In Concilio Lugdunensi anno 1274. Imperator Græcorum & per epistolam, & per Nuntium juravit, se Catholicam & Orthodoxam fidem acceptare, profiteri, ac servare velle; *Prout*, inquit, *eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia.* 93.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. vocat Ecclesiam Romanam Matrem, & Magistram omnium fidelium. Possent omnes fideles in errorem induci, si erraret Magistra, quam tenentur audire. 94.

Clemens V. *Clementinâ de Summâ Trinitate & fide Catholica. §. Nos igitur.* docet, *quòd ad Apostolicam considerationem duntaxat hæc* (quæ in Scripturis obscura sunt) *declarare pertinet.* Quod etsi dixerit, Concilio Oecumenico, Viennensi scilicet, præsidens; necessitatem tamen Concilij non induxit, sed potiùs exclusit, particula illa *duntaxat.* 95.

PROBATIO III.

Prioris continuativa ex inductione Conciliorum Gallicanorum à dicto Authore *à n. 6.* inductorum.

96. CUi enim unquam ex antiquis Episcopis Gallicanis venit in mentem, non esse irreformabile sanctæ Sedis judicium, donec à Concilio Oecumenico confirmatum, aut ab Ecclesia universa fuisset acceptatum? Et Episcopi singuli, & eorum Cætus sive Concilia illud tanquam indubitatam fidei normam populo proponebant. Hâc regulâ Concilium Arausicanum II. anno 529. Fausti Regensis errores confutavit, & veritatem orthodoxam declaravit. *Id nobis*, ita præfantur Episcopi, *secundùm admonitionem Episcopi, & authoritatem Sedis Apostolicæ justum, ac rationabile visum, & pauca Capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus locis, qui hucusque non sicut oportet de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ*

fidei

fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat. Contradicere quidem Superiorum declarationi, nisi evidenter falsæ, non licet. At verò *animum suum* nemo tenetur *inclinare*, nisi in obsequium fidei. An ergo Concilijs Provincialibus, an authoritati Papæ debetur, ut fideles *animum inclinent* ad ea, quæ definiuntur? Vide notas Severini Binij *in hanc præfationem.*

97. Sanctus Avitus Episcopus Viennensis anno 517. non suo solius, sed & omnium Episcoporum Galliæ nomine protestatus est Hormisdæ Papæ, se ejus sententiæ in materia fidei adhæsurum. *Quia*, inquit, *jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam. Orate, ut sic nos prædictorum professio sucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat.*

98. Ravennius, alijque Episcopi Gallicani in epistola Synodica ad S. Leonem Magnum, pluribus testati sunt, quanti facerent ejus circa dubia de fide, sententiam, etiam antequàm Concilij Generalis Chalcedonensis consensus accessisset; *Quæ*, inquiunt, *Apostolatûs vestri scripta ita, & symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit..... Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat. Debet etiam infidelis, ut à perfidia sua agnitâ veritate discedat, & Apostolicæ veritatis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ salutis & veritatis inimicus instillat.* Post epistolam 51. S. Leonis.

99. Ceretius Salonius, & Veranus Episcopi Gallicani eandem erga sancti Leonis epistolam reverentiam professi fuerant his verbis: *Illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ecclesiarum conventicula celebratur, ut verè consona omnium sententia declaretur; meritò illic Principatum Sedis Apostolicæ constitutum; unde adhuc Apostolici Spiritûs oracula referentur.* Post epistolam 98. S. Leonis.

100. Concilium Turonense II. anno 570. *Can.* 21. suam erga sanctæ Sedis decreta observantiam significat his verbis: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat..... & quorum Authorum valere possit prædicatio, nisi quod Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut Apocryphos fecit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit authoritas. Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in Canonibus nostris inserentes, statuimus observandum &c.*

101. Quàm huic antiquorum Gallorum reverentiæ erga sanctæ Sedis de fide oracula concordaverint eorum posteri usque ad extrema tempora, in illorum historijs licet observare, nec non in Gallicanorum Conciliorum monimentis à Patre Iacobo Sirmondo collectis, iterumque in sequentibus capitibus demonstrabitur.

PROBATIO IV.

Ejusdem argumenti continuativa ex consensu cæterarum Nationum ab eodem Authore ann. 12. adductarum.

IN ea erga sanctam Sedem reverentia ne- 102
quaquàm cesserant Gallis cæteræ Nationes. De Italica nemo dubitat, de Ecclesia Africana, quæ à Gallis in exemplum tam libenter assumitur, dicemus infra. De Hispanica præter ea, quæ *in primo libro* retulimus, libet epistolæ Concilij Tarraconensis ad Hilarium Papam scriptæ, ac in Concilio Romano lectæ anno 465. principium, & finem exscribere: *Etsi nulla extaret*, inquiunt Episcopi Tarraconensis Provinciæ cum suo Metropolitano, *necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re verâ nobis fuerat illud privilegium Sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus, post resurrectionem Salvatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit: cujus Vicarij Principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sinè querela servitis, ad fidem recurrimus, Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Quæruntur posteà de Sylvano Episcopo Calagurræ, ejusdem Provinciæ, quòd multa patrâsset, *postponens Patrum regulas, & Romani Pontificis instituta, denique contra vetustatem Canonum, contra Synodi constituta.* (Has enim veras Ecclesiæ libertates sartas tectas servari cupiebant.) Concludunt in hunc modum: *Proinde, quia his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri, quæsumus Sedem vestram, ut quid super hac parte observare velitis, Apostolicis effatibus instruamur, quatenus fraternitate collectâ, prolatis in medium venerandæ Synodi, constitutis, contra rebellionis spiritum vestrâ authoritate subnixi, quid oporteat de Ordinatore, & ordinato fieri, intelligere, Deo adjuvante, possimus. Erit profectò vester triumphus, si Apostolatûs vestri temporibus, quod sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint extirpata.*

Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantua- 103
rienſis *epist.* 97. *edit.* P. Lupi, omnibus Episcopis Angliæ, quorum erat Primas, scribit; *Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claves Regni cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide, & doctrina Petri, totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei?..... Quicunque sit, qui rigat, aut plantat, Deus nullí dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquieſcit. Sanè ad eum maxima populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, &c.*

§ III.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur ac expenduntur cum conclusione superijs reflexivâ.

ARGVMENTVM I.

104. AUthor *Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 4. n. 1.* argumentatur 1. ex Concilij Nicæni *c. 18.* cujus hæc exhibentur verba: *Omnes Episcopi in gravioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas Apostolorum authoritas reservavit.* Citat hunc Canonem ex Concilio Nicæno S. Julius I. *in epist. 2. contra Orientales pro Athanasio, & habetur tomo 1. Conciliorum post Concilium Nicænum:* Idemque habet Pelagius II. *in Cap. Multis. 17, distinctione* Si ergo majores & difficiliores causæ, inter quas sunt utique causæ fidei, Apostolicæ Sedi reservantur; oportet, hujus sententias esse infallibilis authoritatis: alioquin non Pontifici reservandæ forent, sed Concilio: & sicut fides certa est, nec ullum admittit dubium, ita sententia, cui reservantur causæ fidei, debet esse certa, & dubij expers; ubi enim sententia non est certa, etiam id, quod per sententiam pronuntiatum est, non est certum; & si certum non est, non potest esse dogma, & objectum fidei.

ARGUMENTUM II.

105. IDem Author *cit. §. 4. n. 2.* argumentatur 2. ex Synodo Alexandrina, cui præfuit Magnus Athanasius, suo & Synodi nomine scribens ad Felicem II. Papam: *Ideo, Pater beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus juxta Canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde Prædecessores nostri ordinationes & (NB.) dogmata ceperunt.* Et infra: *Similiter à supra dictis Patribus Concilij Nicæni est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum Iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi & solvendi speciali privilegio super alios est concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum Lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est etiam sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur: Tu profanarum hæresum, atque omnium infestantium depositor, ut Princeps & Doctor, Caputq; omnium Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis &c.* Hæc Athanasius & cum illo Synodus Alexandrina: ex quorum sententia, si Papa dogmata condit, si est firmamentum à Deo fixum & immobile, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur & sustentantur; si omnium hæresum profligator; si Princeps, Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; planè sequitur, infallibilem esse, & quæ ab illo definita sunt, eo prætextu, quòd errare possit, repelli haud posse: alioquin omnia illa Athanasij encomia adulationes sunt, & verba sensu vacua, captandæ tantùm gratiæ adornata.

ARGUMENTUM III.

106. AUthor *præallegatus n. 3.* argumentatur 3. ex Concilio Carthaginensi, de quo Innocentius 1. Papa in sua ad eandem Synodum epistola *to. 1. Conciliorum* relatâ, scribebat in hæc verba: *Antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm anteà, cùm pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam malè jam damnare novimus, quàm probare Laudandâ: vel id verò, quòd Patrum institutæ Sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humanâ, sed Divinâ decrevêre sententiâ: ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut totâ hujus authoritate (justa quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indèque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundive dignæ corporibus unda vitaret.* Vides hîc iterum testari Innocentium, ultimam fidei definitionem ad Papam spectare, ab hoc veluti natali fonte sanam sinceramque doctrinam fluere: ab hoc alios Episcopos, Ecclesiasque omnes discere, quos absolvere, quos damnare hæresis oportet: quæ omnia falsissima sunt, si Pontifex Ecclesiâ docens errare potest, tunc enim ab alijs corrigi & doceri debet: nec illius sententia, utpote incerta, fidei quæstiones finire potest, sed ad aliud forum, aliúmve doctrinæ fontem recurrendum erit.

ARGUMENTUM IV.

107. PRæfatus Author *n. 4.* argumentatur 4. ex Concilio Ephesino, ad quod Cælestinus Papa, cùm hæresin Nestorianam ipse in Synodo Romana prædamnâsset, Legatos quidem Ephesum ad Concilium misit, sic tamen, ut sententiam Romæ datam exsequerentur, certamque Patribus regulam præfigerent, juxta quam Nestorium contumaciter erroribus insistentem damnarent: sic enim habetur *tomo 1. Concilior. in Actis Concilij Ephesini tom. 2. can. 15.* Evagrio *l. 1. hist. c. 4. epist. Synodali Cælestini in versione Crescioniana apud Baron. ad annum. 431. & Spondan. ibid. n. 4.* Si ergo Papa hæreses ante Concilium damnat, &

quos damnavit, à tota Ecclesia pro hæreticis damnari jubet: si Concilijs sententiam, quâ teneantur, præscribit; ergo minùs, quàm ipsa Concilia errare potest: alioquin non ipse Concilijs, sed hæc Pontifici credenda præscriberent: quod enim hoc paradoxum, ut qui eget doctrinâ, doceat, qui non egent, doceantur? quique errare à via potest, eos ducat, qui errare non possunt, hoc est, videns, confuso rerum ordine, à cæco, Magister à discipulo discat, fons à rivulo bibat? In Concilio Carthaginensi sub Damaso Papa, qui anno 367. electus est, & anno 384. mortuus, Stephanus Archiepiscopus, & tria Africæ Concilia *in epist.* ad S. Damasum, quæ habetur *tomo. 1. Concilior.* & Damasus in responsoria ad eosdem Episcopos, aperte profitentur: *Sedi Romanæ Episcoporum judicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, & sententiam de Divinis rebus reservatam esse. Apostolicam hanc Sedem firmamentum esse à Deo fixum & immobile, omniúmque verticem Ecclesiarum.*

ARGUMENTUM V.

108. AUthor ille *præf. n. 5.* argumentatur 5. ex Concilio Chalcedonensi, cujus meminit S Thomas *in opusc. contra errores Græcorum*, quòd in hæc verba decreverit. *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum petram refugij, & ipsi soli liberâ potestate loco Dei sit jus discernendi secundùm claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apostolici throni.* Et in condemnatione Dioscori Patres sic acclamárunt: *Sanctissimus Archiepiscopus Magnæ Romæ, una cum ter Beatissimo Petro, qui est Petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum,* (NB.) *nudavit eum Episcopatûs dignitate.* Et *in epist. Synodali ad Leonem* gratulantur Patres: *Quòd tantum Antistitem Apostolicæ Sedi, unde religionis nostræ fons & origo manat, Dominus dederit.* Et *in epist. Synod. ad Patres Concilij* Leo Papa negat, *dogma fidei à se contra Eutyben, & Dioscorum semel declaratæ, in dubium, aut disputationem vocari debere, neque Legatos à se mitti, qui rem decisam, definitámque in litteris ad Flavianum datis, examini iterum subdi permittant, sed qui definita exequantur.* Hæc omnia evincunt, Papam errare non posse in causis fidei, nam si potest, cur non liceat, ejus sententias à Concilio examinari, emendarique? Sed audi ipsum Leonem: *Neque enim abjuncta est à vobis mea præsentia, qui in Vicarijs meis adsum, & jam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiquæ traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiam. Vnde, Fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem Divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: cùm non liceat defendi, quod non liceat credi, cùm secundùm Evangelicas veritates, secundùm Prophetica voces, Apostolicámque doctrinam, plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Domini nostri Iesu Christi pia & sincera confessio.*

ARGUMENTUM VI.

PRæductus Author *hîc n. 6.* argumentatur 6. *sexta* Generali Synodo *tom. 3. Conciliorum* relata. Ibi S. Agatho Papa *in epist. ad Constantinum Augustum* non permittit Concilio, *ut aliter in causa fidei pronuntiet, quàm suis Legatis Pontifex injunxerat, suæque definitioni nihil addi, nihil minui, sed juxta traditionem Apostolicæ Sedis, ut à Prædecessoribus suis conservata est, omnia definiri.* Hæc unicè supponunt, Pontificem Romanum non tantùm errare non posse, sed ejus etiam officij esse, regulam credendi, docendique Concilio præscribere. Sed hanc Pontificis infallibilitatem *in eadem epistola* (quam summis laudibus extulit, approbavitque eadem sacra & generalis Synodus *Act. 4. & 18.*) adeò clarè Agatho expressit, ut nihil clariùs dici potuerit; sic enim loquitur: *Cujus admonente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia, nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est. Cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi &c. & sanctiquidem Doctores orthodoxi venerati, atque secuti sunt: hæretici autem falsis criminationum ausibus insecuti &c. Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata protenus manet secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam sacrorum discipulorum Principi in sacris Evangelijs fecit: Petre, inquiens, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut, qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit.* 109

Ex Concilijs Africanis, quæ anno 646. quatuor Primates Africæ in subjectis sibi Provincijs convocárunt, data est Synodalis ad Theodorum Papam epistola, in quâ, inter alia: *Antiquis regulis sanctum est, ut quicunque, quamvis in remotis, vel in longinquo positis egeretur provincijs, non priùs tractandum esset, nisi ad notitiam Almæ Sedis Apostolicæ fuisset delatum, ut ejus authoritate justa quæ fuissent pronuntiata firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, purissimi incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.* Videatur Spondanus *ad hunc annum &c.* & Acta Synodi Lateranensis sub Martino Papa. 110

Ac-

ARGUMENTUM VII.

112. IPsissimus ille author *n. 7. & 8.* argumentatur 7. ex *quinta* Generali Synodo, in cujus sententia, quam contra Anthimum Mennas Patriarcha Constantinopolitanus pronuntiavit, hæc habentur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus.*

113. In *septima* etiam Synodo *Act. 2.* lecta & approbata est epistola Adriani II. ad Tharasium Patriarcham, ubi expressissimũ Pontificiæ infallibilitatis testimoniũ extat, sic enim inter alia habet: *Cujus etiam Sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit. Unde & ipse beatus Petrus Apostolus Dei jussa Ecclesiam pascens nihil omninò prætermisit, sed ubique Principatum obtinuit & obtinet: cui etiam & nostræ beatæ & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei Caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpote, quæ reverà sit rectè sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primùm Omnipotenti Deo exhibeatur, vestráque beatitudo magnos & pijssimos Imperatores supplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, coram Deo, & horribili ejus judicio venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubeántque: nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ.*

114. Porrò in Concilio etiam Romano sub Nicolao II. celebrato inter alios Canones hic fuit: *Si quis dogmata vel decreta pro fide Catholica, aut Ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præside promulgatas contempserit, anathema sit.* Habetur hic Canon *in Cap. Si quis 25. q. 2. &c. Ad abolendam. De hæret.*

ARGVMENTVM VIII.

115. IS denique Author *à n. 9.* argumentatur 8. adducendo Concilium Lugdunense I. sub Innocentio IV. celebratum & relatum *in Cap. un. De homicid. in 6.* ubi sic habetur: *Pro humani redemptione generis de summis cælorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Iesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis glorioſi redemptum ascensurus, post resurrectionem ad Patrem absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo (ut suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, eorúmque mentes ad salutis opera suæ accenderet devotionis ardore) commisit.*

116. Concilium quoque Lugdunense sub Gregorio X. decrevit; prout habetur *in Cap. un. De summa Trinitate in 6. Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra.* In eodem Lugdunensi Concilio Michaelis Palæologi Imperatoris, & Orientalis Ecclesiæ Legati professionem fidei Orthodoxæ ediderunt, quæ & à Synodo Lugdunensi recepta est, & infallibilitati Pontificiæ apertissimum suffragium dedit. Videri ea potest apud Raynaldum *ad annum 1274. n. 24.* & inter alia hæc habet: *Ipsa quoque S. Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide obortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.*

117. Concilium porrò Lateranense sub Innocentio III. *in Cap. Damnamus. De summa Trinitate.* Romanam Ecclesiam vocat omnium Matrem & Magistram. Suffragatur denique Concilium Lateranense sub Iulio II. & Leone X. cui Germania, Hispania, Anglia, Dania, Norvegia, Scotia, Italia, & Hungaria amplissimis Legationibus missis adhæserunt, ut videre est apud Raynaldum *ad annum 1512. n. 53.* Et Ludovicus Galliæ Rex per suos Oratores acta Concilij Pisani damnans, hoc ipsum Lateranense pro legitimo & Oecumenico agnovit, eique se adhærere professus est, ut habetur in actis ejusdem Concilij *Sess. 8. tomo 5. Concil. Venetæ edit.*

118. Idem à Galliæ Prælatis factum, qui & ipsi Pisanum Conciliabulum execrati, professi sunt, se & adhærere, & adhæsuros Concilio Lateranensi, ut videre est in actis Concilij *Sess. 9.* In hoc ergo Concilio, à Gallis, ut diximus, etiam recepto, *Sess. 11.* ex professo definita est suprema Pontificis Romani supra Concilium authoritas, & consequenter omnimoda infallibilitas. In eadem *Sess. 11.* rescissa est fatalis illa & pragmatica sanctio, quæ Carolo VII. Regè in Bituricensi Conventu, vigente Basileensi schismate adversùs Romanorum Pontificum authoritatem lata fuerat, quamque jam dudum, anno videlicet 1462. sub Pio II. Ludovico XI. in publico Cardinalium Senatu revocaverat.

119. His proinde sacrorum Conciliorum sanctionibus meritò se conformaret Clerus Gallicanus in asseveranda infallibilitate Pontificiæ authoritatis, in fidei rebus ex Cathedra decernentis; maximè dum eam specialem Romani Pontificis prærogativam fundant super Christi Domini promissione *Matthæi 16.* polliciti: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et *Lucæ 22.* asseverantis: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Verùm excipiet fortassis nonnemo, istam infallibilitatem ad fidei duntaxat, non autem morum decreta protendi debere. De quo adeò puncto in conclusione proximè sequenti differere nobis visum est operæpretium.

CONCLUSIO.

120. EX fidei principijs certum est, quòd Ecclesia, ejusque Caput Summus Pontifex, in legibus pro universa Eccle-

sia ferendis quoad *formale* earundem specificativum errare non possit, licèt errori obnoxium esse queat, quod in ejusmodi legibus est *materiale* quoad singulares circumstantias.

Explicatur & probatur ex eo, quòd Summus Pontifex pro Universa Ecclesia sanciendo leges semper respiciat ad fidei principia. Et hoc quidem dupliciter, declarando quandoque moralitatem aliquam, ceu consentaneam principijs fidei, atque tunc ad ista respicit *in actu signato*, nec adeò errori potest obnoxius esse in tali procedendi modo. Aliquando verò *simpliciter* præcipiendo moralitatem Verbo Dei conformem, atque tunc *in actu* saltem *exercito* respicit ad fidei principia, quin talem conformabilitatem *signatè* definiat. Quandoquidem igitur utroque isto modo leges pro universâ Ecclesiâ sancitæ per Oecumenicam Summi Pastoris authoritatem reducantur in fidei principia, consequens est, talem super Ecclesiæ, adversùs quam portæ inferi prævalere non possunt, Petrâ fundatam authoritatem esse infallibilem, in legibus pro universâ Ecclesiâ condendis.

PROBATIO I.

Petita ex sequenti ratione Theologica.

121. NAm in quibuscunque legibus *Formale* est ipsa rei præceptæ moralitas, quâ rectæ rationi consentanea. Hæc verò licèt in agibilibus *moralibus* sit definita per lumen rationis naturale: ubi tamen istud est Divinitus elevatum, & ad sublimioris perfectionis statum supernaturalem, fidei lumine, ac infusis *moralibus* etiam virtutibus mediantibus, traductum, voluit Deus honestatem naturalis etiam luminis sphærâ circumscriptam, sub ipsiusmet Divinæ suæ revelationis, fideique principijs nobis esse manifestam. Sic enim Decalogi præcepta universa sunt naturali lumini consentanea, ac propterea exspirante licèt Veteri Lege, sub cujus statu scripta extant, etiamnum in Novâ Lege vigent. At verò hæc ipsa Decalogi præcepta fidei supernaturali lumine illustrata, sunt principia, quibus oportet, ut conformetur quæcunque per Summum Pontificem præceptibilis moralitas. Hæc igitur respectu cujuscunque legis ac præcepti se habens per modum *formalis* Specificativi, quantumvis lumini naturali sit conveniens, vel maximè tamen, quatenus subest Ecclesiæ authoritati præceptivæ, supernaturalis rationis sphæram attingenti, ut sic reduci debet ad fidei principia. At in hisce nequit errare Ecclesia, ejusque Divinitus constituta, in Summo Pontifice residens, Oecumenica authoritas. Ergo ista nequit etiam in legibus pro universâ Ecclesiâ ferendis quoad harum *formale*, errori esse obnoxia.

Objectio.

OPponi potest. Nostram conclusionem videri dissentaneam Canoni *Si quando de Rescriptis*. Ubi Pontifex rescribit in hæc verba: *Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fecerit insinuatione suggestum.* 122.

Responsio.

NAm in conclusione fuit consultò facta distinctio in legibus Ecclesiæ inter id, quod est *formale & materiale*, ex particularibus locorum, seu personarum circumstantijs consistens. At præallegatus Canon pravæ insinuationis suggestionem errori obnoxiam in Pontifice supponens, apertè loquitur de eo, quod est *facti*, pendens ex naturalibus circumstantijs. Sub cujusmodi adeò errore adhuc locus est Ecclesiæ infallibilitati, circa *formalem* legis rationem, seu *moralem* honestatem, tanquam *intrinsecum* ejusmodi præcepti finem, ac *Formale* specificativum motivum. 123.

Iterata objectio.

INstari potest ex parte adversa. Diversos Pontifices videri errâsse in aliquibus legibus contra bonos mores, aut jus Divinum tradendis. *Inprimis* enim *in Cap. Cùm esset. De Testamentis.* sic habetur; à lege Divinâ alienum, & ab institutis sanctorum Patrum, Ecclesiæque consuetudine alienum esse, quòd testamenta non valeant, nisi coram septem testibus. At hoc legibus Imperialibus, & plurium nationum consuetudine firmatam, haud pugnare cum jure Divino. 124.

2. In Canone *Licèt. De sponsa duorum.* ubi cùm definiretur, *mulierem, quæ per consensum legitimum nupsit alicui, non posse cum alio viro validè contrahere, etiamsi huic nupserit, secutâ quoque copulâ*: superaddi in hæc verba: *Quæ vero aliter à Prædecessoribus nostris fuerit judicatum.* Num ergo istos Alexandri III. prædecessores, dicendum est, judicâsse contra jus Divinum, vi cujus Matrimonij vinculum priùs contractum, prohibet Matrimonium cum alio contrahendum? 125.

3. Stephanus VI. irritavit sui prædecessoris Formosi acta universa, jussitque, *ut absolvi illegitimè ordinati denuò ordinarentur.* An non igitur Stephanus ille decrevit adversùs irreiterabilitatem Sacramenti Ordinis Divinitus sancitam? 126.

4. In *Cap. Per Venerabilem. Qui filij sint legitimi*, decrevit Pontifex, *legem Deuteronomij non esse abrogatam.* Hoc verò pugnat cum lege Evangelij Christi. 127.

5. *Cap. Laudabilem. De conversione infidelium.* dicitur Cælestinus III. sanxisse, *quòd per unius conjugis hæresin solvatur Matrimonium.* At istud adversatur indissolubilitati Matrimonij Divinitus sancitæ. 128.

6. In *Extravagante Exijt. De verborum sig-* 129.
nifi-

nificatione. definit Nicolaus IV. *perfectam paupertatem, quam Christus tenebat, & docebat, ne quidem in communi admittere rerum dominium temporalium.* At oppositum statuit Ioannes XXII. *in Extravag. Ad conditorem*: & *in Extrav. Quia quorundam*, definiens, hæreticum esse, qui dicit, Christum docuisse talem paupertatem. An non ergo alteruter Pontificum in hoc erravit?

Responsio.

130. NAm 1. dici potest Canon *præallegatus Cùm esses*, loqui de Testamentis ad pias causas: disertè namque dicit: septem testium necessitatem in Testamentis esse à lege Divinâ alienam, quatenus repugnat Sanctorum exemplis, Ecclesiæque consuetudini. Hæc autem consuetudo complectitur præcisè causas pias. Quemadmodùm igitur ad has non extendit se illâ de septem testibus sanctio, sic à lege Divinâ alienum est, morientium libertatem, ac dominium in bonis suis in tantum coarctare, ne possint absque illâ solennitate testari, vel legare ad pias causas.

131 2. Canon *Licèt*, dum meminit prædecessorum Pontificum aliter judicantium, nihil dicit de lege aliquâ, hanc in rem sancitâ in ordine ad universalem Ecclesiam: sed intelligi debet de judicio privato, in quo Summus Pontifex errori obnoxius esse potest.

132. 3. Neque Stephani Papæ error fuit in sancienda lege universali, sed in facto, & in sententiâ privatâ.

133. 4. In *Capitulo Per Venerabilem.* loquitur Pontifex de isthâc Divinitus sancitâ lege *Deut. 17. Si difficile, & ambiguum judicium esse perspexeris, ascende ad locum, quem elegit tibi Dominus.* Hanc igitur legem dicit Pontifex in Novâ etiam Lege observari debere. At quo modo non sub formalitate Veteris Testamenti propriâ, ut jam ascendendum sit ad locum, quem Dominus pro illo statu elegerat, sed sub Novæ Legis Divinitus sancitâ formalitate, ut locus à Deo in hunc finem electus intelligatur esse Sedes Apostolica. Quod igitur *eo loco Deut.* erat Divinitus sancitum, debet in Novâ Lege observari per quandam adimpletionem adumbrationis ita præludentis, ut ad altiorem tamen statum nunc elevata fuerit.

134. 5. Quod ex *Cap. Laudabilem.* allegatur, non habetur in hujus Canonis textu. Et si quidem in antiquioribus Decretalibus aliquando extitisset, sed posteà expunctum fuisset, hujus expunctionis causa erat, quòd à Cælestino III. non esset sancitum ex Cathedrâ de hæreticis charactere Baptismali insignitis, sed de ijs, qui suâ malitiâ Baptismatis valori insidiabantur. Constat enim tam ex contextu ejus Canonis, quàm ex titulo universali *de Conversione infidelium, ibi* non esse sermonem, nisi de illis infidelibus, qui *validè* saltem non sunt insigniti Baptismate. Quia proindeHæretici nomen complectitur sectam ab Ecclesiâ sanctâ deficientem, cujus nomine *Originariè* saltem veniunt etiam Saraceni, de quibus in eo Canone sermo est, idcircò nomen illud meritò expunctum fuit ab illo Canone, utpote æquivocum, dum plerumque quidem significat sectam Baptismatis valorem minimè auferentem, subinde tamen denotare potest sectam in suâ origine ab Ecclesiâ deficientem, sed eoúsque progredientem, ut Baptismate sublato, jam sit in censu infidelium paganorum.

6. Ex Bellarmino *de Romano Pontifice cap.* 135. *14.* liquet, illos Summorum Pontificum in speciem discrepantes Canones, re ipsâ minimè discordare, vel aliquid Divinæ doctrinæ contrarium ex alterutra parte sancire. Nam inprimis Nicolaus IV. non definiendo, sed suam explicando sententiam solummodò pronuntiavit, paupertatem, quæ nec in communi, nec in particulari quidquam possidet, esse perfectiorem, atque magis meritoriam: quod Ioannes XXII. directè non impugnavit, sed tantùm renuntiavit juri, quod Pontifex Romanus habere dicebatur in possidendis omnibus Fratrum Minorum bonis. Deinde in ea, quam Christus tenebat, paupertate non dissentiebant Nicolaus & Ioannes: hic enim sanciebat quidem, hæreticum esse sermonem illum, quo dicebatur Christus nunquam habuisse aliquid proprij: ille verò asseruit, Christum equidem tantam aliquando servâsse paupertatem, ut neque in communi, neque in particulari aliquid haberet, aliquando tamen admisisse aliquid in communi, quia Iudas *loculos habebat.* Quæ proinde si inter se combinentur, nihil habent contrarietatis.

PROBATIO II.

Desumpta ex Decreto Gratiani *ex causa 24. q. 1.*

IBi namque *in Cap. Hæc est fides.* disertè dici- 136.
tur, *in Papa esse Petri fides & sedes.* Et *Cap. Schisma.* pronuntiatur *schismaticus qui non credit, quod Romanus Pontifex credendum præcipit.* Portò *in Cap. Rectâ.* traditur *sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarũ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse, neque hæreticis novitatibus depravatam succubuisse, sed ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibatum sine terenus manere. In Cap. Memor sum.* habetur insuper *Pontificem præsidere Ecclesiæ sub illius nomine*: scilicet Petri, *cujus fides nullam hæresin unquam fovit, sed omnes hæreses destruit.* Quandoquidem igitur Petri fides ac sedes ita sint conjunctæ, ut, qui à dogmatibus per hanc credi jussis, se separat, sit schismaticus, utpote divisus ab Ecclesia, illibatè tenente fidei Christianæ normam ab Apostolis traditam, evidenter hinc sequitur, Papam, ex Cathedra, id est sede Petri, fidei inseparabiliter innixâ, nec ullius unquam hæresis consorte, sed cunctas econtra hæreses destruente decernentem, ex Divina ordinatione prorsus immunem esse à fidei erroribus.

Quare meritò reformidanda est Hadriani 137.
Papæ constitutio *in Cap Generali 25. q. 1.* ita decernentis: *Generali decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum existat, quicunque*

Regum, seu Episcoporum, vel Potentum deinceps Romanorum decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.

PROBATIO III.

Prioris continuativa ex decreto Gratiani *dist. 12. & 19.*

138. ETenim *in Cap. Non decet. dist. 12.* Calixtus Papa ita rescripsit: *Non decet à Capite membra discedere, sed juxta sacræ Scripturæ testimonium omnia membra Caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, à cujus vos regulis nullatenus convenit, deviare. Eâdem dist. Cap. Præceptis.* Gregorius Papa Episcopis per Galliam, Germaniam, & universas provincias constitutis sic rescribit: *Per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica authoritate jussa sunt, salutiferè impleantur, si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est Caput vestrum, communionem habere desideratis. In Cap. Romanorum dist. 19.* Nicolaus Papa mandat, ut quod Apostolica probavit Ecclesia, teneatur acceptum. *Eâdem dist. in Cap. Sic omnes.* Agatho Papa dicit: *Omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendas esse, tanquam ipsius Divini Petri voce firmatæ sint.* Quid ergo clarius dici potuisset ad stabiliendam Papæ ex Cathedra Apostolica loquentis in rebus fidei infallibilitatem, in vi cujus oporteat, omnia Ecclesiæ membra sequi Caput in tantum, ut quisquis ea, quæ Apostolicâ authoritate sunt jussa, non adimplet, à sanctæ Dei Ecclesiæ communione sit alienus, non aliam ob rationem, nisi quia Sedis Apostolicæ sanctiones perinde sunt accipiendæ, ac si ipsius Divini Petri voce firmatæ essent. Ad quam proinde Petri in Romano Pontifice etiamnum loquentis vocem, meritò Clerus Gallicanus suam faciat reflexionem, cùm, uti S. Leo *in epist. 87. ad Episcopos Viennenses. Cap. Ita Dominus. dist. 19.* relatus scripserat: *Christus Petrum in consortium individuæ unitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: *ut sic æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret.*

§. IV.

Corollarium.

139. HInc coronidis loco lubuit Clerum Gallicanum ad sequentes sacros Canones non tam revolvendos, quàm verbo & opere amplectendos invitare. Quorum *primus* Paschalis Papæ *in Cap. Significâsti. De elect.* ita se habet: *Ajunt, in Concilijs statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis authoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas. Cùm igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à B. Petri tantum Corpore assumuntur, dignum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum B. Petro tanquam de membro habere, etiam Catholici Capitis unitatem servare declarant.*

Secundus verò Innocentij IV. Canon *in Cap. Majores. De Baptismo.* sic decernit: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendos intelligit, qui, cum quærenti Domino, quem discipuli dicerent, ipsum esse, respondisse notabat:* Tu es Christus Filius Dei vivi: *& pro eo Dominum exorâsse, ne deficiat fides ejus.* 140.

Tertius denique Lucij III. Canon *in Cap. Ad abolendum. De hæreticis.* vinculo perpetui anathematis innodat *universos, qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat, &c.* Quomodò autem horum Canonum firmitas subsisteret, si Romanæ Ecclesiæ Capitis, Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, in rebus fidei judicium non esset infallibile? 141.

DISQUISITIO V.

An ex unanimi Patrum consensu & praxi Ecclesiæ, ratioque Theologica demonstrari possit Papæ in rebus fidei omnimoda & irreformabilis infallibilitas?

§. I.

Referuntur Patrum hâc de re sententiæ. 1

AUthor *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. capp. 6. 7. 8. & 9.* ab authoritate SS. Patrum fusè probat certitudinem judicij Summi Pontificis in fidei quæstionibus. Ad quem proinde Authorem, ne longior esse debeam, hìc remitto Lectorem. Exinde *cap. 10.* exhibet antiquioris, imò & moderni Cleri Gallicani sententiam de judicio Papæ in rebus fidei. Toti, inquiens, Clero Gallicano, tribuendum non est, quod gestum est ab Episcopis Parisijs congregatis. Non enim Conventus ille, qui non errandi privilegium Summo Pontifici adimere tentavit, Concilium Nationale erat, nec ij, ex quibus constabat, aliorum procurationem ad definiendas eas quæstiones acceperant. Imò admodùm odiosa reliquis omnibus, vel ferè omnibus in Gallia, sicut & in omnibus alijs Nationibus, visa est declaratio illorum Episcoporum, vel ob id saltem, quòd tunc temporis edita esset, cùm non aliò spectare posse videretur, quàm ut Summum Pontificem per Ecclesiarum Gallicanarum libertate contendentem deterreret. 2

Si autem ex cæteris (quod præsumendum non est, saltem de multis) pœnarum in edicto Regio declarationem illam confirmante contentarum metu, aliqui ad istorum sententiam accederent, audienda potiùs esset Gallicana Ecclesia, tunc temporis loquens, cùm minùs suspectus erat ejus clamor. Episcoporum illius Nationis tum seorsim, tum simul, 3

de

de sanctæ Sedis decretis circa fidem olim differentium verba retulimus in capitibus superioribus. Sed ne putes, sequentibus temporibus defeciſſe fidem ac religionem illius Cleri, addenda ſunt diverſorum temporum exempla, ex quibus & alijs, quaſi perpetuæ traditionis ſeries contexi poſſet.

3. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, quem ad extollendam nimis authoritatem Ponficitis Romani proclivem nemo, qui ejus ingenium perſpectum habuerit, facilè ſuſpicabitur, illuſtre teſtimonium in hac parte reddit ſanctæ Sedi *in præfatione opuſculi de divortio Lotharij Regis, & Gerbergæ Reginæ. De omnibus dubijs vel obſcuris*, inquit, *quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, ſancta Romana Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra nutrix & doctrix, eſt conſulenda, & ejus ſalubria monita ſunt tenenda, maximè ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam.* Si omnium Eccleſiarum *Magiſtra & Doctrix eſt Eccleſia Romana*, cur non Eccleſiæ Gallicanæ, vel etiam univerſæ? An hæc tota diſtinguitur ab omnibus ſuis partibus? An ſenſus compoſitus à ſenſu diviſo hâc in re olim diſcretus eſt? At, inquies, *Eccleſia Romana conſulenda eſt, & ejus monita tenenda*, ſed eâ conditione dummodò ſint *ſalubria*. Irridet & non profitetur, qui Summum Pontificem in eo ſenſu alloquitur, aut de Eccleſia Romana ita loquitur; cujus enim vel viliſſimi hominis *monita* non *ſunt tenenda*, ſi *ſalubria* ſint? Sed eâ ipsâ ratione, quòd ab Eccleſia Romana dantur, quæ eſt *omnium Eccleſiarum Magiſtra & Doctrix, ſalubria* habenda ſunt *& tenenda*.

4. Ivo Carnotenſis *epiſt. 8. ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum* eum, qui Eccleſiæ Romanæ non concordat, hæreticum declarat; *Dicitis etiam in litteris, me Sedem invaſiſſe Gaufridi Coepiſcopi veſtri, in quo manifeſtè contra Sedem Apoſtolicam caput erigitis, dum, quod illa ædificat, vos, quantum in vobis eſt, deſtruitis; & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. Hujus judicijs & conſtitutionibus obviare, planè eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat: hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.*

5. Jacobus Cardinalis Vitriacus *in hiſt. Orient. cap. 75.* anno 1230. *Patet ergo*, inquit, *cùm ſuper hanc Petram, pro qua Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus, poſt Chriſtum ædificata ſit, & fundata Chriſti Eccleſia, quòd omnes, qui ab Eccleſia Romana receduni, abſque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino Cephas appellatus eſt, ſeparati, acephali, & monſtruoſi homines meritò ſunt reputandi.*

6. Quæ eſſet Eccleſiæ Pariſienſis de judicio Summi Pontificis in decidendis quæſtionibus ad fidem ſpectantibus ſententia, anno 1324. declaravit Stephanus Epiſcopus Pariſienſis litteris pro B. Thomæ Aquinatis doctrina editis. *De Concilio*, ut ibi dicitur, *venerabilium virorum Decani & Capituli Pariſienſis, & venerabilis P. D. Guillielmi Dei gratiâ Archiepiſcopi Vienenſis ſacræ Theologiæ Profeſſoris, & aliorum 23. Magiſtrorum in Theologia, nec non 39. Baccalaureorum in Theologia.* Hæc enim declaratio facta eſt ob eam cauſam, quæ his verbis exprimitur. *Nos igitur attendentes cum eis, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia fidelium omnium Mater & Magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarij confeſſione fundata, ad quam velut ad univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem, cujus doctrinâ fulget Eccleſia ut ſole luna, nuper Sanctorum catalogo adſcribendum, doctrinæ diligenti excuſſione, & examinatione præhabitâ ſuper vita ipſius & doctrina, ipsúmque quoad vitam puram, ac doctrinam ſalutarem orbi terræ commendabilem prædicavit, &c.* Quæ declaratio eò majoris eſt ponderis, quòd qui eam edidit Epiſcopus, idem anteà qualdam Divi Thomæ ſententias impugnari permiſerat. Unde conſtat, illum ideo mutâſſe ſententiam, quia, ut ſignificat, Romana Eccleſia ſancti Doctoris doctrinam commendârat. *Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 4. ad dictum annum 1324.*

7. Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis *in Apologia Evangelij pro Catholicis ad Iacobum Majoris Britanniæ Regem*, Pariſijs anno 625. edita *lib. 2. c. 1.* multa ſcribit, quibus infallibile Summi Pontificis judicium in materia fidei probat. *Grandi*, inquit, *quodam privilegio Romanus Pontifex cuſtos fidei Phylax tys piſteos à Patribus habitus, ut Epheſina acta Cæleſtino Papæ Cheleſtino tô Phylachi piſteos, Cæleſtino Cuſtodi fidei acclamatum teſtatur. Nec non & poſteà inſertum Chalcedonenſibus actis inſigne monumentum illud eſt Petri Epiſcopi Ravennatis* epiſt. ad Eutychen. *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi, cauſas fidei definire non poſſumus &c.* Denique multa colligit Romani Pontificis epitheta idipſum ſignificantia, quòd ſit *Cuſtos fidei, violatæ fidei vindex, caput totius fidei &c. Cap. 2.* refert partem epiſtolæ Agathonis Pontificis *in ſextæ Synodi act. 4. Synodicè* lectæ de Eccleſia Romana dicentis ad Imperatores; *Hæc ſpiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab Authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata ſinetenus permanet. Cap. 12.* majori cum energia: *Cui non patet*, inquit, *fidei oſtium Romanis clavibus aperiendum, à Romanô-que Pontifice pateſacìendum eſſe?*

8. Iam à primis ſæculis, ut teſtatur S. Leo *epiſt. 89.* ſancta Sedes ab Epiſcopis Gallicanis innumeris eſt relationibus conſulta, qui mos nunquam non viguit. Porrò ejus reſponſa ita ſuſcipiebantur, ut poſteà conſulentes non vacillarent, atque adeò reformabilia eſſe non ſuſpicarentur, quod tum ex multis, quæ jam diximus, conſtat, tum hîc confirmandum eſt teſti-

testimonio celeberrimi Ægidij Archiepiscopi Bituricensis, qui *expositione Cap. Cùm Marthæ de celebrat. Miss.* ait: *Archiepiscopus igitur Lugdunensis de omnibus his dubitans, Sedem Petri, ad quam pertinet, majores causas, & præsertim articulos fidei, & ea, quæ ad articulos ordinantur, decidere, consuluit, ne in ipsis ulteriùs vacillaret.*

9. Nicolaus Coeffetau Theologus Parisiensis, ac posteà Massiliensis Episcopus *in tractatu suo* pro sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ adversùs Rempublicam Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalatensis *parte 3. discuss. n. 5. cap. 12. lib. 1.* indefectibile fidei lumen in Summo Pontifice his verbis astruit: *Dico igitur, non esse par lumen in reliquis cum Summo Pontifice. Námque uni ei in persona Petri dictum est: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quare eâ luce collustratus plus ejus oculus cernit, quàm multorum oculi, &c.*

10. Luculentiùs mentem suam aperit Illustrissimus Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus in hæc verba Tertulliani, *Episcopus Episcoporum* lib. de pudicitia. *Quâcunque igitur*, inquit, *ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, seriò, vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse de rebus fidei judicia peremptoria ferre, & totius orbis Episcopos monere, atque docere, quis non agnoscit? Eóque magis, quòd unus Tertullianus jam hæresi implicitus, de hac re cæteris Ecclesiæ Episcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando conjecturam facit, eâ tempestate id juris Romanis Episcopis concessum fuisse, eósque revera hanc potestatem exercuisse.* Vide ejus notam in hæc verba S. Optati Episcopi Milevitani de B. Petro loquentis *lib. 2. de schism. Donat. Qui ducit ad se Angelum.*

11. Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus in quodam M. S. quod Stephanus Baluzius *in compendio ejus vitæ libris de concordia præfixo* asserit, ultimum esse Illustrissimi illius Archiepiscopi opus, paulò ante mortem ab ipso confectum, ubi infallibile Papæ in fidei quæstionibus judicium ita defendit, ut opinionem contrariam antiquorum Doctorum Universitatis Parisiensis (Gersonium & alios innuebat, de quibus posteà) ab Ecclesia tolerari tantùm asseruerit; cæterùm tunc ipsiusmet Universitatis, & aliarum omnium Doctores, pro infallibili Papæ judicio stare.

12. Non Episcopi singulares tantùm, sed ut olim Concilia, ita posterioribus temporibus conventus, & Comitia Cleri Gallicani privilegium illud sanctæ Sedis venerata sunt. Celeberrimus conventus Melodunensis anno 1579. tit. 1. *constitutionum*, qui est de fidei professione, sic decrevit: *Operam dabunt ij, quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vicarij, ut in omnibus Synodis tam Diœcesanis, quàm Provincialibus, omnes & singuli tum Clerici tum Laici amplectantur, & apertâ professione eam fidem pronuntient, quam S. Romana Ecclesia, Magistra, columna, & firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem necesse est, omnes convenire Ecclesias.*

Sed quid sibi volunt verba illa epistolæ Comitiorum Generalium Cleri Gallicani ad Innocentium X. Pontificem Maximum 8. Calend. Novemb anno 1650. *Scimus, ubi Caput Ecclesiæ, ibi totius fidei arcem, totius & disciplinæ Metropolim; eóque conventur à nobis libentiùs, quò in Præsulum Primatis sinu Præsules, si quando illis dolet, maximè à vulneribus Ecclesiæ, justissimas querelas suas deponere par est.* Adeóne parum tuta est religio nostra, ut *totius fidei arcem* hæresi disjici posse sentiamus? Adeóne parum firma est petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, ut portæ inferi prævalere possint adversùs eam? Adeóne inefficax Christi oratio, ut Petri, pro quo rogavit, defectura sit fides in ejus successoribus? Sed Ecclesiæ Gallicanæ mens luculentiùs apparet in epistolis anno 1653. editis.

§. II.

Refertur sententia Universitatis Parisiensis, ejusque Doctorum, imò & Senatûs Parisiensis.

Accedit etiam authoritas Universitatis Parisiensis, ac Doctorum particularium illius, nec non Senatûs Parisiensis, asseverantium, Papæ judicium in causis fidei esse irreformabile; uti præfatus Author *de libert. Eccles. Gallicanæ præf. cap. 9.* deducit. Anno, inquiens, 1387. tota Universitas Parisiensis in Consistorio apud Clementem, quem tanquam legitimum Pontificem sequebatur, per Magistrum Petrum de Alliaco infallibile Romani Pontificis judicium in causis fidei esse, professa est his verbis *in hist. Vniversit.* ad hunc annum relatis: *Igitur pro vestris humilibus filiis Vniversitatis prædictæ & pro nobis eorum nunciis, qui fuis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc vel aliàs pro eis acturi, aut dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum beato Hieronymo 24. quæst. 1. Hæc est fides, Pater beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minùs peritè, aut minùs cautè forte aliquid positum est, emendari petimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia; ut habetur eâdem quæst. in Cap. Quoniam vetus. Et sicut dicit Cyprianus 93. dist. Qui Cathedram. De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea Sedentis dictum est: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Lucæ 22. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.* Adeò erat veneranda illi Universitati sententia de infallibili judicio Papæ, ut ante hunc annum nullus ejus Facultatis Doctor ab ea recesserit, & posteà, licèt occasione schismatis, aut alio-

aliorum dissidiorum ab ea nonnulli declinaverint, nunquam tamen ab ipsis Universitatis incunabulis usque ad postremas contentiones defuerint Doctores, qui eam sequerentur.

15. De antiquis testatur generatim Andreas Duvallius Academiæ Parisiensis alumnus, ac Theologiæ Professor *in lib. de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate.* anno 1614. in lucem emisso, & a duobus alijs Doctoribus approbato; sensisse illos, privilegium in fide non errandi à Petro ad ejus Successores defluxisse, nec nisi a ducentis annis quemquam ab ea recessisse. Hæc sunt ejus verba: *Velint nolint Adversarij, liquidò constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatẽ semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus Successores certissimè transijsse, eósque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, à ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cæpisse.* Quæ Doctoris assertio exemplis est roboranda.

16. Alcuinus S. Benedicti Monachus, Caroli Magni Præceptor, eique, ut volunt Galli, fundandæ illius Universitatis Author, hæc habet *lib. 1. de Divin. offic. cap. 19. Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.* (Nota hæc verba, *in corpus omne*, ne putes, Alcuinum sensisse, à Summo Pontifice in alias Ecclesias seorsim acceptas, non autem in corpus ipsum Ecclesiæ Universalis fidei veritatem, aliaque Divina dona manare.) *Unde constat, ab Universali orbis communione separatos esse, sicut docet B. Pelagius, qui quâlibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.*

17. Albertus Magnus S. Thomæ Magister, qui tanto discipulorum concursu Parisijs docuit, ut, cùm schola nimis esset angusta, in foro, quod ab ejus nomine nuncupatur, legere coactus sit, ex verbis Christi ad Petrum: *Rogavi pro te &c.* infert, Petri successores à fide, quantumvis illa impetatur, non defecturos. *Hoc argumentum*, inquit, *efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quòd fides ejus finaliter non deficiat.* Obscuritatem aliquam parit vox illa, *finaliter*, ac fortè de perseverantia finali in fide aliquis eam interpretaretur, nisi constaret, eam quidem interpretationem S. Petro posse accomodari, non autem successoribus ejus, quibus si non esset datum in determinandis fidei quæstionibus non errandi privilegium, multò minùs affirmare liceret, promissam ipsis ut privatis personis, finalem in fide perseverantiam, multò minùs de Sede ipsa B. Petri, cujus etiam meminit (*Pro Sede Petri & successore ipsius*) posset illa vox, *finaliter*, accipi. Ea igitur vis est vocis illius, posse scilicet Romanum Pontificem in rebus ad fidẽ spectantibus, dum eas agitat, ac discutit, aliquatenus fluctuare, quemadmodùm Ioanni XXII. contigit circa visionem beatificam ante judicium universale; rebus tamen agitatis & discussis non posse quidquam solemniter definire, ac toti Ecclesiæ credendum proponere, quod sit ab orthodoxa fide alienum.

18. Sanctus Thomas Aquinas Universitatis Parisiensis Alumnus, ac in ea deinde celeberrimus Magister non potuit luculentiùs supremum & infallibile Summi Pontificis in decidendis circa fidem dubijs judicium profiteri, quàm his verbis *2. 2. q. 1. art. 10. Ad illius authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur; ut dicitur in Decret. extra. De Baptismo C. Majores. Unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit; Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quâ cavillatione locum istum obscurabit Launoius? Non hîc ad *Ecclesiam Romanam*, non hîc ad *Sedem Apostolicam*, sed ad *authoritatem Summi Pontificis* pertinere dicitur, *finaliter* determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussè teneantur.

19. At fortasse licèt non exprimat, intelligittamen S. Thomas casum, cùm Summus Pontifex in Concilio Oecumenico sedet, ac præsidet. Contrà verò, eam restrictionem expressis verbis rejicit S. ille Doctor *de potentia q. 10. art. 4. ad 13.* ubi postquàm Summo Pontifici, sicut & Concilio Oecumenico authoritatem tribuit interpretandi Symbolum, subjungit: *Sicut autem posterior Synodus Potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc suâ authoritate potest, cujus authoritate solâ Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi.* Objectionem de necessitate Concilij præoccupat his verbis: *Nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem faciendam Universale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in septima Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit, quòd propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit: sed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ, determinaverunt. Scilicet quòd in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones, & similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinavit, Christum esse in duabus naturis post Incarnationem.*

20. Antiquos secuti sunt novi quàmplures: Ioannes à Celaia Doctoratûs Lauream in Universitate Parisiensi assecutus *in 3. sentent. dist. 25. q. 4.* quintam hanc ponit conclusionem: *Quinta conclusio est ista. Romanæ Sedis judicium in his, quæ fides sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare nequit; Quod probatur ex promissione Salvatoris nostri Lucæ 22. quæ verba allegat Bernardus scribens Innocentio Papæ ..... Idem asserunt D. Cyrillus, D. Chrysostomus, & D. Gregorius.* Deinde illorum rejicit sententiam, qui infallibilitatem penes Ecclesiam universalem tantùm, non autem penes Romanum Pontificem *solitariè* sumptum reponunt.

Contra istam conclusionem arguitur. Doctores Catholici glossant illam authoritatem Salvatoris de universali Ecclesia, & non de Sede Romana, ergo malè assumitur talis authoritas pro fundamento istarum conclusionum. Ad hanc replicam respondetur negando antecedens, imò necessarium est dicere, quòd non intelligatur de Universali Ecclesia. Nam subjungitur: Et tu aliquando conversus &c. Idcirco D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anselmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas glossant præfatam authoritatem de Ecclesia Romana, ut distinguitur ab alijs Ecclesijs.

21. Andreas Duvallius, ut *supra* diximus, Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor, de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate tractatum emisit in lucem anno 1614. eumque approbârunt G. I. Roger, & I. Roche, Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores his inter alia verbis: *Iuris ut fiat publici, operæ pretium duximus, ad sanctissimam Domini nostri Papæ authoritatem tuendam, nec non ad summam cum eodem Capite suo visibili Romano Pontifice unionem arctissimè retinendam, cui aliter schismaticorum mala mens, malúsque animus malè & seditiosè consultum vellet.* 10. Kal. Febr. anno salutis 1614.

22. Ioannes Puteanus Augustinianus Professor Regius in Academia Tolosana, qui Parisijs Theologiam didicerat, *in 2. 2.* S. Thomæ *q. 1. art. 6. dubit. 2.* conclusionem hanc *secundam* ponit: *Solius Pontificis Maximi est, res de fide Catholica definire, & easdem certò & indubitanter proponere credendas*, quam sacræ Scripturæ, Patrumque, atque aliorum Doctorum testimonijs probat. In solutione autem primæ objectionis infallibilitatem, quam habent Episcopi in Concilio Universali, connexioni, quam habent cum Summo Pontifice, adscribit, eamque Concilio, absente Summo Pontifice, denegat. *Infallibilis ista assistentia Spiritûs sancti non est aliunde repetenda, quàm à promissione D. Petro facta. Vnde propter connexionem, quam supponimus dari inter Episcopos, & Pontificem Maximum, in Concilio Generali, statuendum est, Episcopos illic congregatos nullo modo errare posse in rebus de fide decidendis. Si tamen fuerint congregati totius orbis Episcopi, absente Pontifice Maximo, & ejus Legatis, Episcopi subjiciuntur erroribus.*

23. Leonardus Coquæus, etiam Augustinianus, in Universitate Parisiensi Doctor Theologus *in Antimornæo tom. 1. pag. 83.* Quomodò igitur, inquit, ægrè ferunt (hæretici) *nos Romanum Pontificem Concilijs superiorem asserere? Et Romano Pontifici, & Concilijs Oecumenicis in Spiritu sancto legitimè congregatis tantum deferimus, ut nec illum, nec ista, in definiendis, quæ ad fidem & mores pertinent, ac Regimen Ecclesiæ spectant, errare posse asseramus: nec quidquam toti Ecclesiæ proponere credendum: quod sit erroneum; ut hæreticus, aut temerarius ille sit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecumenicorum Conciliorum statutis ac definitionibus refragari audeat.* Tomo autem 2. pag. 237. *Cùm sedeat in Cathedra Petri, pro quo Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus; & ut confirmaret fratres suos, non sinet eum ex illa Cathedra aliquem errorem loco fidei salutiferæ obtrudere fidelibus credendum.*

24. Hervæus Natalis Brito Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis *in tract. de potestate Papæ*, quem refert, & sequitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, ejusdem Ordinis *3. p. Summæ Theologiæ tit. 22. cap. 2. §. 3.* probat necessitatem unius Capitis in Ecclesia ex necessitate conformitatis in veritate fidei, & morum hoc modo: *In tota universitate Christiana debet esse conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem fidei & bonos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum Caput, seu unum Præsidentem, ad quem spectet sententiare, quid credendum, & quid non credendum. Ergo &c.* An Christus constituens Summum Pontificem ad definiendas ejusmodi controversias: *Pro tota universitate Christiana*, negavit, quæ necessaria erant, ut certa esset ejus definitio, *circa necessaria ad salutem?*

25. Infallibile judicium Papæ in decidendis fidei controversijs probat Michael Mauclerus Parisinus Doctor Sorbonicus *in libris de Monarchia Divina Ecclesiastica & seculari Christiana*, Parisijs anno 1622. editis, & Gregorio XV. ac Ludovico XIII. Regi Franciæ dicatis *2. part. lib. 4. capp. 4. 5. 6. & 7.* eamque communem esse in Scholis Theologorum sententiam asserit *dicto cap. 4.* his verbis: *Hæc illa communis sacræ sapientiæ Professorum, quæ docetur in Scholis, assertio, disceptationum, causarúmque de fide, cursum, motúmque Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis consopitum judicio finiri.* Sic senserunt Doctores Gallicani aliquâ schismatis, vel alterius dissidij occasione non exasperati.

26. Ita ad authoritatem Joannis Gersonij, ejusque sequacium, respondet Andreas Duvallius *part. 2. q. 1. Scio quidem, in re Pontificia, Alliacensem, Gersonium, & Almainum non ita tantæ authoritatis, quia tempore schismatum fuerunt, & scripserunt, duo priores, quando tres se pro Pontificibus gerebant: postremus verò, nempe Almainus tempore Iulij II. & Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub Ludovico XII. a Sede apostolica defecerat, &c.* Aliam affert responsionem *q. 4. ad 9. Ioannes Gerson*, inquit, *Iacobus Almain, & Ioannes Major, celebres scholæ Parisiensis Doctores, cum nonnullis alijs privilegium infallibilitatis Pontificis denegârunt, sed illud ex concesserunt alij, quorum quidam multò sunt illis celebriores, ut D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10. ad Summum Pontificem pertinet, ea, quæ sunt fidei, definire, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur.* itémque D. Bonaventura singulare scholæ Parisiensis decus & ornamentum, & cujus doctrinam Gerson ad studentes in collegio Navarræ, miris laudibus ad cælum usque extollit: Hervæus Armoricus, Henricus Gandavensis, & Ioannes de Celaia ambo, Societatis Sorbonicæ: itémque Doctores illi, qui in Comitijs scholæ Generalibus errores Maleson condemnârunt his verbis: *Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet, authoritate judiciali supremè circa ea, quæ sunt fidei, definire. Quo fit, ut insanè Vigorius me tanquam scholæ Parisiensis desertorem, & veluti perduellem scriptis suis traduceret, & proscindere præsumat, præsertim cùm, ut in Elencho contra Richerium apertè significavimus,*

nihil

nihil quidquam à Facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum.

27. Ludovicus Bail in Apparatu ad Concilia *quæst. 43. & seq.* non solùm juxta S. Thomæ, quam *supra* declaravimus, mentem, sed & per ipsa ejus verba respondet ad quæstiones de judicio Papæ in quæstionibus fidei. Hunc, aliosque nonnullos citamus; quia licèt fortasse non tanti sint ponderis: tamen cùm Galli sint, Galliæ mentem testantur.

28. Denique tamen Universitas Parisiensis nonnihil ab antiqua doctrina recessit; sed certis gradibus ac ferè invita. Namque adhuc mense Majo 1663. quo tempore ortum fuerat dissidium inter Alexandrum Papam & Regem Christianissimum, prodijt decretum cum hoc titulo: *Declarationes sacræ Facultatis apud Regem Christianissimum super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi voluerunt adscribere.* Quintus articulus erat iste: *Doctrinam Facultatis non esse, quòd Summus Pontifex sit supra Concilium.* Sextus: *Non esse doctrinam, vel dogma Facultatis, quòd Summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis.* Hic Facultas modo negativo respondet, *non esse doctrinam, &c.* Apertiùs deinde locuta est in censura librorum Jacobi Vernant anno 1664. & Amedæi Guimenei anno 1665.

29. Nihilominùs antiquum usum nondum immutavit, neque mutare suadentibus obtemperandum duxit, de quo usu Andreas Duvalius: *Laudabilis*, inquit, *in Academia Parisiensi viget consuetudo, quâ Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solenniter responsuri protestationes præmittunt, se nolle quidquam contra Decreta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ asserere, aut defendere, & si quid in æstu disputationis adversùs ejusmodi Decreta, illis excíderit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitio attribuendum velle.*

Authoritati Universitatis Parisiensis ad-
30. jungenda est, quam illa tam frequenter imploravit, cuique ut primùm ultrò, ita deinde invita subjacuit, Senatûs Parisiensis authoritas. Ille igitur Senatus ad Ludovicum XI. per Joannem Lozellier Inquisitionum Cameræ Præsidem, cujus oratio refertur à Petro Puteano inter tractatus *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, ita Regem alloquitur *art. 20. Protestatur Curia vestræ Majestati, se nullo modo, propter quæcunque inferiùs dicenda, velle excellenti sanctitati, dignitati, honori, & authoritati nostri sancti Patris Papæ, sanctæq; Sedis Apostolicæ derogare: sed contrà ei omnem honorem, reverentiam, & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholici supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur, sicut veros filios Ecclesiæ Matri sanctissimæ reddere, & exhibere: protestans insuper, si quid dictum, factúmque à se fuerit, quod correctione egeat, illud totum velle se omninò Ecclesiæ sanctæ Apostolicæ & Romanæ determinationi submittere, quæ errare non potest juxta Canonem:*

A recta. 24. quæst. 1.

§. III.

Referuntur ac refelluntur Adversariorum argumenta cum responsionibus & conclusione super ijsdem reflexiva.

DUplex supereſt expendendum partis ad- 31.
versæ argumentum. *Unum* petitur ex hoc, quòd Papa errare saltem possit in ijs, quæ sunt *Facti*, qualia perlæpe coincidunt in quæstionibus fidei decidendis, quod argumentum discutiemus in sequenti §. IV. *Alterum* igitur *in §. præs.* discutiendum occurrit, ex eo, quòd vix haberi possit certitudo de Papa esse legitimè & Canonicè electum, nec adeò, si edat decreta fidei, vel morum, certi esse valeamus, ipsum ut Papam loqui ex Cathedra Apostolica.

ARGVMENTVM. Adversariorum.

OPponitur ex parte adversa. Fide tan- 32.
tùm humanâ constare, hunc in individuo hominem, *v. g.* Innocentium XI. esse legitimum, verumque Pontificem, ac in terris Christi Vicarium. At fides humana errori subest, fierique potest, non esse legitimum Pontificem. Quid enim, si invalidè electus? Quid si non ritè baptizatus? Aut unde nobis constat, ritè baptizatum electumque esse, nisi fide humanâ, quæ falli potest? Sic Joannes VIII. sic Formosus veri Pontifices credebantur, & tamen eventus docuit, illum fœminam fuisse, istum non verum, sed imaginarium Papam, & cujus acta à Stephano VI. omnia rescissa sunt. Si ergo fide Divinâ & certâ Innocentium Pontificem esse non constat, non etiam certâ, Divinâque fide constabit, quæ ab illo decernuntur, certa esse, & ad dogma, si hoc declaret, spectare.

Responsio.

AUthor *Regalis sacerdotij cit. lib. 3. §. 9. n.* 33.
17. respondet. Hanc objectionem nimium sibi sumere, & si quid probet, non in Pontifices tantùm, sed in omnia Concilia, in totam Ecclesiam, & intima fidei Catholicæ viscera grassari. Si enim certâ indubiâque fide non constat, Innocentium XI. legitimum Papam esse; ergo nec Innocentium X. nec Clementem IX. nec Alexandrum VII. nec Leonem, nec Agathonem, & Sylvestrum. In omnibus enim, aut nulla subest dubitandi ratio, aut eadem. Si ergo Pontifices, & ab illis definita sunt dubia; ergo etiam, quæ à Concilijs; nam hæc à Pontifice confirmantur, & sinè Pontifice tam sunt integra, quàm corpus capite suo truncum. Imò ex ijsdem causis, quæ tibi Pontifices, eorumque electiones dubias faciunt, ipsa etiam Concilia in dubium vocantur, quæ ut sint legitima, multò pluribus, quàm Pontifices opus habent: dubio verò Pontifice, dubijs Concilijs, du-

bijs etiam, quæ ab illis constituta sunt, quid supereſt in fide certum? Fruſtra Ariana hæreſis, fruſtra Neſtoriana, Eutychiana, Lutherana, Calviniſtica, fruſtra omnes hæreſes damnatæ, nam ut tu dicis, incerti erant Papæ, incerta Concilia, incerta ab utriſque deciſa; quæ verò incerta ſunt, nec ad hæreſin, nec ad fidem pertinent, ut credi neceſſariò, negárive debeant. Quòd ſi nemo audet Concilia, quæ ab Eccleſia recepta ſunt, in dubium vocare, imò qui hoc agit, æquè, ac qui Evangelia non recipit, hæreticus eſt, teſte D. Gregorio *in Cap. Sicut diſt. 15.* idem de Pontifice Romano dicendum eſt, par enim, ut paulò ante notavimus, de utriſque eſt ratio. Et ſicut ad fidem non ſufficit credere aliquam in genere Eccleſiam, & non iſtam determinatam, aut aliquas Scripturas ſacras, ſed non iſtas, quas manibus terimus; ita nec ſufficit, aliquem in Eccleſia Chriſti Vicarium, aliquod Caput viſibile, aliquem Judicem controverſiarum, ſed non iſtum, quem Eccleſia elegit, quem Eccleſia colit, à quo leges & decreta, ac in rebus controverſis ſententiæ procedunt. Quando navigabis, quando litem abſolves, quando finem morbo impones, ſi aliquam quidem navim, aliquem judicem, aliquē medicum velis, ſed nullum certum, nullumque, quem poſſis digito oſtendere, nec iſtum, nec illum admittas? Sic peſſimè conſultum Eccleſiæ, peſſimè fidelibus, ſi Chriſtus nullū illis Pontificem dedit, cùm in morum, tum in fidei decretis certam fidem deberent, certamque obedientiam. Nec in Eccleſia tot retro ſæculis, & hæreticis toties in Romanam Sedem armatis, auditum aliquando eſt, hanc Pontificibus eorumque decretis exceptionem oppoſitam eſſe, quòd videlicet non certò conſtaret, Leonem, Sylveſtrum, Damaſum legitimos Papas eſſe. Quanti, putas, hoc inventum Ariani emiſſent, ut Nicæno Concilio litem inferrent, & quæ illic Patres deciderant, inania redderent? Sed hoc noſtro ſæculo, in quo tanta novarum rerum cupido eſt, vicimus antiquitatem, novo artificio reperto, ut Papam ſinè Papa, legem ſinè lege, ſententiam ſinè ſententia haberemus, hoc eſt, aliquem Papam, ſed non iſtum, aliquem Legislatorem, ſed non iſtum, aliquem Judicem, ſed non iſtum, nullumque certum, captâ interim credendi, faciendique, quod placet, libertate.

34. Denique poſt Concilium Conſtantienſe vix intelligimus, quomodò negari poſſit certâ fide hunc in individuo Pontificem pro vero, legitimoque habendum eſſe. *Seſſ.* enim *ult.* Martinus Papa ſacro approbante Concilio, ab hæreticis, qui Eccleſiæ Catholicæ conjungi volunt, ante omnia exigendum eſſe dicit: *Vt credant, Papam* Canonicè *electum, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expreſſo, eſſe ſucceſſorem Petri, & ſupremam habere in Eccleſia poteſtatem.* Supponit ergo Concilium, credi poſſe fide Divinâ (nec enim de alia fide, quàm Divinâ hæretici ſunt interrogandi) hunc numero & determinatum Pontificem legitimum eſſe Chriſti Vicarium; imò credi debere, nec enim quæ credi non poſſunt, aut non debent, neceſſariò credenda ſunt.

Objectio.

EX parte adverſa inſtari poteſt. Concilium loqui de Pontifice *Canonicè* electo: at non conſtare, *Canonicè* electum eſſe. 3.

Reſponſio.

SI conſtare certâ fide non poteſt, Papam *Canonicè* electum eſſe, cur ergo Concilium tam accuratè vult hæreticos de hoc interrogari? Erit enim otioſa minimeque neceſſaria interrogatio, cùm ſicut conſtare non poteſt eſſe *Canonicè* & *validè* electum, ita nec legitimum Pontificem, Chriſtique Vicarium. At Papam legitimè baptizatum, ordinatum electumque eſſe, Deus nunquam revelavit, quî ergo credi poteſt? Imò tunc revelavit, cùm tota Eccleſia Pontificem pro legitimo habuit, recepitque; vox enim, & teſtimonium Eccleſiæ, quæ falli non poteſt, vox eſt & teſtimonium Dei: ſicut enim Deus nunc verbo, nunc litterâ, nunc miraculis, ita vocibus, & aſſenſu Eccleſiæ loquitur; juxta illud Chriſti Domini pollicitum: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis; ipſe Spiritus docebit vos omnem veritatem.* Ad Dei ergo providentiam, curamque pertinet, ut Eccleſiam, quam voluit eſſe columnam & firmamentum veritatis, in re tanti momenti errare non permittat, eumque pro Pontifice colere, qui Pontifex non eſt; aut ſi permittat circa perſonam ipſam Pontificis errare, non permittat tamen circa authoritatem, hoc eſt, putatitio Pontifici eam ipſam authoritatem, poteſtatemque, quam vero tribuat, quemadmodùm leges humanæ id ipſum in putatitio judice, teſte, & matrimonio ſtatuunt. *Leg. Barbarius. De offic. Pret. Leg. 3. in fin. ff. De ſuppellect. legat. Leg. 3. ff. ad S. C. M. §. 7. Inſtit. De teſtam. ordin. Cap. Infamis. 3. q. 7. Cap. penult. & ult. Qui filij ſint legitimi.*

CONCLUSIO

INcertitudo Papæ nullatenus prætendi poteſt ad hoc, ut vocetur in dubium, an tanquam Papa loquatur ex Cathedra Apoſtolica, firmumque adeò, ac irrevocabile in rebus fidei proferat judicium.

Explicatur ex præſentis quæſtionis com- 37.
paratione ad hanc quæſtionem; *Vtrùm in Concilio Tridentino in fidei dogmatibus ab eo deciſis, prorſus ſtandum ſit tanquàm Oecumenico, atque adeò infallibili ac irreformabili?* In quâ eadem quæſtione habemus indubitatum fidei dogma de Concilij Oecumenici vicariâ Chriſti authoritate inſigniti infallibilitate. At quomodò certi ſumus particulariter circa Concilium Tridentinum in ijs, quæ Fidei ſunt, omnia Oecumenici Concilij ſubſtantialia interveniſſe, ita ut nefas ſit dubitare de hoc,

hoc, quòd sit Oecumenicum? *Ad hoc igitur* obtinendum, oportet ex illo fidei principio descendere ad argumenta, prudentialis credibilitatis evidentiam non tam in via scientifica demonstrativam, quàm prudentiæ voluntatis *moraliter* directivam præferentia, ut sic prætacti in fide fundati principij applicatoria ad Concilij Oecumenici infallibilitatem credendam. Quod equidem prudentiale, credibilitatis evidentiam fundare aptum argumentum, debet anterius esse, quàm ut propositio de Concilij legitimitate, fidei authoritate potiri valeat. Neque verò firmius talem, eamque supernaturalem credibilitatis prudentialis evidentiam practicam submin-strans, & ad illud fidei principium sub prudentiæ infusæ certitudine applicans argumentum occurrit, quàm ex consensione Ecclesiæ, Concilium Tridentinum in dogmatibus fidei tanquàm Oecumenicum & legitimum uniformiter recipientis. Quemadmodùm igitur de anterioribus Concilijs Oecumenicis ex historijs luculentissimis communi fidelium consensu comprobatis, sic de Concilio Tridentino communi Ecclesiæ cum Capite consensione, ceu Oecumenico habito, extat ejusmodi in linea prudentialis evidentiæ etiam supernaturalis, fundamentum *practicè* certissimum, sub quo ad prætactum de Synodi Oecumenicæ per Christum sancitâ infallibilitate fidei principium, eatenus subsistat valida applicatio, ut jam nefas esset, de tali Concilij etiam in particulari spectati, infallibilitate ullum habere dubium. Pari proinde ratione circa Pontificis in individuo certitudinem in præsentis causæ statu esse statuendum, mox patebit ex subsequentibus.

PROBATIO I.

Quâ ostenditur, non tantùm *quoad se*, sed etiam *quoad nos immediatè* ac *formaliter* esse de fide Divinâ, hunc hominem in individuo, nempe Innocentium XI. esse Summum Pontificem, sicque adeò certissimo nitì fundamento, quòd in causis fidei sanciendis, quà Pontifex ex Cathedra Petri Apostolica decernat.

38. DUo namque sunt, quæ Ecclesia acceptat in Pontifice: *alterum*, quòd hîc & nunc in particulari sit regula fidei infallibilis: *alterum*, quòd accepat ipsum tanquam Caput, cui universalis Ecclesia unitur. At inprimis est impossibile, quòd Ecclesia erret in acceptandâ quâcunque fidei regulâ, sive sit definitio Concilij, sive liber aliquis Canonicus, sive Traditio aliqua. Pari ergo ratione est impossibile, quòd Ecclesia erret, acceptando Summum Pontificem in particulari tanquam supremam & animatam in fidei rebus proponendis regulam.

39. Neque simile est de proponente proximè res fidei, & prædicante eas, quem non tenemur credere de fide, quòd sit legitimus Evangelij Minister, cùm non se habeat tanquàm regula determinativa rerum fidei, sed solùm ut Minister alijs intimans ea, quæ credenda sunt: nec proinde illi, qui credunt, ab illius authoritate, sed ex eorum, quæ proponuntur, credibilitate moventur, cujusmodi credibilitas nisi innotescat audienti, nulla stringit credendi obligatio. At secùs est in Summo Pontifice, utpote qui proponit res credendas tanquam fidei regula, & judex determinans, quænam sint credenda, sicque ex ipsius authoritate obligatur homo ad credendum. Necessum igitur est, quòd fideles sint certi, Summum Pontificem, cujus est definire, ac regulare res fidei, habere authoritatem illas regulandi & definiendi, cùm, si dubitari posset de authoritate ejusdem in particulari ac in individuo spectati, fideles haud certi redderentur, dogma definitum esse de fide.

Deinde Ecclesia acceptando Summum 40.
Pontificem, se illi unit ac subjicit, tanquam supremo Capiti visibili. At non est istud Caput visibile, nisi quà determinatum in particulari. Oportet ergo, Ecclesiam Summi Pontificis electionem pacificè factam acceptare in hac determinata persona, sicque huic Pontifici in individuo se unire ac subjicere, tanquam supremo visibili Capiti. Atqui hoc ipsum est, determinare infallibiliter, quòd iste homo sit Caput Ecclesiæ: siquidem tota Ecclesia, quæ errare non potest, in exercitio se illi uniat tanquam supremo visibili Capiti: unde schismatici habentur, quotquot ipsum non recognoscunt. Perinde igitur est, quòd Ecclesia universalis *in actu signato* dicat ac definiat: *Hic homo est verè ac legitimè Pontifex*: ac se se uniendo & subjicendo illi, tanquam Capiti, in ipso exercitio id asseveret. At ista Summi Pontificis ipso saltem exercitio quà legitimi acceptati determinatio versatur in materia fidei, quòd nempe hæc universalis Ecclesia sit unita suo visibili Capiti: quo sublato, rueret profectò totum, quod credimus de Ecclesia, quòd nempe hîc & nunc sit vera & Catholica. Necessarium ergo est, quòd ipsa Ecclesiæ circa hanc materiam determinatio, in vi cujus *hic homo in individuo recognoscitur suprema Ecclesiæ universalis Caput visibile*, sit de fide.

Objectio.

EX parte adversa excipi potest. Vim illius 41.
argumenti ultimatè reduci ad istud punctum, quòd nempe Ecclesia in rebus fidei errare haud possit, sit autem res fidei quòd, quælibet fidei regula debeat habere fidei, certitudinem, quòdque Ecclesia Catholica debeat esse unita supremo Capiti visibili. Hæc ipsa verò principia, oportere, ut sint fundamentum determinationis Ecclesiæ. Hanc igitur non tam ex se ipsâ sancire illud dogma, quòd hic homo in individuo sit Summus Pontifex, quàm declarare illud in certo aliquo fidei fundamento jàm præcontentum. At in illa argumentatione non explicari, quòdnam sit istud fundamentum, & quo seu scripto, seu non scripto Dei verbo *formaliter immediatè* sit expressum. Illam ergo argumen-

mentationem haud efficacem esse ad convincendum præsens dogma fidei.

Responsio.

42. HAnc exceptionem nullius esse roboris, ostenditur sequenti argumento. Nam Oecumenica cum infallibilitate per Christi orationem firmata, Petræque, adversùs quam portæ inferi prævalere haud possent, munimento roborata, Petro promissa, sub Pastoralis universalis munere charactere *actualiter* tandem concessa authoritas, eo ipso, quòd ex Christi Domini verbis noscatur conjuncta cum Ecclesiæ sanctæ perpetuitate, per ipsam fidei certitudinem dignoscitur in Petri personâ minimè exspirâsse, sed ad legitimum pro quovis tempore successorem transire, ex Divinaque constitutione natam esse. In quo adeò Divinitus constituto fidei principio *expressè formaliter* habetur contenta ista veritas, quòd Petri successor eâdem prorsus potiatur Oecumenicâ authoritate. Quare ut veritas illa applicetur ad particularem quampiam Petro legitimè succedentem personam, opus equidem est subsumptione particulari, per quam constet ista successio legitima: hæc tamen subsumptio personæ particularis ad Summum Pontificatum applicativa, non intrat fidei motivum, sed est fundamentum prudentialis duntaxat credibilitatis evidentiæ. Hâc proinde stante, illud fidei principium eatenus est applicabile ad hanc Petro legitimè succedentem personam individuam, ut ista quâ Petri successor in ordine ad hoc, quòd Oecumenicus Ecclesiæ Pastor, ac ex authoritate Divinitus constitutâ Summus Pontifex pronuntietur, jam subeat vices objecti *materialis* fidei, cui nempe Veritas Divinitus revelata sit *verè* ac *realiter* applicabilis. At eo ipso, quòd ista ad fidei principium applicatio fiat per Ecclesiam, quæ errare non potest in rebus fidei, redditur consequens, applicationem ejusmodi esse infallibilem. Hâc verò stante, propositio illa: *Hic in individuo est Summus pontifex*, per modum objecti *materialis* sub illo Divinitus constituto fidei principio, eatenus jam repræsentatur voluntati, piæ ad credendum affectionis virtute instructæ, ut hæc prudenter possit, imò debeat ex fidei proprio motivo imperare fidei assensum, intellectumque adeò captivare in fidei obsequium. Constat igitur, propositionem illam, quâ sub prævia Ecclesiæ acceptatione, hic homo in individuo dicitur Summus Pontifex, esse credendam fide Divinâ.

Iterata objectio.

43. REplicari potest ex parte adversa. Minimè deesse aliqua fidei principia generalia de Christo v. g. *realiter* existente sub speciebus Eucharisticis ritè consecratis: neque tamen particulares propositiones tali generali fidei principio contentas, mediante prudentiali aliquâ credibilitatis subsumptione hinc deductas, esse fide Divinâ credendas: veluti pateat de istis speciebus Eucharisticis in particulari, sub quibus Christum *realiter* constitutum esse, nulla est credendi obligatio. Cur ergo id peculiare foret de propositione illa, quâ hic homo in individuo dicitur Summus Pontifex?

Responsio.

NEque hanc exceptionem alicujus esse roboris mox demonstratur. Nam duplex 44.
distinguenda est prudentialis ratio, per quam sub principio universali Divinitus constituto subsumere oportet particularem aliquam propositionem in illo præcontentam. *Alia* enim habet in se pondus alicujus evidentiæ saltem *practicæ*, constringentis adeò voluntatem piæ ad credendum affectionis virtute instructam. *Aliæ* verò est intrà limites meræ probabilitatis, nullâm plerumque in voluntate inducentis obligationem, hanc tamen quandoque saltem prælucentis in tantum, ut ex motivo etiam supernaturalis cujuspiâ virtutis possit ex tali prudentiali, solùm licèt probabili, ratione exerceri actus *moraliter* bonus: sic enim sub hisce etiam in individuo exhibitis speciebus Eucharisticis (quarum tamen consecratio in particulari nobis non nisi probabiliter constare potest) rectè adoratur Christus Dominus. At verò stante pacificâ hujus in individuo Summi Pontificis electione, per universalis Ecclesiæ in materiâ fidei errare haud potentis uniformem acceptationem, non potest credibilitatis ratio non stare cum evidentiâ *practicâ*, constringente adeò, & obligante fideles quosque, ad illam de istius particularis hominis summo Pontificatu enuntiativam, sub præinsinuato Divinitus constituto principio ad fidei motivum applicandam propositionem. Secùs res se haberet pro aliquo casu, quo contingeret Summi cujuspiam Pontificis electionem ab Ecclesia universali non esse uniformiter acceptatam: tunc enim potest equidem fieri, ut varia illucescant, probabilitatis tamen sphæram haud supergredientia, legitimæ super hâc individuâ personâ ad Summum Pontificatum electionis fundamenta. In quo adeò statu nequit esse obligatio constringens ad credendum, sciscitari tamen licet; *An sub tali prudentiali ratione possit locus esse fidei supernaturalis actui?*

Cujus quæstionis resolutio pendet ex du- 45.
plici *morali* principio *alibi* jam discusso. *Alterum* est, quòd stante probabili circa materiam *moralem* ratione, ex instinctu Divino superstrui possit judicium prudentiale supernaturale, per quod virtutis cujuspiam infusæ motivũ *formale* applicari possit tali *morali* materiæ. In vi cujus adeò applicationis per Spiritûs sancti directionem factæ, stat *moralis practica* certitudo honestatis etiam supernaturalis hìc & nunc sub tali objecto repræsentatæ directiva. *Alterum morale* principium est, licèt tale *practicum* supernaturale judicium materiæ probabili superstructum, sufficiat ad virtutis *moralis* voluntati inexistentis

stentis actum dirigendum, honestatemque supernaturalem sub *moralis* bonitatis puritate amplectendam: nihilominùs speciale hoc esse in fidei actu, ut Spiritus sanctus non cooperetur ad efficax in fidei obsequium captivans imperium, si materia secundùm probabile judicium substrata Divinæ revelationi, huic non re ipsâ subjaceat: quippe cùm Primæ Veritatis, revelationisque Deo purè immanentis ratio debeat intelligibiliter formatrix esse veritatis Divinitus revelatæ, ut sit ad fidei assensum applicabilis, nec adeò locus esse possit fidei Theologicæ *formalis* ex Prima Veritate revelante subsistenti motivo, ubi non re ipsâ subsistit veritas objecti *materialis* Divinitus revelati.

46. Quo adeò duplici *morali* principio præsupposito, facile est, concludere, quid in præsentis quæstionis statu asserendum sit. Ubi namque non est certitudo per Ecclesiæ unanimem acceptationem consistens de cujuspiam individuæ personæ Summo Pontificatu, tunc quantumvis gravia subsint vel authoritatis doctorum hominum, vel rationum humanarum momenta, nequit illa universalis revelatio, per quam Petri legitimus Successor ex fide Divina noscitur Summi in Ecclesia Pontificatûs authoritatem à Christo constitutam obtinere, hæc, inquam, Divinitus revelata propositio nequit pro tali statu per Spiritûs sancti instinctum, mediante fidei actu applicari ad hanc individuam personam, nisi in ipsa rei veritate subsistat successionis legitimitas. In quo tamen casu judicium illud probabile duo præstare potest, quorum unum est, ut, qui sub tali probabilitate operatur, postquam conquisitione captui suo proportionatâ factâ, veritatem certò comperire non potest, saltem non peccet: alterum est, ut ipsummet etiam Vicariatûs Christi characterem cum reflexione adeò in ipsummet Christum reductâ, Religionis etiam supernaturalis actu colere possit: sicque adeò virtutis *moralis* Religionis, non autem fidei infusæ actum supernaturalem exercere possit sub illo probabili judicio, dum Summi Pontificatûs in hâc individua personâ veritas re ipsâ non subsistit.

Replicata objectio.

47. EX parte namque adversa instari potest. In hac propositione, quòd Innocentius XI. sit legitimus Papa, supponi non tantùm electionem ipsius esse legitimè factam, sed habere etiam capacitatem requisitam ad talem dignitatem. At tam istam pendere ex multis circumstantijs, quæ *Facti* sunt, quàm illam dependere ex eo, quòd sit baptizatus, alijsque affectus conditionibus de se merè contingentibus. Quomodò igitur de hujus Papæ in individuo Oecumenica authoritate, dependente ex ejusmodi merè contingentibus circumstantijs, certum fidei judicium haberi potest?

Responsio.

48. VErum equidem est, ut sit de fide, hunc in particulari esse Papam, supponi legitimam electionem. Quemadmodùm tamen fides non est *formaliter* discursiva, sic electio hujusmodi respectu illius propositionis, quatenus est de fide, minimè habet se per modum principij illativi. Sed præsupponi debet in ordine ad prudentiale credibilitatis judicium, sub quo particularis ea propositio applicanda venit ad revelationem universalem, quâ Divinitus constitutum noscitur, ut legitimus Petri successor pro perpetuis Ecclesiæ temporibus sit hujus Pastor Oecumenicus cum indefinitâ ligandi ac solvendi authoritate, Petræ etiam firmitatem portis inferi superiorem obtinente. Neque verò ipsissima illa electio ex se præcisè fundat illud credibilitatis judicium, quà *simpliciter* constringens ad fidei assensum ei particulari de hujus individuæ personæ Papatu, enuntiationi præstandum, sed obligationis hujus efficacia perfecta stat ex Ecclesiæ acceptatione per Spiritûs sancti efformationem in mente fidelium fundante infallibilem judicij credibilitatis certitudinem *practicam*. Unde liquidum jam evadit, neque ipsum fidei assensum de hujus individuæ personæ Papatu præsitum, neque prævium credibilitatis judicium in substantia supernaturale, *formaliter* pendere ex conditionibus merè contingentibus: quanquam hujusmodi conditionum genus tum de modo electionis, tum de capacitate electi, taliter præsupponi debeat, ut respectu tamen prædicti credibilitatis judicij supernaturalis, se habeat solùm *Materialiter* ac *Dispositivè*.

Objectionis ulterior instantia.

49. HÆc namque propositio: *Iste homo particulari est Summus Pontifex*, in sua veritate essentialiter pendet ab illa præmissa: *quòd iste homo sit ritè electus*, sive quòd ipsi per electionem legitimam sit applicatus summus Ecclesiæ sanctæ Divinitus constitutus Papatus. At *quòd hic homo sit ritè electus ad Papatum*, non est notum per fidem Divinam, seu per revelationem Dei, definitionemque Ecclesiæ aut Traditionem, sed solùm per *moralem* quandam certitudinem, eligentium declarationi innixam. An non igitur dicere fas sit, eam propositionem non nisi *mediatè* de fide esse, quatenus scilicet ex una de fide, alterâ verò propositione *moraliter* duntaxat certâ infertur?

Responsio.

50. VErùm certitudo *moralis*, quâ constat de legitimâ hujus personæ in Papam electione, dupliciter se habere potest ad propositionem hujus in particulari Papatûs enuntiativam: *primò* per modum principij illativi. Ut sic autem assensus tali enuntiationi præstitus, haud est fidei, sed ad summum Theologicus. *Secundò* igitur certitudo illa se habere potest

ad

ad eam propositionem per modum fundamenti solùm *Materialiter* ac *Dispositivè* concurrentis ad credibilitatis de tali propositione judicium prudentiale, Spiritûs sancti efformatione traductum ad statum supernaturalitatis, eo modo, quo *superiùs* explicatum fuit. Ut sic proinde ne quidem *moralis* illa certitudo, etiam quâ per Ecclesiæ acceptationem sublimata, & per Spiritûs sancti efformationem ad statum supernaturalitatis traducta, vel *partialiter* ac *inadæquatè* intrat motivum fidei assensûs, super hoc particulari Papatu præstandi specificativum, sed ad illum se habet solummodò per modum principij, piæ ad credendum affectionis *directivi*.

Reiterata objectionis instantia.

51. INstari namque potest ex parte adversa. Judicium credibilitatis super hujus individuæ personæ Papatu, fide Divinâ credendo, fundari in sanctæ Ecclesiæ unanimi acceptatione. At de istius acceptationis unanimi Ecclesiæ consensu vix haberi posse infallibilitatem. Unde namque hæc unanimitas constare potest, nisi vel ex fidelium erga talem Pontificem Religiosa submissione, vel ex Electorum Cardinalium in hanc personam convenientium consensione pacificâ, quam per hominum ad nos traductam relationem vix majori, quàm *morali* certitudine ad nos deferri posse. Quare non patêre, quomodò ad fidei infallibilitatem *morali* certitudine longè sublimiorem, pertingere possit propositio, hujus individuæ personæ Pontificatum pronuntians: maximè cùm aliquando contigerit, fœminam eligi Papam. Et quis negârit, simoniacè, atque adeò nulliter Papam electum, posse in tantum acceptari, ut, quia simonia est prorsus occulta, nullus sit, qui reclamet, in quo adeò casu cum acceptatione etiam uniformi, in personâ taliter electâ stabit nullitas Summi Pontificatûs.

Responsio.

52. VErùm in promptu est sequens responsio. Etenim quæ ex humanis probabilibus argumentis circa maximam Ecclesiæ in hâc individuâ personâ ad Pontificatum assumptâ consensionem, resultat *moralis* certitudo; se habet solùm *materialiter* ad prudentiale judicium fidei assensûs *directivum*. Ejusmodi proinde humanis argumentis se habentibus solùm *Dispositivè & Organicè*, Spiritus sanctus per interiorem mentis formationem superstruit certitudinem prudentiæ infusæ consensuratam, ex infallibilitate Ecclesiæ, hanc individuam personam in Summum Pontificem unanimiter acceptantis, efformatam. Ex quâ etiam Ecclesiæ infallibilitate oportet, ipsam ita circumvallari Spiritûs sancti assistentiâ, ut minimè permittat Ecclesiæ, unanimi consensione acceptari in Papam, cujus electio ex quocunque defectu substantiali non esset legitima. Unde stante tali acceptatione Ecclesiæ, sub primâ etiam prudentiali supernaturalis judicij assertione, jam subest *practica*, in substantiâ tamen supernaturalis, certitudo de electionis legitimitate, deque universis adeò substantialibus ad Oecumenicum Papatum requisitis conditionibus. Ubi verò ad illud prudentiale supernaturale credibilitatis judicium consequitur fidei assensus, ex ipsâ Primâ Veritate, Petri successorem legitimum, Christi Vicaria Oecumenicæ Ecclesiæ sanctæ Pastoris pro perpetuis temporibus authoritate Divinitus dotatum, pronuntiante specificatus, tunc iste fidei actus sub ipsissimâ isthâc universali revelatione Divinâ, ceu *formalis* suo motivo per modum objecti *materialis* complectitur individuas quoque tam personæ ab Ecclesia sic acceptatæ, quàm Electionis legitimitatem, atque adeò ad istam Oecumenicæ prærogativæ capacitatem requisitas, uti & alias quasque substantiales conditiones. Unde ipsa etiam fidei certitudo tunc transfunditur in cunctas de naturâ suâ quidem contingentes, dicto tamen fidei actui per modum objecti *materialis* substratas, conditiones individuantes.

Vltimata objectio.

VRgeri adhuc potest ex parte adversâ. 53. Difficile adhuc esse, determinare, pro quo tempore ista Ecclesiæ acceptatio ita incipiat esse sufficiens, ut propositionem, *Hic in individuo est Summus Pontifex*, constituat in statu, in quo sit de fide.

Responsio.

VErùm stante concordi Cardinalium electione, jam subsistit *moralis* certitudo *Dispositivè & materialiter* apta, super quam Spiritûs sancti efformatio in mente fidelium struat prudentialis credibilitatis judicij certitudinem supernaturalem. Ubi verò istius electionis ad Ecclesiam propagatio in eo jam est statu, ut ipsi non contradicatur, crescit jam *moralis* illa certitudo: perficitur autem, atque in statum ad fidei assensum sub præinsinuatæ universalis revelationis Divinæ ad hanc personam applicatione cunctos Christi fideles constringentem reducitur, ubi *positiva* Ecclesiæ, ejusque Prælatorum acceptatio unanimis succedit. 54.

PROBATIO II.

Quâ ostenditur, quàm sit generalis in Ecclesia consensus de irreformabili judicio Romani Pontificis in fidei quæstionibus.

HAnc probationem pertexere, operæpretium est visum ex ipsismet verbis Authoris *tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 7. cap. 13.* hunc in modum differentis. Communis adeò est hæc doctrina de infallibili Romani Pontificis judicio in quæstionibus fidei, ut hanc ipsam conditionem habere videatur, quâ cum Illustrissimi Prælates Gallicani judicium 55.

dicium illud irreformabile esse profitentur; ut scilicet Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Etenim tot, tantique Doctores ex omni natione, ex omni facultate, ex omni ordine eam defenderunt, ut nesciam quid, ad eam toti Ecclesiæ adscribendam, desideretur.

56. Eorum Cathalogum texuerunt multi, præsertim Theophilus Rainaudus in opusculo inscripto *antès épha*, ubi, puncto scilicet 2. hanc esse totius Societatis Iesu sententiam affirmat, enumeratis quàmplurimis ejus Doctoribus, quorum multi tempora controversiarum occasione libri Cornelij Iansenij motarum antecesserunt, ne putes, eam à Societate ad faciliorem Iansenij oppugnationem advocatam, sed veritatis & religionis studio jam olim delectam. Eandem cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alij quasi certatim: quamvis privatus aliquis Principibus addictus à Majorum ac Fratrum semitâ interdum recedat.

57. Jam supra monuimus, D. Petrum de Marca testari, eam omnibus Universitatibus esse communem, contrariam autem, quam antiquis tantùm Parisiensibus (puta Gersonio & ejus coætaneis, aut suppatibus) tribuit, solùm ab Ecclesia tolerari. Emissus fuit in lucem anno 1682 liber cum hoc titulo: *Doctrina, quam de Primatu, authoritate, & infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses sanctæ Theologiæ Professores tam veteres, quàm recentiores*, in quo quàmplurimi enumerantur. Sperandum est idem à cæteris Academijs præstandum. Porrò Lovaniensis ita judicium Papæ reformabile esse non censuit, ut tanquâ fidei regulam proposuerit anno 1544. nam inter articulos circa fidem orthodoxam editos, iste vigesimus quintus est: *Certâ fide tenenda sunt non solùm, quæ Scripturâ expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotijs per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.*

58. Doctoribus jam adductis pancos adjungemus, qui vel Galli, vel à Launoio citati, vel pietate ac Doctrinâ conspicui extiterunt. Scribebat Alexandro III. Petrus Blesensis *epist. 68. Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis Magistram omnium Ecclesiarum profitemur: sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustijs solatia, responsa in dubijs expectamus.* Si erraret Magistra omnium Ecclesiarum, errarent omnes Ecclesiæ, atque adeò universa Ecclesia, quæ nonnisi ex illis constat, ut sæpe notavimus. Similiter Hugo, seu Ugo de S. Caro à Launoio citatus sic interpretatur hæc verba *Ioannis ult. Dicit Simoni Petro Iesus. Nota, quòd specialiter loquitur Petro soli, alios præterit. Cur hoc? Respondemus. Examus Apostolorum erat Petrus, & os Apostolorum, & vertex Collegij. Ideo & Paulus ascendit videre Petrum præ alijs. Galat. 1.* Ita ergo Petrus erat vertex Collegij, ut prætermissis alijs, eum solum, tanquâ Collegium integrum repræsentantem, Christus alloqueretur: ita erat aliorum os, ut pro omnibus responderet posset, alijs etiam non consultis.

Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ Parisijs discipulus, deinde in ejus urbis Academia Doctor, ac denique Professor, *de potestate Ecclesiastica quæst. 20. art. 3.* sic scribit: *Papam posse aliquid addere supra illa, quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum, & implicatorum explicationem. Utroque modo potest Papa aliquid addere super illa, quæ sunt fidei, quia si aliqua sunt dubia, & obscura in fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare. Post cujus determinationem hæreticum esset, contrarium pertinaciter asserere.* 59.

Nicolaus Liranus ad hoc verbum, *Confirma. Luc. 22.* addit: *Hoc dicit ei (Petro) quia Ecclesia erat sibi committenda, ut habetur Ioannis ult. alia vero dicuntur ei à Christo. Pasce agnos meos. Ex hoc etiam patet, fidem non defecisse usque ad finem mundi in Ecclesia Romana, quæ à Petro post Christum fundata est.* 60.

Dionysius Carthusianus, cujus etiam authoritate utitur Launoius, in hæc verba: *Ego autem rogavi pro te. Item, inquit, quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Vide quod dicatur, ut non deficiat fides tua, exponitur, ut non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ.* Hactenus videtur Ecclesiæ tantùm universæ indeficientem fidem adstruere, sed ecce unde in reliquas Ecclesias hæc fidei firmitas derivetur; *Sequæ ex verbis his similiter argumentum, quòd fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantavit, sit usque in finem sæculi duraturæ.* 61.

Quoniam Launoio Dominicum Bannes tanquam sibi faventem adducere placuit, referamus ejus hâc de re doctrinam, ex qua conclta, quæ hactenus dicta sunt, confirmabuntur. Bannes igitur in 2. 2. S. Thomæ q. 1. art. 10. has ponit conclusiones. Conclusio prima. *In publico fidei judicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico Præsida, vel Summo Pontifice, neque Romana Sedes à Pontifice Romano.* Vide jam quomodò faveat Launoio illum citanti, ut probet Christi orationem pro Petro factam, ne fidem unquam amitteret, quamvis tentaretur à diabolo, sed in ea & gratia Dei tum demùm perseveraret, quasi ultra processurus non esset orationis effectus. Hæc est quarta conclusio: *In publico fidei judicio non potest Summus Pontifex errare.* Hanc conclusionem asserit D. Thomas; & citatis multis alijs Auctoribus subjungit: *Quorsecus arbitror, hanc conclusionem tanquam Apostolicam traditionem esse tenendam.* Et quidem, ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi à tempore Concilij Constantiensis in agro Dominus nunquam homo, id est diabolus, zizaniam superseminâsset. Etenim usque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte. Atque ita D. Thomas in Opusc. citato hunc errorem tanquam Græcorum singularem narrat. Et procul dubio, si quæstio hæc ad Concilium deferretur, non dubito, quin prædicta conclusio definiretur tanquam vera fides. 62.

Non magis favet Launoio Maldonatus, cujus etiam testimonio ulus est. Maldona- 63.

tus enim super verba multoties repetita; *Ego autem rogavi pro te, &c.* sic scribit: *Quòdque dicit Petro, ejus quoque Successoribus, totique Ecclesiæ dictum putandum est; támque certi debemus esse successorum Petri, totiúsque Ecclesiæ fidem non defuturam, quàm certi sumus ejus, cùm tentatus est, fidem non defecisse.* Obscuritatem fortassis pareret totius Ecclesiæ cum Petro in illis verbis conjunctio: Sed eam tollunt, quæ sequuntur: *Itaque rectè ex hoc loco antiqui, gravésque Authores collegerunt, Ecclesiæ Romanæ, & successorum in ea Petri fidem fore perpetuam. Omnis enim Ecclesiæ fides asserebatur in Petro, qui Ecclesiæ Caput futurus erat.* Et super hæc verba: *Et tu aliquando, &c. Hinc demùm manifestum est, nec de illo solùm tempore, quo negavit Petrus, nec de illo solùm Petro, sed de omnibus ejus Successoribus loqui Christum: Nec enim tempore passionis cæteros Apostolos Petrus confirmavit, sed confirmandi alios necessitas perpetua futura erat. Itaque in personaPetri omnes Petri successores jubet fratres in fide servare. Quomodò firmare possunt, si errare ipsi possunt? Propterea enim Christus pro fide oravit Petri, ne deficeret, ut alios confirmare posset, intelligens, alios confirmare non posse, si ejus fides defecisset. Id etiam significat illud, aliquando, id est, si quando opus erit, si quis in fide aliquando nutabit.*

64. Si extra Galliam Authores quæreremus Gallis opponendos, qui tempore Concilij Constantiensis doctrinam invexerunt authoritati Romani Pontificis adversam, non defuturi essent, qui nec doctrinâ inferiores, & vitæ sanctitate Ecclesiæ judicio essent superiores. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, celeberrimus libertatum Ecclesiæ defensor & Martyr, *epist. 97. edit. P. Christiani Lupi*, quæ est ad omnes Episcopos Angliæ. *Quis Romanam Ecclesiam*, inquit, *Caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claves regni cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide & doctrina Petri totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnesChristo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei?..... Quicunque sit, qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquieverit, &c.* Et *epist. 122.* quæ est ad Gilbertum Londoniensem Episcopum; *Solus infidelis, aut qui eum errore superat, hæreticus aut schismaticus, Apostolicis obtrectat obedire mandatis* Vide *epist. 69.*

65. Circa ipsamet tempora Concilij Constantiensis floruerunt, in Italia præsertim, sanctissimi doctissimique viri, qui Romani Pontificis authoritatem strenuè propugnaverunt, quos inter sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus *in Summa Theologica par. 4. tit. 8. cap. 3. §. 5.* irreformabile declarat judicium Papæ his verbis: *Licèt Papa in particulari errare possit, ut in judicialibus, in quibus proceditur per informationem, aliàs in his, quæ pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa in determinando, etiamsi ut particularis & privata persona. Unde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem, quam in judicio proferret, quàm opinioni quorumcunque Sapientium.* Papam autem Concilio superiorem esse, pluribus probat *in 3. parte.*

Beatus Joannes de Capistrano de Papæ & Concilij, sive Ecclesiæ authoritate *3. parte. 2. Principalis*, eandem superioritatem, quæ infallibilitatem judicij circa fidem necessariò supponit, adstruit varijs rationibus, quarum una hæc est; *Succedit*, inquit, *námque Papa loco Petri in eadem perfectione potestatis, & Vicariatûs dignitate, quâ & ipse B. Petrus à Christo fuit in universali Ecclesia sublimatus.* 66.

§. IV.

Nostratis sententiæ ex Vniversalis Ecclesiæ praxi desumpta argumenta referuntur, ac expenduntur, unà cum conclusione super ijsdem reflexiva.

HÆc praxis ostendi potest tum argumentis *in actu quasi signato* eam ostendentibus per SS. Patrum, imò & Summorum Pontificum, nec non Conciliorum (de quorum hanc in rem sensu disseruimus *præcedente disquisitione*) sententias: tum *in actu quasi exercito* eandem demonstrantibus argumentis *inferiùs* adducendis. 67.

ARGVMENTVM I.

AUthor Regalis Sacerdotij *cit. lib. 3. §. 5.* Patrum unanimem pro Pontificis infallibilitate consensum *in actu quasi signato* probat ex testimonijs tum SS. Irenæi, Cypriani, Ambrosij, Augustini, & Innocentij: tum SS. Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, Joannis Patriarchæ, Tertulliani, Flaviani Patriarchæ, Patrumque Tarraconensium: tum SS. Fulgentij, Agapiti, Gregorij Magni, Sophronij Patriarchæ, Theodori Studitæ, Ignatij Patriarchæ, Patrum Concilij Milevitani, Episcoporum Dardaniæ, & Lucij PP. tum SS. Leonis IX. Gelasij, Cyrilli, Anselmi Cantuariensis, Ruperti Tuitiensis, Bernardini, Bernardi, Thomæ Aquinatis, & Stanislai, Hosij: tum omnium ferè totius orbis Christiani Doctorum etiam Galliæ, adducendo quorumdam Parisiensium quoque Doctorum hâc de re sententias. Quæ universa scrutari potest lector, cui unicè duxi hîc repræsentandam anacephalæosin à *præcitato* Authore sub hisce verbis deductam. 68.

Hactenus quidem, ait, Patrum Doctorumque omnis ætatis testimonia, quæ legi, audirique à nullo possunt, qui non continuò persuasum habeat, omnes illos in rebus fidei, supremum judicium, certamque sententiam Romano Pontifici tribuisse. Volunt lite aliquâ de rebus fidei exortâ, Romam ad judicium iri: volunt sententiam illic datam oraculum esse, cui nisi obtemperes, hæresin oleas, aut ab Ecclesia defectionem: volunt, quod Papa definierit, finitum esse, nec ampliùs in dubium vocari posse. Hieronymus tres Hypostases in Trinitate agnoscet, si Damasus 69.

masus jubeat. Augustinus hæresin Pelagiam, toties victam, toties pugnæ restitutam, tunc demùm profligatam esse dicit, ubi Pontifex se prælio miscuit, eamque truncatam voluit: Patres Nicæni Concilij tam certam habent Pontificis Romani sententiam, ut majora Ecclesiæ negotia illi reservata velint. S. Athanasius, Patresque Africani, hanc unam Sedem adeò erroris expertem dicunt, ut ab illa dogmata fidei majores sui, & velut à matre lac sinceræ doctrinæ acceperint. S. Cyrillus non priùs audet Nestorium inter hæreticos censere, quàm à Cælestino Papa damnatum. S. Cyprianus non posse perfidiam habere ad Petri Cathedram accessum. S. Fulgentius adeò, quæ à Romano Pontifice decernuntur, certa esse, ut quod illa tenet, docetque, totus Christianus orbis nihil hæsitans credat. S. Agatho, & cum illo Patres sextæ Oecumenicæ Synodi, nullum omninò errorem, nullamque hæresin Petri Cathedram insedisse, nec unquam deinceps futurum, ut Petri successores, pro quibus Christus tam serió oravit, à vera fide deficiant. Denique omnium ferè Patrum Græcæ, latinæque Ecclesiæ est una, constansque sententia, non posse in rebus fidei decernendis Pontificem errare.

70. Huic tantâ pietate, doctrinâ, rebusque pro Ecclesia gestis illustrium virorum Choro situ Gersonem, Almainum, & Ochamum opponas, qui contrarium docuerunt: quid amabò aliud facies, quàm ut paucos aliquot, & gregarios milites cum Castris Heroum conferas, tenuesque radios cum ingenti sole comparas? Magnus, fatemur, Gerson, sed quis ille, ut Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Athanasio, Gregorio, totique Oecumenicæ Synodo præferatur? Et quæ ratio, aut æquitas postulat, ut uni mille, non sancto, tot Sanctos: Cancellario Parisiensi, Doctores Ecclesiæ, imò ipsam Ecclesiam, quæ ex illorum sententia pendet, cedere oporteat? Tu ergo Gersoni fidem habes, non habes Hieronymo, non Athanasio, non Fulgentio, non Augustino, ad quorum vestigia, si Gerson viveret, pronus lubensque accideret?

71. At Patres non clarè loquuntur. Imò tam clarè, ut clariùs non possint: quid enim tam clarum, quàm illud Fulgentij: *Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus orbis nihil hæsitans credit?* Et illud Augustini: *Quid potuit vir ille S. Innocentius Papa Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Et illud Hieronymi: *Ego beatitudini tuæ, hoc est, Cathedræ Petri communione consocior: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, quicunque tecum non colligit, spargit: apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas?* Et illud Agathonis Papæ, sextæque Synodi: *Sedes Romana à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravit, & in ea veræ fidei lumen nullâ hæreticæ erroris, nec falsitatis nebulâ fuit confœdata, sed illibata finetenus permanet juxta pollicitationem Petro factam: Pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, &c.* Hæc planè & alia plura sanctorum Patrum testimonia tam clara & perspicua sunt, ut ad ea intelligenda, nec face, nec glossâ opus sit, sed oculo tantùm sano, purgatoque, nec privatis affectibus tincto; alioquin ægris, infectisque oculis, ne sol quidem, sine umbra, & maculis est.

ARGVMENTVM II.

72. AUthor *præfatus præf. §. 6.* pro Summi Pontificis in rebus fidei infallibilitate adducit Ecclesiæ praxin *in actu quasi exercito* exhibitam sub sequentibus argumentis. *Primò*, quòd passim in historia Ecclesiastica, sacris Concilijs, & Patrum commentarijs multi loquendi modi occurrant, qui hanc ipsam, de qua agimus, infallibilitatem ostendunt, quales sunt: *Quòd Romana Sedes sit fidei fundamentum: quòd inde religionis nostræ fons, & origo manet: quòd, quæ illa damnat, omnes damnent, quæ approbat, omnes approbent: quòd semper ejus doctrinam omnis Catholica Christi Ecclesia, universales Synodi, sanctique Patres fuerint secuti: quòd omnium fidelium, & Ecclesiarum disponente Domino existat Magistra.* Hæc, ut diximus, legenti passim, & ubique occurrunt, nec dici omninò possunt, nisi de doctrina planè infallibili, & ab omni errore alienâ.

73. *Secundò.* Quòd, qui aliquid à Romana Sede definitum non reciperent, schismatici haberentur, & cum illis nemo communicaret; quod manifestissimo argumento est, Romanæ Sedis in rebus fidei sententias certissimas esse, nec enim schismaticus aut hæreticus est, nisi qui certæ, compertæque veritati se opponit: quæ enim incerta & dubia sunt, ac intra opinionem consistunt, recipi pro arbitrio possunt, repellive, nec propterea, qui hoc facit, hæreticus, aut schismaticus est. Huius veritatis testes sunt Pelagius Papa, & apud illum S. Augustinus *in Cap. Schisma. 24. q. 1.* S. Cyrillus Alexandrinus *epist. ad Cælestinum Papam.* S. Hieronymus *epist. ad Damasum.* S. Leo *epist. 87. ad Episcopos Viennenses Ecclesiæ*, S. Cyprianus *lib. 4. epist. 8.* S. Ambrosius *Orat. de obitu Satyri.*

74. *Tertiò.* Patres exortâ aliquâ fidei dubitatione, ut ab hæreticis certâ notâ distinguerentur, certique ipsi essent veritatis, se id credere profitebantur, quod crederet Sedes Petri, suamque fidem illius judicio submittere, & quod damnaret, se quoque damnare; hoc verò supponit Romanæ Sedis doctrinam veram omninò esse, & certissimam, incapacemque erroris: cùm enim fides certissima sit, nullumque dubium admittat, oportet fidei quoque regulam certissimam esse: alioquin fides dubio principio nixa, & ipsa dubium reciperet, quod fieri nequit. Si ergo doctrina Pontificis Romani sanctis illis Patribus regula credendi fuit, in quam fidem suam tutò reponebant; oportet quoque & illam fixam omninò, & immobilem esse, & si non est, sanctos illos Patres, velut anchoris, quibus tenerentur, perditis, fluctuasse potiùs, quàm credidisse. Hanc in rem scrutari operæpretium est S. Ambrosium *epist. 11. ad Agelychiam.*

ruchiam. S. Basilium *epist.* 77. Ruffinum *in symboli explanat.* Theodoretum *lib. 5. hist. cap. 2.* Abbatem Ioachimum; prout refertur *in Cap. 1. De summa Trinit.* Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum *in suo chirographa*, quod jam moriens scripsit.

75. *Quartò.* Natâ hæresi aliquâ, quæ Ecclesiam turbâsset, non priùs etiam apud Catholicos dubitandi, disputandique finis erat, quàm pronuntiatâ à Summo Pontifice sententiâ. Tunc enim verò dato velut signo, finis inter Catholicos certandi erat, & hæresis conclamata; quod evidens signum est, persuasum fidelibus fuisse; sententias Romani Pontificis in quæstionibus fidei certissimas esse, nec errori subjectas; alioquin non poterat illos sententia incerta certos reddere, dubia indubios, & errori exposita, ab omni errandi periculo liberos. Testantur hoc insuper Sozomenus *lib 6. cap. 22.* S. Prosper *contra Collatorem* & *in Chronico.* S. Augustinus *lib. 2. contra Pelagium c. 7. & Cælestium & lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Papam.* Patres Milevitani *epist. ad Innocent 1.* S. Cyrillus *epist. ad Cælestinum Papam de hæresi Nestorij*, Constantinus Magnus *in edicto* incipiente: *Ea, quæ Salvator noster.* Hieronymus *de Irenæo Romam misso in Cathalogo.*

76. *Quintò* denique. Multæ hæreses à solo Romano Pontifice extra Concilium damnatæ sunt, extinctæque, quod fieri non poterat, nisi ab authoritate infallibili & errare nescià: sicut enim fides est de re certa, & cui falsum subesse non potest, ut eleganter declarat S. Bernardus *epist. 190. ad Innocent.* ita hæresis est rei certò falsæ, & cui verum subesse non potest. Ergo sententia Pontificis, quâ declarat, opinionem aliquam esse hæreticam, omninò est certa, & infallibilis; alioquin nec declaratio erit certa, utpote ab authoritate incertâ profecta: nec id, quod declaratum est, certò ad hæresin pertinebit, cùm fieri non possit, ut à principio incerto deducatur conclusio certa, quemadmodùm si non est certum, te aquâ elementari baptizatum esse, ita nec erit certum, te verè baptizatum, & Christianum esse. Fuisse verò quamplures hæreses authoritate solius Pontificis extra Concilium Generale damnatas, dubium non est. Nam hæresin Nestorianam damnavit Cælestinus Papa anno 430. & quamvis eam S. Cyrillus priùs jam confutâsset, nunquam tamen ante Pontificis sententiam ausus est, Nestorium pro hæretico habere; uti patet ex ejusdem S. Cyrilli *ad Cælest. epist.* quæ habetur *tomo. 1. Conciliorum Venetæ edit.* Et licèt Cælestinus in eadem Nestorij causa Concilium Generale indixerit, id tamen fecit, ut turbæ in Ecclesia natæ sopirentur, atque ut Nestorij fautoribus, quos plurimos habebat, & præpotentes, omnis calumniandi, tergiversandique occasio tolleretur, ut in eo Concilio non hæresi à Cælestino prædamnatæ venia daretur, sed Nestorio tantùm, si resipisceret.

77. Hæresis Joviniani & Pelagij damnata est Romæ à Syricio Papa anno 390. ejusdemque authoritate à S. Ambrosio in Concilio Mediolanensi testibus S. Prospero *Carmin. de ingratis.* S. Hieronymo *contra Pelagium l. 2. & præfat. in Ierem. l. 4.* Hæresis Monothelitarum, & Ecthesis Heraclij Imperatoris, damnata est à Severino Papa anno 639. ut habetur *in Synodo Lateranensi*, sub Martino Papa *secret. 1. & 2.* & probat Baronius *ad eundem annum.* Propositiones hæreticæ Gilberti Pictaviensis Episcopi damnatæ sunt ab Eugenio III. 1148. Denique, ut alia omittamus, propositiones Jansenij in eo sensu, quem verba exhibent anno 1653. & 1656. ab Innocentio & Alexandro Papa ut hæreticæ damnatæ sunt, & ut tales à Gallis proscriptæ: imò ut refert Archdekinus *in Theolog. tripart. p. 1. q. 5. in fine.* ex Regis Christianissimi, & Episcopotum Galliæ desiderio Alexander VII. decrevit, ut universus Ordo Ecclesiasticus huic professioni cum juramento subscriberet: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datæ die 31. anno 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris anno 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelij Jansenij libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Agnovit ergo Gallia, totusque Ordo Ecclesiasticus, tam certam esse Pontificis Romani sententiam, ut quæ ille damnat, & pro hæreticis habet, damnari debeant, habereque pro talibus, & damnationis sententia juramento confirmari; quod fieri non posset, si damnatio certa, & indubia non esset; nemo enim jurare potest, propositionem aliquam damnabilem, aut hæreticam esse, nisi certò id credat, alioquin juramentum exponeret periculo falsi, docentque omnes tum Theologi, tum Jurisperiti.

ARGUMENTVM III.

Desumptum ex confutatione argumenti pro parte adversa ab eodem Regalis Sacerdotij Authore *cit. §. 9. n. 16.* deducti & soluti.

78. COmmunis namque omnium Doctorum sententia fert, quòd Pontifex in quæstionibus *Facti* errare possit. Ergo etiam poterit in quæstionibus *Iuris*, in fidei decretis, & generalibus præceptis morum. Consequentia probatur. Quia multa ad fidem pertinentia in *Facto* consistunt, v. g. Sacramentum Matrimonij à Christo institutum esse, Sacramenta esse tantùm septem, non plura, characterem in Baptismo impressum esse qualitatem indelebilem, quæque repeti non possit, &c. Imò in omnibus definitionibus, quæ ad fidem moresque spectant, non aliter Summus Pontifex infallibiliter à Deo dirigitur, quàm si omnem, aut saltem necessariam diligentiam rei examinandæ impendat: nec enim somnianti, temereque agenti Spiritus S. dogmata inspirat. At verò ea diligentia est *Facti*, multisque erroribus subjecta. Quid si enim non satis rem perpenderit? non doctiores, rerumque periti ad consilium revocaverit? non audierit quæ

quæ in contrarium opponebantur? uni tantùm parti aurem, non alteri præbuerit? Hæc omnia sunt *Facti*, erroremque admittunt. Ergo etiam fidei, morumque decreta, quæ ab alijs pendent.

79. Verùm præallegatus Author reponit. Quæstiones *Facti* esse duplicis generis: alia enim sunt facta, vel *immediatè* à Deo per Scripturas & Traditiones revelata, vel saltem cum revelatis connexa, qualia sunt, Christum in Eucharistia realiter existere, & panem in sacram illius humanitatem mutari, &c. In hæc error nullus cadit, cùm repugnet, Deum in quacunque re tam *Facti*, quàm *Iuris*, errore aliquo capi, aut falsum dicere, hoc est, aut ignorantem esse, aut mendacem, quæ duæ sunt falsi origines. Ad eadem facta *mediatè* revelata pertinet diligentia illa necessaria, quam in rebus fidei decidendis in Romano Pontifice desideramus: cùm enim voluerit Deus, Ecclesiam errare non posse, voluit etiam nihil ei deesse, quod vitando errori necessarium est. Et ideo Patres *sextæ* Synodi contra Monothelitas ex eo, quòd in Christo duæ essent naturæ, optimè intulerunt, duas esse voluntates, cùm voluntas sit potentia cum humana natura necessariò connexa.

80. In illis verò quæstionibus *Facti*, quæ nec *immediatè* nec *mediatè* à Deo revelatæ sunt, quæque ex testimonio, & informatione hominum pendent, negari non debet, & Concilia & Pontifices errare posse. Cùm enim fides Divina testimonio, & Verbo Dei nitatur: & vox Papæ sit vox hominis, non Dei, non potest ille, quæ nec *immediatè*, nec *mediatè* revelata sunt, pro fidei dogmatibus proponere. Quæ verò sunt *Facti*, revelata non sunt, & ideo errori obnoxia. Quod ingenuè ipsi Pontifices confessi sunt. Bonifacius videlicet VIII. *in Cap. De constitutionib.* ubi dicit: Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt *Facti*. At ignorantia est mater erroris. Errare ergo potest, qui ignorat. Et Eugenius IV. qui cùm ex certis magnisque causis Concilium Basileense dissolvisset, & ab eo acta planè irrita declarâsset per Bullam *Inscrutabilis* anno 1433. veritatem postea edoctus, per aliam Bullam *Dudum* anno 1434. quæ priùs constituerat, revocat, non quia Concilium dissolvere non poterat, sed quia ex non veris causis, ut postea apparuit, id egerat. Extant Bullæ Eugenij in actis Concilij Basileensis *Sess 16.* & videndus est Raynaldus *ad annum 1434. n. 5.* Denique, qui Honorium I. ab hæresi absolvunt, sunt verò quàmplurimi, ij etiam negare haud possunt, & in Pontifices, & in Concilia errorem cadere, ab utrisque enim hæresis damnatus est, ejusque memoria, tanquam hominis hæretici profligata. Ex occasione hujus tum objectionis contrariæ, tum redditæ responsionis, duxi perquàm utile, ut hic expendatur; *Si pro aliqua seu fidei, seu morum definitione occurrant variæ circa ea, quæ Facti sunt, quæstiones; quomodò Pontifex circa illas se habeat?*

CONCLUSIO.

81. IN definitionibus fidei, seu morum, si super ijs, quæ *Facti* sunt, intercurrant quæstiones, Pontifex ex Cathedra Apostolica decernens à Spiritu sancto dirigitur, ut super ijs formet prudentiale judicium supernaturale, sub quo fiat reductio ad universale aliquod fidei principium.

Explicatur ex canonizatione Sanctorum, quæ *formaliter* importat prudentiale *practicè* certum credibilitatis judicium, sub quo circa Sanctum ab Ecclesia canonizatum fit reductio ad universalia fidei principia, tum de Sanctis colendis, & invocandis, tum de gloria cælesti in gratiæ statu decedentibus, Divinitus constituta, in quo adeò Summi Pontificis prudentiali ad fidem reductionis cunctos fideles constringente judicio, non potest subesse error.

Probatio hujus explicationis confirmatoria.

80. QUamvis enim processus canonizationis circa vitam & miracula Sancti canonizandi, nitatur testimonijs humanis, iste tamen processus tendit ad hoc, ut per miracula & virtutum argumenta ostendatur Sanctus sic canonizandus contineri sub istis universalibus fidei principijs: quòd nempe quisquis decedit in gratiæ statu, sit in sorte Sanctorum, æternæ gloriæ consors, pretiosæ mortis suæ pondere præpotens in conspectu Dei Patronus, sitque adeò dignus tali veneratione Sanctorum, atque patrocinium implorantibus præstò sit ad Deum pro ipsis precandum in ijs, quæ saluti fidelium sunt conducibilia. In cujusmodi adeò fidei principiorum ad hunc Sanctum in particulari applicatione, præinsinuata testimonia humana se habent solùm *Materialiter*, & *instrumentariè*, quatenus Spiritus sanctus juxta Divinæ promissionis efficaciam, in particulariù ad universalia fidei principia reductione, infallibiliter assistens, sub argumentis illis, de se tantùm probabilibus, affulgere facit lucem, sub quâ stet infallibilitas judicij, particularium ad fidei principium universale applicatorij. De quâ proinde Spiritûs sancti erga Ecclesiam, in particularibus ad fidei principia universalia reducendis, atque decreto aliquo universam Ecclesiam constringente, firmandis assistentiâ, assecurati fideles, certum ac fixum inde habent credibilitatis argumentum, per quod sub *practicâ* infallibilitate redduntur securi, particulare sub fidei universali principio circumscriptum, quatenus ab Ecclesiâ *definitè* jam extat propositum, credi posse sub revelationis Divinæ motivo *formali*, universalis illius fidei principij terminis contento.

Objectio.

83. EX parte adversa opponi potest. Illius argumenti vim ac efficaciam non extendi saltem ad beatificationem Sanctorum, cùm in hac non interveniat definitivum Ecclesiæ judicium, sed ejus duntaxat tolerantia. Anne igitur fas sit, dicere, Ecclesiam, seu Pontificem Summum posse permittere authoritate suâ errorem prorsus intolerabilem, ut colatur & invocetur tanquam Sanctus, qui reipsâ Sanctus non est?

Responsio.

84. VErùm duplex est genus argumentorum, prudentialem credibilitatis evidentiâ super aliquo fidei articulo vel *formaliter*, vel *virtualiter* revelato fundantium. *Alterum* nempe est constringens, velut definitivum ex canonizatione subsistens super alicujus sanctitate judicium taliter est reductivè ad generale Divinitus revelatum, de Sanctis in gratiæ statu decedentibus gloriâ cælesti condecoratis, cultu Duliæ colendis & implorandis, principium, ut saltem *quoad specificationem* inducat obligationem, ita quòd nefas foret, negare talis Sancti cultum & invocationem. Cujusmodi adeò credibilitatis ex definitivo Ecclesiæ judicio subsistenti argumento inest non solùm *practica* etiam supernaturalis certitudo, virtutis religionis in ordine ad Sanctum hunc in particulari cultu Duliæ venerandum & invocandum *directiva*, sed sub omnimodâ insuper infallibilitate, tantam voluntati, piæ ad credendum affectionis habitu supernaturali instructæ, adfert prudentiæ infusæ lucem, ut sub ista imperare possit fidei assensum super hujus sanctitate, veneratione Duleuticâ, piâ que invocatione ex illius generalis revelationis Divinæ motivo præstandum.

85. *Alterum* proinde argumentorum credibilitatis evidentiam prudentialem fundantium genus est solùm probabile, super quo per specialem Spiritûs sancti illustrationem internam ita strui potest prudentiæ quoque infusæ lumen, ut non solùm religionis virtuti supernaturali erga objectum taliter repræsentatum locus esse queat, sed sub quâpiam licèt merè probabili, ad generale Divinitus revelatum principium reductione, possit fidei quoque assensus intervenire, dum tamen ejusmodi probabilitas per Spiritûs sancti elevationem ad *moralis* in lineâ supernaturali certitudinis lineam traducta, est *realiter* contenta sub generali Divinâ revelatione, ex cujus motivo præstandus est hujusmodi fidei assensus. Sic proinde Ecclesiæ sanctæ circa alicujus sanctitatem, venerationemque Duleuticam ac imprecationem, per beatificationem ratificata tolerantia supponit probabilitatem, sub certitudine *morali* non tantùm nata dirigere virtutem religionis, sed apta etiam inducere ad piæ credendi affectionis imperium supernaturale, ex quo fidei assensus procedere valeat, dum tamen in rei veritate hominis taliter beatificati sanctitas, atque adeò venerationis Duleuticæ capacitas, contineatur sub præinsinuato de Sanctis gloriâ cælesti condecoratis, cultuque Duleutico venerandis ac religiosè implorandis principio Divinitus revelato; uti pluribus ostensum fuit in nostra Theolgia.

PROBATIO II.

Quâ testimonijs Summorum Pontificum ostenditur, in quæstionibus fidei certissimum esse Papæ judicium.

HUjus argumenti texturam ex præfati Authoris *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 12.* depromptam hìc ob oculos ponere placuit. Si Summorum, inquit, Pontificum, tanquam in propria causa loquentium, rejicienda esset authoritas, nec eorum dignitatis, sanctitatis, aut meriti habenda esset ratio, pari, vel potiori etiam ratione reculari posset Concilium Constantiense, cujus decretis, ut *alibi* examinata sunt, nititur hæc propositio, cùm in propria etiam causa loqueretur. Verùm nefas est, de illis præsertim, qui sanctitate ac doctrinâ perspicui fuerunt, suspicari, eos propriæ dignitatis augendæ causâ doctrinam inducere voluisse, quæ, si erronea esset, totius religionis Christianæ fundamenta concuteret.

Sanctus Innocentius à S. Augustino, & ab alijs Patribus tantoperè commendatus *ep. 25. ad Episcopos Mileuitani Concily anno 417.* Romanam Ecclesiam, ut fidei fontem perenniter fluentem exhibet: *Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmâstis, scientes, quòd per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant, Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.* Notentur hæc verba, *nonnisi ad Petrum*, ad quem fidei quæstiones referuntur, dum referuntur ad ejus successorem. Quia nimirum sicut officio, sic & fidei firmitati officio necessariæ, succedit.

Relationes olim ad sanctam Sedem ex omnibus Christiani orbis provincijs, præsertim ex Gallia fieri solitas fatentur Galli: sed forsan responsiones non esse irreformabiles existimant. Contrarium S. Innocentius sentiebat, quandoquidem *epist. ad Episcopos Macedoniæ* à Dionysio Exiguo cum alijs collectâ, injuriæ adversùs sanctam Sedem tribuebat, quòd *secundò* consuleretur, quasi ejus sententia in dubium revocaretur. *Adverti*, inquit, *Sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur.* Hanc etiam exceptionem excludunt multi Doctores, quorum testimonia *supra* reddita sunt, ut in eis observare licuit.

San-

89. Sanctus Cælestinus Legatos mittens in Orientem, ipsis contendere prohibuit, præcepit verò de aliorum sententijs judicare: quâ jussione significabat, non esse ab Episcopis expectandum consensum, ut esset irreformabile Papæ judicium, sed per ipsius judicium, & per instructionem ab eo datam componenda, atque ad unitatem redigenda variè sentientium Episcoporum suffragia. *Ad disceptationem, si fuerit deventum, vos de eorum sententijs dijudicare debetis, non subire certamen.* Commonitor. Cælest: apud Christianum Lupum *ad Ephes. Concil. varior. Patr. epist. cap. 236.*

90. Sancti Leonis Magni testimonium protulimus *cap. 3.* Sed Launoius, ut illi vim detrahat, *par. 5. epist. 2.* illud de sancto Petro tantùm, ac pro tempore Passionis duntaxat interpretatur, malæ fidei accusans Bellarminum, quòd omiserit eam partem, in qua Passionis fit mentio. Sed cadit hæc accusatio, si reddatur pars alia testimonij, quam Launoius ipse omisit, & in qua sermo fit de tempore post Passionem. Sequitur enim: *Cùm itaque dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium Divinitus institutum, rationabiliter & justè Ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Iesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu confirma fratres tuos; & cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mysticâ insinuatione ter dixit: Pasce oves meas: quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans.* Non enim Christus post Passionem Petro commisit oves suas, ut tempore Passionis eas pasceret; nec de illo tantùm tempore intelligi possunt hæc verba: *Quod nunc procul dubio facit, &c.* At, inquies, facit hoc Petrus *cohortationibus suis, & orationibus.* Ita est; sed facit etiam, quia, ut idem S. Leo dicit *in serm. 2. in Anniversario assumptionis suæ ante medium*, in Romano Pontifice *omnium Pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ovium custodiâ perseverat, & ejus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Non est autem inutilis propositio Bellarmini de S. Leonis authoritate, etiamsi partem tantùm attulerit, nec quæ ex illa consequuntur, expresserit; quia scilicet cùm ex verbis, quæ recitaverat, sequeretur, potestatem S. Petro collatam, tanquam supremo Pastori, & ut fratres confirmaret; in promptu erat unicuique concludere, eâdem potestate muniri, qui eidem officio à Domino præponitur.

91. Sancti Agathonis etiam testimonium jam reddidimus, sed multiplici telo Launoius illud impetit. *Primò* distinguens *Apostolicam Christi Ecclesiam*, (id est, Romanam, de qua, ut fatetur Launoius, loquitur Agatho) à Romano Pontifice. Sed, ut jam *alibi* insinuavimus, inutilis est distinctio. Sufficit enim, ut non errandi privilegium Ecclesiæ Romanæ concedatur. Planum est enim, illud à Pontifice in Clerum derivari, idque verba ipsa Evangelij ab Agathone recitata ostendunt: *Ego autem rogavi pro te, &c.* Adde, quòd ad propositum nostrum satis est, ut Pontificis judicium certum sit, antequàm universæ Ecclesiæ consensus accesserit. *Secundò* distinguit Launoius jus à facto, notatque, quòd Agatho *quæstionem* Facti, *non* Juris *tractat, cùm ait: Apostolica Christi Ecclesia, id est, Romana, à tramite Apostolicæ traditionis nusquam errâsse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravatata succubuit.* Benè quidem Launoius, si ibi sisteret Agatho, (sed causam continuò affert, quæ *Ius* validiùs, quàm *Factum* adstruit. Prosequitur enim: *Quia dictum est Petro: Simon, ecce Sathanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse, cunctis est agnitum.* Tertiò Launoius circa hæc ultima verba notat; *Agathonem indefinitè scribere: Apostolicos Pontifices Prædecessores confirmâsse fratres suos: sed definitè non scribere, Apostolicos Pontifices Prædecessores omnes confirmâsse fratres.* Sed nónne juxta regulas Dialecticæ propositio indefinita de facto circumstantijs non limitato, æquivalet universali? At, inquit Launoius, multi Pontifices secus fecerunt. Utrùm aliqui præcepto implendo defuerint, sive defectu spei consequendi fructûs, sive etiam per negligentiam, quæstio est de facto nequaquam juri præjudicans. Sufficit, ut Pontifices præceptum sibi à Christo impositum de confirmandis fratribus scientes, regulariter, & ordinariè illud cum authoritate, sæpe cum utilitate præstiterint. Sancti Gregorij testimonium jam retulimus.

Nicolaus I. *in epistola ad Michaelem Imperatorem* privilegia sanctæ Sedi in persona B. Petri à Christo collata immota semper futura esse constanter affirmat, inter quæ illud sinè dubio præcipuum est, ut vacillantes in fide confirmet, quemadmodùm fecerat S. Leo erga Concilium Ephesinum *secundum. Quomodò*, inquit, *non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis? Quomodò in Ephesino Latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est; Vicit Leo de tribu Iuda; Divinitus excitatus, os aperiens totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret; Religio Catholica penitus nũ corruisset?* Et inferiùs; *Cùm Ecclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in B. Petro firmata in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus servata, & à sanctis Universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valeat amovere conatus: & quod Deus statuit, firmum validúmque consistit, &c.* 92.

Parciùs de privilegijs Ecclesiæ Romanæ Nicolaus, quàm ad eum scribens S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus epistola lecta est *in act. 3. octavæ Synodi*, & in qua tum Petri dignitatem, & potestatem, tum ad 93.

succes-

successores transmissionem luculentissimè profitetur his præcipuè verbis : *Dixit Petro Magno, & summo Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et iterum: Tibi dabo claves Regni cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis : & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Tales enim beatas voces non secundùm quandam utique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant Summi Pastores, & Divinissimi sacrique Pontifices Senioris Romæ, transmisit. Et ideo ab olim, & prisco tempore in exortis hæresibus, & prævaricationibus Eradicatores & Interemptores malorum zizaniorum, & labefactorum, & penitus insanabiliter ægrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem, & summam Paternitatem tuam illi præcesserunt, scilicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundùm Christum est, imitantes.* Quibus verbis non solùm B. Petri, sed & successorum ejus authoritas explicatur. Si quis eorum ponderi aliquid detractum velit, quòd eo tempore scripta sint, cùm S. Ignatius Romani Pontificis ope indigeret, animadvertat, sanctum esse, qui scribit, adeoque in rebus tanti momenti ab adulatione remotum : non illum duntaxat Patriarcham Constantinopolitanum ad beati Petri Sedem confugisse : epistolam ejus in Concilio Generali lectam ab aliquo improbandam fore, si quid Episcopo Romano concessisset in præjudicium Concilij Generalis.

94. Quod argumentum multò efficacius evadit, si animadvertatur plures epistolas, ejusdem authoritatis facientes mentionem, perlectas, & similia elogia in favorem Romani Pontificis ab Episcopis, à Legatis, vel à Pontificibus ipsis prolata, contradicente nemine, fuisse. Quod jam de Legatis Cælestini in Concilio Ephesino notavimus, de epistola Agathonis *in sexta* Synodo recitata, alijsque nonnullis. Id, si semel, aut bis tantùm contigisset, inadvertentiæ tribui posset; sed quomodò fieri potuisset, ut tantus Præsulum numerus toties rem adeò insignem inattentâ mente audisset?

95. Quæ circa testimonia sanctorum Leonis I. & Agathonis adversùs Launoij objectiones notata sunt, valent etiam adversùs ea, quæ Nicolai I. modò adductis, & Leonis IX. *cap. 3.* relatis, & ex parte etiam Innocentij III. mox exscribendis verbis opponit.

96. Sed repetendum est testimonium S. Leonis IX. ut ex ejus altero ejusdem Sancti collatione clarior fiat adversùs Launoium ejus sententia. Igitur S. Leo IX. qui ab alijs VIII. tantùm numeratur, anteà Episcopus Tullensis, indefectibilem Romani Pontificis fidem Christi oratione impetratam non potuit luculentiùs explicare, quàm his *epist. 5.* quæ est ad Petrum Antiochenum, verbis : *Nimirum solus est ille* (Petrus) *pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus, & Salvator asseruit se rogâsse dicens : Simon Simon ecce sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in thronis ejus, usque in sæculum sæculi : sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

Vox illa, creditur, etsi, quando est de fide Divinâ sermo, assensum omninò firmum significet, cùm tamen de opinione humana dicitur, dubitationem plerumque, aut suspicionem de contrario innuit, quòd nimirum solus Deus erroris & fraudis expers sit. Itaque, ne quis se in *secundo* sensu vocem illam interpretetur, afferendus est alius locus ex epistola prima ejusdem sancti Pontificis, ubi omni cum securitate, ac firmitate loquitur, ac mirum in modum explicat verba Christi toties laudata. *Taliter*, inquit *cap. 6. epist. 1. sancta Ecclesia super Petram, id est Christum, & super Petrum, vel Cephan filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata; quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic politetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcunque sunt vera; portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, cujus promissionis effectum se peculiùs impetrâsse à Patre, idem filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon ecce sathanas, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audet in aliquo vacuam putare?* Audi jàm, quantâ cum constantiâ privilegium B. Petri ad Successores transijsse continuatâ omnium temporum experientiâ confirmet. *Nónne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum, quàm per successores suos reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, nec deficiet usque in finem, sunt confirmata.*

Launoius hanc authoritatem elidere duplici præcipuè ratione molitur. *Primâ* interpretando eam de Ecclesia universali. Sed quàm sit consona textui glossa, judicet, quicunque latinam linguam intelligit. Convenit quidem Ecclesiæ universæ firmitas, de qua Leo in principio loquitur, sed specialiter Ecclesiæ Romanæ aptatur, quia scilicet ab ea in alias derivatur. *Secunda* Launoij responsio est, verum non esse, quod ait Leo, à Petri Sede commenta hæreticorum omnium expugnata esse; quod inductione nititur demonstrare; quasi posset Launoius scire, an non intervenerit authoritas S. Petri, aut successorum ejus, sive in principio, sive in progressu profligationis hæresum. Et interveniisse de facto contra nonnullas earum, quas enumerat, si opus esset, ex certis documentis demonstraretur, v. g. contra Pauli Samosateni, contra Eunomij, & aliorum errores, ex S. Athanasij *epist. ad Orthodoxos*, Theodoreto *Eccles. hist. lib. 5. cap. 8. 9. 10. & 11.* libello Synodico extante *in tomo 2.* Juris Canonici veteris Christophori Justelli, Photio *de Synodis*, & *epist. ad Michaelem Bulgariæ Principem cap. 2.* Epist. Damasi

masi *ad Paulinum Antiochenum in collect.* Rom. Holstenij *par. 1.* & P. Labbe *tom. 2.*

99. Leonis testimonium confirmat his verbit Gregorius VII. *in lib. 8. epist. 1.* quæ est ad Simandensem Archiepiscopum: *Quæ* (Ecclesia Romana) *per B. Petrum, quasi quedam privilegio ab ipsis fidei primordijs à sanctis Patribus omnium Mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem semper habebitur, in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Iesus: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Hunc locum profert Launoius, ut verba illa, *Ego rogavi pro te*, ostendat, non de solo Romano Pontifice, sed de Ecclesia Romana esse accipienda. Sed patet, sanctum illum Pontificem hoc privilegium Ecclesiæ Romanæ eâ tantùm de causâ tribuere, quòd illi Petri successor præsit. Hoc significat particula illa, *enim* Ideo enim Ecclesia Romana est mater omnium aliarum, quia ei nunquam præfectus est, neque præficietur hæreticus. Ideo non est præfectus, neque præficietur hæreticus, quia Dominus rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus, scilicet neque in ipso, neque in ejus successoribus.

100. Superfluum esset, posteriorum Pontificum hâc de re testimonia proferre, cùm nemo dubitet, eos suum in fidei quæstionibus judicium irreformabile æstimâsse. Unicum igitur duntaxat adducam, scilicet Innocentij III. qui verba Innocentij I. quæ principio retulimus, interpretabitur, si tamen cuiquam possunt videri obscura. Igitur Innocentius III. *in epist. ad Episcopum Arelatensem* docet, majores causas, & præsertim, quæ ad fidem pertinent, ideo ad Romanum Pontificem esse perferendas, quòd indefectibilis sit ejus, ut Petri, fides. *Majores*, inquit, *Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei ad Petri Sedem referendas* intelligit, qui novit, pro eo Dominum exorâsse, *ne deficiat fides ejus.*

101. Notat Launoius, *Innocentium non dicere id, quod ad Sedem Apostolicam judicandum refertur, ibi certò, & sinè ullo erroris periculo judicatum iri.* Quid igitur sibi volunt illa verba, quæ rationem continent, cur causæ fidei ad Petri Sedem referendæ sint; *Dominum exorâsse, ne deficiat fides ejus? Nam si certò & sinè ullo erroris periculo judicatum non erunt, Dominus* quidem oravit, sed non *exoravit.* Exorâsse autem Innocentius, & plures alij affirmant. Apertiùs mentem suam explicat Innocentius *serm. 2. in consecrat. Pont. Max. Nisi enim ego solidatus essem in fide, quomodò possem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere; Domino protestante: Ego inquit, pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Rogavit & impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia.* Et ideo *fides Apostolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum.* Jam etiam *supra* vidimus, Innocentium I. ægrè tulisse, quòd sancta Sedes super ijsdem quæstionibus secundò consuleretur, quasi non esset indubitata *prima* ejus sententia.

Agnoscunt omnes, etiam Gallicani, hujus relationis necessitatem, cujus tot leguntur exempla Episcoporum sanctitate insignium, præsertim suæ nationis jàm à primis sæculis, ut S. Victricij Rotomagensis, S. Exuperij Tolosani, S. Cæsarij Arelatensis; & aliorum circa disciplinam; aliorum circa fidem, & mores, ut jàm olim S. Leo Magnus ad Episcopos provinciæ Viennensis scripserit: *Noluimus itaque fraternitas vestra recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris rationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodùm vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.* Sed unde oritur illa necessitas consulendæ sanctæ Sedis in causis majoribus, præsertim articulos fidei contingentibus, nisi ex eo, quòd pro Petro Dominus exoraverit, ne deficeret fides ejus, ut inquit Innocentius III. ac plures alij jam citati? Quisnam autem ex tot antiquis Episcopis Gallicanis, hujusmodi causas ad Apostolicam Sedem referentibus, exilimavit reformandum, aut reformabile esse illius judicium? 102.

DISQUISITIO VI.

Expenduntur, quæ Ludovicus Ellies du Pin *in sua circa antiquam Ecclesiæ Disciplinam Dissertatione quinta* adfert adversùs Romani Pontificis in rebus Fidei infallibilitatem.

Ellesius in suæ præsentis Dissertationis quintæ Præloquio *sequentia fuit præfatus.* Primò. *Cùm ea communis sit omnium hominum conditio, ut multis ac variis erroribus sint obnoxij; nullum præstantius mortali cuiquam munus à Deo concedi potest, quàm ut aliquibus in rebus falli non possit, præsertim verò in ijs, quorum cognitio, licèt necessaria, rationis tamen viribus haberi non potest. Hinc nullum majus Romanis Pontificibus privilegium tribui potuit, quàm certum & infallibile in rebus fidei definiendis judicium. Sed quo majus & excellentius est istud donum, eò diligentiùs cavendum est, ne illud temerè ac sinè fundamento ipsis adscribamus: nam præterquàm quòd indignum est, alicui authoritatem eam, quæ ipsi non competit, tribuere, nihil magis periculosum, quàm eum, qui possit errare, infallibilem credere: si enim contingat, eum de facto errare, necessariò in errorem ducuntur, qui eum deficere minimè posse arbitrantur, cùm ei authoritati, quæ putatur infallibilis, adhærendum omninò sit. Igitur Romani Pontificis infallibilitatem credere nemo debet, nisi tam perspicuè demonstretur, ut nullus dubitationi superstit locus. Nam nisi omninò certum sit, eum esse infallibilem, qui potest ejus judicium pro certo & infallibili haberi? Quippe si probabile tantùm est, Pontificem esse infallibilem, potest id etiam esse falsum; quòd si falsum id esse potest, potest in particulari judicium quodlibet Papæ esse falsum.* 1.

Quomodò ergo dicetur infallibile judicium, quod potest esse falsum? Itaque qui Pontificis defendunt infallibilitatem, tenentur apertissimè demonstrare, istud privilegium ei à Deo concessum esse, hoc autem aliter probare non possunt, quàm ex Scriptura & traditione: quare si ex neutro capite palàm & apertè id ostendant, actum est de illâ infallibilitate Pontificiâ.

2. Secundò. *Quòd ij, qui Pontificis Romani infallibilitatem propugnant, non id sibi volunt, Romanos Pontifices prorsus & quocumque in casu esse infallibiles: imò fatentur, eos non secùs ac cæteros mortales sæpe errare ac decipi; sed tunc eos errare non posse perhibent,* cùm ex Cathedra *loquuntur, quæ vox antiquis omnibus Theologis hoc in negotio ignota, à recentioribus est excogitata.*

3. *At quamvis omnes infallibilitatis Pontificiæ assertores de ea conveniant, in ejus tamen sensu assignando multùm à se invicem discrepant: quibusdam loqui* ex Cathedra, *idem est ac cum Concilio loqui; sed isti non tam videntur infallibilitatem Pontifici tribuere, quàm Concilio. Alijs* ex Cathedra *loqui, idem sonat ac secundùm Scripturam & traditionem loqui; quæ quidem expositio nihil magis tribuit Pontifici, quàm cuilibet alij; certum enim est, eum non errare, qui secundùm Scripturam & traditionem loquitur: sed illud quæritur, quomodò, & an certò sciri possit, Pontificem secundùm Scripturam & traditionem loqui? Quod si cuilibet examinare liceat, ruit profectò infallibilitas illa Pontificia. Alij sic explicant illud* ex Cathedra *loqui, ut idem sit ac loqui, re maturè & diligenter examinatâ. Vulgatissima expositio verborum istorum, quam Cajetanus, Bellarminus, Duvallius, & alij subministrant, hæc est, Pontificem loqui* ex Cathedra, *cùm circa fidem, aut bonos mores Ecclesiam docet, sed nec ista nodum planè solvit; ulteriùs enim quæritur; unde cognoscatur, utrùm Ecclesiam doceat universam, an verò, ut privatus loquatur. Hîc eis aqua hæret; quidam dicunt, Pontificem tunc censeri Ecclesiam docere, cùm Decretalem condit, alij, cùm consultus respondet; nonnulli, cùm Bulla ejus certo tempore ad valvas S. Petri affixa est, quo nihil ineptius dici potest. Cæterùm inde colligitur, quanta sit eorum, qui Pontificem Romanum infallibilem esse docent, in suâ opinione tuendâ anxietas & inconstantia, ex quæ de ejus falsitate præjudicari quodammodò potest. Enimverò ut certi esse possimus de infallibilitate judicij alicujus à Romano Pontifice lati, debemus habere certam regulam, per quam manifestè cognoscamus, hoc illorum de numero esse, quæ necessariò infallibilia sunt; at nondum de ejusmodi regulâ convenit inter eos ipsos, qui Pontificem infallibilem esse prædicant, sed hi quidem unam, alij verò aliam conditionem ad certitudinem alicujus judicij Pontificij requisitam esse contendunt, ac proinde necesse est, judicium illud in dubium ab aliquibus revocari, quod ab alijs pro certo & infallibili habebitur.*

4. *Quomodò ergo quisquam potest esse certus, hoc vel illud judicium de numero infallibilium esse, cùm secundùm aliquos in dubium revocari possit, secundùm alios de eo dubitare, sit nefas: ergo hîc ἐποχὴν oportet, & neutrum judicium pro infallibili habere. Sed his præmissis, Romanos Pontifices aut solos, aut cum suâ Romanâ Synodo, etiam cùm* ex Cathedrâ *loqui perhibentur, in judicando falli posse, ostendamus.*

Ad hoc autem sufficeret, adversæ opinionis argumenta refellere, quia ipsorum est (ut observavimus) probare ex Scriptura, & traditione, Pontificem Romanum inerrantiæ privilegio gaudere: quapropter nobis satis esset, argumenta, quibus suadere conantur, inania demonstrare, nec opus foret, rationibus & exemplis docere, Pontifices in definiendo errare posse, & de facto erravisse; sed quia non nocet (ut loquuntur) abundantia cautis, utrumque nos, Deo dante, præstabimus. b

Hæc per Elliesium asserta in ipso equidem hujus Disquisitionis decursu refutabuntur, consultum tamen ducimus, in fine illius subnectere Corollarium, in quo summaria eorum Elliesianorum *in Prælogio* adductorum discursuum, Papam qua *ex Cathedra* loquentem complectentium, exhibebitur confutatio. c

§. I.

Expenduntur Elliesij argumenta contra infallibilitatem Romani Pontificis desumpta ex sacris Litteris, veterisque Ecclesiæ disciplinâ.

ARGUMENTUM I. Elliesij.

ROmanum Pontificem non esse infallibilem, I. nititur hic Theologus probare *ex Galat. 2. v. 14.* ubi Petrus à Paulo reprehensibilis fuisse perhibetur, acculaturque ab eodem, quòd non rectè ad Evangelij veritatem ambularet, quódque gentes authoritate suâ ad judaizandum impelleret. Jam verò si potuit Petrus adversùs veritatis regulam, quam posteà Ecclesia secuta est, cogere gentes ad judaizandum (ut observat Augustinus) cur non poterunt Petri successores contra veritatis regulam aliquid aut docere, aut faciendum præscribere? Hæc verò ratio non à nobis primùm inventa est, sed ab Augustino centies inculcata: is enim ex hoc loco sæpiùs concludit, nullum omninò Episcopum, nollam Synodum Provincialem esse infallibilem. Sic *lib. 2. de Baptismo cap. 1.* ita ratiocinatur. d

Si quisquam nunc cogat, circumcidi aliquem more Iudaico, & sic baptizari, multò amplius hoc detestatur genus humanum, quàm si aliquis cogatur rebaptizari, quapropter cùm Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigitur .... quanto facilius & fortius, quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi authoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum est. Ante Augustinum verò Cyprianus idem ex isto Apostoli Pauli facto intulit *in epist. ad Quintum*; *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione postmodùm disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arrogantèr assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi patiùs oportere, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, ut nos pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, nostris potiùs*

duxe-

ducamus. Ex quibus conficitur, exemplo Petri doceri Episcopos omnes, nullo excepto, in errores prolabi posse, & ab alijs emendari.

Responsio.

3. PRiusquàm respondeatur, ob oculos ponenda est distinctio à S. Augustino *lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 51.* tradita inter officium Pastorale Cathedræ Apostolicæ seu Romanæ, ac personam in ista Cathedra sedentem. In vi cujus distinctionis, teste eodem S. Augustino ita res se habet, ut errores ac vitia personæ Romanam Sedem obtinentis nullatenus redundent in Cathedram Apostolicam Romanæ Ecclesiæ. Quamvis igitur aliqui Scripturarij sentiant, Petrum non tam in seipso, quàm ex alieno rei veritati dissono judicio *Galat. 2.* fuisse reprehensibilem: hoc tamen sepositò, & admisso, alicui Petrum in Legalibus obtrudendis culpæ, seu indiscretioni non tam mortiferæ, quàm veniali extitisse obnoxium: uti hæc *alibi* à nobis discussa liquent. Nihilominùs hac de re non ex Cathedrâ suâ Apostolicâ sanxerat aliquod Dogma, sed in Facto duntaxat personæ suæ propriæ reatum contraxit, velut Divi Augustini ab Ellieſio *superiùs* allegata verba clarè insinuant, utpote qui non ex Dogmate falso redarguebatur, nec adeò quâ docens ex Cathedra sua, sed quâ faciens Judaico more baptizandos circumcidi, fuerat à Paulo posteriore correctus.

4. Ex quâ proinde *quoad Factum suum personale*, non verò *quoad Dogma ex Cathedra definiendum* Petri errabilitate, infert *præcitatus* sanctæ Ecclesiæ Doctor id, quod *per universæ Ecclesiæ statuta est firmatum*, utique præferendum unius Episcopi authoritati, vel unius Provinciæ Concilio, utpote perinde obnoxio errori, ac Petrus quoad Factum ex propriâ ipsius personâ promanans errare potuerat: qui tamen error secundùm eundem Augustinum ejus Cathedræ Apostolicæ nullatenus fuerat imputandus.

5. Hanc igitur sui ex propriâ personâ in Facto, non verò ex Cathedra Apostolica in Dogmatis sanciendi jure errabilitatem agnovisse, inducitur Petrus à Cypriano *in Epist. ad Quintum* asseverante, quòd correptus à Paulo haud vindicârit sibi, ut diceret, *se Primatum gerere*, sibique potiùs à novellis & posteris obtemperandum esse, quippe cùm probè sciverit, se in Facto illo non ex primatûs sui Cathedrâ Apostolicâ, sed ex propriâ suâ personâ prodeunte, errori obnoxium fuisse.

ARGUMENTUM II. Ellieſij.

6. IN hoc sit prioris argumenti continuatio, illationisque, per quam S. Augustinus ex errore Petri argumentabatur ad Concilij Provincialis errabilitatem, exinde fit extensio ad Romanorum quoque Pontificum errabilitatem juxta Pelagij II. ad Istriæ Episcopos epistolam hisce verbis conceptam. *Debet, inquit, perpendere vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum in hac causa (trium capitulorum) consensus tantò post inanis non fuit, quantò prius duris contradictionum laboribus insudavit: sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat, diu quippe restitit, ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sinè circumcisione reciperet: diu se à conversarum Gentium communione subtraxit, Paulo attestante, qui ait, cùm venissem Antiochiam, in faciem ei restiti &c. qui tamen ab eodem Paulo postmodum ratione susceptâ, dum quosdam conspiceret, qui Gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandæ circumcisionis onerarent: dicit, cur tentatis Deum, imponentes jugum cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Nunquid, fratres dilectissimi, Petro Apostolorum Principi sibi dissimilia docenti, debuit ad hæc responderi? Hæc, quæ dicis, audire non possumus, quia aliud ante prædicâsti. Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventâ veritate, dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quam cuncta Ecclesia in ejus authore veneratur?*

Responsio.

OPortuisset, Ellieſium in eo Pelagij II. discursu advertisse distinctionem illam, quâ is Pontifex talem fecerat conclusionem: *Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud, cùm veritas quæreretur, aliud autem, inventâ veritate, dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quam cuncta Ecclesia in ejus authore veneratur?* En proinde quàm sedulo discernere oporteat tempus inquisitionis circa veritatem indagandam. Sub cujusmodi profectò disquisitione, utpote definitivæ sententiæ præviâ, necdum loquitur Papa ex Cathedrâ suâ Apostolicâ, sicque adeò mutabilitati sententiarum in ipso etiam Pontifice adhuc locus esse potest. At ubi inventâ veritate, fit decretoria hujus definitio, quam in ejus authore (Papâ scilicet ex Pastoralis erga Universalem Ecclesiam officij Cathedrâ Apostolicâ decisoriè loquente) veneratur cuncta Ecclesia: nequit jam Pontifex obnoxius esse errori, quin iste redundaret in sanctam Ecclesiam, Apostolo Paulo teste, veritatis columnam ac firmamentum. 7.

ARGUMENTUM III. Ellieſij.

PErgit ille Parisiensis Theologus 3. prætendere, illud non errandi privilegium, quod Romano Pontifici tribuitur, per decem & ampliùs sæcula fuisse ignotum. Non enim pauca etiam de fide olim lata sunt judicia inconsulto Romano Pontifice, nec habitus est ille summus controversiarum judex: sed sæpe sæpius judicia ab ipso lata in Concilijs præsertim Oecumenicis, iterum examinata & retractata sunt: jam verò si extra controversiam tunc fuisset Romani Pontificis infallibilitas, an credibile est, cæteros Episcopos quidquam judicaturos fuisse absque illius consensu & authoritate, aut aliquid ab ipso judicatum 8.

tum retractaturos fuisse? Nam posito, quòd infallibile sit aliquod judicium, absurdum est, causam in eo terminatam iterum examinare & judicare. Quid ergo necesse erat, totius orbis Episcopos fatigari? Quid opus, Ecclesias Pastoribus orbari ad cogenda Concilia, quorum judicium non pluris fieri deberet, quàm unius Romani Pontificis? Nam è duobus infallibilibus judicijs, unum pluris altero fieri non potest, nec duo infallibilia judicia maiorem habent authoritatem, quàm unum; quod enim infallibile est, omnem omninò meretur fidem, nec quidquam huic certitudinis ex illo judicio, licèt infallibili, accedit.

9. Verùm id argumentum, quod ineluctabile est, majorem etiam lucem accipit ex his controversijs: quas nonnulli Episcopi maximè Catholici cum Romanis Pontificibus habuerunt. Nam si Romani Pontificis infallibilitas in judicando ab omnibus Catholicis tùm fuisset agnita, cæteri Episcopi Catholici illius procul dubio judicio cessissent, & ab eo dissentire, nefas esse duxissent: sic verbi gratiâ, si tempore Victoris Romani Pontificis judicium infallibile habitum fuisset, ei non resistitissent non modò Asiatici, sed nec Irenæus, & cæteri orbis Episcopi, qui in illorum communione contra Romani Pontificis sententiam permanserunt. Similiter si tempore Stephani compertum fuisset, Romanum Pontificem errare non posse, Cyprianus & Africani Præsules, nec non Dionysius & alij Orientis Episcopi in Stephani sententiam pedibus ivissent, nec disciplinam suam contra ejus authoritatem mordicùs retinuissent: & certè S. Augustinus hac de re agens, supponit eos, illæsâ fide & charitate, à Stephano dissensisse, quia res nondum fuerat supremo judicio & infallibili determinata. *Fuit*, inquit, *lib. 2. de Bapt. c. 5. aliquando de Baptismo dubitatio, qui diversa senserunt, in unitate manserunt, ea dubitatio procedente tempore, perspectâ veritate, sublata est.* Jam verò si Romani Pontificis judicium tempore Augustini fuisset indeficiens, nónne Stephani judicio veritas perspecta, & sublata quæstio dici debuisset?

10. Denique ut alia mittam, tempore Basilij Magni judicium Romani Pontificis, etiamsi cùm Episcopis Occidentalibus sentiret, non habebatur infallibile. Nunquam enim ille (Basilius) aut cæteri Orientales tres hypostases rejicere voluerunt, & eos probare, qui unam dicebant hypostasim; quamvis id maximè urgerent cum Romano Pontifice Occidentales, nec aliâ conditione cum Meletio communionem habere vellent, quorum propterea typhum Basilius acriter reprehendit.

Responsio.

11. Hæc equidem *alibi* jam excussa, non nisi summariè hìc repetenda sunt. Falsum igitur est, quòd judicia definitiva de fidei dogmatibus unquam lata sint, inconsulto Romano Pontifice, quippe cùm Generalium etiam Conciliorũ decisionibus, ut Christi, unà & Patris sui æterni assistentia præstò esset *Matt. 18.* promissa, pendêre debeant ex consensu Duorum, unius, qui Vicariũ Christi nomen præfert in terris, nempe Papæ Ecclesiæ sanctæ Capitis, & reliqui Corporis Hierarchici, ex Prælatis nomine Christi coadunatis subsistentis. Et licèt aliàs probaverimus, Petræ firmitatem, atque adeò in rebus fidei decidendis infallibilitatem, ac ex Cathedra Apostolica decernendi potestatem, ex certiori sententiâ competere Papæ etiam antecedenter ad Concilium; attamen quia hoc necdum extat in Ecclesiæ definitũ, majorque adeò, magisque contingens *secundùm nos*, ad protervos præcipuè convincendos, est credibilitatis evidentia ex Concilij Oecumenici non *Acephali*, sed Capitis, unà & Hierarchici Ecclesiæ Corporis consensum complectentis definitione, idcircò judicia Summorum Pontificum in rebus fidei extra Concilium lata, consultò referebantur ad Synodum Oecumenicam pro omnimodâ etiam *quoad nos*, & ultimatâ, consummataque infallibilitate eisdem impertiendâ, tametsi alibi ostensum fuerit, Decreta, quæ in rebus fidei à Summis Pontificibus antecedenter ex Cathedrâ Apostolicâ fuerant lata, nunquam erroris fuisse damnata à Concilio verè Oecumenico, vicarium scilicet Christi proprium Papæ characterem præferente. Quia portò non æquè certum est, Pontificem Romanum ex Petra seu Cathedra sua Apostolica extra, ac intrà Oecumenicum Concilium decernere; & aliàs in ijs, quæ *Facti* sunt, Papa errare potest, imò in ipsis etiam fidei rebus non ex Cathedra loquens, deceptioni obnoxius est, idcirco evenire quandoque potuit, ut Episcopi in quæstionibus fidei antecedenter ad Concilij Oecumenici definitionem, ejusque ex Papâ authorizationem, ancipites adhuc hærerent, ac de rei veritate decertarent: quamquam pro isthoc instituto impertinenter allegentur Victor super Paschatis quæstione Judaicum ritum exscindere conatus, verè Victor evadens; & Stephanus Papa Cyprianum priùs dissentientem, de non rebaptizandis ab hæretico baptizatis definiendo, sibi consentientem reddens; uti hæc antehàc probata dedimus.

Sed dum olim sub æquivocatione Nominis Hypostaseos, quod Græci pro subsistentia seu personalitate, Latini verò pro substantiâ supponere arbitrati sunt, Basilius cum Orientalibus significationi Græcis assuetæ inhærens, decertabat cum Occidentalibus suæ Latinæ significationi insistentibus, sicque de nomine, non de re dissentientibus, & in Sabelliano errore condemnando utrinque concordantibus, quid ex hoc adversùs Papæ ex Cathedrâ Apostolicâ in dogmatibus fidei decidendis, infallibilitatem concludere licet?

ARGUMENTUM IV. Ellic.

PErgit hic Author argumentum suum priùs deductum confirmare ex Romanis Pontificibus, qui ad causas Ecclesiasticas finiendas, Synodos petierunt convocari: sic Liberius ad

ad Athanasij causam judicandam, Synodum petijt à Constantio, Damasus & Occidentales petierunt Synodum fieri universalem ad res Orientis componendas. Siricius Bonosum ad Concilium remisit judicandum. Innocentius petijt Synodum fieri ad causam Chrysostomi examinandam. S. Leo ad Eutychis causam retractandam, rescindendumque latrocinij Ephesini decretum, Synodum universalem necessariam esse duxit. Mitto alios innumeros. Quòd si Romani Pontifices se in judicandis rebus fidei, aut morum infallibiles esse præsumpsissent, nunquam illas Synodos fieri petijssent, sed judicium suum veluti supremum & infallibile interposuissent.

14. Pro isthoc intento firmando, adducuntur insuper multa Augustini testimonia, in quibus asserit, nullius Episcopi, aut etiam Synodi Provincialis judicium esse infallibile. Sæpissimè id habes *in libris ejus de Baptismo*, cùm observat, nec Stephani, nec Cypriani judicio quæstionem de rebaptizatione hæreticorum fuisse terminatam, sed universalis Concilij ac totius Ecclesiæ judicio. Hinc *ibidem* apertè pronuntiat, omnes omninò Episcoporum litteras, & omnia omninò Concilia Provincialia, ne exceptis quidem Romanis, emendari posse à Concilijs majoribus. Speciatim verò hanc regulam Romano Pontifici ejusque Synodo adaptat *lib. 2. ad Bonifac. c. 3* cùm enim jactarent Cælestiani, Romanum Pontificem Zozimum Cælestij dogma approbâsse, respondet primò, Cælestium Zozimo imposuisse: deinde verò hæc addit. *Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Cælestio & Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* Siccine loqueretur Augustinus, si credidisset; Romanum Pontificem cum suo Clero non posse à fide deficere? Cæterùm tunc temporis adeò persuasum erat Episcopis Africanis, Romanum Pontificem non esse in judicando, Spiritûs sancti adjutorio infallibilem, ut non dubitarent id veluti certum proponere: *Nisi forte*, inquiunt, *quisquam est, qui credat, nescire nostrum posse Deum inspirare justitiam: & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Unus ille Episcopus, non alius est, quam Romanus, ad quem hæc verba dirigunter.

15. Adfertur demique Concilij V. Generalis *collat. 1. tomo 5. Concilior. col. 562. & 563.* exarata sententia sub hoc tenore: *Licèt Spiritûs sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen voluerunt de eo, quod nonnullatenus, frequentes gentes circumcidi, desinere, priusquàm communiter congregati, Dominorum Scripturarum testimonijs unusquisque dicta sua confirmaverunt, unde communiter de ea sententiam promulgarunt, ad gentes scribentes, visum est Spiritui sancto & nobis: sed & beatus Petrus, qui per tempora in sacris quatuor Conciliis convenerunt, omnes communiter, de exortis hæresibus, & quæstionibus dijudicandis certa constituta, quid in communibus de Fide dispu-*

tationibus, cùm proponantur ex utraque parte, quæ discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij: nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm unusquisque proximi adjutorio indiget. Ex quibus cernere est, illius Concilij Patribus fuisse persuasum, veritatem alibi definiri non posse, quàm in Concilijs generalibus, nec ab ullo privato Episcopo etiam Romano quidquam circa fidem decerni posse, quod ita certum sit, ac ea, quæ in Concilijs definita sunt.

Responsio.

HÆc per extensum hîc adduco, ne vel apex de Elliesianis oppositionibus prætermissus prætendi queat, quamquam ea, quæ ex Romanis Pontificibus, causas Ecclesiasticas finiendas, ad Concilia Oecumenica, ob rationes *in proximè antecedente responsione nostrâ* expressas, quandoque referentibus, jam antehàc etiam specificè à nobis discussa atque excussa fuerint. 16.

Sed quid vigoris circa causam præsentem inesse potest Augustini testimonijs, dum hic Ecclesiæ sanctæ Doctor *ex libris ejus de Baptismo* probatur asseruisse, nullius Episcopi, aut etiam Synodi Provincialis judicium esse infallibile? Num dicere fas est, sub voce Episcopi cum Synodo Provinciali hac in re comparati, esse sermonem de Romano Pontifice *ex Cathedra apostolica authoritate* decernente? 17.

Esto, dixisset Augustinus, nec Stephani, nec Cypriani judicio quæstionem de rebaptizatione hæreticorum fuisse terminatam, tametsi contrarium in antecedentibus ostenderimus, sed universalis Concilij, ac totius Ecclesiæ judicio esse finem impositum, ex hoc nihil aliud evinceretur, nisi quòd protervia adversantium aliquando eò usque excrescat, ut judicio Papæ haud contenti, majorem quasi nos certitudinem ex Concilio Oecumenico adhuc exigant. Dum porrò is sanctæ Ecclesiæ Doctor pronuntiavit, Episcoporum cunctorum litteras, omniaque Concilia Provincialia posse à majoribus Concilijs emendari, indebitè Romanos quoque Pontifices, Concilijs Provincialibus quantumvis majoribus authoritate superemnentes, hâc Augustini sententiâ contineri, prætenditur. Sed quid Papæ ex Cathedra definientis infallibilitati nocere potuit deceptio Romanorum Clericorum prævaricationis in Cælestij dogmate approbando notam contrahentium? Sub quâ prævaricationis notâ, dignissimum est animadvertere, Dynum Augustinum Clericos Romanos absque Zosimi Papæ mentione, comprehendisse nonnisi ob causam, nisi quia illud Cleri Romani judicium non prostituebat ex illius Pontificis Apostolicâ Cathedrâ. Quomodò autem Africani unumquemque de suis Episcopis, Concilio Provinciali de Spiritûs sancti inspiratione magis certum esse negarunt, secundùm ea veritatem potuissent fuisse verbis complecti Romanum Pontificem,

atque hunc adeò Synodo Provinciali, vel inferiorem vel supparem statuere?

19. Quod denique ex *quinta* Generali Synodo adferebat Ellies̃ius, in eo vel maximè venit advertendum, in Apostolis singulis eatenus fuisse ab illo Concilio Generali agnitam infallibilitatem, ut tamen non inane ac superfluum reputaretur, quæstionem de Legalibus referre ad Apostolos communiter congregatos. Unde manifestè evincitur, ex eo, quòd fidei quæstiones pro ultimatâ, & in ordine ad convincendos protervos, etiam *quoad nos* omnimodè consummatâ infallibilitate obtinendâ referantur ad Concilia Oecumenica, minimè inferri, in Romano Pontifice ex Cathedrâ suâ Apostolicâ, etiam extra Concilium definiente, *quoad se*, sive *quoad rei veritatem* non inexistere Petræ firmitatem, seu in rebus fidei infallibilitatem.

§. II.

Ellies̃ianæ probationes à Romanorum Pontificum à fide deviantium, & inter se pugnantium exemplis desumptæ refelluntur.

20. AB Ellies̃io *à pag. 346.* inducuntur I. nonnulli Pontifices à fidei veritate aberrantes, & is inprimis Romanus Pontifex, de quo Tertullianus *in libro contra Praxeam* ista scribebat: *Idem Praxeas tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & eorum Ecclesijs asseverando, & prædecessorum ejus authoritates defendendo; coegit litteras pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.* Fuit ergo tum temporis Romanus Pontifex, qui novas Montani prophetias approbavit, & per litteras Montanistis communionem impertijt, quas, errore cognito, revocare coactus est.

21. Verùm Tertulliano credendum non est, dum Romanum Pontificem secum sentientem, sed Praxeæ machinationibus à se posteà aversum jactaverat. At esto, Papam illum, cujus tacito nomine meminit Tertullianus, à Montanistis persuasum, quòd Montanistæ errores ipsis imputatos revera non tenuissent, pacem voluisse eis reddere, quam negâssent prædecessores, num ex deceptione, non doctrinam, sed Factum concernente, redargui posset is Pontifex de fidei errore?

22. De Victore Papa Asiaticos in Paschatis celebratione Iudaizantes, per excommunicationis censuram graviùs coercente, constat *ex antecedentibus*, malè fuisse reprehensum à nonnullis Episcopis, tandemque Victorem evasisse, ipsomet quoque Nicæno Concilio adstipulante.

23. De Stephano Papa liquet ex ijs, quæ *to. 1. Concil. Edit. Parisiens. pag. 446.* antehàc adferebamus, ipsum hæreticorum baptisma non aliter, nisi sub invocatione unius Dei ac Trinitatis Personarũ legitimâ adeò factum approbâsse, Cyprianumque priùs contrarium suâ authoritate ad veritatis semitam reduxisse.

De Liberio *alibi* ostensum est, ipsum approbando vocem Homiusios, arbitratum 24.
fuisse, ejusdem esse significationis cum voce Homousios, Filij cum Deo Patre consubstantialitatem denotante, sicque in veritate fidei non aberrâsse, sed in unica vocis syllaba inadvertenter fuisse deceptum.

De Zosimo ipsum audiamus sanctum 25.
Augustinum *lib. 2. ad Bonifacium cap. 3.* disserentem. *Quænam tandem*, inquit, *querela veneramdæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit, credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci, nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omninò conscripsit, sed cùm hoc Cælestius in suo libello posuisset inter illa dubitaxat, de quibus se dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenij, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est, & propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* Nec obstant, quæ subjecit idem sanctæ Ecclesiæ Doctor. *Sed si*, inquiens, *quod absit, ita tunc fuisset de Cælestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potiùs esset prævaricationis nota Clericis Romanis inurenda.* Ex his namque constat manifestè, Divum Augustinum ejus erga Papam fuisse sententiæ, ut posito etiam, quòd in Romana Ecclesia Cælestij & Pelagij dogmata ab Innocentio prædamnata, fuissent approbata, sub isthàc etiam falsa hypothesi non ausus fuerit, hanc prævaricationis notam inurere Papæ, sed Clericis Romanis duntaxat.

De Honorio patet, ejus epistolas *ad Ser-* 26.
gium & Pyrrhum scriptas, ob quas scilicet hæresis damnatus dicitur, fuisse privatas, non publicas & dogmaticas, ita ut Papa ille nihil in ijs definierit, sed mentem suam privatim solummodò explicuerit, nec adeò, licèt hæresin continerent, inde argumentari licet de Papa loquente ex Cathedra: quamquam si eæ litteræ studiosè pervolvantur, nullos profectò circa fidem error in eis valeat deprehendi, sitque adeò calumniosa illa contra Honorium jactitata imputatio.

De Ioanne XXII. probat Bellarminus 27.
lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. ipsum nonquam definivisse, vel etiam in animo habuisse definiendi quæstionem, quam privatè asseruerat, ac de ea quandoque consultaverat, quasi *animæ non nisi post resurrectionem essent Deum visuræ*, sed etiam revocâsse ante mortem suam. Ex quibus proinde universis exemplis nihil probari potest de errabilitate Papæ, quando ex Cathedra suâ Apostolicâ decernit.

A præfato Authore *à pag. 354.* inducun- 28.
tur 2. nonnulli recentiores Pontifices definitionibus inter se pugnantes. Etenim Innocentius III. *in Cap. Quantò. De Divortijs.* decrevit, uno conjugum ad hæresim transeunte, altero

altero autem remanente in fide, non posse hunc propterea transire ad secunda vota, quod tamen Cælestinus priùs statuerat. Deinde Pelagius *Cap. Ante triennium dist. 31.* refertur fecisse constitutionem, ut omnes Siciliæ Subdiaconi ab uxoribus abstinerent, aut ab officio cessarent, quam tamen sanctionem ceu iniquam, & cum Evangelio pugnantem retractavit Gregorius I.

29. Porrò Innocentius IV. *in Cap. Presbyter. De Sacramentis non iterandis.* ait; formas seu ritus Sacramentorum ab Ecclesia esse inventas, siquidem constet de Apostolico ritu, *in Epist. ad Timotheum*, quòd manum imponebant ordinandis, & orationem fundebant, nullâ aliâ ab eis servatâ formâ. Quæ tamen sententia repugnat Eugenij IV. definitioni. Adhæc Stephanus II. *cap. 11. Epist.* approbavit baptismum in vino collatum, quod iterum pugnat cum definitione Eugenij IV. *in responsis ad consulta Bulgarorum.*

30. Insuper Gregorius IX. decreverat, ut S. Francisci Regulam professis nulla omninò proprietas etiam in communi competere debeat. Innocentius etiam IV. rerum, quarum usus Minoribus conceditur, proprietatem pertinere ad Sedem Apostolicam: quod firmavit etiam Alexander IV. ac Nicolaus III. Econtra Martinus IV. sancivit, proprietatem & dominium rerum, quibus Franciscani uti possent, nullo modò spectare ad Romanam Ecclesiam. Adversùs quam nihilominùs sanctionem Nicolaus IV. & Clemens III. in Concilio Viennensi per Clementinam *Exivit.* approbabant, Franciscanos rerum proprietatem à se abdicantes, ac Sedi Apostolicæ attribuentes. Ioannes quoque XXII. abdicationem dominij in rebus usu solo consumptibilibus impossibilem ac inutilem putavit: at Nicolaus III. eam possibilem & sanctam, meritoriamque sanxit. Imò idem Ioannes XXII. hæreticum dixit, dicere, Christum & Apostolos non habuisse proprietatem aliquarum rerum: econtrariò Nicolaus docebat, Christum & Apostolos verbo & exemplo talem abdicationem docuisse.

31. Præterea Bonifacius VIII. *in Extravag. Vnam sanctam.* velut fidei articulum definivit, Reges suæ Sedi in temporalibus subesse: Clemens autem V. eam constitutionem revocavit *in Cap. Meruit. De Privilegijs.*

32. Denique Sixtus V. in Bulla editioni Bibliorum præfixâ suam Vulgatæ editionem emendatissimam, & pristinæ puritati restitutam sanxit: è contrario Clemens VIII. cùm multos in illa editione errores relictos deprehendisset, illam cum Bullâ jàm promulgatâ suppressit, & novæ editioni emendatori conficiendæ operam posuit, quæ innumeris penè locis à Sixtina dissidet.

33. Verùm istæ fucatæ contradictiones facilè disparent, si animo sincero rei veritas expendatur. Inprimis namque *ex Cap. Quantò. De Divortijs.* constat, Innocentium III. sub distinctione, quâ distinguebat inter infideles non baptizatos, & inter infideles hæreticos respondisse; sicque de prioribus, uno ad fidem converso, statuebat dissolvi vinculum conjugij, non verò de posteriore infidelium seu hæreticorum genere: aitque *ibidem*, quendam prædecessorem suum, scilicet Cælestinũ, videri aliter, sensisse, quia nimirum non fecerat talem distinctionẽ, sicque adeò in confuso respondens quibusdam visus est de utroque pariter sensisse, tametsi in veritate res se non ita habuerit, sed ex aliorum duntaxat opinione fuerit ejus sanctioni affectus talis sensus: ut propterea sub distinctione præinsinuatâ censuerit Innocentius veritatem rei reddere clariorem. Deinde dùm Pelagius ex religiosâ ministerij Subdiaconatûs reverentiâ jussit in genere, ut omnes Subdiaconi abstinerent ab uxoribus; Gregorius verò hanc sanctionem coarctavit ad Subdiaconos, qui ante susceptionem Subdiaconatûs se obstrinxerant voto, jussitque *in Cap. Ante triennium. dist. 31.* ne ullus ad sacrum Ordinem promoveretur, qui deinceps nollet à suâ uxore abstinere: quid aliud hinc evincitur, nisi quòd ex diversis religioni utrinquè convenientibus rationibus, illi Summi Pontifices ediderint diversas inter se discrepantes constitutiones *morales*, quarum neutra pugnabat cum fide, falsumque est, quod ab Ellieſio dicitur, ac si Pelagij sanctio fuisset contra Evangelium.

Porrò verissimum est, materias & formas 34.
sacramenti Ordinis non tam *materialiter* esse determinatas à Christo, quàm *formaliter* quoad significationem: unde materiam & formam hujusmodi, si *materialiter* spectentur, relictas esse determinationi Ecclesiæ, ab Apostolis & Summis Pontificibus jam ita factas, ut salvâ substantiâ, immutari non valeant, eò quòd *formalis* materiarum & formarum hujusmodi significatio deficeret, si non insisteretur *materiali* quoque ritui, cui jam annexa est illa *formalis* ac substantialis significatio: sicque adeò Innocentij IV. responsum hîc minimè pugnat cum præadducta definitione Eugenij IV. Præterquam quòd constitutio *Cap. Presbyter. De Sacramentis non iterandis.* infideliter sit relata ab Ellieſio, uti patebit ex oculari inspectione illius Canonis. Adhæc circa ea, quæ imputantur Stephano II. nulla extant authentica monumenta. Posito tamen, veram esse talem relationem, constat ex contextu, non fuisse quæstionem de valore Baptismi, sed de culpa vel pœna baptizantis, sicque verborum ab Ellieſio superiùs relatorum talis redditur sensus, quòd Presbyter ille in vino baptizans non sit posteà in causa, cur infans sic baptizatus, cùm periculum evaserit, nequiverit legitimè baptizari, ac propterea non mereatur tanquam reus puniri, si priùs in ipso baptismo per simplicitatem non peccavit, alioquin si præsens fuit aqua, debeat excommunicari, & pœnitentiæ submitti, quia contra Canonum tententiam agere præsumpsit. En igitur, Stephani II. responsum, si verum etiam esset, haud pugnare cum Eugenij IV. definitione.

Quæ insuper contradictio in hoc subesse 35.
potest, quòd unus Pontificum noluerit, alij

autem

autem voluerint proprietatem rerum, quibus Franciscani utuntur, suæ Sedi adsciscere? Et quia Christus voluntatis suæ humanæ dominium quidem habuit, attamen hanc plenè in Divinam resignavit voluntatem, dicens, propterea, non mea (mihi scilicet quà homini propria) sed tua ô Pater! voluntas fiat, numquid in hoc religiosæ obedientiæ solemnis, per quam voluntatis nostræ dominium in Religionem transfertur, perfectissimum exemplum ab ipsomet etiam Christo sui cum omnimodâ rerum temporalium, corporis quoque abdicatione sequelam edocente exhibetur? Hæc proinde applica ad præsentis causæ statum, reperiesque, nihil esse contradictoriæ repugnantiæ inter Nicolai III. Christum dicentis verbo & exemplo proprietatis abdicationem perfectam docuisse, & Ioannis XXII. Christum etiam in particulari, & Apostolos in communi rerum temporalium proprietatem habuisse asserentis doctrinam: neque enim omnimodè in eo, quod *materiale*, sed quod virtutis est *formale*, attendi debet, imitationis illius conformitas.

36. Præterea Bonifacius VIII. *Vnam sanctam*, unicè decrevit, indefinitam clavium Ecclesiæ authoritatem Apostolicam complecti etiam Reges, eorumque publicos actus, quà moralitate in regnum cælorum ordinabili supervestitos. Quod cùm Galli interpretati fuissent, ac si Pontifex in regnum temporale *simpliciter*, *directè* ac *absolutè* extendere vellet suam potestatem ac dominium, exinde Clemens *V. in præcitato Capitulo* ad illorum instantiam unicè declaravit, vi illius Extravagantis Regnum Galliæ non magis subesse Romano Pontifici, ac anteà fuerat. Quid ergo contradictionis inter has duas Pontificias constitutiones cum fundamento asseverare licet?

37. Quando denique Sixti *V.* constitutio Vulgatam Bibliorum editionem, salvâ semper fidei dogmatum substantiâ, non ab omnibus mendis *materialibus* expurgavit, quam postmodùm Clemens VIII. correxit, quid hoc juvare potest ad Pontificum in fidei dogmatibus dissensionem adstruendam?

§. III.

Refelluntur Ellieſianæ de Papæ errabilitate probationes desumptæ ex Romanorum Pontficum confessione, ex Conciliorum Decretis, ex Academiarum & Theologorum doctrinis?

38. AB Ellieſio inducuntur I. confessiones Summorum Pontificum, inprimis Pauli III. in causa solubilitatis matrimonij, contestantis, sibi non dubium esse, quin ipse ac prædecessores sui errare potuerint, nec adeò istorum facta & exempla velle se amplecti, nisi quatenus Scripturæ authoritas, & Theologorum rationes docent.

39. Deinde Adrianus VI. adhuc Theologus Lovaniensis, ubi tamen Pontifex est factus, absque ulla retractatione, scripsit *in 4. art. 3. de ministro Confirmationis* certum esse, quòd Pontifex possit errare in ijs etiam, quæ fidem tangunt, hæresim per suam determinationem, aut decretalem docendo, cùm plures Pontifices Romani fuerint hæretici, veluti de Ioanne XXII. fertur publicè declarâsse, & ab orbe teneri mandâsse.

Porrò Eugenius IV. in 3. Bulla adversùs Synodum Basileensem, licèt se efferret supra Concilium generale, ait in quæstionibus, quæ ad fidem respiciunt, vel statum universalis Ecclesiæ, potiùs attendendam esse Concilij, quàm Papæ sententiam. 40.

Fatetur Gregorius XI. in testamento suo: *Item*, inquit, *volumus, decimus, & protestamur ex nostra certa scientia, quòd si in Consistorio, in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitiâ inordinatâ, aut præsentiâ Magnatum ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate aliquâ dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo & hominibus, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus; sed forsitan adhærendo opinionibus contrarijs fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus, illa expressè & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.* Hæc Pontifex ille *tom. 6. Spicileg. Dacheriani.* 41.

Innocentius III. se in errorem & hæresim labi posse, fatetur, & ab Ecclesia propter eam judicari, *serm. 3. de consecrat. Pontificis. Intantum, mihi fides*, inquit, *necessaria est, ut, cùm in cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari.* 42.

Fatetur idem Adrianus II. *in Epist. 2.* quæ Synodi *sextæ act. 7.* lecta & approbata est: *Licèt*, inquit, *Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quòd super hæresi fuerat accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus, majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus liberè respuere.* 43.

Fatetur Leo II. *in Epist. ad Const.* in qua confirmat Synodum *sextam*, ubi de Honorio ait, *ipsum Romanam Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina instrâsse, sed profanâ traditione immaculatam fidem maculari permisisse.* Et *in Epist. ad Ervigium*, acculat eum, *quòd immaculatæ Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus acceperat, maculari consenserit.* 44.

Huc afferri possent ij omnes Pontifices, qui nonnulla prædecessorum suorum statuta infirmârunt; sed unus sit præ omnibus Clemens IV. qui ad Abbatam Casæ Dei scribens, ait, *cernere se, decessores suos Monasterio dedisse privilegia juri Divino contraria, quæ rationabiliter annullare se posse, dicit, adjiciens, & quamvis nostris prædecessoribus, prout necessitas exigit, gravamus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti & scientiæ nullâ possent ratione placere.* Ex his patet, non esse audiendos eos, qui, invitis & reclamantibus 45.

Sum-

Summis Pontificibus, ipsis indeficientis judicij privilegium adscribere conantur.

46. Verùm ex Pauli IV. effato plus non evincitur, nisi quòd Pontifex errare possit in casibus particularibus [illegible]ngentibus, de cujusmodi causa Mat[illegible]ali erat ibi sermo, nihilque adeò hinc pr[illegible]tur contra privilegiũ Papæ ex Cathedra Apostolica erga universam Ecclesiam loquentis & decernentis. Quia porrò determinationes ac Decretales Pontificum plerumque versantur circa causas particulares, non *Dogmaticas*, vel etiam *Morales* universam Ecclesiam attingentes, ideo ex Adriani VI. prælegatis verbis nihil concludi potest contra Papam ex Cathedra definientem. Quòd verò Ioannes XXII. errorem suum authoritate Apostolicâ mandârit, ab omnibus teneri, hoc falsum esse, *in antecedentibus* ostensum fuit.

47. Eugenij IV. assertio de Concilio non aliquo *Acephalo*, sed per Capitis unâ & Corporis Hierarchici consensum completè Oecumenico magis attendendo, minimè officit Papæ ex Apostolicæ Cathedræ petrâ definientis infallibilitati, quomodò enim hæc nutare posset in tali petra, super quam eatenus ædificata est Ecclesia, ut portæ inferi adversùs eam prævalere non possint? Sed quia non extat in Ecclesia definitum, an, & quando Pontifex taliter loquatur ex ista Cathedræ Apostolicæ petrâ, ut super eam etiâ particulariter quoad aliquod fidei dogma noscatur ædificata Ecclesia, sicque adeò Concilij, *plenè* ac *formaliter* Oecumenici per Cathedræ Apostolicæ Christum vicariè in Concilio repræsentantis charactere insigniti infallibilitas *quoad* nos, ac in ordine *ad protervos convincendos*, magis conspicua est, idcircò Eugenius IV. absque præjudicio infallibilitatis Papæ ex Cathedra sancienti competentis, dicere potuit, Concilium *formaliter* ac *plenè* Oecumenicum in individualibus casibus magis attendendum esse, quàm Romanum Pontificem extra Concilium loquentem.

48. Quid verò ad præsentis rei momentum facere potest testamentum Gregorij XI. dum in eo protestatus fuit contra quoscumque errores sibi forsan obrepentes, dum, uti termini ostendunt, minimè sanciebat ex petra Cathedræ Apostolicæ?

49. Ad quos terminos ex proprijs verbis suis noscitur redacta etiam Innocentij III. & Adriani II. confessio, profitentium, se in peccatis contra fidem à se quà homine fortè committendis ab Ecclesia judicari posse, quod in Honorio factum esse, asseverat quoque Leo II. *in Epist. ad Constant.* ipsum Romanam Ecclesiam non lustrando Apostolicæ traditionis doctrinâ, adeoque non decernendo ex Cathedræ Apostolicæ petrâ, sed ex prophanâ traditione loquendo, immaculatam fidem maculari permisisse.

50. Quòd si denique vera & probata extaret epistola Clementis IV. ad Abbatem Casæ Dei scribentis, prædecessorum suorum nonnullos privilegia Juri Divino contraria aliquando concessisse; ex hoc Romanorum Pontificum non nisi in casibus particularibus, Ecclesiam universalem minimè respicientibus, errabilitas evinceretur.

51. Inducitur 2. Concilij Basileensis, Papæ errabilitatem, Concilij verò infallibilitatem, statuentis *in Epist. Synodali tomo 12. Concil. col. 632.* relata sanctio. Verùm quo in statu pro tempore hujusmodi sanctionis fuerit Basileensis Synodus, ut scilicet tanquam *Acephala*, & Concilij Oecumenici charactere destituta, imò huic opposita, nihil habuerit authoritatis, Eugenio IV. nunquam consentiente, liquet ex dictis circa *Articulum 2. Disquis. 8. §. 2. n. 28.* & *in Summa cap. 3. §. 2. à n. 48.*

52. Quæ porrò Ellies[illegible]us *præs. Dissert. 5. cap. 1. §. 7.* ex Academiarum adversùs Papæ infallibilitatem censuris adducit, breviter & summariè hîc refutata accipe. Tum quia Universitatis Parisiensis de appellando ad Concilium Generale in causa particulari Philippi Pulchri, nihil facit ad Papæ ex Cathedra ergà universalem Ecclesiam statuentis infallibilitatem infirmandam. Quinimò dum ageretur etiam de fidei dogmate, atque pro hujus *quoad nos*, & in ordine *ad protervos convincendos*, adhuc major credibilitatis evidentia ex Concilio Oecumenico expostularetur, non propterea infirmaretur Papæ ex Petrâ, seu Cathedrâ Apostolicâ, quâ Ecclesiam super se ædificatam fundante, sicque ex Cathedrâ Apostolicâ loquentis, omnimodum, portis quoque inferi insuperabile, stabilimentum, sed hoc unicum inde conficeretur, quòd tantâ evidentiâ credibilitatis minimè co[illegible]stet nobis, Papam extra Concilium loqui[illegible]athedra, ac nobis certissimum pror[illegible]ipsum in Concilio Oecumenico per[illegible]m Corpore hierarchico consensum loqui ex Petra, super quam ædificata est Ecclesia.

53. Quæ proinde distinctiones omninò sunt observandæ, estque sedulò attendendum ad hoc, quòd evidentia credibilitatis magis convincens sit, si Papa intrà Concilium Oecumenicum per sui cum reliquo Ecclesiæ Corpore hierarchico consensum authorizativũ sit certò decernens ex Petra, super quâ per fidem fundata est Ecclesia: econtra verò, quòd non adeò certum, seu ab Ecclesia definitum extet, an & quomodò Papa extra Concilium definire valeat ex Cathedra sua, non utcunque secundùm jurisdictionem suam Apostolicam, sed secundùm omnimodæ & consummatæ, Ecclesiam firmare, & infallibiliter stabilire prævalentis, infallibilitatis privilegium spectatâ: quòdque proinde Papæ ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petra fidei dogmata decernentis *quoad se*, sive *quoad rei veritatem* sit quidem indubitata infallibilitas, licèt *quoad nos*, & in ordine ad protervos ac rebelles convincendos, sit magis convincens Concilij Oecumenici per Christi vicariũ, Papæ proprium, characterem muniti, sicque per Duorum Capitis scilicet, unâ & reliqui Ecclesiæ Corporis consensum authorizata fidei dogmatum definitio.

54. Istæ igitur distinctiones si oculo sincero applicentur ad Universitatum, imò & Theo-

logorum ab Ellieſio *cit. §. 7. & ult.* allegatorum circa Papas non dubios, & ſchiſmaticos, ſed circa cujuſvis temporis legitimum, ac indubitatum Eccleſiæ univerſæ communi conſenſu comprobatum Romanum Pontificem ſententias, facilè hinc patebit, non officere iſti propoſitioni noſtræ, quâ dicimus, Papam ex Cathedra ſua Apoſtolica, id eſt, ex Petra, ſuper quam Eccleſia, à portis inferi haud ſuperari potens, eſt ædificata, loquentem, ſeu definientem fidei dogmata, eſſe prorſus infallibilem.

§. IV.

Vindicantur noſtratis ſententiæ argumenta ex ſacris Litteris deſumpta.

ARGVMENTVM I.

Noſtratis ſententiæ.

55. Primum hujuſmodi argumentum efformat Ellieſius *præs. cap. 2.* ex dicto Chriſti *Lucæ 22. v. 32.* dicente: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hinc enim concludimus, fidem Romanorum Pontificum deficere non poſſe.

Exceptiones Ellieſianæ.

56. Hic Author 1. excipit opponendo, ſi iſtud teſtimonium aliquid probet, plus probat, quàm Adverſarij poſtulant: non enim probaret tantùm, Romanos Pontifices non poſſe à fide deficiendo aberrare, ſed etiam nullatenus poſſe à fide & gratia excidere. Itane intelligi debet iſta promiſſio Chriſti de ſola Petri perſona? Docet id & intentum Chriſti prædicentis futurum, ut Petrus aliquando ipſum negaret: ita tamen, ut à fide penitus, & uſque ad finem vitæ non excideret: *Simon, Simon*, inquit Chriſtus, *ecce ſathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te &c.* Tentatio illa ſathanæ reſpicit perſonam Petri & Apoſtolorum, & ſimiliter oratio Chriſti non habet alium finem, quàm ut Petrus, licèt à diabolo tentatus, à fide tamen penitus, & uſque ad finem vitæ non deficiat, ſed ut poſt negationem converſus, confirmet fratres, hoc autem totum in ipſa perſona Petri adimpletum eſt. Nam & tentatus eſt à diabolo, & in tentatione victus, Chriſtum negavit. Verùm ei profuit oratio Chriſti: ſtatim enim pœnitentia ductus reſipuit, & poſt Paſſionem ac Reſurrectionem Chriſti non modò conſtantior cæteris apparuit, ſed & generoſis dictis & factis fratres ſuos confirmavit. Ita hunc locum exponunt Tertull. *lib. de fuga in perſecut. cap. 2.* S. Cyprianus *epiſt. 8.* & *in lib. de Orat. Dominica.* S. Hilarius *lib. 1. de Trinit.* Baſilius *hom. 22. de humilit.* Ambroſ. *in pſal. 43.* Chryſoſt. *hom. 63.* Carth. Conc. *in Ep. ad Innocent. I.* & Innocentius I. *in Ep. ad Carth. Conc.* S. Aug. pluribus locis, & alij Interpretes, quos numero 43. conſulere poteris apud Launoium *epiſt. ad Jacobum Bevilaquam Epiſt. tom. 5.* Porrò ex hac expoſitione nihil poteſt colligi, ad probandum, Pontificis Romani judicium eſſe indeficiens: ſi quid enim ex iſta oratione Chriſti pro Petro de ejus ſucceſſoribus colligeretur, inferri deberet pro Petri ſucceſſoribus, non ſecus ac pro ipſo Petro orâſſe Chriſtum, ut à fide ipſi privatim minimè deficerent, ac nullus huc uſque ſomniavit id ipſis privilegij adſcribi poſſe.

57. Excipit *ſecundò* Ellieſius, eſſe & alios Patres ac Interpretes à Launoio collectos, qui dicunt, orâſſe Chriſtum, ut univerſalis Eccleſia, vel etiam generale Concilium, à fide nunquam deficiat, quorum interpretatio, licèt minùs ad litteram, eo magis adhuc cum Adverſariorum placitis pugnat, cùm ex illa ſequatur, infallibilitatem Eccleſiæ, & Concilio adſcribi debere, non autem Pontifici Romano; ut quid enim locus ille, qui de Petro ad litteram intelligendus eſt, ad Eccleſiam & Concilium inflecteretur, niſi certum eſſet, Petrum & ejus ſucceſſores potuiſſe à fide deficere, Eccleſiam, & Concilium non item?

Refutatio iſtarum exceptionum.

58. Etenim illâ oratione: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Chriſtus Dominus Petro impetravit duo privilegia. Alterum Perſonale, ut Petrus ſcilicet haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perfectiſſimamque voluntatem. Ex Sancto Auguſtino *lib. de corrept. & gratiâ. cap. 8.* Alterum Reale, Paſtorali erga univerſam Eccleſiam muneri annexum: Chriſtus enim ita oravit pro Petro, ut converſus aliquando confirmaret fratres. Unde iſta à Chriſto impetrata fidei firmitas non debebat ſe continere intrà perſonam Petri, quin erga fratres cutæ ipſius Paſtorali committendos ſe diffunderet. Ex quo ſequitur, illam fidei firmitatem eſſe privilegium Petri, quâ univerſalis erga Eccleſiam Paſtoris. Atqui privilegium ex Chriſti Domini voluntate annexum iſti Paſtorali muneri, eo ipſo eſt perpetuum, quòd habeat reſpectum ad perpetuum ſtatum Eccleſiæ à portis inferi nunquam ſuperandæ. Chriſtus igitur Dominus illâ ſuâ oratione impetravit fidei firmitatem, quæ connexam cum paſtorali munere, Eccleſiæ *perpetuò uſque ad finem ſæculi* duraturæ coextituro.

59. At ſicuti paſtorale perpetuo Eccleſiæ ſtatui annexum munus, Petro per Martyrium ſublato, debuit perſiſtere in ſucceſſoribus, ſic fidei firmitas ſecundùm efficaciam orationis Chriſti connexa cum iſto paſtorali officio, debet conſequenter ad Succeſſores quoque transferri. Conſtat igitur, ex efficacia Chriſti orationis, Petri in Paſtorali erga univerſam Eccleſiam munere ſucceſſoribus competere fidei firmitatem. At iſta fidei firmitas eo ipſo deficeret in tali Paſtorali munere, ſi Papa utens poteſtate ejuſmodi erga univerſalem Eccleſiam conderet decreta fidei adverſantia,

santia, Ex illâ igitur Christi Domini orationis efficaciâ concluditur, fieri nullatenus posse, quòd Romanus Pontifex, si loquatur ex Cathedrâ sui Pastoralis officij ergà universalem Ecclesiam, condat decreta fidei repugnantia. In quem adeò sensum Theophylactus *in cap. 21. Lucæ.* ait: *Quia te* (scilicet Petrum) *habeo principem discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.*

60. Vides igitur, fidei firmitatem, quâ Petrus confirmaret cæteros, esse ex eo, quòd esset princeps discipulorum. At eo ipso, quòd iste in Ecclesiâ principatus ex Christi Domini promissione sit connexus cum perpetuo Ecclesiæ statu, non potuit in Petri personâ extingui, sed transire debuit ad successores. Ergo illa fidei firmitas Petro impetrata ita stat in ejus successoribus, ut propterea Petrus Chrysologus *in Epist. ad Eutycheten* relatâ *to 1. Concil. ante Concil. Chalcedon.* ita scripserit: *Hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papâ Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propriâ Sede vivit, præstat quærentibus fidei veritatem.* En igitur non tam personam, quàm Sedem Petri hodie viventem attendi debere, utpote cui annexa sit fidei veritas, adeò, ut Divus Bernardus *in Epist. 190. ad Innocentium*, ubi asseruisset, *in Cathedrâ Romanâ non posse fidem sentire defectum*, exclamet: *Cui enim Sedi dictum est aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua!* Et hinc facilè intelligitur, jeas, quas Ellieſius ex Patribus illorum Christi verborum prætendit interpretationes, nullatenus evertere vim argumenti *superiùs* allati, maximè cùm ex efficacia illius orationis infallibilitas fidei in totum Ecclesiæ sanctæ, in Concilio præsertim Oecumenico repræsentatæ, Corpus promanet.

ARGUMENTUM II.

Nostratis sententiæ.

61. Istud desumitur ex illo *Matth. 16. super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hinc enim colligitur, Petrum & ejus successores esse Ecclesiæ fundamentum: cùm autem impossibile sit, Ecclesiæ fundamentum ruere, impossibile esse concluditur, Romanum Pontificem à fide deficere.

Exceptio Ellieſiana.

62. Excipit hic Theologus, à se anteà dictum fuisse, quatuor modis locum illum exponi à Patribus, & Interpretibus Scripturæ. Alij enim de persona ipsius Petri hæc verba interpretantur, dicuntque super illum fundatam Ecclesiam, quia ipse cum cæteris ad eam fundandam adlaboravit. Alij dicunt, super omnes Apostolos fundatam pariter esse Ecclesiam, Petrumque, cùm hæc ei dicta sunt, gessisse personam Ecclesiæ. Sunt, qui nolunt Petrum hîc dictum esse petram, sed petram ajunt esse fidem, & confessionem Petri; vel, ut alij volunt, ipsum Christum. Nulla autem ex istis expositionibus Pontificum infallibilitati favet: sicut enim, qui in *secundâ* expositione sentiunt, super Apostolos omnes, eorumque successores, fundatam esse Ecclesiam, non propterea putant, aut Apostolos omnes, aut eorum successores indefectibiles fuisse: ita non sequitur ex *prima* expositione, Petrum, & ejus successores indefectibiles esse, eò quòd super eos tanquam super petram & fundamentum Ecclesia sit ædificata: ex *tertia* & *quarta* expositione in gratiam Romanorum Pontificum nihil concludi posse, perspicuum est.

Refutatio istius exceptionis.

63. Ex *antecedentibus* liquet, omnes illas expositiones favere Pontificis, Petro succedentis in fidei rebus infallibilitati. Quibus superaddo sequentem argumentationem. Nam ea verba esse accipienda de Petro, ita ut super ipsum ceu petram esset ædificanda Ecclesia, docent Tertullianus *de præscript. hæret. cap. 22.* Cyprianus *Epist. 40. & de Vnit. Eccles.* Basilius Magnus *ad cap. 2. Isaiæ.* Gregorius Nazianzenus *art. 2. de Moderat. in orat. habendâ.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12.* Ambrosius *Serm. 47.* Hieronymus *in cap. 16. Matth.* Augustinus *Serm. 5. in festo Petri & Pauli, & alibi sæpe.*

64. At eo ipso, quòd Ecclesia super hanc petram ita ædificanda foret, ut simul Christus eidem Petro contulerit potestatem clavium, oportet, istam potestatem ex Christi Domini promissione connexam esse cum fidei petrâ, in Petro semper usque ad consummationem sæculi duraturâ, nec à portis inferi unquàm vincendâ. Hinc autem sequitur, talem Clavium potestatem cum petrâ fidei connexam minimè exspirâsse in Petri personâ, sed hujus Sedem utpote cum perpetuo Ecclesiæ statu connexam, ita vivere in successoribus, ut his competat pastoralis erga universam super petrâ fundatam Ecclesiam Officij primatus; uti expressè statuunt Concilium Nicænum 1. *Can. 6. Ephes. 1. sub verbis Philippi Presbyteri*, Chalcedonense *Act. 1. 2. 3. & 16.* aliæque generales Synodi; nec non ex Patribus Polycarpus *apud sanctum Hieronymum de viris illustr.* Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Athanasius *in Epist. ad Felicem Papam.* Basilius Magnus *in Epist. 52. ad Athanas.* Chrysostomus *in Epist. ad Innocentium Papam.* Cyrillus *in lib. Thes.* Cyrillus Alexandrinus *in Epist. ad Cælestinum Papam.* Hieronymus *Epist. 57. ad Damasum Papam.* Augustinus *lib. 2. de Baptis. contra. Donatistas cap. 1. & alibi sæpe.* Cùm igitur Petri primatus cum Petrâ, seu fidei firmitate, inseparabiliter connexus, vigeat in Romanâ Cathedrâ, oportet, Romanum Pontificem, dum ex istâ Cathedrâ, id est ex munere suo Pastorali ad universam Ecclesiam, fidei vel morum decreta condendo, loquitur, errare non posse: quomodò enim aliàs portæ inferi non essent prævalituræ?

ARGUMENTUM III.
Nostratis sententiæ.

65. HOc deducitur ex Christi ad Petrum *Ioannis ult.* prolatis verbis: *Pasce oves meas.* Hinc namque conficitur, quòd Petrus, ejusque successor Romanus Pontifex, sit Doctor & Pastor Ecclesiæ, quem proinde tota Ecclesia audire, ac sequi tenetur. Ergo si ille erraret in fide, tota Ecclesia in ejusmodi errorem induceretur.

Exceptio Ellieſiana.

66. HIc Parisiensis Doctor excipit. Non solum Petrum, sed omnes Apostolos, & eorum successores Pastores esse ovium Christi, ipsisque in persona Petri dictum fuisse illud: *Pasce oves meas*, & tamen nemo contendit, singulos Ecclesiæ Pastores infallibili judicio præditos esse. Ita hunc locum ad omnes omninò Apostolos, & animarum curam habentes referunt Ambrosius *lib. 2. de dignit. Sacerdotali*: *Pasce*, inquit, *oves meas, quas oves, & quem gregem non solùm tunc B. Petrus suscepit, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* S. Augustinus *tractatu in Ioannem*: *Et quidem fratres, quòd Pastor est* (Christus) *dedit & membris suis. Nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi.*

67. Verùm etiamsi istud dictum ad solum Petrum, & ejus Successores pertineret, non sequitur, eos esse infallibiles; nec valet ratiocinium Bellarmini, cùm enim errant, desinunt Ecclesiam pascere ut oportet: imò occidunt eas potiùs, quàm pascunt, unde non tenentur ejus oves eum sequi, cùm vident se in mortifera pascua duci: non enim oves pascit irrationabiles, quas pro arbitrio, & nutu, quò voluerit, agere possit, sed quæ ratione, & persuasionibus pasci debeant, hoc est, doceri & moveri, ut sponte Christum colant, ejusque fidem ac religionem illibatam servent.

Refutatio istius exceptionis.

68. QUandoquidem illa Christi Domini verba definitè, ac determinatè ad solum Petrum, præ cæteris Apostolis, ex sua proprietate dicta fuisse noscantur, cum ordine ad Ecclesiæ sanctæ perpetuum statum; uti proximè ostendetur, consequens est, ea non habere locum, nisi in solius Petri perpetuis successoribus Romanis Pontificibus. At ea Christi verba erant adimpletiva promissionis *Matth. 16.* æquè determinatè ac definitè erga Petrum factæ, in vi cujus super ipsum ceu petram esset ædificanda Ecclesia, cui portæ inferi nunquam essent prævalituræ. Sicque adeò tam isthæc promissiva, quàm illa horum adimpletiva Christi verba respiciunt perpetuum Ecclesiæ statum. Nequit autem Oecumenicum Pastorale super tota Ecclesia à Christo constitutum munus non esse vallatum infallibilitatis in fidei rebus præeminentiâ, dum ex Christi promissione est solidatum firmitate Petræ, super quam Ecclesia à portis inferi nunquam superanda ædificari deberet. Ex illâ igitur Christi Domini promissione, unà & orationis efficaciâ meritò concluditur Pontificum Romanorum, quatenus ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petrâ in dogmatibus fidei statuunt, infallibilitas; uti Lucius I. *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ*, Felix I. *in Epist. ad Benignum* asserunt. Illius enim prioris verba ita se habent: *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te.* Posterior potrò Pontifex ita scripsit de Ecclesiâ Romanâ: *Vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata manet, juxta illud: Ego rogavi pro te.*

§. V.

Vindicantur nostratis sententiæ argumenta ab authoritate Patrum.

HOc ita format Ellieſius *pag. 369.* ex S. Hieronymi verbis *epist. ad Damasum* ita scribentis: *Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus erit, si quis in arca Noe non erit, peribit regnante diluvio.* Addit: *Discernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si inbetis, &c.* Hîc asserit Hieronymus, se tutò sequi posse sententiam Romani Pontificis, quia novit super eum Ecclesiam esse fundatam, & extra ejus communionem salutem non esse. Deinde cur Hieronymus totius Orientis de hypostasibus sententiæ, & judicio acquiescere noluisset, imperiumque Romani Pontificis ad tres hypostases agnoscendas expectasset, nisi putâsset, eum in judicando falli non posse? 69

Exceptio Ellieſiana.

HIc Theologus respondet, ex verbis Hieronymi inferri non posse, Romani Pontificis judicium esse infallibile, sed magni tantùm ponderis & momenti apud ipsum fuisse Ecclesiæ Romanæ sententiam, atque communionem: hoc tantùm ejus verba sonant, quæ immeritò ad infallibilitatem adstruendam trahuntur. Ait autem, se tutò sequi posse Romani Pontificis sententiam, quia scilicet dissidentibus de hypostaseos voce Ecclesiis totius orbis, poterat ipse ad eam, quam vellet, partem accedere, unde non solius Romanæ Ecclesiæ authoritatem adducit, sed Occidentalium omnium, & Ægyptiorum. *Hæreticum*, inquit, *me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petróque* (quia scilicet istis duobus adhærebant Occidentales, & Ægyptij omnes) *condemnent; quid enim hominem exceptis sociis criminantur?* 70

nantur? Sequebatur porrò ille istorum potiùs, quàm aliorum sententiam. *Primò* quia ordinatus fuerat à Paulino trium hypostaseon hoste, qui Occidentem & Ægyptum hypostasibus minùs æquum effecerat. *Secundò*, quia timebat, ne nomine hypostaseos aliqui non personam, sed substantiam significarent.

71. Quòd verò ait; *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum comederit agnum, prophanus est, si quis in Arca Noe non est, peribit regnante diluvio.* Dictum est *officiosè* & *per exaggerationem.* Deinde id non probat, Sedis Apostolicæ sententiam infallibilem esse semper fidei regulam, sed ad summum ordinariò adhærendum esse Romani Pontificis sententiæ, eosque, qui à Sede Apostolica dissident, in periculum schismatis venire, at nihil id facit ad fidem, & judicium Romani Episcopi, sed tantùm ad communionem. Denique perspicuum est ex dictis, cur Hieronymus Romani Episcopi imperium ad tres hypostases profitendas expectârit, quippe sentiebat, quæstionem esse de nomine, nihil mali esse, si tres hypostases bono sensu profiteretur; verùm cùm id ab ipso exigeretur, nolebat id facere, quia cum Occidente & Ægypto communicabat, qui tres non dicebant hypostases, fueratque ordinatus à Paulino trium hypostasium adversario: ipseque peculiares habebat inimicitias cum ijs, qui tres dicebant hypostases. Quid aliud quæso, poterat facere, cùm ab eis urgeretur, ut tres hypostases diceret, quàm à Romano Episcopo petere, num vellet, num juberet, ut tres diceret hypostases? Nam si citra ejus authoritatem id fecisset, visus fuisset ab Ecclesiæ Occidentalis & Ægyptiæ communione discedere, quod inprimis cavebat. Ergo imperium & judicium Romani Episcopi non expectat, ut sententiam ferat de quæstione circa tres hypostases: ipse enim sciebat, quid de ea esset sentiendum, & ante Damasi responsionem suum tulerat judicium, sed volebat ejus authoritatem habere, quam Orientalibus opponeret.

Refutatio istius exceptionis.

72. Esto, inter Orientales, & Occidentales fuisse concertatũ de nomine hypostaseos, dum illi sub hac voce substantiam intelligentes negabant, in Divinis esse tres hypostases, econtra isti eo nomine significantes subsistentiam ac personam in Deo, tres hypostases, scilicet personas affirmabant. Quia verò sub ejusmodi æquivocatione latêre potuisset error, ac hæresis Ariana, Filij, ac Spiritûs sancti substantiam inter se, & à Patris essentia Divina distinctas protervè defendens, ideo dignum erat, circa illud nomen una & rem eo significatam ita fieri determinationem, ut Trinitas Divinarum Personarum in unitate Essentiæ subsistens illibatè teneretur, & unanimiter affirmaretur. Quam proinde ob causam S. Hieronymus ita cupiebat à Romano Pontifice definiri, tres in Deo esse hypostases in unitate Essentiæ Divinæ subsistentes, ut certus esset, sub tali definitione nullum posse locum esse errori non circa vocem duntaxat, sed circa ipsum sacrosanctæ Trinitatis mysterium cum fide pugnanti. De hac enim fidei certitudine apertus sermo est, dum is S. Ecclesiæ Doctor in prædicta ad Damasum epistolâ dixerat: *Quisquis cum Romano Pontifice non colligit, spargit.* Sicque adeò *qui Christi non est, Antichristi est.* Quomodò enim hæ antitheses locum habere possent de concertatione solius nominis, ita ut valeret utrinque fidei veritas subsistere?

Quia porrò is S. Ecclesiæ Doctor ad hanc in 73.
Sede Apostolica fidei certitudinem astruendã hoc inducit fundamentum, quòd nempe sciat, *super illam* Cathedræ Apostolicæ, *cui communione consociatur*, petram *fundari Ecclesiam à portis inferi nullatenus superandam*: quomodò fas erat Ellesio excipere, hoc *per exaggerationem*, & *officiosè* tantùm fuisse dictum? Quasi verò ex sacris Litteris argumentatio tam ponderosa dici posset *officiosa*, & *per exaggerationem* solummodò facta. Quomodò proinde Ellesio asseverare rursus licuit, judicium Romani Pontificis in ijs verbis, magni equidẽ ponderis esse, non tamen infallibile denotari? Dum enim is, qui extra domum super illâ Cathedrâ Apostolicâ ceu petrâ ædificatam comederit agnum, definitivè pronuntiatur prophanus, imò extra Noe arcam constitutus, certò adeò periturus, quomodò tali censuræ locus esse posset, si in definitione Romani Pontificis, super cujus Cathedram, ceu petram est ædificata Ecclesia, non esset fidei dogmatum infallibilitas?

ARGVMENTVM. II.
Nostratis sententiæ.

74. HOc desumitur ab authoritate Divi Augustini *serm. 2. de verbis Domini cap. 10. Iam enim* inquiuntis, *de hac causa Pelagij, atque Cælestij, duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, error utinam aliquando finiatur.* Unde, cùm hic S. Ecclesiæ Doctor finitam putet causam fidei, quando post Concilia Sedes Apostolica judicavit, dicendum est, hujus esse supremum, & infallibile judicium.

Exceptio Ellesij.

75. HIc Author excipit, finitam dici causam Pelagianorum post Conciliorum, & Apostolicæ Sedis judicium, non quòd nullum superius esset judicium, superius enim agnoscit in simili causa Augustinus, cùm ait, post judicium Romanæ Sedis adhuc restâsse plenarium Ecclesiæ Concilium, sed quia post damnationem Romani Pontificis, Pelagianorum causa omni defensione spoliata erat. Nam antequàm à Zozimo proscriptus fuisset Cælestius, jactitabant Pelagiani, se à Romano Episcopo, & multis Occidentalibus probari; ubi verò ab isto Pontifice Pelagius, & Cæ-

lestius apertè damnati sunt, jam defensione omni carebant, ac propterea finita dici poterat eorum causa, quia unanimi consensu ab omnibus Occidentalibus damnabantur. Porrò tantùm abest, ut Augustinus scripserit, hanc causam finitam esse judicio Sedis Apostolicæ, quia supremum erat, & infallibile, ut ipse de ea dicat, quòd si de Cælestio & Pelagio in Romana Ecclesia fuisset aliquid secus judicatum, nota prævaricationis esset Clericis Romanis inurenda.

Refutatio istius exceptionis.

76. APerta vox est Augustini, quòd causa Pelagianorum finita fuerit non præcisè ex duorum Conciliorum decretis, sed ex rescriptis Sedis Apostolicæ. Etsi verò illa duo Concilia fuerint tantùm provincialia, nec adeò perinde, ac Concilium Oecumenicum, potuerint causæ illi finem imponere: quamvis insuper ad certitudinem in dogmatibus fidei definiendis *quoad nos*, & in ordine *ad protervos convincendos*, maiorem obtinendam à Sedis Apostolicæ definitionibus, quandoque ad Concilij Oecumenici judicium ex Duorum, Papæ scilicet, ceu Capitis, ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hierarchici consensu subsistens fiat recursus: attamen hoc minimè obstante, secundùm aperta Divi Augustini verba per Apostolicæ Sedis rescriptum, duplicis illius causam Pelagianorum condemnantis Concilij Africani confirmatorium, fuit ea causa finita. Oportet igitur secundùm Divum Augustinum Apostolicæ Sedis, seu Pontificis ex Cathedrâ suâ Apostolicâ definientis, *secundùm se*, ac *rei veritatem* inexistere totam authoritatem, in vi cujus dici possit causa fidei, etiam dogmata concernens, finita.

ARGUMENTUM III.
Nostratis sententiæ.

77. PEtitur hoc argumentum ex Petro Chrysologo *epist. ad Eutychen* ante Concilium Chalcedonense ita scribente: *Hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

Exceptio Ellieſij.

78. EXcipit hic Theologus, aliud esse, beatum Petrum veritatem fidei quærentibus præbere, aliud infallibiliter eam præbere. Prius de Romano Episcopo dicit Chrysologus, non posterius, quod tamen unum est probandum.

Refutatio istius Exceptionis.

79. ETenim veritas in se ipsa habet *intrinsecam*, ac *essentialem* repugnantiam cum falsitate ac errore. Ubi verò est *intrinseca*, ac *essentialis* repugnantia cum falsitate, ibi sub talis repugnantiæ hypothesi est impossibilitas falsitatis. At verò in Romani Pontificis Sede secundùm S. Chrysologum, ipsomet etiam Ellieſio fatente, ita vivit ac præsidet B. Petrus, ut *definitè* & *absolutè* loquendo præbeat quærentibus fidei veritatem. Consequens est igitur, Romanum Pontificem viventem, ac præsidentem in Petri Sede, atque ex hâc Cathedrâ Apostolicâ definientem fidei veritatem, hanc ita præbere, ut jam sit impossibilitas falsitatis in fide, sicque adeò Romanus Pontifex ex Cathedrâ suâ Apostolicâ decernens fidei dogmata, sit prorsus infallibilis: quomodò enim fallibilitas subsistere posset in & cum petrâ, super quam ædificata est Ecclesia, cui portas inferi prævalere, prorsus est impossibile?

ARGUMENTUM IV.
Nostratis sententiæ.

80. DEsumitur hoc argumentum ex Divi Bernardi sententia *epist. 190.* ad Innocentium ita loquentis: *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror, ibi potissimùm reparari damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua?*

Exceptio Ellieſij.

81. EXcipitur *primò*. Ex uno Bernardi efficio dicto infallibilitatis privilegium Romano Pontifici tribui non posse, nisi accedat Scripturæ, & Traditionis authoritas. Nam etiamsi constaret, mentem Bernardi fuisse, his verbis Pontificem Romanum infallibilem prædicare, hujus unius authoritas ad istud privilegium Romano Pontifici asserendum, minimè sufficeret.

82. *Secundò*. Non loquitur Bernardus de persona Papæ Romani, sed de Sede Petri, ac probari ex isto loco tantùm potest, Romanam Ecclesiam totam non posse à fide deficere; at immeritò concluditur, Romano Pontifici soli idem privilegium competere.

83. *Tertiò*. Loquitur Bernardus *comparatè*, non *absolutè*, exaggerando Pontificis Romani authoritatem, quâ tunc opus habebat ad Abaelardi errores proscribendos.

84. *Quartò*. Innocentius non putavit, hæc verba Bernardi ad se solùm pertinere, nam Abaelardi errores, licèt à duobus Conciliis jam damnatos, non nisi coacto iterum Concilio proscripsit: *Nos itaque*, inquit in epistola, quæ inter Bernardinas est 294. *qui in Petri Cathedrâ, cui à Domino dictum est, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, licèt indignè residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum consilio, destinata nobis à vestra dilectione capitula, & universa ipsius Petri Abaelardi perversa dogmata Canonum authoritate cum suo authore damnavimus.*

Deni-

85. Denique Bernardus *lib. 3. considerat. ad Eugenium* de Romanis Pontificibus, ut errori obnoxijs loquitur, præsertim c. 4. *Tunc*, inquit, *tibi licitum censeas, suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt Patres tui? Si justitiæ est, cuique servare suum, auferre cuiquam sua, justo quomodò poterit convenire? Erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.*

Refutatio istarum exceptionum.

86. QUomodò, mi Ellieſi, non apertam impudentiæ notam incurris, dum in re tanti momenti, fidei dogmata nimirum contingente, Divi Bernardi dictum *officiosum* dicere præsumis? Quomodò hæc tua imputatio non erit dicenda redundare in ipsam Christi orationis efficaciam, dum, quam in fidei damnis resarciendis authoritatem Divus Bernardus adscribit Romano Pontifici, eam probaverat ex Christi Domini orationis efficaciâ, utpote cujus soli Sedi, non alteri, ab eodem Domino nostro dictum esset: *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua?* Dum ergo mi Ellieſi, Divum Bernardum ex hâc Christi orationis efficaciâ Cathedræ Apostolicæ infallibilem authoritatem probare nitentem, præsumis *de officioso* dicto, ac exaggerationis excessu coarguere, quomodò non in ipsum Christum, ejusque orationis efficaciam impegisse meritò diceris? Et hinc lubens tibi concedo, infallibilitatis in fidei rebus privilegium non ex uno Bernardi *officioso*, sed quâ in ipsa Christi orationis efficaciâ solidè fundato verbo Divino, adstruendum esse. Quod adeò Cathedræ Apostolicæ de fidei infallibilitate privilegium, vel maximè locum habet in Romano Pontifice, intrà Concilium Oecumenicum decernente, attamen ex verborum Christi proprietate noscitur subsistere, quoties Papa decernit ex suæ Cathedræ petrâ, super quam ædificatur Ecclesia. Cui infallibilitati nec quidquam derogat, quòd Papa in ijs, quæ Facti sunt, præsertim ut persona privata, dicatur errori obnoxius.

ARGUMENTUM V.

87. Nostratis sententiæ.

A Latinis Patribus fit transitus ad Patres Græcos: inter quorum testimonia vel maximè elucent, quæ ex libris Thesaurorum Cyrilli laudantur a Divo Thoma multis in locis, ut *in dist. 24. q. 3. art. 2. Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est, quærere, quid credere, quid sinere debeamus, ipsum venerantes, ipsúmque rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corripere, statuere, & disponere, solvere & ligare loco illius, qui ipsum ædificavit, & multis alijs, quod suum est, & plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure Divino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.* Idem testimonium repetit *in libro* contra impugnantes religionem, & *in opusculo* contra errores Græcorum, ac demùm in Catena aurea aliud sub ejusdem Cyrilli nomine testimonium refert his verbis: *Cyrillus*, inquit, *in libro thesauri: secundùm autem hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticáque circumventione manet immaculata, super omnes Primates Ecclesiarum & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima, & authoritate Petri, & quamvis aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassibiliter illa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, &c.*

Exceptio Ellieſij.

EXcipitur. Hæc loca Cyrilli esse subdititia, luce clariùs est. *Primò* enim non extant in genuinis Thesaurorum Cyrilli libris, unde illa refert Divus Thomas; nec extare illic possunt, cùm nihil faciant ad scopum, qui hîc in eo totus est, ut Trinitatem ex sacris litteris probet, nec aliò excurrit. Deinde istorum locorum sensus & stylus longè abest à doctrina & stylo Cyrilli. Demùm qui eos laudârit, primus est Divus Thomas, quem nemo nescit, sæpe sæpius subdititia scripta, & testimonia Patrum pro veris laudâsse.

Refutatio istius exceptionis.

88. QUi ne Angelico quidem Doctori eam defers reverentiam, quin subditijs scriptis usum fuisse eum inclames, convinceris hinc verborum illorum, quæ maximi esse ponderis, ipsa Divi Thomæ authoritas probat, claritati succubuisse. Et hinc ex ejusdem Angelici Doctoris præponderante authoritate in caput tuum retorquetur tua ulterior exceptio adversùs Divi Chrysostomi, Maximi, Cyrilli, & aliorum à Divo Thoma laudatorum Scriptorum testimonia, Concilijque Chalcedonensis acclamationem, maximè dum quod responsum ex S. Chrysostomo adaptatum fuerat Bulgarorum consultis, postea primùm productis, ex tanti quoque Doctoris authoritate omninò potuerit speciale robur obtinere.

§. VI.

Vindicantur argumenta deprompta ex authoritate Summorum Pontificum.

ARGUMENTUM I.

Nostratis sententiæ.

89. HOc desumitur tum ex verbis epistolæ Lucij I. ita differentis: *Ecclesia Romana Apostolica & mater Ecclesiarum omnium, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te Petre, &c.* Eadem ferè habentur in epist. Felicis primi. Tum ex Agathonis Papæ epistola probata in Synodo VI.

art.

art. 4. in qua sic loquitur : *Hæc est veræ fidei regula, quam in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probatur, aut hæreticis novitatibus nunquam depravata succubuit. Quia dictum est Petro: Simon, ecce Sathanas expetiit: Ego autem rogavi prote Petre, &c. Hîc Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores fecisse, cunctis est agnitum.*

Exceptiones Ellieſianæ.

90. EXcipitur *primò*. Lucij I. & Felicis I. testimonia nullius esse momenti, utpote desumpta ex epistolis, quas subdititias esse, constat apud omnes, in utrâque istâ, falsa Consulum nota earum notheſan speciatim prodit.

91. Excipitur *secundò*. Cùm ab Agathonis testimonio ordiamur, agnosci hinc, nullum Pontificem per quinque & ampliùs Ecclesiæ sæcula sibi infallibilitatem arrogâsse. Deinde, non dici ab Agathone, Romanum Pontificem infallibilitatis privilegium habere, sed tantùm Romanam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis non aberrâsse, quæ assertio est *Facti*, non *Iuris*, nam ex eo, quòd aliquis non erraverit, non sequitur, eum errare non posse. Denique id Agathonem non de solo Romano Pontifice dicere, hoc enim falsum fuisset, nam Liberium & Honorium à traditionis Apostolicæ tramite deviâsse, ignorare non poterat, sed de Romana Ecclesia, quæ deficientibus à fide Episcopis suis, nunquam tamen à fide defecerat.

Refutatio istarum exceptionum.

92. INprimis quomodocunque, vel ex aliquo accidentario duntaxat errore nitaris Lucij I. & Felicis I. epistolas labefactare, ipsa tamen ponderosa antiquitatis authoritas prævalere meritò censenda est tuæ frivolæ exceptioni.

93. Ex Agathonis dein testimonio patet, infallibilitatem Papæ reduci in Christi Domini orationis efficaciam, promissionemque Divinam, ut vel hinc tuæ, Ellieſi, exceptionis infirmitas evincatur, dum illi Apostolicæ Sedis privilegio non antiquiorem ijs temporibus originem affingis, nullo etiam respectu habito ad ejus Pontificia verba, quibus dilucidè asseruit, Prædecessores suos privilegio illi Divinitus sancito, se conformando, fratres suos confirmâsse, utpote ex promissione Divina omninò certos, fidem Petri non defecturam. Et quia idem Agatho, affirmando, Romanam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis non aberrâsse, hujus rationem in hoc reducit principium, quòd Dominus fidem Petri non defecturam promiserit, quomodò fas fuit Ellieſio, excipere, hanc Agathonis assertionem solummodò esse *Facti*, minimè verò *Iuris*? Quamvis proinde, si de Romani Pontificis personâ privatâ sit sermo, potuerit omninò contigisse, ut aberraret à fide, eò ipso tamen, quòd ipso Ellieſio fatente, illud infallibilitatis privilegium sit Romanæ Ecclesiæ proprium, ideo negandum prorsus est, Papam ex Cathedræ Apostolicæ Petra, super quam ædificata est Ecclesia, definientem, posse à fide aberrare.

ARGUMENTUM II. Nostratis sententiæ.

Istud argumentum petitur ab authoritate tum Nicolai I. *in epist. 8.* ad Michaelem Imperatorem ita scribentis: *Privilegia ipsius Sedis perpetua sunt Divinitùs radicata, atque plantata: impingi possunt, transferri non possunt, quæ ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.* Et mox ostendens, unde illa privilegia tam liberè prædicaret, hæc ait, nam & inter cætera *is, per quem nobis præcipuè ista privilegia collata sunt, aliquando conversus, audivit à Domino: Confirma fratres tuos.* 94.

Tum Leonis IX. *in epist. 5.* ad Petrum Antiochenum, sic loquentis: *Nimirum solus est Petrus, pro quo, ne deficeret fides ejus, Dominus & Salvator asseruit, se rogâsse, dicens: rogavi pro te &c. quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec deficiens creditur in throno illius usque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usquequaque confirmare non cessavit.* 95.

Tum Innocentij III. *in Cap. Majores de Baptis. & ejus effectu*, ita statuentis: *Majores causæ, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendos intelliget, qui novit pro eo Dominum exorâsse, ne deficiat fides ejus.* 96.

Exceptiones Ellieſianæ.

97. EXcipitur *primò*. In illa prælegata Nicolai I. *epistola 8.* nihil dici, ex quo infallibilitas deduci possit. Privilegia Sedis suæ commendat, ea transferri non posse, & in æternum permansura esse, dicit: hoc nihil ad infallibilitatem Pontificis Romani. Nam licèt Ecclesiam Romanam semper subsistere, & à fide penitus non deficere, necessarium sit, haud inde sequitur, ejus Episcopum in errorem cadere non posse. Quòd verò addit, Petro, à quo hæc privilegia Romanæ Sedi sunt collata, dictum esse; *Et tu confirma fratres tuos*, si probaret aliquid de Romano Pontifice, probaret, eum non posse in culpam cadere, quin pœnitentiam agat, & sic non posse damnari. Addit enim Nicolaus post hæc verba: *Et tu confirma fratres tuos, siquidem & in culpam recidit Petrus, ut sciret, qualiter infirmitatis aliorum misereri deberet, &c.* Ergo, si idem privilegium haberent Successores Petri, quod habuit Petrus, haberent omnes donum perseverantiæ finalis, sed, ut jam dixi, Nicolaus ex his probare minimè vult, se errare non posse, sed suum esse, solicitudinem Ecclesiarum omnium gerere, & fratres per vim oppressos adjuvare; veluti colligitur ex antecedentibus verbis;

Hæc,

Hæc, inquit, *Ignatium Patriarcham nullâ regulâ, nullóque ordine dictante dejectum, tanquam fratrem adjuvare compellunt: nam inter cætera is, per quem nobis sunt hæc privilegia collata, sic aliquando conversus, audivit à Domino, confirma fratres tuos.* Ubi videre est, privilegia Romanæ Sedis à Nicolao commendata eò tantùm spectare, ut Romanus Episcopus Ignatium Patriarcham injustè dejectum possit adjuvare.

98. *Secundò.* Præadducta verba Leonis IX. non esse ita strictè accipienda quasi Romanus Pontifex à fide deficere, non possit alioquin probaret, eum non tantùm docendo Ecclesiam, errare non posse, sed nec fidem eum posse amittere: non loquitur ergo de persona Romani Episcopi, sed de Romana Ecclesia: unde *in epistola* ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, eundem Scripturæ locum allegans, ex eo probat, fidē Petri non defecturam in universa Ecclesia. *Taliter* inquit, *sancta Ecclesia super Petrum* (id est) *Christum, & super Cepham, filium hominis est ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas: Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; cujus promissionis effectū se impetrâsse à Patre, Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Ego rogavi pro te, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nónne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet, tam per eundem Petrum, quàm per suos successores convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?*

99. *Tertiò.* Innocentium *loco cit.* unicè petere, ut majores causæ, ac præsertim fidei, ad se referantur, at ipsum non dicere, eas supremo, ac infallibili judicio à se judicandas: nec alio fine adducit hæc verba Christi ad Petrum: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo immeritò ab Adversarijs ad probandam infallibilitatem adducuntur, cùm ex ijs tantùm probet Innocentius, causas majores ad se referendas, & alio in loco disertè dicat, se in fide posse aberrare, & ab Ecclesia judicari, *serm.* scilicet *3. de consecratione Romani Pontificis*, ubi sic loquitur: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum Iudicem habeam, ob peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari.* Porrò peccatum in fide committi non potest, de quo Ecclesia possit cognoscere & judicare, nisi fiat docendo pravum aliquod dogma. Hoc autem ipsi Innocentio contigit: consultus enim ab aliquo Abbate Cisterciensi de quodam, qui sibi confessus fuerat, se celebrâsse Missas, etsi laicus esset, & sic vellet permanere, an posset in hoc casu revelare secretum confessionis, ex Consilio Cardinalium censuit Innocentius, revelandum esse in eo casu confessionis secretum. Id refert Cæsarius Cisterciensis Monachus Innocentio æqualis *lib. 3. hist. memorab. cap. 32.* ubi ait, *Innocentij responsionem simpliciter, & absolutè datam, non solùm communi Theologorum doctrinæ adversari, sed etiam videri repugnare Lateranensi Concilio, can 21. sub eodem Innocentio celebrato.*

Refutatio istarum exceptionum.

100. IN primis Nicolaus I. eatenus statuit, privilegia Sedis suæ Apostolicæ manere perpetua, ut inter hæc etiam indefectibilitas à fide recenseatur in vi Christi verborum: *Confirma fratres tuos* connexorum cum istis ejusdem Domini verbis: *Pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* At eoipso, quòd teste Ellieſio, hoc privilegium competat Sedi Apostolicæ Romani Pontificis, quâ ex Cathedrâ decernentis, oportet Romanum Pontificem, licèt, dum non loquitur ex Cathedrâ, sicque in sua persona privata possit à fide deficere, attamen quatenus ex illius Apostolicæ Cathedræ Petra, super quam Ecclesia à portis inferi semper prævalens ædificatur, fidei definit dogma, non posse ut siculli contra fidem errori obnoxium dici. Ex illo igitur Nicolai I. argumento manifestè evincitur Papæ, quâ ex Cathedra loquentis in fide infallibilitas.

101. Deinde Leo IX. dicendo, efficacem Christi orationem obtinuisse, ne fides Petri credatur in throno usque in sæculum sæculi defectura, apertè sancit, infallibilitatem fidei esse immobiliter connexam cum throno Apostolicæ Petri Cathedræ. At ista immobilis connexio haud subsisteret, si Papa ex Cathedræ Apostolicæ authoritate definiendo fidei dogmata, esset errori obnoxius. Nec reverâ Ecclesia Romana, super hanc immobilem Petram ædificata esset prorsus certa fidei nunquam amittendæ, nisi Cathedræ Apostolicæ ad instar Petræ super se fundantis Romanam Ecclesiam, competeret illâ per Christum promissa à fide indefectibilitas. Quæ proinde fidei petræ in Cathedrâ Apostolicâ firmitas in causa est, cur majores, fidem præcipuè concernentes causæ, ad ejus judicium referri debeant. Quod adeò fidei judicium oportet eo ipso esse infallibile, quòd Christus non tam pro Petro personaliter spectato, quàm ejus Cathedrâ perpetuâ rogârit, ne fides ipsius deficeret; uti argumentatur *præcitatus* Innocentius. Qui proinde Pontifex licèt aliquando fassus sit, se in sua persona propria posse fidei errori obnoxium esse, attamen ejusmodi errabilitatem à suâ Cathedrâ Apostolicâ, sive à se, quâ ex hujus Petrâ per Christum immobiliter firmatâ remotissimam pronuntiavit.

Corollarium finale.

102. QUod ergo Ellieſius *in suo præloquio* desideraverat, ut Romani Pontificis ex Cathedra loquentis in fide infallibilitas ostenderetur ex sacra Scriptura & Traditione; hoc abundè à nobis præstitum jam habetur *in antecedentibus*. Dum verò ulteriùs desiderat, quid exigatur, ut Papa dici queat loqui ex Cat-

Cathedrâ, ejus rei explicationem ex Christi Domini verbis *Matth. 16.* ad Petrum *definitè* prolatis adferimus, quòd scilicet Papa sit loquens ex Cathedrâ, quat[illegible]s ex Apostolicæ suæ authoritatis petrâ, [illegible]uam ædificata extat Ecclesia, fidei dog[illegible]a, seu morum decreta definit. Et quia in *secunda disquisitione præsentis 4. art.* probavimus, hanc Petræ Apostolicæ firmitatem subsistere etiam *antecedenter* ad Corporis Ecclesiæ Hierarchici unà secum in Concilio Oecumenico coadunati consensum; idcirco non intrà duntaxat, sed etiam extra Synodum Universalem Ecclesiæ universæ *perfectè & completè* repræsentativam, posse in vi authoritatis ipsi quà Capiti & ut sic Ecclesiam totam *Capitaliter* repræsentanti convenire, ut fidei dogmata *absolutè* ac *definitivè* sanciendo, dicendus sit statuisse ex Cathedrâ suâ Apostolicâ, atque adeò potiùs ut sic in rebus fidei infallibilitate *quoad se*, & *secundùm rei veritatem* omninò perfectâ, licèt *quoad nos*, & in ordine *ad protervos convincendos*, major vis sit authoritatis *omnimodè* & *consummatè* convincentis, dum suum consensum authorizativum conjungit cum fidei & morum decretis, intrà Synodum Oecumenicam à reliquo etiam Ecclesiæ hierarchico Corpore comprobatis.

Dei gloria, Deiparæque honor,
ac omnium Sanctorum religiosa
veneratio.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
NOTABILIUM HUJUS OPERIS.

A.

Academia Parisiensis.

Hujus circa Concilij superioritatem super Papa sensus legitimus indagatur. Pag. 388. à n. 61. & pag. 389. item pag. 390. per totam.

Acephalum *Concilium.*

Varij status Concilij *acephali* distinguuntur. Pag. 243. à n. 45. & pag. 342. à n. 1.

Concilium à Papa congregatum, cui præsident Legati Pontificij, etiam antecedenter ad personalem circa fidei dogmaticas sanctiones consensum, non est amplius in statu Concilij *acephali*, sed est in via Concilij Oecumenici. Pag. 233. n. 1. & 2. item pag. 343. n. 4. & 5.

Quantum specialis prærogativæ conveniat Concilio *acephalo* ex totius orbis Christiani Episcopis conflato. Pag. 238. n. 24. & 25. item pag. 344. n. 10. 11. & 12.

Papæ supra Concilium *acephalum* superioritas ostenditur ex *Deut. 16. cap.* Pag. 345. pag. 346. pag. 347. & pag. 348.

Papæ supra Concilium superioritas probatur *ex Matth. 16. cap.* pag. 245. à n. 54. pag. 248. n. 69. ac seq. item pag. 256. à n. 59.

Summi Pontificis, ceu Capitis, & Concilij quasi *acephalicè* spectati munera & prærogativæ elucidantur. Pag. 260. ac seq. item pag. 357. à n. 63.

Duorum nempe Capitis, & Corporis Hierarchici in Concilio consensus magis explicatur. Ibi n. 65. & seq.

Quomodò Concilium *acephalum* dici possit, esse repræsentans universam Ecclesiam. Pag. 321. n. 51. & pag. 371. à n. 45.

Appellatio à Concilio ad Papam, vel econtra à Papa ad Concilium.

Præstruitur hujus difficultatis via ex Concilio Constantiensi. Pag. 358. n. 97.

A Papa provocatio ad Concilium quomodò subsistere aliquando possit, minimè tamen secundùm viam appellationis. Pag. 268. n. 19. & 20. item pag. 358. n. 68. 69. 70. & 71.

Explicantur constitutiones Pontificiæ de non appellando ad futurum Concilium. Pag. 272. n. 40. item pag. 359. n. 72. & pag. 360. n. 74.

Appellatio à Papæ supremo judicio ad Concilium à Martino V. intrà Constantiensem Synodum interdicta. Pag. 424. n. 90. item pag. 425. 426 & 427.

Appellationes ab abusu Ecclesiasticæ jurisdictionis intrà Galliam usurpatæ.

Harum origo & ratio. Pag. 615. & 616. item 617.

Gallicanorum Authorum illas appellationes defendentium argumenta expenduntur. Pag. 618. item pag. 619. usque ad pag. 621.

Nullo titulo colorari potest illa appellatio, ut in conscientia securi esse possint eam prætendentes. Ibi à n. 42. & pag. 622. usque ad 626.

Ulterior discussio argumentorum, quæ ab appellationibus ab abusu proferuntur. Pag. 628. à n. 14. item pag. 629. & 630.

Harum appellationum gravitas adversùs jura Ecclesiastica expenditur. Pag. 631. à n. 38. usque ad pag. 634.

Regum circa hoc appellationum genus reformationes. Ibi à n. 61. & pag. 635.

Ordo jurisdictionis invertitur per illas appellationes. Ibi à n. 68. & pag 636.

Apostolica authoritas.

In solo Petro erat ordinaria, in successores adeò transferibilis, in reliquis verò Apostolis erat solùm delegata. Pag. 330. n. 17. ac seq.

Differentia inter Petri ac reliquorum Apostolorum authoritatem Apostolicam. Pag. 250. n. 78. & pag. 353. à n. 50.

B.

Basileensis Synodus.

Ejus contra Eugenium IV. attentata. Pag. 372. n. 48.

Quando desierit esse Oecumenica. Ibi, & & pag. 315. n. 28. ac seq.

Ejusdem reprobatio ex Concilio Lateranensi. Pag. 317. n. 32. & pag. 373. à n. 49.

Beneficia & Bona Ecclesiastica.

Quid authoritatis habeat Romanus Pontifex in beneficia & bona Ecclesiastica *specificè* intrà Galliam consistentia. Pag. 502. col. 2. à n. 1.

Quanta sit Papæ potestas in subsidijs à Clero Gallicano exigendis pro Ecclesiæ necessitatibus. Pag. 503. à n. 8. item pag. 504. & 505.

Quodnam sit Summo Pontifici jus erga beneficia Ecclesiastica intrà Galliam consistentia. Ibi à n. 21. & pag. 506.

Hujus juris probatio. Ibi à n. 31. & pag. 507. n. 33.

Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio.

An sit jus istud merè spirituale. Pag. 680. à n. 213. & pag. 681. à n. 236.

An jus collationis præbendarum in Regibus Franciæ reduci queat in sacram unctionem fundationis seu dotationis titulo vestitam. Pag. 682. à n. 244. & pag. 683.

An jus illud conferendi in Regibus Franciæ reduci queat in privilegium Apostolicum. Pag. 684. à n. 258.

Bonifacius VIII.

Ejus cum Philippo IV. Galliarum Rege concertatio in quibus punctis sita fuerit. Pag. 669. & 670.

C.

Canones & leges sanctæ Ecclesiæ.

Quid de horum relaxatione sentiat Clerus Gallicanus. Pag. 429. & pag 430. usque ad n. 10.

An Pontifex obligetur vi *directivâ* SS. Canonum? Pag. 437. à n. 8.

Ratio hujus obligationis *directivæ* explanatur. Pag. 438. à n. 10. & pag. 439. n. 12. & 13.

Potestatis Pontificiæ in dispensandis sacris Canonibus vis & ratio expenditur. Pag. 440. & 441.

Justa causa ad ejusmodi dispensationem requiritur. Pag. 442. à n. 24.

Antiquæ Ecclesiæ in hoc usus. Ibi n. 25. & pag. 443. item pag 444. per totam.

Antiquorum Canonum usus in quantum sit tenendus. Pag. 524. à n. 116.

Canonum antiquorum disciplina ita est tenenda, ut tamen sit necessitas ijs quandoque derogandi per novas leges. In fine pag. 525. & pag. 526. à n. 123.

Concilium Oecumenicum.

Concilij erga Papam superioritas an sit sancita à Clero Gallicano. Pag. 208, col. 2. à n. 1. & pag 327. à n. 3. ac seq.

Concilij Oecumenici ratio quidditativa reducitur ad hoc punctum, quòd sit repræsentans universam Ecclesiam. Pag. 214. n. 28. & 29.

Hæc repræsentatio explicatur. Pag. 328. n. 2. ac seq.

Generalitas Concilij tum *formalis*, tum *materialis* exponitur. Pag. 213. n. 26. & 27. item cit. pag. 328 n. 4.

Comparatio inter Concilium Constantiense, Basileense, & Tridentinum quoad punctum generalitatis, & characterem Synodi Oecumenici proprium. Pag. 214. n. 30. & 31.

Quid importetur per hoc, quòd dicitur Concilij Oecumenici characterem ex hoc subsistere, quòd sit congregatum in nomine Christi. Pag. 214. n. 32. & pag. 329. à n. 10.

Quomodò authoritas Apostolica præferat nomen Christi, Concilij Oecumenici characterem. Pag. 215. n. 33. & 34. item pag. 330. n. 13. 14. ac seq.

Oecumenici Concilij probatio ex *Matth. 18. cap. à versu 17. usque ad 20.* Pag. 222. n. 20. item pag. 331. n. 29.

An Concilium Generale authoritate Apostolicâ Papæ semel aggregatum jam ex seperaferat characterem Christi vicarium, in vi cujus possit seipsum conservare? Ibi n. 21. & 22.

Hujus quæsiti resolutio ex eo, quòd Concilium Oecumenicum repræsentans universalem Ecclesiam debeat constare ex Capite & Membris Hierarchicis. Pag. 223. n. 21. item pag. 331. n. 23. 24. ac seq.

Ulterior hujus rei confirmatio. Pag. 224. n. 23.

An Papa ex statu unionis cum Concilio habeat aliquid prærogativæ majoris, non quidem quoad ligandi authoritatem, sed quoad omnimodam in dogmatibus fidei infallibilitatem. Pag 333. per totam.

Infallibilitas Concilij Oecumenici subsistit ex consensu Duorum, nempe Capitis in Ecclesia nomen Christi vicarium præferentis, & Corporis Hierarchici ex Prælatis Ecclesiasticis coadunati. Pag. 227. n. 33. & pag. 335. n. 38. & 39.

Concilij supra Papam superioritas refutatur Pag. 227. n. 36. & pag. 336. n. 43. & 44.

Concilij Oecumenici ex consensu Duorum subsistens infallibilitas exponitur sub similitudine currûs mysterioli apud Ezechielem descripti. Pag 337 n. 45. & 46.

Ex regulâ *fraternæ* correctionis *Matth. 18.* instituta non evincit Concilij Generalis supra Papâ superioritatem, ostenditur contra Abulensem. Pag. 243. & 244. item 348. 349. 350 351. & 352.

Vide *acephalum* Concilium.

Constantiense Concilium.

Discutitur Sessionis IV. decretum. Pag. 364. à n. 19.

Expenditur V. Sessionis decretum. Pag. 365. à n. 24. item pag. 366. 367. & 368.

Variæ adversùs istas Concilij Sessiones exceptiones casu, quo illa decreta accipi deberent de Papa indubitato. Pag. 368. & 369.

An, & quomodò ista Synodus dici possit Generalis, ac Oecumenica. Pag. 305. n. 71. ac seq. item pag. 369. & 370.

Sensus Cleri Gallicani circa illa decreta expenditur. Ibi à n. 41. & pag. 371.

Hujus rei ulterior discussio. Pag. 372. à n. 46.

Sensus Cleri Galliani circa dicta decreta restringitur ad Papas dubios, intrusos, vel hæreticos. Pag. 373. n. 51.

Prætacta Sessionis IV. & V. Constantiensis Synodi decreta pertinere tantùm ad tempus schismatis, adversùs Ellieſium firmatur. Pag. 427. à n. 101. & pag. 428. per totam.

Vide *Basileense Concilium.*

D.

Dignitates Ecclesiasticæ.

Harum origo & distinctio. In fine pag. 526. & 527.

Dignitas & authoritas Ecclesiarum Patriarchalium ostenditur ex Christo & Apostolis habere suum fundamentum. Pag. 528. à n. 8.

Ejusdem argumenti continuatio. Pag. 529. n. 15. 16. 17. ac seq.

Solius

Index Rerum & Verborum.

Solius Summi Pontificis jurisdictio est *immediatè* à Christo, sive ex jure Divino: sed Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum quævis prærogativa (extra potestatem Ordinis, & huic connatam jurisdictionem *radicalem*) sunt ex concessione Summi Pontificis. Pag. 530. & 531.

Primatum & Metropolitanorum dignitas, in Gallia præsertim, est orta à Summo Pontifice. Pag. 532. à n. 29. & pag. 533.

Primatis, Patriarchæ, Metropolitani, & Archiepiscopi prærogativæ describuntur. Pag. 534. à n. 37.

Ostenditur harum ex Constitutionibus Pontificijs dependentia. Ibi à n. 41. & pag. 535.

Jactantia nonnullorum, de speciali cujuspiam Regni Patriarcha constituendo, ostenditur inanis & vacua. Pag. 537. & 538. per totam.

E.

Ecclesiasticæ & politicæ potestatum inter se comparatio.

Has nefas est dicere, esse inter se prorsus disparatas, & nullo modo inter se subordinatas. Pag. 6. à n. 27. item pag. 8. n. 40. & pag. 139.

Hæc subordinatio probatur. Cit. pag. 8. à n. 39.

Ulterior hujus rei prosecutio. Pag. 139. n. 7. ac seq.

Hujus subordinationis ratio fundamentalis. Pag. 10. n. 46. & pag. 140. per totam.

Ecclesiasticæ potestatis super omnes Christi oves, atque adeò Reges Christianos protensio ostenditur. Pag. 22. n. 105.

Pastoralis in Ecclesia muneris præeminentia est super omnes Christi oves non tantùm *divisim*, sed etiam *collectim* sumptas, quà constituentes unam Ecclesiam. Pag. 17. n. 83. & pag. 144. per totam, speciatim n. 20.

Argumenti hujusmodi confirmatio ex Extravagante: *Unam sanctam*. Pag. 33. n. 40.

Hujus rei accuratior discussio factâ etiam collatione ad Clementinam: *Meruit. De privilegijs*. Pag. 34. n. 43. & pag. 145. per totam.

Confirmatio rei præsentis ex Concilijs Francicis. Ibi n. 28. 29. & 30.

Ulterior subordinationis illius demonstratio *ex 1. Corinth. 6. cap.* Pag. 18. n. 92. pag. 19. à n. 93, item pag. 153. à n. 63.

Præsentis instituti ratio Theologica. Pag. 20. à n. 99. & cit. pag. 153. n. 70.

Praxis super hujusmodi fundamentis fundata, & probata per Canones. Pag 67. à n. 176. item pag. 154. à n. 72. & pag. 155. per totam.

Ulterior hanc in rem probatio Theologica. Pag. 24. à n. 111. & pag. 156. à n. 85.

Vide *Ellesius Doctor Parisiensis.*

Eliduntur perversæ Ellesij Patrum adversùs Ecclesiasticam in temporalia authoritatum allegationes. Pag. 165. à n. 39.

Limites Ecclesiasticæ & politicæ potestatis describuntur. Ibi n. 40.

Ellesiana circa clavium Ecclesiæ in ligando, & solvendo interpretatio discutitur. Pag. 166. n. 42.

Usus gladij *materialis directè* non stat penes Ecclesiam, nec tamen inde coarctata dici debet Ecclesiastica potestas intrà limites *moralitatis*. Pag. 168. n. 45. ac seq.

Variæ Ellesianæ in hanc rem oppositiones diluuntur. Ibi à n. 47.

Detegitur ineptia Ellesiani argumenti ex hoc, quòd Ecclesia non habeat jus gladij *materialis*. Pag. 168. à n. 50. item pag. 169. à n. 58.

Quomodò verificetur, potestatem Regiam esse *immediatè* à Deo, & ab illius solius potestate pendere. Pag. 171. & 172.

Argumentorum Ellesianorum ex Regiæ potestatis erga Deum immediatione desumptorum refutatio. Cit. pag. 172. n. 7. item pag. 173. per totam.

Ellesiana assertio, quòd peccata Regum soli Deo plectenda relinqui debeant, confutatur. Pag. 173. à n. 12.

Expenditur argumentum ex illo Davidico versu: *Tibi soli peccavi* petitum. Pag. 175. à n. 17.

Ecclesiastica potestas.

Quodnam sit ejus *immediatum* subjectum. Pag. 374. à n. 3.

Ellesij circa hoc argumentorum discussio. Ibi à n. 5. & pag. 375. à n. 6.

Quid hac in re sentiant Patres ab Ellesio perperam allegati. Pag. 376. à n. 6. & pag. 377. à n. 11.

Sancti Augustini, & sancti Leonis circa hoc sententia expenditur contra Ellesium. Pag. 378. & 379.

Abulensis circa hanc rem sententia discutitur unà cum Ellesiano inde petito argumento. Ibi n. 20. 21. ac seq.

Ejusdem rei ulterior discussio. Pag. 380. n. 23. & n. 25. item pag. 381. per totam.

Ecclesiasticæ potestatis à politica discrimen ostenditur ex Gallicanis Authoribus. Pag. 549. à n. 2. & pag. 550. à n. 9.

Ecclesiasticæ personæ.

Quomodò teneantur legibus civilibus ac politicis. Pag. 577. à n. 186.

In quantum exemptio Clericorum à sæcularis potestatis collectis locum habeat. Pag. 578. à n. 190.

Ellesius Doctor Parisiensis circa Regiæ, & Pontificiæ potestatum comparationem.

Ejus sententia circa harum potestatum subordinationem. Pag. 157. à n. 1.

An ex eo, quòd Christus nullam in temporalia potestatem exercuerit, possit inferri, authoritatem Ecclesiæ non extendi ad temporalia. Ibi à n. 3.

Eliduntur Ellesij argumenta. Ibidem à n. 4.

Ulterior Ellesiani in hanc rem argumenti confutatio. Pag. 158. per totam.

Elisio argumenti Ellesiani ex Patribus desumpti. Pag. 159. per totam.

Accuratior ponderatio dominij Christo com-

competentis erga hujus mundi Regna. Pag. 160. per totam.

Missâ *physicâ* naturæ lineâ quoad præsens punctum, fit unicè reflexio ad *moralitatis* in regnum cælorum ordinabilis lineam. Ibi n. 17.

Ex eo, quòd potestas Ecclesiæ clavium sit merè spiritualis, minimè infertur, Pontificiam authoritatem non protendi supra Reges & jura temporalia quoad moralitatem spectata. Pag. 161. per totam.

Ecclesiæ potestas *coercitiva* quoúsque extendatur. Pag. 162. n. 23. & 24. ac seq.

Refutatio Ellieſiani principij, quòd Christus & Apostoli omnem temporalem jurisdictionem amandent ab Ecclesia. Cit. pag. 162. n. 27. & pag. 163. à n. 28.

Coercitivæ intrà Ecclesiam virgæ exercitium non nisi ad volentes extensio refutatur. Pag. 164. à n. 33.

Quomodò authoritas Ecclesiæ sit remota à vi dominativa. Ibi n. 35.

Primarium Ecclesiasticæ authoritatis munus à subsidiario Pastoralis officij munere quomodò discernendum. Pag. 164. n. 36. & 37.

Refutatur Ellieſij Maxima, quòd Regibus discolis resistere non liceat per Ecclesiasticam authoritatem. Pag. 176. & 177. item 178.

Refellitur exprobratio Ellieſiana, quâ novitatis arguitur sententia, docens, posse authoritate Ecclesiasticâ deponi Reges discolos. Pag. 179. 180. item 181.

Episcopalis jurisdictio.

An sit *immediatè* à Papa? Pag. 445. & 446. per totam.

Argumenta pro parte affirmativa adduci solita. Pag. 447. 448. 449. & seq.

Potestas Ordinis Episcopalis non nisi *radicalem* importat jurisdictionem. Pag. 451. n. 39.

Jurisdictio Episcopalis non est connexa cum Episcopali ordine. Ibi n. 40. & pag. 452. n. 41. & 45. ac seq.

Chorepiscopi an sortiantur vel jurisdictionem, vel etiam characterem Ordinis Episcopalis. Pag. 453. à n. 48.

An Episcopi sint *immediatè* à Christo missi? Pag 454. n. 53. & 54.

An Episcopi sint Apostolorum successores etiam quoad jurisdictionem. Ibi n. 58. & n. 59.

Episcoporum jurisdictio est *immediatè* à Papa. Pag. 455. à n. 60.

Hierarchicus quoad jurisdictionem etiam in Ecclesia ordo probat, jurisdictionem Episcopalem non esse *immediatè* à Christo, sed à Papa. Ibi n. 64. & pag. 456. usque ad n. 67.

Ex Patribus & Theologis ostenditur, jurisdictionis origo esse solùm *mediatè* juris Divini. Pag. 457. à n. 68. item pag. 458. à n. 76. & pag. 459 usque ad n. 86.

Episcopatus.

Discussio illius Ellieſiani principij, quòd omnes Episcopi unum in solidum habeant Episcopatum. Pag. 499. à n. 81. pag. 500. & 502.

Excommunicationis Ecclesiastica antiquata.tio contra Ellieſium expenditur.

Ellieſij hâc de re principia. Pag. 603.

Modus & causa excommunicationis contra illum Authorem discutiuntur. Ibi à n. 4. & pag. 604. item pag. 605.

Quomodò Ecclesiæ se mutuò excommunicârint. Ibi à n. 14.

Quomodò Romani Pontificis communio fuerit semper necessaria. Pag. 606. n. 15.

Refutantur, quæ Ellieſius adversùs Romanorum Pontificum excommunicationes objicit. Ibi à n. 16. & 17.

In casu mutuæ Ecclesiarum excommunicationis quænam sit tenenda schismatica. Pag. 607. n. 20. & 21.

Excommunicationis distinctiones. Ibi à n. 22. & pag. 608. à n. 24.

An Reges excommunicari possint. Ibi n. 29. & pag. 609.

Quomodò Regnum integrum interdicto supponi possit. Pag. 610. & pag. 611.

Utrùm in mortuos ferri possit excommunicatio. Ibi n. 46.

Effectus excommunicationis expenduntur. Pag 612. & pag. 613.

Adversùs excommunicatum contumacem quid remedij supersit. Pag. 614.

Depositio quomodò sit consequens excomunicationem. Ibi n. 60.

Innocentes, si per errorem excommunicentur, quomodò se gerere debeant. Ibi n. 61.

F.

Forum.

Hujus probatio ex indefinita ligandi & solvendi potestate, unà & praxi Ecclesiastica. Pag. 466. pag. 467. 468. & 469.

Qualiter competat Summo Pontifici authoritas super sæculares Principes. Ibi à n. 58. & pag. 470. item pag. 471.

Quanta sit necessitas citationis ac probationum in Summo Pontifice circa causas Galliæ Regnum concernentes. Ibi à n. 66. & pag. 472. per totam.

Forum contentiosum Ecclesiasticum.

Gallicanæ Ecclesiæ erga Papam ex concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. initis quoad hoc punctum, concertatio. Pag. 406. à n. 1.

An prima Gallici Regni causarum Ecclesiasticarum cognitio ad sanctam Sedem, vel ad Concilium Provinciale pertineat, expenditur. Ibi à n. 3. & pag. 461. item pag. 462.

An majorum causarum cognitio Judicibus delegatis in Regno Galliæ committere teneatur Summus Pontifex, expenditur ibi à n. 14. & pag. 463. per totam.

Utrùm Papa in ferendo circa causas Gallicani Regni judicio teneatur ordinem judiciarium ex integro observare. Pag. 464. & 465. usque ad n. 31.

A Divinæ doctrinæ regulis alienum foret, potestatem Pontificiam coarctare circa causas Ecclesiasticas, nisi quantum Summi Pontifices seu pactione, seu lege universali eam constri-

strictam volunt salvâ semper potestatis suæ plenitudine. Ibi à n. 32.

G.

Gallicana libertas adversùs jura Ecclesiastica.

Summarium harum libertatum à Petro de Marca collectum refutatur à pag. 579.

Refellitur *primum* hujus Authoris axioma. Ibi n. 4. & pag. 580.

Secundum rejicitur. Pag. 581. & 582.

Tertium discutitur. Pag. 583. n. 27. & pag. 584.

Quartum refellitur. Pag. 585. à n. 37. pag. 586. & 587.

Quintum examinatur. Ibi n. 50. & pag. 588.

Confutatur *sextum*. Pag. 589. à n. 58 & pag. 590.

Horum axiomatum politicam potestatem ultra sphæram suam super jura Ecclesiastica protendentium iniquitas ostenditur. Pag. 591. à n. 70. item à pag. 592. usque ad 602.

Gallia vindicata Author.

Summaria per hunc inductio monumentorum, quibus refutatur moderna Regaliæ protensio. Pag. 650. à n. 68.

Regaliæ ex jure faudali originem trahentes progressus. Pag. 656. à n. 101. & pag. 657.

Ejusdem argumenti continuatio. Pag. 658. usque ad pag. 660.

Regaliæ ultra Concilij Lugdunensis Canonem extensio creditur facta absque debita Regum informatione, imò his quandoque repugnantibus Pag. 664. à n. 148. item pag. 666.

Concilij Lugdunensis Canon confertur cum hodierna Galliæ circa Regaliam praxi, ab ipsismet etiam Regibus quandoque improbatâ. Pag. 670. à n. 184. itē pag. 671. usque ad n. 188.

Summariè ostenditur, jus Regaliæ in aliquibus duntaxat Galliæ Ecclesijs locum habere. Ibidem, item pag. 672. 673. & 674.

Gallicanæ Coronæ subsistentia.

Quantum Gloriæ suæ incrementum tribuere solita fuerit Sedi Apostolicæ. Pag. 691. à n. 292.

Quantum interfit Regni Gallicani cum Sede Apostolica pacem & concordiam servare. Pag. 692. & 693.

Gladius materialis.

Quomodò ejus usus sit conveniens, vel disconveniens Ecclesiasticæ potestati. Pag. 167. n. 45. & 46.

H.

Hebraica sacrorum librorum editio.

Cujus sit authoritatis tum antiqua, tum moderna. Pag. 743. n. 68.

Hierarchicus Ecclesiæ status.

Describitur hic pag. 541. à n. 3.

Ex quibus gradibus consistat. Pag. 542.

Jura cuique istorum sive metropolitici, sive Patriarchalis graduum competentia. Pag. 542. 543. & pag. 544. à n. 11.

Duplex genus hierarchicum est in Ecclesia. Pag. 547. à n. 43.

Quomodò ordinis Sacramentalis genus hierarchicum *immediatè* in Christum, genus verò jurisdictionis seu Patriarchalis, seu Archiepiscopalis, seu Episcopalis *mediatè* reduci debeat in jus Divinum. Ibi, & n. 44. item pag. 548. per totam.

I.

Imperij Romani ex Græcis in Francos & Germanos translatio.

Hujus translationis historia firmatur. Pag. 61. & 62. item pag. 147. à n. 34.

Eliduntur Maymbourgi exceptiones. Pag. 62. n. 150. ac seq. item pag. 148. à n. 38.

Pontificiâ authoritate facta est hæc translatio, in ipso jure Divino fundata. Pag. 63. n. 154. & cit. pag. 148. n. 41. & 42.

Ulterior hujus rei prosecutio contra Elliesium Pag. 192. n. 27. & pag. 193. n. 33. item pag. 194. & 195.

Jus eligendi Imperatorem Germanis concessum à Summo Pontifice. Pag. 196. n. 42. & pag. 197. n. 48. item pag. 198. per totam.

Infallibilitas Romani Pontificis in fidei, ac morum decretis.

Cleri Gallicani de hoc sententia. Pag. 694. à n. 1.

Declarationis ejusmodi Gallicanæ discussio. Ibi à n. 3. & pag. 695.

Quòd Summi Pontificis infallibilitas sit antecedens Ecclesiæ, seu Concilij consensionem, probatur ab inductione Conciliorum & historiarum Ecclesiasticarum. Pag. 711. 712. & 713.

Expenditur, an Concilij Oecumenici sit necessitas ad infallibilitatem dogmatum fidei. Pag. 714. 715. & 716.

Pro infallibilitate Concilij Oecumenici & Papæ expedienda, juvat discernere inter certitudinem fidei dogmatum *quoad se*, & *quoad nos*. Pag. 717. à n. 37. ac seq.

Quando Papa loquatur ex Cathedra. In fine pag. 718. & pag. 719.

Quomodò fidei firmitas *quoad se* dicenda sit in Papa antecedens, *quoad nos* autem consequens Ecclesiæ consensionem. Pag. 720. à n. 44. & pag. 721.

Veteris Testamenti circa hoc punctum argumenta expenduntur. Pag. 726. à n. 25.

Novi Testamenti eandem in rem argumenta. Pag. 727. à n. 29. & pag. 728.

Nostræ hâc de re probationes. Pag. 729. à n. 43. item pag. 730.

Ratio ostensiva cur Papa *ex Cathedra* decernens non possit errare in fide. Pag. 742. à n. 61.

Papæ in rebus fidei omnimoda infallibilitas demonstratur ex Patrum consensu, praxi Ecclesiæ, & ratione Theologica Pag. 754. à n. 1. & pag. 755. item pag. 756.

An Papæ infallibilitas elidi possit per exceptionem dubiæ electionis? Pag. 759. à n. 32. & pag. 760.

Generalis Ecclesiæ consensus de Papæ infallibilitate ostenditur. In fine pag. 764. à n. 55. item pag. 765. & 766.

Quomodò infallibilitas Papæ se extendat

ad quæstiones, quæ sunt *Facti*, ut super ijs formetur judicium prudentiale supernaturale, sub quo fiat reductio ad aliquod universale fidei principium. Pag. 769. à n. 81. & pag. 770. usque ad n. 86.

Summorum Pontificum hâc de re testimonia. Ibi, & pag. 771. 772. & 773.

Iudicium Papæ irreformabile.

Quomodò ostendi possit ex sacris Litteris. Pag. 721. n. 2. & pag. 722.

Refelluntur argumenta, quibus adversarij conantur probare, posse Papam extra Concilium errare in rebus fidei. Pag. 721.

Qualiter Papa ex Cathedra loquens, non tantùm quoad fidei, sed etiam prudentiæ supernaturalis judicium sit infallibilis. Pag. 724. 725. & 726.

Ius appellationum ad Romanum Pontificem vindicatur contra Ellieſium.

Principia circa hoc punctum sancita ab Ellieſio. Pag. 473 à n. 1.

Nicæni Concilij Canon *quintus* circa hoc expenditur. Ibi à n. 4. & pag. 474. usque ad n. 7.

Prætensio Ellieſij contendentis, causas etiam Episcoporum absque ullo ad Romanum Pontificem jure, vi prætacti Canonis Nicæni terminandas esse coram Synodo Provinciæ, refutatur. Ibi à n. 7. & pag. 475.

Nostra Canonis Nicæni expositio contra Ellieſium firmatur. Ibi à n. 15. & pag. 476. ac seq.

Quid à Concilio Sardicensi de appellationibus ad Apostolicam Romani Pontificis Cathedram interponendis fuerit sancitum. Pag. 477. 478. 479. & 480.

Quænam circa appellationes, & ad Romanũ Pontificem Episcoporum recursus, post Sardicensem Synodum sancita fuerint. Pag. 481. à n. 42. pag. 482. & seq.

Quid speciatim hâc in re sit observatum circa Galliæ regnum. Pag. 483. à n. 54. item pag. 484. à n. 56.

Quid ex Concilio Tridentino hâc de re sit statutum; & quanti ponderis ista Synodus esse debeat intrà Galliæ regnum. Ibi à n. 58. & pag. 485. n. 60. & 61.

Fundamentum hujus rei ex sacris Litteris. Ibi n. 62.

Examinantur Episcoporum judicia ad Sedem Apostolicam devoluta Synodum Nicænam antecedentia. In fine pag. 485. item pag. 486. 487. & 488.

Discussio causarum *in quarto* sæculo circa Episcopos à Sede Apostolica judicatarum. Ibi n. 19. & pag. 489. 490. 491. & 492.

Exempla appellationum circa causas Episcoporum ad Sedem Apostolicam devolutarum. Pag. 493. usque ad pag. 495.

Nonnulla tum Gallicanorum, tum aliorum Occidentis & Orientis Episcoporum exempla examinantur. Pag. 496. 497. & 498.

L.

Lateranense Concilium.

Ejus pro Papæ supra Concilium majoritate sanctio. Pag. 402. n. 45.

Ellieſianæ contra hanc exceptiones. Pag. 403. per totam.

Istarum exceptionum refutatio. Pag. 404. & 405. per totam.

Launoius Gallicus.

Varia hujus Authoris argumenta de Pontificum errabilitate confutantur. Pag. 737. à n. 11. & seq. item pag. 736. 737. & 738.

Ejusdem Authoris siniſtræ hanc in rem interpretationes eliduntur. Pag. 773. à n. 93.

Libertas Galliæ prætensa circa beneficia Eccleſiastica.

Hujus libertatis prætensæ initium & origo. Pag. 507. à n. 34.

Concertationes hâc de re cum Summis Pontificibus ex occasione Pragmaticæ à Carolo VII. confirmatæ, sed postmodùm abrogatæ. Ibi n. 37. & 38.

Cleri Gallicani pro ea adversùs Pontificias reservationes libertate ad potestates sæculares recursus. Pag. 508. n. 39.

Prætensæ Eccleſiæ Gallicanæ libertas fusiùs expenditur. Ibi col. 2. n. 1. & pag. 509. item pag. 510.

An Summo Pontifici jus sit, statuta tollendi adversùs libertates Eccleſiæ Gallicanæ. Ibi n. 16. & pag. 511.

Affirmativa circa hoc deciditur & probatur sententia. Pag. 512. à n. 25.

Quænam promulgatio legis Eccleſiasticæ in Regno Gallicano exigatur. Pag. 513. 514. & 515.

Vera hâc de re sententia statuitur & probatur. Pag. 515. à n. 54. & pag. 516.

Petri de Marca circa hoc sententia expenditur ac refutatur. Ibi à n. 58. & pag. 517.

Obligatio legum Eccleſiasticarum an pendeat ab acceptatione Regnorũ? Petri de Marca circa hoc argumenta. Cit. pag. 517. à n. 69. usque ad pag. 520.

Vera circa hoc sententia. Ibi à n. 88. & pag. 521. 522. 523. & 524.

Eccleſiæ Gallicanæ prætensæ libertates qualiter inter se discordent. Pag. 602. à n. 125.

Libertates Regni Francici.

Harum summarium ex Petri Puteani axiomatibus collectum & refutatum. Pag. 551.

Primum hujus libertatis axioma rejicitur. Ibi, & pag. 552. item pag. 553.

Secundum ejusdem rei axioma refellitur. Ibi à n. 34. & pag. 554.

Tertium Puteani axioma refutatur. Pag. 555.

Quartum redarguitur. Pag. 556. à n. 52. & pag. 557.

Quintum discutitur. Pag. 558. à n. 66. & à pag. 559.

Sextum examinatur Pag. 560. à n. 83. & pag. 561. item pag. 562.

Septimum rejicitur. Pag. 563. à n. 100. & pag. 565.

Octavum convellitur. Pag. 565. 566. & 567.

Nonum reprobatur. Pag. 568. 569.

Decimum examinatur. Pag. 570. & 571. item 572.

Ostenditur, præinsinuata Puteani axiomata non cohærere cum fidei principijs. Pag. 573. & 574. usque ad pag. 577.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Index Rerum & Verborum.

Ludovici sancti Pragmatica.

Immeritò adducitur ad defendendas appellationes ab abusu. Pag. 626. à n. 1. & pag. 627.

Ludovici Elites du Pin exceptiones contra Romani Pontificis infallibilitatem eliduntur.

Ejusdem hâc de re proœmium Pag. 773. à n. 1.

Argumenta ipsius ex sacris Litteris, veterisque Ecclesiæ disciplinæ expenduntur. Pag. 774. 775. 776. & 777.

Ejusdem probationes à Romanorum Pontificum exemplis perperam desumptæ refelluntur. Pag. 778. 779.

Reprobantur insuper, quæ hanc in rem profertex Romanorum Pontificum prætensis confessionibus, Conciliorum decretis, & Academiarum, atque Theologorum doctrinis. Pag. 780. & 781.

Vindicantur adversùs Ellesium argumenta ex sacris litteris desumpta pro infallibilitate Papæ. Pag. 782. 783. & 784.

Paris rationis argumenta ex Patrum sententijs perita vindicantur. Ibi à n. 69. item pag. 785. 786. 787.

Vindicantur pariter argumenta deprompta ex authoritate Summorum Pontificum. Ibi à n. 89. item pag. 788. & pag. 789.

Corollarium oppositum Ellesij præloquio, qui concernente Papam ex Cathedra loquentem. Ibi n. 102. & pag. 790.

M.

Majoritas Concilij unà cum Ellesij argumentis confutatur.

Refutatur hæc supra Papam majoritas ex hoc petita, quòd Concilium sit repræsentans universam Ecclesiam. Pag. 382.

Refellitur eadem majoritas ex hoc desumpta, quòd ipsi Pontifices quandoque pro rebus fidei decidendis postulârint Concilia. Ibi n. 33. & pag. 383. per totam.

Quomodò Concilij Oecumenici authoritas superet solius Papæ authoritatem, contra Ellesium expenditur. Pag. 384. à n. 38. & 39. item pag. 385. ac seq.

Summorum Pontificum actitata in hanc rem perperam allegata ab Ellesio. Pag. 386. à n. 46. 47. 48. & 49. & seq. item pag. 387. à n. 51.

Aliorum Pontificum ad hoc Ellesianum institutum iniqua allegatio. Ibi n. 55. & 56. item Pag. 388. à n. 57.

An ex eo, quòd Romani Pontifices professi sint, se Conciliorum legibus teneri, possit evinci hujus super illos majoritas. Pag. 391. per totam.

Malè in hunc finem ab Ellesio adducitur Concilium Florentinum. Pag. 392. à n. 76. & pag. 393. à n. 78.

Mala Ellesij ad præsens propositum argumentatio ex judicijs, ac depositionibus Romanorum Pontificum. Ibi n. 82. 83. & 84. item pag. 394. n. 86.

Ulterior hujus rei discussio. Ibi à n. 87. & pag. 395. n. 89.

Variæ minùs solidæ Ellesij allegationes de errabilitate Papæ ex Cathedra tamen decidentis. Cit. pag. 395. n. 90. ac seq.

Eliduntur Ellesianæ exceptiones oppositæ argumentis pro Papæ erga Concilium *accephalum* majoritate petitis ex sacris Litteris. Pag. 396. n. 2. & 3. item pag. 397. per totam.

Elliduntur Ellesianæ exceptiones oppositæ Summorum Pontificum in Concilijs præsidentiæ, ejusque juri ad ea convocanda, & confirmanda. Pag. 398. à n. 10. & pag. 399. item pag. 400. per totam.

Patrum authoritates pro Papæ majoritate vindicantur adversùs Ellesij exceptiones. Pag. 401. n. 25. & 26. item pag. 402. à n. 35.

Metropolitica dignitas.

An hujus origo sit à Christo. Pag. 544 n. 18. & seq.

An sit ab Apostolis. Ibi à n. 22. & pag. 445.

Hujus rei ulterior indagatio. Pag. 546. & 547.

Moralitatis ratio in exercitio, *&* subjectiva *applicabilitate Regiæ potestatis.*

Qualiter ex isto moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis fundamento Regia potestas *quoad exercitium*, & sui ad certum subjectum applicabilitatem, subjiciatur clavibus Ecclesiæ. Pag. 20. ac seq. item pag. 141. & 142.

Hujus argumenti *ex Deuteronom. 17. cap.* confirmatio. Pag. 14. ac seq. item pag. 142.

Ratio ulterior ex jurium Cæsareanorum per Ecclesiæ authoritatem correctione. Pag. 6. à n. 27. item pag. 143. à n. 13.

Ejusdem rei confirmatio ex collatione *versûs octavi cap. 17. Deuteron. cum versu 17. Matth. 16. cap.* Pag. 66. n. 171. item cit. pag. 143. n. 15. ac seq.

Morum decreta.

Summorum Pontificum in his infallibilitas ostenditur. Pag. 752. 753. & 754.

N.

Natalis Alexander.

Refutatur ejus prætensio, ac si jus Regaliæ æquiparetur investituris, ac aliorum feudorum juribus. Pag. 646. n. 47. 48. ac seq.

Summaria confutatio argumentorum, quæ Natalis Alexander pro Regalia adfert usque ad tempora S. Ludovici. In fine pag. 652. item pag. 653. ac seq.

Summaria confutatio ejusdem generis argumentorum per dictum Natalem à temporibus S. Ludovici & Philippi III. adductorum. Pag. 655. à n. 95. & pag. 656.

Natalis Alexandri æquivocatio in exponendo Concilij Lugdunensis Canone refellitur. Pag. 661. à n. 117. & pag. 662. item pag. 663.

Reprobatur hujus Authoris exceptio, ac si præinsinuatus Concilij Lugdunensis Canon non attingeret Galliæ Regnum. Pag. 666. à n. 162.

Injusta Natalis prætensio, ac si Canon ille collationem beneficiorum non tangeret, refellitur. In fine pag. 667. & 668.

Index Rerum & Verborum.

O.

Oecumenica Concilia.

Qualiter ex his demonstrari possit Papæ ex Cathedra loquentis infallibilitas. Pag. 732. à. n. 1. & pag. 733.

Ulterior hujus rei discussio. Pag. 747. à n. 90. item pag. 749. 750. & 751.

P.

Pallium Archiepiscopale.

Hujus descriptio, ratio, & origo. Pag. 536. à n. 52.

Papa.

Utrùm habeat extra Concilium omnimodam infallibilitatem in rebus fidei. Pag. 334. per totam.

Quantumvis aliqua specialis prærogativa esset in Concilio Oecumenico, hæc tamen non consisteret, nisi per characterem Christi Vicarium Papæ proprium, nec adeò præeminentia hujusmodi importaret superioritatem Concilij erga Papam. Pag. 226. n. 32. ac seq. item pag. 335. n. 37. & seq.

Papæ & Concilij Oecumenici inter se comparatio quoad punctum infallibilitatis. Pag. 336. n. 41. ac seq.

Quomodò Papa subjiciatur Concilij Oecumenici fidei definitionibus, imò & morum decretis absque ulla subjectionis inferioritate. Pag. 337. n. 48. & 50.

Hujus solida ratio deducitur. Pag. 338. n. 52.

An contra Papam à Concilio declaratum injustum invasorem vi & armis possit agi. Pag. 231. n. 48. & cit. pag. 338. n. 53. & 54.

An Papa Concilij tribunali judiciario subdatur ex causa hæreseos, & intrusionis. Pag. 229. n. 43. & pag. 230. n. 46. item pag. 339. à n. 55. & 57.

Utrùm Papa dubius subsit Concilij judicio. Pag. 231. n. 49. & pag. 340. n. 60.

Diluitur objectio contra hoc facta. Pag. 232. n. 52. & 53.

Eo ipso, quòd aliquis ab Ecclesia habeatur pro certo & legitimo Papa, nequit Concilium adversùs illum, quantumvis facinorosum, exercere superioritatis judicium. Pag. 340.

Vide *acephalum* Concilium.

An Concilium Oecumenicum in prærogativa infallibilitatis circa res fidei aliqualiter prævaleat Papæ, absque ulla tamen superioritate. Pag. 238. n. 26. & 28. item pag. 345. n. 13.

Papæ supra Concilium *acephalum* superioritas demonstratur ex *Matth. 16. cap.* Pag. 248. à n. 69. item pag. 352. & 353.

Ulteriùs probatur hæc Papæ superioritas *ex Ioannis 21. cap.* Pag. 246. n. 59. ac seq. item pag. 354. n. 53. & pag. 355. per totam.

Papæ super Episcopis *collectim* etiam sumptis superioritas. Pag. 258. n. 32. ac seq. item 355. à. n. 56.

Ex quibus sacræ Scripturæ fundamentis haberi possit certitudo Papatûs in hoc individuo cum exclusione omnimodi quoad *Ius* & *Factum* dubij. Pag. 462. n. 12.

Ulterior ac fusior hujus rei discussio. Pag. 363. per totam.

Papæ certitudo.

Incertitudo Papæ nullatenus prætendi potest ad hoc, ut vocetur in dubium, an loquatur ex Cathedra. Pag. 660. à n. 37.

Quomodò sit de fide, hunc in individuo esse legitimum Pontificem. Pag. 761. à n. 38.

Ulterior hujus rei prosecutio. Pag. 762. 763. & 764.

Petrus Apostolus.

Quos Oecumenicæ authoritatis actus ex se solo exercuerit. Pag. 383. n. 16.

Plenitudo Pontificiæ potestatis.

An ista possit in jure Divino dispensare. Pag. 431. à n. 3.

Nullum porrò jus Divinum potest *formaliter* in se ipso ut sic relaxari per dispensationem Summi Pontificis. Pag. 432. n. 11.

Pontificiæ tamen authoritati erga jus Divinum ex suppositione voluntatis humanæ obligatorium, est potestas *indirecta*, vi cujus non *formaliter* in seipso, sed *materialiter* ex parte materiæ solvatur juris Divini obligatio. Ibi n. 12. & 13.

An plenitudini Pontificiæ potestatis sint *immediatè* subjecti Prælati duntaxat Ecclesiæ, an verò quæcunque particulares seu Diœceses, seu Parochiæ una cum universis ipsorum subditis. Pag. 433. n. 14. & 18. item pag. 434. à n. 23. item pag. 435. à n. 27.

Pontifex Romanus.

Idirectæ in hoc potestatis erga Reges ratio describitur. Pag 1. n. 1. & 2.

Quid de hac statuerit Clerus Gallicanus. Ibi n. 3. item pag. 134. n. 1.

Quid circa Cleri Gallicani hâc de re sententiam videatur Authori inextinctæ veritatis Concilij Tridentini. Ibidem, & pag. 135. 136. & 137.

Pontificiæ supra Reges authoritatis varia argumenta. Pag. 2. per totam.

Vide *Ecclesiasticæ & politicæ potestatum inter se comparatio.*

Hujus superioritatis argumentum *ex 2. Paralip. 26. cap.* Pag. 15. n. 69. ac seq. & pag. 146. per totam.

Coercitiva supra Reges in Romano Pontifice potestas ostenditur ex sacris Litteris. Pag. 13. à n. 106. & pag. 149. à n. 43.

Hujus ex ipsomet Gallicano Clero fusior confirmatio. Pag. 28. n. 22. ac seq. item cit. pag. 149. à n. 48. & pag. 150. per totam.

Ulterior ejus rei probatio. Pag. 43. n. 89. ac 90. item pag. 151. à n. 56.

Summi Pontificis supra Reges authoritas firmatur etiam *ex 2. Paralip. 23.* & *4. Regum 2.* item *Ecclesiastici 48. cap.* Pag. 12. 13. & 14. item cit. pag. 151. à n. 58.

Præsidentia Papæ in Concilijs Oecumenicis unà cum jure ea convocandi & confirmandi.

Quomodò Petrus hoc munere functus sit in Concilio Hierosolymitano. Pag. 343. n. 6. ac seq.

Variæ circa hoc objectiones expenduntur. Pag. 237. n. 22. & 23. item pag. 344. à n. 9.

Convocationes Conciliorum factæ à Romanis Pontificibus. Pag. 400. n. 22.

Eorundem in Concilijs præsidentia. Ibi n. 23.

Ho-

Horum in Papa jurium radix & causa. Ibidem n. 34.

Primatus Petri.

Perperam expositus ab Ellieſio vindicatur. Pag. 696. & 697.

Ejusdem rei ulterior discussio. Pag. 698. usque ad 703.

Vindicatur idem Petri primatus contra indebitas Ellieſij SS. Patrum allegationes. Ibi n. 30. & pag. 704.

Qualiter ille primatus componatur cum reliquorum Apostolorum, Pauli præsertim quoad Apostolicam authoritatem æqualitate. Pag. 705. 706. & 707.

An Petri primatus importet monarchiam. Pag. 708. à n. 31.

Primatus Romanæ Ecclesiæ.

Expenduntur Ellieſianæ circa hunc argumenta minùs benè formata. Pag. 708. & 709.

Ubi agitur de prætenso Constantinopolitano Primatu à n. 60. item pag. 710.

R.

Regalia intrà Galliam prætensa.

Hujus descriptio & status sub *prima* & *secunda* Regum Francorum Dynastia. Pag. 637. à n. 2.

An subsistat à titulo custodiæ Ecclesiarum. Ibi n. 3. & pag. 638.

An ex titulo feudi. Pag. 639. n. 12. 13. & 14. ac seq.

Uterque ille titulus confutatur. Pag. 640. à n. 17. item pag. 641. usque ad pag. 646.

Status Regaliæ sub *tertia* Dynastia, seu stirpe Regum Franciæ ante Concilium Lugdunense. Cit. pag. 646. à n. 45.

Vide *Natalis Alexander.*

An jus Regaliæ nitatur decretis Calixti II. & Concilij Lateranensis. Pag. 647. à n. 52.

Ulterior hujus rei discussio Pag. 648 à n. 54.

Ex consuetudine non potest cohonestari. Pag. 649. à n. 59.

Regalia non foret tantæ difficultatis, si conformaretur limitibus investituræ Episcopatum à Concilio Lateranensi, & Calixto II. admissæ. Pag. 651. à n. 73.

In quem statum Regalia sit reposita per Concilium Generale II. Pag. 660. à n. 131.

An justa sit adversùs Lugdunensem Canonem exceptio, quòd in Gallia non sit receptus. Pag. 667. à n. 165.

Ex Canone Lugdunensi patet, non omnes Ecclesias tempore illius Concilij fuisse obnoxias Regaliæ, prævalidumque adversùs hujus extensionem opponitur munimentum. Pag. 670. à n. 184.

Vide *tractatus Appamiensis.*

Rationes in Concilio Lugdunensi adversùs Regaliæ extensionem deductæ. Pag. 677. à n. 217.

Regaliæ species discriminantur. Pag. 684. à n. 225.

Philippi Probi deductio circa Regaliam. Pag. 685. & 686.

Cui judicium in causa Regaliæ competat. Pag. 687. à n. 268.

Ulterior hujus quæsiti discussio. Pag. 688. & 689.

Actus Gallicanæ Ecclesiæ adversùs Regaliæ extensionem. Pag. 689. à n. 276. & pag. 690. item 691.

Regia potestas.

Ejus quà suprema in linea politici regiminis à Pontificia authoritate distinctio in jure etiam Divino fundata. Pag. 3. & 138.

Ejusdem Regiæ potestatis exercitium quoad *morale*, & *subjectivam* sui applicationem erga authoritatem Ecclesiasticam subordinatum. Ibi & pag. 4.

Ulterior hujus rei discussio. Pag. 5. & 6.

Quomodò Regia potestas in Christianis participet de ordinis supernaturalis gradu. Pag. 7. à n. 37. & pag. 138. n. 3.

Qualiter eadem participet de *morali* etiam publica in Regnum cælorum ordinabilitate. Ibi.

Quomodò participet de Regno Christi, quod non est de hoc mundo. Pag. 10. n. 47. & cit pag. 138. à n. 4.

Summarium Ecclesiæ Doctorum Papæ super Reges authoritatem adstruentium. Pag. 169. n. 63. & pag. 170. per totam.

Ex eo, quòd potestas Regia sit *immediatè* à Deo, non infertur, ejus quoad moralitatem exercitij sui politici, nec non applicabilitatis ad certum subjectum, non subesse authoritati Ecclesiasticæ. Pag. 172. n. 4. & n. 7.

In quantum Reges sint Ecclesiæ subjecti in vi juramenti de fide Christi defendenda. Pag. 187. n. 31. 33 36. item pag. 188.

Pontificiæ super Reges potestatis argumentum ex duplici Concilio Lateranensi. Pag. 205. n. 81. & 85. ac seq.

Par argumentum ex Concilio Constantiensi. Pag. 206. n. 90. & pag. 207. n. 97.

Theologica in rem hanc argumentatio. Pag. 82. n. 62. & cit. pag. 207. n. 102.

Regula Ecclesiæ visibilis.

Qualiter pro omni statu Ecclesiæ fuerit necessaria. Pag. 731.

Regum exauthorationes.

Factæ sunt hæ à Romanis Pontificibus ex authoritate Oecumenicæ Pastoralis potestatis. Pag. 95. à n. 49. & pag. 152. à n 60.

Hujus rei confirmatio *ex Ecclesiastici 48. cap.* Pag. 16. n. 75. & cit. pag. 152. à n. 63.

Probationes sacræ Scripturæ ex Veteri Testamento pro instituto præsenti vindicantur contra Ellieſium. Pag. 181. n. 1. 2. ac seq.

Ulterior hujus argumenti prosecutio. Pag. 182. n. 6. 11. ac seq.

Rationes ad hoc propositum induci solitæ stabiliuntur. Pag. 183. n. 16. & pag. 184. à n. 18.

Jus defensionis contra Reges Ecclesiæ Adversarios quantum prævaleat in Ecclesiastica authoritate. Pag. 185. n. 22. & 24. item pag. 186. n. 26. ac seq.

Regum excommunicationes & depositiones factæ ab Ecclesia.

Theodosij & Leonis Isaurici excommunicatio. Pag. 188. n. 1. ac seq. item pag. 189. n. 6. & seq. item pag. 190. n. 12.

Childerici Galliarum Regis depositio. Pag. 191. n. 14. & 19. ac seq.

Gregorij VII. processus adversùs Henricum IV. Pag. 199. n. 56. ac seq. item. pag. 201. n. 66. & pag. 202. per totam.

Depositio Friderici I. & Friderici II. Pag. 203. n. 74. item pag 204. à n. 77.

Ruzæus de Regalia.

Justi Regaliæ tituli ex isto Authore discutiuntur. Pag. 678. 679. & pag. 680.

Rationes oppositæ. Ibi à n. 233.

S.

Scheleſtrati argumenta contra Sess. IV. & V. *Concilij Constantienſis decreta.*

Primi hujus Authoris argumenti exceptio elliditur. Pag. 409. 410 & 411. usque ad n. 28.

Quod circa decreta Constantienſis Concilij is Author produxit argumentum, firmatur contra Adversarij exceptiones. Cit. pag. 411. à n. 29. item pag. 412. & 413.

Protestatio Cardinalium & Regis Franciæ Legatorum adversùs IV. & V. Sessionis Constantienſis decretum præviè insinuata firmatur. Cit. pag. 413. à n. 38. item pag. 414. à n. 43. & pag. 415. ac 416. per totam.

Concilij Constantienſis præinsinuata decreta ab una Ioannis XXIII. Obedientia condita non esse comprobata post unitas tres Obedientias, firmatur contra Adversarium. Pag. 417. à n. 54. & pag. 418. item pag. 419. per totam.

Non tantùm non fuisse approbata, sed reprobata à Martino V. adversùs Maymbourgum probatur. Pag. 420. & 421. usque ad finem pag. 424.

Schisma sub temporibus Conciliorum Pisani & Constantienſis.

Explicatur fusiùs in fine pag. 360. item pag. 361. & pag. 362.

Historia Pisani, Constantienſis, & Basileenſis Conciliorum cum refutatione argumentorum Adversariorum ex illa petitorum. Pag. 406. & pag. 407. item pag. 408. per totam.

Sixtus V.

Ipsius sacra Bibliorum editio vindicatur adversùs frivolas quasdam imputationes. Pag. 742. à n. 64.

Ulterior hujus rei discussio. Pag. 746. à n. 84.

T.

Titulus feudi & dotationis.

Quantum conferat ad justificationem Regaliæ. Pag. 681. à n. 237.

Refellitur hic titulus saltem quoad effectum collationis beneficiorum. Ibi à n. 241. & pag. 682. usque ad n. 244.

Tractatus Appamienſis circa Regaliam.

Argumenta, quibus Author istius tractatûs probat, Regaliam non habere locum in omnibus Franciæ Ecclesijs. Pag. 674. à n. 204.

Natalis Alexandri exceptiones, atque harum refutationes. Pag. 675. n. 209. & 210. item pag. 676.

Tyrannus.

Duplex tyrannorum regimen politicum exercentium genus, nempe quoad viam Facti & Iuris; & quomodò illos, qui sunt de posteriori hoc genere, liceat impunè occidere. Pag. 13. n. 56. & seq. item pag. 151. n. 59.

V.

Vicariatus Ecclesiasticus intrà Gallum.

Ostenditur constitutus per authoritatem Summi Pontificis. Pag. 549. n. 47.

Universitas Parisiensis.

Hujus de infallibilitate Papæ sensus. Pag. 756. à n. 14.

Ejusdem rei per dictæ Universitatis Doctores prosecutio. Pag. 757. à n. 16. item pag. 758. & pag. 759.

Vulgata sacrorum Bibliorum editio.

Quantæ sit puritatis. Pag. 744. à n. 56. & pag. 745.

Z.

Zephyrinus Papa.

Unà cum alijs Romanis Pontificibus vindicatur ab erroribus, qui eidem imputari solent. Pag. 739. à n. 45. & pag. 740. & 741.

Coll. Soc. Jesu Paderborn 1697.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
1310 a

D.
N. N.

Auctoritas
Cathedræ
Apostolicæ
GVI
D.b.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN